

RR. PP.
MASTRII
ET
BELLUTI
CURSUS
PHILOSOPHICUS

In Quinque Tomos Distributus.

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36



RR. PP.
MASTRII

ET

BELLUTI
CURSUS
PHILOSOPHICUS

In Quinque Tomos Distributus.



Ex Libreria del R. Colegio de S.ª Cruz de la fe Vm.ª de Granada
R. 10848

MASTRII
DE MELDULA,
ET BONAVENTURÆ
BELLUTI

De Catana Ord. Minor. Convent. Magistr.
PHILOSOPHIÆ AD MENTEM SCOTI
CURSUS INTEGR.

Tomus Primus,
CONTINENS DISPUTATIONES IN ARISTOTELIS
LOGICAM.

*Editio novissima a mendis, quæ prius
irrepperant, expurgata.*



VENETIIS, MDCCLVII.

Apud Nicolaum Pezzana.
SUPERIORUM PERMISSU, ET PRIVILEGIO.

LECTORI BENEVOLO.



PHILOSOPHIA M intellectui humano facem esse præambulam, ne in irrationalitatis foveam præceps labatur, nemo est, qui revocare possit in dubium; unde vidimus mentes illas doctrina in Academi hortis a Platone sata, vel ab Aristotele in Lycæi resperfa porticibus refertas stupendum in modum Virtutis specimen toti Mundo dedisse. Mastrium, & Bellutum ex Scoti Palæstra Magistratos celeberrimos prodiisse fatentur eorum opera Philosophica, quæ pluries sub prælo gementia mirum in modum semper in Peripatheticorum dogmatum affeclarum sinibus quietem adinvenerunt. Nunc ad communem omnium Philosophicis studiis incumbentium profectum, & utilitatem prodeunt iterum in lucem, ut post plurimas ex fere totius Orbis partibus postulationes cunctorum vota adimpleantur. Neque hoc mirum, si Mastrii, ac Belluti Philosophia tam crebris, iteratisque (ut ita dicam) precibus expetatur, eo quia recentibus hisce temporibus nullus adinventus sit, qui tam clara, tam erudita, & etiam a tenui comparanda ingenio præcepta Peripathetica secundum rationes in Scotica Academia tuendas, conscripserit. Quantus fuerit Mastrius, præter ejus opera in æternum victura, fatetur adhuc illustre Patavinum Lycæum, magnam se in obitu illius fecisse jacturam, quod etiam si superbire omni jure valeat se quibuscumque temporibus doctissimi sortitum fuisse in omni Arte magistratos, tamen Mastrii memoria nunquam evanescet, sed solida perstabit; nec dierum allisu, vel annorum concursu labefactari, destruique poterit. Non opus est hujus rei indicem texere, quando, ut cum Tacito loquar in Agric. *Prudentiam & scientiam in tanto viro referre, injuria virtutum est.* Philosophicas igitur hæc disputationes gratas habe, Lector benevole, iterum recusas, & qua valuimus diligentia a pluribus mendis, quibus exempla scatebant, expurgatas: & si quid illapsum, quod non correctum, proprii acumine ingenii excusa, corrige, & Vale.

DOCTRINA SCOTICA

Cœlitus, & humanus approbata, & commendata.



JOANNES DUNSIUS SCOTUS dum adhuc puerulus litteris incumberet, ut qui ab incunabulis omne in Sacratissimam Virginem Dei Genitricem obsequium voverat, fertur aliquando vehementius camorasse, ut intellectum illuminare, vegetioreque reddere dignaretur; cui mox somno correpto Deipara dignanter apparet, scientiarum copiam, & ingens in eisdem addiscendis, & exprimentis acumen pollicetur; gratias ille gaudens agit; expergefactus Virginea apparitione lætabundus, studia profequitur, & Dei Matris beneficio illustratum sibi experitur intellectum, P. Cavellus in vita Scoti cap. 1. VVadingus tom. 3. Annal. Relig. in vita ejusdem.

Parisiis Joanni Dunsio Scoto pro immaculato Conceptu Deiparæ a Labe originali propugnato, atque enixius deprecanti, repetentique Verf. *Dignare me, laudare te Virgo sacrata, da mihi virtutem, contra hostes tuos, Divæ Virginis imago marmorea caput inclinavit, eoque miraculo victoriam benigne pollicita est, atque in eam formam ad hæc usque tempora sacrum Imaginem persilare Parisiis testantur ex Ferchio nostro in Vita Scoti cap. 5. Joannes Pinneda Soc. Jesu in advertentijs D. Joan. Regis Aragon. pro immaculata Concept. Greg. Ruis ante Comment. in 4. Jo. de Manganelis in 1. sent. Chrystoph. Moren. de purit. Virg. cap. 4. fol. 273. Jo. Baptista Lezana Carmelita in Apol. pro immacul. Conceptione.*

In Revelationibus Beati Patris Amadæi Angelus eidem testatus est, Joannem Dunsium Scotum ab Regina Angelorum dilectum multum, cum primus gladium suum emerit pro immaculata ejusdem Virginis Mariæ Conceptione; Eamque monuit, ut in difficultatibus de angustissimo Altaris Sacramento Scoti doctrinam consulere; sic ex eodem Ferchio l. c. Ludovicus Magnellus a Polla in vita Dunfii, Dempster, & Menologio Scot. 4. Nov.

Bessarion Cardinalis in Conc. Florent. ad conciliandos Latinos Græcos ipsissimam Scoti doctrinam usurpavit in 1. d. 11. q. 1. An Spiritus Sanctus procedat a Patre, & Filio. Sic in orat. pro Unione tom. 4. Conc.

Stanislaus Osius Cardinalis unius Scoti autoritate ex quo, 20. totam Ecclesiæ Catholicæ sententiam de Missæ efficacitate corroborat contra Brentium Hæresiarum lib. 2. de Legitimis Judicijs rerum Ecclesiast. c. 221. quamvis inquit multi sint, qui tractent quæstionem, hanc, utrum Sacerdotis mali Missa tantumdem valeat, quantum boni (traquant enim eam Thomas de Aquino, & ejus præceptor Albertus, Bonaventura, Jo. Gerson, Gabriel Biel, & alii nonnulli) nos tamen vel unius Joannis Scoti testimonio contenti erimus, &c.

Jacobinus Bargius jussu Patrum Conc. Trident. unam ad Scoti mentem composuit quæstionem, quam in 1. d. 17. q. 1. & 2. asserit a Sacrosancta Synodo approbatam, & juxta Scoti placita definitam, Spiritu Sancto, qui Scotum illustraverat, illustrante universos Patres.

Joannes de Ragusio Dominicanus Orat. in Conc. Basiliensi habita de Communionem sub utraque specie (& refertur a Canisio antiquæ Læctionis tom. 3. part. 2. cart. 103.) ait, item Scotus, qui præ altitudine, & subtilitate doctrinæ anthonomastice nomen Doctoris Subtilis obtinuit, in 4. dist. 8. quæst. 3. Utrum Sacramentum a non juvenis possit recipi &c.

Extat Decretum Sacræ Congreg. Cardinalium ante annum 1610. circiter sancitum, quo præcipitur doctrinarum, aut librorum Censuribus, ut quicquid Scoti esse constaret, intactum, & involatum admitteretur, P. Cavel. in vita Scoti c. 5. & VVadingus tom. 3. Annal. Relig. in vita ejusdem.

Antonius de Fantis Tarvisinus Medicus in Epist. dedicat. Scotici Repertorii, quod mare magnum appellatur, de Scoto loquens inquit, quis in Dialecticis argumentationibus acutior? quis in peripathetica Philosophia profundior? quis in sacris enodandis Mysterijs vigilantior? ejus rei singulare judicium est irrefragabilis ubique ipsius adeo ventilata subtilitas, & celebrata sapientia, ut cum plurima excellentium Virorum volumina in publicis Concilijs dearticulata fuerint, eorumque articuli sub excommunicationis nota fuerint promulgati, candidissima Do-

ctoris volumina absque ulla erroris caligine huc usque in diem inviolata permanerunt. Et in epist. ad Lectorem; quem unum (Scotum) inter Sacræ Theologiæ professores, ut inter Evangelistas de B. Joanne in confesso est, aquilam, aut alteram mundi phænixem jure nuncupaverim, illius siquidem opera si paulo accuratius introspiciamus, eadem cum aliorum operibus Theologorum conferebant, non humano quidem ab ingenio, sed vel angelico, planeque divino, vel potius a cœlesti quodam numine profecta, & excogitata fuisse intelligemus.

Doctoris subtilis Opera inoffenso decurrenda pede, sicut Hilarii libros scripsit ad Lætam Hieronymus, testatur etiam Antonius Posselinus Societatis Jesu in suo apparatu, ubi de Scoto loquens ait: In scripturis divinis, ac in Philosophia Arist. adeo præstitit, ut in Disputationibus palmam cæteris præripere, atque ob id Doctor subtilis fuerit appellatus; & infra, cujus doctrinæ grave illud testimonium extat, quod ejus Libri absque ullo erroris nœvo usque in hanc diem 300. circiter annos in OEcumenicis Concilijs inviolati permanerint; & rursus, haud mirum fuerit, ait, si ingenium Doctoris subtilis modestia, & charitate præditum altissimus sensus erere potuerit ad veritatem indagandam, nunquam enim suam sententiam profert in aliorum injuriam, vel depressionem, quin quorum errores convellit, aut opinionibus discutit, adeo modeste, & plerumque suppresso nomine facit, ut christiano pectore hausitæ a Domino sapientiam conjici possit.

Thomas de Vio Cardinalis Cajetanus Ord. Prædic. in Com. 1. part. quæst. 14. art. 13. rarum (quod nec a Sequacibus addidit) profundissimæ Scoti doctrinæ profert Encomium: Dum enim solutiones parare nititur ad argumenta Scoti, quibus oppugnatur, Deum certo scire futura contingentia ex coexistentia actuali futurorum in æternitate; libero suo genio constititur, postquam neminem ex Thomistis rem acu tetigisse viderit, post quindicennalem sibi irritam speculationem, tandem opus fuisse e cœlo delapsa responsa Scoti objectionibus opponere; id, quod an etiam fuerit assecutus, judices sint ipsimet Thomistæ, atque Neotherici Theologi.

Sixtus Senensis Ord. Præd. tom. 1. lib. 4. Bibliot. fol. 285. habet, Joannes Dunsius Vir admirandæ eruditionis, subtilitate præditus.

Alphonfus Ciacconius Ordin. Prædic. in vita Clem. V. Joannes Scotus in divinis scripturis, & Philosophia Peripathetica versatissimus ob ingenii acumen, & rerum abditissimarum accuratissimas interpretationes Doctor subtilis vocatus.

Cardinalis Bellarminus Societ. Jesu de Scriptoribus Ecclesiast. Joannes Duns Ord. Min. Vir fuit acutissimo ingenio præditus.

Ferdinandus Salazar Societ. Jesu libr. de immacul. Concept. cap. 13. longe alia est subtilissimi Doctoris Scoti mens, qui quemadmodum omnibus Theologis immaculata Conceptionis propagandæ Auctor extitit, ita nihil prætermisit, quod in hac re ad majorem Virginis gloriam facere possit; & cap. 42. Joannes Duns Scotus præcipuus, & maxime puræ Conceptionis vindex, qui tanta huic doctrinæ sua autoritate fidem comparavit, quantam nullus alius ante, vel post ipsum.

Jacobus Breullius Ordin. S. Benedicti Antiq. Paris. lib. 2. cap. 704. Quidam, inquit, cognomento a patria sua sumpto Scotus vocatus, & Doctor subtilis, cujus memoria nunquam est peritura, præsertim inter Scholasticæ sapientiæ Professores ob eruditionem, quam scriptis suis inseruit, Hæreticorum impietati retundendæ opportunam, &c.

Universalis hist. in 6. ætate fol. 321. Joannes Scotus Ord. Min. Theologus subtilissimus anno Domini 1300. vel circa velut alter Apollo floruit, & præ cæteris Theologis subtilissima quædam opera edidit.

S. Anton. Ord. Prædic. 3. p. tit. 34. §. 2. c. 8. anno 1300. claruit Frater Jo. Scotus, qui scripsit super Sent. multa subtilia, unde & dicitur Doctor subtilis.

Sabellicus lib. 7. c. 4. Prædicari audio Jo. Scotum, quo nemo subtilius divinas tractavit litteras.

Tritem. de Scriptor. Eccl. de Scoto loquens inquit, vir in divinis scripturis studiosus, & eruditus, & in philosoph.

soph. Arist. doctissimus, & adeo profundus, ut ejus scripta paucis sint penetrabilia.

Hector Boet. lib. 15. hist. Scot. Jo. Duns Scotus sub D. Francisci instituto sanctissimo tantæ eruditionis Theologus, ut ejus ingenio illud sæculum cœteri possit indignum.

Volaterranus in Antropol. Per id tempus Jo. Scotus Universitatem Paris. magnopere illustravit.

Jo. Læssæus Episc. Rossensis lib. 7. suæ hist. pag. 250. Joannes Scotus fuit ingenii acumine, judicii vi, & doctrinæ cognitione adeo pollens, ut Theolog. illam reconditorem, quam Scholasticam vocant, multis subtilitatibus exquisitis felicissime auxerit, in quibus quod multa, quæ in obscuro posita latebant, a tenebris acerrima ingenii perspicacia eruerit, quæque viam, ac doctrinam avidius confectantur, imo qui quæstionis alicujus intimam rationem ad vivum refecant, ac subtilius perferuntur, Scotistæ summa tanti ingenii laude vocantur; quæ nihil aut tanta difficultate interseptum, aut tam densa caligine involutum, quod Scoti ingenium non potuerit penitus inspicere, ac clare aperire.

Antonius Contarenus Venetiarum Patriarcha, Dalmatizæ Prim. in Epist. ad Anton. de Fantis, Scotum omnium Philosopherum, ac Theol. acutissimum appellat.

Christophorus Marcellus Archiep. Corcyrensis eidem Antonio scribens, ait, Laudatissimum, ac extra omnem æquiperationis aleam posito Joannis Scoti ingenium non opus est modo; ut laudibus extollamus, sed doctrinæ illius cultores assiduos commendemus.

Hieronymus Magnanus Episc. Buduensis eidem Anton. inter fidos, inquit, arcanorum divinorum interpretes Joannes Duns Scotus nuncupatus nequaquam postremas obtinet partes, si aquilinum intuitum, si digestum studium observemus.

Georgius Ragulejus in disp. 2. peripath. c. 7. ait: Dum juvenis philosophiæ studeo, atque potissimum doctrinæ Scoticæ operam diligenter navarem, quo me aptius in subtilioribus disputationibus, quibus semper mirifice sum delectatus, exercerem, Scoti semper opinionem tam in privatis exercitationibus, quam in publicis congressibus sum secutus.

Antonius Roccus in Præfat. ad lib. Phys. ait: Nec alia de causa hunc (Scotum) potius quam alios Doctores feci decrevi, nisi quia ipse doctrina, sicut alii subtilitate præcellit, sic magis peripathetica, firmaque prout scio redolet veritate.

Compendium temporum Rioche lib. 4. cap. 48. Joannes Duns Scotus Ord. Min. vir omni scientia profundus, & peritus, unde Doctor subtilis nuncupatur.

Leonardus Lessius Societ. Jesu in censura scripti Oxoniensis noviter recogniti, & Scholii exornati a P. Cavello, ait: Nemo est, qui nesciat, Scotum esse cotem ingeniorum, & limam subtilioris Theologiæ, ac Philosophiæ, quæ in Scholis, & eruditis disputationibus maxime triumphare consuevit.

Jacobus Philip. Bergomensis in Supplem. Chron. Joann. Duns cognomento Scotus Ord. Min. Theologorum subtilissimus per hoc tempus velut alter Apollo floruit, & præ cæteris Theologis subtilissima edidit.

Gregorius Pomus aureus in Epistolis ante Comment. quem in 1. Scot. concinnavit, inquit, Scoti ingenium sine exemplo maximum fontem ingeniorum appello, in quo hoc præcipuum, quod neque ante illum imitari posset, inventus sit; & rursus: Si ab Scholis auferas peculiare Scoti opinionem, reliquum est, ut ipsius plane differendi usus, & occasio langueat.

Paschalinus Regifelmus Venetus in præf. ad Repert. Scoti a P. Magistro Hieronymo de Ferraris Ord. Præd. accurate concinnatum, inquit, hic (Hieronymus) licet ex eorum grege fuerit, qui sancitos a Divino Dominico

Canones servare sponte deliberant, tamen sibi videndum censuit, quid venusti afferrent, quid fructuum producerent fecundi, amænique horti felicium arborum excellentiarum contemplationum in agro Ecclesiæ satarum a Joanne Scoto: & infra. Cui namque Scoti nomen ignotum est, & quam difficile sit illi infitum acumen, & innatam subtilitatem extorquere? etenim facilius quivis e manibus Herculis clavam excussit.

Scaliger exercit. 324. alacre Scoti ingenium (quem limam veritatis appellat) Aristotelico æquiparat.

Cardanus de subtilitate lib. 16. Humanorum ingeniorum apices enumerans Joannem Scotum peculiariter commemorat, qui subtilis Doctoris nomen, inquit, ob doctrinam, parque ubique acumen merito meruit: & infra. Nec est unum genus subtilitatis in quo Auctores celebrantur, sed plura: Aristoteles ab ingenio, cujus Æmuli Theophrastus, & Scotus.

Joannes Pitæus Decanus Liverduni in Lotharingia de rebus Anglicis p. 3. q. 1. Scotus ingenio ad litteras plane factus, & ad miraculum subtili, atque acuto, ut non tam hominem acie mentis stupendum, quem inter Philosophos quendam dixeris Deum: & paulo post: Nihil tam occultum, & abstrusum, quod perspicax ejus ingenium non penetraverit, & e tenebris eruerit, nil denique tam nodosum, quod ille quasi quidam OEdipus non dissolverit.

His igitur de causis celebriores Orbis Universitates doctrinam Scoti profitentur, ac in tanti Doctoris venerationem floret in singulis Cathedra ejus doctrinæ definita in Bononiensi, Patavina, Romana, Perusina, Papiensi, Pisanina, Taurinensi, Ferrariensi, & extra Italiam in Complutensi, Salmanticensi, Conimbricensi, Viennensi, & aliis: de Parisiensi omnium Principe quid dicemus? Antonius Cucharus Episc. Acernensis in Elucidar. Virg. p. 2. asserit, Auctore Scoto Universitatem Parisiensem decreto sancivisse Festum Immaculatae Conceptionis, ad quod solemniter celebrandum quotannis se obstrinxerit, Episcopo Missæ sacrificium offerente, & uno ex Magistris concionem habente: quæ festivitas, dum in diem Dominicum incidit, in Conventu Prædicatorum, aliis temporibus in Conventu Minorum habetur: confirmat P. Petrus Oyeda Soc. Jesu in sua informatione pro defensione Immaculatae Concept. fol. 62. ex Pelbaro lib. 4. Stellarii p. 1. art. 3.

Idcirco mirum non est, nocte Christi Domini Natali Sacratissima Servatorem nostrum Jesum sub specie parvuli Joanni Dunsio Scoto apparuisse, seque ejusdem oculis, & amplexibus attestandum peramanter obtulisse: ut referunt ex P. Ferchio in Vita Scoti c. 5. Philip. de Sola in Chron. Min. lib. 3. p. 2. c. 7. Joannes a Pola in 1. sent. Paulin. Berti Ord. S. Aug. in Vita Scoti ante 4. lib. sent. Greg. Ruis in Epist. ante Comm. in 4. sent. Scoti, Antonius Cucharus Episc. Acernensis in elucidar. Virg. p. 2. Christoph. Moren. de puritate Virg. cap. 4. §. ult. Sic utique postulabat obsequentissimus amor, quo erga Christi Matrem flagrabat, ac ipsum Dominum Jesum, in cujus etiam laudibus omnes excessit Doctores, ut constat ex his, quæ de Sanctissima ejus anima docet in 3. d. 13. & 14. ubi præter communem defendit, summam gratiam possibilem etiam de potentia absoluta fuisse illi collatam; intellectum ejus videre, quæcumque Verbum videt, ac voluntatem summa fruitione gaudere, quæ quia sunt difficilis probationis, ac præter communem viam, se Doctor excusat devotissimis illis Verbis d. 13. cit. q. 2. lit. H. In commendando Christum malo excedere, quam deficere a laude sibi debita, si propter ignorantiam oportet in alterum incidere; quibus exprimit singulare in Christum obsequium, ob quod ait se libentius ignoranter nota inuri velle, quam indevoti. Ex quo tandem inferitur Doctrinam Scoticam devotione non minus, quam subtilitate esse referant.

INDEX TRACTATUUM, ET CAPITULORUM INSTITUTIONUM LOGICALIUM,

Ac Dubitationum in ipsis contentarum.

Capita per paginas, Dubitationes vero per numeros marginales indicantur.

PARS PRIMA.

De attentibus ad formam Syllogismi.

TRACTATUS I.

De terminis, ac eorum affectionibus.

- Cap. 1. **Q**uid, & quotuplex sit terminus in communi, pag. 1
 Dub. 1. Quæ dictiones fubeant rationem termini. num. 2
 Dub. 2. An dentur termini in propositione mentali. n. 3
 Cap. 2. De terminorum multiplicitate ratione significatio- nis. p. 3
 Dub. 1. Quid sit signum, & quotuplex. n. 5
 Dub. 2. Qui sint termini mixti inter cathegorematicum, & syncathegorematicum. n. 6
 Dub. 3. Qui sit terminus complexus, & incomplexus. n. 7
 Cap. 3. De terminorum multiplicitate in ratione modi si- gnificandi. p. 4
 Dub. Un. Quid sit terminus connotativus. n. 9
 Cap. 4. De multiplicitate terminorum in ordine ad res si- gnificatas. p. 5
 Cap. 5. De Universalibus, five Prædicabilibus. p. 6
 Cap. 6. De Prædicamentis, & primo de absolutis. p. 7
 Cap. 7. De Prædicamentis respectivis. p. 9
 Cap. 8. De Legibus eorum, quæ sunt in Prædicamento. p. 11
 Cap. 9. De Terminorum collatione inter se. p. 11
 Cap. 10. De Varia terminorum suppositione. p. 12
 Dub. 1. An suppositio competat adjectivis. n. 37
 Dub. 2. Quo pacto differant suppositio determinata, & con- fusa. p. 13
 Cap. 11. De reliquis terminorum proprietatibus. p. 14
 Cap. 12. De terminis exponibilibus. p. 14
 Cap. 13. Explicantur quidam termini in scholis frequentiffi- mi. p. 14

TRACTATUS II.

De Propositione, & ejus affectionibus.

- Cap. 1. **D**E nomine, & Verbo. pag. 15
 Dub. 1. An solum nomen finitum, & rectum sit no- men apud Logicum. n. 47
 Dub. 2. An nomina transcendentia infinitari possint. ibid.
 Dub. 3. An Verbum adjectivum, & substantivum de secun- do adiacente sint verba apud Log. n. 49
 Cap. 2. De oratione, quid sit, & quotuplex. p. 16
 Dub. Un. An Oratio necessario debeat consistere verbo. n. 51
 Cap. 3. Quid sit Propositio, seu Enunciatio, & quotuplex. p. 17
 Dub. 1. Quanam sit recta Enunciationis definitio. n. 53
 Dub. 2. Quomodo Enunciatio vocalis dicatur vera, vel fal- sa. n. 54
 Dub. 3. An divisio in catheg. & hypoth. sit generis in spe- cies. n. 55
 Cap. 4. Quid sit propositio cathegor. & quotuplex. p. 19
 Dub. 1. Qualis sit divisio propositionis in veram, & falsam, affirmativam, & negativam, universalem, & par- ticularem. n. 57
 Dub. 2. Qualis sit divisio propositionis in modalem, & de- inesse. n. 58
 Cap. 5. Quid sit propositio modalis, & quotuplex. p. 20
 Dub. Un. Qualis sit divisio propositionis modalis in composi- tam, & divisam. n. 62
 Cap. 6. Quid sit propositio hypothetica, & quotuplex. p. 21
 Dub. 1. An hypothetica propositio bene definiatur. n. 64
 Dub. 2. An divisio hypotheticæ in conditionalem, copula- tivam, & disjunctivam sit generis in species. n. 67
 Cap. 7. De oppositione categoricarum simplicium. p. 23
 Dub. 1. An inter contradictoria detur medium. n. 69

- Dub. 2. Quot sint species oppositionis. n. 71
 Cap. 8. De æquipollentia, & conversione categoricarum simplicium. p. 25
 Dub. 1. Quomodo æquipollent subcontraria. n. 73
 Dub. 2. An propositio affirmativa de prædicato infinito æ- quipolleat negativæ de prædicato finito, & e con- tra. n. 74
 Cap. 9. De oppositione, æquipollentia, & conversione ca- thegoricarum, modalium, ac etiam hypothetica- rum. p. 26
 Cap. 10. De propositionibus exponibilibus, & insolubilibus. p. 28
 Dub. 1. An propositiones exponibiles sint catheg. vel hypoth. & quomodo contradicant. n. 83
 Dub. 2. An propositiones insolubiles sint catheg. vel hypoth. n. 84

TRACTATUS III.

De argumentatione, & ejus affectionibus.

- Cap. 1. **Q**uid, & quotuplex sit Argumentatio. p. 28
 Dub. Un. Quæ sit consequentia materialis, & forma- lis. n. 86
 Cap. 2. De speciebus argumentat. p. 29
 Dub. 1. Quot sint argumentationis species, & num adinvicem essentialiter distinctæ. n. 87. & seq.
 Dub. 2. An omnis consequentia sit argumentatio. n. 89
 Cap. 3. De regulis communibus bonæ argumentationis. p. 30
 Dub. Un. An liceat argumentari ex suppositione impossibili. n. 93
 Cap. 4. De Inductione, ubi de ascensu, & descensu. p. 31
 Dub. Un. An inductio sit bona, & formalis consequentia, vel argumentatio. n. 96
 Cap. 5. De syllogismo, & ejus principiis constitutivis, ubi de figuris ejusdem. p. 33
 Dub. 1. Unde dicantur major, & minor in syllogismo. n. 99
 Dub. 2. An conclusio sit de essentia syllogismi. ibid.
 Dub. 3. An detur quarta figura. n. 100
 Cap. 6. De principiis regulativis syllogismi. p. 34
 Dub. Un. Quodnam sit principium præcipuum regulativum syllogismi. n. 102
 Cap. 7. Regulæ generales, & speciales cujusunque figuræ assignantur. p. 35
 Cap. 8. Assignantur modi cujusunque figuræ cum eorum exemplis. p. 37
 Dub. 1. An modi syllogismorum sunt sufficienter enumerati. n. 100
 Dub. 2. An in 2. & 3. figura dentur modi indirecte con- cludentes, sicut in prima. n. 111
 Cap. 9. De reductione modorum imperfectorum ad perfe- ctos. p. 39
 Cap. 10. De variis speciebus syllogismi categorici. p. 40
 Dub. Un. An detur syllogismus constans ex propositionibus non significantibus. n. 117
 Cap. 11. De Syllogismo hypothetico, & aliis syllogismi spe- ciebus. p. 41
 Dub. 1. Unde sint petendæ divisiones syllogismi, & an sint essentielles. n. 120
 Dub. 2. An syllogismus, ut sic, sit genus demonstrativi, Topici, & Sophistici. n. 122
 Cap. 12. De arte inveniendi medium, ac bene disputandi. p. 43
 Cap. 13. De modis, seu instrumentis sciendi. p. 44
 Dub. Un. An detur distinctio media inter distinctionem rea- lem, & rationis. n. 130

PARS

PARS SECUNDA.

De attentibus ad materiam Syllogismi.

TRACTATUS I.

De Syllogismo Demonstrativo.

- Cap. 1. **D**E præcognitionibus, & præcognitis. p. 47
 Dub. 1. Quot sint præcognitiones, & præcognita. n. 2
 Dub. 2. Quid de passione præcognoscatur. n. 4
 Cap. 2. De scientiæ demonstrationis effectu. p. 48
 Dub. Un. An detur scientia de novo. n. 6
 Cap. 3. De necessitate principiorum, ubi de modis perfei- tatis. p. 49
 Dub. 1. Quæ prædicentur in primo modo dicendi per se. n. 12
 Dub. 2. An modus intrinsecus prædicetur in primo modo di- cendi per se. n. 15
 Dub. 3. Quo pacto quartus modus dicendi per se differat a secundo. n. 18
 Dub. 4. An propositio per se convertatur in propositionem per se. n. 49
 Cap. 4. De demonstratione propter quid. p. 53
 Dub. 1. An causa virtualis possit intervenire demonstrationi. n. 23

- Dub. 2. Quomodo illud axioma propter quod unumquodque tale, & illud magis. n. 24
 Cap. 5. De demonstratione quia. p. 54
 Cap. 6. De medio demonstrationis. p. 55
 Dub. Un. De numero quæstionum. n. 28

TRACTATUS II.


De Syllogismo Topico.

- Cap. 1. **D**E materia tum remota, tum proxima Syllo- gismi Topici. p. 56
 Dub. Un. De numero prædicatorum. n. 32
 Cap. 2. De locis Topicis. p. 57
 Cap. 3. De locis intrinsecis. p. 57
 Cap. 4. De locis extrinsecis. p. 59
 Cap. 5. De locis mediis. p. 60

TRACTATUS III.

De Syllogismo Sophistico.

- Cap. 1. **D**E Fallacis in genere. p. 61
 Cap. 2. De Fallacis in dictione. ibid.
 Cap. 3. De Fallacis extra dictionem. p. 63



INDEX DISPUTATIONUM, QUÆSTIONUM, ET ARTICULORUM Ad universam Aristotelis Logicam pertinentium.

Quæstio Præambialis ad universam Aristotelis Logicam.

De natura Logice.

- Artic. 1. DE variis Logicæ nominibus, & acceptionibus. pag. 68
Artic. 2. De fine Logicæ. 68
Artic. 3. De adæquato Logicæ objecto. 69
Artic. 4. De essentia Logicæ. An sit scientia. 78
Artic. 6. De qualitate Logicæ. An sit scientia realis, & speculativa. 77
Artic. 6. De necessitate, & utilitate Logicæ, ejusque partitione. 81

DISPUTATIO I.

De modis, seu instrumentis sciendi.

- Quæst. 1. Quid, & quotuplex sit modus, seu instrumentum sciendi. 83
Quæst. 2. Qualiter instrumenta præfata directioni cognitionis interserviant. 85
Quæst. 3. Quodnam horum instrumentorum sit perfectius. 86
Quæst. 4. De definitione. 87
Artic. 1. An sit, quid sit definitio, & quotuplex. ibid.
Artic. 2. De modo construendi, & investigandi definitionem. 89
Artic. 3. Quamnam proprie definiiri possint. 91
Quæst. 5. De divisione. 92
Artic. 1. Quid, & quotuplex sit divisio, ejusque leges. 93
Artic. 2. Quid, & quotuplex sit distinctio. 94
Quæst. 6. De ordine, & methodo procedendi in facultatibus tradendis. 102

DISPUTATIO II.

De Vocibus, & earum communibus affectionibus.

- Quæst. 1. Quid voces significant, & quomodo, idest, an res vel conceptus, & num naturaliter, vel ad placitum. 105
Quæst. 2. Quid importet vocis significatio, & quomodo exerceatur. 107
Quæst. 3. De perfectione, & imperfectione vocum in significando. 108
Quæst. 4. De nominibus æquivocis, univocis, ac eorum significatis. 111
Artic. 1. Examinatur peculiariter natura æquivocorum, ibid.
Artic. 2. Examinatur peculiariter natura univocorum. 112
Quæst. 5. De analogis, ac eorum analogia. 114
Artic. 1. Quid sit analogum, & analogia, & quotuplex. ibid.
Artic. 2. Num analogum dicere possit conceptum unum ab analogatis præfatum. 118
Artic. 3. An, & quomodo analogum mediet inter univocum, & æquivocum. 120
Quæst. 6. Explicatur natura denominativorum. 122
Artic. 1. An denominativa univoce prædicentur, & num mediant inter univoca, & æquivoca. 123
Artic. 2. De principali significato concreti accidentalis, & radice unitatis, ac pluralitatis ejus. 124

DISPUTATIO III.

De ente rationis, & secundis intentionibus.

- Quæst. 1. AN detur ens rationis, & quale esse habeat. 127
Quæst. 2. Quid sit formaliter ens rationis, & in quo ejus essentia consistat. 129
Artic. 1. Ens rationis formaliter non consistere in extrinseca denominatione, neque in aliqua relatione ex ea resultante in rebus. 130
Artic. 2. Statuitur, & declaratur formalitas entis rationis. 132
Quæst. 3. Num ens rationis habeat causas sui esse, & quas. 135
Quæst. 4. An solus intellectus efficiat ens rationis, & quibus actibus. 136
Artic. 1. Resolutio quæstii de potentia entis rationis effricæ. 137

- Artic. 2. Resolutio quæstii de actu, quo fit ens rationis. 140
Quæst. 5. An quilibet intellectus possit ens rationis efficere. 141
Quæst. 6. An ens rationis habeat proprias affectiones, & quæ sint. 144
Quæst. 7. Quotuplex sit ens rationis. 146
Quæst. 8. De præcipua specie entis rationis, quæ dicitur secunda intentio. 148
Artic. 1. Quid sit secunda intentio, quomodo fiat, & a prima differat. 149
Artic. 2. Ubi conferuntur secundæ intentiones cum primis, & ad se invicem. 152

DISPUTATIO IV.

De universalibus in communi.

- Quæst. 1. AN detur universale a parte rei. 154
Artic. 1. Resolutio quæstii de universali in essendo. ibid.
Artic. 2. Resolutio quæstii de universali in prædicando. 156
Quæst. 2. In quo consistat essentia universalis logicæ. 159
Artic. 1. Universale Logicum intrinsece quid relativum esse. ibid.
Artic. 2. Relatio in essendo universale constituit, prædicandi est passio. 161
Artic. 3. Esse in actu, & aptitudine constituit universale, dici de aptitudine tantum est passio. 163
Quæst. 3. Per quem actum intellectus fiat universalis in actu. 165
Quæst. 4. Quibus naturis possit applicari intentio universalis. 168
Quæst. 5. An universale recte, ac sufficienter in quinque universalibus dividatur, seu prædicabilia. 171
Quæst. 6. An hæc divisio sit generis in species, & immediata. 174

DISPUTATIO V.

De universalibus in particulari.

- Quæst. 1. DE Genera. 174
Artic. 1. An genus definiiri possit, & quo sensu hic definiatur. ibid.
Artic. 2. An definitio generis sit recte assignata. 177
Artic. 3. Quomodo genus prædicetur de individuis. 181
Artic. 4. Expediuntur varia quæstia de genere. 183
Quæst. 2. De specie. 185
Artic. 1. An species subjicibilis, & prædicabilis recte definiatur. ibid.
Artic. 2. Per quid constituatur in esse 2. universalis, num ut subjicibilis, vel prædicabilis. 187
Artic. 3. An species in unico individuo, & genus in unica specie conservari possint. 191
Artic. 4. Quo sensu, & an recte hic definiatur individuum a Porphyrio. 194
Quæst. 3. De Differentia. 197
Artic. 1. Quomodo differentia dividat genus. 199
Artic. 2. Quomodo differentia simul cum genere constituat speciem, ubi de compositione Metaphysica. 200
Artic. 3. Quomodo differentia distinguat speciem ab aliis, ubi de mutua præcisione generis, & differentiarum, & differentiarum superioris, & inferioris. 203
Artic. 4. Quomodo differentia prædicetur de pluribus. 206
Quæst. 4. De Proprio. 208
Artic. 1. Agitur de proprio in ratione proprii, seu pro natura reali, & præsertim de distinctione ipsius a subiecto. ibid.
Artic. 2. Agitur de proprio in ratione universalis. 212
Quæst. 5. De Accidente. 214
Artic. 1. An accidens potatur ratione universalis, & ut tale definiatur a Porphyrio, & recte. 214
Artic. 2. Quibus naturis conveniat universalitas accidentis, & respectu quorum. 216

Index Disputationum, Quæstionum, & Articulorum.

DISPUTATIO VI.

De Prædicamentis in communi, seu antepredicamentis.

- Quæst. 1. Quot sint prædicamenta. 218
Quæst. 2. Quomodo prædicamenta sint inter se distincta. 221
Quæst. 3. Quæ res, & quomodo ponantur in prædicamento. 222
Artic. 1. Conditiones reponibilibus in prædicamentis assignantur. ibid.
Artic. 2. Constructio prædicamentorum in terminis abstractis, vel concretis determinatur. 224
Quæst. 4. De divisionibus, & regulis antepredicamentorum. 226

DISPUTATIO VII.

De prædicamentis in particulari, & primo de absolutis.

- Quæst. 1. DE substantia. 230
Artic. 1. De generalissimo hujus prædicamenti, ac ejus speciebus. ibid.
Artic. 2. Quo sensu dividatur substantia in primam, & secundam, & utraque hic definiatur, ac una alteri comparetur. 234
Artic. 3. Declarantur proprietates, & attributa substantiæ. 237
Quæst. 2. De quantitate. 239
Artic. 1. An quantitas continua, & discreta sint veræ species hujus prædicam. ibid.
Artic. 2. Quid sit quantitas continua, & quæ species ejus. 243
Artic. 3. Quid sit quantitas discreta, & quæ species ejus. 247
Artic. 4. Declarantur proprietates, & attributa quantitatis. 249
Quæst. 3. De qualitate. 251
Artic. 1. Quid sit qualitas, ut est supremum genus hujus prædicamenti. ibid.
Artic. 2. Explicantur quatuor combinationes, in quas dividitur qualitas. 253
Artic. 3. An præfata divisio sit sufficiens, & vera generis in species. 255
Artic. 4. Affectiones & attributa qualitatis declarantur, 257

DISPUTATIO VIII.

De Prædicamentis respectivis.

- Quæst. 1. Quid sit relatio realis, & quotuplex, ubi discrimen assignatur inter prædicamentalem, & transcendentalem. 258
Quæst. 2. Qualis, & quanta sit identitas relationum transcendentium cum rebus. 260
Quæst. 3. An relatio prædicam. sit accidens extremis ejus superadditum, & ab eis reipfa condistinctum. 262
Artic. 1. Relatio prædicam. est accidens ab extremis reipfa condistinctum. ibid.
Artic. 2. Nominalium fundamenta diruntur. 265
Quæst. 4. An relatio prædicam. constituatur per esse, in, vel ad, vel per utrumque. 269
Quæst. 5. In qua consideratur relatio ex parte subiecti, seu fundamenti. 271
Artic. 1. An subiectum relationis debeat esse ens reale, & finitum, ita quod nequeat esse infinitum. ibid.
Artic. 2. An subiectum relationis esse debeat necessario accidens, & hoc absolutum, ita quod nequeat esse respectivum. 273
Quæst. 6. In qua consideratur relatio ex parte termini. 275
Artic. 1. An relatio realis necessario petat terminum realem, & actu existentem. ibid.
Artic. 2. An una, & eadem numero relatio possit plures respicere terminos. 276
Artic. 3. An terminus relationem terminet sub ratione absoluta, vel respectiva. 279
Quæst. 7. Ubi consideratur relatio ex parte utriusque extremi quoad eorum distinctionem ab invicem. 282
Quæst. 8. Quotuplex sit relatio prædicam. & quamnam constituat quartum prædicamentum. 284
Quæst. 9. Quodnam sit supremum genus quarti prædicam. & an ab Aristotele sit recte definitum. 286
Quæst. 10. Quot, & quæ sint genera, & species relationum quarti prædicam. 289
Artic. 1. Unde sumenda sit unitas, vel distinctio specifica relationum. ibid.

- Artic. 2. Declarantur tres modi relativorum ab Aristotele. Metaph. assignati. 290
Artic. 3. An præfati tres modi sufficienter assignentur, ac velut adæquata, & propria genera quarti prædicam. 295
Quæst. 11. Declarantur affectiones relativorum. 296
Quæst. 12. De ultimis sex prædicamentis. 299
Artic. 1. Quid formaliter dicant ultima sex prædicamenta. ibid.
Artic. 2. De singulis sex prædicamentis. 300

DISPUTATIO IX.

De postpredicamentis.

- Quæst. 1. DE oppositis. 308
Artic. 1. Relativa, & contraria oppositio declaratur. 309
Artic. 2. Privativa, & contradictoria oppositio explicatur. 310
Quæst. 2. De modis priorum, & posteriorum. 313
Artic. 1. Declaratio prioritatis naturæ. 314
Artic. 2. Quid sit prioritas originis. 315
Quæst. 3. De modis simultatis. 316

DISPUTATIO X.

De enunciatione.

- Quæst. 1. AN enunciatio sit ens reale, vel rationis. 317
Quæst. 2. De veritate, & falsitate. ibid.
Artic. 1. An veritas sit in conceptu formali, vel objectivo. ibid.
Artic. 2. An enunciatio possit de vera mutari in falsam, & e contra. 318
Artic. 3. Quid formaliter sit veritas cognitionis. 322
Artic. 4. Quid sit falsitas cognitionis. 325
Artic. 5. An propositiones de futuro contingenti absoluto sint determinate veræ & falsæ. 327
Quæst. 3. De regulis bonæ prædicationis ad veras enunciationes efficiendas. 329
Artic. 1. An concreta possint de aliis concretis, & de abstractis prædicari. 331
Artic. 2. An abstracta possint de concretis, & aliis abstractis prædicari. 332

DISPUTATIO XI.

De syllogismo in communi, seu discursu.

- Quæst. 1. AN discursus differat ab argumentatione. 334
Quæst. 2. An assensus conclusionis debeat esse distinctus ab assensu præmissarum. 336
Quæst. 3. An præmissæ sint causa conclusionis, & in quo genere causæ. 338
Quæst. 4. An præmissæ debeant prius cognosci, quam conclusio. 340
Quæst. 5. An assensus præmissarum necessitet intellectum ad assensum conclusionis. 341

DISPUTATIO XII.

De Scientia.

- Quæst. 1. Quid sit scientia. 343
Quæst. 2. De objecto scientiæ. 345
Artic. 1. Quid, & quotuplex sit objectum scientiæ. ib.
Artic. 2. An de subiecto debeat præcognosci quia est, seu existentia. 347
Artic. 3. An subiectum debeat habere quid rei. 348
Artic. 4. An subiectum debeat continere primo virtualiter omnes veritates scientiæ. 350
Artic. 5. An subiectum debeat esse necessarium. 352
Artic. 6. Quo sensu subiectum respiciat omnia considerata in scientia. 353
Quæst. 3. De unitate scientiæ. 355
Artic. 1. Unde sumenda sit unitas, & specificatio scientiæ. ibid.
Artic. 2. An scientia sit una simplex qualitas. 357
Artic. 3. Qualis sit unitas scientiæ totalis. 360
Quæst. 4. De subalternatione scientiarum. 361
Artic. 1. Explicantur primæ duæ conditiones. ibid.
Artic. 2. Tertia conditio declaratur. 362
Quæst. 5. De divisione scientiæ in prædicam, & speculativam. 364
Artic. 1. Quid sit praxis. 365
Artic. 2. Quid sit, & unde sumenda ratio practici, & speculativi. 369
Artic. 3. An practicum, & speculativum conveniant scientiæ, & quomodo. 371

Index Disputationum, Quæstionum, & Articulorum.

DISPUTATIO XIII.

De Demonstratione.

| | | |
|-----------|---|-----|
| Quæst. 1. | DE essentia, & speciebus demonstrationis. | |
| Artic. 1. | Quid sit demonstratio propter quid, & quia. | 374 |
| | ibid. | |
| Artic. 2. | Quot sint species demonstrationis. | 375 |
| Quæst. 2. | De terminis demonstrationis. | 377 |
| Artic. 1. | De medio demonstrationis, propter quid. | 378 |
| Artic. 2. | De medio demonstrationis potissimæ. | 379 |
| Artic. 3. | De majori extremo demonstrationis. | 381 |
| Quæst. 3. | De præmissis demonstrationis. | 383 |

| | | |
|-----------|---|-------|
| Artic. 1. | Explicatur primitas, & immediatio præmissarum, ubi de propositione per se nota. | ibid. |
| Artic. 2. | Cæteræ conditiones dilucidantur. | 384 |
| Quæst. 4. | De circulo, & regressu demonstrativo. | 386 |

DISPUTATIO XIV.

De syllogismo topico, & Elencho.

| | | |
|-----------|--|-----|
| Quæst. 1. | Quid sit opinio, & quomodo a scientia differat. | 388 |
| Quæst. 2. | An scientia, & opinio possint esse simul de eodem objecto. | 390 |
| Quæst. 3. | Quid sit error, & quomodo a scientia, & opinione differat. | 392 |



INDEX RERUM
NOTABILIUM
DIALECTICARUM INSTITUTIONUM

Primus numerus Partem primam, vel secundam indicat Institutionem, alter vero marginalem Numerum.

A



Abstractum, & abstractio, quid sit terminus abstractus 1. 8. quomodo abstrahentium non sit mendacium. 1.17.
Accidens est vere, & proprie universale non respectu suorum inferiorum, sed subjectorum 1. 18. ejus definitio explicatur ib. non tantum accidens specificum, sed etiam genericum spectat ad quintum prædicabile ibid. accidens aliud prædicabile, aliud prædicamentale 1. 21. accidentia communia duplicia. 2.45.
Alio prædicamentum definitur 1. 29. quo sensu dividatur in immanentem, & transeuntem, ut in ejus species ib. non est productiva termini, sed transmutativa subjecti ib. ejus proprietates ib. sumpta pro formali subjectatur in agente. 1.30.
Aquivoca quæ 1. 12. quo pacto æquivocatio ab amphihologia differat. 2.54.
Analogia quid sit, & terminus analogus. 1.12.
Argumentatio quid 2. 85. tria requirit ibid. consequens differt a consequentia ibid. argumentatio, & consequentia quotuplex 1. 86. species ejus quatuor, & quæ 1. 87. dilemma non est species argumentationis a cæteris distincta ibid. omnes alia reducuntur ad syllogismum 1. 88. omnis consequentia est argumentatio 1. 89. ejus regulæ 1. 90. & seq. quando liceat argumentari ex suppositione impossibili 1. 93. est instrumentum sciendi cæteris præstantis. 1.116.
Ars est circa factibilia 2. 28. ars inveniendi medium 1. 123. ars bene disputandi. 1.124.
Ascensus, & descensus quid, & quotuplex. 1.95.

B

Bonitas, vel pravitas ad consequentiam pertinet, veritas, vel falsitas ad consequens. 1.85.

C

Causa duplex in essendo, vel in cognoscendo 2. 23. in essendo quadruplex 2. 29. ex quolibet genere causa potest sumi medium pro demonstratione ibid.
Circulus quid sit, & quomodo differat a regressu 2. 24. non est admitendus. ibid.
Cognitio intellectiva tria habet instrumenta directiva. 1.116.
Conclusio quid sit 1. 99. est de essentia syllogismi. ibid.
Concretum quid sit, & quomodo differat terminus concretus ab abstracto. 1.8.
Connotativum quid sit 1. 9. non coincidit cum concreto ib. neque cum relativo. 1.10.
Consequens, & consequentia quomodo differant 1. 85. Consequentia duplex 1. 86. tenet consequentia a positione inferioris ad positionem superioris, non e contra 1. 92. & a negatione superioris ad negationem inferioris, non e contra ibidem; numquam distinguitur consequentia, sed consequens. 1.115.
Contraria alia mediata, alia immediata. 2.47.

D

Definitio est instrumentum sciendi. 1.126.
 Quid sit, & quotuplex. 1.127.
 Quot ejus conditiones. 1.128.
 De se non affirmat, nec negat. 2.19.
Demonstratio inter omnes syllogismi species est principalior. 2.1.
 Duplex est propter quid, & quia. 2.21.
 Propter quid definitur. ibid.
 Debet esse ex veris, immediatis, &c. 1.22.
Demonstratio Quia quid sit, & quotuplex. 2.26.
 Varia utriusque discrimina. 2.27.
Demonstrativa quæ. 1.10.
Descriptio. vide Definitio.
Determinatio triplex, distrahens, & diminuens, & contrahens. 2.42.
Differentia quid sit, & quotuplex.
 Ut est tertium universale comprehendit differentiam tam genericam, quam specificam. ibid.
 Dicit partem essentia formalem. ibid.
 Differentia formalis non pertinet ad quodquid est. 1.15.

Dilemma non est species argumentationis a cæteris distincta. 1.87.
Discursus, vide Argumentatio.
Distinctio quid sit, & quotuplex. 1.130.
 Distinctio modalis a Recentioribus assignata est realis. ibid.
 Quid sit distinctio formalis ex natura rei apud Scotistas. 1.131.
 Quo sensu ponenda sit media inter realem, & rationis. ibid.
Divisio est instrumentum sciendi. 1.126.
 Quid sit, & quotuplex. 1.129.
 Ejus conditiones. ibid.

E

Ens per accidens nequit esse subjectum, nec prædicatum propositionis per se. 2.11.
Enthymema est species argumentationis. 1.87.
 Est argumentatio formalis. 1.87.
Enunciatio quid sit, & quotuplex. 1.53.
 Idem est quod propositio. ibid.
 Quo sensu dici possit ab ipsa differre. ibid.
 Non est instrumentum sciendi. 1.116.
Error quot modis circa prædicatum universale contingat. 2.20.
Exemplum est species argumentationis, & qualis. 1.87.
 Est argumentatio formalis. 1.97.

F

Fallacia quid, & quotuplex. 2.51.
Figura syllogistica quæ, & quotuplex. 1.100.
 Quarta non datur. ibid.
Forma propositionis quæ. 1.57.

G

Genus definitur. 1.14.
 Non dicit totam essentiam rei, sed partem materialem. ibid.
 Triplex est, supremum, medium, & infimum. ibid.
 Genera diversorum prædicamentorum nullam habent communem differentiam constitutivam, aut divisivam, neque communes species. 1.35.
 Subordinata communes habent differentias superiorum generum constitutivas. ibid.
Gradus Metaphysici qui dicantur. 1.121.

H

Habitus prædicamentum definitur, & ejus species, & affectiones assignantur. 1.34.
 Constituitur per unionem formæ ad-subjectum, sive sit unio accidentalis, sive substantialis. ibid.
 Quid sit habitus pro prima qualitatis specie. 1.24.
 Habitus intellectus sunt quinque. 2.28.

I

Ignorantia duplex, & quid utraque sit. 2.9.
 Ejus causa. ibid.
Individuum substantia est incommunicabile, & individuum accidentis, partim est communicabile, partim incommunicabile. 1.21.
Inductio est species argumentationis, & quomodo ab exemplo differat. 1.87.
 Quid sit, & quæ ejus conditiones. 1.94.
 Dicitur ascensus, & oppositus arguendi modus descensus. 1.95.
Inductio quid sit, & quotuplex sit uterque. ibid.
 Est argumentatio formalis. 1.96.
Instrumentum, seu modus sciendi quid sit. 1.126.
 Est triplex, definitio, divisio, argumentatio. ibid.
 Hæc est aliorum efficacior. 1.85.
Intellectus triplicem habet operationem. 2.9.
 Nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu. 2.9.
Intentio duplex, prima, & secunda. 1.12.

L

Locus topicus quid, & quotuplex. 2.34.
 Locus intrinsecus quid. 2.36.
 Quid locus extrinsecus. 2.46.

Index Rerum Notabilium.

Locus a definitione ad definitum potest esse quoque demonstrativus. 1. 37.
Locus arguendi a commutata proportione. 2. 49.
Locus medius. 2. 50.
Logica proxime versatur circa terminos mentales. 1. 3.

M

Materia propositionum, & quotuplex. 1. 57.
Methodus non est instrumentum sciendi a ceteris distinctum. 1. 126.
Modus propositionis definitur, & dividitur. 1. 59.
Modus, & figura syllogismi. 1. 100.
Qui modus dicatur directe concludere, & qui non. 1. 108.
Sufficientia modus in singulis figuris. 1. 110.
Etiam in secunda, & tertia figura dari possunt modi indirecte concludentes. 1. 111.
Modus sciendi quid, & quotuplex. 1. 126.
Modi dicendi per se fuisse explicantur. 2. 12. & seq.
Quenam sunt propositiones primi modi. 2. 13. & seq.
Quo pacto modus intrinsecus predicatur de re in primo modo. 2. 15.
Gradus primi modi. 2. 16.
Quae sint propositiones secundi modi. 2. 17.
Quae terti. 2. 217.
Quartus modus explicatus cum ejus gradibus. 2. 18.
Ejus discrimen a secundo. 2. 19.
Explicantur modi per accidens. 2. 20.

N

Necessitas principiorum demonstrationis qualis, & quantitas. 2. 11.
Nomen definitur. 1. 46.
Casus nominis non sunt vere nomina. 1. 47.
Transcendentia utique quae etiam infinitari possunt. 1. 47.
Notiora nobis, & notiora natura, quae dicantur. 2. 24.

O

Operatio vitalis non est actio proprie dicta, sed tantum aequivoce, & grammaticaliter. 1. 29.
Operatio intellectus triplex. 1. 85.
Opinio quid sit, & quomodo a scientia differat. 2. 8. 31.
Idem obiectum esse potest scibile, & opinabile sub diversa ratione. 2. 8. 31.
Oppositio propositionis, Vide Propositio.
Oratio definitur. 1. 50.
Non necessario constat nomine, & verbo. 1. 51.
Alia perfecta, alia imperfecta. 1. 52.
Perfecta vel non enunciativa, vel enunciativa, quae sola est propositio. 1. 52.
Vide Propositio, Enunciatio.

P

Passio praedicamentum definitur, ac ejus species enunciantur. 1. 30.
Subiectatur in passio. 1. 30.
Passio pro proprietate, Vide Proprium.
Potio de genere quantitatis quo pacto differat a positione de genere Situs. 1. 33.
Praecognitiones quae, & quot. 2. 2.
Praecognita sunt tria. 2. 3.
Quid de singulis praecognoscatur. 2. 4. & 5.
Praedicabile. Vide Universale.
Praedicamentum quid sit. 1. 19.
Decem sunt rerum praedicamenta. 1. 19.
Cujus numeri efficax sufficientia assignari non potest. 1. 19.
Praedicamenti structura explicatur. 1. 19.
Praedicari in quid, & in quale quomodo differant. 1. 14.
Praedicata topica quatuor. 2. 32.
Praedicatio duplex, alia directa, & naturalis, alia indirecta, & non naturalis. 2. 11.
Praedicatum universale posterioristicum quodnam sit. 2. 20.
Praemisse demonstrationis debent esse necessariae. 2. 11.
De omni per se, & secundum quod ipsum. 2. 22.
Debet esse vera. 2. 22.
Prima, & immediata. 2. 22.
Quomodo esse debent causae conclusionis. 2. 23.
Principium demonstrationis quid sit, & quotuplex. 2. 10.
Ejus Proprietas. 2. 11.
Tres gradus necessitatis ejus. 2. 11.
Debet esse primum, & indemonstrabile formaliter, vel saltem virtualiter. 2. 22.
Principia alia propria, alia communia. 2. 23.
Problema quid sit, & quotuplex. 2. 33.
Propositio definitur bifariam. 1. 53.
Quae definitio sit essentialis. 1. 53.
Veritas, & falsitas passionis ejus sunt. 1. 54.
Quae intrinsece sunt in propositione mentali, ac in vocali, & scripta solum extrinsece. 1. 54.
Nulla propositio vocalis de rigore sermonis est vera, vel falsa. 1. 54.

Dividitur in categoricam, & hypotheticam sicut in species. 1. 55.
Categorica definitur. 1. 56.
Alia est de secundo adjacente, alia de tertio. 1. 56.
Ejus materia, & forma, quantitas, & qualitas declarantur. 1. 57.
Regula propositionum in materia necessaria, contingenti, & impossibili. 1. 57.
Dividitur in affirmativam, & negativam, veram, & falsam, universalem, & particularem, & qualis sit ista divisio. 1. 58.
Dividitur in naturalem, & innaturalem, & absolutam, & modalem, & haec non differunt specie. 1. 58.
Propositio modalis definitur, & ejus modi assignantur. 1. 59.
Dupliciter confici potest. 1. 60.
Ejus quantitas, & qualitas. 1. 61.
Dividitur in compositam, & divisam, ut in species. 1. 62.
Quid sit sensus compositus, & divisus in modalibus. 1. 63.
Hypothetica definitur, & dividitur. 1. 64.
Ejus materia, quantitas, & qualitas. 1. 65.
Ejus regula. 1. 66.
Ejus divisio est generis in species. 1. 67.
Propositionis oppositio definitur. 1. 68.
Est quadruplex. 1. 69.
Contradictoria explicatur. 1. 70.
Explicantur contraria, subcontraria, & subalterna. 1. 70.
Sola contradictoria, & contraria sunt verae oppositiones. 1. 71.
Oppositio signorum quantitatis. 1. 71.
Modalium oppositio. 1. 77.
Hypotheticarum oppositio. 1. 80.
Propositionis aequipollentia quid sit, ac ejus regula. 1. 72.
Quomodo aequipollent subcontrariae. 1. 73.
In praedicatis simplicibus negativa de praedicato finito aequipollent affirmativa de praedicato infinito, & e contra, non in compositis. 1. 74.
Aequipollentia modalium quomodo fiat. 1. 78.
Modalium quomodo ad de ineffe reducatur. 1. 81.
Propositionis conversio quid, & quotuplex. 1. 75.
Ejus regula. 1. 76.
Conversio modalium quomodo fiat. 1. 79.
Propositio exponibilis, quid, & quotuplex. 1. 82.
Formaliter est categorica, virtualiter hypothetica. 1. 83.
Earum oppositio. 1. 83.
Insolubilis quid, & quotuplex. 1. 84.
Propositio de omni posterioristico quid sit. 2. 11.
Quid sit propositio per se. 2. 19.
Propositio per se convertitur in propositionem per se. 2. 19.
Quid sit propositio secundum quod ipsum. 2. 20.
Quid propositio probabilis. 2. 31.
Proprium ut universale non distinguitur ab accidente per convertibilitate praedicari. 1. 13.
Quatuor ejus modi. 1. 17.
Solum quarto modo constituit universale. 1. 17.
Constituitur in ratione proprii per praedicari convertibilitate, non autem in ratione universalis. 1. 17.
Sic autem constituitur per accidere omni, soli, & semper. 1. 17.
Ut est quartum universale comprehendit proprium tam genericum, quam specificum. 1. 17.
Proprium praedicatur de subiecto in secundo modo dicendi per se. 2. 16.

Q

Qualitas definitur. 1. 24.
Ejus species, vel modi sunt quatuor. 1. 24.
Affectiones autem tres assignantur. 1. 25.
Qualitas propositionum quae. 1. 57.
Quantitas definitur. 1. 22.
Dividitur in continuam, & discretam. 1. 22.
Earum subdivisiones, & species. 1. 23.
Ejus affectiones assignantur. 1. 23.
Quantitas oppositionum. 1. 57.
Quando praedicamentum definitur. 1. 31.
Ejus species, & affectiones assignantur. 1. 31.
Quaestiones sunt quatuor. 2. 28.
Omnis quaestio est medii. 2. 29.

R

Reduplicatio in terminis quam virtutem habeat. 1. 24.
Sensus reduplicativus quomodo differat a specificativo. 1. 24.
Regressus quomodo differat a circulo. 2. 24.
Regulae antepredicamentales explicantur. 1. 35.
Relatio quid sit. 1. 17.
Alia realis, alia rationis. 1. 17.
Realis tres habet conditiones, 1. 17.
Quae etiam duplex est, actualis, & aptitudinalis, item alia praedicamentalis, alia transcendentalis. 1. 17.
Praedicamentalis item alia intrinsecus, alia extrinsecus adveniens. 1. 17.
Ad relationem quarti praedicamenti quatuor exiguntur conditiones. 1. 17.
Rela-

Index Rerum Notabilium.

Relativa quid sint. 1. 27.
In illis tria considerari debent. 1. 27.
Alia secundum esse, alia secundum dici. 1. 27.
Et rursus alia mutua, alia non mutua, & denique alia aequiparantiae, alia disquiparantiae. 1. 27.
Res, & realitas quomodo differant. 1. 131.

S

Scientia datur de novo. 2. 6.
Quid sit. 2. 7.
Scire tripliciter sumi potest, 2. 7.
Distinguitur ab aliis habitibus intellectus. 2. 8.
Signum definitur. 1. 4.
Duplex est, formale, & instrumentale. 1. 4.
Et hoc rursus duplex, naturale, & ad placitum. 1. 5.
Causa, & effectus sunt sibi invicem signa. 1. 5.
Situs praedicamentum definitur. 1. 33.
Quo pacto distinguatur a positione de genere quantitatis. 1. 33.
Ejus species, & affectiones assignantur. 1. 33.
Alia quaedam explicatio praedicamenti Situs. 1. 33.
Species duplex subiectionis, & praedicabilis. 1. 13.
Utraque definitur. 1. 13.
Subiectionis triplex est, suprema, media, & infima. 1. 13.
Praedicabilis una tantum, scilicet infima, & specialissima, & haec sola secundum universale constituitur. 1. 13.
Subalternans scientia quae sit, & quae subalternata. 2. 8.
Substantia praedicamentalis quid sit. 1. 20.
Dividitur in primam, & secundam. 1. 20.
Singulae ejus proprietates declarantur. 1. 21.
Superius dicitur de inferiori, & quicquid praedicatur de ipso, ut de subiecto, praedicatur de omni contento sub eo. 1. 35.
Quo pacto intelligenda sit haec regula. 1. 35.
Suppositio quid sit. 1. 37.
Suppositio, & significatio non sunt idem. 1. 37.
Convenit termino solum in propositione. 1. 37.
Quomodo adjectivis competere possit. 1. 37.
Quotuplex sit. 1. 38. & seq.
Nobilitas discrimen inter suppositionem determinatam, & confusam. 1. 39.
Syllogismus est species argumenti. 1. 87.
Dividitur in categoricum, & hypotheticum. 1. 98.
Quid sit syllogismus categoricus. 1. 98.
Quot ejus principia constitutiva. 1. 99.
Quid figura, & modus illius. 1. 100.
Triplex est ejus figura, nec datur quarta. 1. 100.
Ejus principia regulativa duo. 1. 101.
Et utraque idonea, & necessaria. 1. 102.
Regulae generales cujuscumque figurae. 1. 103. regulae speciales. 1. 107. modi earum. 1. 108. exempla singulorum. 1. 109. sufficientia eorum. 1. 110. reductio imperfectorum ad perfectos. 1. 112. duobus modis fieri potest. 1. 113. reductio per impossibile quomodo fiat. 1. 114. variae species syllogismi categorici. 1. 115. & seq. quid, & quotuplex sit syllogismus expositivus. 1. 116. quid, & quotuplex hypotheticus. 1. 18. quae divisiones syllogismi sint essentialis, & quae accidentales. 1. 120. syllogismus topicus quid, & quotuplex. 2. 31. quomodo differat a topico, & elencho. 1. 120. materia ejus duplex. 1. 120. syllogismus sophisticus quid, & quotuplex. 2. 51.

T

Tempus quid sit. 1. 31.
Vide Quando.
Terminus definitur. 1. 1.
Copula proprie non est terminus. 1. 1.
Nec adverbium conjunctionis, & similia. 1. 2.
Nomen substantivum extra propositionem dici potest terminus. 1. 1.
Dividitur in mentalem, vocalem, & scriptum. 1. 3.
Mentalis in objectivum, & formalem, & hic in ultimum, & non ultimum. 1. 3.
An propositio mentalis terminos habeat. 1. 3.
Vocalis item in significativum, & non significativum. 1. 4.
Ille rursus vel est naturaliter, vel ad placitum significativus. 1. 5.
Hinc etiam vel est cathogorematicus, vel syncathogorematicus, vel mixtus. 1. 6.
Cathogorematicus alter complexus, alter incomplexus. 1. 7.
Et hic alter finitus, alter infinitus. 1. 8.
Item alter est concretus, alter abstractus. 1. 8. alter absolutus, non e contra, nec omnes connotativi sunt connotati. 1. 10. Item alter denominans, alter denominativus. 1. 10. Item unus communis, alter singularis. 1. 11.
Ille vel transcendens, vel limitatus, iste vel determinatus, vel collectivus, vel vagus. 1. 11. Communis item vel univocus, vel equivocus, vel analogus. 1. 112. Demum alter primae, alter secundae intentionis. 1. 112.
Terminorum quidam sunt pertinentes, & quidam impertinentes. 1. 36.
Terminorum status, ampliatio, distractio, restrictio, & appellatio. 1. 40. & seq. Termini exclusivi, exceptivi, & reduplicativi. 1. 44.
Alii termini inter disputandum frequentissimi explicantur. 1. 45. & seq.
Totum quotuplex. 2. 29.

V

Ubi praedicatum definitur, ac ejus species, & affectiones assignantur. 1. 22.
Verbum definitur. 1. 18. Quo sensu in propositione necessaria dicatur absolvi a tempore. 1. 18. Infinitari potest intra propositionem. 1. 49.
Veritas, & falsitas sunt propositionis affectiones, non autem differentiae essentialis. 1. 53.
Sunt intrinsece in propositione mentali; extrinsece solum in vocali, & scripta. 1. 54.
Unus praedicari cum subiecto in propositione est copula. 1. 57.
Universale quotuplex. 1. 13.
Sufficientia quinque universalium. 1. 13.
Genus, species, & differentia sunt universalis essentialia, proprium, & accidens accidentalia. 1. 17.
Praedicari convertibilitate de suis inferioribus repugnat rationi universali. 1. 13. 17.
Quilibet terminus communis, seu universalis duo habet significata, immediatum, scilicet, & mediatum. 1. 38.
Sub termino communi simpliciter supponente non licet descendere, bene tamen sub termino supponente absolute. 1. 12.
Univoca quae sint. 1. 12.
Voces nedom ad placitum, sed etiam naturaliter significare possunt. 1. 5.

INDEX RERUM

NOTABILIUM

AD ARISTOTELIS LOGICAM PERTINENTIUM.

Prior Numerus Disputationem significat, alter vero marginalem numerum, praterquam in quaest. Procem. ubi citatur tantum marginalis.



Abstractio multiplex 10. 49. in substantiis, & accidentibus absolutis fit duplex abstractio, in relativis triplex ibid. & 60. terminus ultimatus abstractus quid fit ibid. accidentalia media abstractione abstracta concernunt, si generica sunt, propria individua, & species; at substantialia solum propria singularia 10. 61. quomodo abstracta praedictentur, & subjiciantur in propositionibus respectu concretorum 10. 64. & seq. quomodo abstracta de se invicem 10. 63. & seq.

Accidens est vere, & proprie universale non respectu suorum inferiorum, sed subjectorum 5. 192. & ut tale definitur a Porphyrio 5. 198. eius definitio explicatur 5. 199. accidens duplex praedicabile, & praedicamentale, & eorum discrimen 5. 201. non tantum accidens, sed etiam substantia fundat rationem quinti universalis 5. 204. non tantum accidens specificum, sed etiam genericum spectat ad quintum praedicabile 5. 207.

Actio praedicamentum definitur 8. 198. quo sensu dividatur in immanentem, & transentem, ut in eius species 8. 199. non est productiva termini, sed transmutativa subjecti 8. 189. non solum successiva, sed etiam instantanea spectat ad hoc praedicam. 8. 200. non solum accidentalis, sed etiam substantialis 8. 201.

Actus intellectus varii 4. 60. **Aequivoca** definiuntur 2. 31. quomodo plura actu significant 2. 35. aequivocum potius dici debet unum nomen, quam multiplex 2. 36. aequivocatio est in voce, non in conceptu 2. 37. quot species aequivocorum 2. 38.

Analogia quid sit 2. 24. quotuplex 2. 27. quid analogia attributionis 2. 49. quotuplex 2. 51. quid analogia proportionalitatis 2. 56. quid analogia inaequalitatis 2. 61. inaequalitas participandi communem rationem analogiam inducit 2. 62. transcendentia se sola non inducit 2. 64.

Analogia quam dicant conceptum unum ab analogatis praecipuum, & quae non 2. 68. & seq. formaliter mediant inter univoca, & aequivoca, non materialiter 2. 78.

Angelus est in praedicamento substantiae 7. 12. **Appetudo** vide Proprium.

Argumentatio an differat a discursu 11. 2. & 7. in qualibet argumentatione sunt tria, antecedens, consequens, & nota illationis 11. 5. est instrumentum sciendi tertiae operationi specialiter deserviens 11. 17. est caeteris perfectior ibid. Vid. Discursus, Syllogismus.

Ars quid sit, quaest. procem. 38. non solum dicitur de habitu factivo, sed etiam activo ibid. 42. ars mechanica respicit opus externum, liberalis potest in interno salvari ibid.

Assensus conclusionis diversus est ab assensu praemissarum 11. 11. non attingit formaliter assensum praemissarum 11. 12. est tamen dependens ab illo ibid. quomodo assensus praemissarum necessitat ad assensum conclusionis 11. 32.

Bonitas & malitia aliter conveniunt actibus voluntatis, quam veritas, & falsitas actibus intellectus 10. 43.

Causa quadruplex materialis, formalis, efficiens, & finalis 13. 22. omnia causarum genera apta sunt ad demonstrationem propter quid sciendam 13. 23. causa efficiens duplex 13. 27. in quo genere causae praemissae sint causae conclusionis 11. 19.

Circulus quid sit 13. 66. quomodo differat a regressu 13. 67. quomodo possit admitti circulus tam in diverso, quam in eodem genere causae 13. 68. & seq. vide Syllogismus.

Cognitio intellectiva quomodo dirigibilis 1. 11. & 13. quibus instrumentum dirigatur 1. 15. quid sit certitudo cognitionis 12. 3. evidentia 12. 4. quid veritas 10. 27. quid falsitas 10. 40. quid cognitio practica, & speculativa 12. 115. Vide Scientia.

Compositio Metaphysica non est rationis tantum, sed ex natura rei 5. 126. repugnat Deo 5. 127. duae conditiones ad eam requiruntur 5. 130. fit ex genere, & differentia 5. 126. **Conceptus** duplex formalis, & objectivus 10. 6. veritas proprie est in conceptu formali 10. 7.

Conclusio quomodo sit de essentia syllogismi 11. 6. dependet a praemissis 11. 19. quo pacto cognoscatur prius, vel simul cum eis 11. 25. non est aequalis certitudinis, & evi-

dentiae cum illis 13. 59. vide Syllogismus, Discursus, Praemissae. **Concretum** in propositione quid significet 2. 94. quid absolute sumptum 2. 95. accidentale sumit unitatem, & pluralitatem a subjecto, non a forma 2. 97. substantiale vero unitatem a forma, non a subjecto, pluralitatem ab utroque 2. 99. ratio discriminis assignatur 2. 102. definitur potest per subjectum, ac etiam per proprium genus, & differentiam 5. 14. quomodo concretum praedictetur, & subjiciatur in propositione respectu abstracti 10. 64. & seq.

Connotativum differt a relativo 8. 33. connotativa a scholasticis aleggari non debent 8. 24. nec tamen eis abuti ibid. **Contrarietas**, & **Contradictio**. Vide oppositio.

Definitio est instrumentum primae operationi specialiter applicatum 1. 16. in ratione instrumenti est imperfectior argumentatione, in ratione cognitionis perfectior 1. 17. & 18. notificat substantiam rei 1. 21. ad logicam pertinet, ut instrumentum sciendi 1. 23. quid sit, & quotuplex 1. 25. & seq. quomodo constituatur, & investigetur 1. 33. eius conditiones 1. 36. definitio, & definitum quomodo distinguantur 1. 38. modus investigandi definitionem 1. 40. conditiones definiti 1. 41. & seq. definitio alia adaequata, & completa, alia inadaequata, & incompleta 23. 38. definitio an possit demonstrari de definito 13. 41. & seq.

Demonstratio duplex proprie quid, & quia 13. 3. demonstratio in communi ad utrumque est subjectum in lib. Post. 13. 1. Prima dupliciter definitur 13. 3. & 5. quid demonstratio quia, & quotuplex 13. 6. quomodo causet scientiam 13. 4. Demonstrationis duae sunt species subalternae proprie quid, & quia, & utraque dividitur in alias species 13. 11. quid demonstratio potissima 13. 27. medium demonstrationis quia, est vel causa remota, vel effectus, vel aliquod concomitans necessario connexum cum re demonstrata 13. 21. demonstrationis proprie quid est causa proxima, adaequata, & immediata 13. 22. & hoc quidem in quocunque genere causae 13. 23. medium in demonstratione potissima est definitio causalis passionis 13. 29. quae etiam est definitio subjecti 13. 30. & sub utraque ratione est medium scilicet ut causa passionis, & ut definitio subjecti ibid. accidens commune nequit esse majus extremum demonstrationis potissima 13. 39. definitio an possit de definito demonstrari, & esse majus extremum demonstrationis proprie quid 13. 41. non est necesse ad demonstr. habendam resolvere usque ad principia universalissima 13. 54. de conditionibus praemissarum demonstr. 13. 48. vide Praemissae.

Denominatio alia intrinseca, alia extrinseca 2. 90. extrinseca quomodo fit realis 3. 17. quo sensu dicatur ens rationis 3. 20. non datur denominatio nova realis sine mutatione nova reali 8. 204.

Denominativa proprie important concreta accidentalia 2. 86. definiuntur, & eorum definitio explicatur 2. 87. & 88. duae eorum conditiones 2. 89. sunt praedicata univoca, sed non univoce praedicantur 2. 91. quo sensu mediant inter univoca, & aequivoca 3. 92.

Descriptio, Vide Definitio. **Determinatio** alia contrarietatis, seu specificationis, alia contradictionis, seu exercitii, idem de indeterminatione opposita dicendum 11. 30.

Deus non est in praedicamento directe 7. 7. nec reductive 7. 17. non est metaphysice compositus 5. 27. non fundat relationem realem praedicamentalem ad creaturas 8. 62. nec etiam transcendentalem 6. 65. an possit efficere ens rationis 3. 74.

Differentia dividitur in communem, propriam, & magis propriam 5. 111. est adaequata divisa 5. 113. non intentionis, sed rei 5. 114. est univoca in sua univocata 5. 16. & potest dici aliquo modo generis in species 117. quatuor differentiae numerantur ibid. dividit genus tam in statu realis existentiae, quam objectivae, licet diversimode 5. 119. & seq. constituit speciem ex natura rei per modum partis actualis 5. 126. differentia quomodo dicatur sumi a forma, & genus a materia 5. 136. semper est perfectior genere 5. 138. distinguit essentialiter species ab invicem 5. 140. non includit in suo conceptu genus, nec e contra 5. 142. nec inferior includit superiorem formaliter ibid. & 143. non definitur a Porphyrio in ea communitate, qua est tertium universale 5. 154. definitur a nobis 5. 157. quo sensu in quale quod praedicari dicatur 5. 158. non constituitur in ratione universalis per ordinem ad speciem, sed ad inferiora speciei 5. 161. inf.

Index Rerum Notabilium.

infima, & subalterna non differunt in ratione universalis 5. 165. differentia divisa unius generi nequit esse divisa alterius, sed qualibet determinatum sibi genus vindicat 6. 43. nec una, & eadem est constitutiva diversarum specierum, sed unius tantum 6. 46.

Dirigibilitas quomodo cognitioni convenit 114. Vide instrumentum sciendi.

Discursus definitur 11. 2. tres conditiones eius 11. 3. an differat a syllogismo 11. 7. proprie est assensus conclusionis, ut ab assensu principiorum causatus 11. 4. qui actus nullo modo attingit principia, sed solum conclusionem 11. 11.

Distinctio quid sit 1. 59. alia rationis, alia ex natura rei 1. 62. haec duplex realis, & formalis 1. 63. distinctio realis quid, & eius signa 1. 64. & seq. quotuplex 1. 67. Distinctio formalis quid, & quotuplex 1. 72. quot modis sumatur identitas, & distinctio formalis 1. 86. apud Scotum haec distinctio est actualis, non virtualis tantum, aut fundamentalis 1. 82. datur tamen etiam virtualis distinctio apud Scotum 1. 92. Distinctio modalis extrinseca reductur ad realem, modalis intrinseca ad formalem 1. 80. Distinctio rationis quid, & quotuplex 1. 87. Distinctio rationis ratiocinata non fit per sola extrinseca connotata 1. 88. & ideo coincidit cum distinctio ex natura rei virtuali ibid. quodnam sit fundamentum distinctiois rationis ratiocinatae 1. 89. Distinctio septem genera a Formalitate assignata reductur ad pauciora 1. 95. distinctio rationis ratiocinatae, vel virtualis ad quid deserviat apud Scotum 1. 93.

Divisio est instrumentum sciendi secundae operationi specialiter applicatum 1. 16. est caeteris imperfectius 1. 17. quid sit 1. 50. quotuplex 1. 52. ejus leges 1. 54. quo sensu tradi possit per membra privative, aut contradictorie opposita 1. 56. quomodo juvet ad definitionem indagandam 1. 58. **Dubitatio**, Vide Opinio.

Ens rationis an possit defini 1. 43. triplex ejus acceptio 3. 1. in acceptione propria datur, & pendet in suo esse prorsus ab intellectu 3. 3. non consistit in extrinseca denominatione 3. 15. neque in aliqua relatione ex ipsa resultantem 3. 21. aliud materiale, aliud formale 3. 20. nec est, nec esse potest extra intellectum 3. 24. adhuc tamen distinguitur a puro nihilo 3. 25. constituitur per quod positum rationis 3. 27. quo modo mediet inter ens, & purum nihil 3. 7. non sufficit, quod sit objective in intellectu, sed requiritur, quod ibi sit ad instar veri entis 3. 28. in quo consistat ejus formalitas 3. 30. habet causas sui in esse in quocunque genere causae eo modo, quo est ens 3. 37. causa ejus materialis in qua non est intellectus, sed res ut cognita 3. 42.

Ens rationis materiale ab omni potentia vitali fieri potest 3. 43. formale non nisi ab intellectu, & voluntate 3. 49. quo actu fiat 3. 60. & 63. intellectus divinus cognoscit entia rationis a nobis facta, tamen ex illius cognitione ea non efficit 3. 71. an absolute illa efficere possit, vel non efficere utrumque probabile 3. 74. ens rationis habet proprias affectiones 3. 91. quomodo ei comparat intelligibilitas 3. 95. non recte dividitur in relationem, negationem, & privationem 3. 99. dividi debet, sicut ens reale, ad modum cuius concipitur 3. 102. dividitur in fundatum, & non fundatum 3. 103. quod proprie fit fundamentum entis rationis 3. 104.

Ens reale transcendentem captum est univocum analogum 2. 49. & seq. non includitur quidditative in differentiis, sive quod modis contrahentibus 264. non est genus, & quare 5. 26. & 7. 8. ens tamen finitur est genus 6. 2.

Ens per accidens multipliciter sumitur 12. 28. quomodo de ipso detur scientia ibid.

Entimema, Vide Argumentatio.

Enunciatio quid sit, & quotuplex 10. 2. mentalis est subjectum in lib. Perih. 10. 1. enunciatio necessaria nequit fieri falsa, impossibilis nequit esse vera 10. 10. enunc. contingens de praesenti certam temporis partem significans non potest mutari in falsam 10. 11. contingens de praesenti, aut de praeterito ab initio poterit esse vera, vel falsa, at contingens de praesenti indeterminatam temporis partem significans potest successive fieri vera, vel falsa 10. 12. contingens de futuro multiplex 10. 49. duplex determinatio, & indeterminatio propositionis de inesse, & de possibili 10. 51. enunciations de futuro contingenti absoluto habent determinatam veritatem, vel falsitatem 10. 53. Vide Propositio, Veritas, Falsitas.

Error quid sit 14. 23. discrimen ejus a scientia, & opinione 24. 25.

Exemplum. Vide Argumentatio.

Falsitas in representando datur in propositionibus 10. 39. primario est in conceptu formali, & secundario in objectivo ib. formaliter dicit relationem disconvenientiam 10. 40. quo sensu suscipiat magis, & minus 10. 46. quid fit determinata falsitas in propositionibus de futuro 10. 50.

Fides quid sit, & quotuplex 14. 9. discrimen inter fidem, & opinionem ibid.

Figura syllogistica quid, & quotuplex. Vide Syllogismus, & Ind. Inf. Log.

Formalitas, vel realitas quid sit, ut a re distinguitur 1. 63. formalis distinctio quid sit 1. 72. quomodo inter distinctionem realem, & rationis mediare dicatur ib. vide Distinctio.

Fundamentum entis rationis, vel relationis, vide Ens rationis, Relatio.

Futurum contingens num habeat determinatam veritatem 10. 49. & seq.

Genus potest proprie defini 5. 3. quo sensu definiatur a Porphyrio 5. 6. quoniam ejus definitio, & quomodo explicanda 5. 16. quomodo genus distinguatur a specie in ratione universalis 5. 19. de individuis completis mediate praedictur, de incompletis immediate 5. 31. de illis per modum generis, de illis per modum speciei 5. 39. quodnam sit correlativum generis, ut ejus subiectibile 5. 44. quomodo vere praedictur in recto de inferioribus, esto dicat partem essentiae 5. 50. potestate continet species, & differentias, non actu 5. 54. licet diversimode 5. 56. est species infima universalis 5. 58. supremum, & subalternum specie non differunt in ratione universalis 5. 60. quomodo ad ejus universalitatem Logicam plures requirantur species 5. 86. quomodo ad Metaphysicam 5. 91. genus quomodo dicatur sumi a materia 5. 136.

Genera diversorum praedicam. nullam habent communem differentiam constitutivam, aut divisivam, neque communes species 6. 41. subordinata communes habent omnes differentias superiorum generum constitutivas 6. 42.

Habitus, quod est ultimum praedicamentum, communis explicatio ridicula 8. 222. alia magis congrua, quod constituitur per unionem formae ad subiectum 8. 222. five sit unio accidentalis, five substantialis 8. 224.

Identitas realis quid sit 1. 66. ejus adaequatum signum ibidem. identitas formalis quot modis sumatur 1. 86. quo sensu coincidat cum identitate essentiali ibid.

Individuum, ut sic, proprie nequit defini 1. 48. quomodo differat a supposito, & persona 5. 97. quot modis sumatur ibidem. quo pacto a Porphyrio definitur 5. 98. ejus definitiones explicatur 5. 106. nedum identice, sed etiam formaliter, & directe praedicari potest 5. 109.

Inherentia proprie convenit accidenti praedicamentali, non praedicabili 5. 203.

Instrumentum, seu modus sciendi quid sit, & quotuplex 1. 1. quodnam specialiter speciales dirigat operationes 1. 16. methodus non est instrumentum a caeteris conditinctum. ib. quodnam sit perfectius 1. 17.

Intellectus agens, & possibilis 4. 59. varius. ejus actus 4. 60.

Intentio quid sit 3. 111. est duplex, formalis, objectiva, & utraque prima, vel secunda ib. quid secunda intentio 3. 112. minus patet ente rationis, velut ejus species 3. 114. & etiam relatione rationis 3. 115. in quo sensu fit formaliter ipsa comparatio passiva 3. 120. Quomodo prima, & secunda intentio definiantur, & differant 3. 121. qua actu fiant secundae intentiones 3. 122. an solus intellectus efficiat secundas intentiones 3. 123. exercite praedicantur de primis accidentaliter, signate etiam essentialiter 3. 126. & 127. una fundari potest super aliam, & tunc una sumitur ut quid, alia ut modus 3. 128.

Inea est species quantitatis continuae 7. 69. & est species infima, non subalterna 7. 80.

Littere significant res ipsas, non voces 2. 3. quo sensu dicantur significare voces ibid. quomodo subordinantur vocibus 2. 4. significant ad placitum 4. 5.

Locus non est species quantitatis, vel saltem non distincta a superficie 7. 70.

Logica membrum Philosophiae quae procem. 1. multiplex ejus nomen, & acceptio ibid. 2. alia naturalis, alia artificialis ibid. 3. & haec alia docens, alia utens ib. 4. utens est habitus diversus a docente ibid. 5. qualibet pars Logicae dividitur in docentem, & utentem ibid. 11. topica peculiari modo dicitur utens ibid. 12. finis Logicae in se, & ab Aristotele tradita ibid. 15. tam internus, quam externus, item formalis, & objectivus ibid. 17. Objectum Logicae Aristotele est syllogismus ib. 24. Logica in se est instrumentum sciendi in communi ib. 31. non ut directivum, sed ut habet vim dirigendi ibid. 34.

Logica docens est scientia ibid. 40. non tamen ars ibid. 42. utens est ars, non scientia ibid. tamen passive sumpta dici potest scientia ibid. 43. docens ex natura rei est scientia realis, prout ab Aristotele contexta rationalis ibid. 48. cur sic eam insituerit ibid. 52.

Logica est scientia speculativa ibid. 56. est scientia communis ibid. 59. non est simpliciter necessaria ad acquirendas alias scientias ibid. 61. est facultas simpliciter organica ibid. 36. est directiva operationum idealiter. ibidem. partitio Logicae ibid. 63. & seq.

Longitudo. Vide Quantitas.

Materia propositionis sunt termini, & propositiones sunt materia syllogismi 101. Vide Ind. Inf.

Metaphysici gradus praedicamentales distinguuntur ab invicem ex natura rei formaliter, transcendentales vero tantum virtualiter 1. 93.

Methodus accipitur dupliciter, & sub utraque ratione ad Logicam spectat 1. 96. de ratione ipsius est, quod prius ad cognitionem posterioris dirigatur ibid. non est instrumentum

Index Rerum Notabilium.

mentum ab aliis distinctum 1. 16. est duplex compositiva, & resolutiva 1. 100. utraque possumus uti in facultatibus tradendis 1. 101. methodus servanda in scientiis tradendis 1. 102. in texendis questionibus 1. 105.

Modi rerum alii intrinseci, alii extrinseci 1. 80.

Motus non est vera species quantitatis continua 7. 71. quo sensu motus non detur ad relationem predicamentalem 8. 35.

Multitudo, Vide Numerus.

Natura communis; vide universale in essendo, duplex naturae communitas, seu indifferentia, positiva, & negativa 4. 20.

Necessitas duplex; absoluta, & ex suppositione, vel simplici, seu consequentis, & secundum quid, seu consequentis 10. 56

Negatio, & privatio non sunt entia rationis 3. 99.

Numerus alter quantitativus, alter transcendens 5. 53. neuter est ens per se unum 7. 54. & ideo quantitativus non est vera species quantitatis 7. 46. solum pro materiali est aliquid reales 5. 54. spectat ad predicamentum quantitatis, quia fit ex divisione continui ib. Vide quantitas.

Objectum scientiae est circa quod scientia versatur 12. 11. dividitur in complexum, & incomplezum ib. incomplezum vel sumitur improprie pro omni eo, quod in scientia consideratur, vel proprie, quod est finis scientiae 12. 22. hoc est duplex totale, adaequatum, seu attributionis, & parziale ib. utrumque dividitur in materiale, & formale 12. 14.

Existencia subjecti tam partialis, quam totalis saltem pro statu isto potest a posteriori, non a priori in scientia probari, si hoc sumitur pro toto processu cognoscendum in aliqua facultate 12. 20. de objecto rationalis scientiae praesupponitur existencia objectiva, at de objecto scientiae realis, aptitudinalis, actualis vero aliquando praerequiritur ex parte nostri intellectus 12. 24. quomodo objectum debeat habere quid rei 12. 26. & seq. objectum specificum virtualiter continet passiones, generium vero potentialiter 12. 38. quam necessitatem habere debeat 12. 46. quomodo omnia considerata in scientia dicantur ordinem ad subjectum 12. 49. conditiones objecti scientiae enumerantur 12. 54. objectum completum, & adaequatum specificans scientiam non est materiale tantum, vel formale solum, sed ex utroque constitutum 12. 18.

Objectum adaequatum Logicae, vide Logicae.

Operatio intellectus, vide Cognitio.

Opinio quid sit, & quomodo sit 14. 2. per quid a scientia differat, & suspicio 14. 3. Quomodo formido pertinet ad opinionem 14. 5. nequit stare cum actu scientiae de eodem objecto 14. 13. quo sensu de potentia Dei absoluta possint stare simul 14. 18. quid dicendum, ut habitus importantur 14. 22.

Opposita quid sint, & eorum species 9. 4. quae sint opposita relative 9. 5. quae contrarie ibid. qualis sit distantia contrariorum 9. 7. qualis repugnantia 9. 8. quomodo unum contrarium non nisi uni contrarium 9. 9. quomodo effectus formalis contrariorum 9. 10. formae contrariae opponuntur etiam in gradibus remissis ibid. alia sunt mediata, alia immediata 9. 11.

Opposita privative quae sint 9. 12. eorum condiciones ibid. quomodo a privatione ad habitum detur regressus 9. 13.

Opposita contradictoriae quae sint 9. 14. alia complexa, alia incomplexa ibid. inter ipsa absolute sumpta numquam datur medium, bene tamen inter incomplexa cum syncategoremate sumpta 9. 15. numquam vero medium per participationem 9. 16. quomodo haec oppositio sit omnium maxima 9. 21. ad salvandam contradictionem a parte rei non sufficit distinctio virtualis, aut rationis ratiocinatae 9. 23.

Ordo doctrinae quomodo sit 1. 79. interdum coincidit cum ordine naturae ibid. dividitur in compositivum, & relativum 1. 100.

Passio pro proprietate, vide Proprium: passio predicamentum definitur, ac eius species assignantur 8. 202. cur distinctum constituat predicamentum ab actione 8. 203.

Praxis unde derivetur 12. 98. proprie significat actionem naturae intellectuales, quae aliquo pacto est dirigibilis a voluntate dependens 10. 100. sive sit elicitae, sive imperata cuiuscumque potentiae etiam intellectivae 12. 104. actus voluntatis elicitus est primario praxis, imperatus vero secundario 12. 105. definitur a Scoto 12. 106.

Practica cognitio, Vide Scientia.

Predictabile, vide Universale.

Predicamentum quid sit 6. 1. & 2. est subjectum in lib. predicamentum. ibidem predicamenta possunt constitui plura, & unum 6. 2. debent poni realiter distincta 6. 2. congruitas denarii numeri illorum 6. 7. quanam directe in predicamentis reponantur, ac eorum condiciones 6. 16. in predicamento substantiae disponi debent in concreto, in aliis vero etiam in abstracto 6. 29. ultima sex predicamenta non dicuntur solum denominationes extrinsecas, aut modos mere abstrahos 8. 92. sed puros respectus extrinsecos advenientes 8. 105.

Predicari in quid, & in quale 5. 23.

Predicatio alia exercita, alia signata 5. 8. & 3. 125. alia formalis, alia identica 5. 107. & 10. 62. utraque dividitur ibid. predicatio inter abstracta, & concreta quo pacto fieri debeat 10. 64.

Praemissa demonstrationis quales esse debeant 13. 48. cognoscuntur diverso actu a conclusione 11. 11. sunt causae effectivae partiales conclusionis 11. 19. cognosci debent simul tempore cum conclusione, licet prius natura 11. 25. praemissae necessariae sic apprehensae necessitant intellectum ex sui natura consideratum ad assensum conclusionis necessitate contrarietatis, & contradictionis 11. 32. idem dicendum de intellectu, ut subest voluntatis imperio ibid. ac etiam de praemissis probabilibus, ut nulla ratio falsi in contrarium appareat 11. 34. Praemissae demonstrationis potissimum debent esse formaliter immediate, non virtualiter solum, sed demonstrationis proprie quid utrumque est probabile 15. 53. praemissae demonstrationis quo sensu dicantur immediate, priores, notiores, certiores, & perfectiores 13. 53. & seqq.

Praesentia localis, vide Ubi.

Prius, & **Posterior** quid sint 9. 27. varii eorum modi ibid. quid, & quomodo sit prioritas naturae 9. 29. est prioritas a parte rei, & non tantum rationis 9. 32. per instantiam naturae non salvatur contradictio 9. quid sit prioritas originis 9. 37. proprie, & formaliter est prioritas a quo, non in quo 9. 39.

Propositio, Vide Enunciatio; propositio per se nota definitur 13. 49. potest constare ex terminis non tantum distincte, sed etiam confuse representantibus ib. nulla propositio contingens proprie est per se nota 13. 51. variae divisiones propositionis per se nota Thomistarum examinantur 13. 52.

Proprium quadrupliciter sumitur 5. 171. considerari potest in ratione proprii, & in ratione Universalis 5. 167. definitur in ratione proprii, & in ratione Universalis 5. 167. definitur in ratione proprii 5. 169. definitio competit tantum proprio quarti modi 5. 172. ejus, ut sic, sunt tres condiciones 5. 169. interdum consistit in actu, & non in aptitudine tantum 5. 174. tanta est ejus necessitatis connectio cum subjecto, ut hoc sine illo nec esse, nec intelligi possit 5. 175. in quo genere causae causetur a subjecto 5. 179. non distinguitur realiter a subjecto, sed tantum formaliter 5. 80. & 181. definitur in ratione universalis 5. 184. non distinguitur ab accidente per convertibilitatem praedicari 5. 185. solum proprium quarto modo est quantum universale 5. 188. non est universale respectu generis, & speciei, sed inferiorum utriusque 5. 84.

Qualitas tripliciter sumi potest 7. 103. proprie sumpta quid sit, & quomodo defini debet 7. 107. species, & modi qualitatis explicantur 7. 108. & seq. praefata divisio qualitatis est sufficiens 7. 117. non est propriae generis in species 7. 126. qualitatis affectiones assignantur 7. 124. Quomodo praedicamentum importat solum denominationem extrinsecam a tempore extrinseco desumptam 8. 218. quibus rebus conveniat 8. 220.

Quantitas est accidens a substantia realiter distinctum 7. 44. dividitur in continuam, & discretam 7. 45. discreta non est vera species hujus predicamenti, quia nec ens per se unum 5. 46. bene tamen continua 5. 45. explicatur essentia quantitatis continua 7. 68. ejusdem species recensentur 7. 69. quae proprie sunt tres linea, superficies, & corpus, quae sunt species infimae 7. 80. species quantitatis discretae sunt duae, numerus, & oratio 7. 81. numerus quidem predicamentalis, non transcendentalis ibid. non solum rerum permanentium, sed etiam successivarum 7. 83. & est species subalterna 7. 84. quo sensu oratio sit species quantitatis discretae 7. 86. non est species per se distincta a numero 7. 88. affectiones quantitatis assignantur 7. 90. & seq. quae divisibilitas sit ejus passio 7. 92. quantitas infinita si daretur, spectaret ad hoc predicamentum 7. 95. impenetrabilitas principis quantitatis passio 7. 100.

Realitas, & Res quomodo differant 1. 63. quid proprie significantur ibid.

Regressus; Vide Syllogismus.

Relatio quid sit 8. 1. consistit in actuali referencia 8. 145. duplex est realis, & rationis 8. 1. relationis realis tres sunt condiciones 8. ibid. dividitur in predicamentalem, & transcendentalem 8. 2. verum discrimen inter eas 8. 6. predicamentalis accidit rebus, & ab eis realiter distinguitur ibid. transcendentalis inventificatur cum rebus realiter 8. 10. distinguitur tamen formaliter 8. 13. predicamentalis non est sola extremorum concomitantia, vel combinatio 8. 19. nec aliquid superaditum fundamento sola ratione distinctum 8. 24. sed verum accidens reipia ab eo distinctum 8. 29. proceditur a solo fundamento posito tamen termino 8. 43. est accidens divisibile in materialibus 8. 44. non potest esse sine extremis, neque extrema sine illa 8. 46. essentialiter constituitur per ad, & in 9. 51. quo sensu extremae sint, & non sint de essentia relationis 8. 57. non solum actualis, sed etiam aptitudinalis est realis 8. 80.

Quid subjectum, quid fundamentum, & quid ratio fundandi in relationes 8. 58. subjectum ejus est ens reale, & finitum 8. 60. non solum in accidente, sed etiam in substantia immediate fundatur 8. 67. una fundari potest super aliam 8. 69. non tamen datur processus in infinitum 8. 76. ratio fundandi non semper opus est, ut sit in extremis pluralis 8. 122. fundamenta relationum primi modi 8. 154. secundi modi 8. 160. tertii modi 8. 165.

Terminus relationis predicamentum. debet esse realis, & actu existens 8. 82. quod de transcendentibus non est necesse 8. 80.

nec

Index Rerum Notabilium.

nec etiam de praedicam. imperfecta 8. 84. non potest eadem plures respicere terminos, sed numerice multiplicatur ad eorum multitudinem 8. 88. terminar quambilibet relationem sub ratione absoluta, non respectiva 8. 101.

Relatio realis petit extrema realiter distincta 8. 119. dividitur in intrinsecas, & extrinsecas advenientes, primam constituit quartum predicamentum. secundam vero alia sex ultima 8. 128. quae divisio sumitur etiam ex fundamentis proximis 8. 129. & comprehendit sola praedicam. 8. 130. distinctio specificae relationum unde sumatur 8. 147. quaedam relationes suscipiunt magis, & minus secundum se formaliter 8. 179.

Relativa quomodo conveniant cum connotativis, & quomodo differant 8. 33. relativa alia secundum esse, alia secundum dici, & eorum discrimen 8. 8. haec proprie coincidunt cum connotativis ib. relativorum definitio explicatur 8. 141. tres eorum modi 8. 153. species primi modi 8. 155. secundi modi 8. 164. relationes quaedam secundi modi, quae communiter putantur reales, ut paternitas, & filiatio, in creatis sunt tantum denominationes extrinsecas 8. 162. relationes tertii modi explicantur 8. 165. quomodo istae differant a relationibus primi, & secundi modi 8. 170. horum modorum sufficientia 7. 172. relativa quaedam secundum dici contraria, quaedam etiam secundum esse 8. 177. relativa omnia dicuntur ad convenientiam 8. 182. sunt simul natura 8. 184. sunt simul cognitio, & definitione 8. 187. modus, quo debent definiti 8. 188.

Relationum quarti praedicamentum genus statuitur 8. 134. species constituntur 8. 174. proprietates assignantur 7. 175. & seq. Repugnantia quae sint 9. 2. dividuntur in opposita, & disparata 9. 3.

S

Scientia quid sit, & quomodo a scientia differat 11. 14. Scientia duplex, habitualis, & actualis, & utraque definitur 12. 2. ipsius condiciones declarantur 12. 3. & seq. utraque dividitur in totalem, & partialem 12. 10. de ente per accidens quomodo detur scientia 12. 28. & seq. & de singularibus non datur scientia 12. 34. dabilis est una simpliciter totalis scientia omnium scibilium 12. 56. rationabiliter tamen cum fundamento in re in plures totales secundum quid est divisa 12. 57. unitas scientiae duplex intrinseca, & extrinseca, seu objectiva 12. 58. haec non sumitur ex abstractione a materia, sed ex unitate objecti adaequati 12. 61. scientia totalis habitualis non est una simplex qualitas, sed ad diversitatem specificam conclusionum multiplicatur specificae 12. 68. isti speciales habitus consociant unam totalem scientiam, non aggregatione, aut unione per se physica, sed artificiali cum fundamento in re 12. 77. quae unitas est multiplex, vel est specificae, vel generis proximi, vel remoti 12. 78. & 79.

Scientia subalternans, & subalternata quid sint 12. 81. ad hanc requiritur, quod objectum ejus contineatur sub objecto illius 12. 82. non tamen quod sint de eisdem conclusionibus 12. 83. requiritur secundo, quod addat supra objectum subalternans differentiam accidentalem, non essentialem, vel passionem 12. 84. haec differentia se habet ut pars formalis objecti, non materialis 12. 85. Scientia duplex, practica, & speculativa 12. 115. quid sit scientia practica 12. 116. habitus alius est virtualiter practicus, alius formaliter, & hoc vel proxime, vel remote 12. 117. quid sit scientia speculativa ib. ratio practici, & speculativi sumitur ab objecto, non a fine 12. 119. sunt differentiae dividentes scientiam immediate 12. 126. sunt etiam differentiae essentialis, ita ut nequeat idem habitus esse simul practicus, & speculativus 12. 129. an scientia possit stare cum opinione 14. 13. per quid differat ab opinione 14. 13.

Sensus, an efficiat ens rationis 3. 49.

Simul, vel simulatae quid, & quomodo sit 9. 41. cum similitate temporis stat prioritas naturae, non e contra, & cum similitate naturae stat prioritas originis, non e contra 9. 40.

Singulare non est objectum scientiae 12. 34. non est definibile 1. 44. vide Individuum.

Situs predicamentum definitur, & distinguitur a positione de genere quantitatis 8. 212. quomodo constituat diversum predicamentum ad ubi ib. alia congrua explicatio praedic. Situs 8. 214. probabile est non constituere diversum predicamentum ab ubi ibidem. non est modus solius quantitatis, sed esse potest cuiuscumque rei corporeae 8. 215. Ind. Inst.

Species duplex, subijcibilis, & praedicabilis 5. 62. solo nomine conveniunt 5. 63. utriusque definitio explicatur 5. 64. omnis species subijcibilis est praedicabilis, & e contra 5. 70. non tamen quatenus subijcibilis est universalis 5. 72. quo sensu subijcibilis, & praedicabilis connectantur in specie 7. 78. quomodo ad ejus universalitatem Logicam plura requirantur individua 5. 86. quomodo ad metaphysicam 5. 91. quomodo metaphysice componatur ex genere, & differentia 5. 126.

Subalternatio, vide Scientia. **Suppositio**, vide Ind. Inst.

Substantia trifariam accipitur 7. 2. quo sensu sit generalissimum primi praedic. 7. 11. quae partes substantiarum excludantur a predicamento 7. 10. quo sensu etiam ex his partibus possit praedic. constitui 7. 18. Angeli, & corpora caelestia sunt in hoc praedicam. 7. 11. non vero Deus 7. 7. hujus predicamenti coordinatio 7. 13. quid sit substantia predicamentalis, & quomodo dividatur in primam, & secundam 7. 23. quomodo haec divisio explicari possit tam pro prima, quam pro secunda intentione 7. 24. utraque definitur 7. 27. quomodo intelligatur, quod destructis primis substantiis &c. 7. 29. quomodo item, quod prima substantia est magis substantia, quam secunda 7. 31. singularia proprietates substantiae declarantur 7. 34. & seq.

Syllogismus in communi secundum continentiam virtutalem, & potentialem est subjectum Logicae Arist. q. proem. 24. secundum virtutalem solum est subjectum in lib. Prior. 11. 1. multipliciter sumitur 11. 5. an differat a discursu 11. 7. syllogismus circularis, & quomodo sit 13. 66. an possit fieri in qualibet figura, & modo ib. circulus per quid proprie differat a regressu 13. 67. circulus datur in aliquibus, non in omnibus, tam in diverso, quam in eodem genere causa, non tamen in iisdem numero rebus 13. 68. regressus quoque est possibilis, & utilis 13. 70. non quidem formaliter, & proprie, sed materialiter, & improprie, quod etiam de circulo dici debet 13. 71. Vide Ind. Inst.

Tempus; Vide quando, non est vera species quantitatis continua 7. 71.

Terminus. Vide Ind. Inst.

Totum, quomplex 1. 52.

V

Ubi definitur, ac ejus species assignantur 8. 211. Ubi passivum est modus relativus rei locatae superadditus 8. 204. quomodo sit proprius, & per se terminus ejus 8. 208. aliud est locale, & aliud praesentiale ibid. quibus rebus conveniat 8. 210. Vide Ind. Inst.

Verbum; Vide Ind. Inst.

Veritas duplex in essendo, & in significando 10. 5. haec proprie est in conceptu formali, & in objectivo dependenter ab illo 10. 7. veritas cognitionis non est entitas actus, vel actus, & objectum, sed relatio realis 10. 27. quo pacto distinguitur ab actu cognitionis 10. 30. an suspicatur magis, & minus 10. 46. quid sit determinata veritas in contingentibus 10. 50.

Unio formae ad subjectum tam accidentaliter, quam substantialiter est in predicam. habitus 8. 223.

Universale quomplex 4. 1. universale in essendo admitti debet 4. 3. non tamen a singularibus separatum, sed realiter idem 4. 8. formaliter tamen distinctum 4. 9. est commune per indifferentiam, non per inexistenciam 4. 10. universale in predicando datur tantum per operationem intellectus 4. 18. physicum, metaphysicum, & logicum quomodo differant 4. 26. logicum intrinsece quid relativum est 4. 29. quae unitas sit ejus fundamentum proximum 4. 30. quae sit unitas universalis 4. 31. constituitur per esse in, & dici de esse passio 4. 36. quo sensu id intelligatur 4. 42. esse in actu, & aptitudine constituit universale, dici de aptitudine tantum est passio 4. 45. universale quo actu fit, & an ab intellectu agente, vel possibili 4. 64. progressus intellectus in formatione universalis 4. 73. fundatur solum in natura plurificabili 4. 75. qualis haec esse debeat 4. 87. dividitur in quinque universalis 4. 93. ejus sufficientia ib. haec divisio est generis in species, & mediata 4. 106. quinque species universalium sunt infimae 4. 108. quaestiones Porphy. de Universalibus in suo Proem. deciduntur 4. 57. universale est subjectum in lib. Porphy. 5. 1.

Univoca definitur 2. 31. petunt unitatem conceptus formalis, & objectivi 2. 39. qualis esse debeat unitas conceptus objectivi 3. 40. debet perfecte praecindere ab inferioribus, & contrahentibus 2. 41. definitur ab Arist. univoca essentialia, sed potest etiam convenire accidentalibus 2. 42. aliud est praedicari univoco, aliud esse praedicatum univocum 2. 91. non est de ratione univoci, ut sic, quod uniformiter, & aequaliter conveniat omnibus univocatis 2. 44. dantur varii gradus univocationis 4. 43. species univocorum 2. 44.

Voces res ipsas significant ad placitum, non conceptus 2. 2. quomodo intelligatur dictum Aristot. quod sint signa conceptuum 2. 6. vocum significatio quid sit 2. 12. quomodo exerceatur 2. 14. earum perfectio, vel imperfectio in significando duplex 2. 18. quid dicat veritas, & falsitas in vobibus 2. 20. possunt voces perfectius significare rem accidenti, quam nota sit loquenti 2. 22.

Voluntas an efficiat ens rationis 3. 49.

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

A Vendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del *P. F. Giovanni Paolo Zapparella Commissario* del Santo Ufficio di Venezia nel Libro intitolato *R. P. F. Bartholomæi Mastrii de Meldula Cursus Philosophicus in quatuor Libros Sententiarum, & Theologia Moralis*, non v'esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro; niente contro Principi, e buoni costumi, concediamo Licenza, che possa essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 18. Febraro 1754.

(Z. Alvise Mocenigo 2do Rif.

(Marco Foscarini Kav. Proc. Rif.

Registrato in Libro a Carte 71. al Num. 430.

Giacomo Zuccato Seg.

Adi 20. Febraro 1754. M. V.

Registrato in Libro dal Magistrato Excellentiss. de Signori Esecutori contro la Bestemmia.

Gio. Battista Battisti Seg.

DISPUTATIONES

IN ORGANUM ARISTOTELIS,

Quibus ab Adversantibus Veterum, & Recentiorum jaculis

SCOTI LOGICA

VINDICATUR.

PROLOGUS

Ad Dialecticas Institutiones.



Audabilis admodum est, & ab omnibus modo recepta consuetudo ad Logicam quaestionibus contextam præmittere Dialecticas Institutiones, quæ breviter complectuntur ea omnia, quæ fere tradunt Summulistæ, & Arist. in suo Organo, unde interveniunt veluti summa textus totius Logicæ, & introductio ad ipsam quaestionibus contextam. Ne igitur a tam utili recedamus consuetudine, Institutiones logicæ nos quoque pro Tyronibus præmittimus, antequam difficiliore quaestiones pro profectionibus pertractemus. Quia vero subjectum adæquatum præsertim in Aristot. logica est syllogismus, ut in quaest. præcæm. dicemus, cum hic considerari possit quantum ad formam syllogisticam, & quantum ad materiam, in qua conficitur, quæ dici solet circa quam, hinc fit, ut in duas præcipuas partes dividantur huiusmodi dialecticæ Institutiones. Prima pars Institutionum ea omnia continebit, quæ ad formam syllogismi spectant, ut sunt termini, propositiones, ac recta earum dispositio in modo, & in figura. Altera pars ex iis constabit, quæ pertinent ad materiam circa quam: quæ triplex est, necessaria, probabilis, & apparens, ut ibi explicabitur. Hoc autem præsertim agemus, ne in communem incidamus abusum Recentiorum, qui ad Summulas, seu Dialecticas Institutiones ea solum opinantur spectare, quæ concernunt formam syllogismi, unde in iis conscribendis missa faciunt quæcumque concernunt materiam; non tamen satis consulto, cum enim huiusmodi Institutiones paratæ sint, ut per eas ad Aristot. Logicam paulatim introducantur Tyrones, sane nedum tali prævia egebant introductione Libri Ar. in quibus agit de forma syllogismi, sed præsertim, & ii, in quibus agit de materia. Et quidem Petrus Hispan. facile Summulistarum princeps, cum præviam introductionem ad Logicam Arist. Tyronibus sternere cogitasset, tractatus instituit nedum de concernentibus formam syllogismi, sed etiam materiam; conscripsit enim quoque speciales tractatus de syllogismo Topico, & Elencho; licet & ipse in hoc defecerit, ut notavit Joann. Cæsarius in sua Dialectic. in præfatione ad tr. 7. quod nullam paravit Introductionem in eam Logicæ partem, quæ agit de Demonstratione, cum tamen Posterioribus Libri, præcipuam pro Tyronibus peterent introductionem, immo, & majori necessitate, quam alii omnes, utpote cæteris difficiliore; Tum quia, ut in qu. præcæm. dicemus, demonstratio licet non sit adæquatum Logicæ objectum, est tamen præcipuum, & principale; cur ergo prævia introductio non parabitur syllogismo demonstrativo, si paratur Topico, & Elencho? maneat ergo ad integritatem Summularum, seu Logicarum institutionum nedum spectare tractatus tangentes formam syllogismi, sed etiam concernentes materiam, quæcumque illa fuerit.

DIALECTICARUM TRACTATUS PRIMUS

INSTITUTIONUM

De Terminis, & eorum affectionibus.

PARS PRIOR.

CAPUT I.

De attinentibus ad formam Syllogismi.

Quid, & quotuplex sit Terminus in communi.

Tria sunt, quæ spectant ad formam syllogismi, ut dicebamus; secundum se, & simpliciter considerari ut abstrahit ab hac, & illa determinata materia, in qua consisti potest; termini simplices; propositiones, & earum recta dispositio in modo, & figura: Termini sunt principia remota Syllogismum integrantia; Propositiones sunt principia proxima, & recta dispositio in modo, & in figura est ipsamet forma artificiosa syllogismi; hinc pars ista prior dialecticarum Institutionum in tres subdividitur tractatus, in primo agemus de Terminis principis syllogismi remotis; In secundo de propositionibus principis ejusdem proximis: In tertio demum de ipsamet forma syllogistica, respectu cujus etiam ipsi termini, & propositiones solent dici materia ex qua, licet absolute loquendo ad formam syllogismi dicantur attinere, ut hæc distinguitur a materia circa quam.

QUOAD primum Ar. i. Prior. c. i. definit, Terminum esse illum, in quem resolvitur propositio, ut predicatum, & de quo predicatur; pro cuius definitionis declaratione advertit Tat. ibid. q. i. §. sciendum est tertio, terminum sumi posse dupliciter, vel in lata significatione indifferenter, scilicet, pro subiecto, predicato, & copula propositionis, aut determinatione alicujus illorum, ut idem sonat, quod dictio apud Grammaticos, quo sensu est genus ad nomen, verbum, adverbium, & reliquas orationis partes, hoc modo copula verbalis, signa universalis, & particularis, ut omnis, nullus, aliquis, &c. & adjectiva adjectiva tenentur termini, immo breviter omne illud, ex quo constituitur propositio, terminus dici potest in hoc sensu. Alio modo sumi potest in significatione magis propria attendendo vim vocabuli, quod importat ultimum, & extremum alicujus

rei pro extremitatibus terminantibus propositionem scilicet pro subiecto, & predicato, & sic sumit Aristot. terminum loc. cit. ac omnes Summularum, dum cum definiunt esse extremum propositionis, quam definitionem recipiunt Recentiores passim, Villalpand. lib. 1. sum. c. 1. Tol. c. 10. Fonf. lib. 6. cap. 9. Hurtad. disput. 1. sum. sect. 2. ubi priorem termini acceptionem renuit; quam tamen omnes alii agnoscunt, Blanc. lib. 2. disp. 1. sect. 1. Casil. lib. 1. tr. 1. cap. 1. Eunt p. 1. summul. q. un. diff. 1. Complut. lib. 1. cap. 2. Arriaga disp. 1. sum. sect. 1. Ovied. & Poncius ibid.

Has autem termini proprie sumpti definitiones ita explicat Tatar. ut sensus sit, terminum esse id, in quo tamquam in extremum propositio categorica est immediate resolvibilis mediante copula verbali, & dicitur immediate, ad resolvendum litteras, & syllabas, quia licet propositio resolvatur in litteras, & syllabas, non tamen immediate; & ideo litteræ, & syllabæ non dicuntur termini, etiam licet propositio hypothetica resolvatur in terminos mediate, non tamen immediate, sed resolvitur immediate in propositiones simplices, ex quibus componitur; posset tamen absque scrupulo etiam propositio simplex appellari terminus, quando in hypothetica tenet locum subiecti, ut notat Arriaga. Nec obest, illam etiam constare terminis, nam bene potest id, quod in se est quasi totum, esse pars respectu alterius totius, ut patet in physicis de corpore respectu totius hominis, & in altis multis, ut dicuntur res. Et juxta hanc secundam termini acceptionem copula verbalis, seu verbum, ut verbum, rationem termini hequit habere, tum quia copula non est extremum propositionis, sed ratio conjungendi extremi; tum quia in eam propositio resolvitur non potest; cum enim sit formalis, & expressa extremorum unio, facta eorum dissolutione manere non potest; tum demum, quia Arist. in allata termini definitione meminit solum predicati, & subiecti, & licet in propositione de secundo adiacente, qualis est ista *Petrus currit*, ly *currit* videatur fungi munere predicati, sed etiam habere vim copulæ, cum faciat hunc sensum *Petrus est currens*; unde licet ut gerit vices predicati, fit terminus, non tamen ut gerit vices copulæ. Et si dicas in hac propositione *currens est moveri* ly *moveri*, quod est verbum, habere tantum rationem predicati, sicut ly *currens* subiecti, atque ita ut verba habere rationem termini. Resp. currere, & moveri esse verba tantum grammaticaliter, at apud logicum æquivalent nominibus *cursum*, & *motus*, unde apud logicum idem est dicere *currens est moveri*, ac *cursum est motus*, ut ait Ant. And.

2. Dubium tamen est de adverbis, conjunctionibus, signis quantitatibus, ut omnis, aliquis &c. casibus obliquis, & similibus, an rationem termini subire possint etiam in secunda acceptione: Affirmant aliqui, eo quia in propositione possunt habere locum predicati, & subiecti, ut si dicatur *Petrus est aliquis*, omnis est terminus syncategorematicus, præter, est adverbium, & est conjunctio, & sic de aliis. Imo Fuent. cit. hac ratione tenet etiam voces non significativas esse terminos, nam dicimus *Blitri nihil significat*. Quin etiam Arriaga ob id addit litteras ipsas esse terminos, quando solæ accipiuntur, nam dicimus *A est littera*. Verum probabilis alii negant, quia adverbia, conjunctiones, & alia id genus nunquam ratione sui, & formaliter sumpta fungi possunt munere subiecti, & predicati, unde in allatis propositionibus semper aliquid substantivum intelligitur, in cuius virtute funguntur illa officio subiecti, & predicati, ut in illa propositione, *Petrus est aliquis* a parte predicati subintelligitur *homo*, & sensus est *Petrus est aliquis homo*, & in aliis a parte subiecti subintelligitur *vox*, vel quid simile, ut idem plane sit dicere *omnis est terminus syncategorematicus*, ac dicere *hec vox omnis est terminus syncategorematicus*, & sic de aliis, quod eo, vel maxime de vocibus non significativis dicendum est; Quod si oppositam oppositionem sequi velimus, tum cum Tatar. quem seq. Arriaga, tract. 1. com. 3. ad 1. dicendum est ad hoc, ut aliquid sit subiectum in propositione sufficere, ut sit vox significativa naturaliter communiter, id est, ut possit representare seipsam, quod est significare large.

Sed adhuc dubium est de nominibus ipsis substantivis solitarie sumptis, & extra propositionem, possint ne dici termini, nam Arist. definitio allata videtur illis competere solum, quando sunt in propositione. Verum non ita rigorose intelligenda est illa definitio, nam ut aliqua dictio dicatur terminus, non est semper necesse, quod actu fungatur munere subiecti, & predicati, sed sufficit aptitudo, ut ad tale munus possit assumi, & non eam habeat repugnantiam, quæ reperitur in adverbis, conjunctionibus, & similibus; nomen substantivum extra propositionem dicitur terminus non in eo sensu, quod actu extra illam exerceat officium termini, sed quia intra illam fungi potest hoc munere; unde dicatur terminus non actu, sed potentia; nec aliud probant Complur. cit. oppositum sustinentes.

3. Quoad alteram quaesiti partem Terminus universon sumptus dividitur in mentalem, vocalem, & scriptum, ut notat Tatar. tract. 7. de suppositionibus comm. 1. §. *secundo sciendum*, quæ divisio sumitur ex triplici propositionum genere; hæc enim propositio *homo est animal* si fiat mente, dicitur mentalis, si voce, vocalis, si scripto, dicitur scripta; terminus ergo dicitur mentalis, vocalis, vel scriptus, prout subiectum, vel predicatum propositionis est mentale, vocale, vel scriptum. Solent extrema quoque propositionis mentalis termini appellari, quod quidem de propositione formali, quæ est actus, & secunda operatio intellectus, intelligendum est, nam propositio in hoc sensu est una simplex qualitas carens partibus, quarum una prædicetur de alia, ut constabit ex dicendis disp. 6. de Anim. qu. 10. art. 2. num. 302. sed debet intelligi de propositione mentali objectiva, quæ talis dicitur, quia est objectum ipsius formalis propositionis mentalis & instituitur in esse propositionis objectivæ per eam, tamquam per formam extrinsecam; itaque propositio mentalis in hoc sensu, nimirum objective sumpta dicitur habere terminos, & extrinsecam, quia in se continet subiectum, & predicatum constituta in esse talium per propositionem formalem: quare cum intellectus enunciat *homo est animal* interna, & formalis propositio in se non continet subiectum, neque predicatum, nec terminos, sed tantum propositio objectiva, ut etiam hic bene notavit Ovied. Nominem autem termini mentalis duo possunt intelligi, scilicet res, quæ mente concipitur, ac ipsa cognitio, seu ut alii loquuntur conceptus formalis, & objectivus, & quidem si in primo sensu sumatur, scilicet, pro re concepta, terminus mentalis a vocali, & scripto differre non videtur, eadem enim prorsus est res, quæ mente concipitur, voce depromitur, & calamo exaratur; at in secundo sensu, scilicet, pro ipso rei conceptu differt a vocali, & scripto, & dividi solet in ultimum, & non ultimum: ultimus est conceptus, seu cognitio rei significatæ per vocem aliquam, vel scripturam, ut cum audita voce *homo* illud percipimus animal, quod est rationale, non ultimus est conceptus ipsius vocis, vel scripturæ significantis non ultra se extendens ad rem significatam, & ideo dicitur non ultimus; sic Græcus audiens vocem *homo* format conceptum non ultimum, quia cum sit signatus significationis vocabulorum latinorum, concipit solummodo vocis sonum, non autem rem per illam vocem significatam, scilicet, hominem. Porro licet Logica proxime versetur circa terminos mentales; & vocales non nisi ratione mentalium attendat, quia tamen termini vocales sunt clariores, & per eos innotescent mentales, frequentius agit Logicus de terminis vocalibus, atque ideo nos etiam deinceps de istis agemus, ac eorum divisiones explicabimus.

C A P U T II.

De Terminorum multiplicitate ratione significationis.

4. Ex variis capitibus solent termini multiplicari, & varia eorum divisiones assignari, ex parte nimirum significationis, ex parte modi significandi, & ex parte rei significatæ: ex primo capite, quantum ad præsens spectat, solet in primis dividi vocalis terminus in significativum, & non significativum; ille est, qui aliquid significat, ut hæc vox *homo*, qui naturam significat humanam, iste est, qui nihil significat, ut *Blitri*, *Buf*, &c. Sed ut ista divisio sit recte tradita intelligi debet de termino in prima acceptione assignata cap. præced. nam in secunda acceptione omnes termini sunt significativi, cum esse possint subiectum, & predicatum in propositione: terminus igitur vocalis in tota sua latitudine sumptus dividitur in significativum, & non significativum: quæ divisio ut bene percipiatur, cum terminus vocalis constituitur in ratione significantis per significationem, videndum est quid sit significare, & quid sit signum, a quo verbum significare derivatum est.

Signum ex Augustin. 2. de doctrin. Christian. cap. 1. est illud, quod præter sui cognitionem, quam ingerit sensibus, facit nos venire in cognitionem alterius, verb. grat. hæc vox *homo* præter speciem, quam imprimit in auditu, tu sonus est, facit nos venire in cognitionem alterius scilicet naturæ humanæ, unde signum debet esse tale, ut illo cognito per sensus, mediante illo deinde veniamus in cognitionem rei, cum qua signum habet connexionem; hinc significare nil aliud erit, quam aliquid aliud a se distinctum representare potentia cognoscendi ex quo patet signum dicere ordinem & ad potentiam cognoscendam, cui representat, & ad rem significatam, quam representat. Dividitur porro signum in formale, & est illud, quod absque sui prævia cognitione aliud nobis representat, & in ejus cognitionem ducit, quales sunt species impressa, & expressa respectu proprii objecti, & in instrumentale, quod præsupposita sui cogni-

cognitione facit nos in alterius cognitionem venire, ut imago respectu Cæsaris, vestigium respectu feræ transeuntis, quæ de causa Scotus 1. d. 3. quest. 9. & quod. 14. hoc secundum signum appellat medium cognitum, quia hoc ducit in cognitionem signati, prius perit ipsum cognoscere, illud vero primum vocat præcise rationem cognoscendi, quatenus præcise est, quo aliud cognoscitur, & non quod cognoscitur. Signum autem instrumentale est, de quo agimus in præfenti, & quod proprie dicitur signum, & definitur ab August. citat. ea tamen definitio etiam formali convenit, si prima pars dematur, & dicitur signum esse, quod facit nos in alterius rei cognitionem venire. Hæc tamen signi descriptio, quamvis sit ab August. tradita, & ob tanti Doctoris auctoritatem ab omnibus passim recepta, non recipitur a Poncio disput. 19. Log. quest. 1. eamque impugnat quoad utramque partem; quoad primam quidem cum ait signum esse id, quod præter sui cognitionem, quam ingerit sensibus, &c. redarguit, quia non complectitur omne signum, quia possent dari signa spiritalia, quæ deducerent in cognitionem aliarum rerum, nec possent percipi a sensibus materialibus. Quoad aliam vero partem, in qua ait, quod signum facit nos venire in cognitionem alterius, eam impugnat, tanquam ab Arriaga traditam, quia objectum facit nos in cognitionem sui venire, & tamen non dicitur signum. Rursum Deus ipse facit nos venire in cognitionem multarum rerum eas nobis revelando, nec tamen ab ullo vocatur signum illarum rerum. Præterea cognitio est signum rei, quæ cognoscitur per ipsam, & tamen non facit nos in cognitionem venire.

Sed nimis audacter inficiatur Poncius doctrinam D. Augustini, quam omnes venerantur ut communis Magistri, unde mirum esse non debet, quod sæpius hic Auditor minimo rubore suffusus doctrinam Scoti præceptoris audeat impugnam. Optima enim est illa descriptio quoad omnes partes, si bene intelligatur, nam duæ solent assignari conditiones alicujus, ut alterius rei signum dicatur: una est, quod nos ducat in illius rei cognitionem, altera est, quod ducat in ejus cognitionem, quatenus cognita, quarum conditionum utramque optime exprimit definitio signi ab Augustino tradita; nam per primam partem definitionis secundam exprimit conditionem; vel enim rem, quæ inservire debet pro alterius signo, prius nostris sensibus cognitionem sui ingerere debere, specificat autem signum esse debere sensibile, quia ut notat Doctor 4. d. 1. qu. 2. & 3. signa sensibilia sunt maxime apta pro statu isto excitare intellectum conjunctum a sensuum ministerio dependentem, ut in alterius rei cognitionem veniat; per alteram vero partem definitio altera quoque conditio exprimitur, contra quam nil urgent instantiæ a Poncio adductæ, quia objectum facit venire in cognitionem sui, non alterius, nec facit venire in cognitionem sui, quatenus cognitum, ut facit signum, sed quatenus cognoscibile; nec etiam Deus hoc modo ad instar signi ducit nos in rerum cognitionem, quatenus cognitum, sed eas revelando, quod adhuc facere posset, etiam si prius a nobis non cognosceretur; cognitionem denique esse signum rei cognita per ipsam formale, ut dicebamus, non autem instrumentale, quod solum proprie dicitur signum, & ab Aug. definitur, & ideo cognitio proprie loquendo non dicitur facere nos venire in cognitionem rei, quam representat, quia non ducit nos in cognitionem illius rei, quatenus cognita, seu ut medium cognitum, sed ut ratio cognoscendi; solum autem signum instrumentale est illud quod hic definitur.

5. Et hoc signum instrumentale adhuc duplex est, aliud naturale, & est, quod ex natura sua independenter ab hominum voluntate aliquid representat, ut fumus ignem, & universaliter omnis effectus suam causam, qui præsertim si sensibilis erit, dicitur signum causæ juxta sensum definitionis allatæ. An vero ita e contra causa dici possit signum sui effectus, negat Hurtad. disp. 1. sect. 4. quia etsi causæ cognitio ducat in cognitionem effectus, tamen non est ordinata ad illum representandum. Sed plane non minus ordinata est cognitio causæ ad nos ducendum in cognitionem effectus a priori, quam cognitio effectus sit ordinata ad notitiam causæ a posteriori, quare ratio Hurtad. parum valet. At inquit alii, quod licet ita res se habeat, sola tamen cognitio, quæ per effectum habetur, dicitur haberi per signum, unde sola demonstratio a posteriori, quæ est per effectum, dicitur a signo, & ideo solum effectus dici potest signum causæ, non e contra. Verum neque hoc urget, licet enim cognitio habita per effectum veluti sensibilis causa, magis proprie dicatur a signo, nil tamen impedit, quin & cognitio habita per causam possit dici a signo absolute loquendo. Potest igitur etiam causa dici signum sui effectus, & præsertim quando sensibilis est, unde a Theologis sacramenta dicuntur signa gratiæ, cujus sunt causa, & esse colligitur ex Doctore 4. d. 1. quest. 2. §. *De secundo principali*, & sequitur Casil. cit. & Arriaga disput. 3. sect. 2. Aliud vero est signum artificiale, seu ad placitum, & est: quod ex hominum impositione aliud representat, sic ramus est signum venditionis vini, sonus campanæ est signum lectionis, & vox illius rei, ad quam significandum est imposita. Ubi tamen est advertendum etiam in vocibus ipsis non tantum significationem ad placitum reperiri posse, sed etiam

naturalem, ut patet de gemitu infirmorum, & lateru canum: & ideo terminus vocalis significativus subdividi solet in significativum naturaliter, & ad placitum, & hic ad Dialecticum spectat non quidem secundum suam realem entitatem, ut vox est, & sonus quidam in aere causatus, sed secundum quod impositus est ad res ipsas significandas, & conceptus mentis exprimentos, in hoc enim sensu voces pertinere dicuntur ad institutum Dialecticum, ut dicemus de Vocibus, ubi etiam declarabimus, per quid constituaatur ratio signi.

6. Deinde terminus ad placitum significativus subdividitur in cathegorematicum, & syncategorematicum: cathegorematicus idem latine sonat, quod per se significativus, & ideo per se absque omni alio esse potest subiectum, vel predicatum in propositione, ut homo, animal: syncategorematicus idem latine sonat, quod consignificativus, & ideo per se non significat aliquid, nec potest esse subiectum, & predicatum in propositione, sed cum alterius consortio, & significacionem modificat, ut omnis, nullus, aliquis, unde ut notat Tatar. tract. 7. com. 1. §. *Tertio sciendum*, terminus syncategorematicus non significat aliquid, sed aliquid, quatenus si adjungatur cathegorematico, ejus significationem modificat, & facit taliter significare, id est redidit ejus significationem, vel universalem, vel particularem, vel affirmativam, vel negativam: & dicitur aliquid significare, non quia vere, & proprie non significat, sed quia significatum ejus non representatur ut res per se, sed ut modus rei, id est exercendo modificationem alterius rei, quæ de causa negat Arriaga. sect. 4. esse perfecte terminum. Addit Tatar. terminum mixtum id est partim cathegorematicum, partim syncategorematicum, & est ille, qui impositus est ad significandum aliquid, seu aliqua, & aliquid simul, ut hæc vox *nihil*, quæ imposita est ad significandum negationem omnis entis, hæc enim ipsa negatio est illud aliquid, quod significat, quatenus vero illam negationem significat universaliter cujusque entis, dicitur significare aliquid, sic etiam significat subiectum propositionis indefinitæ, nam in materia necessaria æquivalet universali, ut *homo est animal* æquivalet huic, *omnis homo est animal*, & in materia contingenti æquivalet particulari, ut *homo currit* æquivalet huic, *aliquis homo currit*. Ad hoc tertium signum reducit Tolet. lib. 1. cap. 12. & Arriaga. sect. 4. omnia adverbia v. g. *sapienter, docte, &c.* Sed non placet, quia discrimen inter terminos cathegorematicum, & syncategorematicum sumatur præsertim in ordine ad propositionem, ita ut ille sit, qui sine addito, & per se potest esse subiectum, vel predicatum propositionis, iste vero, qui non potest esse subiectum, nec predicatum, nisi cum addito, consequenter adverbia omnia erunt termini syncategorematici, quia se foliis, & sine addito non possunt esse subiectum, vel predicatum propositionis, & per se non significant aliquid, sed potius aliquid.

Potiori ratione ad hoc tertium genus termini mixti nomina adjectiva reduci possent, quamvis enim Hurtad. disp. 1. sect. 10. mordicus contendat esse terminos syncategorematicos, quia non significant per se, sed consignificant, v. g. *bonus*, non significat per se, & determinate aliquid, nisi addatur alicui, v. g. *Petrus bonus*, tamen si nomen adjectivorum significatio bene consideretur, videbimus, quod licet indeterminate aliquo modo significant, ratione tamen formæ significatæ secum afferunt aliquam determinationem, nam *doctus* v. g. doctrinam importat, quod non event in signis quantitatibus *omnis, nullus, &c.* quæ nullam prorsus rem determinatam significant. Accedit, quod nomina adjectiva possunt esse saltem predicatum in propositione v. g. *Petrus est doctus*, quod signis quantitatibus prorsus convenire non potest, ergo nomina adjectiva commode ad hoc tertium genus termini possunt revocari, quod etiam tenent Casil. cap. 3. & Arriaga. cit. cum significant aliquid, & aliquid, unde remanet sola nomina substantiva esse proprie terminos cathegorematicos, quicquid hic dicat Ovied.

7. Rursum terminus cathegorematicus subdividitur in simplicem, seu incomplexum, & compositum, seu complexum, quam divisionem quidam sic explicant, quod complexus est ille, qui constat ex pluribus dictionibus, ut homo albus; incomplexus, qui unica gaudet dictione, ut homo, & albus, ita Roccos lib. 1. introd. cap. 8. Blanc. lib. 2. sect. 2. At ut bene monet Tatar. tract. 1. com. 4. hæc explicatio potius grammaticalis est; grammaticum enim vocem illam appellat complexam, quæ constat ex pluribus vocibus, & eam incomplexam, quæ constat una tantum, at non sic est apud logicum, qui non attendit unitatem, vel pluralitatem vocum, sed conceptum in intellectu, cui ista subordinantur, unde etiam si sint plures dictiones inter se contextæ, si tamen in mente unum tantum generant conceptum, terminum constitunt incomplexum, ut v. g. Marcus Tullius Cicero, & e contra si una tantum sit dictio, conceptum tamen generale complexum, erit terminus complexus; ut *nemo, amo, semper*, quæ æquivalent his, *nullus homo; sum amans, omni tempore*.

Alii proinde sic explicant, quod terminus incomplexus est ille, cujus partes abinvicem separatæ nihil significant, aut non significant illud, quod in integra dictione significabant, ut v. g. *Dominus est terminus incomplexus*, quia licet

licet partes, in quas potest dividi, scilicet *Do*, & *minus* sint significantivae, tamen in toto, & integra dictione hanc significationem non retinet: Complexus vero est ille, cujus partes eandem retinent significationem, quam habebant in toto complexu, etiam abinvicem separatae, ut homo justus, ita Amicus qu. 2. Ruvius qu. 4. Complut. cap. 3. Sor. lib. 1. cap. 9. Jo: de S. Thom. lib. 1. sum. c. 4. & alii passim. At hoc dupliciter intelligi potest, vel ita, quod terminus incomplexus sit ille, cujus partes separatae non eandem habent significationem, quam habebant in integra dictione etiam sigillatim sumptae, in quo casu loqui videntur Auctores citati; & haec expositio falsa est, quia hic terminus Agricola, Prorex, Respublica, & similes, sunt termini incomplexi (quicquid dicat Hurrad.) & tamen eorum partes separatae eandem retinent significationem, quam habebant in integra dictione sigillatim sumptae, & eodem modo utrobique sunt per se significantivae, quia ut tales componunt illa nomina, ut notat Fonseca, ac de se patet. Vel ita intelligitur, quod partes termini incomplexi separatae non retinent eandem significationem, quam habebant in integra dictione copulatim sumptae, & haec expositio vera est, ut constat de partibus illius dictionis *Respublica*, quae in integra dictione significat totam hominum communitatem, quam non significant separatae, nec in ipsa dictione sigillatim sumptae; traditur a Scoto 2. d. 8. qu. 2. §. *Aliter ergo*, ubi docet partes dictionis nunquam significare conceptum simplicem, quem dictio significat, & videtur ipsius Aristot. lib. 1. de interp. cap. 2. ut inf. dicemus tract. 2. c. 1. Verum quia adhuc aliquis urgere posset, quod nec etiam partes orationis, vel termini complexi, significant conceptum complexum, quem tota oratio, aut terminus complexus significat, praestat dicere cum Tatar. cit. quod terminus incomplexus est ille, qui subordinatur conceptui incompleto, e contra vero complexus est, qui subordinatur conceptui complexo in anima, etiam si unica vox esset, dummodo ad aliquod complexum significandum imposita foret, quod ipse probat, quia alicui simplici voci, cujus partes separatae non eandem retinent significationem, potest correspondere conceptus complexus in mente, si ad aliquod objectum complexum significandum imponeretur, immo si littera *A*, (inquit Tatar.) imponeretur ad significandum *hominem currere*, tunc *A* esset terminus complexus.

Postremo terminus incomplexus subdividitur in finitum, & infinitum, primus est, qui aliquam rem certam, & determinatam significat, ut homo, lapis. Alter est, qui nihil determinate significat, sed tantum determinate negat, ut non homo, non lapis, unde terminus finitus evadit infinitus, dum ei immediate praepositur negatio, & hic terminus non efficit propositionem negativam, quia negatio non cadit supra copulam.

CAPUT III.

De Terminorum multiplicitate ratione modi significandi.

Prima divisio termini, quae ex hoc capite desumitur, est in concretum, & abstractum; concretum est, qui significat aliquid, ut existens in alio, quod concernit, vel ut suppositum propriae naturae, vel ut subiectum, ut *homo*, & *album*, nam *homo* significat humanitatem in aliquo supposito naturae humanae existentem indeterminate, *album* significat albedinem alicui subiecto adjacentem, & ideo omnis talis terminus significat aliquid ad modum compositi, sive substantialis, sive accidentalis, ut *homo* significat habens humanitatem, *album* habens albedinem. Terminus abstractus significat aliquid per modum per se stantis, & non alteri inexistentis, ut humanitas est abstractum hominis, & significat naturam humanam veluti a proprio supposito separatam; albedo est abstractum albi, & significat formam albedinis, veluti a subiecto, cui inharebat, separatam; abstrahere enim idem est, ac ab alio trahere, seu separare, & ideo omnis talis terminus habet modum significandi simplicem, & non compositum.

Alteram Divisio est in absolutum, & connotativum, quam aliqui ita explicant, quod absolutum rem significat ad modum per se stantis, connotativum vero per modum alteri adjacentis, ita cum Toler. Aversa cap. 6. Complut. cap. 4. Ovied. in Summul. contr. 1. punct. 3. sed minus recte, quia ista explicatio pertinet ad terminum concretum, & abstractum, cum quibus confundendi non sunt terminus absolutus, & connotativus. Ideo alii sic explicant, quod ille sit terminus absolutus, qui se solo est perfecte significantivus, ut v. gr. Petrus, Leo; & ille vero connotativus, qui in sua significatione notat alium terminum, sine quo non perfecte significat; primi generis sunt omnia substantiva, secundi generis omnia adjectiva, nam *albus* v. gr. requirit alium terminum, ut habeat completam significationem, ita Casilius l. 1. tract. 1. cap. 3. ubi ait, quod licet a Philosophis soleant nomina connotativa aliter usurpari, logice tamen, & grammaticaliter taliter usurpari debere, scilicet, quod sint talia nomina, quae non habeant completam significationem, nisi vel de altero praedicentur, vel alteri affigantur. Sed nec bene ita explicantur, quia, ut liquido constat, haec explicatio omnino pertinet ad terminos cate-

gorematicum, & syncategorematicum, nam ille est, qui se solo est perfecte significantivus, iste vero non se solo perfecte significat, sed ut alteri adiungatur, ut constat ex cap. precedenti: at confundi non debent terminus absolutus, & connotativus cum categorematico, & syncategorematico, quia sunt diversae divisiones, & ex diversis capitibus desumptae, unde valde decipitur Fuent. cit. diff. 2. artic. 2. eos confundens.

9 Ut igitur ista divisio, quae inter omnes praecipua est, & ad multa deservit, recte intelligatur, sciendum est apud Summulistas illud dici connotatum alicuius nominis, quod non ex vi nominis importatur, sed potius datur intelligi ex modo significandi principali significati, ut ex Scoto colligitur quolib. 12. art. 2. unde non importatur primario, & directe, sed secundo, & indirecte, & ideo ingreditur conceptum rei, non veluti per se pars eius per modum scilicet generis, vel differentiae, sed veluti additum ab extrinseco, necessarium tamen, ut habeatur perfectus rei conceptus, & quietativus, sic cetera est nomen connotativum, quia licet ex vi nominis, & directe solam importet compositionem, tamen ex modo significandi principali significati dat intelligere tempus vespertinum, idque necessario intelligi debet, ut habeatur conceptus perfectus, & quietativus cetera. Ex qua doctrina facile colligitur explicatio termini absoluti, & connotativi, nam ut docet Tatar. tract. 7. comm. 1. §. 2. *sciendum*, & Brasaula quest. 7. & 8. univ. prope finem, terminus absolutus est, qui nihil connotat, id est, qui praeter genus, & differentiam, quae sunt per se partes conceptus eius, nullum extraneum secundario requirit cointelligendum, quod eius conceptum quidditativum ingrediatur, ut perfectus, & quietativus evadat, tales termini sunt bos, homo, & similia concreta substantialia praedicamenti substantiae, nam estis concernant suppositum propriae naturae, tamen quia natura cum supposito non facit unum per accidens, ut forma accidentalis cum subiecto, ideo totum illud compositum ex aequo importatur, non vero principaliter, unum, & in recto, secundario alium, & in obliquo. Terminus vero connotativus e contra est, qui ultra principale significatum, & in recto, aliquid aliud dat intelligere secundario, & indirecte, veluti necessarium ad habendum conceptum rei perfectum, & quietativum, sic Pater dicitur connotare filium in ratione termini, accidens substantiam in ratione subiecti, materia formam in ratione comparsis, quatenus haec omnia licet sint extra formalem, & quidditativum conceptum eorum, quia nec genus sunt, nec differentia illorum, spectant tamen ad conceptum eorum integrum, & perfectum, seu quietativum, ut Scotus explicat 4. d. 12. q. 1. sub littera *L*.

Ex his sequitur, omnia nomina abstracta tam substantialia, quam accidentalia esse absoluta, non e contra; nam homo est terminus absolutus, non abstractus, id tamen ita intelligendum est, quod nomina abstracta substantialia tam secundum rem, quam secundum modum significandi sint absoluta, accidentalia vero ratione tantum modi significandi, quia secundum rem significant aliquid alteri adjacentis. Sequitur etiam non omnia connotativa esse concreta, ut arbitrantur multi, nam nomen creationis, & conservationis non est concretum, ut patet, & tamen est nomen connotativum, ut docet Doctor quod. 12. art. 2. sic etiam nomen vitalis operationis non est concretum, & tamen est connotativum, ut docet quod. 13. ad arg. princ. nec e contra omnia concreta sunt connotativa, quia licet omnia concreta accidentalia sint connotativa, non tamen concreta substantialia, nisi quando nomine adjectivo significantur, ut corporeum, rationale, humanum, tunc enim significantur per modum alteri adjacentis; unde ratione modi significandi sunt termini connotativi.

10. Poncius in sua Logica parva cap. 2. num. 14. hanc nostram non approbat explicationem, quia tunc nullus esset terminus absolutus ea supposita quoad nos, neque enim possunt habere ullum conceptum distinctum, & quietativum de ulla re, quin necessario habeamus conceptum de alia re; ergo si terminus absolutus est, qui significat rem sine dependentia ab alia re, quae requiritur ad habendum conceptum quietativum eius, nullus erit terminus absolutus; probat antecedens, quia si esset aliquis terminus absolutus, maxime homo aut albedo, sed nec homo potest intelligi perfecte absque eo, quod intelligatur discursus, aut aliqua alia operatio propria ipsius; nec albedo absque eo quod intelligatur munus aliquod particulare, & proprium ipsius, per ordinem ad quod posset distingui ab aliis formis, ergo nullus esset terminus absolutus supposita praedicta descriptione. Deinde cetera, prout distinguitur a prandio, principaliter, & per se primo significat tempus vespertinum; ergo si terminus connotativus est, qui ultra principale significat aliud indirecte, cetera non erit connotativus saltem ratione temporis. Hinc aliter explicantur terminos dicendo, quod terminus connotativus est ille, qui significat rem relativam, ut relativa est; atque adeo qui connotat terminum eius; absolutus vero, qui significat rem absolutam, ut absoluta est; cuius ratio est, quod absolutum opponatur relativo; ergo connotativus terminus, qui opponitur absoluto, debet esse relativus; & hinc dominus, pater, magister, Creator, servus, creatura, generans simile,

le, dissimile, sunt termini connotativi, Nec refert, quod sint etiam concreti, quia hoc competit ipsis secundum diversam considerationem, sunt enim concreti, quatenus dicunt rem affectam aliqua forma, ver. grat. dominus significat hominem habentem dominationem; sunt autem connotativi, quatenus forma illa, quae afficit, est relativa, & propterea indigens ad conceptum aliquo alio termino. Hi vero termini sunt absoluti, album, justus, sapientia, humanitas, quia non significant formaliter relativum, quae tale, nec relationem.

Haec tamen Poncius explicatio est contra communem modum loquendi Summulistarum, qui passim docent in hac divisione absolutum non opponi relativo, sed connotativo; non ergo per terminum connotativum idem prorsus intelligi debet, quod relativus; Tum quia licet relativa quaedam cum connotativis videantur habere affinitatem, quia utraque dicuntur quemdam ordinem ad aliud, adhuc tamen magnum inter ea vertit discrimen, ut infra dicemus disp. 8. quest. 3. art. 1. prope fin. §. *pro complement. huius art.* ubi manifestum fit terminum relativum, & connotativum non esse idem. Tum quia aliquod concretum accidentale ver. grat. album est terminus connotativus, & tamen non est relativus, ut satis de se patet, quod vero sit connotativus, probatur, quia connotare, ut constat ex vi nominis, est simul cum uno aliud notare, non quidem ex prima nominis impositione, sed ex modo significandi principali significati; at ita se habet hoc nomen album, quod licet formaliter, & ex ipsa nominis impositione significet formam albedinis; tamen quia significatur in concreto, ideo ratione modi significandi cum forma notatur quoque subiectum secundario, ergo est terminus connotativus, cum tamen non sit relativus. Tum quia terminus relativus, ut sic per se primo, & directe respicit aliud, & praesice tamquam terminum, ut pater filium; connotativus autem secundario, & indirecte, ac minus principaliter, hoc enim est importari aliquid de connotato id est non de principali significato, sed secundario, ac veluti accessorie, nec etiam respicit aliud praesice, ut terminus suae dependentiae, ut constat in allato exemplo de albo, quod lignum verbi gratia vel lapidem respicit, ut subiectum, non ut terminum; sed respicit illud per modum annexi, & accessorii ex modo significandi principalis significati, ut liquet de nomine cetera in ordine ad tempus vespertinum.

Neque rationes ejus in oppositum urgent; nam ad 1. negatur sequela antecedentis, scilicet ex hac nostra explicatione sequi nullum terminum esse absolutum, sed omnem connotativum, quia satis constat non omnia nomina rebus imposita aliquid significare per modum annexi ex modo significandi principale significato, unde haec, & similia nomina erunt termini absoluti; tum quia, ut inquit Doctor loc. cit. 4. d. 12. q. 1. sub lit. *L*. falsum est non posse haberi ullum conceptum distinctum, & quietativum de ulla re, quin necessario habeamus conceptum de alia re, quae non sit de ejus essentia, alioquin nulla posset a nobis assignari definitio quidditativa rerum, sed quaelibet data esset per additamentum, unde inquit Doctor, quod quamvis forma habere nequeamus conceptum perfectum quietativum, nisi cointelligatur illud, cuius est forma, & ideo quantumcumque essentialia formae exprimerentur sine illo, cuius est forma, quamvis quidditas ejus indicaretur, tamen non esset conceptus perfectus quietans intellectum, & ideo nec definitivus; nihilominus causatum, quod est in se quoddam compositum subsistens, si concipiatur in se, intellectus ibi quiescit non requirens aliud cointelligere, & sic homo quidditative, & quietative intelligitur per hoc praesice quod intelligantur partes essentialia ejus absque eo, quod intelligatur aliud, quod non est de essentia ejus, neque ex hoc, quod hominis quidditas ex aliqua ejus propria operatione deprehendatur pro statu isto, sicut, & alia rerum quidditates in universum, sequitur omnia esse entia connotativa, sed tantum ex operatione rei nos discurrere a posteriori ad ejus essentiam vestigandam, quod absque ulla connotatione fieri potest, non enim connotatio consistit in hoc, quod unum cognoscatur ex alio, vel cum alio quandoquidem, sed ita ut unum ex nominis impositione detur intelligi, aliud vero secundario, & minus principaliter ex modo significandi principalis significati, ut constat in exemplo de nomine cetera. Ad 2. negatur assumptum nempe cetera, ut a prandio distinguitur, per se primo, & principaliter tempus vespertinum significare, quia nomen hoc ex prima institutione impositum fuit ad significandam compositionem, & solum ex modo significandi principalis significati innuit tempus vespertinum, & ideo a prandio distinguitur solum penes connotatum, quod si contendas ceteram per se primo significare tempus vespertinum, ut a prandio distinguitur, adhuc erit terminus connotativus, quia secundario, & minus principaliter compositionem significabit, cum utrumque ex aequo, & per se primo significare non possit, non enim haec duo talem habent inter se connexionem, & affinitatem, ut per se conceptum facere possint. Ad aliam rationem, quam suam Poncius stabiliebat sententiam, negatur assumptum, quod scilicet abso-

lutum, ut hic de eo loquuntur Summulistae, opponatur relativo, nam potius hic sumitur, ut opponitur connotativo, unde connotatio etiam in rebus absolutis reperitur, ut constat in exemplis allatis de albo, cetera, & aliis.

Tertia demum divisio est in terminum denominantem, & denominatum, seu denominativum, quae divisio grammaticaliter ita explicatur, ut denominans sit a quo denominatus derivatur, ut a justitia justus, ab albedine albus; At apud logicum denominativa dicuntur ea nomina concreta, quae a suis abstractis differunt in modo significandi, qui est significare per modum adjacentis, & secundum illud nomen adjectivum habent virtutem denominandi, id est denominative praedicandi de subiecto. Cum ergo terminus denominativus ille sit, qui formam significat per modum alteri adjacentis, informantis, & denominantis, seu qualificantis, & tale sit omne concretum accidentale; substantiale vero tunc solum, quando nomine significatur adjectivo, sequitur, omnia concreta accidentalia esse denominativa, substantialia vero non nisi quando nomine significantur adjectivo; & quia de Denominativis fufle agimus infra Disp. 2. q. 6. hic plura non addimus.

CAPUT IV.

De multiplicitate terminorum in ordine ad res significatas.

Prima divisio termini, quae sumitur ex parte rei significatae, est in terminum commune, & singularem; Communis est, qui aliquid significat commune pluribus, ita ut etiam singulis conveniat, ut homo, qui convenit omnibus hominibus, & singulis. Terminus singularis est, qui unam rem singularem tantum significat vel plura per modum unius. Et uterque subdividitur, communis quidem in transcendentem, & limitatam: Transcendens est, qui convenit omnibus rebus per omnia vagando ut Res, ens, unum, bonum: limitata, qui pluribus quidem communis est rebus, non tamen omnibus, ut animal, quod convenit homini, & equo, non tamen lapidi. Singularis vero subdividitur in determinatam collectivam, & vagam. Determinata est, qui per proprium nomen, vel per commune cum pronomine demonstrativo rem ipsam singularem determinate significat, ut Petrus, hic homo, ille homo. Vagus, qui rem singularem indeterminate significat, nempe mediante termino communi, & signo particulari: ut quidam homo. Collectivus est, qui plura, sed in unum collecta dicit, ut Populus, Civitas, Senatus. Addunt etiam terminum singularem ex suppositione, ut filius Beatae Virginis intelligitur Christus, quia supponitur unum tantum habuisse filium.

Sed objices, quod Petrus est nomen commune singularis hominibus, qui hoc nomine appellantur, Civitas etiam, & Senatus plura significant, ergo non sunt termini singulares. Respond. nomen Petri utique est commune pluribus, sed non res significata per Petrum, quia Pater tale nomen imposuit Filio suo, ut eum distingueret ab omni alio: Civitas vero, Senatus plura utique significant, sed in unum collecta, & hoc impedit, ne sint termini communis, qui pluribus convenit etiam seorsim sumptis, sed adhuc erit terminus communis hoc nomen, Civitas, si ad hanc, & illam Civitatem comparatur, & non ad homines in eadem Civitate dependentes.

12 Rursus terminus communis subdividitur in univocum, & equivocum, & analogum. Univocus est, qui convenit pluribus secundum idem nomen, & rationem importatam per illud nomen, ut homo, qui convenit Petro, & Paulo non solum secundum idem nomen, quatenus hic, & ille est homo, sed etiam secundum eandem rationem per illud nomen importatam, quia hic, & ille est animal rationale; haec enim est ratio illi nomini correspondens. Equivocus est, qui convenit pluribus secundum idem nomen, at non secundum eandem rationem illi nomini correspondentem, sed secundum diversas, ut Canis dicitur de animali latrabili, de fide, & pisce, sed huic communi nomini eadem ratio in omnibus non correspondet, sed prorsus diversa, quia licet Canis terrestris, & marinus conveniant in eadem ratione animalis, non tamen in eadem ratione, & definitione Canis terminus analogus est, qui pluribus conveniens, vel secundum nomen tantum, vel etiam secundum eandem rationem illi nomini correspondentem, ita illis convenit, ut participetur ab eis non aequaliter, & uniformiter, sed secundum prius, & posterius; hic enim ordo prioris, & posterioris, & dependentiae analogatorum ad primum est ita analogiae intrinsecus, ut bene dixerit Cajet. de nominum analogia cap. in fine quasi synonyma esse analogice dici, & dici prius, & posterius, unde in omnibus scholis semper per talem ordinem explicata fuit analogia, sic rursus analogice dicitur de homine ridente, & praelo florente secundum nomen tantum, sed prius de homine,

& postea de prato metaphora inde translata, ens analogice convenit substantiæ, & accidenti secundum eandem etiam rationem intrinsece ab utroque participatam, sed convenit accidenti per attributionem, & ordinem ad substantiam, sed quia de Univocis, Equivocis, & Analogis late disputamus infra disp. 2. qu. 4. & 5. de hac divisione pronunc hæc pauca sufficiant.

Demum dividitur terminus in terminum primæ, & secundæ intentionis; terminus primæ intentionis est ille, qui impositus est ad significandas res, ut sunt in se independentes ab operatione intellectus, ut *animal*, & *homo*. Terminus secundæ intentionis est ille, qui impositus est ad significandas res sub aliquo attributo rationis, quo non afficiuntur nisi negotiante intellectu, ut *genus*, & *species*, quod enim homo dicitur species, & animal genus, hoc totum procedit ab opere intellectus.

CAPUT V.

De Universalibus, sive Prædicabilibus.

13 Terminus communis univocus quando in ordine ad illa plura, quibus convenit, concipitur sub secunda intentione superioritatis, velut in ordine ad inferiora, dicitur terminus Universalis, & dicitur etiam Prædicabile, quatenus prædicari potest, seu affirmari de illis pluribus, quinque autem sunt termini sic universales, seu prædicabiles: Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens, de quibus Porph. in Isagoge; cujus divisionis sufficientia est, quia omne, quod prædicatur, aut prædicatur in quid, idest per modum nominis substantivi, aut in quale, idest per modum nominis adjectivi: si in quid, vel dicit partem essentia, vel totam essentiam; si partem essentia, sic est genus, ut animal; si totam essentiam, sic est species, ut homo: si prædicatur in quale, vel prædicatur essentialiter, vel accidentaliter; si essentialiter, sic est differentia, ut rationale; si accidentaliter, vel intransmutabiliter, & cum necessaria connexione, & sic est proprium, ut risibile, quod licet sit extraneum ab hominis natura, tamen est cum illa necessario connexum, vel transmutabiliter, & sine necessaria connexione, & sic est accidens, ut album. Assignamus autem distinctionem Proprii, & Accidentis per transmutabiliter, aut intransmutabiliter prædicari, non autem prædicari convertibiliter, aut inconvertibiliter, ut multi faciunt, quia non potest proprium constitui in ratione prædicabilis, & ut sic ab Accidente distinguatur per prædicari convertibiliter, quia repugnat Universalis in ratione universalis de suis inferioribus convertibiliter prædicari, de ratione enim termini universalis, ut supra dictum est, est, quod prædicatur de suis inferioribus etiam seorsum sumptis, ita quod etiam de singulis singularium sumptis prædicatur, at implicat posse ita prædicari de suis inferioribus convertibiliter, quia cum eis non convertitur in subsistendi consequentia.

14 Genus est illud universale, quod prædicatur de pluribus specie differentiibus in quid, idest essentialiter, & per modum nominis substantivi, quærenti enim quid est homo? recte respondemus per nomen substantivum est animal, quid est Leo? est animal, licet enim homo, & Leo specie differant, conveniunt tamen in ratione generica animalis, ex hoc autem, quod prædicatur de pluribus specie differentiibus, scilicet genus non prædicare totam essentiam suorum inferiorum, alioquin specie non differant, sed tantum partem essentia, & hæc potentialem, & materialem, ac per differentias contrahibilem. Triplex vero genus distingui solet, generalissimum, seu summum, & supremum, & est illud, supra quod aliud non extat genus, tale genus censetur esse substantia, quia supra se non habent nisi ens, quod non est genus, eo quia transcendens, est commune Deo, & creaturis. Genus medium, seu subalternum, & est illud, quod tam supra se, quam infra habet aliquod genus, ut corpus, habet enim supra substantiam, & infra se vivens, & animal. Genus denique infimum, seu proximum, & est, quod infra se non habet aliud genus, ut Animal, sub ipso enim immediate ponuntur species, ut homo, leo, &c.

15 Species ad duo comparari potest, vel ad genus, cui subicitur, vel ad inferiora, de quibus prædicatur; juxta primam comparationem dicitur species subicitibilis, juxta secundam dicitur prædicabilis, quia prædicabilis in ordine ad inferiora attenditur, species in ratione subicitibilis definitur, quod sit ea, quæ ponitur sub genere, quod intelligi debet proxime, & immediate, quia etiam individua sub genere ponuntur, sed mediate, & species sub ista ratione subicitibilitatis est triplex, summa, seu suprema, media, seu subalterna, infima, & ultima, quæ dicitur a thoma, & specialissima: species subicitibilis summa est, quæ immediate ponitur sub genere supremo, ut corpus in prædicamento substantia: media, & subalterna est, quæ non immediate ponitur sub genere supremo, nec immediate sub se continet individua, ut vivens, & Animal in eodem prædicamento substantia: infima, & specialissima est, quæ sub se immediate continet individua, & immediate continetur sub genere ultimo, & proximo, ut Ho-

mo in eadem serie substantia, qui immediate continetur sub animal, & immediate sub se continet Sortem, & Platonem, ex quo patet omnia genera sub supremo contenta dici species subicitibiles, non tamen prædicabiles, quia si ad inferiora comparantur, de quibus prædicantur, cum ista specie differant, habent rationem generis, & velut genera prædicantur. Et ideo species prædicabilis est una tantum, infima, scilicet, & specialissima, & definitur, quod sit illud universale, quod prædicatur de pluribus numero differentiibus in quid idem essentialiter, & per modum nominis substantivi, quærenti enim quid est Sortes, recte respondemus, quod est homo, quid est Plato? est homo, licet enim Sortes, & Plato differant numero per proprias differentias individuales, conveniunt tamen in ratione specifica hominis: ex hoc autem, quod species prædicatur de pluribus solum numero differentiibus, statim deducitur prædicari totam essentiam suorum inferiorum, quia differentia numeralis non est differentia essentialis, & quidditativa, differentia namque individualis non pertinet ad quid est individui v. g. Platonis, sed potius ad quis est, si enim quæretur quis est iste homo? respondeatur, est Plato. Ex quo tandem factum est, solam speciem infimam proprie, & absolute dici speciem, & hoc secundum Universale constituere, quia, si compararetur ad superiora, si ad inferiora, semper dicitur species, & numquam dici potest genus, quod non evenit in specie summa, & intermedia, quæ si ad inferiora comparantur, necessario habent rationem generis, & nullo modo dici possunt species.

16 Differentia est, qua res aliqui inter se convenientes in aliqua superiori ratione ab invicem differunt, ac discriminantur, & a Porphyrio in sua Isagoge, cap. 4. dividitur in communem, propriam, & propriissimam. Communis est, quæ desumitur ab accidente communi, sic albedo in homine albo est differentia communis, quia per eam velut per accidens commune fecerunt a qualibet alia re albedinem non habente. Propria est, quæ desumitur ab accidente proprio, sic homo per risibile differt ab equo, & Leone, velut per accidens proprium. Propriissima tandem est differentia essentialis, per quam una res essentialiter differt ab alia, cum aliqui essentialiter conveniunt in superiori ratione, sic rationalitas ponitur hominis differentia, quia per ipsam essentialiter differt ab equo, & leone, cum quibus aliqui conveniunt in ratione generica animalis. Cum vero triplex sit species, ut dictum est, summa, media, & infima, triplex quoque erit differentia, differentia nimirum speciei summa, differentia media, & differentia infima: illæ dicuntur differentia generica, sed ista dicitur absolute differentia specifica, quia est differentia speciei ultimæ, quæ nequit dici genus, & hæc cum sit ut plurimum incognita, non fuit a Porphyrio definita, dum dixit, Differentia est quæ prædicatur in quale quid de pluribus specie differentiibus, nam differentia speciei infimæ non prædicatur, nisi de pluribus numero differentiibus, ut ipsa species infima; Cum igitur Differentia, ut est tertium Prædicabile, comprehendat omnes prædictas essentialis differentias, tam scilicet, genericam, quam specificam, tali definitione debet definiti, quæ omnibus sit communis, ver. gr. quod sit illud universale, quod prædicatur de pluribus in quale quid, si illa plura differant specie, si vero solo numero, ut docet Scot. q. 27. universi. sic quippe definita tam differentiam genericam, quam specificam comprehendit: & dicitur in quale quid, quia de suis inferioribus utique prædicatur essentialiter, nam dicit partem essentia, sed quia dicit partem formalem, & qualificantem, ideo prædicatur per modum qualis, seu per modum adjacentis, & nomine adjectivo, quærenti enim quid est homo, recte respondemus per genus, quod est animal, quærenti autem quale animal sit essentialiter, respondemus per differentiam est rationale. Ex quo patet subicitibilia, respectu quorum Differentia verb. grat. rationalitas est tertium universale, non esse inferiora sua quidditative, idest hæc, & illam rationalitatem, quia de istis prædicatur in quid, & veluti species, sed esse inferiora sui subjecti, idest speciei humanæ, quam constituit, de istis enim prædicatur in quale quid, scilicet de Sorte, & Platone, & possunt dici sua inferiora qualitative, quatenus de ipsis prædicatur in quale quid; idem dicatur de differentia generica.

17 Proprium & Accidens sunt Universalis accidentalia, quia citra essentiam suis inferioribus conveniunt, in quo distinguitur a tribus prioribus Universalibus, quæ dicuntur Universalis essentialia, eo quia essentialiter suis inferioribus conveniunt, quia tamen proprium minus distat ab essentia rei, quam accidens commune, utpote, quod immediate fluit ab essentia rei, ideo immediate sequitur post universalis essentialia. Pro cuius declaratione assignat Porph. cap. 5. quatuor modos proprii; proprium primo modo illud est, quod accidit soli alicui speciei, sed non omnibus individuis ejus, ut homini esse Medicum, vel Geometram; proprium secundo modo est, quod accidit omnibus individuis alicujus speciei, sed non soli illi speciei, ut homini esse bipedem; proprium tertio modo est, quod

CAPUT VI.

De Prædicamentis, & primo de Absolutis.

19 Quia non sufficit Logico solum cognoscere terminos prædicabiles, & subicitibiles, sed etiam rectam eorum dispositionem cognoscere debet, ut legitimas prædicationes conficere possit, ideo post quinque prædicabilia, quæ sunt modi prædicandi essentialiter, vel accidentaliter, in quid, vel in quale, de prædicamentis agere debet, quæ sunt coordinationes generum, & specierum, seu debita dispositio prædicatorum essentialium superiorum, & inferiorum secundum sub, & supra utque ad individua; decem vero sunt prædicamenta, ad quæ tanquam ad decem classes, & summa genera reducuntur omnes naturæ rerum, & earum gradus, atque essentialia prædicata, tria prima sunt absoluta, & ad se, Substantia, Quantitas, & Qualitas, & alia septem respectiva, & ad aliud, Relatio, Actio, Passio, Ubi, Quando, Sensus, & Habitudo, cujus denarii numeri efficax sufficientia assignari non potest, sed retineri debet, ut ait Scot. 4. decis. 13. quest. 1. C. & quol. 11. K. quia famosa est, & ipsamet antiquitate probata. Neque pertinet hæc tractatio ad Metaphysicam, cujus proprium est agere de ente, & ejus speciebus; quia agit hic de illis istis, non ut naturæ quædam sunt (sic enim ad Metaph. spectant) sed modo logico, ut nimirum res explicentur, & significantur vocibus, & prædicantur, ac subicituntur, siue ut substantia intentionibus prædicabilitatis, & subicitibilitatis. Sumunt vero hæc decem rerum coordinationes a generalissimo suo nomenclaturam, ut series omnium substantiarum vocatur substantia, & series omnium quantitatum Quantitas, & sic de aliis, quodlibet vero prædicamentum tribus contextitur coordinationibus, ut media, & duabus collateralibus, media quidem est generum, specierum, & individuum ita disposita, ut genera de speciebus, & species de individuis prædicentur, & universi omnia superiora de suis inferioribus; in lateralibus vero differentia (quæ sæpe per accidentia propria circumloquuntur) sunt collocata, unum enim quodque genus per duas dividitur differentias ad duas species inferiores constituendas, ut substantia dividitur per corporeum, & incorporeum, & cum hac differentia constituit spiritum, cum illa corpus, & eodem modo dicendum in aliis Categoriis: Neque in linea laterali differentia superiores de differentis inferioribus per se prædicantur, sed tantum de inferioribus speciebus, & individuis, quæ sunt in media linea, ut sensibile non prædicatur de rationali, sed de homine; & denique cum ens finitum sit, quod in decem prædicamenta dividitur, ac descendit, quæcumque in prædicamentis reponuntur, sunt entia finita, & limitata, talis itaque est structura arboris prædicamentalis, cujus figuram in textu videre non potestis.

20 Substantia prædicamentalis est ens absolutum, per se subsistens, idest non alteri inhærens ad modum accidentium, immo ipsis accidentibus subsistens; unde tam denominatione absoluta, scilicet, a per se stando, quam relativa, scilicet, a subsistendo accidentibus dicitur substantia, & duplex est, prima, & secunda, substantia prima est illa, quæ nec est in subjecto, nec dicitur de subjecto; ut Sortes, vel hic homo, non est in subjecto, quia in substantia est, non accidens; non dicitur de subjecto, tanquam de per se inferiori, quia individua est, & singularis. Secunda substantia est, quæ non est in subjecto, sed dicitur de subjecto, idest caret subjecto inhærens, non tamen prædicationis, tales substantia sunt genera, & species; animal enim licet non sit in subjecto, prædicatur tamen essentialiter de subjecto, tanquam de per se inferiori, nam dicimus, homo est animal, sic etiam homo prædicatur essentialiter de Petro, & Paulo, nec tamen est in hoc, vel illo, tanquam accidens in subjecto per inhærens, sed tanquam natura communis in suis inferioribus. Et cum prima substantia omnibus substat, tam, scilicet, secundis substantiis, quam accidentibus, quia de illa hæc omnia prædicantur, ideo primo, principaliter, & maxime substantia dicitur, & maxime omnium substantia, inter secundas vero substantias magis dicitur substantia species, quam genus, tum quia propinquior est primæ substantiæ, tum quia species magis substat, quam genus, quia etiam ipsi subicitur generi.

21 Affectiones substantiæ sex assignantur ab Aristot. cap. de substantia. Prima, quæ communis est omnibus substantiis, & primis, & secundis, earumque pariter differentis, est, in subjecto non esse, hoc est in subjecto nullo hæere, deque nullo accidentaliter prædicari, si secundo intentionaliter explicetur; Neque id repugnat proxime dictis in fine capituli præcedentis, ubi dictum est substantiam quoque posse de aliquo subjecto contingenter prædicari; quia ibi erat Sermo de accidentaliter prædicari per modum accidentis prædicabilis, hic autem loquimur de prædicatione per modum accidentis prædicamentalis, nam fundamentum prædicationis hujus est vera, ac

quod accidit soli, & omni, sed non semper, ut homini in senectute canescere; proprium quarto modo est, quod accidit omni, soli, & semper, ut homini esse risibile, est enim homo non semper rideat, semper tamen habet aptitudinem ad ridendum, & ait proprium hoc modo constituere quartum prædicabile, quia accidit omni, soli, & semper, & esse proprie proprium, quia convertitur prædicatur de re, cujus est proprium. Unde aliud est considerandum proprium in ratione proprii, aliud in ratione prædicabilis; in ratione proprii utique constituitur per prædicari convertibiliter, non tamen in ratione prædicabilis, quia sic prædicari prorsus repugnat rationi universalis, quod cum compararetur illis, de quibus prædicatur, ut superioribus, numquam cum eis convertitur in subsistendi consequentia; sed constituitur in ratione universalis per accidere omni, soli, & semper, quod idem est, ac prædicari de pluribus in quale accidentale necessario, & intransmutabiliter, ut Scot. explicat q. 31. universi. in corp. ubi explicans alatum Porph. definitionem ait, quod per ly accidit habetur ratio prædicabilis, & modus prædicandi, scilicet, in quale accidentale; per ly omni, & soli habentur subicitibilia proprii, quæ nimirum sunt inferiora quidditative illius generis, vel speciei; cujus est proprium, & per ly semper habetur necessitas prædicandi, per quam distinguitur ab Accidente, quia proprium de suis subicitibilibus ita necessario, & intransmutabiliter prædicatur, ut de illis omnino negari nequeat, licet enim possumus non intelligere hominem cum risibilitate, quia abstrahentium non est mendacium, nequaquam tamen possumus intelligere hominem sine risibilitate, vel sub opposito risibilitatis absque præjudicio essentia ipsius hominis, quod non est verum de Accidente communi etiam inseparabili respectu sui subjecti quia, & sine eo, immo, & sub ejus opposito potest intelligi sine repugnantia, ut Corvus sine nigredine, vel etiam sub albedine. Hic tamen advertendum est, quod licet Porph. definit tantum proprium specificum (forte quia motus) potest tamen, & debet eadem definitio applicari etiam proprio generico, per ly omni, & soli, intelligendo omnes, & solas species illius generis, cui adæquat, proprium enim hoc quartum prædicabile constituitur complexitur generico, & specifico, & clarius definiti potest illud esse, quod prædicatur de pluribus in quale accidentale necessario, & intransmutabiliter, siue ista plura numero, siue etiam specie differant.

18 Accidens commune, quod ita vocatur ad differentiam accidentis proprii, definitur a Porph. esse quod adest, & abest præter subjecti corruptionem, quæ definitio, ut explicet accidens commune in ratione universalis, debet intelligi de accidente pro secunda intentione, & secundo intentionaliter explicari, ut Scot. docet qu. 34. & 35. universi. ubi ait accidens sumi posse primo intentionaliter, ut idem sonat, quod inhærens, vel alteri adjacens, & secundo intentionaliter, quomodo dicit illam secundam intentionem, quæ attribuitur alicui, quod sine implicantia potest affirmari, & negari de subjecto; itaque in hac definitione nomine subjecti intelligitur subjectum prædicationis, non inhærens, & ly adest, & abest non sonat idem quod inhæret, vel non inhæret præter subjecti corruptionem, sed capitur secundo intentionaliter, ut idem sit, quod affirmatur, vel negatur absque præjudicio essentia subjecti, in quo accidens commune distinguitur ab accidente proprio, quod non potest negari de subjecto absque destructione essentia illius, nam sicut ex risibilitate recte inferatur a posteriori humanitas, ita ex negatione risibilitatis recte inferatur negatio humanitatis. Et hanc definitionem secundo intentionaliter esse explicandam insinuat Porph. ipse, qui videns difficultatem, quæ ex accidentibus inseparabilibus contra definitionem oriebatur, respondet prædictam definitionem convenire etiam accidenti inseparabili, quia recte intelligi potest subjectum sine tali accidente, ut Ethiops non niger, immo cum accidente opposito, ut Ethiops albus sine ipsius corruptione, ergo Porphyr. locutus est in definitione de conjunctione accidentis cum subjecto, vel separatione per intellectum, quæ non sunt nisi per secundam intellectus operationem, scilicet affirmationem, vel negationem. Explicat vero accidens commune non esse quintum Universalis respectu suorum inferiorum quidditative, ut color non est accidens respectu albedinis, & nigredinis, sed respectu subjectorum, cum quibus contingenter habet connexionem, siue hæc sint numero solum, siue etiam specie differentia, ut album respectu hominis, nivis, lactis, &c. quia accidens quoniam prædicabile comprehendit accidens tam genericum, quod, scilicet, convenit pluribus speciebus, quam specificum, quod, scilicet, individuis tantum unius speciei competit: an vero etiam substantia prædicando contingenter de aliquo subjecto fundare possit secundam intentionem accidentis quinti prædicabilis, affirmative respondemus in disp. & hæc sufficiant de quinque Univ. alia namque plura de ipsis dicenda ad quest. differimus.

propria inhaerentia formae in subiecto, de quo praedicatur quae inhaerentia cum substantia repugnet, consequenter ei repugnabit praedicari de aliquo subiecto per modum accidentis praedicamentalis. Secunda, quae convenit determinate secundis, ac earum differentis, est univoce praedicari de primis, idest secundum idem nomen; & eandem rationem in illis essentialiter includam, quod etiam universalibus accidentibus, & eorum differentis competit, non quidem comparatione subiectorum, quibus inhaerent, sed inferiorum sub se contentorum in sua Categoria. Tertia, quae determinate convenit primis, est significare hoc aliquid ad differentiam secundarum, quae significant quales, ubi isti termini non sumuntur eo sensu quo cap. praeced. dicebamus quaedam universalia praedicari in quid, quaedam in quale, sed significare hoc aliquid est significare naturam incommunicabilem, significare vero quale quid naturam multis communicabilem, aut numero, aut etiam specie differentibus, quod etiam universalibus accidentibus respectu inferiorum suorum competit; nam superiora in accidentibus per suas differentias ad inferiora contrahuntur, sicut in substantia, individua vero, seu singularia ipsorum accidentium partim sunt incommunicabilia, quia sub se inferiora non habent, de quibus praedicentur essentialiter, partim communicabilia sunt, quia subiectis, quibus inhaerent, denominative communicantur; quod est esse incommunicabilia, ut quod, communicabilia, ut quo. Quarta, substantia nihil contrarium esse, tam primae, quam secundae, quamvis accidentia unius frequenter contraria sint accidentibus alterius, ut accidentia aquae accidentibus ignis; hoc vero idem competit quantitativis etiam, non enim bicubitum, & tricubitum contrariantur, neque quatuor, & sex, & sic de ceteris. Et hoc quidem intelligendum est de contrarietate proprie dicta, quae versatur inter formas positivas sibi invicem oppositas, & ab eodem subiecto se mutuo expellentes; quo pacto contrariari dicuntur quamplurimae qualitates, & per hoc solvantur rationes, quibus Mairon. passu 16. in praed. contendit in substantiis veram statuere contrarietatem. Quinta, substantia nulla suscipit magis, & minus, non enim patitur intentionem, & remissionem, ut calor in aqua, qui modo intenditur in ea, modo remittitur, quod similiter convenit quantitativis. Sexta demum, quae est vera proprietate in quarto modo proprii, & competit determinate primae substantiae, est, quod una, & eadem numero sit successiva contrariorum quorundam susceptiva cum sui mutatione, tanquam eorum ultimum subiectum; dicitur *successiva*, quia simul contraria suscipere nequit, dicitur *contrariorum quorundam*, quia opus non est unam, & eandem substantiam omnium esse contrariorum susceptivam, non enim lapis capax esse gaudii, & tristitiae, & sic in multis aliis, sed satis est, ut aliqua recipere possit; dicitur *cum sui mutatione*, quia oratio contrariorum quidem susceptiva est eadem numero manens salutaris; scilicet, & veritatis, verum id non evenit ex orationis mutatione, sed rei, ab eo enim quod res est, vel non est, oratio dicitur vera, vel falsa; dicitur tandem, *tanquam subiectum ultimum*, quia potest quidem quantitas cum sui mutatione contraria suscipere successive, ut superficies albedinem, & nigredinem, sed non tanquam subiectum ultimum.

22 *Quantitas est accidens absolutum, quod adveniens vel facit illam extensam in ordine ad locum, vel in ordine ad tempus; unde denominat eam magnam, vel parvam; diurnam, vel brevem, &c. Dividitur in continuam, & discretam. Continua est, cujus partes copulantur termino communi, vel: cujus partes proprios non habent terminos, nec una est ab alia divisa, ut linea bipalmaris, cujus partes palmares sunt invicem conjunctae. Discreta est, cujus partes non copulantur termino communi, vel cujus partes habent proprios terminos, & sunt ab invicem solutae, sic numerus denarius hominum dicitur discreta quantitas, quia partes eius sunt homines, quorum unus est ab alio divisi, similiter oratio, cujus syllabae sunt abinvicem solutae. Continua vero subdividitur in permanentem, & successivam, illa est, cujus partes sunt simul, ut linea cujus partes simul existunt, hoc est, in eodem tempore; illa est, cujus partes non sunt simul, sed una post aliam, ut tempus, & motus, quorum partes non sunt simul, sed una post aliam; non enim unus dies est simul cum alio, neque prima hora simul cum secunda. Permanentis tres assignantur species, linea, quae est longitudo sine latitudine, & profunditate; superficies, quae est longitudo cum latitudine, sed sine profunditate, & corpus, quod habet longitudinem, latitudinem, & profunditatem, & ideo trinam dicitur habere dimensionem, superficies duas, linea unam tantum; addit Arist. locum, velut quartam speciem loquendo famose. Successivae assignantur duae, tempus, & motus. Et haec divisio quantitatis in permanentem, & successivam reperitur quoque in quantitate discreta, permanentis est numerus, cujus partes permanent, & vocalis oratio, cujus partes fluunt, dum proferuntur, unde quantitas formaliter aliquid denominat quantum, nempe longum, latum, profundum, multum paucum, magnum, parvum, diuturnum, & breve.*

23 Affectiones quantitatis tres assignantur. Prima, quae illi communis est cum substantia, est, quod nullum patitur contrarium, nulla enim contrarietas est inter lineam, superficiem, & corpus, cum in uno, & eodem permanent subiecto, deinde temporis etiam nihil est contrarium, nec unum tempus alteri contrariatur, non enim hyems opponitur aestati, sed eorum qualitates, nec dies contrariatur nocti, quatenus tempus significat, sed ut significat aeris illuminationem, & nox illius privationem, & haec etiam oppositio non est contraria, sed privativa, nulla item in quantitativis discretis contrarietas reperitur, ut patet discurrendo per singulas. Est solum aliqua difficultas de magno & parvo, multo & paucio, brevi & diuturno, quae contraria videntur; sed facile occurrit Aristoteli. quod si haec aliquam videntur habere inter se contrarietatem, plane eam non habent, ut quantitates, sed ut relationem fundant, dicimus enim aliquid magnum & parvum, multum & paucum, non per se, & absolute, sed per comparationem ad aliud. Et adhuc falsum est ista esse contraria, alioquin de uno, & eodem contraria enunciarentur, idem enim tempus est breve & diuturnum, idem mons magnus, & parvus, iidem homines pauci, & multi comparatione diversorum, non igitur sunt contraria, sed potius relative opposita. Altera quantitativis affectio, quae ei pariter communis est cum substantia, est non suscipere magis, & minus, hoc est non posse intendi, vel remitti, quamvis bene suscipere possit majus, & minus, quod est magis, & minus extendi. Tertia tandem, quae propria censetur in quarto modo, est, ut secundum ipsam dicantur res materiales aequales, vel inaequales in magnitudine, vel multitudine, vel duratione, ita tamen ut *secundum quam* dicat rationem fundamentalem, & non formalem, ut Scotus docet quod. 6. formaliter namque res dicuntur aequales, vel inaequales per ipsasmet relationes aequalitatis, & inaequalitatis.

24 Qualitas definitur ab Arist. per suum concretum, ut sit *accidentaliter forma absoluta secundum quam subiectum denominatur quale*; cujus quatuor assignat species subalternas, vel potius modos, ut Doctor explicat 4. dist. 6. quod. 10. quarum prima est habitus, & dispositio, haec est *qualitas de facili mobilis a subiecto*, ut Virtus in adolescente, ille est *qualitas de difficili mobilis*, ut Virtus in senes, unde habitus, & dispositio differunt tantum secundum perfectum, & imperfectum, & ideo non duas, sed unam tantum faciunt speciem qualitatis, quia perfectum, & imperfectum non variat speciem, & in hac specie ponuntur qualitates omnes, quae suum subiectum aliquo modo preparant, & disponunt ad operandum, vel patiendum, sive sint corporeae, sive spirituales, qua ratione inquit Arist. habitum posse dici dispositionem, quatenus ad operandum disponit, unde ad hanc speciem reducuntur habitus omnes, tam corporis, quam animae ex actibus acquisiti, & pariter omnes species impressae, tum sensibiles, tum intelligibiles, quae licet proprie non sint habitus, sunt tamen habitui similes, quatenus per eas excitantur, & disponuntur ad operandum. Secunda species qualitatis continet omnes facultates, vel difficultates naturales ad agendum, vel patiendum, & dividitur in naturalem potentiam, vel impotentiam, quae sunt duae inter se essentialiter distinctae qualitates ex nullo actu acquisite, sed a natura ipsa congenitae: unde naturalis potentia est quaedam congenita qualitas, & ex naturali complexione alicui innata, per quam ipsum redditur naturaliter potens ad aliquid agendum, vel ad alicui resistendum, ut durities quandam naturalem potentiam significat, qua durum est naturaliter potens ad secanti resistendum, ut non facile dividatur; & quidam naturalem habent potentiam, & promptitudinem ad cursum, ad luctam, ad palestram, &c. Ex quo patet error potentium in hac specie omnes potentias animae visivam, auditivam, &c. & omnes proprias passiones, quia hic non sumitur naturalis potentia pro facultate indita a natura, qua potest quis simpliciter facere, (nisi talis activa virtus realiter a suo subiecto distingueretur, nam sic ad hanc speciem adhuc pertineret, ut dicemus in quaestionibus) sed qua potest sic facere, idest prompte, & expedire, ut Doctor notavit in 2. d. 16. quod un. P. Naturalis impotentia e contra est quaedam congenita qualitas, & a naturali complexione indita, per quam ipsum redditur naturaliter impotens, seu ineptus ad aliquid agendum, aut alicui resistendum, ut mollities naturalem significat impotentiam, qua molle naturaliter impotens est ad sectioni resistendum, & in quibusdam est innata quaedam desidia, & ineptitudo ad pugilandum, ad saltandum, &c. unde in hoc differet haec secunda qualitativis species a prima, quod in ista ponuntur facultates naturales, & ingenitae ad operandum, & in illa facultates acquisite, ut sunt habitus, & ideo in hac specie reponit Delphinus noster in sua Dial. cap. de Qual. vires omnium rerum sublunarium, ut plantarum, lapidum, metallorum, & mineralium omnium, nam tales vires reddunt ea, quibus sunt ingenitae, potentia ad aliquid agendum, aut alicui resistendum: ac etiam omnes Caelorum influentias praeter motum, & lumen.

25 Insuper tertia qualitativis species est passio, & passibilis qualitas, quae tantum accidentaliter inter se differunt secundum per-

perfectum, & imperfectum, passio enim est qualitas illico transiens, ut rubor ex verecundia proveniens, & passibilis vero qualitas est magis radicata in subiecto; & sub hac specie omnia continentur sensuum exteriorum objecta: ut lux, lumen, colores, odores, soni, saporis, omnes denique tangibiles qualitates frigiditas, caliditas, &c. quae omnes ideo dicuntur passibiles qualitates, quia in hac specie reponuntur, ut natae sunt immutare sensus nostros, & eis passionem aliquam inferre, imprimendo nimirum in sensibus species sensibiles, & cum eis efficiendo sensationes; & ad hanc speciem reducit Delphinus citat. omnes tum corporis, tum animae passiones, amorem, scilicet, odium, gaudium, tristitiam, dolorem, iram, timorem, spem, &c. omnes item actus, seu operationes facultatum organicarum, sive inorganicarum, ut sensationes, imaginationes, appetitiones, intellectiones, & volitiones, eo quia sunt actus ultimi non ordiantes potentiam ad operandum, & ideo potius spectant ad hanc speciem, quam ad primam, est Doctor utrumque admittit ut probabile quod. 12. C. Aristoteli solum ponit exempla de qualitativis sensibilibus, tanquam de manifestioribus, ait Doctor ibidem. Quarta species est forma, & figura, quae in proposito pro eodem sumuntur pro dispositione nimirum, & terminatione quantitativis, unde in aliqua re figurata possumus considerare tria, scilicet, ipsam rem, ex qua constat, ut lignum, & quoad hoc pertinet ad genus substantiae; quantitatem ejus terminationem linealiter, & superficialiter, & sic pertinet ad genus quantitativis; tandem terminationem, vel dispositionem quantitativis, quae dici solet forma, & figura, ut rectitudo, curvitas, triangulatio, quadrangulatio, &c. & haec constituit hanc quartam speciem qualitatis, in qua proinde ponuntur omnes figurae artificiales, & naturales, tam animalium, quam inanimatorum. Monet tamen Doctor 4. d. 1. q. 4. S. & d. 12. q. 4. I. in rei veritate figuram quid absolutum importare non posse, cum figura ultra quantitatem non dicat, nisi relationem terminorum includentium partes ad se invicem; ponitur tamen species quaedam qualitatis, quia habet nomen denominandi, & praedicandi qualitates, absolutum nempe, & sine expressa relatione ad aliud, homo namque denominatione absoluta ita dicitur a pulchritudine pulcher, sicut ab albedine albus; ita Doctor quod. 18. I.

26 Affectiones qualitatis tres assignantur; Prima est habere contrarium, frigiditas namque caliditati contrariatur, albedo nigredini, quae tamen non omni competit qualitati, nam nec colores medii ad invicem contrariantur, cum sub eodem genere non maxime distent, quae maxima distantia est de ratione contrariorum, nec species sensibiles, ad intelligibiles contrarium habent, nec lumen, cui estis opponatur tenebrae, haec tamen non est oppositio positiva, qualis esse debet contrarietas, sed tantum privativa. Secunda est, quod suscipit magis, & minus, una enim qualitas est magis intensa, quam alia, unum v. g. calidum habet plures caloris gradus, quam aliud, & idem in diverso tempore est modo magis, modo minus calidum; haec autem proprietate non convenit qualitati in abstracto, non enim una albedo dicitur magis albedo altera, quia cum per abstracta nomina denotentur quidditates, & essentiae rerum consistant in divisiibili, hinc est, quod qualitates in concreto tantum suscipiunt magis, & minus, & secundum gradus individuales; hanc tamen affectionem ait Arist. non convenire omni qualitati, quia nec quartae speciei, nec qualitativis in abstracto; sed quartae speciei alio modo etiam convenire potest, quia unam lineam dicimus esse magis, vel minus curvam alia. Tertia affectio, quae propria censetur qualitati in quarto modo, est secundum eam aliqua dici similia, vel dissimilia, sicut secundum quantitatem dicebatur aequalia, unde duo alba dicuntur similia, album, & nigrum dissimilia, ita tamen ut *secundum*, notet rationem fundamentalem, non vero formalem, quia haec est ipsa relatio similitudinis, vel dissimilitudinis.

CAPUT VII.

De Praedicamentis respectivis.

27 **R**elatio est accidens, quo una res ad aliam refertur, seu quo una res aliam respicit, qua ratione solet appellari respectus, ut Paternitas est relatio, quia est id, quo Pater refertur ad filium, vel respicit filium, & ideo Relativa, quae sunt concreta relationis, definiuntur, esse illa, quorum esse est ad aliud se habere: in quibus tria considerari debent, id quod refertur; id, de quo refertur; id, ad quod refertur; primum appellatur subiectum, quatenus est illud, in quo recipitur relatio, & dicitur etiam fundamentum, ut Petrus, qui fundat paternitatem in ordine ad Paulum; secundum autem est quod formale, aut fundamentale, formale est ipsamet relatio, v. g. paternitas, fundamentale est ratio fundandi relationem, v. g. potentia activa generandi in Patre; tertium est terminus relationis, & dicitur correlativum, ut Paulus filius. Relatio alia est realis, alia rationis, haec fit ab intellectu in re, quae relationem a parte rei fundare non potest, ut v. g. in Deo in ordine ad creaturam; illa reperitur in re

secluso quocumque opere intellectus, ut in Creatura in ordine ad Deum, ad quam tres requiruntur conditiones ex Scoto 1. d. 31. & quod. 6. ar. 3. quod extrema sint realia, quod sint realiter distincta, & quod inter ea ex natura oriatur extremum, non vero per actum intellectus, & haec subdividitur in aptitudinalem, quae respicit terminum non actu existentem, sed aptitudinem, & subiecto realiter identificatur, ut sunt propriae passiones, & actuales, quae respicit terminum actu existentem, & haec rursus subdividitur, alia enim est suo fundamento realiter identificata, ut relatio essentialis dependentiae Creaturae ad Deum, alia realiter a fundamento distincta, quae adhuc duplex est, intrinsecus adveniens, quae necessario ponitur extremis positus in quacumque distantia, ut similitudo; & extrinsecus adveniens, quae non refertur ex sola extremorum positione in rerum natura, sed ulterius requiritur debita eorum approximatio, unde quid extrinsecum exigit, ut insurgat, & tales praesertim respectus ultima sex praedicamenta Actio, Passio, &c. Ex quo sequitur ad relationem de quarto praedicamento quatuor exigi conditiones, quod sit relatio realis; quod sit actualis, nam aptitudinales pertinent ad praedicamentum sui fundamenti, quod sit a fundamento realiter distincta ob eandem rationem, unde quae realiter fundamentis identificantur, dicuntur relationes transcendentales, non praedicamentales, & tandem, quod sit intrinsecus adveniens, nam extrinsecus advenientes spectant ad ultima sex praedicamenta. Relativa similiter, quae sunt concreta relationis, alia sunt secundum esse, quae de principali significato relationem praesertunt, & abolutum connotant, ut Pater, & filius, unde secundum totum suum esse ad aliud dependere dicuntur, tanquam ad terminum, quod norantur dicitur, quia licet accidens ut sic habeat dependentiam ad subiectum, non tamen tamquam ad suum terminum, & haec sunt relativa hujus praedicamenti: alia sunt relativa secundum dici, quae de principali absolutum important, & relationem solum connotant absolute annexam, ut scientia, quae principaliter qualitatem importat, & connotat relationem ad scibile, & ideo ad praedicamentum abolutum spectant. Utraque vero relativa alia sunt mutua, alia non mutua, illa sunt, quae adinvicem referuntur relatione reali; ista, in quorum uno est relatio realis, & in alio rationis, nec est dependentia reciproca hinc inde, ut Creator, & Creatura. Et rursus utraque alia sunt equiparantiae, quae in utroque extremo fundamentum ejusdem rationis habent, ut similitudo, aequalitas; alia disquiparantiae quae fundamentum habent diversae rationis, ut Paternitas, & filio, quae tandem alia sunt superpositionis, ut Dominus erga servum, alia superpositionis, ut servus ad Dominum.

28 Affectiones Relativorum quinque numerantur. Prima est, quod in relativis, licet non in omnibus, reperitur contrarietas, ut inter virtutem, & vitium, simile, & dissimile; sed haec non est vera affectio relativorum hujus praedicamenti, nam virtus, & vitium sunt relativa secundum dici, & quamvis simile, & dissimile sint relativa secundum esse, tamen contrarietas non convenit illis per se, & formaliter, ut relativa sunt, quia ratione relationum tantum relative opponuntur, sed tantum ratione fundamenti, idest contrariorum qualitatum, in quibus fundantur. Secunda est, quod quaedam suscipiunt magis, & minus ratione fundamenti, ut simile, & dissimile, quae fundantur in qualitatibus suscipientibus magis, & minus, solemus etiam dicere magis, & minus aequale, vel inaequale: verum ut notat Delphinus, id improprie dicitur, nam aequalitatis, & inaequalitatis fundamentum, quod est quantitas, non intenditur, aut remittitur, sed extenditur, & fit major, aut minor, & ita fit major, vel minor inaequalitas, non magis, vel minus inaequale. Sed quamvis ita communiter explicentur haec duae relativorum proprietates, adhuc tamen valde probabile est contrarietatem propriam competere quibusdam relativis secundum esse etiam formaliter secundum esse relativum, ac etiam quaedam relationes posse magis, & minus suscipere etiam in suis formalibus entitatibus, & non in fundamentis tantum, ut ex professo dicemus infra dist. 8. q. 11. declarando has proprietates. Tertia, quae competit solis, & omnibus relativis, est dici ad convertentiam idest quod unum dicitur mutuo in ordine ad aliud, sive hic ordo fit realis, sive rationis, ut si dicimus Dominus servi dominus, dicere etiam valeat servus domini servus, scientia scibilis scientia, scibile scientiae scibile: ex quo patet falsum esse, quod multi dicunt hanc relativorum convertentiam dicere mutuum dependentiam unius relativi ab alio per realem in utroque extremo fundatum, atque ideo solis relativis mutuis hanc proprietatem convenire; Arist. enim ait, hanc affectionem omnibus relativis convenire, & inter alia exempla adducit illud de scientia, & scibile, quae sunt relativa non mutua. Oportet tamen convenienter assignare relativa ad hoc, ut ad convertentiam dicantur, si enim quis diceret servus domini servus, non potest convertere, dicendo, homo servi homo, unde interdum ad hanc convertentiam assignationem oportet nova nomina componere, ut facit Arist. in textu. Quarta est, quod sunt simul natura, hoc est, simul naturali existentia, ita quod posita

se ponunt, & perempta se perimunt, ad quam relativorum simultatem ex post prædic. c. de simul duæ exiguntur conditiones, una, quod convertantur secundum subsistenti consequentiam, quæ sola non sufficit, quia ita se habent subiectum, & passio, & tamen subiectum est prius natura passione, altera, quod neutrum sit causa alterius, quia causa præcedit natura causatum; & si dicas Patrem esse causam filii, id verum est de patre materialiter, non formaliter sumpto, ut relativum est, hæc tamen affectio non est communis omnibus relativis, sed tantum mutuis, ut Scot. docet 1. d. 28. q. 3. F. nam ablato (ait Arist.) scibili, & sensibili, aufertur utrique scientia, & sensus, sed non e contra ablata scientia, & sensu, aufertur scibile, & sensibile. Quinta tandem affectio, quæ eisdem competit relativis est, quod non tantum sint simul natura, sed etiam simul cognitione, & definitione, ita ut qui definit cognoscit unum relatum, definit cognoscat, & alterum, quia distincta cognitio unius relativi ex distincta alterius cognitione dependet, de qua proprietate fufus infra in disput. 8. quaest. 11.

29 Actio ex Auctore sex principiorum est secundum quam in id, quod subicitur, agere dicimus, id est ut explicat Doctor in 4. d. 13. q. 1. est respectus ipsius agentis ad passum, quo agens dicitur formaliter agens, & dicitur notanter formaliter, quia agens effective non dicitur agere actione, sed sua virtute absoluta, ut ignis effective dicitur agere calore, sed formaliter dicitur agere actione, unde notat Doctor cit. sub. P. quod aliter calidum calore calefacit, & aliter calefactione, nam calore calefacit, ut principio effectivo, & fundamentaliter, quod dicitur ratio agendi, calefactione vero, ut principio formali denominandi calidum agens, ita quod ly secundum quam dicitur habitudinem causæ formalis, & formæ proxime determinantis agens. Dicitur in id quod subicitur, ad differentiam productionis, quæ respicit pro termino, non subiectum transmutatum, sed formam in illo productam v. g. calorem in aqua, atque ideo est respectus intrinsecus adveniendi ad quartum prædicamentum spectans, actio autem pro termino respicit subiectum transmutatum, & est respectus extrinsecus adveniendi, quia ut infurgat, extremorum approximationem postulat, nam ut inter ignem, & aquam respectus calefactionis exurgat, debet aqua illi approximari, unde minus recte Delphinus, & Poncius respectum productionis in hoc prædicamento reponit. Dividitur Actio velut genus in specie in immanentem, & transeuntem ex Scoto quol. 13. D. d. per immanentem intelligendo, quæ est ad terminum manentem in agente, ut actio, qua oculus se immutat ad visionem, & intellectus ad intellectionem, quia visio manet in vidente, &c. per transeuntem vero, quæ est ad terminum transeuntem extra agens, ut calefactio, per quam ignis non seipsum transmutat, sed aquam, in qua recipitur calor productus: solent etiam operationes vitales appellari actiones immanentes, ut visio, auditio, intellectio ex Arist. 6. met. 16. sed æquivoce solum, & grammaticaliter, quatenus significantur per verbum activum, alioqui sunt qualitates de tertia specie, ut ibi diximus, & monet Doct. c. Propria actionis affectio in quarto modo ex se inferre passionem, non quidem illatione consecutionis, ut aliqui exponunt, quatenus si actio est, valet inferre, quod etiam sit passio, hæc enim illatio convenit etiam passioni, quia relativa mutua, ut sunt huiusmodi, inferunt se mutuo, sed intelligendum est de illatione causationis, quo sensu causa infert effectum, non e contra, est autem hoc proprium actioni in quarto modo, qua licet qualitas, aut substantia, aut ratio agendi, & principium effectivum inferat passionem, non tamen tamquam principium formale, & forma denominans.

30 Passio definitur ab Auctore sex princ. quod sit effectus, illatioque actionis, hoc est effectus, qui inferuntur ab actione, quæ est quadam notificatio passionis per ejus proprietatem, proprium enim passionis in quarto modo est ab actione inferri modo jam declarato, melius tamen describi potest ex Scoto loc. cit. quod sicut actio formaliter de ipsa loquendo est respectu agentis ad passum, seu transmutantis ad transmutatum; ita e contra passio est respectus passivi ad agens, seu transmutati ad transmutans, unde sicut actio pro formali subicitur in agente, ita passio in passivo. Et sicut actionis duæ assignantur species subalternæ, actio, scilicet, immanens, & transeuntes, sic duæ erunt species passionis, passio nimirum immanens, quæ erit effectus illatus ab agente, sed non extra se ipsum, & transeuntes, quæ erit effectus illatus ab agente, sed extra se ipsum; unde quando aliquid agit in seipsum, ut cum aqua calida se frige facit, dicitur pati passione immanente. Quando vero agit in aliud, illud aliud dicitur pati passione transeunte; & licet communiter hæc divisio sit actionis, nil tamen impedit, quin suo modo applicetur passioni. Omittimus hic quasdam divisiones alias actionis, & passionis, quas affert Auctor sex princip. puta in corporalem, & spirituales &c. quia non sunt divisiones formaliter, & per se actionis, & passionis competentes, sed tantum ratione subiectorum, in quibus fundantur; allatæ autem a nobis petitæ sunt a terminis, a quibus præsertim spectantur actiones. Commu-

ne est autem actioni, & passioni habere contrarium, & suscipere magis, & minus, non quidem per se, sed per accidens, quatenus qualitates, quæ imprimuntur ab agente in passum, inter se contrariantur, vel magis, & minus suscipiunt, id est intenduntur, & remittuntur, sic calefactio dicitur frige factio contraria, sive sint activæ, sive passivæ, & una res dicitur calefacere, vel caleferi magis alia.

31 Quando, ut prædicamentum est, non adverbialiter, sed nominaliter sumitur, quatenus significat esse in tempore, si concretive sumatur, in abstracto vero dicitur habitudinem, & respectum rei temporalis ad tempus, cui res illa subicitur, unde definitur ab Auctore sex princip. esse id, quod ex adjacentia temporis in se temporaliter delinquitur; pro cuius intelligentia sciendum est, tempus esse mensuram durationis harum rerum generabilium, & corruptibilium, unde si queratur quantum duravit concio, responderetur una hora, duabus, hoc autem, tempus, quod est mensura rerum transeuntium, est motus primi Cæli, qui quotidie conficitur ab Oriente in Occidens, per durationem enim huius regulatissimi motus durationes harum inferiorum rerum metiri solemus, sicut in horologio per motum illius instrumenti; quod dicitur tempus, quia uniformis est, & regulatus, mensurantur motus aliarum rotarum inferiorum. Ex coexistentia vero rei temporalis ad tempus, qui est motus primi Cæli, duplex confurgit respectus mutuus, unus in tempore ad rem temporalem, ut mensurans ad mensuratum, & dicitur quando activum, alter in re temporalis ad tempus, ut mensurans ad mensuratum, & dicitur quando passivum, quod solum definitur ab Auctore sex princip. cum tamen hoc non constituat prædicamentum quando, sed respectus aliquis utriusque communis, quod etiam fecit de Ubi, Situ, & Habitu. Cur autem id fecerit, dicendum, vel quia respectus passivi sunt nobis manifestiores, ac magis familiares, vel errasse non assignando rationes horum prædicamentorum communes, ut poterant assignari, ut ait Doct. 4. d. 10. q. 1. K. De speciebus huius prædicamenti aliqui dixerunt nullas habere, ut refert Doctor 1. d. 8. q. 3. O. & adhuc esse generalissimum, de cuius ratione solum est, quod nullum habeat supradveniens genus, non autem, quod sub se nullas habeat species. Alii dicunt esse tempus præsens, præteritum, & futurum, vel melius esse in tempore præsentis, in præterito fuisse, & in futuro fore, quæ etiam explicantur per hodie, heri, & cras. At sicut præteritum, & futurum, quæ sunt partes temporis, non differunt specie, sicut nec partes lineæ inter se, ita nec coexistentia ad hoc, vel illud tempus erit specie diversa: Itaque species huius prædicamenti erunt Quando activum, & Quando passivum, ut pariter dicemus de Ubi, Situ, & Habitu. Affectiones vero sunt quod non habeat contrarium, & quamvis mane contrarium vesperi videatur, id non est ratione respectuum, quos importat, sed fundamentorum, scilicet lucis, & tenebræ, quod non suscipiat magis, & minus: & quod sit aptum esse in omni eo, quod incipit esse in tempore; id est quod sit aptum denominare solum res corruptibiles, & temporis subjacentes, & est proprium in quarto modo. An vero ad hoc prædicamentum reduci habeat etiam coexistentia Angeli ad æviterium, ut facit Delphinus, dicitur in questionibus; ubi etiam explicabimus, quomodo sit respectus extrinsecus adveniendi.

Ubi, quod etiam nominaliter sumitur, est circumscriptio corporis a loci circumscriptio procedens; pro cuius definitionis explicatione sciendum, quod ex applicatione superficiei concavæ corporis locantis, quæ dicitur locus 4. Phys. 41. ad corpus locatum, duplex exurgit respectus, unus continentia activæ in ipsa superficiei continente, & dicitur Ubi activum: alter continentia passivæ in corpore contento, & dicitur Ubi passivum, & utrumque dividitur in circumscriptivum, & definitivum: quam divisionem forte insinuavit Gilbertus ipse, dum Ubi dividit in simplex, & compositum: Circumscriptivum est proprium corporum, quia est commensuratio rei locatæ ad locum, & e contra; ita totus locus toti locato correspondet, & partes partibus. Definitivum est proprium rerum immaterialium, quia est sine ulla commensuratione, ita quod res sit tota in toto loco, & tota in qualibet loci parte: Ex quo patet a Gilb. solum Ubi passivum circumscriptivum fuisse definitum, cum tamen Ubi in communi ad activum, & passivum, circumscriptivum, & definitivum sit apex huius prædicamenti, illa vero Ubi species illius, ut Doct. 4. d. 10. q. 1. K. & quol. 11. infra C. Affectiones vero sunt, quod contrarietatem non habeat, quod de vera contrarietate in qualitatibus reperta intelligendum est, quia contrarietatem in alio sensu, qualis est illa, quæ versatur inter terminos motus successivi, habet utique, & talis reperitur inter Ubi sursum, & deorsum, de qua in Physicis. Altera, quod non suscipiat magis, & minus, quia Ubi non intenditur, vel remittitur. Tertia tandem in quarto modo, quam assignavit Arist. 4. Phys. est, quod sit immobile, & explicat Doctor 2. d. 2. q. 6. E. de immobilitate opposita motui locali.

32 Situs, seu Positio est quidam partium situs, & generationis ordinatio, ad cuius definitionem intelligentiam sciendum est, quod ex applicatione partium loci ad locum duplex exurgit respectus mutuus, unus in partibus loci determinatus ad partes locati, & dicitur situs activus, alter in partibus loca-

35 D Uas assignat regulas Arist. in antepædic. c. 3. & 4. eorum, quæ sunt in Prædicamento. Prima est, quicquid prædicatur essentialiter de superiori, ut de subiecto, de inferiori etiam eodem modo prædicari debet, quæ regula de omni prædicatione essentiali debet intelligi, sive sit in quid, sive in quale, ut substantia, vel sensibile prædicatur de animali, ut de proprio subiectibili, ergo & de homine prædicari debent, qui est inferius animali, eodem modo, nimirum essentialiter in quid, vel quale, cum hoc solum discrimine, quod de superiori immediate prædicatur, & proxime, de inferiori mediate, & remote. Quæ regula, ut sit recta, intelligi debet de omnibus prædicatis, quæ competunt superiori, ut convenit cum inferiori, non autem de his, quæ ei competunt præcise sumpto, & quatenus ab inferiori differunt, v. g. homo est animal, in hac propositione quæcumque prædicatur de animali, quatenus convenit cum homine, ut sunt sensibile, corpus, substantia, illa eadem dicuntur de homine; quæ vero dicuntur de animali, prout in præcise significato differunt ab homine, ut sunt esse superius, esse commune pluribus specie differentibus, &c. illa non dicuntur de homine: potest etiam hæc regula aliquo pacto de prædicatis accidentalibus verificari, quia enim v. g. album dicitur de lacte, potest quoque de eodem prædicari coloratum, quod dicitur de albo, licet non eodem modo, quia de albo prædicatur essentialiter, sed de lacte accidentaliter tantum.

Alteræ regula est, quod diversorum generum, & non subalternarum positurum, id est quorum unum alteri non subordinatur in prædicamentorum seriebus, diversæ omnino sunt differentia divisivæ, sive talia genera sub eodem tertio genere contineantur, ut animal, & planta, sive non, ut animal, & color, hæc enim omnia diversæ profus habent differentias divisivas, ut patet discurrere. Si vero de differentiis constitutivis loquamur, licet illa genera, quæ non sub eodem aliquo tertio genere continentur, diversæ adhuc habeant differentias, quia illa differentia constituitur color in esse coloris, animal in esse animalis, illa tamen, quæ sub eodem tertio genere continentur, easdem differentias habere possunt, unde animalis, & plantæ eadem sunt differentia constitutivæ corporeum, & animalium; Sed licet quorundam generum non subalternarum positurum eadem esse possint differentia constitutivæ, non tamen esse possunt eadem species, nam cum habeant diversæ semper differentias divisivas, ut dictum est, consequens est, ut etiam eorum species sint diversæ, quandoquidem ex diversis differentiis dividuntur, & contrahuntur idem genus semper diversæ species constituantur.

Verum diversorum generum subalternarum positurum in eadem serie prædicamentali esse possunt eadem differentia, sic tamen, ut earum una sit unius generis constitutiva, & altera alterius generis divisiva v. g. avis, & animal sunt genera subalternarum posita, & aliquas habent differentias easdem, licet non omnes, nam gressibile, volatile, aquatile, reptile, bipes; omnes sunt differentia animalis divisivæ, & una istarum est avis constitutiva, nempe volatile; sic etiam sensibile est differentia divisiva corporis animati, & constitutiva animalis.

36 V ARIA Terminorum divisiones jam assignatæ sunt, qui omnes si adinvicem conferantur, vel sunt pertinentes, vel impertinentes; pertinentes dicuntur illi, qui se inferunt, seu quorum unus deduci potest ex alio affirmative, vel negative, ita quod expositione unius ponatur alter ob connexionem, quam habent adinvicem, vel removeatur ob repugnantiam; primo modo termini minus universales dicuntur pertinentes respectu magis universalium, quia ab inferiori ad superius contentia tenet affirmative, est homo, ergo animal, sed non e contra; altero modo pertinentes termini sunt, qui repugnant adinvicem, & de eadem eodem tempore nequeunt affirmari, quia ex positione unius necessario negatur alter; Termini vero repugnantes sunt duplices, alii disparati, alii oppositi; disparati sunt, qui non habent inter se maiorem repugnantiam, quam cum alio tertio, ut homo, & asinus, non enim homo magis repugnat cum asino, quam cum equo; oppositi vero dicuntur, qui magis pugnant inter se, quam cum tertio, ut album, & nigrum magis inter se pugnant, quam cum tertio, v. g. dulci, & isti sunt quadruplices juxta quadruplicem oppositionem ab Arist. assignatam in postpædic. cap. de oppositis; relativam, contrariam, privativam, & contradictoriam;

storiā; Opposita relative dicuntur, quæ per relationes oppositas adinvicem referuntur, ut Pater, & filius, contrarie quando sunt formæ positivæ se invicem expellentes ab eodem subjecto, ut album, & nigrum, calidum, & frigidum, privative, quando unum significat formam, aliud carentiam illius formæ in subjecto apto ad illam habendam, ut cæcus, & videns contradictorie, quæ opponuntur secundum affirmationem, & negationem, ita quod affirmat unus terminus, negat alter, ut homo, non homo.

Omnes hi termini repugnantes disparate, vel opposite dicuntur pertinentes secundo modo, quia ex positione unius valet semper alterum removere, ut in relative oppositis, hic est Filius Petri, ergo non ejus pater; in oppositis contrarie hoc est album, ergo non nigrum; in privative oppositis, hic est videns, ergo non cæcus: in oppositis contradictorie, Petrus est homo, ergo falsum est, quod non sit homo; in disparate tandem repugnantis, ut homo est animal, ergo non est lapis. Termini vero impertinentes dicuntur, qui nec se includunt, nec se excludunt, nec repugnant, nec se mutuo inferunt, ut dives, & sapiens, nigrum, & ignorans, doctus, & justus, hi termini nullam inter se habent connexionem, aut repugnantiam, non enim valet deducere affirmative, hic est dives, ergo sapiens; neque negative, hic est doctus, ergo non est justus.

CAPUT X.

De varia terminorum suppositione.

37 **C**ognita essentia, & multiplicitate Terminorum, restat agere de eorum proprietatibus, quarum præcipua est suppositio, quia ergo termini plura significare possunt, ut hic terminus, homo, immediate significat naturam humanam: mediate Petrum, & Paulum, & etiam seipsum significare potest, quia omnis vox se ipsam repræsentat, ideo varia eorum significatio solet in propositione determinari mediante prædicato, aut copula, & tunc dicuntur pro hoc, vel illo significato supponere, unde si dicamus, homo currit, terminus, homo, supponit pro aliquo individuo naturæ humanæ, cui hoc prædicatum competit, non pro natura humana immediate, si dicamus, homo est diſtio bisſyllaba, tunc supponit pro seipſo. Ex quo patet non esse idem significare, & supponere significationem, & suppositionem, ut bene notavit Petrus Hispan. tract. 7. de supposito. nam significare est facere venire in cognitionem, quomodo fumus significat ignem, sed supponere, seu supponi est loco alterius sufficere, & substitui, ut calculi supponuntur loco pecuniæ; significatio fit per impositionem vocis ad significandum rem, suppositio est acceptio termini jam significantis rem pro aliquo, unde significatio prior est suppositione, & significare latius patet, quam supponere, nam omne id, pro aliqua vox supponit, etiam significat, non e contra, ut si dicamus, homo currit, terminus homo indifferenter secundum se significat, tam naturam humanam, quam ejus individua, sed in hac propositione supponit tantum pro significato mediato, nempe pro individuo aliquo naturæ humanæ, & terminus connotativus, ut album, significat formale, scilicet, albedinem, & supponit pro materiali, scilicet, pro habente albedinem, ut sæpe docet Tatar. non ergo sunt idem significatio, & suppositio. Ex quo rursus sequitur aliud discrimen inter significationem, & suppositionem, quod significatio potest termino convenire extra propositionem, sed suppositio illi non convenit, nisi in propositione, quia ex varietate prædicati, quod ei adiungitur, dicitur vario modo supponere, & ejus indeterminata significatio vario modo determinari modo jam explicato, & suppositionem proprie non convenire termino, nisi in propositione tenent Summulistæ melioris notæ, antiqui, & Recentiores, Villalpand. lib. 1. summ. 3. p. c. 1. Bannes lib. 2. summ. tract. unic. c. 1. Joann. de S. Tho. lib. 2. summ. c. 10. quod sumperunt ex Tatar. tract. 7. com. 2. §. Primo sciendum, & tract. 13. circa finem, & colligitur ex Scoto 1. d. 21. qu. unic. in calce, & ideo suppositio definitur a Tatar. cit. quod sit acceptio termini in propositione pro aliquo ejus significato. An autem suppositio fit solus termini substantivi, vel etiam competat adjectivo adjectivo tento, negant Petrus Hispan. & Tatar. cit. & alii Summulistæ communiter. Sed dicendum, quod si supponere capiatur in rigore, ut isti faciunt, pro eo nimirum, quod est non solum accipi pro aliquo, sed etiam reddere suppositum verbo, utique adjectiva non supponunt, sed copulant suum significatum formale alteri supposito, sed si minus rigore sumatur, pro eo, scilicet, quod est accipi pro aliquo; ita supponere possunt, unde Tatar. ipse docet loc. c. quod in propositionibus de prædicato concreto etiam adjectivo concretum supponit pro significato materiali, ut in ista, Petrus est albus, ly albus, supponit pro re habente albedinem, & importatur in reſto, ita ut sensus sit, Petrus est habens albedinem, ita etiam tenent Joan. de S. Thom. loc. cit. & Casil. lib. 1. tr. 2. c. 1. sect. 2.

38 Quia igitur in voce significativa duo sunt, unum,

quod habet rationem materiæ, literæ nimirum, syllabæ, & earum combinatio, ac sonus, alterum, quod habet rationem formæ, ipsa nimirum vocis significatio, hinc suppositio prima sui divisione dividitur in materialem, & formalem; materialis est usus, & acceptio termini pro seipſo, idest pro ipsa materiâ vocis, ut Petrus est vox bisſyllaba: formalis est acceptio termini pro suo significato, ut Petrus est homo, & ab una suppositione ad aliam arguere non licet, unde, non valet, homo est vox bisſyllaba, Franciscus est homo, ergo est vox bisſyllaba. Suppositio formalis subdividitur in propriam, & est acceptio termini pro re, quam proprie significat, & impropriam, & est acceptio termini pro re, quam improprie, ac metaphoricè solum significat, ut cum hominem fortem appellamus Leonem, & crudelem, Nerone. Propria subdividitur in communem, & est acceptio termini communis pro suo significato, vel significatis, ut omnis homo est animal: & singularem, seu discretam, & est acceptio termini pro una re singulari tantum, hoc modo supponit omnis terminus singularis, ut Petrus, Paulus, & terminus communis signo demonstrativo determinatus, ut hic homo. Communis suppositio dividitur in simplicem, & personalem, & absolutam. Simplex est acceptio termini communis pro suo immediato, & primario significato præcise sumpto, ut abstrahit ab omnibus inferioribus, & ideo dicitur simplex, & præcisa suppositio, nam terminus quilibet communis duo habet significata, unum primum, seu immediatum, alterum mediatum, secundarium, ut homo v. g. primario, & immediate significat naturam humanam in communi, ac secundario Petrum, & Paulum; unde regula generalis dignoscendi hanc suppositionem est, quando terminus communis conjungitur cum tali prædicato, quod ponit differentiam inter superius, & inferius, ut cum dicimus, quod homo est species, vel natura communicabilis pluribus, quæ prædicata individuis convenire non possunt, hinc est axioma apud Summulistas, quod sub termino communi simpliciter supponente non licet descendere. Personalis est acceptio termini communis pro significatis mediatis, ut omnis homo currit, quia currere competit immediate individuis, non homini in communi, & dicitur personalis, ut notat Orbellus tract. de supposito. quia inter singularia, pro quibus supponit terminus, nobiliora sunt individua intellectualis naturæ, quæ dicuntur personæ; regula generalis ad hanc suppositionem dignoscendam est, quando terminus communis notatur aliquo signo omnis, aliquis, &c. vel jungitur prædicato, quod ei immediate convenire non potest, ut sunt accidentia communia. Absoluta suppositio est acceptio termini communis pro significato mediato, & immediato, & generalis regula ad hanc dignoscendam est, cum terminus communis jungitur prædicato, quod utrique significato competere potest, ut homo est animal, est risibilis, nam hæc prædicata non solum humanæ naturæ in se spectata, sed, & Petro, & cæteris individuis conveniunt, & ideo dicitur absoluta, quia cum aliæ acceptiones limitentur ad significandum, vel ipsam vocis primum significatum, vel secundarium, hæc ad utrumque est indifferens, hinc est axioma, quod sub termino absolute supponente descendere licet, quid autem sit ascensus, & descensus, & quocumque, dicemus infra tract. 3. cap. 4.

39 Rursus suppositio personalis subdividitur in distributivam, collectivam, determinatam, & confusam. Distributiva est, cum terminus communis accipitur pro omnibus suis inferioribus, & singulis cum copulatione sumptis; ita quod prædicatum de omnibus illis in propositione copulativa verificetur, ut in hac propositione, omnis homo est animal, ly homo distributive supponitur pro hoc, & illo homine, ita ut de singulis verum sit dicere, hic homo est animal, & hic homo est animal, & sic de singulis. Collectiva est, cum terminus communis accipitur pro omnibus simul, & collective sumptis, ut in hac propositione, Omnes Apostoli Dei sunt duodecim, ly Apostoli non supponit pro singulis Apostolis seorsim sumptis, idest pro hoc, & illo; non enim valet inferre, ergo Petrus, & Paulus sunt duodecim, sed pro omnibus collective, unde de tota solum collectione inferiorum verificari potest, & ideo ait Scot. 2. d. 2. q. 9. l. signum universale in hac suppositione debere accipi in plurali. Determinata est, quando terminus accipitur pro aliquo, vel aliquibus inferioribus suis determinate; & seorsim sumptis, sed disjunctive, ut aliquis homo est albus, non enim inferre licet in propositione copulativa, ergo hic homo est albus, & ille homo est albus, sed solum in propositione disjunctiva, ergo hic homo, vel ille homo est albus, & ideo dicitur determinata, quia determinatur ad unum, licet sub disjunctio. Falsum tamen est, quod hic ajunt aliqui, signa particularia, ut sunt aliquis, quidam &c. facere semper suppositionem determinatam, quia hujusmodi signa deserviunt quoque, ut mox patebit, suppositioni confusæ, ut cum dicitur, aliquis calamus est necessarius ad scribendum. Confusa est, cum terminus accipitur pro aliquo inferiori, vel aliquibus sub disjunctio, ita tamen, ut non determinate supponat pro aliquo, in quo distinguitur a suppositione determinata, ut recte Orbellus cit. advertit, quæ talis est, ut etiam disjunctive significet inferiora, attamen a parte

parte rei datur aliquod singulare, cui determinate conveniat prædicatum enunciatum, est non explicetur, ut si dicatur: aliquis homo currit, nam aliquis homo determinate currit, etiam sub disjunctio significetur: unde saltem Deus ostendere potest quoniam ille sit; at confusa ita sub disjunctio. supponit, ut nullum sit inferius de quo affirmari possit determinate, ut si dicatur: aliquis calamus est ad scribendum necessarius, quia de nullo calamo determinate dici potest, quod sit necessarius ad scribendum, bene tamen de aliquo nomine, quod currat, vel quod sit albus.

Hinc patet latum discrimen inter suppositionem determinatam, & confusam, quas tamen aliqui discernere nesciunt, nam suppositio confusa est acceptio termini communis pro aliquo ex inferioribus, sed adeo incerto, ac indeterminato modo, ut nec Deus ipse discernere queat ullum determinatum inferius, pro quo supponat; nec nimirum, quia tale non est dabile, unde si dicas: aliquis equus est necessarius ad equitandum, quantumvis Deus equos omnes, & singulos perfecte comprehendit, nunquam tamen quemdam determinatum equum designare poterit, de quo determinate dicere queat, hic equus est necessarius ad equitandum, quia in re non est unus magis necessarius, quam alter. At suppositio determinata talis est natura, quod licet ex vi ipsius non magis competat prædicatum, quod dicitur, uni ex inferioribus, quam alteri, nam si dicatur, aliquis equus currit, ex vi istius propositionis præcise non datur intelligi, quod ullus unus determinatus equus magis, quam alius quicumque currat, in quo convenit cum suppositione confusa; attamen qui omnes equos videret posse absolute, & absque ulla disjunctio designare equum, respectu cujus propositio verificatur, & dicere, hic equus currit, quia supposita veritate illius propositionis, datur, revera a parte rei equus ille, de quo verificatur cursum, & in hoc supposito determinata differat a confusa, immo ob id dicitur determinata, quia hac de causa habet magis determinatam significationem, quam confusa, & ratio hujus est, quia prædicatum, quod dicitur in suppositione determinata dicit determinatam actionem exercitam, quæ petit a determinato principio procedere, ut cum dicimus, aliquis equus currit, sane hic cursum est actio procedens a determinato principio; at cum in suppositione confusa dicimus, aliquis equus est necessarius ad equitandum, hoc prædicatum non dicit determinatam, quæ de unoquoque equo verificari potest, supposito, quod cæteri absint. Hinc sequitur, data hypothese, quod duo tantum in rerum natura dentur equi, si de uno dicatur, hic equus non est necessarius ad equitandum, non obinde licet inferre, ergo alter necessarius requiritur ad equitandum, quia sine hoc potest fieri equitatio in illo, & e contra, unde inassignabilis est, quis illorum requiritur, ex vi suppositionis confusæ; at si de illis duobus equis cum veritate dicatur, aliquis equus currit, eo ipſo quod unus illorum non currat; per necessariam consequentiam licet inferre alterum currere, quia in suppositione determinata assignabile est individuum, de quo verificetur prædicatum. Demum suppositio distributiva subdividitur in distributivam pro singulari generum, quæ dicitur completa, & pro generibus singularum, quæ dicitur incompleta; prima est acceptio termini communis pro singulis individuis omnium specierum copulative sumptis, ut omne animal moritur, hoc est Petrus moritur & Bucephalus moritur; secunda est acceptio termini pro omnibus speciebus individuatorum, unde hic nomine generum intelliguntur species, & nomine singularium individua, ut omne animal fuit in arca Noe, idest ex omnibus speciebus, hoc vel illud individuum, hæc distributio solet appellari accomoda, quatenus non absolute, & simpliciter pro omnibus, & singulis distribuit. Præfatas suppositiones alio modo assignat, & explicat Arriaga sect. 6. quia in Nominalismo prolapsus negat universalia præferre rationem communem abstractam ex parte objecti ab individuis, quæ immediate significetur, nos a communi non recedimus.

CAPUT XI.

De reliquis Terminorum proprietatibus.

40 **Q**uædam aliæ Terminorum affectiones minoris momenti solent enumerari, de quibus hoc uno capite breviter agemus, reliquis Summulistarum ambagibus, & sunt potius variationes quædam significationis, & suppositionis per quasdam additiones, aut conditiones, quam distinctæ proprietates ab illis.

Prima dicitur Status, & est acceptio termini pro suo significato secundum illam tantum temporis differentiam, quam copula verbalis importat, ut sedens disputat, ly sedens dicitur habere statum, quia sumitur tempore determinato, quod importat verbum principale, nimirum pro tempore præsentis per verbum dispar. importato; unde est regula generalis, quod quando prædicatum aliquod nequit convenire subjecto, nisi præsupposita existentia ipsius, tunc tale subjectum dicitur habere statum, v. g. homo est albus; quia albedo nequit convenire nisi homini existenti, ideo hæc propositio dicitur habere statum; quando vero

prædicatum non determinat existentiam subjecti, tunc non dicitur habere statum, & ita est in propositionibus necessariis, ut v. g. homo est animal, quia animal convenit homini, etiam non præsupposita existentia ipsius, ideo nomen homo non habet statum, sed potius ampliatur, homo enim qui est, fuit, vel erit, est animal; verbum enim est non dicit existentiam extremorum, sed necessariam ipsorum connexionem.

Secunda dicitur Ampliatio, quæ statui opponitur, & est acceptio termini ad significandam rem secundum plures differentias temporis, quam indicet verbum principale propositionis, ut Sancti Deum videbunt, ly Sancti extenditur ad Sanctos, qui fuerunt, sunt, & erunt; cum tamen per verbum principale videbunt significetur solum tempus futurum, & in propositione necessaria, ut dictum est, subjectum ampliatur ad omnem temporis differentiam, ex quo patet, quam inconſulto loquatur Fuentes pp. sum. diff. 3. art. 2. dum ait, ampliatiorem semper prædicato convenire, numquam subjecto, nam in propositionibus passim certitur oppositum, & licet in necessariis ampliatio conveniat etiam prædicato, præcipue tamen convenit subjecto, unde per ampliatiorem subjecti, & prædicati sic explicari solent: Homo est animal, idest homo actualis, qui est tempore præsentis, est animal actuale existens tempore præsentis, & homo actualis, qui fuit, erit, aut potest esse. Ex quo etiam patet, terminum communem non solum ampliari ad plura tempora, sed etiam ad plura subjecta, idest, ad hominem præsentem, futurum, &c.

41 Tertia est Distractio, & est acceptio termini ad rem significandam pro alia temporis differentia, quam indicet, verbum principale, ut homo est mortuus, ly homo ampliatur ad tempus præteritum, idest, ille, qui fuit homo, & in Evang. cæci vident, claudi ambulantes, idest, qui erant cæci, & claudi; potest etiam fieri ampliatio ad tempus futurum, ut in ista: Antichristus est reprobus, subjectum ampliatur ad tempus futurum, & sensus est, homo ille, qui erit Antichristus; Multi reducant distractiorem ad ampliatiorem, eo quia per ipsam ampliatur terminus; sed quia non solum ampliatur ad aliam temporis differentiam, quam indicet verbum principale, verum etiam ab illo distrahit, ideo ad Ampliationem attinere non potest, quæ licet ampliatur significatum termini, non tamen distrahit, ex quo patet has tres proprietates convenire terminis, quatenus referuntur ad mensuram temporis, illisque proveniunt ex conjunctione cum verbo: Potest autem ad Distractiorem reduci Alienatio, cum scilicet vox addita alienat alterius significatum, ut homo mortuus, leo marmoreus, nam hæc particula dicuntur alienantes, & distrahentes; unde Alienatio a nonnullis etiam Distractio nuncupatur, & in ea talis observatur regula, quod non valet consequentia a termino alienato ad non alienatum, unde non valet: est homo mortuus, ergo est homo, sed est fallacia a secundum quid ad simpliciter.

Quarta est Restrictio, & est acceptio termini ob aliquid additum coarctata ad minorem significationem, quam ex natura rei illi competat, ut discipulus diligens evadit doctus, ubi discipulus per particulam additam restringitur ad significandos discipulos diligentes, cum aliqui absolute sumptis etiam negligentes comprehendat, unde est regula, quod valet consequentia a termino restricto ad amplum, ut Petrus est homo justus, ergo est homo. Restrictio affinis est Diminutio, cum nimirum ex additione alicujus particule significatio termini minuitur, ut doctus in Grammatica, vel ita limitatur, ut non sumatur absolute, sed tantum secundum quid, ut Æthiops albus secundum dentes, ubi particula secundum dentes minuit, & limitat significatum albi, quia albus secundum dentes non est absolute albus, sed tantum secundum quid. Porro est diminutio sit Restrictio affinis; tamen in eis contraria observatur regula, quod non valet consequentia a termino diminuto ad non diminutum, uti valebit a restricto ad non restrictum, non enim valet, est albus secundum dentes, ergo est albus, sed est fallacia a secundum quid ad simpliciter, de quibus p. seq. tract. 3. c. 3.

42 Quinta demum est Appellatio, cum vox una aliam afficit, ac denominat secundum suum formale significatum; terminus denominans dicitur appellans, denominatus vero dicitur appellatus, unde iste est terminus substantivus, vel per modum substantivi se habens, ille adjectivus, vel habens modum adjectivi; ex quo fit, terminus appellans semper accipi secundum significatum formale, & appellatum posse accipi interdum secundum materiale, & interdum secundum formale, materialiter tamen se habens, & per modum denominati, unde duplex potest assignari appellatio, una materialis, altera formalis. Ut autem dignoscatur quando materiale, & quando formale significatum appellatur in propositione, adducamus exemplum propositionis constantis ex prædicato composito, in qua difficilior est cogniri appellatio, v. g. Plato est divinus Philosophus, in hac propositione terminus appellans, scilicet, divinus non appellat materiale significatum, scilicet, Platonem, sed formale; scilicet, Philosophum, & hoc contingit quod nomen adjectivum conjungitur cum alio ex parte prædicati, ut in proposito; cum vero terminus

minus appellans est solus ex parte prædicati, tunc appellat materiale, ut si diceretur Plato Philosophus est divinus, nam sic dicendo, divinitas applicatur Platoni, non ejus doctrinæ; hæc est communis doctrina Summuli ad hæc tamen verum est, etiam si propositio fiat hoc secundo modo, terminum appellentem, scilicet, *divinus*, appellare posse supra Philosophum, si ex modo proferendi propositionem ly *Philosophus* sejungatur a subjecto, & conjungatur prædicato, unde nulla certior regula tradi potest dignoscendi, & discernendi appellationem formalem a materiali, quam diligens animadversio propositionis constantis ex subjecto, vel prædicato compositio.

Advertendum tamen hic, quod est appellatio in materialem, & formalem secerni consueverit modo jam explicato, sola tamen appellatio formalis proprie meretur nomen appellationis, non autem materialis, nam applicatio formalis significati alicujus termini ad materiale tantum est simplex formalis prædicatio, ut si dicamus, Petrus est bonus, vel Petrus est logicus; Appellatio igitur proprie dicta est, quando terminus appellans non absolute convenit subjecto, sed ratione alicujus significati formalis, quod appellat, sic quod media illa formalitate subjecto competeat, ut si dicamus, Petrus est magnus logicus, ly *magnus* non absolute convenit Petro, sed ratione logicæ; hæc proprie est appellativa prædicatio, unde Appellatio definitur solet, quod sit applicatio significati formalis unius termini ad significatum formale alterius, cujus variatio magnos solet defectus parere in paralogismis, ut si dicatur, hic puer est magnus logicus, ergo est magnus, & logicus, variatur appellatio, quia ly *magnus* appellat in antecedente logicum, in consequente puerum.

CAPUT XII.

De Terminis exponibilibus.

43 Interdum propositiones constant quibusdam terminis, qui ad rectam illarum intelligentiam exponi indigent, unde & propositiones ex ipsis constantes, ac etiam ipsæ termini exponibiles dicuntur. Hi vero sunt multiplices, sed præcipui, & frequentiores sunt exclusivi, exceptivi, & reduplicativi, relativos autem, comparativos, superlativos, & alios hujusmodi omittimus, ut minus necessarios, & potius ad Grammaticam pertinentes; de Incipit, & Desinit egimus in Physicis disp. 14.

Termini itaque exclusivi sunt *tantum*, *dumtaxat*, *solum*, &c. qui possunt in propositione determinare subjectum, vel prædicatum, cum determinant subjectum, faciunt propositionem de subjecto exclusivam, vel melius exclusivam, ut Aldus tantum est grammaticus: cum determinant prædicatum, faciunt propositionem de prædicato exclusivam, ut Aldus est tantum grammaticus: Cum igitur terminus exclusivus ponitur a parte prædicati, si est exclusivus respectu numeri, ut universalis sunt tantum quinque, solet propositio exponi per remotionem termini exclusivi cum hac additione, & non plura, & sensus est, universalis sunt quinque, & non plura: si vero est exclusivus rei, ut Aldus est tantum grammaticus, exponi solet per remotionem termini exclusivi cum hac additione & non aliud, ut sensus sit, Aldus est grammaticus, non aliud, aut nihil aliud, ita Scotus lib. 4. de exponibilibus, Cassius lib. 2. Appendic. de exponibilib. cap. 1. Roccus lib. 2. cap. 4. & alii. Sed quamvis præfatis modo bene exponatur terminus exclusivus respectu numeri, cum determinat prædicatum, non tamen bene exponitur, cum est exclusivus rei, nam si hæc, Aldus est tantum grammaticus, ita exponatur, Aldus est grammaticus, & nihil aliud, sensus hic est falsus, quia est homo, est animal, est quantus, albus, &c. & terminus exclusivus in ea excludit ab Aldo aliam quamcumque facultatem a logica, non aliam quamcumque rem, & qualitatem; Et ideo præfatis dicere cum Tatar. tract. 12. com. 1. §. tertio sciendum, quod terminus exclusivus rei a parte prædicati potest exponi ratione alietatis, vel alteritatis, primo modo sensus illius propositionis est, Aldus est grammaticus, & non est aliud a grammatico, id est aliquid non grammaticum: secundo modo sensus est, Aldus est qualificatus grammatica, & non alia facultate, nam exclusio ratione alteritatis excludit qualitatem ejusdem rationis, seu ejusdem generis propinquam. Cum vero terminus exclusivus determinat subjectum, ut tantum Petrus currit, significat, quod aliis subjectis non convenit illud prædicatum, & sensus est, Petrus currit, & nullus alius currit, ex Tatar. citato quod ly *tantum* ex vi terminis excludit ea subjecta, quæ sunt ejusdem speciei, aut generis propinqui, unde sensus est, Petrus currit, & nullus alius homo currit, & istius, *tantum homo currit*, sensus est, quod homo currit, & nullum aliud animal currit, interdum tamen excludere potest alia quæcumque subjecta in universum, ut si dicatur tantum, homo est risibilis, excluduntur omnia prorsus, etiam ea, quæ risibilitatem participare non possunt.

44 Termini exceptivi sunt *preter*, *preterquam*, *nisi* &c. & dicuntur exceptivi, quia excipiunt illum terminum, cui adduntur, a principali prædicato, ut omnis homo præter

Petrum currit, omne animal præter hominem est irrationale, nullum animal præter hominem est risibile, hinc notat Tatar. cit. com. 2. §. 1. sciendum, duo præfatis requirit, ut terminus exceptivus faciat propositionem exceptivam, unum est quod terminus, a quo fit exceptio, supponat universaliter, seu distributive, ita quod sit terminus sumptus cum signo universalis, vel quod sit terminus distributus; unde ista non est exceptiva, aliquis homo præter Socratem currit, quia excipere, est a toto genere partem detrahere, ab eo autem, quod est particulare determinatum, nihil potest detrahi: unde est quandoque dicatur, aliquis miles præter Achillem strenuus fuit, ly *preter* idem sonat quod *ultra*, & sensus est, quod non solus Achilles fuit strenuus miles. Alterum est, quod terminus communis, a quo fit exceptio, sub se contineat terminum exceptum, quare hæc non est exceptiva. Omnis homo præter hunc equum currit, quia equus terminus exceptus non continetur sub homine.

Termini reduplicativi sunt *inquantum*, *quatenus*, *prout*, &c. & duplicem possunt in propositione facere sensum, ut notat Doct. quol. 3. H. & 3. d. 11. q. 2. reduplicativum, & specificativum; primum est, cum particula reduplicativa denotat rationem, quam afficit, esse causam, vel saltem conditionem, cur prædicatum conveniat subjecto, ut homo inquantum rationalis est risibilis, ignis in quantum applicatus comburit; quando reduplicat causam, ut in prima, exponitur propositio per causalem, & sensus est, quia homo est rationalis, est risibilis; quando reduplicat tantum conditionem, aut concomitantiam, ut in secunda, exponenda est per conditionalem, & sensus est, si ignis comburit, est applicatus; & dat Scotus regulam ex 1. Priorum e. 35. deductam, quod particula reduplicativa reduplicative tenet infert universalem, ut si homo secundum quod rationale, intelligit, sequitur quod omne rationale intelligit, id tamen intelligas de prædicatis convenientibus subjecto supponenti absolute, non simpliciter, appellatur etiam sensus reduplicativus, cum particula reduplicativa notat prædicatum esse de conceptu essentiali, seu quidditativo subjecti, ut cum dicimus: *Homo inquantum homo est rationalis*, & sensus est, quod rationale fit de conceptu essentiali hominis, unde exponitur per hoc, quod homo nequeat quidditative concipi sine rationalitate, & particula sic reduplicative tenet adhuc infert universalem, ut patet descendendo sub allata propositione. Porro sensus specificativus est, cum denotatur, quod ratione illius rei, quæ afficitur tali particula, non repugnet aliquod prædicatum subjecto, ut musicus, quantum musicus potest esse logicus, sensus est, quod dum habet musicam, potest habere logicam, & consequenter, quod logica non repugnat musicæ in eodem subjecto; unde in hoc sensu non indicat rationem inhærensionis prædicati cum subjecto, nec prædicatum esse de essentia subjecti, sed tantum peculiarem modum considerandi subjectum, sub quo non repugnat ei prædicatum, & ideo ab his particulis specificative tenent universalem affirmativam inferre non licet, alioquin ex hac, musicus in quantum musicus est logicus, valeret inferre, ergo omnis musicus est logicus.

CAPUT XIII.

Explicantur quidam Termini in Scholis frequentissimi.

45 Primo satis frequentes sunt apud Philosophos Termini *materialiter*, & *formaliter*, & primum adhibemus, cum significare volumus prædicatum aliquod convenire subjecto non ratione formæ per subjectum importatæ, sed ratione materiæ, in qua talis forma reperitur, v. g. hæc propositio, *album est dulce*, non est vera formaliter, sed materialiter tantum, quatenus materia, in qua est forma albedinis, scilicet, lac, est dulce; tunc vero propositio est vera formaliter, quando prædicatum convenit subjecto ratione formæ per ipsummet subjectum importatæ, v. g. hæc propositio, *album est disgregativum visus*, est formaliter, quatenus albo convenit disgregare visum ratione albedinis importatæ, in quo sensu non est vera propositio, *album est dulce*, quia faceret hunc sensum, albedo est ratio, ob quam lac est dulce: in idem recidunt *pro per se significatio*, & *pro connotato*, per connotatum namque materiale significatum insinuat, & per se significatum indicat formale.

Secundo *per se*, & *per accidens*, per primum significamus prædicatum convenire subjecto ex intrinseca ejus natura, ac indigentia, non autem ab extrinseco, & accidentali aliquo eventu, ut sonat ly *per accidens*, unde hæc propositio est per se vera, *homo est visibilis*, quia risibilitas convenit homini ex principiis intrinsecis naturæ, ista vero per accidens, *homo est claudus*, & *sturdus*, quia hæc mere per accidens, & casualiter illi obtigerunt, huc recidit *essentialiter*, & *accidentaliter*.

Tertio *absolute*, seu *simpliciter*, & *respective*, seu *comparative*, illud dicitur tale simpliciter, & absolute; quod nulla facta comparatione cum alio habet tale prædicatum, v. g. Petrus, si habeat sufficientem scientiam, dicitur absolute doctus; illud vero dicitur tale respective, cum non

convenit tale prædicatum, nisi comparatur cum alio, v. g. homo parvus nequit dici absolute magnus, tamen Nano collatus dicitur magnus, magnus nimirum respective, & secundum quid, non simpliciter, & absolute; unde *secundum quid*, coincidit fere cum *relative*, & contradistinguitur a *simpliciter*.

Quarto, *ut quo*, & *ut quod*, illud significat formam, vel quid simile formæ, istud vero, quod habet formam, & ab illa accipit denominationem, v. g. paries est id, quod est albus, albedo est id, quod est albus. Interdum etiam, ut Quod, significat causam principalem; ut quo, instrumentalem, ita Petrus scribit, ut quod, calamus, ut quo.

Quinto *formaliter*, & *virtualiter*, tunc aliquid dicitur formaliter tale, quando vere habet in se illam formam, a qua denominatur talis; sic ignis dicitur formaliter calidus, quia vere habet in se calorem, a quo denominatur calidus; tunc vero dicitur aliquid virtualiter tale, quando vere non habet in se illam formam, a qua denominatur, potest tamen illam producere, hoc modo Sol dicitur calidus virtualiter, quia licet vere in se non habeat calorem, potest tamen illum producere.

Sexto, *actu*, & *potentia*, res dicitur esse actu, cum actu existit: dicitur in potentia, cum non est de facto in rerum natura, potest tamen existere; Rursus ex his, quæ sunt in actu, alia dicuntur esse talia in actu primo, alia in actu secundo, per actum primo intelligitur principium, & virtus operandi, per secundum intelligitur ipsa operatio, quæ provenit a tali principio, & virtute, v. g. homo est scribens in actu primo, quando habet potentiam scribendi, sed non scribit, nec exercet actum scribendi, est vero scribens in actu secundo, cum in actuali scriptione se exercet.

Septimo, *positive*, & *negative*, & primum dicitur, cum aliquid est tale per formam positivam, ita virtute imbutus dicitur positive bonus; secundum dicitur, cum in subjecto saltem non reperitur forma opposita; sic non imbutus virtute, & carens quoque vicio dicitur negative bonus.

Octavo, *in actu signato*, & *in actu exercito*, primum est, cum denotatur significatio termini; secundum, cum accipitur pro exercitio significationis ejusdem, v. g. dum dicitur, *Definitio consistere debet ex genere, & differentia*, tunc sumitur definitio in actu signato, dum autem actu definitimus, Homo est animal rationale, tunc definitio sumitur in actu exercito.

Nono, *In sensu composito*, & *in sensu diviso*, primo modo significatur aliquid convenire subjecto cum aliquo adjuncto, ut paries albus disgregat, & hoc enim prædicatum de pariete verificatur, componendo cum eo albedinem; secundo modo significatur prædicatum convenire subjecto sejungto aliquo alio, ut *sedens potest currere*, est vera in sensu diviso, hoc est, sejungta sessione; nam in sensu composito falsa est, quia dum sedet, non potest currere; qui termini tract. seq. c. 5. iterum examinantur, & p. 2. tract. 3. c. 2.

Decimo, *Objective*, & *Subjective*, ea sunt objective in alio, quæ obiectivum alicui, dum ab illo cognoscuntur, vel appetuntur; sic quod cognoscitur ab intellectu, & quod amatur a voluntate dicuntur esse objective in intellectu, & voluntate; ea vero sunt subjective in aliquo, quæ sunt in illo, ut in subjecto, a quo sustentantur, sic cognitio est in intellectu, albedo est in pariete, & omne accidens est in substantia: Quæ vero dicantur distincta realiter, quæ formaliter, & quæ ratione Disp. 1. q. 5. art. 2. ex professo differimus, ac etiam tract. 3. hujus 1. p. Inst. c. ul.

TRACTATUS II.

De propositione, & ejus affectionibus.

CAPUT I.

De Nomine, & Verbo.

46 Arist. lib. 1. Per. antequam de propositione agat, sola a Dialectico censentur ejus partes; licet enim omnes termini aliquo modo significativi, de quibus hucusque egimus, enunciationem componere possint, tamen solum nomen, & verbum ad talem compositionem per se concurrunt, quia de necessitate requiruntur ad eam, eo quod sine illis nec simplex enunciatio, flare potest, reliqui vero termini solum quasi per accidens propositionem intrant, quia sine illis flare potest simplex enunciatio, & hac de causa ait D. Tho. 1. Perhier. lect. 1. sola ista duo ibi considerari a Philosopho, ut partes orationis, seu propositionis alii prætermissis, ita etiam Petr. Hispan. tract. 1. Nomen itaque ibi ab Arist. definitur c. 1. quod sit *vox significativa ad placitum, sine tempore, cujus nulla pars separata, significat, finita, & recta*; dicitur *vox significativa ad placitum*, ut excludantur voces non significantivæ, & significantivæ naturaliter: dicitur, *sine tempore*, ut excluda-

tur verbum, cujus proprium est significare cum tempore, id est exercitium alicujus actionis, vel passionis in tempore denotare: unde licet nomina possint significare tempus, *annus, dies, tempus*, & aliquam temporis differentiam, ut *preteritio*, & *futuratio*, vel eam connotare, ut *cæna*, *prandium*, *completorium*, numquam tamen significant possum cum tempore, id est importare exercitium actionis, vel passionis, quæ fit in tempore, dicitur, *cujus nulla pars*, &c. ut excludatur oratio, cujus partes separatæ eandem retinent significationem, quam habebant conjunctæ; non sic nomen, nam est ejus partes separatæ possent aliquid significare, ut quatenus istius nominis *Domini do*, & *minus*, non tamen illud idem significant, quod antea conjunctæ, significant, ut faciunt partes orationis, unde solutio partium orationis, nec tollit, nec mutat significationem illarum; at solutio partium nominis etiam compositi, aut tollit, aut saltem mutat, ut est videre in illa voce *Respublica*, licet enim singulæ ejus partes, *Res*, & *publica*, eandem retineant significanti vim in integraditione, & extra illam, ut diximus tract. præc. c. 3. n. 7. tamen combinatæ in unam dictionem significant totam hominum communitatem, quam non significant singillatim sumptæ; dicitur *finita*, ut excludantur nomina infinita, ut non homo, non leo, quæ non sunt simpliciter, & absolute nomina, sed cum addito infinita, eo quod nihil determinatum, & certum significant, & potius quid non sit res, quam quid sit, explicat, cum tam dicantur de his, quæ sunt, quam quæ non sunt, unde licet ingredi possint propositionem, ut prædicatum, vel subjectum, ut lapis non est homo, non tamen propositionem scientificant; dicitur *recta*, ut excludantur casus obliqui, qui ratione sui non sunt partes propositionis, nisi casibus rectis adjungantur, ut hic liber est Petri, id est aliquid Petri, unde solum, casus nominum sunt dicenda, non autem nomina. Ex quo patet, ut bene notat Tatar. 1. Perhier. q. 2. & Compul. lib. 2. c. 1. Arist. in presenti nomine definit in toto rigore, inquantum deservire potest propositioni scientificæ, & ideo a ratione nominis excludit terminum complexum, infinitum, syncategorematicum, & obliquum, hujusmodi enim termini sicut secundum quid tantum, & infusa significatione dicuntur termini, eodem modo nomina dici possunt: Nec aliud probant oppositum affirmantes, ut Hurad. disp. 8. §. 12. & Arr. disp. 13. sect. 3.

47 Sed dices, nomen infinitum ex parte significati formalis significat quid certum, & determinatum, quia *non homo* v. g. significat negationem determinatam, scilicet, hominis, & non equi, ergo est proprie nomen, hac enim de causa, *cæcum*, est vere nomen, quia certam negationem significat nempe visus, & non auditus. Accedit, quod si ratione indeterminati significati excluditur nomen infinitum a vera ratione nominis, tunc etiam nomina transcendentia forent excludenda, quia nihil determinatum significant; immo aliqua applicari possunt tam enti, quam non enti, ut intelligibile, imaginabile, &c.

Resp. negant aliqui assumptum, & ajunt nomen infinitum de formali significare cæteras res omnes indeterminate præter illam, quam negat; Sed hoc non bene dicitur, quia ly, *non homo*, plane non est impostum ad significandum leonem, aut bovem, sed tantum negationem rei significatæ per nomen, cui adjungitur; concedi tamen potest illa connotare veluti subjecta, quibus applicari potest, & hæc est verior opinio, quam tradunt Ruvius 1. de interp. c. 2. q. 5. Amic. tractat. 21. q. 2. dub. 6. ex nostris antiquioribus Tatar. Joann. de mag. & alii. Concedendum igitur est assumptum, & neganda consequentia, licet enim nomen infinitum de formali rem certam significet, adhuc tamen remanet indeterminatio ex parte modi significandi, quia significat ipsam negationem formæ, non significando quid sit ipsa negatio, sed quid non sit forma negata, & in hac indeterminatio, quæ se tenet ex parte modi significandi, consistit præsertim infinitas nominis; ad probationem consequentiæ negatur paritas, ly enim *cæcum* significat negationem formæ, & simul explicat quid sit ipsa negatio, unde & determinatum, & determinate significat. Ad aliud patet per idem, quod infinitatio nominis non tam attendi debet ex indeterminatione, quæ se tenet ex parte rei significatæ, quam ex ea, quæ se tenet ex parte modo significandi, licet igitur nomina transcendentia significant quid indeterminatum, & communissimum, quia tamen determinate illud significant, explicant enim, quid sit conceptus ille communissimus, non autem quid non sit, ideo proprie dicenda sint nomina.

Quæres, an hæc nomina transcendentia infinitari possint? Negant Alb. & Avic. quos sequuntur Tolet. Amic. Poncius, & alii, quia non possunt accipere indeterminationem ex negatione addita, nam cum ratione transcendentia vagentur per omnia, negatio illis addita potius destruit indeterminationem, unde si infinitetur ens absolute sumptum solum de non-entibus dici poterit. At potius cum Tatar. 1. Perhier. q. 2. dub. 3. sciendum est oppositum, quia cuilibet termino categorematico negatio infinitans addi potest, & re vera hæc prædicatio, *Cybermeva est non ens*, est affirmativa de prædicato infinito, & ita sentiunt Lovanienses 1. de interp. ubi Suesanus, & Ru-

Ruvius, Sotus lib. 2. summ. c. 1. & alii. Ad rationem oppositam sent. dicendum ex nostro fundamento infinitationem nominis consistere in indeterminatione, non rei significatae, sed modi significandi, quem bene retinent termini transcendentis infinitati, ut *non ens*, significat negationem entis, non per modum determinati, id est, quid sit negatio entis, sed modo indeterminato, scilicet, quid non sit ens; nec est necesse nomen infinitum verificari de entibus, & non entibus, sed id solum convenit termino particulari infinitato.

48 Verbum ex Arist. 10. c. 2. est vox significativa ad placitum, cum tempore, ejus nulla pars separata significat finitam, & est semper eorum, quae de altero dicuntur, nota: prima duae particulae, in quibus verbum convenit cum nomine, patent ex dictis. Dicitur, cum tempore, ad differentiam nominis, quod nunquam importat exercitium actionis sub aliqua differentia temporis, ut verbum, & quando in propositionibus necessariis, ut homo est animal, verbum dicitur absolvi a tempore, non est sensus, quod significet sine ullo prorsus ordine ad tempus, quia hic modus significandi essentialis est verbo, sed dicitur absolvi a tempore determinato, ut notat Arriag. cit. quia cum extrema naturalem habeant connexionem, exigunt uniri simpliciter, & absolute, & non pro tempore aliquo determinato, & ideo tract. preced. c. 11. diximus verbum non restringere extrema in hujusmodi propositionibus in ordine tantum ad differentiam temporis, quam significat, sed propositiones ampliari debere ad omne tempus. Alia particula, *cujus nulla pars separata*, &c. explicari potest, ut in definitione nominis dictum est ex Arist. doctrina, vel cum Tatar. cit. & tract. 1. in Petr. Hisp. sensus est, quod ei in mente non correspondet conceptus complexus iuxta declarationem termini complexi, quam dedimus tract. preced. c. 3. & applicari potest definitioni nominis, quia nec ei correspondet conceptus complexus in mente. Sed iuxta hanc explicationem oritur difficultas de verbo quolibet adjectivo, ut *amat*, *studet*, & de est secundo adjectivo, ut cum dicimus, *Petrus est*, nam haec omnia verba subordinantur in mente conceptui complexo, nam *amat* resolvitur per *amans*, & est, secundum adjectivum resolvitur per *est ens*, unde haec omnia verba erunt saltem implicite, & virtualiter complexa. Ad hanc difficultatem Auctores varie respondent, Joann. de S. Th. lib. 1. summ. c. 6. negat ex hoc, quod verbum adjectivum, aut substantivum de secundo adjectivo aequivaleret copulae, & predicato subordinati conceptui complexo, seu duplici conceptui, nam quocumque modo in propositione disponatur, semper significat rem per modum motus, aut actionis, & passionis, quae tempore mensurantur, haec autem non sunt duo significata, nec duo conceptus, sed unum significatum cum tali modo significandi, unde eadem actio prorsus significatur in Petro, si dicas *Petrus amat*, & *Petrus est amans*. Cassilius vero lib. 2. tr. 1. c. 2. in fine ait non esse contra rationem verbi incomplexi, quod correspondeat ei in mente conceptus rei compositae, nam hoc est commune etiam nominibus incomplexis, cetera enim, & alia nomina connotativa important plura, nec propterea sunt nomina complexa; ut ergo verbum sit complexum, pluribus debet constare vocibus. Tatar. cit. totum concedit argumentum, & ait in rigore logico nullum verbum adjectivum, nec substantivum de secundo adjectivo esse verbum ob allatam rationem, sed tantum est de tertio adjectivo, hanc teneas, vel primam.

49 Deinde additur, *finita*, ad excludenda verba infinita, ut non *currit*, non *studet*, eadem ratione, qua exclusa sunt nomina infinita a ratione nominis. Sed aliqui hanc expositionem non recipiunt, ut Conimbric. Cassil. Joan. a S. Tho. cum Albert. & Boer. dicentes verbum intra propositionem infinitari non posse; eo quod negatio ante verbum non faciat propositionem affirmativam, sed negativam, quare v. g. *homo non currit*, sensus est *homo est non currens*, & ita etiam videtur sentire Scot. 2. Pethier. q. 1. quare inquit, Verbum hic dicitur vox finita, quia infinitari non potest: Sed plane Arist. eadem ratione addidit, *finita*, in definitione verbi, quam ipsam posuit in definitione nominis, & frustra adderet haec particula, si infinitari non potest, sicut *recta*, si non posset obliquari. Quantum autem ad hoc dubium in se ait Tatar. cit. 1. Perhier. qu. 2. §. *Dubietur primo*, quod licet verbum est tertium adjectivum non possit infinitari, quia tale est purum Syncathegorema, & negatio infinitans talibus convenienter non additur, tamen verbum adjectivum, (& idem dici potest de est secundo adjectivo) secundum quod includit copulam, & suum participium, potest infinitari, & hoc secundum conceptum sui participii, atque ita dicendo, *non currit*, sensus ejus non est iste, *non est currens*, sed iste, *est non currens*, sic quod actus infinitandi feratur ad participium, & non ad copulam; & ut notavit Bannes, qui hanc sequitur sententiam, Arist. ipse usus est verbo adjectivo hoc modo infinitato, nam 1. Post. c. 10. & 2. Coeli c. 4. hanc facit syllogismum, *Stella non scintillans sunt prope nos, planetae non scintillant; ergo planetae sunt prope nos*, minor hujus syllogismi debet esse affirmativa de verbo infinitato, ut sensus sit, *planetae sunt non scintillantes*,

nam si minor esset negativa, conclusio quoque negativa esse deberet ex regulis infra tradendis. Id vero quod respondet Cassil. & Joan. de S. Thoma, *non scintillare*, in minori sumi infinitanter, ut aequivaleret participio, *non scintillantes*, non solvit, immo potius confirmat, quod diximus Tatar. verbum infinitari posse, secundum quod includit copulam, & participium; ita quod actus infinitandi feratur ad participium, non ad copulam, & in hoc sensu verbum infinitari posse concedit etiam Doct. loc. cit. in corpore quaesiti, dum ait, *si tamen intelligeretur negatio infinitans referri ad rem verbi, consequens esset dicere, quod verbum infinitum maneret infinitum in oratione*, in eo igitur tantum sensu negavit verbum infinitari posse, si nempe actus infinitandi feratur ad copulam, & hanc sententiam sequuntur Amic. Ruvius, & alii.

Postea additur *recta*, id est praesentis temporis indicativi modi, ratio est, quia ibi Arist. loquitur de verbo, quod per se potest enunciare veritatem, independentem ab alio, ut notat Compl. hoc autem est solum praesentis indicativi modi, alia enim tempora dependenter ab illo enunciant veritatem: nam *Petrus cucurrit*, ideo est vera, quia aliquando fuit verum dicere de Praesenti, *Petrus currit*, & sic de aliis. Tandem additur, *& est semper eorum*, &c. ad excludendum participium, quod licet significet cum tempore, nunquam tamen esse potest nota, seu unio extremorum, & copula propositionis. Porro verba adjectiva, ac etiam est de 2. adjectivo, licet expresse extremorum nota non appareant, sed potius extrema videantur, scilicet, praedicata, tamen re vera, ut ait Tatar. includunt implicite notam cum praedicto, ut patet si resolvantur, *currit est currens*. Possent tamen adhuc participia excludi a ratione Verbi, ut notat Orbel. quia abstrahunt a temporis determinata differentia, & cuicumque possunt adaptari, ut *Petrus est amans*, fuit amans, &c.

Postremo pro *recta* potius definitionis intelligentia tum nominis, tum verbi observandum est ex Tatar. cit. nomen, & verbum posse sumi primo intentionaliter, & ita significant ipsas voces nominis, & verbi, & secundo intentionaliter, quo sensu important quandam secundam intentionem illis vocibus attributam, & ita hic definiuntur, cum logicus principaliter consideret secundas intentiones, unde quando dicitur, nomen, aut verbum est vox, est ibi praedicatio denominativa, & fundamentalis, & sensus est, nomen, aut verbum est unum intentionaliter, seu intentio secunda attributa voci significativa ad placitum, & bene potest secunda intentio accidentaliter, & denominative praedicari de primis, ut dicimus disp. 3. q. 8. Hurrad. ut singularis videatur, quibusdam levis momenti objectionibus praefatas reicit definitiones, & alias adducit mere grammaticales, ac etiam Arriaga disp. 2. Summul. sect. 1.

C A P U T II.

De Oratione. Quid sit, & quomplex.

50 Definit Arist. ubi supra c. 4. orationem, quod est vox significativa ad placitum, cujus aliqua pars separata significat, ut dictio, non ut affirmatio, vel negatio, dicitur vox significativa ad placitum, quo convenit cum nomine, & verbo, cum hoc tamen discrimine, quod nomen & verbum significant ad placitum ex impositione sui, at oratio ratione suarum partium, nunquam enim aliquis imposuit totam istam orationem, *homo est animal*, ad significandum, sed praecise partes orationis sunt impositae ad significandum ratione sui; dicitur autem vox in numero singulari ratione unitatis formae, quae est unitas ordinis, & complexionis, ut notat Verforius hic: dicitur *cujus aliqua pars separata*, &c. quia non est necesse, quod omnes ejus partes sint significantiae, sed satis est, ut aliqua earum sic se habeat, aliae vero sint consignificativae, ut sunt omnia syncathegoremata, & non potest melius explicari haec particula, quam dicendo cum Tatar. quod oratio subordinatur conceptui complexo, ita quod intra ipsam orationem habeantur partes componentes ipsam, quae distinctis, & separatim conceptibus correspondeant, quae de causa dictiones compositae figurae, ut signifer, respública, circumscriptio, &c. non sunt orationes, quia non respondent duplici conceptui, sed uni; unde non oportet, ait Tatar. quod partes orationis in se sint plures dictiones, quia si A imponeretur ad significandum, quod *homo est animal*, esset oratio, sed sufficit, quod subordinetur conceptui complexo, cujus partes sunt significantiae, ut dictio, & hanc expositionem amplectitur Jo. de S. Th. lib. 2. c. 1. Ultima particula *ut dictio*, &c. ponitur ad denotandum, quod partes orationis ad minus esse debent significantiae, ut dictio, & non requiritur necessario, quod sint affirmatio, & negatio, ita quod non intendit negare, quod interdum aliqua partes orationis significant, ut affirmatio, & negatio; nam oratio composita, seu hypothetica habet partes, quae constant ex affirmatione, & negatione, sed necessarium est, quod aliqua ejus partes sint dictiones, nam etiam ipsamet affirmatio, & negatio, ex quibus constat oratio composita, resolvuntur in partes significantivas per modum simplicis termini, ut patet de ista, *Petrus currit*, & *Paulus disputat*, & con-

& consulto id fecit Arist. quia cum hic intendat definire orationem in communi, debuit in definitione ejus ponere id, quod omni orationi commune est; & hoc est habere partes, quae sunt dictiones, nam habere partes, quae se habeant ut affirmatio, vel negatio, competit tantum rationi compositae, seu hypotheticae, non autem simplici, ita exponit Tatar. cit. q. 3. §. *Secundo sciendum*.

51 Sed petes, cur in definitione orationis, non ponatur particula *cum tempore*? Resp. Tatar. quia hic definitur oratio in communi ad perfectam, & imperfectam, & datur aliqua oratio imperfecta, in qua nulla ponitur dictio, quae significet cum tempore, ut ista, *homo albus*, & perfecta semper significat cum tempore. At multi hanc expositionem non recipiunt, arbitrantur orationem necessario constare debere ex nomine, & verbo, unde complexionem sine verbo, ut *homo albus*, & consimiles ajunt esse puros terminos complexos, qui non debent cum oratione confundi, ita Hurrad. disp. 3. summ. sect. 3. Fuentes 2. p. sum. q. 1. diff. 2. art. 4. & videtur fuisse opinio Alberti, & Philoponi, quod probant. Tum quia si qualicumque plurium vocum combinatio sufficeret sine verbo ad orationem constituendam, tunc *Caelum, Terra, lapis* esset oratio. Tum deinde quia terminus complexus habet quidem partes significantes, & pluribus subordinatur conceptibus, sed per modum partis alterius componentis, non per modum totius compositi, quod est proprium orationis. Tum quia nomen, & verbum sunt partes orationis principales, & necessariae apud logicum. Tum demum quia oratio, & terminus sunt genera non subordinata, quia si oratio continetur sub termino, tunc terminus de omni oratione praedicaretur, & consequenter etiam de propositione, si terminus sub oratione, jam omnis terminus oratio foret, ergo *homo albus*, & similes complexionem nequeunt contineri habere genere termini, & orationis simul, ex eo enim quod planta, & animal sunt genera non subordinata, repugnat aliquid simul contineri sub utroque.

Falsum tamen est, orationem, ut sic, necessario ex nomine, & verbo constare debere, nam Arist. 1. Topic. c. 4. sub oratione comprehendit definitionem copulae carentem, ut animal rationale; & quidem si verbum ad orationis constitutionem necessario requireretur, sane illius definitio ab Arist. allata esset manca, & deficeret particula, *cum tempore*: Nec rationes in oppositum urgent. Ad primam non qualicumque combinatio terminorum sufficit ad orationem, sed debent esse invicem connexi aliquo nexu saltem grammaticali, qui non reperitur inter illa *Caelum, Terra, Lapis*, bene tamen inter illa, *homo albus*. Ad secundam ex hoc, quod *homo albus* ordinari possit per modum partis ad constituendam orationem perfectam verbo constantem, non extrahitur a ratione orationis, quia etiam ipsa oratio perfecta simplex ordinari potest, ut pars ad constitutionem orationis compositae. Ad tertiam nomen, & verbum dicuntur partes principales orationis perfectae, & propositionis. Ad quartam Complut. lib. 2. c. 2. qui nostram sequuntur sententiam cum Conimb. 1. Perhier. c. 4. Tolet. Ruvio, Amic. Masio, & aliis multa dicunt, concedentes terminum non esse genus respectu orationis, neque e contra: at nos breviter negamus assumptum, oratio namque continetur sub termino, nec inconveniens reputamus, propositionem ipsam posse dici terminum, ut probat Cassil. contra Hurrad. lib. 1. tract. 1. cap. 1. unde terminus generice sumptus dividitur in complexum, & incomplexum.

52 Dividitur oratio prima sui divisione in perfectam, & imperfectam; illa est, quae integram sententiam declarat; ita ut animus audientis quiescat, nec quicquam aliud expectet, ut *Deus est summum bonum*; ista est, quae integram sententiam non declarat, sed relinquit animum suspensum, ut si *Deum timeamus*, & utraque subdividitur; imperfecta namque altera est cum verbo, ut in exemplo allato, altera sine verbo, ut *homo albus*, animal rationale, & est idem ac terminus complexus; perfecta etiam est duplex, scilicet, non enunciativa; & enunciativa; illa est, quae licet sententiam explicet, & quietet, non tamen dicit verum, vel falsum, & haec sit, vel modo optativo, *utinam homines saperent*, vel imperativo, *ut discas per virtutem*, vel vocativo, *ut parcite Davididae*, vel interrogativo, *ut quo vadis?* Enunciativa vero est, quae verum, vel falsum dicit, ut *homo est animal*, & ideo fit in modo indicativo: hinc infert Petrus Hisp. quod sola dumtaxat oratio indicativa dicitur enunciatio, aut propositio, eo quia aliae non significant verum, vel falsum, nisi reducantur ad indicativam, notat autem idem Tatar. id intelligendum esse de categorica, quia multae sunt hypotheticae determinatae verae, quae non sunt indicativi modi, ut si *Afinus volaret*, *Afinus haberet alas*; cum quo item est observandum pro intelligentia definitionum orationis, propositionis, syllogismi, & similiarum complexorum, quod haec non definiuntur in Logica pro prima intentione, quia sic sunt quaedam complexa, complexum vero non definitur, sed pro secunda intentione attributa orationi, vel propositioni vocali, quo sensu sunt quid incomplexum, & est ibi praedicatio denominativa, sicut in definitione nominis, & verbi.

C A P U T III.

Quid sit Propositio, seu Enunciatio, & quomplex.

13 EX communi usu Logicorum supponimus, Enunciationem & Propositionem pro eodem accipi, & tantum penes diversum respectum differre propositionem ab enunciatione, nam si sola ponatur, dicitur enunciatio, quasi simpliciter veritatem, vel falsitatem enunciet; at si ponatur in argumentatione, dicitur propositio, quasi pro alio ponatur, scilicet, pro inferenda conclusione, atque ita propositio addit supra enunciationem, quod proponatur ad inferendum aliquid in argumentatione, hoc quantum ad quid nominis sufficiat.

Quo autem ad quid rei, Aristot. Propositionis duplicem tradidit definitionem; nam 1. Priorum c. 1. eam definit per affirmationem & negationem dicens, quod est *oratio aliquid affirmans, vel negans*, & 1. Perhier. c. 4. eam definit per veritatem, & falsitatem, dicens, quod est *oratio verum, vel falsum significans*, quam Petrus Hisp. amplexus est; hinc orta est dubitatio, quoniam istarum definitionum quidditativa sit, & melius rem explicet, & quidem Alexander, Ammonius; & Niphus, quos sequuntur Recentiores fere omnes, fatentur secundam definitionem non esse per essentialia datam, quia veritas, & falsitas sunt accidentia propositionis, & potest una, & eadem propositio transire de vera in falsam, praesertim in materia contingenti, nam haec propositio *Sortes sedet*, vera est sedente Sorte, & falsa non sedente, idque docet Scotus ex professo 4. d. 8. q. 2. V. ubi proinde concludit conceptum quidditativum propositionis praecedere naturam veritatem, & falsitatem. Idcirco communiter prima definitio acceptatur; ut quidditativa, & magis per essentialia data, ita Complut. lib. 2. c. 3. Blanc. lib. 6. c. 1. Fuent. q. 4. diff. 2. art. 1. Hurrad. & alii, tum quia affirmatio, & negatio sunt essentialia differentia propositionis, unde impossibile est eandem propositionem de affirmativa fieri negativam, vel e contra; tum quia esse orationem assertivam, in quo tota consistit enunciationis ratio, formaliter ei convenit, vel quatenus unum de alio affirmat, vel negat: tum quia propositio vera, vel falsa dicitur, quia affirmativa, vel negativa est, non e contra; non enim affirmatur, vel negatur, quia verum, aut falsum dicitur, sed ex eo verum dicitur aut falsum, quia affirmatur quod non est, & negatur quod est, vel e contra, tum demum, quia asserere affirmando, vel negando est de essentia enunciationis, & ita illi conveniens, ut talis assertio, vel negatio in alia oratione nequeat reperiri, unde quamvis aliqua oratio non enunciativa videatur affirmationem, vel negationem continere, ut *utinam studeres*, re tamen vera assertio hujusmodi, vel negatio non est assertiva, qualis est illa, quae in propositione reperitur. Videatur Doctor cit. sub X, ubi eleganter docet, quomodo assertio ex vi copulationis praecedat in propositione assertivam provenientem ex assensu, vel dissensu iudicii, atque ideo quod in ea priori consistat propositionis essentia; id patet manifeste in addicente, ait Doctor, prius enim aliqua conclusio non demonstrata concipitur a discipulo per modum assertionis, secundo demonstratione ad ipsam applicata concipitur ut vera.

Haec tamen propositionis definitio non placet Ovyied. & Poncio, quia non explicatur per eam ratio propositionis, ut sic, ut abstrahit e suis speciebus, quotiescunque autem describitur bene aliquid commune, debet definitio ipsius abstrahere a rationibus particularibus. Conf. quia definitio superioris convenit inferiori saltem secundario, & poni potest in definitione cujuscunque inferioris; sed definitio praedicta non recte ponitur in definitione propositionis affirmativae, aut negativae, non enim propositio affirmativa est, in qua aliquid de alio affirmatur, vel negatur. Conf. rursus, quia si quis vellet definire animam, ut sic, dicendo quod esset forma, quae esset principium vel vegetandi, vel sentiendi, vel discurrendi, male definirer illam, sed prorsus eadem est ratio de hac descriptione, ac de jam praemissa, ergo &c. ita discurrendi Poncius in Logica parva c. 10. Tandem arguit Ovyied. controverf. 3. Summul. punct. 2. n. 6. ideo quaerendam esse aptiorem definitionem propositionis, quia allata ex Arist. explicat naturam propositionis per disjunctionem, quae, in quantum fieri potest, in definitione vitanda est, quia duplicem reddit definitionem, quarum una parti cuidam definiti, seu quibusdam inferioribus rationis communis, quae definitur, & altera alteri parti, seu aliis inferioribus convenit, unde tandem ipse definit propositionem, quod sit oratio, ex vi cujus unum de alio enunciatur, seu oratio, in qua unum de alio dicitur, sic enim data definitio convenit propositioni, ut sic in communi, ac etiam inferioribus, quia enunciari unum de alio abstrahit ab affirmatione, & negatio.

gatione, & per utramque fieri potest. Poncius vero describit propositionem vocalem, ut sic, esse orationem, qua significatur iudicium intellectus de aliqua re; & propositionem mentalem formalem esse iudicium intellectus de aliqua re; & propositionem objectivam esse totum objectum complexum, circa quod fertur iudicium; quia vero intellectus habet duplex iudicium de rebus, unum, quo affirmat aliquid de aliquo, quod est iudicium affirmativum, & aliud quo negat, quod est iudicium negativum, hinc propositio vocalis, ut sic, optime dividitur, tanquam genus in species, in propositionem affirmativam, & negativam.

Sed quicquid sit de definitionibus propositionis ab his Auctoribus allatis, immerito quidem refutatur ab ipsis definitio ab Arist. data per affirmationem, & negationem iam explicata, neque enim novum est apud Philosophos, ut notat Ferrar. lib. 2. de Anim. q. 3. duplex genus definitionis assignari posse alicujus communioris, unum est per pure essentialia, ut dicendo, homo est animal rationale, animal est substantia animata sensitiva; alterum est, quando aliquid commune definitur per actus suorum inferiorum connumerando illos sufficienter, ut si definiretur animal per proprios omnium animalium actus; nec hoc inconvenit, nam licet proprius unius speciei actus attribui nequeat alteri speciei, tamen actus inferiorum dicuntur competere superiori, & communi, ut quia homo ridet, dicimus animal ridere, non tamen dicimus ridere bovem, vel equum; inter quæ duo definitionum genera hoc præfertur discriminis intercedit, quod definitio primi generis competit secundum omnes partes suis inferioribus contentis sub definito, at loquendo de altera non est necesse, ut secundum omnes partes sui competat cuilibet contento, sed tantum in sensu distributivo, & accomodo; & quidem juxta communem Interpretum omnium expositionem hoc secundo definitionis genere descripsit Arist. principia rerum naturalium 1. Phys. 42. cum dixit esse illa, quæ non fiunt ex aliis, nec ex alterutris, sed ex his omnia, & animam in communi 2. de Anim. 24. cum ait esse principium primum, quo vivimus, sentimus, movemur, & intelligimus: & tali genere definitionis dicunt explicari solere superiora, non quidem, ut abstrahunt ab inferioribus, sed potius ut illa respiciunt: Ex qua doctrina facile, solvuntur argumenta adversa, quorum robur totum in hoc consistit, quod definitio data ab Arist. non sit bona, quia ex integro, & secundum omnes sui partes non convenit suis speciebus, nimirum propositioni affirmativæ, & negativæ. Deinde advertendum est Aristot. non constituisse principales propositionis species affirmativam, & negativam, sed categoricam, & hypotheticam, quia ut mox dicemus, hæc divisio directe pertinet ad substantiam propositionis, interroganti namque de substantia propositionis, quamnam sit, respondemus esse categoricam, vel hypotheticam: divisio autem propositionis in affirmativam, & negativam potius ex parte qualitatis attenditur; juxta quam doctrinam adhuc falsum est Arist. non ita descripsisse propositionem, ut ejus definitio speciebus ipsius substantialibus competere possit, siquidem tam propositioni categoricæ, quam hypotheticæ convenit suo modo affirmare aliquid de aliquo, vel negare; unde ex uno, vel altero fundamento rationibus Poncii, & Ovied. contra Aristot. definitionem adductis facile satisfieri potest: Non ob id tamen negare intendimus propositiones affirmativam, & negativam esse species propositionis essentialiter abinvicem distinctas, quia, ut dictum est, affirmatio, & negatio sunt differentie essentielles propositionis, neque pertinere dicuntur ad qualitatem propositionis, nisi in eo sensu, quo ipsa rei differentia essentialis dici solet ejus qualitas, ut dicemus capit. sequen. Vel tandem dici potest cum Tatar. Orbel. & aliis, quod per illud disjunctum affirmans, vel negans, circumloquimur differentiam essentialem nobis ignotam, & cum propositione, ut sic, convertibilem.

54 Sed quamvis verum sit propositionem melius, & profundius per affirmationem, & negationem defini; tamen ut ajunt Conimb. multo accomodatius definitur per verum, & falsum: & ratio redditur a Tatar. 1. Perhier. q. 3. §. *veritas sciendum*, quia hic principaliter consideratur de enunciationibus vocalibus, ut sunt signa conceptuum verorum, vel falsorum: ponitur autem verum, vel falsum disjunctim (ait Tatar.) ad circumloquendum nobis differentiam enunciationis, unde illud disjunctum, *verum vel falsum*, est passio disjuncta propositionis, ut par, & impar numeri, & convertitur cum ea, quia omnis enunciatio est vera, vel falsa, & omne verum, vel falsum est enunciatio; Dum autem dicimus in enunciatione vocali veritatem, & falsitatem reperiri, id non debet intelligi tanquam in proprio subiecto, & fundamento, sic enim solum residet in propositione mentali, ut notat Tatar. cit. q. 1. §. *Dubitarur secundum*, unde veritas formalis proprie dicta est conformitas propositionis mentalis, seu iudicii ad ejus significatum, quando nimirum ita est in re, ut per propositionem mentalem significatur, & falsitas est difformitas opposita; debet igitur

tur intelligi veritatem, & falsitatem reperiri in propositione vocali, velut in signo expressivo iudicii mentalis, eo modo, quo dicitur sanitatem contineri in urina, quatenus est signum sanitatis animalis; Significatur autem verum, vel falsum, quod proprie vocali propositioni convenit, est significare rem esse, qualiter res se habet, vel aliter, quam se habebat, & hoc non est solum significare aliquo modo, sicut syncategorema, nec solum aliquid simplex, ut categoricæ, sed aliquid compositum, seu aliud: quod est applicatio unius ad alterum per copulam, quem significanti modum appellat Tatar. tract. 1. totalem, & propositionalem, ut cum distinguit a modo significanti partiali, & simplici, qui terminis convenit. Itaque melius explicari non potest enunciatio, ut est communis categoricæ, & hypotheticæ, quæ sunt principales ejus species, ut postea dicemus, quam dicendo, quod significat objectum complexum, super quod potest cadere iudicium, in quo veritas, & falsitas est, ubi per objectum complexum non solum intelligendum est conjunctum per copulam verbalem, quæ unit subiectum, & prædicatum, sed etiam per copulam hypotheticam, quæ unit propositiones categoricas, nam super utrumque complexum potest cadere iudicium verum, vel falsum; oratio autem, super quam tale iudicium cadere nequit, non est enunciatio.

Ex dictis sequitur, propositionem vocalem, & scriptam non dici veram, vel falsam denominatione intrinseca, sic quod veritas, & falsitas sunt in ipsa, sed solum denominatione extrinseca, quatenus subordinatur propositioni mentali veræ, vel falsæ. Et si quis dicat, propositio vocalis nunquam subordinatur mentali, quia vel esset, quando subiectum profertur, vel prædicatum, vel copula, sed nullum istorum est dicendum, quia quando subiectum profertur, intellectus non format adhuc mentale, sed solum in ultimo instanti suæ prolationis; & tunc non est amplius vocalis propositio. Respondet Tatar. cit. ex longa disputatione, quam de hoc habet Doctor 4. dist. 8. qu. 2. §. *Aliter ergo*, quod nulla propositio vocalis de rigore veritatis est vera, vel falsa, sed solum de communi usu logicorum accipiuntur ipsam, ac si omnes partes ejus essent simul, eo modo quo Mathematici absolute dicunt Sphæram tangere planum, etsi solum in puncto tangat; ita igitur de rigore sermonis nulla propositio vocalis subordinatur mentali: sed solum de communi usu, & institutione logicorum utentium ea, ac si omnes partes ejus essent simul.

55 Dividitur autem Enunciatio, tanquam in species principales, in simplicem, seu categoricam, & in compositam, seu hypotheticam; categorica est, quæ constat subiecto, prædicato, & copula, tanquam partibus præcipuis, ut homo est animal; hypothetica est, quæ constat ex pluribus enunciationibus simplicibus conjunctione aliqua copulatis, ut si dies est, lux est; Petrus dormit, & Paulus legit: Et quamvis Complut. cit. Ruvius quaest. 6. Masius 2. Perhier. cap. 1. quaest. 5. & alii dicant hanc divisionem non esse generis in specie, sed tantum analogi in sua analogata; probabilis tamen est esse generis in species; tum quia hæc divisio directe pertinet ad substantiam propositionis; interroganti enim de substantia propositionis, quamnam sit, respondemus, quod est categorica, vel hypothetica; tum quia ut notavit Delphinus hic, hæc divisio penes partes attenditur, ex quibus componuntur, & conficiuntur propositiones, quæ omnino ad illarum substantiam pertinet; tum deinde quia hypothetica propositio, ut talis, est oratio perfecta, quæ non continetur sub specie optativæ, vel interrogativæ, aut aliarum, ergo enunciativæ; tum demum sicut terminus complexus, & incomplexus univoce conveniunt, licet unus significet rem compositam, alius simplicem, ita categorica, & hypothetica conveniunt univoce in significando veritatem, licet una sit composita, & alia simplex, fatemur tamen cum tali univocatione esse analogiam admixtam, in quantum hypothetica constituitur ex categorica, & per prius invenitur veritas in categorica, quam in hypothetica: sequitur Jo. de S. Thoma cit. q. 5. art. 3. Sotus 2. lib. Summul. c. 6. cum multis aliis.

At obiciunt Complut. non esse univocam generis in species: tum quia id repugnat Aristot. loc. cit. ubi propositionem categoricam simpliciter unam appellat, hypotheticam vero unam tantum conjunctione, seu secundum quid: Tum 2. quia hypothetica non est enunciativa, non enim unam propositionem de alia prædicat, sed tantum eas adinvicem connectit: quod est umbra quadam, & similitudo propriæ enunciationis: Tum 3. quia hypothetica non continet diversam veritatem, vel falsitatem a categoricis, ex quibus constat: Tum demum, quia hypothetica constat ex categorica, ergo non est species ab ea condistincta, quia una species non componit aliam, a qua condistinguitur, unde potius distinguitur, ut includens, & inclusum.

Respondetur ad primum, quod sicut in entibus ens simplex est magis unum ente composito ex per se actu, & potentia, sed adhuc compositum est absolute ens unum unitate com-

compositionis, ita in propositionibus, licet simplex sit magis una, quam composita, tamen adhuc composita est una unitate compositionis factæ per copulam hypotheticam, quantum sufficit, ut absolute una dicatur, & tantum secundum quid per comparationem ad aliam. Ad secundam de ratione propositionis, ut sic est esse enunciativam, id est alicujus complexi assertivam, potest autem aliquid asseri non tantum per prædicationem unius de alio, sed etiam per copulationem plurium propositionum, quæ diversum iudicium postulat, & diversam veritatem ab illis, unde qui dicit, si Petrus studeat, evaderet doctus, utique aliquid asserit. Ad tertiam negatur assumptum, quia hypothetica habet propriam veritatem, & falsitatem a categorica distinctam, quia non fertur iudicium solum de categoricis, ex quibus constat, sed etiam de ipsa conjunctione hypothetica quantum ad ita esse, vel non esse, ut patet in ista, si homo esset asinus, esset rudibilis, nam de singulari categoricis fertur iudicium falsum, de tota autem hypothetica verum, quod magis infra patebit. Ad quartam; si valeretur, neque binarius esset species a ternario distincta, neque terminus incomplexus a complexo, neque homo a corpore, & partibus ex quibus constat: qua propter potest una entitas simplex alteram componere specie distinctam, in qua habeat utique rationem materię, & partis, licet in se considerata sit quoddam totum, & speciem unam constituat.

CAPUT IV.

Quid sit Propositio Categorica, & quæ sit?

56 Jam dictum est, propositionem categoricam esse illam, quæ habet subiectum, prædicatum, & copulam verbalem, ut partes principales sui, quod additur propter alia syncategorematica interdum concurrentia ad propositionis constitutionem: quæ definitio ita a Tatar. exponitur tract. 1. sum. categorica est illa, quæ explicite, vel implicite, formaliter, vel æquivalenter habet subiectum, prædicatum, & copulam, tanquam principales partes sui; dicitur categorica, id est prædicativa, quia prædicatum enunciat de subiecto, & ab aliis dicitur simplex, quia solum ex verbo, & nomine componitur: dicitur explicite, vel implicite, propter propositiones de verbis adjectivis, ut Deus creat, vel de est secundo adjacente, ut Deus est, in quibus implicite solum copula continetur, ut patet eas resolvendo, Deus est creans: Deus est ens, capiendo ens participialiter: ponitur, formaliter, vel æquivalenter, quia etiam si A, imponeretur ad significandum tantum, quantum animal currit, tunc A, esset propositio, quia subordinaretur conceptui complexo, cum vero propositio contineret formaliter, & explicite subiectum, copulam, & prædicatum, dicitur de est tertio adjacente, quia nimirum illa tria explicite continet, sive prædicatum post copulam ponatur, sive ante, ut in propositionibus de modo loquendi in consuetudo, ut homo animal est. Interdum autem contingere solet, quod subiectum sit unica tantum dictio, ut in exemplo allato, quandoque una oratio, ut homo sapiens est bonus, aliquando etiam unica propositio, ut homo, qui est sapiens, fugit peccatum, & adhuc istæ sunt propositiones categoricæ, sicut etiam cum dicimus, homo est animal, est propositio: nam in his, & similibus integra propositio habet rationem subiecti, & copula propositionis illius, quæ gerit vicem subiecti, dicitur copula minus principalis, quia ex illa veritas, vel falsitas propositionis non attenditur, sed ex secunda, quæ idcirco copula principalis appellatur.

57 Solent autem in propositione categorica quatuor considerari, quæ etiam suo modo in hypothetica inveniuntur, ut postea videbimus; forma, materia, quantitas, & qualitas, metaphora translata ex physicis corporibus. Forma propositionis est copula, quæ efficit unionem prædicati cum subiecto secundum affirmationem, vel negationem, quæ interdum in una propositione potest esse duplex, una principalis, & alia minus principalis, ut nuper dicebamus. Materia sunt objecta, in quibus, vel de quibus formatur propositio, & cognoscitur per habitudinem, vel connexionem prædicati cum subiecto; nam si sunt necessario connexa, ut homo est animal, propositio est in materia necessaria: si sunt connexa contingenter, ut homo est albus, est in materia contingenti: si demum neutro modo connecti possunt, ut homo est lapis, est in materia impossibili, seu remota: de qua triplici propositionum materia datur hæc regulæ, quod in materia necessaria affirmativa semper est vera, negativa falsa, ut omnis homo est animal, nullus homo est animal: in remota et contra, negativa semper vera, affirmativa falsa, ut homo est lapis, nullus homo est lapis; in contingenti vero potest utraque esse vera, & utraque falsa, ut omnis homo studet, nullus homo studet, aliquis homo studet, aliquis homo non studet.

Quantitas est, quæ explicat extensionem, vel restrictionem Materiæ, & Belluti Tom. I. Logica.

nem propositionis, id est quod sit vel universalis, cuius nempe subiectum est terminus communis signo generali determinatus, ut omnis homo est animal, nullus homo est lapis; vel particularis; cuius scilicet subiectum est terminus communis signo particulari determinatus, ut quidam homo currit, aliquis homo non currit; vel est indefinita, quæ habet pro subiecto terminum communem nullo signo notatum, & ideo dicitur indefinita, ut homo est animal, homo est albus, quæ proinde si fiat in materia necessaria, vel remota, æquivaleret universalis, nam homo est animal, idem valet, quod omnis homo est animal, & homo non est lapis idem valet, quod nullus homo est lapis; si vero in materia contingenti, æquivaleret particulari, ut homo currit, idem valet, quod aliquis homo currit; vel demum est singularis, cum scilicet subiectum est terminus singularis, ut Petrus legit, vel communis signo demonstrativo notatus, ut hic homo currit. Ex quo patet quantitatem propositionis attendi solum ex parte subiecti, quomodocumque prædicatum se habeat, unde ista adhuc est singularis, Petrus est homo.

Qualitas propositionis est assertio, & negatio, veritas, & falsitas, sed quia illa videntur esse essentielles differentie, ideo dicuntur qualitas intrinseca: veritas autem, & falsitas est qualitas extrinseca, & dicuntur qualitas propositionis, quia interroganti qualis est propositio, respondere solemus esse veram, vel falsam, affirmativam, vel negativam: affirmans est, in qua prædicatum affirmatur de subiecto, & negans in qua negatur, unde ad enunciationem negativam necessario exigitur, ut negatio cadat supra copulam principalem, seu verbum præcipuum, & ideo si negatio sit conjuncta cum nomine, scilicet, cum subiecto, vel prædicato, propositio negativa non erit, sed affirmativa de termino, vel terminis infinitis, quales sunt istæ, Petrus est non lapis, non lapis est homo, non lapis est non homo, neque si negatio conjuncta sit cum copula minus principali reddit propositio nem negantem, qualis est hæc, qui non studet, est iners, debet ergo esse conjuncta cum verbo præcipuo dicendo, qui studet, non est iners. Quid vero sit propositionem esse veram, vel falsam patet ex cap. præced.

Quæres, an præfata divisiones propositionis in veram, & falsam, affirmativam, & negativam, universalem, & particularem, sint essentielles, ac generis in species, vel potius subiecti in accidentia Resp. breviter decisionem quaesiti quoad primam divisionem in veram, & falsam pendere ex dicendis infra disp. 10. quaest. 2. art. 2. an veritas, & falsitas sint essentielles, vel potius accidentales propositioni, adeo quod de verâ possit mutari in falsam, & e contra, si enim res ita se habeat, planum est hanc divisionem non esse essentialem, neque generis in species, sed potius subiecti in accidentia; contrarium vero afferendum est, si res non ita se habeat, de quo loc. citato. Quo ad aliam divisionem propositionis in affirmativam, & negativam non desunt existimantes esse accidentalem, quorum præcipuum fundamentum est, quia est divisio penes qualitatem propositionis, qualitas autem supponit essentialiam, & substantiam rei; Nihilominus dicendum est, hanc esse divisionem essentialem, ac generis in species, quia ut supradictum est, assertio, & negatio sunt essentielles differentie propositionis, nam propositio affirmativa respicit essentialiter identitatem, & connexionem prædicati cum subiecto, negativa vero respicit essentialiter negationem prædicati cum subiecto; ex quo fit impossibile esse, ut negativa transeat in affirmativam, vel e contra, quia forma essentialiter constitutiva propositionis affirmativæ est connexio, conjunctio, & unio inter extrema; forma vero negativæ est separatio, disjunctio, & divisio extremorum: ergo omnino compertum est, hanc divisionem esse essentialem: neque oppositum fundamentum urget, quia ut notat Orbellus, intantum hæc divisio dicitur fieri penes qualitatem, quia sicut qualitas consequitur formam, ita assertio, & negatio principaliter respiciunt copulam, quæ habet rationem formæ in propositione; vel quia assertio, & negatio sunt differentie essentielles propositionis, quæ habent modum qualitatis. Dices bene transire propositionem negativam in affirmativam, ut cum dicitur, lapis non est animal, lapis est non animal, hæc enim est affirmativa de prædicato infinito, & illa negativa, & tamen sunt essentialiter eadem propositio. Negatur quod sint eadem propositio, quia in prima negatur animal de lapide, & in secunda affirmatur de lapide negatio animalis, ac etiam quicquid non est animal. Dices saltem esse non posse divisionem generis in species, vel univoci in univocata, quia assertio, & negatio explicantur per esse, & non esse, affirmatur namque dicendo, quod aliquid est, & negatur dicendo, quod non est, sed ad esse, & non esse nequit dari aliquid commune univocum, ergo &c. Resp. negando assumptum; quia tam bene participat essentialiam rationem enunciationis, ejusque passiones negativa propositio, ac affirmativa: tam enim bene potest significare verum, vel falsum una perinde, ac altera, nec minus proprie terminare potest ad sensum, vel dissentum affirmativa, quam negativa: ad probationem assumpti dicendum, quod licet inter esse, & non

& non esse nullum detur medium, nec aliquid commune ab eis abstrahi possit, adhuc tamen inter significare esse, & non esse aliqua duo invicem unita, & annexa potest dari aliquid commune abstrahens ab utroque, significatio nimirum propositionalis, & complexa, quæ convenit propositioni, ut sic, & utraque significatio tam scilicet affirmationis, quam negationis est positiva, & se habent, ut duæ species significationis, ut sic, quia licet objectum significationis negativæ sit aliquid negativum, actus tamen mentis est positivus, & realis.

Quo tandem ad aliam divisionem propositionis in universalem, particularem, &c. fere conveniunt omnes non esse essentialia, sed accidentalia, & ratio est, quia non sumitur penes id, quod est essentialia in propositione puta penes significationem complexam, & extremorum copulationem, in quo consistit vis enunciativa, sed penes extensionem subjecti ad ea, quibus prædicatum convenire potest, unde supponit enunciationem jam essentialiter constitutam per copulationem extremorum, quæ postea extenditur ad plura, vel pauciora juxta quantitatem signi appositi termino communi. Dices posse duas propositiones specie inter se differre ratione solius quantitatis, ut ista; omnis homo est albus, aliquis homo est albus, nam prima est falsa, & secunda est vera solum ratione quantitatis. Negatur assumptum cum probatione, quia licet universalis plura objecta respiciat, quam particularis, tamen illa plura non sunt specie diversa ab objecto, quod respicit singularis, neque enim, *omnis homo*, quod est subjectum illius universalis, specie distinguitur ab aliquo homine, qui subjectum statuitur in particulari, neque ex hoc, quod una sit vera, altera falsa præcise ratione quantitatis, bene deducitur illas propositiones specie distingui, quia ut diximus, veritas, & falsitas non sunt essentialia differentia propositionis.

58 Dividitur autem categorica propositio ratione prædicationis in directam, seu naturalem, & indirectam, seu innaturalem: directa est, in qua prædicatur id, quod prædicari debet, debet autem prædicari superiori de inferiori, ut quantitas est accidens, distinctum de consueto, ut homo est animal rationale, accidens de subjecto, ut ferrum est durum: propositio, quæ hunc ordinem servat, dicitur directa, seu naturalis; quæ autem ordine inverso affirmat, dicitur innaturalis, seu indirecta, ut accidens est quantitas, animal rationale est homo, durum est ferrum. Ratione vero modi, quo exprimitur prædicatum convenire subjecto, dividitur in absolutam, seu de inesse, & in modalem; propositio absoluta, seu de inesse est, in qua absolute prædicatum subjecto tribuitur nullo addito modo, quo ei conveniat, ut homo est animal. Modalis est, quæ non tantum subjecto tribuit prædicatum, sed etiam modum exprimit, quo ei convenit, ut necesse est hominem esse animal: & quia hæc divisio satis est celebris apud Summulistas, ideo relicta prima hæc prosequamur; an autem hæc divisio sit generis in species, Tatar. lib. 2. Perhier. quæst. 2. §. secundum sciendum; affirmat, quia propositiones modales, & de inesse magis differunt, quam affirmatio, & negatio, sed hæc specie differunt, ergo &c. At assumptum est falsum, quis enim non videt plus differre istas; homo est animal, homo non est animal, quam istas homo est animal, quæ est de inesse, & homo necessario est animal, quæ est modalis? potius ergo dicendum est modalem, & de inesse non differre nisi accidentaliter, quatenus in una prædicatum tribuitur absolute subjecto, & in alia specificatur modus, quo ei convenit.

CAPUT V.

Quid sit Propositio modalis, & quæplex.

59 CUM modalis sit membrum categoricæ, eam quoque præmittimus hypotheticæ; dicitur autem modalis, quia constat ex modo determinante ipsam; modus enim dicitur, quod sit, *adjacens rei determinatio, & modificatio*; aliqui modi determinant tantum extrema propositionis, subjectum scilicet, vel prædicatum, de quibus egimus tract. præced. cap. 2. ut si dicamus: Homo justus est sapiens, Petrus currit velociter, *ly justus* in prima modificat, seu restringit subjectum, *ly velociter* in secunda modificat prædicatum; & hi modi non faciunt propositionem modalem; aliqui vero nati sunt determinare totam compositionem, seu unionem prædicati cum subjecto, ut necesse est, hominem esse animal, aut homo necessario est animal, & hi constituunt propositionem modalem: unde propositio modalis dicitur, quod sit illa, *quæ constat modo determinante ipsam*, ut excludatur modus determinans extrema tantum; modi vero determinantes totam propositionem sex enumerari solebant, ut apud Petrum Hiisp. videre est, possibile, impossibile, necessarium, contingens, verum, falsum, sed quia duo ultimi supra propositiones de inesse nihil addunt, idem enim est dicere, hominem esse animal, est verum, ac dicere, quod homo est animal; ideo quatuor primi tantum retenti sunt, utpote qui proprie extrahunt propositionem a ratione

propositionis de inesse, & modalem constituunt: ita tamen retenti sunt, ut quamvis *possibile* sit quid commune necessario, & contingenti, & ab utroque distinctum, tam enim necessarium, quam contingens non repugnat esse, quæ est definitio possibilis, ut sic, sed contingens ulterius addit posse non esse, & necessarium e contra non posse non esse; nihilominus in præsentibus possibile sumitur, ut coincidit cum contingenti, quod scilicet potest esse, & non esse: unde licet quo ad vocem sint quatuor modi, tamen secundum rem sunt tres tantum, & correspondent triplici materiæ propositionum jam explicatæ cap. præced. naturali, remotæ, & contingenti; hoc tamen advertendum est, quod modalis in quacumque materia formetur, aut est necessaria, aut impossibilis, nulla contingens, nam in materia contingenti etiam est necessaria, nam si dicamus, contingens est hominem currere, certum est applicationem modi ad dictum esse necessariam, quia necesse est, ut cursum contingenter ei conveniat, nec aliter ei convenire potest.

60 Dupliciter autem potest modus in propositione poni; nominaliter, & adverbialiter, primo modo ita afficit totam propositionem, ut illam constituat subjectum de verbo infinitivi modi, & ipse cum alia copula finita sit prædicatum, ut Petrum currere est possibile, necesse est hominem esse animal, unde parum refert, quod modus anteponatur, vel postponatur orationi infinitivi modi, semper enim retinet vim prædicati, ut Arist. docet 2. Perhier. cap. 3. & hic advertendum propositionem de verbo infinito, quæ locum subjecti tenet, scilicet, *Petrum currere*, a Summulistis appellari *dictum*, de quo media copula finita prædicatur modus, scilicet *est possibile*, si vero modus ponatur adverbialiter in propositione, ut cum dicitur homo necessario est animal, paries est contingenter albus, tunc modus non est prædicatum, sed mera copulæ determinatio, unde modificat unionem prædicati cum subjecto, ut patet in allatis exemplis; & hic etiam aliqui distinguunt modum, & dictum, nam totam propositionem, ut homo est animal, quæ modificatur a *ly necessario*, dictum appellat: sed re vera in modalibus adverbialiter formatis non ita proprie potest assignari dictum, sicut quando formantur nominaliter, & ratio est, quia cum adverbialiter formantur, modus non est prædicatum totam propositionem immediate afficiens, sed immediate solum copulam modificat.

61 Porro modales habent, quocumque modo formentur, propriam quantitatem, & qualitatem, & quidem eam dignoscere in modalibus adverbialiter formatis non est difficile, cum enim in his modus non prædicatur, sed solum modificat copulam, atque ideo idem remaneat subjectum, & prædicatum, quod erat in simplici, quantitas, & qualitas earum eodem fere modo venanda erit, sicut in propositionibus de inesse: ac in modalibus nominaliter formatis, cum modus prædicatur, & totum dictum subjiciatur; ad eam venandam est aliter procedendum: in his igitur tum quantitas, idest universalitas, vel particularitas, tum qualitas, idest affirmatio, vel negatio, veritas, aut falsitas ex duplici capite attendi potest, nimirum ex dicto, & modo, sed principalis ex hoc, quam ex illo; unde si modus negativus de dicto, est dictum sit affirmatum, propositio dicitur simpliciter, & absolute negativa, & solum affirmativa secundum quid, & Petrum currere non est necessarium, est affirmativa de dicto, negativa de modo, atque ideo simpliciter negativa, secundum quid affirmativa; & e contra si est affirmativa de modo, negativa de dicto, ut hominem non esse lapidem est necesse, erit simpliciter affirmativa, secundum quid negativa. Sic etiam veritas, & falsitas ex utroque attendi potest, at principaliter attendi debet ex modo, an sit convenienter positus; unde fit, ut quamvis dictum sit verum, propositio possit esse falsa, ut si dicamus contingens est hominem esse animal, in hac dictum est verum, & adhuc propositio est simpliciter falsa, quia licet verum sit, hominem esse animal, falsum tamen est illi contingenter convenire rationem animalis; & ideo ut modus sit convenienter positus, & reddat propositionem simpliciter veram, attendi debet materia, in qua fit propositio, & dictum, cui applicatur modus, non enim convenienter formaretur propositio de necessario in materia contingenti, aut propositio de contingenti in materia naturali.

Eodem modo circa quantitatem modalium discurrendum est, quod simpliciter attendatur ex quantitate modi, secundum quid solum ex quantitate dicti, unde illa propositio erit universalis simpliciter, quæ constat modo universalis, etiam si dictum sit particulare, idem e contra: illi autem censentur modi universales, qui amplectuntur omne tempus, & copulam distribuunt pro omni tempore, tales sunt, *Necessarium, & impossibile*, nam ille rem ponit pro omni tempore, iste pro omni tempore tollit; particulares modi e contra censentur, *contingens, & possibile*, ut hic sumitur (nam si sumeretur, ut idem est, quod non repugnans, posset esse modus universalis, possibile enim semper est possibile) quia non amplectuntur omne tempus, contingens enim non semper accidit, sicut nec possibile, ut contingentiam importat; illa igitur modalis, cujus dictum

CAPUT VI.

Quid sit hypothetica propositio, & quæplex.

dictum est particulare; & modus universalis, ut ista; necesse est Petrum esse animal, est simpliciter universalis, & solum secundum quid particularis, & idem est e contra.

62 Dividitur propositio modalis in compositam, & divisam; composita est, in qua *modus se habet, ut prædicatum, & dictum, ut subjectum*, unde constat ex modo nominaliter sumptis, divisa est; in qua *modus adverbialiter sumptus determinat copulam*, habes exempla superius; ajunt quamplures hanc divisionem esse æquivocam, nam alii tantum divisam putant esse modalem, compositam vero esse mere de inesse, ut Tatar. tract. 1. & lib. 2. Perhier. quæst. 2. §. quarto sciendum, cum Bargio citando, cujus ratio est, quia modalis est, cujus copula non est simplex, sed modificata per modum, sed solum divisa copulam habet modificatam, composita vero copulam habet simplicem, & ideo hæc est simpliciter de inesse. Alii e contra compositam agnoscunt pro vere modali, at divisam inquit esse meram de inesse, quia habet prorsus idem subjectum, & prædicatum, quod ipsa, nec in ea cernitur dictum, de quo verificetur modus. At asserendum est, utramque propositionem tum divisam, tum compositam esse vere modalem, & ideo esse divisionem univocam, nam in utraque reperitur modus determinans unionem prædicati cum subjecto, & in utraque exprimitur modus, quo prædicatum convenit subjecto, ergo utraque vere modalis erit, per hoc enim modalis fecerunt a simplici: Composita talis dicitur non tantum, quia expresse componitur ex dicto, & modo, sed præsertim quia facit sensum compositum, & divisa e contra talis dicitur, quia facit divisum, ita Tatar. cit. tract. 1. in Pet. Hiisp. cap. de modalibus, qui sensus compositus, & divisus licet sit obiter explicatur tract. præced. cap. ult. hic tamen rursus diligentia enucleandus est, ut ille, ex cujus intelligentia pendet solutio multarum difficultatum in Theologia, ut notant Complu. lib. 2. cap. 8.

63 Sensus itaque compositus per propositionem modalem ut, docet Tat. cit. faciendo modum prædicari de tota propositione correspondente dicto, ut sensus istius propositionis, *possibile est, album esse nigrum*, est compositus, & explicatur sic per unam categoricam, hæc propositio, album est nigrum, est possibilis, ratio est, quia cum modus est prædicatum in propositione modali, tunc totum dictum vere est subjectum, & consequenter de partibus ejus simul sumptis, & per modum unius prædicatur modus, & ideo sensus erit, formas importatas per extrema dicti esse simul compositibiles in eodem subjecto, & pro eodem tempore, in quo consistit sensum esse compositum; quapropter cum modalis composita semper uniat inter se formas importatas per extrema dicti, & de illis simul sumptis prædicat modum, hinc est, quod semper facit sensum compositum, ex quo infert Tat. ex Scoto 2. d. 2. quæst. 9. modalem compositam de rigore sermonis non bene distingui secundum sensum divisum, & compositum, quia formalissime reddit tantum sensum compositum; quod si sequendo communem usum velimus eam exponere in sensu diviso, tunc ex modalis illa composita duas formare debemus categoricas, unam de inesse, & aliam modalem de adverbio, & sic allata modalis composita, *possibile est, album esse nigrum*, explicatur per has duas, hoc est album, & hoc possibile est nigrum, sive potest esse nigrum, & sic in sensu diviso est vera propositio, quia eidem subjecto, pro eodem instanti tribuitur albo cum possibilitate ad nigredinem, quæ duo non repugnant, quia una forma non excludit potentiam subjecti ad recipiendum aliam, sed solum coexistentiam, & similitatem cum illa, ita Scotus 1. d. 39. sub G, ubi ita explicat sensum compositum, & divisum. Hinc fit, quod sensus divisus est ille, qui significatur per modalem divisam, cum enim in ea modus solum copulam afficiat, & non totam propositionem, denotat subjecto convenire illum modum, non autem ipsis formis prædicati, & subjecti simul convenire, & ideo sicut sensus istarum compositarum, *nigrum esse album, est possibile, flammam sedere est possibile*, est compositus, & significat, quod conjunctio sedendi; & standi est possibilis; ita sensus istarum divisarum, sedens possibiliter stat, seu potest stare, album possibiliter est nigrum, seu potest esse nigrum, est divisus, & significat, quod subjecto sedenti convenit potentia ad standum, non tamen ad standum simul cum sessione; totam hanc doctrinam de modalis divisa, & composita, & de sensu diviso, & composito recipiant Complu. citat. & Jo. de San. Thom. lib. 2. c. 20. ut communem Thomistarum, & valde notanda est pro difficultatibus theologicis in materia de prædestinatione, & divinis auxiliis; ita etiam explicat Bargius sensum compositum, & divisum in 1. dist. 39. ad §. *Ex isto secundo patet tertium*, ex eodem Scoto 2. dist. 2. quæst. 9. de hoc vide etiam par. 2. instit. tract. capit. 2. unde immerito hanc doctrinam inficiatur Poncius cap. 14. parvæ log.

64 HYPOTHETICAM capit. 3. diximus esse propositionem ex pluribus simplicibus constantem conjunctione aliqua inter se connexis, & hæc vel sunt ambæ perfectæ, & constituunt hypotheticam copulativam, si per particulam, & connectantur, ut Petrus dormit, & Paulus studet: si vero per particulam *vel*, constituunt disjunctivam, ut vel dies est, vel nox est. Aut una propositio est perfecta, altera imperfecta, seu unius veritas ab alia dependet, & constituunt hypotheticam conditionalem, quæ illas duas continet invicem unitas per particulam si, ut si Petrus currit, Petrus movetur. Ex quo constat, copulam hypotheticam non esse verbum, sed aliquid adverbium, seu notam simplices conjungentem, verb. gr. Et, vel, Si, atque adeo per conjunctionem hypotheticam una pars conjuncta non prædicatur de alia, solum enim verbum est nota eorum, quæ prædicantur; constat etiam esse principales species hypotheticæ, scilicet, conditionalem, copulativam, & disjunctivam, ad quas alia minus principales reducuntur, quia enim conditionalis includit rationem discurfus, & habet vim illationis, ita quod una simplex inferatur ex alia, ideo ad eam reducuntur rationalis, seu illativa, quæ constat particula *ergo*, ut Sol est, ergo dies est, ac etiam causalis, quæ constat particula *quia*, ut quia Sol est, dies est; imo ut notat Tat. tract. 1. cap. de prop. hyp. si particula *si* non sumatur illative in rigore, ut denotat consequens sequi ex vi antecedentis, sed large, ut importet concomitantiam antecedentis, & consequentis conditionalis fundatam, non quidem in bonitate illationis secundum se, sed supposito aliqua promissione, aut proposito, vel alia causa, ratione cujus positio in esse antecedenti poneretur etiam consequens, ut si veneris ad me, dabo tibi equum, si habere libros, libenter studerem, quarum prima dicitur promissiva, altera pure conditionalis, istæ etiam possunt ad hypotheticam conditionalem reduci: nam tamen si ly, si, in rigore sumatur, quia licet istæ in antecedenti habeant causam consequentis, non tamen necessariam, & ideo dicuntur conditionales imperfectæ, quam doctrinam recipiunt Sotus lib. 3. summ. c. 8. lect. 3. Compl. lib. 2. cap. 4. Casil. lib. 2. tract. 2. c. 1. & alii ex Societate: Conditionalis vero secundum vocem tantum, in qua nimirum conditio posita in antecedente nullo modo est causa consequentis, sed penitus disparate se habent, ut si Cælum tonabit, Berta filabit, nullo modo ad hanc speciem reduci potest, sed est mera copulativa importans solum imperis coexistentiam antecedentis cum consequenti, non causalitatem. Ad copulativam tandem, ut notat Tatar. cit. non ad conditionalem, ut quidam putant, reducuntur omnes propositiones per adverbium temporis, vel loci, vel similitudinis, ut Petrus dormit, quando, aut ubi Paulus studet, Plato fuit doctus, sicut Aristor. & alia consimiles, nam sensus earum est, Petrus dormit in isto tempore, vel loco, & in eodem Paulus studet, & sic de aliis: sequitur Casil. cit. cum aliis.

Verum cum hæc definitio hypotheticæ propositionis, quod sit constans ex pluribus simplicibus conjunctione aliqua inter se connexis, & ejus divisio in conditionalem, copulativam, & disjunctivam sit omnium Summulistarum communis, utpote quæ manifeste traditur ab Arist. 1. Perierm. cap. 4. ubi propositionem hypotheticam vocat, *conjunctione unam*, nihilominus non recipitur ab Hurtad. disp. 3. sect. 3. ubi proinde non distinguit hypotheticam a categorica, quia hæc constat subjecto, prædicato, & copula; tamquam partibus præcipuis, illa vero pluribus enunciationibus simplicibus conjunctione aliqua connexis; quod post ipsum tenet etiam Ovied, controvers. 3. summ. punct. 4. quia, inquit, omnis propositio sive categorica, sive hypothetica constat æque primo, & per se subjecto, & prædicato, tamquam partibus proximis, nam omnis propositio est enunciativa unius de alio, ergo in omni propositione datur unum quod enunciat, & est subjectum; & aliud de quo enunciat, & est prædicatum; ergo omnis propositio constat subjecto, & prædicato. Conf. omnis propositio est judicium, quod essentialiter est cognitio, qua cognoscitur convenientia duorum extremorum; ergo omne judicium, seu omnis propositio dicit unum extremum, cui aliud convenit, & aliud quod convenit, quorum hoc prædicatum, illud subjectum dicitur. Nec juvat dicere hypotheticam habere subjectum, & prædicatum remotum, quia judicium immediate enunciat unum de alio, & immediate fertur in convenientiam extremorum; ergo respicit extrema, tamquam immediate affecta copula est, ergo tamquam partes immediate componentes propositionem omnem. Non ergo ex hoc capite volunt hypotheticam a categorica fecerint, sed ex eo, quod categorica absolute, sed in sua se sola est significativa, hypothetica vero minime, sed in sua

significatio pendet ab alia, tamquam a conditione, ut si Sol lucet, dies est, hic enim existentia prædicatur de die, non absolute, sed dependenter ab existentia conditionata Solis, unde sensus est, dies est existens, si Sol lucet, ubi additum illud, si Sol lucet, prædicatio apposita facit propositionem nihil ponere in esse, sed tantum significare connexionem, seu dependentiam inter subjectum, & prædicatum. Ex quo inferunt hypotheticam differre a categorica ratione additi, si, efficientis illius prædicatum, ex vi cuius copula est, quæ absolutam existentiam ex se importat, illam tantum dicit conditionatam; ac proinde est forma propositionis categoricæ, & hypotheticæ sit copula est, hæc propositiones inter se differunt essentialiter, quia copula est, in hypothetica ratione additi se tenentis ex parte prædicati contrahitur ad significandam existentiam conditionatam prædicati, quam absolutam ex se nullo appposito addito in categorica propositione significat. Ex hoc tandem inferunt nullam propositionem esse proprie hypotheticam, nisi conditionalem; copulativam vero, & disjunctivam esse solum plures categoricas simul sumptas; ratio est, quia in his omnibus existentia prædicati absolute enunciatur, & illam importat dicendum existentiam copula est in propositione apposita. Deinde propositio conjunctiva Petrus currit, & Joannes ambulat, non est simplex propositio, sed duplex categorica, ergo non est hypothetica, probat antecedens Ovid. quod quia a nobis non negabitur, superfluum est eius probationem adducere, ita loc. cit. discurre hic Author.

Hæc est contentio fere tota de nomine, & modo loquendi, nam quoad rem negari nequit, quin hypothetica quoque reduci possit ad modum categoricæ, itaut copula est sit forma ipsam constituens in esse propositionis, & sub modo possit assignari in ipsa subjectum, & prædicatum, non quidem absolute sumptum, sed per aliquam conditionem restrictum, ut patet in exemplo adducto, si Sol lucet, dies est, quæ ita resolvitur, dies est existens, si Sol lucet; imo ut verum fateamur, hoc modo resoluta magis habet rationem propositionis, nam primo modo potius habere videtur vim argumentationis, & illationis, quia sic sumitur per modum antecedentis, & consequentis; unde bene per hoc discerni potest categorica ab hypothetica, quod in illa prædicatum affirmatur de subjecto absolute loquendo, in ista vero minime, sed dependenter a conditione, quæ afficit, & restringit prædicatum; fatemur etiam proprie, & in rigore philosophico, licet non dialectico, solas conditionales esse hypotheticas, tum ob rationem ipsam nominis, tum quia copulativæ, & disjunctivæ possunt commode explicari per plures categoricas: & hic dicendi modus re vera brevius, & clarius aperit rationem propositionis hypotheticæ, ut a categorica fecerintur, minusque confundit Tyronum mentes. Attamen attendendo structuram ipsam artificiosam propositionum hypotheticarum bene loquuntur Summulistæ, dum ajunt formam constitutam illarum non esse copulam esse, sed aliquid adverbium, vel notas plures simplices conjungentem v.g. Si, & Vel, quæ ratione dixit Arist. loc. cit. propositionem hypotheticam esse unam conjunctionem, unde tam propositiones copulativæ, quam disjunctivæ sunt vera complexæ, quatenus constant duplici copula verbali; & licet conditionalis sit minus omnium composita, quatenus veritas reperitur solum in una, & altera se habet, ut mera conditio, adhuc tamen dici potest, ac debet propositio complexa, & composita propter duplicem propositionem, unam tamen ab alia dependentem, nam hypothetica illa si sol est, dies est, includit has simplices, quæ ambæ fœrent veræ ex suppositione existentie Solis super Horizontem, Sol est, ac dies est; Item attendendo structuram artificiosam copulativam, & disjunctivam, bene statuunt illas esse hypotheticas, & a simplicibus essentialiter distinctas, quia veritas copulativæ, & disjunctivæ, & judicium, quod fertur de ipsis, diversum est a veritate, & judicio, quod fertur de ipsis categoricis absolute prolatis, & sine conjunctione, vel disjunctione; hoc patet de copulativa, nam ipsa significat illas simplices, ex quibus componitur, esse simul veras, quam simultatem non significant duæ illæ simplices, non copulativæ; tum quia absolute sumptæ una potest esse vera, altera falsa, sed dum sunt copulativæ, una existente falsa, tota conjunctiva est falsa, ut postea ex eius regulis constabit, ergo est diversum judicium, & diversa veritas de unaquaque propositione categorica seorsum, quam de utriusque simultate, quia si seorsum sumantur, una verificatur, vel falsificatur independenter ab alia, ac copulate veritas unius dependet a veritate alterius; hoc enim adhuc magis patet in disjunctiva, nam altera parte existente falsa, tota disjunctiva est vera, aliud ergo est judicium, & alia veritas totius, & alia partis, per quod patet ad rationes Ovid. in oppositum, & adhuc magis patebit ex dicendis in fine hujus capituli num. 67. ubi de hac re fermo redibit. Quia ergo hic præsertim explicare intendimus formaliter structuram artificiosam hypotheticarum, & non materialiter tantum, relinquendo modum dicendi Recentiorum, prosequimur declarare hypotheticas de more Summulistarum non

storum Parisiensium Tatar. Orbell. Joann. de Montes, & aliorum.

65 In hypothetica propositione suo etiam modo invenitur materia, forma, quantitas, & qualitas; Forma ejus est copula, quæ ambæ simplices conjunguntur, sicut in categorica erat copula unicus prædicatum cum subjecto. Materia est connexio, quam habet una propositio cum alia, sicut in categorica erat connexio, quam habebat prædicatum cum subjecto, & etiam ipsa potest esse naturalis, & impossibilis, & contingens, qualis erit connexio propositionum; unde si duæ contingentes, simplices necessario connectantur, efficiunt hypotheticam in materia necessaria, ut si Homo currit, movetur, quare non ex materia cujuslibet simplicis seorsum, sed ex eo quod principaliter affirmatur, vel negatur per integram hypotheticam, attendenda est ejus materia. Quantitas ejus est, quæ invenitur in utraque categorica, unde si utraque est universalis, vel particularis, tota hypothetica talis erit; si una universalis, & alia particularis, erit mixta; an vero etiam secundum se possit aliquam habere quantitatem, mox dicemus. Qualitas demum ejus erit veritas, vel falsitas, affirmatio, vel negatio, ut de categorica dicebamus, quæ ut magis innoscat, ejusdem regulas subjungimus.

66 Pro veritate, & falsitate hypotheticarum dignoscenda sequentes regulæ sunt observandæ. Ad veritatem conditionalis affirmativæ stricte sumptæ requiritur, ut consequentia secundum se sit bona, idest, quod ex natura antecedentis consequens deducatur, sive antecedens, & consequens in se sint vera vel falsa, sive possibilis, sive impossibilis, sive necessaria, aut contingentia, unde ista conditionalis est vera, si homo est asinus, homo est rudibilis; erit autem falsa, si antecedens potest esse verum consequente existente falso, seu si consequens non necessario ex antecedenti inferatur; unde quia consequentia secundum se bona semper est necessaria, & secundum se mala semper est mala, & consequenter impossibilis; ideo omnis conditionalis vera stricte sumpta, ut habet scilicet vim consequentiæ, est necessaria, & omnis falsa impossibilis, & nulla datur talis conditionalis contingens. Ad veritatem rationalis ultra bonitatem consequentiæ sequitur, ut antecedens sit in se verum, unde hæc erit falsa; homo est asinus, ergo rudibilis est. Ad veritatem causalis ultra bonitatem consequentiæ, & veritatem antecedentis in se, adhuc requiritur, quod antecedens sit causa consequentis, unde hæc erit falsa, quia homo est rudibilis, est rationalis, quia fumus est, ignis est; Ad veritatem tandem puræ conditionalis, & promissivæ requiritur, ut vere existat a parte rei fundamentum illius concomitantie antecedentis, & consequentis, unde ut hæc sit vera, si veneris ad me, dabo tibi equum, necesse est tunc adesse propositum dandi equum, etiam si postea non impleatur promissum, quod si tale propositum non addit, erit propositio falsa, etiam si postea promissum adimpleatur, ut bene hic Complut. advertunt.

Ad veritatem copulativæ requiritur utramque partem esse veram, quod si altera pars, vel utraque sit falsa, falsa erit tota copulativa; ratio est, quia cum utramque partem conjungat, significat utramque ita se habere, sicut enunciatur, unde ista est falsa, Petrus est homo, & homo est lapis; pariter ut dicatur necessaria, utraque talis esse debet, & si una sola est contingens: ratio est, quia hypothetica copulativa non solum affirmat hanc partem, vel illam, sed utramque, atque adeo ratione unius partis contingentis poterit tota copulativa aliquando esse vera, & aliquando falsa, atque adeo contingente vera, vel falsa, ergo ut necessaria sit, utramque partem necessariam requirit. Ut autem sit possibilis, non sufficit utramque partem esse possibilem, sed requiritur etiam, ut sint compossibiles, hæc enim propositio Petrus loquitur, & non loquitur, constat ex partibus possibilibus seorsum, sed quia sunt impossibiles, tota propositio est impossibilis.

Ad veritatem disjunctivæ stricte sumptæ requiritur alteram partem esse falsam, quia disjunctiva in rigore continet exclusionem alterius partis, & reddit hunc sensum, alterum tantum istorum est verum, & sic semper altera pars debet esse falsa: si vero large sumatur, ut idem valet, ac saltem, vel ad minus, sic utraque pars potest esse vera, nam reddit hunc sensum, unum saltem istorum est verum, quo disjunctivo loquendi modo usus est Christus cum dixit: ubi duo, vel tres fuerint congregati, &c. ita Petrus Hisp. tract. 1. & per hanc distinctionem sedatur gravis contentio de hac re inter Modernos. Ad ejus necessitatem requiritur, quod una pars sit necessaria, vel si utraque contingens est, una sit alteri incompossibilis, ut Petrus legit, vel non legit, quare si ambæ sint contingentes compossibiles, ut Petrus ambulat, vel legit, tota disjunctiva erit contingens. Tandem ad ejus possibilitatem requiritur, quod una pars ejus sit possibilis, & ad impossibilitatem, quod utraque sit impossibilis.

Pro affirmatione vero, & negatione hypotheticarum hæc regula pro omnibus tradi solet, quod tunc sunt affirmantes, cum conjunctio utramque conjungens propositionem est

est affirmata, tunc negantes, quando est negata: ratio est, quia hæc se habet in hypotheticis, ut copula in categoricis, unde hæc erit affirmativa, si nullus homo currit, nullus homo movetur, quia conjunctio si non est affecta negatione, hæc vero erit negativa: Non si homo currit, homo movetur, quia conjunctio si afficitur negatione. Sed quamvis prædicta regula pro dignoscendis affirmativis, & negativis in causali, & conditionali locum habeat, attamen non videtur satis congrua in rationali, quæ ut negativa fiat, præponi non solet negatio particulæ illatæ ergo, neque in conjunctiva, quam dum volumus negantem facere, non præponimus particulæ, & negationem dicendo; Non, & Petrus studet, & Paulus studet, sed dicimus, & Petrus non studet, & Paulus non studet, & etiam de disjunctiva eadem dubitatio currit: Dicendum tamen est, quod licet hujusmodi hypotheticæ possint secundum rem alio modo negativæ reddi, quam per negationem præpositam particulæ negativæ, tamen secundum rigorem logicum ita debent negari, unde hæc erit rationalis negativa secundum regulam assignatam, Petrus est homo, non ergo Petrus est equus, & hæc negativa conjunctiva, Nec Petrus studet, nec Paulus studet, nam ly nec, proprie est particula negativa conjunctiva: disjunctiva tamen non videtur fieri posse negativa, nisi per negationem partium.

Pro quantitate harum propositionum nulla peculiaris assignatur regula, eo quia diversam quantitatem non habeant ab ea, quæ est in partibus, cum enim quantitas sumatur ex subjecto, ut dictum est supra, & hypotheticæ non componantur ex subjecto, & prædicato, inde fit proprie non esse universales, aut particulares: ubi tamen advertendum est, copulativas, & disjunctivas aliquo modo universales, & particulares dici posse, quia particula conjunctiva nata est esse nota universalitatis, & disjunctiva particularitatis, unde ratione istarum poterunt secundum se dici universales, & particulares, ut infra c. 9. magis explicabitur.

67 Quares, an divisio propositionis hypotheticæ in conditionalem, conjunctivam, & disjunctivam sit proprie generis in species; Negant quamplures, eo quia putant copulativas, & disjunctivas esse omnino simplices, nec distinctam veritatem habere, aut falsitatem a simplicibus, ex quibus constant, unde etiam, & earum sensus est simplex, & per unam categoricam explicatur, sensus enim v. g. istius conjunctivæ, & Petrus, & Paulus studet, est hic, uterque studet; sensus istius disjunctivæ, vel Petrus studet, vel Paulus studet, est hic, unus istorum studet; imò neque conditionalis videtur vera hypothetica, cum enim includat vim discursus, non significat veritatem, sed consequentiam, atque ideo erit argumentatio potius, quam hypothetica propositio. Dicendum tamen est, tam conditionalem, quam conjunctivam, & disjunctivam esse proprie hypotheticas, ac proinde divisionem illatam esse generis in species; ita Tatar. cit. & sequitur Jo: de S. Tho. q. 5. art. 3. licet cum aliqua analogia, quia ut patet ex vi ipsius nominis propositio hypothetica prius dicitur de conditionalis quam de cæteris. Ad rationem in oppositum de conjunctiva, & disjunctiva negatur assumptum, nam habent veritatem, & falsitatem propriam a simplicibus prorsus diversam, & diversam sit judicium de ipsis, ac de simplicibus, ex quibus constant, ut patet ex regulis allatis pro earum veritate discernenda; sunt etiam propositiones vere complexæ, quia constant duplici copula verbali, nec dicuntur una, nisi conjunctione, ut inquit Arist. Quod autem possit designari earum veritas per unam categoricam, velut in actu signato, non tollit, quin vere in actu exercito veritas earum sit hypothetica in copulatione, aut disjunctione plurium propositionum consistens, imò, & veritas ipsius conditionis ita exprimi potest per unam categoricam in actu signato dicendo, quod est conjunctio plurium simplicium per particulam si. Ad aliam de conditionali concedunt Complut. cit. non participare rationem propositionis nisi secundum quid, essentialiter vero esse tantum argumentationem. Sed dicendum est conditionales multoties non tantum habere vim illativam, sed etiam assertivam, cum nimirum sub conditione aliquid affirmant, vel promittunt, ut patet de ista, si homo esset asinus, esset rudibilis, nam de ista fertur judicium non tantum quoad illationem, sed etiam quantum ad assertionem, idest quantum ad ita esse, vel non esse, atque adeo ut sic propriam veritatem habeat.

Sed dices, quomodo eadem oratio potest esse simul argumentatio, & propositio, cum hæc essentialiter sit oratio enunciativa, cui convenit esse veram, vel falsam, argumentatio autem solum dici potest bona, vel mala, cum non sit enunciativa; sed illativa? Resp. non esse inconveniens, quod eadem oratio materialiter sub diversis formalitatibus pertineat essentialiter ad orationem enunciativam, & illativam, & ita se habet in proposito conditionalis hypotheticæ; quatenus enim includit vim consequentiæ, dicitur illativa, & quatenus etiam præcisa vi consequentiæ asserit aliquid ita esse, vel non esse, non quidem per prædicationem unius de alio, quia id pertinet ad categoricas, sed per connexionem plurium

simplicium factam per copulam hypotheticam, dicitur enunciativa.


CAPUT VII.

De Oppositione Categoricarum simplicium.

68 Cognita essentia, & multiplicitate propositionum, restat earum proprietates explanare, quæ sunt Oppositio, Equipollentia, & Conversio, & primo agemus de oppositione categoricarum simplicium, deinde modalium, & hypotheticarum.

Oppositio itaque est, duarum propositionum utroque extremo participantium eodem ordine secundum qualitatem, vel quantitatem, vel utramque repugnantiam, ex quo patet, hic nos non loqui de oppositione reali rerum, qualis est ea, quæ inter calorem, & frigus versatur, nec de illa, quæ inter terminos reperitur, nam de hac egimus tractatu præcedenti capite nono, sed de illa præcise, quæ inter propositiones versatur; neque oppositionem hic accipi in toto rigore, quia talis penes qualitatem tantum attenditur in propositionibus; ita quod una sit vera, altera falsa, non autem penes quantitatem, non enim in rigore universalis, & particularis opponuntur, cum una continueatur sub alia, sumitur ergo fute pro quacumque diversitate oppositionum secundum qualitatem, vel quantitatem, & dicitur repugnantia duarum propositionum, nam eadem enunciatio sibi ipsi non adversatur: dicitur, utroque extremo participantium, idest eodem subjecto, & prædicato, hæc namque sunt extrema propositionis, & eodem modo in utraque acceptis, ita quod non varietur terminorum suppositio, appellatio, ampliatio, &c. sed in utraque sumantur pro eodem significato, re, & nomine, ut servetur terminorum univocatio cum eadem integritate, ne aliquis terminus ponatur in una, qui non sit in alia pro eodem loco, & tempore, ut docet Scor. 2. d. 1. q. 9. sub S, ut in summa sola variatio sit in qualitate, aut quantitate propositionum, in cæteris sunt prorsus uniformes; dicitur, eodem ordine, quia propositionum utroque extremo participantium, alia participant inverso ordine, ut homo est animal, animal est homo, alia eodem ordine, ita quod subjectum in una sit etiam subjectum in alia, & pariter prædicatum unius sit quoque prædicatum alterius, ut homo est animal, homo non est animal, & hoc secundum requiritur ad oppositionem, dicitur, secundum qualitatem, vel quantitatem, &c. quia secundum affirmationem, & negationem, universalitatem, aut particularitatem repugnantia propositionum attenditur.

69 Possunt autem quadrupliciter propositiones adinvicem repugnare, nam esse potest repugnantia maxima, ita quod opponatur, & in quantitate, & in qualitate, & hæc dicitur contradictoria oppositio; vel esse potest minima, ita quod in sola quantitate repugnent, in qua non datur rigorosa oppositio, & hæc appellatur subalterna; vel medio modo repugnare possunt, scilicet in qualitate sola, in qua attenditur vera oppositio, in quantitate autem convenire, quæ si fuerit universalis, dicitur oppositio contraria, si particularis, dicitur subcontraria: ex quo sequitur quadruplicem esse oppositionem, contradictoriam, contrariam, subcontrariam, & subalternam, quarum prima est maxima, ultima minima, alia duæ mediæ, & singulæ sunt explicandæ cum suis regulis, & legibus. Ut autem tota hæc doctrina de oppositione categoricarum simplicium a Tyronibus percipiatur, subscriptam figuram solent illis proponere Summulistæ.



Contradictoria oppositio est repugnantia duarum propositionum in quantitate, & qualitate simul, ita quod una sit universalis affirmativa, & alia particularis negativa, vel omnis homo est albus, quidam homo non est albus, vel universalis negativa, & particularis affirmativa, ut nullus homo est albus, quidam homo est albus; ubi notandum cum Tar. tr. 1. hic definiti contradictoriam oppositionem de subjecto communi; ideo licet ista, Sortes currit, B 4 Sortes

Sortes non currit, non sunt universalis affirmativa, & particularis negativa, tamen sunt veræ contradictoriae, nam singularis affirmativa, & singularis negativa semper contradictorie opponuntur, ut docet Arist. 1. Perierh. cap. 5. Lex vero contradictoria indispensabilis est, quod non possunt simul veræ esse, aut simul falsæ, sed semper una est vera, altera falsa, & fundatur in illo generali, & irrefragabili principio, *idem de eodem simul affirmari, & negari non posse*; in propositionibus autem contradictoriis idem prædicatum eodem modo comparatur ad idem subiectum in una affirmative, in alia negative, ergo impossibile est, utramque esse veram.

Dices, ista contradicunt album; & non album, & tamen homo, in quantum homo, nec est albus, nec non albus, ergo inter contradictoria dari potest medium. Resp. aliud esse loqui de terminis, aliud de propositionibus contradictoriis; nam inter terminos, seu contradictoria incomplexa, si fumantur cum aliqua determinatione, vel syncategoremate, utique dari potest medium, ut probat argumentum, si tamen fiant propositiones dicendo, homo in quantum homo est albus, homo in quantum homo non est albus (sic enim formari debent, ut sint contradictoria, ut quod affirmatur in una, negetur in alia) prima est vera, altera falsa, ita Doctor 3. d. 2. quest. 7. infra K.K., & d. 4. q. 1. sub E., & d. 5. quest. 1. sub L. & alibi sæpe, & male negat Casil. cit. c. 7. præfatas propositiones esse contradictorias, licet enim istæ non contradicant, homo in quantum homo est albus, homo in quantum homo non est albus, quia quod affirmatur in prima, non negatur in secunda, & cum ipsa sit affirmativa de prædicato infinito, negatio tamen præposita copulæ negat in secunda, quod affirmabatur in prima, & ita constituit illam contradictoriam primam, nam illa affirmat albedinem esse de essentia hominis, quod ista directe negat, unde falsum est, quod ait Casil. hanc secundam affirmare carentiam, seu negationem albedinis esse de essentia hominis, quia hæc secunda propositio est negativa de prædicato finito, ut autem affirmaret de homine carentiam albedinis deberet esse affirmativa de prædicato infinito. hoc modo homo in quantum homo non est albus. Eadem causa male negant Arriaga disp. 2. num. 36. & Ovied. has esse contradictorias Petrus essentialiter est albus, Petrus essentialiter non est albus, ea frater ratione, quia utraque falsum affirmat, prima albedinem esse de hominis essentia, & secunda negationem illius. Nam re vera secunda propositio non est affirmativa, sed negativa eius, quod affirmatur in prima.

Observandum tamen est, meliorem modum contradicendi, ne deceptio contingat, esse, si in negativa propositione negatio non solum copulæ præponatur, verum etiam adverbio, & cujuscumque syncategoremati, quod affirmativam afficiebat, ita enim fiet, ut vere opponantur, & quidquid in una affirmatur, in alia negetur, nam de rigore sermonis negatio solum negat, quæ post se invenit, non quæ ante se; hac de causa hæc non contradicunt Petrus semper studet, Petrus non semper studet; cum possint simul esse falsæ ex hypothesi, quod interdum studeat, interdum non, quare potius sint contrariæ, ut igitur contradicant, sic debent fieri, Petrus semper studet, Petrus non semper studet, nam cum non semper æquivalet aliquando non, sicut non omnis æquivalet aliquis non, sensus secundæ est Petrus aliquando non studet, quæ ideo opponitur primæ, quæ faciebat sensum universalem quoad tempus; & ideo nunquam esse possunt simul veræ, vel falsæ. Dices, hæc possunt esse simul veræ, homo semper studet, homo non semper studet, si Petrus ver. grat. semper studeat, & Paulus non semper studeat. Resp. id verum esse, quia illæ propositiones sunt subcontrariæ, quia terminus est communis, qui in materia contingenti æquivalet particulari, ac proinde ambæ verificari possunt, cum non sint de eodem subiecto; quot autem conditiones requirantur, ut duæ propositiones invicem contradicant, vide Tat. libro 1. Perierh. qu. 3. dicit. 2. & alios Summulistas.

70 Contraria oppositio est repugnantia duarum propositionum universalium in qualitate, ut omnis homo est albus, nullus homo est albus, & ad hanc spectant propositiones indefinitæ, si sint in materia necessaria, aut impossibili, quia sic æquivalent universalibus, quæ autem conditiones requirantur, ut duæ sint contrariæ, vide Tatar. cit. dub. 1. Lex istarum est, quod in nulla materia possunt ambæ simul esse veræ, bene tamen simul falsæ in materia contingenti, ut patet in allato exemplo: in materia vero necessaria, aut impossibili semper una est vera, & alia falsa, ut omnis homo est animal, nullus homo est animal, non possunt ambæ simul esse veræ, quia aliqui contradictoriae possunt esse simul veræ, nam si duæ allatæ essent veræ, etiam hæc duæ essent veræ, omnis homo est animal, & aliquis homo non est animal, ex universalis inquam negativa vera, nullus homo est animal, potest inferri particularis negans, aliquis homo non est animal; possunt esse simul falsæ in materia contingenti, id est quia ex falsitate propositionis universalis non recte inferitur in tali materia falsitas particularis, ver. grat. ex

hac falsa omnis homo est albus, non sequitur hanc esse falsam aliquis homo est albus, quia prædicatum contingens potest convenire uni ex inferioribus subiecti, licet non omnibus: in necessariis vero, aut impossibili non possunt esse simul falsæ, quia in his prædicatum omnibus convenit inferioribus, aut nulli. Sed dices, contradictoriae in nulla materia queunt esse simul veræ, vel falsæ, quia affirmativa totaliter per negativam removetur, sed hoc idem in contrariis evenit, quia hæc propositio omnis homo est animal totaliter per hanc removetur, nullus homo est animal & inter eas nullum relinquitur medium. Resp. affirmativam universalem ut sic, non removeri totaliter per negativam universalem, ut bene hic notarunt Complut. nam inter omnes, & nullum mediat aliquis, atque ita universalis affirmativa, & universalis negativa vere habent medium, interdum tamen ratione materiæ, naturalis scilicet, vel impossibilis medium non admittitur, ut patet in exemplo allato in argumento, eadem enim ratione, quæ verum esse aliquem hominem esse animal, verum esse etiam ratione materiæ omnem hominem esse animal, hinc dicimus in materiæ impossibili, vel naturali duas contrarias non posse esse simul falsas.

Subcontraria oppositio est repugnantia duarum enunciationum particularium in qualitate, ut quidam homo est albus, quidam homo non est albus. Lex earum est, posse esse simul veras in materia contingenti, ut patet in allato exemplo: & ratio est, quia idem prædicatum non affirmatur, & negatur de eodem subiecto determinato, aliter essent contradictoriae. Non possunt tamen simul esse falsæ, aliqui sequeretur contradictorias simul esse falsas, nam ex falsitate particularis recte inferitur falsitas universalis, eo enim ipso quod prædicatum removetur ab aliquo inferiori subiecti, non amplius convenit illi subiecto universaliter sumpto; ergo ex his duabus subcontrariis aliquis homo est albus, aliquis homo non est albus inferentur hæc contradictoriae simul falsæ, omnis homo est albus, & aliquis homo non est albus, tum quia, ut affirmativa esset falsa, nullus homo deberet esse albus, & sic negativa tunc esset veræ.

Subalterna denique oppositio est repugnantia duarum propositionum in sola quantitate, ut universalis affirmativa cum particulari affirmativa, vel universalis negativa cum particulari negativa: lex earum est, quod si universalis sit vera, particularis etiam erit vera, non tamen e converso nisi in materia necessaria; ratio est, quia ex universalis vera potest inferri particularis, non e contra, quia si prædicatum convenit omnibus inferioribus subiecti, convenit etiam alicui ex inferioribus, non tamen e contra, si convenit alicui, ergo omnibus, quia non valet aliquis homo est albus, ergo omnis homo est albus. Quod si hæc est vera, quidam homo est animal, ergo omnis homo est animal, hoc non provenit ex parte formæ, cum in simili forma detur antecedens verum, & consequens falsum, sed ex parte materiæ, quia est necessaria. Deinde si particularis sit falsa, etiam universalis erit falsa, non tamen e contra, ratio est, quia si prædicatum removetur ab aliquo inferiori, jam non convenit omnibus, non tamen si removetur ab omnibus simul sumptis, ideo removetur ab aliquo determinato: quod si contingat interdum ex universalis falsa sequi etiam particularem falsam, ut in hac, omnis homo est lapis, id solum est ex parte materiæ, quæ est impossibilis, eadem enim ratione, quæ impossibile est omnem hominem esse lapidem, eadem etiam impossibile est aliquem hominem esse lapidem.

71 Quæres an omnes supradictæ oppositiones sint veræ oppositiones? Resp. solam contradictoriam, & contrariam esse veras oppositiones, non autem subcontrariam, & subalternam, ita Tatar. 1. Perierh. quest. 4. §. Primo sciendum, sequitur Fonseca lib. 3. dialect. instir. cap. 6. Blanc. lib. 6. sect. 13. Arriaga disp. 2. num. 22. Amic. dub. 3. & alii quamplures, & est expressa Arist. sententia 1. Perierh. c. 5. & 2. Priorum cap. 5. Ratio est, quia vera oppositio est ejusdem de eodem, non nominis tantum, nec rei tantum, sed rei, & nominis simul, ergo quia subalternæ non opponuntur secundum affirmationem, & negationem, & possunt ambæ esse simul veræ, & simul falsæ, ut patet ex regulis earum, imo una illarum, scilicet universalis continet aliam, quæ est particularis, qui enim asserit omnem hominem esse animal, consequenter asserit aliquem hominem esse animal; sane non erunt veræ, & in rigore oppositæ. Et parum refert, quod una sit universalis, altera particularis, quia in quantitate non datur vera oppositio, & quantitas major minori non repugnat, quare subalternæ dici debent potius diversæ quantitatis, quam oppositæ; unde, & contradictoriae ipsæ non veræ dicuntur opponi ratione quantitatis universalis, & particularis, sed præcisè ratione qualitatis, affirmationis nimirum, & negationis, falsitatis, & veritatis. Quia vero subcontrariæ, licet sint affirmantes, vel negantes, non tamen sunt de uno, & eodem subiecto, secundum rem, sed tantum secundum vocem, alioquin non possent esse simul veræ, cum de eodem subiecto non possit idem affirmari, & negari, ideo non sunt vere oppositæ: unde

unde quando dicimus quidam homo est albus, quidam homo non est albus, est idem subiectum in utraque tantum secundum vocem, non tamen secundum rem, quia in prima supponit v.g. pro Petro, qui est albus, & in alia pro alio scilicet Paulo qui non est albus; quod si supponerent pro eodem homine, tunc non erunt subcontrariæ, sed contradictoriae propositiones, nam affirmatio, & negatio de subiecto singulari pertinent ad oppositionem contradictoriam, ut diximus, & facerent hunc sensum, hic homo est albus, hic homo non est albus: Ex quo sequitur duas tantum esse species oppositionis in rigore, scilicet contradictoriam, & contrariam, in his enim solum, quod una negat, altera affirmat, nihilominus Petrus Hisp. & ceteri omnes Summulistæ inter oppositiones recentent etiam subcontrariam, & subalternam; eo quod interserviant ad consociendam figuram oppositarum, & quia sumunt oppositionem late pro quacumque diversitate, ut notat Casil. cit. c. 7.

In fine observandum est, signa quantitatis propositionum, quæ sunt quatuor, omnis, nullus, quidam, quidam non, ex quibus duo priora sunt universalis, alia duo posteriora particularis, inter se habere omnes oppositiones, quæ in enunciationibus reperiri valent, nam omnis, & nullus sunt notæ contrariæ, aliquis, & aliquis non subcontrariæ, omnis, & aliquis, nullus, & aliquis non, sunt subalternæ, demum omnis, & aliquis non, nullus, & aliquis, contradictories; Ac etiam in signis mixtis ex universalis, & particulari suo modo reperitur oppositio, quia enim alia sunt magis universalis, ut uterque, & neuter, alia magis particularis, ut alter, alter non, ideo uterque, & neuter opponuntur contrarie, neuter vero, & alter, & similiter uterque, & alter non contradictorie, alter vero, & alter non, subcontrarie, denique uterque, & alter, aut neuter, & alter non subalterne opponuntur.

CAPUT VIII.

De Æquipollentia, & Conversione Cathegoricarum simplicium.

72 Æquipollentia ad explicandas propositiones obscuriores infervit, & dignoscendam unius propositionis ad alteram, cui æquivalet in significato, est verbis sit diversa, consequentiam, & definitur, quod sit duarum propositionum oppositarum æquivalentia in significato ob negationem subiecto earum propositam, vel postpositam, vel postpositam, & postpositam simul, unde negatio est, quæ propositiones oppositas reddit in sensu æquivalentes, cum enim sit malignantis naturæ, ut ajunt logici, & tollat quicquid post se invenit, hinc est, quod si invenit propositionem affirmativam, reddit negativam: si universaliter reddit particularem, & e contra, dummodo neganter accipiat, & non infinitanter, atque ita facit propositiones oppositas æquipollere, & diversimode juxta diversam dispositionem illius circa subiectum illarum, nam præposita facit uno modo æquipollere, & postposita facit æquipollere alio modo, & ideo ad dignoscendam variam propositionum æquipollentiam tres solent dari regulæ hoc uno versu contentæ. *Præ contra, Post contra, Præpostque subalter.*

Præ contra significat primam regulam, scilicet quod negatio præposita subiecto propositionis, & illius signo, reddat illam suæ contradictoriae æquipollentem, ut hæc omnis homo est albus sit æquipollens huic aliquis homo non est albus, si præponas negationem, & dicas non omnis homo est albus; & si huic propositioni, aliquis homo non est albus, præponas negationem dicendo, non aliquis homo non est albus, sit æquipollens suæ contradictoriae, quæ est, omnis homo est albus; ratio est, quia negatio, ut dicebamus, destruit omne, quod post se invenit, & oppositum ponit. *Post contra* significat secundam regulam, scilicet quod negatio postposita subiecto universalis facit illam æquipollentem suæ contrariæ, v.g. omnis homo est albus, si postponas negationem subiecto dicendo, omnis homo non est albus, æquipollent suæ contrariæ, quæ est, nullus homo est albus, & hæc alia, nullus homo est albus, si subiecto postponas negationem dicendo, nullus homo non est albus, æquivalet illi, omnis homo est albus, quæ est sua contraria. *Præpostque subalter* significat tertiam regulam, scilicet quod negatio præposita, & postposita subiecto, facit illam æquipollere subalternæ, ut omnis homo est albus, si ejus subiecto præponas, & postponas negationem dicendo, non omnis homo non est albus, æquipollent suæ subalternæ, quæ est, quidam homo est albus, & hæc rursus illi æquipollent, si ejus subiecto præponas, & postponas negationem dicendo, non quidam homo non est albus; ut autem facilius æquipollentia propositionum dignoscatur, & memoriæ mandetur, notarum, seu signorum propositionis advertere debemus æquipollentiam, quæ his verbis continetur, nam illa ex ista dependet.

Non omnis, quidam non, omnis non, quasi nullus
Non nullus, quidam, sed nullus non, valet omnis
Non aliquis nullus, non quidam non, valet omnis
Non alter, neuter: neuter non, præstat uterque.

73 Restat tamen adhuc difficultas de modo, quo subcontrariæ fieri possint æquipollentes, Casilius c. 8. cum quibusdam aliis inquit pro æquipollentia subcontrariarum deservire posse regulam datam pro æquipollentia contrariarum, quod nimirum postponatur negatio: At si regulam illam applicemus, inutilem esse patebit; accipiamus v.g. has duas subcontrarias, quidam homo currit, quidam homo non currit, si negationem postponamus subiecto primæ dicendo, quidam homo non currit, jam non erit æquipollens, sed penitus eadem cum sua subcontraria, si secundæ postponas negationem, neque ob id æquipollentiam cum prima adinvenies, sed fiet inutilis repetitio negationis dicendo quidam homo non, non currit, ergo negatio postposita inepta est pro æquipollentia subcontrariarum. Sed neque valet præposita, nam si præponatur primæ dicendo, non quidam homo currit, idem erit, quod nullus homo currit; si præponatur secundæ dicendo, non quidam homo non currit; idem erit, quod omnis homo currit. Neque tandem si præponatur, & postponatur simul, nam si id fiat in prima dicendo, non quidam homo non currit, idem valet, quod omnis homo currit; si fiat in secunda, fit inutilis repetitio negationis, dicendo, non quidam homo non, non currit, ergo quocumque modo disposita negatio nequit facere subcontrarias æquipollentes; hac de causa Summulistæ communiter negant æquipollentiam in subcontrariis reperiri posse, ita Scot. 1. 3. sum. c. 4. Villalp. 1. 2. c. 8. Jo. de S. Thom. cap. 18. Roccus lib. 1. c. 14. Njeron. & Pla. & alii.

Sed cum æquipollentia communiter inter proprietates propositionis enumeretur plane omnibus convenire debet, & potius entendum erit invenire modum applicandi unam ex tribus allatis regulis pro æquipollentia subcontrariarum, quam absolute negare proprietatem hanc illis convenire; poterit igitur applicari secunda regula postponendo nimirum negationem, non adverbialiter, sed nominaliter scilicet nullum, ut advertit Fonsec. cit. c. 7. & sequitur Blanc. sect. 18. si enim subcontrariæ affirmanti v.g. quidam homo est albus apponas post ejus subiectum negationem nullum faciet hanc, quidam homo nullum est albus, hæc autem æquipollent illi quidam homo non est albus, & si huic subcontrariæ neganti postponas negationem nullum dicendo, quidam homo nonnullum est albus æquipollent affirmanti quidam homo est albus; Quod si etiam postponeres negationem verbaliter hoc modo quidam homo non est non albus, adhuc æquipollent affirmanti quidam homo est albus; atque ita per tres præfatas regulas habemus modum inveniendi æquipollentiam in omnibus propositionibus.

74 Quæres, an propositio affirmativa de prædicato infinito æquipollat negativæ de prædicato finito, & e contra, ita quod ex una possit alia inferri, ut Petrus non est justus, ergo est non justus, & e contra. Resp. quod Arist. 1. Perierh. c. 1. ita docuisse videtur, nam ibi absolute dicit ex negativa de prædicato finito inferiori posse affirmativam de prædicato infinito, & e contra, tamen postea 1. Priorum c. ult. illam regulam limitat, quod non valeat in prædicatis compositis; non enim valet, lapis non est lignum album, ergo est lignum non album: quia affirmatur lignum in secunda, quod non affirmabatur in prima; quam limitationem ex Arist. etiam Scotus memorat 1. d. 4. q. 1. ad 3. E. & 3. d. 3. q. 1. sub G. docet etiam non valere in prædicatis simplicibus accidentalibus arguere a negativa de prædicato finito ad affirmativam de infinito v.g. Antichristus non est crudelis, ergo est non crudelis, nam secunda ratione affirmatæ copulæ, & prædicati contingentis importat existentiam subiecti, ubi prima de existentia subiecti nihil curat; subdit tamen posse consequentiam tenere, si in negativa arguatur cum constantia subiecti hoc modo, Antichristus non est crudelis, & Antichristus est, ergo est non crudelis; unde quia in propositionibus in materia necessaria, vel remota non requiritur existentia subiecti, valebit absolute consequentia ex una ad aliam, v.g. homo non est animal, ergo homo est non animal, homo non est lapis, & hæc est communis doctrina Summulist. Tatar. tamen 1. 2. Perierh. quest. 1. §. dicitur primo, inquit, quod etiam in prædicatis simplicibus accidentalibus consequentia tenet a negativa de prædicato finito ad affirmativam de infinito, quia licet album verbi g. aut nigrum supponat existentiam subiecti, non tamen illud necessario supponit non album, & non nigrum; imo sunt negationes extra genus convenientes indifferenter tam enti, quam non enti, unde dum dicimus, Chymera non est alba, ergo Chymera est non alba, sensus est, quod Chymera est ens, vel non ens, quod est non album, & hæc doctrina videtur a Scoto innumerata 1. d. 28. qu. 2. §. ad arg. hujus questionis, ubi ait in simplicibus affirmativam de prædicato infinito sequi ad negativam de prædicato finito, ubi illud prædicatum infinitum significat negationem extra genus; quid autem sit nega-

negatio in genere, & extra genus, & quomodo differant docet Doctor eleganter p. d. 23, q. un. H.

Hanc sententiam sequuntur quicumque affirmant nomen infinitum verificari tam de his, quae sunt, quam quae non sunt, iuxta illa, quae docuimus de nomine infinito c. 1. hujus tract. & fuit doctrina Arist. 1. de interp. c. 1. dum inquit, non homo est nomen, qui similiter in quolibet est, & quod est, & quod non est, & probatur ex ratione ipsius nominis infiniti, quia hoc non ponit in subiecto, nisi negationem illius, cui adjungitur negatio; sed negatio, ut verificetur, non exigit existentiam, aut possibilitatem subiecti, quia nihil prius ponit in eo, ergo &c., & ita sentiunt de nomine infinito antiquiores omnes Boet. Ammon. D. Thom. de interp. c. 1. & recentiores fere omnes ibidem Tol. Ru. Amic. & alii; & videtur etiam ita sentire Scot. 2. Perhier. q. 5. in fine ubi ait affirmativam de praedicto infinito toto modis verificari, quot negativa de praedicto finito, esse enim non hominis non plus ponit, quam non esse hominis.

Sed obicit Scotus lib. 2. Summ. c. 1. nomen infinitum non verificari de non existentibus, & impossibilibus, quia secundum regulam Summullist. propositio affirmativa de subiecto non supponente, idest non existente, est falsa, & 1. Prio. cap. ult. docet Arist. valere consequentiam a propositione de 3. adjacente ad 2. adjacens, non valeret autem, si subiectum non existeret, quia est 2. adjacens dicit existentiam subiecti. Addit Arriag. disp. 13. Log. sect. 5. quod licet possit de Chymera dici, quod non est homo, non tamen dici potest, quod est non homo, quia id significat esse aliquid, quod non fit homo, hac enim negatio confuse dicit omnia alia ab homine, chymera autem neque est homo, neque aliquid ad hominem distinctum.

Regulam illam Summul. valere tantum in propositionibus accidentalibus, in quibus copula unit subiecto formam aliquam positivam secundum actualem existentiam extremorum, non autem propositionibus necessariis, aut illis, quae simpliciter enunciant negationem, & nihil positivum ponunt in subiecto, ut est propositio constituta ex nomine infinito, sic etiam cum ait Arist. valere consequ. a propositione de 3. adjacente ad 2. loquitur de illis propositionibus accidentalibus, quia accidens non potest convepire subiecto, nisi existenti. Ad Arriag. falsum est nomen infinitum, ut non homo, significare omnia alia ab homine, quia formaliter non significat, nisi negationem rei significatae per nomen, cui adjungitur: potest tamen concedi, quod illa omnia connotet materialiter tamquam subiecto, quibus applicari potest.

75 Conversio propositionum est per extremorum commutationem subiecti in praedictum, & praedicti in subiectum unius ad aliam necessariam consequentiam servata eadem semper qualitate, & veritate, idest quod maneat copula affirmativa, & negativa utrobique, & utraque sit vera, ut v. g. aliquis homo est animal, sic convertitur, aliquid animal est homo; propositio, quae convertitur, dicitur conversa altera, quae ex illa inferitur, & in quam convertitur, dicitur convertens. Triplex solet assignari conversio, simplex, per accidens, & per contrapositionem: prima fit, quando nec quantitas mutatur, nec qualitas, & ideo dicitur conversio simpliciter, totalis, & mutua, & hoc modo duo propositionum genera convertuntur, universalis negativa in universalem negativam, ut nullus lapis est homo, ergo nullus homo est lapis; & particularis affirmativa in particularem affirmativam, ut quidam homo est animal, ergo quoddam animal est homo. Secunda conversio fit mutata quantitate universalis in particularem, & sic duo propositionum genera convertuntur, universalis affirmativa in particularem affirmativam, ut omnis homo est animal, ergo aliquid animal est homo, & universalis negativa in particularem negativam, ut nullus homo est lapis, ergo quidam lapis non est homo, & ideo dicitur conclusio partialis, & non mutua: ubi nota universalem affirmativam posse etiam simpliciter converti in terminis convertibilibus, ut omnis homo est rationalis, ergo omne rationale est homo, & universalem negativam posse simpliciter converti, & etiam per accidens, quia particularis continetur sub universali. Tertia fit, cum infinitantur extrema, & ideo dicitur per contrapositionem, quia fit per terminos infinitos, qui finitis contraponuntur, & sic convertuntur universalis affirmativa in universalem affirmativam, & particularis negativa in particularem negativam, ut omnis homo est animal, ergo omne non animal est non homo, aliquis homo non est albus, aliquid non album non est non homo, & proprie non est conversio (nisi secundum sensum) quia non manent extrema eadem.

76 Regula communis omnibus conversionibus, ut bene fiant, est, quod in utraque propositione, idest, conversa, & convertente, servantur semper eadem suppositio, & aliarum affectiones, & propterea vitiosae sunt haec conversiones, aliqua species est leo, ergo aliquis leo est species, aliquis dormiens est excitatus, ergo aliquis excitatus est dormiens, in prima enim variatur suppositio, in secunda variatur status, & sic de aliis; ut vero haec omnia facilius intelligantur, quatuor vocales designatae sunt. A. E. I. O. quarum prima significat universalem affirmativam,

secunda universalem negativam, tertia particularem affirmativam, quarta particularem negativam; quod his carminibus exprimi solet.

Afferit A, negat E, sunt universaliter ambae,
Afferit I, negat O, sunt particulariter ambae,

Ex his vocalibus quibusdam adjectis consonantibus pro integritate dictionum tres sunt constitutae dictiones, Feci, Eva, Afo, in quibus omnes comprehenduntur conversiones, & his verbis indicantur.

Feci simpliciter, convertitur Eva per acci,
Afo per contra, sic fit conversio tota.

Unde ly Feci, denotat, quod universalis negativa, & particularis affirmativa simpliciter convertuntur, Eva, significat, quod universalis negativa potest etiam per accidens converti, universalis autem affirmativa per accidens solum loquendo universalis. Afo, demum significat, quod universalis affirmativa, & particularis negativa converti possunt per contrapositionem. Observandum tamen est in conversione simplici, quod si praedictum implicite continetur in copula, ut accidit in propositionibus de 2. adjacente, tunc resolvitur debet verbum in suum significatum hoc modo, omne animal sentit, ergo omne sentiens est animal, equus currit, ergo aliquid currens est equus; in propositione vero constante terminis obliquis debet etiam fieri aliqua circumlocutio hoc modo, ut v. g. hic liber est Petri, ergo aliqua res Petri est hic liber.

Quaes, quomodo convertantur propositiones singulares, ac indefinitae?

Resp. quod convertuntur simpliciter, ut v. g. Petrus currit, convertitur in hanc, aliquid currens est Petrus, idem dicendum de indefinitis, quarum subiectum est terminus communis simpliciter supponens, & pro suo immediato significato, ut animal est genus, ergo aliquid genus est animal; homo est species, ergo aliqua species est homo.

C A P U T IX.


De oppositione, equipollentia, & conversione categoricarum modalium, ac etiam hypotheticarum.

77 O ppositio in modalibus attendi debet penes modum, si nimirum fuerit universalis, aut particularis, affirmativa, vel negativa, diximus autem supra c. 6. quod, necesse est modus universalis affirmativus, unde assimilatur signo, omnis; impossibile, est modus universalis negativus, & assimilatur signo, nullus; contingens autem, seu possibile, est modus particularis affirmativus; & assimilatur signo, aliquis, & tandem, possibile non, seu contingens non, est modus particularis negativus, & assimilatur signo, aliquis non, quod breviter his verbis exprimi solet.

Omnis necesse valet, impossibile nullus.
Possibile quidam, quidam non possibile non.

Cum igitur hi modi per omnia assimilentur praedictis signis, consimili etiam modo contingit in eis oppositio, & ideo sicut contrariantur, omnis, & nullus, ita necesse, & impossibile, & sicut subcontrariantur, quidam, & quidam non, ita subcontrariantur, possibile, & impossibile non, & rursum sicut contradicuntur, nullus, & quidam, omnis, & quidam non, ita contradicuntur, impossibile, & possibile, seu contingens, item necesse, & possibile non, seu contingens non, Et tandem sicut omnis, & aliquis, nullus, & aliquis non, subalternantur, ita etiam necesse, & possibile non, seu contingens, ac impossibile, & possibile non, seu contingens non. Exemplum sit in modalis de dicto singulari, ut res percipiatur facilius, contrariae sunt, Petrus currere est impossibile, Petrus currere est necesse, quia prima est universalis negativa, secunda universalis affirmativa; contradictoriae sunt Petrus currere est impossibile; Petrus currere est possibile, seu contingens, quia haec est particularis affirmativa, illa universalis negativa; subcontrariae sunt, possibile est Petrus currere; possibile non est Petrus currere, quia ambae sunt particulares, prima affirmativa, altera negativa; subalternae demum sunt, necesse est Petrus currere, possibile est Petrus currere, quia ambae sunt affirmativae, una universalis, altera particularis. Pariter in modalibus divisus ut fiat oppositio, attendi debet quantitas modi, & si fuerit modalis divisa de subiecto communi, debet etiam attendi quantitas dicti. Ut autem doctrinae haec de oppositione horum modorum facilius percipiatur, hoc schema proponitur.

necesse



78 Equipollentia in modalibus fit sicut in simplicibus praeposendo negationem, vel postponendo, vel praeposendo, & postponendo simul, tunc autem in modalibus praepositor negatio, quando negatur modus, tunc postponitur, quando negatur dictum, tunc demum postponitur, & praepositor, cum negatur utrumque, constituendo nempe negationem ex parte dicti, & modi simul, ver. grat. haec sunt contradictoriae, possibile est Petrus currere, impossibile est Petrus currere, si in prima negationem praeponas dicendo, non est possibile Petrus currere, tunc equipollent secundae, quod si secundae praeponas negationem dicendo, non est impossibile Petrus currere, statim equipollent primae, si etiam contrarias, & subalternas equipol-

pu- Petrus non currere non est possibile
pu- Petrus non currere non est contingens
re- Petrus non currere est impossibile
a- Petrus currere est necesse

A- Petrus currere est possibile
ma- Petrus currere est contingens.
bi- Petrus currere non est impossibile.
mus Petrus non currere non est necesse.

Contrariae
Contra-
dictoriae
Subalternae

li- Petrus currere non est possibile
li- Petrus currere non est contingens
a- Petrus currere est impossibile
ee- Petrus non currere est necesse

E- Petrus non currere est possibile
den- Petrus non currere est contingens
tu- Petrus non currere est impossibile
li- Petrus currere non est necesse

79 Conversio tandem modalium est eadem fere, ac conversio simplicium, nam generaliter loquendo convertuntur ratione dicti, non ratione modi, unde regulariter modi invarianti manent tam in modalis composita, quam divisa, & sola dicta variantur, & ideo regulae jam assignatae pro conversione simplicium inservire modo possunt pro conversione modalium, & si haec universalis affirmativa, omnis homo necessario est animal, quae est modalis divisa, convertitur in hanc particularem affirmativam, aliquid animal necessario est homo, conversione per accidens: & haec particularis affirmativa, aliquem hominem esse alium est possibile, quae est modalis composita, conversione simplici in hanc convertitur, aliquid alium esse hominem est possibile, & sic de aliis, alia de modalibus mixta facimus, ut inutilia, & potius deterrentia Tyronum ingenia, quam juvenia; solum trademus regulam in fine c. eas reducendi ad suas de inesse.

80 De Hypotheticis vero propositionibus quia c. 6. dictum est non habere propriam quantitatem diversam a quantitate simplicium, ideo inter ipsas a Summullistis nonnisi oppositio contradictoria solet assignari, quae generatim fit praeposendo negationem toti propositioni, itaut cadat supra copulam principalem, ut v. g. Si Petrus studet, erit doctus, contradicit huic: Non si Petrus studet, erit doctus, & ita praesertim Delphinus adnotavit de interp. c. de prop. ubi proinde negat posse hypotheticas contrarie opponi, subcontrarie, aut subalterne. Sed quia c. cit. diximus copulativas, & disjunctivas quodam modo propriam habere quantitatem, quia est nota universalitatis, vel est nota particularitatis, nam si dicimus, & Petrus studet, & Paulus studet, haec propositio reddit hunc sensum, uterque studet, hoc autem signum mixtum redolet universalitatem, ut dictum est cap. 7. in fine, si vero dicimus, vel Petrus studet, vel Paulus studet, haec propositio reddit hunc sensum; alter illorum studet, hoc autem signum notat particularitatem. Haec de causa in copulativis, & disjunctivis praeter contradictoriam assignari etiam poterit oppositio contraria, subcontraria, & subalterna, qualis reperitur in signis mixtis, quibus aequivalent, ista igitur, & Petrus studet, & Paulus studet, erit contraria huic, nec Petrus studet, nec Paulus studet, quia prima est universalis affir-

lentes invenies, si alias regulas applicabis. Ut autem iuxta praedictas regulas quique dignoscere possit oppositionem, & equipollentiam modalium, assignari solent quatuor dictiones, Purpurea, Illiaca, Amabimus, Edentuli, in quibus notanda sunt quatuor vocales A. E. I. V. nam prima indicat propositionem modalem affirmativam de dicto, & modo; secunda negativam de dicto, affirmativam de modo; tertia affirmativam de dicto, & negativam de modo; quarta negativam de utroque, quod his exprimitur carminibus.

Destruit V totum, sed A confirmat utrumque
Destruit E dictum, destruit I quoque modum.

Intuper in unaquaque ex supradictis dictionibus quatuor reperitur syllaba, quarum prima in singulari petit modum possibile, secunda contingens, tertia impossibile, quarta necesse, ut autem recte ex his dictionibus constituantur figura modalium, quatuor effici debent anguli, itaut in duobus superioribus sint Purpurea, & Illiaca cum modalibus eis correspondentibus, & in inferioribus Amabimus, ac Edentuli, sic enim facile dignoscet oppositioem, & equipollentiam modalium, omnes enim propositiones sub eadem dictione contentae sunt inter se equipollentes, contentae vero sub diversis dictionibus invicem opponuntur, nam propositiones, quae sunt in Purpurea, & Illiaca, opponuntur contrarie, quae in Amabimus, & Edentuli subcontrarie, quae in Purpurea, & Edentuli, ac pariter, quae in Illiaca, & Amabimus contradictorie, & tandem, quae sunt in Purpurea, & Amabimus, & similiter, quae in Illiaca, & Edentuli opponuntur subalterne. Ad cuius rei majorem intelligentiam pro Tyronibus proponimus hic figuram constructam in dictis de termino singulari pro modalibus compositis, quae ut serviat pro divinis, consitui debet in dictis de termino communi.

mativa, cujus sensus est, uterque studet, secunda universalis negativa, cujus sensus est, neuter studet: ex dictis autem c. 7. haec signa opponuntur contrarie; erit vero contradictoria huic, vel Petrus non studet, vel Paulus non studet, nam sensus hujus est, quod alter non studet, quod est signum particulare negativum: & sic etiam adinvenies oppositionem subcontrariam, & subalternam, si consideraveris oppositionem signorum mixtorum c. cit. explicatam, & examinaveris, quibus eorum aequivalet hypothetica copulativa, vel disjunctiva, vide apud Casil. lib. 2. tr. 2. c. 2. figuram de oppositione harum hypotheticarum.

De Equipollentia hypotheticarum parum curant Summullista, tum quia non omnes propriam habent oppositionem, & consequenter neque equipollentiam, tum quia equipollentia inventa est ad declarandam obscuritatem propositionis alicujus, at in hypotheticis obscuriores utique forent propositiones de novo assumptae, quam illae, pro quarum declaratione fierent equipollentes. Sic etiam neque de conversione earum sunt admodum solliciti, quia in hypotheticis quadrare non videtur, nam in conditionalibus converti nequit conditio in conditionatum, & in copulativis, & disjunctivis identitas terminorum servari non potest, cum sint diversae propositiones, & quando etiam aliquis fieri posset conversio, nullam profus afferret utilitatem, & ideo de sola categoricarum conversione debemus esse solliciti.

81 Quaes, quae regula sit observanda in reducendis modalibus ad suas de inesse? Ref. reduci per officiantem de inesse hoc modo, prius formari debet propositio de inesse implicata imodali, deinde ostendendum est, quod illi conveniat modus in propositione modalis composita, hoc totum declaratur exemplis, haec modalis composita, contingens est Petrus currere, reducitur sic ad suam de inesse, haec propositio, Petrus currit, est contingens; & ista vocatur, officians, illius modalis, quatenus inservit, ut per eam probetur de inesse in modalis implicata, scilicet Petrus currit, convenire talem modum, scilicet, contingentiae; Sic etiam haec modalis divisa, Petrus necessario est homo, ita reducitur ad suam de inesse per hanc officiantem, haec propositio, Petrus est homo, est necessaria; itaque ut reducatur modalis ad suam de inesse, sufficit per officiantem

rem ostendere, quod de inesse in modali implicatæ conveniat talis modus, qui in modali ponitur.

CAPUT X.

De propositionibus exponibilibus, & insolubilibus.

82 Propositiones exponibiles dicuntur illæ, quæ ratione alicujus signi importantis sensum obscurum pluribus propositionibus debent exponi, & declarari, quæ ratione illæ dicuntur exponibiles, istæ exponentes; sunt autem triplicis generis, exclusivæ, exceptivæ, & reduplicativæ, secundum quod constant signis exclusivis, exceptivis, vel reduplicativis, & quia ex horum signorum explicatione pendet propositionum exponibilium intelligentia, cum satis fuerint explicata tractat. præced. cap. 12. modo de exponibilibus propositionibus nihil momenti superest declarandum, nisi cuius sint generis: nam scilicet, sint categoricæ, an potius hypotheticæ? Resp. formaliter esse categoricæ, sed virtualiter hypotheticæ, quatenus exponuntur per plures categoricæ, quæ faciunt unam hypotheticam copulativam, aut disjunctivam, aut conditionalem, vel causalem juxta qualitatem propositionis exponibilis, nam v. g. exclusivæ, ut *Petrus tantum currit*, exponitur per hanc copulativam hypotheticam: *Petrus currit, & nullus alius currit*, reduplicativa, ut *homo in quantum rationalis est visibilis*, exponitur per hanc hypotheticam causalem, *quia homo est rationalis, est visibilis*, & sic de cæteris: dicuntur ergo virtualiter hypotheticæ, eo quia virtute continent hypotheticam, & ei æquivalent in significando. Tatar. tamen tr. 13. com. 1. §. secundo sciendum contendit exponibiles non æquivalere hypotheticis in significando, sed tantum in inferendo.

83 Assignatur etiam in istis oppositio contraria, subcontraria, contradictoria, & subalterna, quarum figuram, vel rotulum (ut vocant) contextum afferunt Tatar. tr. cit. Casil. lib. 2. append. c. 1. & alii Summulistæ, sed gravis est difficultas de structura contradictoriarum: a-junt enim in exclusivis has invicem contradicere: *tantum Petrus currit, non tantum Petrus currit*, quod non videtur bene dictum, cum ambæ possint esse falsæ ex hypothesi, quod non currat, sic enim falsa est prima, ut de se patet, item, & secunda, quia ex hypothesi nec solus currit, nec cum aliis associatus. Sic etiam istæ duæ sunt falsæ: *Tantum Deus est malus, non tantum Deus est malus*, quia ista sic resolvitur: *Deus est malus, & aliquis alius præter Deum est malus*. Respondent Summulistæ in his propositionibus semper secundam esse veram, nam illa: *non tantum Petrus currit* ita exponitur: *vel Petrus non currit, vel aliquis alius currit*; quare Petro non currente, si tamen alii currant, verum est dicere: *non tantum Petrus currit*; unde de rigore sermonis concedunt etiam illam, ut veram, *non tantum Deus est malus*; Ratio autem, cur ita resolvantur, est, quia propositioni copulativæ contradicere debet per disjunctivam de partibus contradicentibus, id est si partes copulativæ sunt affirmativæ, partes disjunctivæ esse debent negativæ, si autem copulativa sit de una parte affirmativa, & altera negativa, prima pars disjunctivæ erit negativa, altera affirmativa; & ideo cum in casu, illa exclusivæ: *tantum Petrus currit*, æquivaleret huic copulativæ, & *Petrus currit, & nemo alius currit*, illi bene contradicatur dicendo, *vel Petrus non currit, vel aliquis alius currit*. Verum doctrina hæc multum displicet Hurtad. disp. 4. Summ. sect. 14. & Arriag. n. 28. qui nullo modo volunt illam admittere: *non tantum Deus est malus*, & volunt debere resolvi, ut æquivaleret copulativæ in argumento allatæ, quare concludunt illas propositiones esse contrarias tantum, atque ideo esse simul falsas; cur autem sint contrariæ potius, quam contradictoriæ, ipsi declarare conantur, sed quia lis est de nomine, & modo loquendi, non ultra prosequimur, teneas, quod magis placet.

84 Propositiones insolubiles dicuntur, quæ nullo modo exponi possint, ut in aliquo sensu veritatem habeant, quia ipsæmet se falsificant, ac suam destrunt veritatem, hoc autem toties contingit, quoties ex ipsamet verificatione propositionis, id est, quod ista sit, ut per ipsam significatur, sequitur, quod sit falsa, ut si dicatur, *nulla propositio est negativa*, nam ex eo, quod ita sit, ut per ipsam enunciatur, seipsam destruit, & falsificat, cum ipsa sit negativa, eadem ratione hæc etiam seipsam destruit, *Omnis propositio est negativa*, cum ipsa sit affirmativa; ita Tatar. tract. insolub. §. sequitur de veritate, ubi propositiones seipsas falsificantes ait esse duplicis generis, quædam enim seipsas per se, & immediate falsificant, & nullo casu posito, ut allatæ; quædam per accidens solum; posito nimirum aliquo casu, quæ alias in se possent esse veræ, quod declaratur exemplo; supponamus Petrum convenisse cum Paulo de dando illi equo, si prima propositio, quam ipse Paulus protulerit, sit vera, & quod prima propositio prolata a Paulo sit hæc, *Petrus non dabit mihi equum*, hæc propositio, quæ alias posset esse vera, seipsam falsi-

ficat ex casu posito, quia conventio procedere non potest de propositione, quæ sit destructiva pacti, qualis est allata.

Quæres, cujus generis sint propositiones insolubiles, an categoricæ, vel potius hypotheticæ? Videatur Tat. cit. ubi solvit hoc quæsitum, & multa dicit curiosa de insolubilibus, quæ quia non sunt admodum necessaria, dimittimus; hoc solum est advertendum, quod propositiones insolubiles quocumque modo se falsificant, sunt simpliciter falsæ, quia licet habeant verificationem, & ita sit, ut per illas enunciatur, quia tamen ex hoc ipso statim falsæ redduntur, non potest verificatio illa dici veritas simpliciter, & absolute, sed potius falsitas, quia ex vero simpliciter numquam sequitur falsum ex dicendis tract. seq. cap. 5.

TRACTATUS III.

De Argumentatione, & ejus affectionibus.

CAP. I.

Quid, & quomodo sit argumentatio.

85 HIC supponendum est ex lib. de anim. triplicem esse intellectus operationem, prima est simplex rerum apprehensio, quia nimirum res apprehendimus nihil de illas affirmando, vel negando, sicut oculus corporeus nihil affirmat, vel negat de colore, quem videt; secunda vocatur compositio, & divisio, & communi nomine iudicium, quia per eam intellectus iudicat de re, componendo, aut dividendo, id est affirmando, & negando aliquid de ipsa, ut cum cognita hominis natura iudicat ipsum animal, & non esse lapidem. Tertia vocatur discursus, seu argumentatio, & ratiocinatio, per quam, scilicet, intellectus progreditur a cognitione unius ad cognitionem alterius, ut cum cognoscit hominem esse animal, & ex hoc infert, quod est substantia. Oratio igitur vocalis, aut scripta, quæ huic duplici cognitioni subordinatur, quarum una infertur ex alia, vocatur discursus, & argumentatio, & ideo definitur solet, quod sit, *oratio, in qua unum ex alio deducitur*, unde colligitur tria ad argumentationem convenire, antecedens, quod est illa propositio, ex qua alia sequitur, consequens, quod est illa propositio, quæ sequitur, & notam illationis, qualis est particula *ergo* vel *igitur*, aut alia similis, per quam denotatur esse connexionem consequens cum antecedente, ut v. g. Sol est, ergo dies est.

Ex quo patet consequens a consequentia valde differre, nam consequens est propositio, quæ sequitur post notam illationis; consequentia est illatio illius, seu habitudo antecedentis ad consequens, unde cum optima consequentia stare potest falsitas consequentis, ut si dicatur: homo est asinus, ergo homo est irrationalis. Et hinc est, quod diversas habent quoque differentias divisivas, nam consequens dividitur in verum, & falsum, non sic consequentia, sed in bonam, & malam; ratio est, quia consequentia non est propositio, ad quam solum pertinet verum, & falsum, quia affirmat, aut negat, sed est connexio illativa propositionum, ad quam pertinet debita dispositio, & conveniens connexio, conveniens autem, & inconveniens faciunt bonum, vel malum, non verum, aut falsum; Consequentia bona est, in qua unum ex alio recte infertur, ut Petrus est homo, ergo est animal: mala, & vitiosa e contra est, cum unum ex alio non rite infertur, ut Petrus est homo, ergo dies est, unde vere, & univoce non est consequentia, ut notat Tat. tract. 6. com. 2. §. tertio sciendum, cum de facto in ipsa unum ex altera non infertur, sed solum apparenter, & æquivoce, quatenus duplici constat enunciatione, & nota consequentiæ.

86 Duplex est argumentatio, recta, & vitiosa, recta est, quæ bonam continet consequentiam, vitiosa, quæ malam, & ideo sicut mala consequentia absolute consequentia non est dicenda, sic vitiosa argumentatio nuncupari nequit i. priorum c. 5. & r. Elench. c. 1. Rursus argumentatio bona, quæ veram infert, duplex est, materialis, & est illa, quæ consequentiam materialem continet, & formalis, quæ nimirum continet consequentiam formalem: Consequentia materialis est, quæ universaliter non tenet, sed hic, & nunc tantum ratione materiæ, in qua fit, seu ratione terminorum, ex quibus argumentatio constat, v. g. hæc consequentia. Omnis homo est animal risibile, ergo omne animal risibile est homo, non tenet, gratia formæ, hæc enim eadem dispositio argumentationis alteri materiæ applicata non infert conclusionem, ut v. g. omnis homo est vivens sentiens, ergo omne vivens sentiens est homo: sed tenet tantum gratia materiæ, quia nimirum fit in terminis convertibilibus. Consequentia formalis est, quæ

quæ universaliter tenet in quacumque materia, etiam falsa, quia consequens infertur ex antecedenti gratia formæ, id est ratione dispositionis extremorum, taliter ut eadem dispositio applicata cuicumque materiæ inferat conclusionem, ut omne animal est substantia, omnis homo est animal, ergo omnis homo est substantia, hæc enim eadem dispositio applicata cuicumque materiæ etiam impossibili conclusionem infert, ut v. g. omne animal est lapis, omnis homo est animal, ergo omnis homo est lapis: unde regula generalis est, quod quando servata eadem forma in alia materia non habetur vera conclusio, talis consequentia non est formalis, ita communiter exponunt Summulistæ consequentiam materialem, & formalem, præferunt Tat. tract. 4. declarando quatuor modos primæ figuræ, juxta quam expositionem volunt quamplures solum syllogisticæ numquam negari potest consequentia, ceteras vero argumentationes esse materiales, ita Ponc. c. 17. unde Tat. cit. inquit, quod nulla consequentia præcise tenens per locum dialecticum est formalis consequentia, & sic argumentatio ista, omnis homo est animal, ergo quidam homo est animal, tenet per consequentiam materialem.

Verum tantus rigor non placet, nec necessarius est, immo, secundum communem usum loquendi tunc aliqua censetur esse consequentia formalis, quando innititur medio ex se directe, & universaliter consequentiam inferenti, quomodocumque termini disponantur, & illa censetur materialis, quæ innititur medio habenti vim inferendi non ex se, sed præcise ex subjecta materiæ, in qua arguitur, & acceptio ista consequentiæ materialis, & formalis ab omnibus recipitur Theologis, dum p. p. disputant, an ex omnipotentia Dei consequentia formalis inferatur immensitas, quæsi nimirum omnipotentia medium ex se præcise abstrahendo a natura infinita, ubi reperitur, valens inferre immensitatem, & plane consequentia illa ab universaliter ad particularem, dicere, quod solum sit materialis, videtur irrationabile proflus, quamvis enim ex particulari non liceat inferre universalem, nisi in materia necessaria, ut verb. grat. quidam homo est animal, ergo omnis homo est animal, & ideo hæc consequentia sit vere materialis; tamen e contra ex veritate universalis, aut falsitate inferre particularem valet in quacumque materia ratione subalternationis propositionis particularis ad universalem; ita sentit Sor. lib. 6. cap. 1. de syllogismo lect. 2. ubi ait omnem consequentiam tenentem per locum dialecticum esse formalem.

Demum argumentatio rursus duplex est, alia illativa solum, alia illativa, & probativa simul; prima est, quæ solum habet vim inferendi, sed non probandi, quia vel conficitur in terminis non significativis, aut in materia falsa, ubi non concludit nisi ratione formæ, vel si fit in materia vera, tamen antecedens non est notus consequentia, cujus defectu antecedens non habet vim probandi consequens, est ratione connexionis necessariæ cum illo habeat vim illud inferendi. Illativa vero, & probativa simul est, quæ habet vim inferendi, vel ratione formæ, vel saltem materiæ connexæ, ac etiam habet vim probandi, quia una propositio est notior alia, ac proinde ex notitia illius bene deducitur notitia alterius, ut cum ex definitione concludimus definitum, aut passionem de definito monstramus. Solet etiam argumentatio dividi ex parte notæ illationis in causalem, conditionalem, & rationalem, nam tota illationis esse potest, *quia si*, aut *ergo*, quæ divisio facile intelligitur recurrendo ad dicta cap. 6. præc. tract. de propositione hypothetica.

CAPUT II.

De speciebus argumentationis.

87 Quatuor solent assignari argumentationis species ex Arist. 2. Priorum cap. 29. & deinceps; Exemplum, Inductio, Syllogismus, ac Enthymema; exemplum est argumentatio, quæ aliquod singulare probamus ex uno, aut paucis similibus, ut Deus peperit Ninivitis penitentibus, ergo, & nobis parceret, si penitentiam egerimus; unde medium, cui innititur tota vis exempli ad concludendum, est similitudo singularium: hinc Tatar. tract. 5. explicans hanc speciem argumentationis advertit, quod exemplum non est bona consequentia, nec probativa, nisi in antecedente, & consequente exprimitur terminus similitudinis, ut hoc exemplum non est bona argumentatio, Januenses sunt divites, ergo, & Veneti sunt divites, quia non exprimitur terminus similitudinis, ob quem antecedens est verum, scilicet propter portum maris. Delphinus tamen ait sufficere, si subaudiatur; dicitur autem exemplo probari aliquod singulare, quia licet interdum confirmetur aliquid universale, tamen ex sua natura ordinatur ad confirmandum singulare; & inter omnes argumentationis species hæc est debilior, quia solum tenet per modum similitudinis, modo talis argumentatio multis claudicat, ut notat Tatar. 2. Priorum in fine, & ideo hæc species potius ad Rhetores spectat, quam ad Logicos.

Inductio, ut colligitur ex Arist. 1. Top. cap. 10. & 8. Top. cap. 2. & 2. Priorum cap. 33. est progressio a singularibus sufficienter enumeratis ad universalem, verb. grat. hic ignis comburit, & ille comburit, & ita pariter se habent cæteri ignes, ergo omnis ignis comburit; unde observandum est debere fieri progressum ab omnibus singularibus, quæ si facile enumerari non possint, addenda est illa particula, *& sic de cæteris*, vel alia similis, quæ particula si negetur, petenda est ab Adversario instantia, ut Arist. docet 8. Top. cap. 2. quam si dederit, inductio erit firma, & constans argumentatio, qua de causa ex recentioribus quamplures negant inductionem esse formalem argumentationem, de quo postea: Ex quo patet, inductionem non esse proprie speciem argumentationis ab exemplo distinctam, sed differre tantum penes perfectum, & imperfectum, nam inductio ex pluribus particularibus procedit ad universale, a qua perfectione deficit exemplum, quod ex debilitate antecedentis singularis solum colligit aliud singulare, cum tamen si adderetur alia, etiam universale colligeret, fieretque perfecta inductio, & hæc fuit Aristot. sententia 1. Post. capit. 1. ubi exempla appellat inductiones imperfectas; sed quia de inductione 4. specialis erit sermo, ad alias species transimus.

Syllogismus est argumentatio tribus propositionibus constans, quarum tertia sequitur ex duabus primis, prima dicitur major, secunda minor, tertia conclusio, de quo postea agemus ex professo. Enthymema est argumentatio duabus constans propositionibus, quarum una ex alia infertur, ut Deus est bonus, ergo est amandus, cui si addas propositionem, Omne bonum est amandus, efficit integrum syllogismum, ex quo colligitur Enthymema esse syllogismum truncatum, & imperfectum, ut ait Arist. 2. Priorum cap. 27. & ideo a Syllogismo specie non differre.

Addunt quidam speciem argumentationis, quæ dicitur Dilemma, & dicitur argumentatio bicornis, eo quia duas continet partes, ita dispositas, ut necessario cogatur respondens aliquid contra se admittere, vel negare, ut si quis afferat tamquam verum se per totam horam elapsedam in foro fuisse, nec ibi histrionem vidisse, & alius ita eum impugnet, Vel eras in foro hora jam elapseda, vel non eras, si primum, ergo mentiris dicendo tunc non vidisse histrionem, qui tali hora venit in forum; si secundum, mentiris adhuc dicendo te tota illa hora in foro permanisisse, atque ita ex concessione, vel negatione cujuslibet partis responso convincitur mendacii; Sed re vera talis argumentatio non est ab enumerata specie diversa, cum in Syllogismum formari possit si pro minori addas, *sed nuncrum dici potest*, & potest etiam formari in enthymema, si placet, imo ut notat Casil. in prolus. ad Summ. cap. 2. Dilemma non est revera una argumentatio, sed duplex pro duplici parte, quam impugnat, ut in exemplo allato experimentum fieri potest, & re vera est species syllogismi hypothetici ex disjunctivis, ex dicendis cap. 11.

88 Quæres, an enumeratæ argumentationes sint propriae species, & ab invicem essentialiter distinctæ? Affirmat Massius 1. Priorum quæst. 5. & Lemos ab eo relatus, & videtur fuisse opinio Tatar. cit. Compl. vero lib. 3. cap. 1. quos sequitur Joan. de S. Thom. lib. 2. cap. 5. & lib. 3. cap. 2. volunt in rigore loquendo duas tantum esse species argumentationis, scilicet syllogismum, & inductionem, ab his vero enthymema, & exemplum solum distingui, ut perfectum, & imperfectum intra eandem speciem modo jam explicato. Sed plane si in rigore loqui velimus, potius ob eandem rationem dicendum est, neque inductionem constituere speciem essentialiter a syllogismo distinctam, quia tam enthymema, quam exemplum, & inductio ad syllogismum reducuntur, ut argumentationes imperfectæ ad perfectam, ut Arist. docet ex professo 2. Priorum c. 22. & cum eo cæteri fere omnes, & quidem de enthymemate res est per se clara; exemplum vero reducitur ad Syllogismum accipiendo terminum importantem similitudinem pro medio, & prædicatum conclusionis pro majori extremitate, & subjectum pro minori extremitate, & sic exemplum jam positum reducitur, omnes habentes portum maris sunt divites, Veneti habent portum maris, ut Januenses, ergo sunt divites, ut illi; Inductio vero reducitur, accipiendo singularia pro medio, & prædicatum conclusionis pro majori extremitate, & subjectum pro minori extremitate, ut Sortes currit, Plato currit, & sic de aliis; ergo omnis homo currit, sic reducitur, omne, quod est Sortes, vel Plato currit, omnis homo est Sortes, vel Plato, ergo omnis homo currit, sic fieri reductionem exempli, & inductionis ad Syllogismum docet Tatar. cit. tract. 5. licet ibidem, ut suam defendat opinionem, dicat hoc non tollere, quin sint species distinctæ a Syllogismo, quia unam argumentationem reduci ad aliam non est ipsam fieri aliam, sed est ipsam probari per aliam perfectiorem argumentationem; Sed id est minus recte dictum, quia re vera talis reductio demonstrat exemplum, inductionem, ac Enthymema esse imperfectos syllogismos, quare sicut homo, cui manus, vel brachium deficit, specie non dicitur differre ab homine integro, sic neque argumentationes istæ a syllogismo, & hic modus dicendi frequentior est, quem sequitur Faber in Phil. Th. 1. Averla q. 25. f. 5. & alii passim.

At obijciunt Compl. & Joan. de S. Th. quod syllogismus, & inductio sint species argumentationis essentialiter distinctæ, tum quia modus procedendi utriusque est essentialiter diversus, nam syllogismus procedit a toto ad partes, seu ab universalioribus ad particularia, & a notis natura ad nota nobis; inductio vero procedit modo opposito, tum quia vis concludendi utriusque est essentialiter diversa, nam tota vis syllogismi consistit in unione duorum in uno tertio, quod in præmissis assumitur, ut medium, unde postea in conclusione inferitur unio eorum inter se; vis autem concludendi in inductione non pendet ex unione extremorum in tertio, sed ex pluribus singularibus sufficienter enumeratis inferuntur universaliter sic fieri in omnibus, quas duas essentialia differentias insinuavit Arist. 2. Priorum c. 23. illis verbis: *Quodammodo opponitur inductio syllogismo, hic enim per medium probat extremum de tertio, illa vero per tertium probat extremum de medio; natura igitur prior, & notior est syllogismus, qui fit per medium, nobis vero evidenter est, qui fit per inductionem;* cum ergo ex Arist. syllogismus, & inductio habeant formas argumentationis essentialiter diversas, erunt consequenter argumentationes essentialiter specie diversæ.

Resp. ly *quodammodo* satis ostendere illas duas differentias ab Arist. cit. insinuat inter inductionem, & syllogismum essentialia non esse, sed mere accidentales, & materiales, & quidem primam differentiam ex vario modo procedendi petitam ab universalibus ad singularia, aut e contra, etiam ipsimet Compl. cap. 2. fatentur esse accidentalem, quia, & syllogismus procedere potest a particularibus ad universalia, & inductio e contra, quia ad eam secundum ipsos pertinet tam ascensus, quam descensus: ceterum quia in syllogismo frequentius utitur in medio superiori, vel saltim aequali, & raro inferiori, e contra vero in inductione sæpius ascendimus a singulari ad universale, quam descendamus, ideo Arist. & Dialectici ab eo, quod frequentius accidit in his argumentationibus, solent denominare illas afferentes in syllogismo procedi a toto ad partes, in inductione e contra, quam responsum gratis admittunt Compl. cit. Sed neque alia differentia essentialis est, ut ipsi putant, quia & si non appareat ibi extrema inter se unita ex vi unionis, quam ostendatur in antecedente habere in tertio, re tamen vera subintelligitur talis unio, quia omnis discursus imitatur illi principio: *quæcumque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*, ut postea dicemus, & in quolibet discursu talis unio intervenit saltem implicite, & virtualiter, & quo modo etiam in inductione ipsa interveniat, patet ex jam data regula reducendi ipsam ad syllogismum: quod autem explicite, & formaliter in ipsa non appareat, non inferit essentialiam differentiam inter syllogismum, & inductionem, & quoad formam argumentationis, alioquin etiam enthymema esset species essentialiter a syllogismo distincta, quia in eo formaliter, & explicite talis unio non apparet; cum igitur in omni argumentatione requiratur medius terminus, sive implicitus, sive explicitus, ratione cuius teneat consequentia, ut advertit Casil. lib. 3. tr. 3. c. 6. consequenter omnis argumentatio est syllogismus perfectus, vel imperfectus.

80 Quæres, an saltem ut aliqua consequentia, quæ non sit argumentatio; vel syllogismus, Coniunr. 1. Priorum c. 1. q. 2. art. 3. & Fonseca lib. 6. c. 1. Morison. 1. Priorum c. 2. dub. 2 existant non omnem consequentiam esse argumentationem, sed quid superius ad eam, & ab ea distingui, eo quod consequentia non dicat medium terminum, ut dicit argumentatio, unde ista est consequentia bona (ait Fonseca) ex regulis conversionis deducta, *omnis homo est animal, ergo aliquod animal est homo*, tamen quia in ea non est medium, non potest dici argumentatio. Dicendum tamen est omnem bonam consequentiam re vera esse argumentationem, imo in omni consequentia syllogismum includi virtualiter, syllogismus enim, ut postea magis patebit, tribus terminis constat tres propositiones constituentibus, & ita inter se dispositis, ut in primis duabus ille terminus, qui dicitur medium, modo cum uno connectatur extremo, modo cum altero, ex vi cuius connectuntur tandem alii duo termini, qui dicuntur extrema, in ultima propositione, quæ dicitur conclusio, sed omnis consequentia tres terminos includit, cum sit connectio consequentis cum antecedenti ratione alicuius medii, ergo re vera omnis consequentia est argumentatio, vel syllogismus saltem virtualiter; probatur minor, quia si omnis consequentia recte pendatur, concludit in virtute alicuius medii, ut est videre etiam in illa, quam facit Fonseca, & ait carere medio, nam re vera medium illius consequentia est hoc, quod aliquid repertum in tota collectione animalium est homo; licet voce non exprimat, unde sic posset illa consequentia in syllogismum efformari, aliquid, quod reperitur in tota collectione animalium, est homo, sed aliquid animal reperitur in tota collectione animalium, ergo aliquid animal est homo; & ut uno verbo dicamus, regulæ omnes, in quarum virtute tenent similes consequentia, puta ex vi subalternationis, equipollentia, & conversionis, sunt ipsamet media illa illarum consequentiarum. Dices, multoties convertens est

æque nota, ac conversâ, unde deducitur, non enim notior est ista conversâ, nullus homo est lapis, quam convertens ex ea deducta, nullus lapis est homo, ergo conversio non est argumentatio, quæ est discursus a noto ad ignotum. Resp. neg. conseq. quia argumentatio absolute sumpta est ratio, in qua unum est alio deducitur, quod autem talis deductio fiat ex notioribus, peculiare est argumentationis probativæ, ut patet ex c. 1. hujus tract. unde in tali casu utique conversio non est probativa argumentatio.

C A P U T III.

De regulis communibus bonæ argumentationis.

90 **M**ultæ, & forte plures, quam sit opus, solent afferri regulæ a Summulistis pro bonitate consequentia, nos vero ex his pluribus utiliores, ac universaliores selegemus.

Prima regula est, quod ex antecedenti vero in bona consequentia semper sequitur consequens verum, ex possibili possibile, & ex necessario necessarium. Fundatur vero hæc regula in illo universalissimo principio apud Dialecticos, *Non potest in bona consequentia dari antecedens verum, & consequens falsum, sed si antecedens est verum, etiam consequens, quod principium est naturæ lumine notum, nam cum consequens trahat post se antecedens ratione connexionis, quam habet veritas consequentis cum veritate antecedentis, idem plane est ponere antecedens verum, & consequens falsum, quod ponere antecedens non absolute verum, sed ex parte falsum, quia consequens est quasi pars quædam ejus, & cum eo connexum, quare, si daretur antecedens verum, & consequens falsum, jam daretur antecedens verum, & non verum, quæ sunt contradictoria. Eadem etiam ratione si antecedens est possibile, possibile quoque erit consequens, nam si antecedens est possibile, jam poterit esse verum, ergo consequens nequit esse impossibile, quod nunquam verificari potest, alioquin in tali casu posset dari antecedens verum, & consequens falsum. Qua demum de causa si antecedens est necessarium, etiam consequens necessarium erit, quia si antecedens est necessarium, semper est verum, ergo & consequens semper debet esse verum, atque ita necessarium, alias posset in aliquo casu dari antecedens verum, & consequens falsum.*

Sed obijciat hos syllogismos, quibus ex antecedenti necessario deducitur consequens contingens, v. g. omne currens movetur, omne currens est corpus, ergo aliquod corpus movetur. Item omne album est coloratum, omne album est corpus, ergo aliquod corpus est coloratum, jam patet in his syllogismis præmissas esse necessarias, & conclusionem contingentem. Resp. propositionem de tertio adjacente in materia contingenti supponere existentiam subjecti, quæ explicatur per aliam propositionem de secundo adjacente, ut v. g. *Petrus est albus*, sensus est, & *Petrus est*, seu existit, & *est albus*, unde qualibet talis propositio in materia contingenti est virtualiter copulativa: jam vero tr. præc. c. 6. dictum est ad veritatem, & necessitatem copulativæ requiri utramque partem esse veram, & necessariam, quod si una pars sit falsa, vel contingens, talis etiam evadit tota propositio; cum igitur illæ præmissæ sint in materia contingenti, ut patet de illa, *Omne currens movetur*, dicendum esse virtualiter copulativas, & illam æquivalere huic, & *omne currens est*, seu existit, & *omne tale movetur*, & cum prima pars talis copulativæ sit contingens, tota copulativa erit contingens, & sic de aliis præmissis discurrendum est, ac negandum, quod sint necessariae.

91. Secunda regula est, quod ex antecedente falso in bona consequentia sequitur falsum, & etiam interdum sequi poterunt; exemplum primi, ut homo est asinus, ergo est rudibilis, exemplum secundi, ut homo est asinus, ergo est animal; sic etiam ex impossibili sequitur impossibile, ut homo est leo, ergo est rugibilis, interdum sequi potest possibile, imo & necessarium, ut homo est equus, ergo currit, vel est animal. Sic demum ex contingenti sequitur contingens, ut Petrus currit, ergo movetur, ubi consequentia est utique necessaria; sed consequens est possibile tantum, & contingens, sed interdum etiam sequi potest necessarium, ut v. g. Petrus sentit, ergo est animal, nam prædicatum, quod contingenter convenit subjecto antecedentis, & est medium in consequentia, potest habere necessariam connexionem cum prædicato consequentis, & sic illud inferre, ut patet in allato exemplo. Hic tamen advertendum est, quod quando ex falso sequitur verum, ex impossibili possibile, & ex contingenti necessarium, id non ita fit, quasi præmissæ falsæ, impossibiles, aut contingentes, veritatem, possibilitatem, ac necessitatem derivent in conclusionem, nec enim dat, quod non habet, sed fit ex certa earum dispositione, nam sic, & sic dispositis præmissis sequitur consequens verum, possibile, aut necessarium, cuius sequela utique pendet ex illis præmissis, non tamen ejus veritas, aut possibilitas, vel necessitas, sed aliunde in se verum est, possibile, vel necessarium, ut patet in exemplis allatis.

92 Tertia Regula, in bona consequentia, sicut posito antecedenti ponitur consequens, non e contra, ita ablato conse-

De regulis communibus bonæ argumentationis.

consequenti, aufertur antecedens, non e contra, quod aliis verbis dici solet valere consequentiam a positione inferioris ad positionem superioris, non e contra: & rursus valere a negatione superioris ad negationem inferioris, non e contra, v. g. homo est antecedens, & inferius respectu animalis, animal consequens, & superius; valet utique dicere, est homo, ergo est animal, non tamen e contra, quia potest esse animal, quod non fit homo, sed equus, aut leo, rursus valet dicere, non est animal, ergo non est homo, non tamen e contra, non est homo, ergo non est animal, quia in plus se habet animal, quam homo; & cum hæc regula sit tritissima, mirum est, quomodo Blanc. lib. 7. sect. 3. sit hallucinatus dicendo, quod sicut posito antecedenti ponitur consequens, ita ablato antecedenti aufertur consequens, quasi arguere valeat a negatione inferioris ad negationem superioris.

Quarta Regula, in bona consequentia quicquid sequitur ad consequens essentialiter sumptum, & absolute supponens, sequitur & ad antecedens illius, quod aliis verbis dici solet, quod valet consequentia a primo ad ultimum; quam arguendi formam Græci vocant acervalem, nam fit acervatim tribuendo antecedenti prædicata, quæ competunt consequenti, v. g. homo est animal, animal est corpus, corpus est substantia, &c. ergo homo est corpus, substantia, &c. & fundatur hæc regula in illa antepredicamentali, quando alterum de altero prædicatur, &c. & intelligitur sicut illa.

Quinta tandem est, quicquid repugnat consequenti essentialiter sumpto, & absolute supponenti in bona consequentia, repugnat & antecedenti; quod aliis verbis dici solet, si ex antecedente sequitur consequens, ex opposito consequens sequitur oppositum antecedentis. Ratio est, quia si ex opposito consequens non sequitur oppositum antecedentis, ergo poterit stare oppositum consequentis illius, quod verum supponitur cum isto antecedente; & sic dabitur antecedens verum, & consequens falsum, & hæc regula frequenter utitur ad ostendendam bonitatem consequentiæ procedendo a contradictorio consequentis ad contradictorium antecedentis.

93 Petes, quando liceat argumentari ex suppositione impossibili, Scotus in 1. d. 11. quæst. 2. sub A. docet modum, quo licet uti hujusmodi argumentandi forma, esse quod suppositio impossibilis ita fiat, ut non sequatur ex ea contradictoria per locum intrinsecum (nam ex suppositione impossibili contradictoria aliquo modo sequi semper necesse est) sed una pars contradictionis per locum intrinsecum, altera vero per locum extrinsecum dumtaxat; ratio hujus est, quia ut talis forma argumentandi sit bona, requiritur constantia suppositionis, seu consistentia, non consisteret autem, si ex ipsa per locum intrinsecum statim sequatur utraque pars contradictionis, v. g. ex ista suppositione impossibili, *si Petrus non esset animal, esset homo*, non possumus argumentari, quia homo formaliter, & intrinsece includit animal, atque ita ex illa suppositione per locum intrinsecum sequitur utraque pars contradictionis, scilicet *animal* & *non animal*, unde non poneretur in eo casu constantia suppositionis, sed formaliter, & intrinsece seipsam destrueret; inquit igitur Doctor, quod licet positio, quæ statim ex intellectu suo includit contradictoria, non possit admitti; qualis est allata tamen illa quæ ex intellectu suo tantum unum contradictorium includit, & aliud non, nisi per consequentiam accidentalem, vel per locum extrinsecum, bene videtur posse admitti, quia tali positione posita possunt sustineri regulæ dispositionis, potest enim concedi sequens consequentia essentiali, & negari repugnans; si autem inferatur aliquid repugnans sequens per locum extrinsecum, vel consequentia accidentali, negandum est illud sequi, quia propositio illa, per quam talis consequentia teneret, destrueretur ex positione: unde ex ista suppositione impossibili, *si Petrus non esset visibilis, esset homo*, possumus argumentari, quia circumscripta visibilitate ponendo Petrum in esse hominis non ponuntur contradictoria ex primo intellectu positionis, sed tantum alterum, scilicet quod Petrus sit homo; reliquum vero, scilicet quod non sit homo, non ponitur, nisi ex consequentia accidentali, & per locum extrinsecum ex remotione passionis removendo subjectum, & ideo ista positio non sic includit opposita, quin possit admitti, & hunc dicendi modum amplectitur Hurt. disp. 15. Met. sect. 9. §. 114.

Rursus advertit Doctor ibidem, quod etiam ex remotione impossibili unius prædicati essentialis, quod non sit ratio inherens alterius prædicati, possumus argumentari; quia adhuc contradictoria non sequerentur per locum intrinsecum, v. g. ista suppositio est admittenda, si per impossibile homo non esset animal, & esset rationalis, adhuc discurreret, & ab equo distingueretur, ratio est, quia esto animalitas fit prædicatum essentialia hominis, tamen quia non est principium formale discurrendi, nec distinctivum a brutis, ideo etiam supposita animalitatis carentia bene adhuc inferitur per locum intrinsecum, quod homo discurreret, & ab equo distingueretur; altera autem pars contradictionis, scilicet quod non discurreret, nec ab equo distingueretur, non inferitur, nisi materiali-

ter, & per locum extrinsecum, ex identitate scilicet animalitatis cum rationalitate, ex qua per concomitantiam sequitur, quod si homo non est animal, nec etiam est rationale, & per consequens, quod non discurreret, nec ab equo distingueretur, & sequitur hunc dicendi modum Vaquez p. p. disp. 147. c. 1. Utrumque vero approbat post longum examen Casilius lib. 3. tr. 2. cap. ult. quia re vera uterque recidit in idem, & huc collimat, quod valeat argumentari ex suppositione impossibili, quando ex ea non sequuntur contradictoria per locum intrinsecum; valde autem notanda est hæc arguendi forma, quia finis ejus est, ut Vaquez advertit, perferri rationem formalem rei, unde apprime infervit ad distinguendam causam formalem, & prædicatum quodcumque intrinsecum a conditionibus, & prædicatis extrinsecis.

C A P U T IV.

De Inductione; ubi de ascensu, & descensu.

94 **Q**uia inter omnes argumentationis species, Inductio, & Syllogismus principem obtinent locum; intantum, ut aliqui eas agnoverint pro veris argumentationis speciebus abinvicem essentialiter distinctis, idcirco de his specialiter agemus, de Inductione quidem in hoc capite, de Syllogismo autem in sequentibus.

Inductio itaque ut dicebamus c. 2. est illatio propositio- nis universalis ex suis singularibus, ubi singularium nomine, ut notat Tat. 2. Priorum q. ult. §. *dubitarum primo*, intelliguntur non solum ea, quæ sunt vere singularia, sed etiam quæ sunt minus universalis respectu magis universalium, & partes respectu totius; sicut enim a singularibus progredimur ad universalia hoc modo, hic ignis calefacit, & ille ignis, & sic de cæteris, ergo omnis ignis calefacit, sic etiam progredi possumus a minus universalibus ad magis universalia, & a partibus ad totum hoc modo, omnis homo sentit, & omnis bestia sentit, ergo omne animal sentit, & etiam, caput valet, stomachus valet, & sic de aliis membris, ergo totum animal valet.

Ut autem Inductio sit bona consequentia, & rite inferatur universalis ex suis singularibus, duæ præsertim requiruntur conditiones. Prima est, quam tradit Tat. cit. quod inferatur mediante ista particula *& sic de aliis*, vel aliqua sibi æquivalente, & hoc quando non enumerantur omnia singularia: quando autem enumerantur, ponitur hæc alia particula, *& non sunt plura*, adhibitis enim istis particulis redditur bona consequentia, quia tunc nulla reperitur instantia. Et si quis petat, quid intelligatur per illam particulam, *& sic de aliis*. Resp. Tat. quod intelligitur una propositio universalis significans esse, sicut significatur per alias singulares formaliter expressas, ut Sorites currit, Petrus currit, & sic de aliis, &c. sensus est, & quilibet homo alius a Sorte, & Platone currit, ergo omnis homo currit. Et si quis dicat, ergo in inductione proceditur ab universali in universalem. Resp. Tat. quod illa universalis in antecedente dicitur singularis respectu, quia est minus universalis, quam illata in consequente.

Altera conditio, quam idem Tat. assignat 4. Phys. q. 2. §. *Quarto sciendum*, ex Scoto in 2. q. 2. F. 9. κ. est, quod ut universalis ex suis singularibus recte inferatur, non sufficit, quod omnes singulares sint veræ, sed ulterius requiritur, quod omnes sint compossibiles, cum universalis æquivalet singularibus copulativæ, vel copulativæ sumptis, v. g. omnis homo currit, æquivalet his singularibus, & Petrus currit, & Paulus currit, & sic de aliis, vel Petrus, & Paulus, Franciscus, & alii homines currunt. Ratio est, quia multoties contingit, quod singulares sint veræ, tamen quia non omnes sunt compossibiles, ideo non recte inferunt universalem; rem hanc Doct. cit. evidenter manifestat exemplo, ponamus, ait, quod hic sint decem lapides in pondere æquales, & quod Petrus non possit portare hos decem lapides simul, sed novem tantum, ista propositio universalis, possibile est omnes hos lapides portare a Petro, falsa est, non quia aliqua singularis in se sit falsa, quia verum est, Petrum posse portare hunc lapidem, & illum, & illum, sed quia aliquibus deremissis, est aliqua indeterminata incompossibilis, quæcumque enim novem singularia sunt compossibilia, & decimum indeterminatè est incompossibile illis; oportet igitur ad rite inferendam, & colligendam universalem, quod omnes singulares sint veræ, & simul compossibiles, tam singulares determinatæ, quam indeterminatæ, quia si omnes determinatæ essent compossibiles, sed aliqua indeterminata eis repugnaret, adhuc non recte colligeretur universalis, ut patet in allato exemplo, sed committeretur fallacia figuræ dictionis (ait Doct.) arguendo a pluribus determinatis ad unam; qua doctrina utitur disp. 10. Phys. q. 3. ad solvenda argumenta Nominalium, quibus conatur ostendere continuum posse a Deo simul dividi in omnes suas partes, & ab hoc instanti potest hanc, & illam, & illam dividere, & sic de singulis; & pari ratione posse infinitam actu multitudinem producere, quia in hoc instanti

tantum potest a Deo produci hic homo, & ille, & ille, sic singulis.

95 His observatis conditionibus modus arguendi per inductionem est optimus, & vocatur Ascensus, quatenus per eam sentiam a singularibus ascendimus ad probationem universalem, unde ascensus ordinatur ad inventiendas, & probandas veritates universales, ut universales sunt, idest, in quantum constant ex singularibus sub eis contentis, non enim melius probari potest, quod aliquod universale sit tale, nisi quia ejus singularia sunt talia. Descensus vero est modus arguendi oppositus inductioni, est enim progressio ab universali ad singularia, verb. grat. omnis ignis calefacit, ergo & hic ignis, & ille ignis calefacit, & ideo solet etiam dici deductio, seu deductio, & precipue ordinatur ad ostendendam falsitatem universalem, ut universale est, optime enim ostenditur falsitas universalis descendendo sub illo, & ostendendo aliquod singulare non esse tale. Verum tamen est, quod supposita veritate universalis inventa per ascensum, & comprobata, etiam descensus deservire potest ad ostendendam correspondentiam universalem ad singularia sub eo contenta; ex quo colligitur ascensum, & descensum deservire ad ostendendam veritatem, vel falsitatem propositionis universalis.

Ascensus, & descensus est quadruplex, copulativus, & copulativus, disjunctivus, & disjunctus. Copulativus est, qui fit per conjunctionem, & aut similem copulativam acceptam, idest copulativam, & conjungentem ipsas propositiones, non terminos propositionis. Copulativus vero est, qui fit per eandem particulam, & copulativam sumptam, idest copulativam partes unius extremi, non autem ipsas propositiones. Disjunctivus fit per particulam vel disjunctivam sumptam, idest jungentem propositiones. Disjunctus est, qui fit, per eandem particulam disjunctivam acceptam, idest jungentem partes unius extremi. Ex quo patet, descensum, & ascensum copulativum, & disjunctivum, in hoc differre a copulativo, & disjunctivo, quod in illis fit descensus, vel ascensus per hypotheticam propositionem ex multis categoricis constantem; in istis vero fit enumeratio singularium per unicam propositionem categoricam, cuius alterum extremum consistit omnibus singularibus, in descensu quidem, aut ascensu copulativo copulativam sumptis, in disjunctivo disjunctivam.

Hoc totum manifestatur docendo modum resolvendi terminos: si terminus distributive supponit, a propositione universali descenditur ad plures singulares copulative, vel ad unam de copulato extremo, & verbo singulari, sic, omnis homo est animal, ergo hic homo est animal, & ille homo est animal, vel sic, ergo hic homo, & ille homo, & ille est animal; nullus angelus est corpus, ergo nec Michael est corpus, nec Gabriel est corpus, vel sic, ergo nec Michael, nec Gabriel, nec Raphael est corpus, ascensus vero fieri debet e contra. Si autem terminus supponat collective, tunc ascendendum est, vel descendendum copulativum sic, omnia elementa sunt quatuor, ergo ignis, & aer, & aqua, & terra sunt quatuor, non autem ignis est quatuor; omnes Apostoli sunt duodecim, ergo hic Apostolus, & hic, & hic &c. sunt duodecim, aut e contra, si vis ascendere. Si vero terminus determinate supponat, descenditur a propositione particulari ad plures singulares disjunctive sic, aliquis homo currit, ergo hic homo currit, vel ille homo currit, &c. aut ad unam de disjuncto extremo sic, ergo hic homo, vel ille homo &c. currit: & e contra ascenditur. Si tandem terminus supponat confuse, eodem modo descenditur, & ascenditur a termino confuso ad singulares, & e contra, quæ omnia melius percipiuntur recolendo dicta de suppositionibus tr. 1. c. 10. Et hic advertit, quod veritas in descensu copulativo æstimatur ex singulis partibus, quæ copulative enumerantur in copulato, non ex singulis, sed ex omnibus simul collective sumptis partibus, idest ex tota earum collectione; in disjunctivo attenditur ex unica determinata parte, licet sub disjunctione significata; in disjuncto demum ex omnibus confuse, ex una parte sola prorsus tamen indeterminata, & vaga a parte rei, quæ omnia constat ex dictis de supposito. loc. cit. quod si plura desideras, vide tract. de Descensu apud Tatar.

96 Quares, an Inductio sit bona, & formalis consequentia, seu argumentatio? Negant Conimb. 1. Priorum c. 3. q. 2. art. 3. Amicus tract. 23. disp. 2. qu. 2. dub. 5. Jo. de S. Thom. p. p. log. q. 8. art. 2. consentit ex parte Tatar. 2. Priorum qu. ult. §. Dubitatur secundo, Ponc. cap. 22. Log. parvæ, & quidam alii, quod eo magis asserunt de exemplo, ac Enthymemate. Dicendum tamen est, esse bonam, & formalem consequentiam servatis conditionibus allatis, ita communis, & probatur auctoritate Aristot. 1. Top. c. 12. ubi habet, quod inductio est instrumentum aptius syllogismo ad persuadendum, & apertius; & secundum sensum notum: Tum 2. ratione, quia efficacius probari nequit universale esse tale, quam ostendendo singularia esse talia, sic vero procedit inductio. Tum 3. quia consequentia ab æquivalenti ad æquivalentem formalis est, ac efficax: sed ita procedit inductio, ex singularibus enim copulativæ sumptis infert universalem illis æquivalentem; Tum demum, quia, ut diximus c. 2. tam Inductio, quam

enthymema, & exemplum habent suum medium, ratione cuius concludunt, & sunt virtualiter syllogismi, ergo sunt argumentationes formales, & ex vi formæ concludentes, quia est virtualiter syllogistica, atque, ita defenduntur Masius hic qu. 5. & Blanc. disp. 2. Pla. disp. de induct. qu. 4. licet neget de exemplo.

Sed contra obicitur, quod non sit formalis consequentia, imo nec bona, quia vis probativa inductionis tota consistit in processu a distributivo ad collectivum, sed hic processus in multis vitiosus deprehenditur, non enim valet, potest homo vivere sine isto cibo, & sine illo, & illo, & sic de aliis singillatim sumptis, ergo vivere potest sine omni cibo; potest esse sine isto loco, & sine illo, & sic de aliis distributive sumptis, ergo sine omni; potest vitare hoc peccatum veniale, & hoc, & hoc, ergo omnia: potest Deus in hoc instanti facere hunc, & hunc hominem, ergo & omnes; potest dividere continuum in hanc, & illam partem, & illam, ergo in omnes, & ita in aliis multis arguere possumus; imo secundum logicos a distributivo ad collectivum non tenet consequentia, nam prædicatum, quod tribuitur terminis in ascensu copulativo, nequit tribui termino communi, ad quem fit ascensus, supponenti copulativam, quod est supponere collective, & ratio est, quia subiecta ascensu copulativi sunt singularia seorsum sumpta, & singillatim, subiectum vero copulativæ est collectivum, seu singula simul. Tum quando etiam teneret talis consequentia, tamen est prorsus inutilis, eo quod non plus, imo minus, & priori modo cognoscimus rem in conclusione, ac in præmissis, eo quod in iis distincte, in illa confuse rem cognoscimus. Tum 3. quia in inductione nihil concluditur vi formæ, quia non habet certum numerum præmissarum, sed modo plures, modo pauciores. Imo etiam omnia enumerentur singularia, adhuc non erit formalis argumentatio, quia nihil diversum erit in conclusione ab eo, quod est in præmissis. Tum 4. Arist. 2. Post. ait inducentem non demonstrare; ergo non necessario infert, & ideo non est formalis argumentatio. Tandem, quod tanto minus exemplum, & Enthymema sint argumentationes formales, probatur, quia ad formalem argumentationem requiritur, quod nullus terminus sit in consequenti, qui non sit in antecedenti, & in antecedenti sit aliquis, qui non sit in consequenti, alioquin ex quolibet antecedente posset inferri quodlibet consequens, v. g. homo est animal, ergo est irrationalis, sed in Enthymemate aliquis terminus ponitur in consequenti, qui non erat in antecedenti. v. g. omnis homo est animal, ergo est sensitivus, ly sensitivus, quod est in consequenti, non est in antecedenti; sic etiam in exemplo v. gr. Salomon invenire non potuit felicitatem in omni gloria sua, ergo neque Alexander inveniret.

97 Resp. ad primum, quod quando communiter dicitur vim Inductionis consistere in processu a distributivo ad collectivum, non accipitur distributivum, & collectivum in rigore, distributivum nempe pro solo ascensu copulativo, & collectivum pro termino supponente copulativam, quia sit inductio tam ascensu copulativo ad terminum distributive supponentem, quam ascensu copulato ad terminum supponentem collective, sed per processum a distributivo ad collectivum intelliguntur progressum a singularibus ad universalem, quocumque ascensu fiat: ut vero talis progressus sit bonus, & efficax, observari debent duæ conditiones superius memoratæ, nam defectu secundæ sæpius non tenet, & ita contingit in consequentiis in argumento allatis, licet enim in illis omnes singulares sint veræ, & etiam omnes determinatæ sint compossibiles, semper tamen multæ indeterminatæ, vel saltem una illis repugnat, ut patet in exemplo decem lapidum supra ex Doctore allato, quæ repugnantia attendenda est ex particularibus materiis, in quibus arguitur, unde si inductio quandoque non tenet, defectus provenit ex parte materiæ, non ex parte formæ, hanc difficultatem fufe pertractat Casil. lib. 1. tr. 2. cap. 3. ubi varios refert dicendi modos pro hac re declaranda: sed responsio data sufficit.

Ad secundum negatur assumptum, quia inductio valde utilis est ad scientias, nam agunt de universalibus, ad quæ per inductionem manuducimur. Ad probationem dicimus, quod saltem scitur de novo distincte, quod multitudi conveniat prædicatum, quod singularibus tantum convenire sciebatur, & si argumentum concludit, probaret etiam a definitione ad definitum non esse bonam consequentiam, quia melius cognoscitur res per definitionem, quam per definitum. Ad tertium habet inductio antecedens, & consequens, & antecedens unam totalem præmissam constituit ex multis singularibus integratam, & duas præmissas habet, dum efformatur in syllogismum; & in conclusione scitur idem, quod in præmissis, sed diverso modo; imo dicere possumus sciri etiam aliquid diversum, quia in ea scimus convenire toti collectioni, quod in præmissis sciebamus convenire singularibus singillatim, collectio autem est quodammodo effectus particularium componentium ipsam collectionem, & ideo quidpiam ab eis aliquo modo diversum. Ad quartum negatur consequentia, quia neque omnis, qui syllogismo utitur, demonstrat: & tamen non negatur, syllogismum esse argumentationem formalem: demonstratio igitur ultra argumentationem formalem.

ratione formæ, sed etiam ratione materiæ. Ad quintum negatur minor, nam implicite, & virtualiter se habent enthymema, & exemplum, sicut syllogismus, & habent medium, ratione cuius concludunt, unde in enthymemate allato in argumento medius terminus est animal, deest enim una propositio in voce, quæ tamen habetur in mente, scilicet, omne animal est sensitivum, sic etiam in exemplo allato in argumento intelligitur medium, quod erit hoc, Salomon est ejusdem rationis, ac alius Rex; verum tamen est exemplum ab aliis speciebus argumentationis valde deficere.

Dices, in forma enthymematis multoties dari antecedens verum, & consequens falsum, ut patet in hoc, omnis homo est animal, ergo omnis homo est doctus; ergo non est argumentatio formalis, ad quam exigitur, quod numquam in simili forma arguendi reperitur antecedens verum, & consequens falsum. Resp. ob id Recentiores quamplures Blanc. disp. cit. sect. 6. Plat. disp. de enthymem. qu. 5. & alios velle enthymema tunc tantum esse formalem argumentationem, quando disponitur in terminis subalternatis, ut omnis homo est animal, ergo quidam homo est animal: tunc enim est argumentatio formalis ratione subalternationis, alias non. Sed præstat dicere, argumentationem in objectionem adductam non esse enthymema, quia ad hoc conficiendum non sufficit assumere pro antecedente, & consequente duas propositiones quomodocumque, sed tales, quod una inferatur ex alia, & possit reduci ad formam syllogisticam addendo aliam propositionem, quod non reperitur in argumentatione allata in objectionem.

CAPUT V.

De Syllogismo, & ejus principii constitutivis; ubi de figuris ejusdem.

98 Diximus tract. præc. enunciationem dividi in simplicem, & compositam, seu categoricam, & hypotheticam, & rursus categoricam in absolutam, & modalem; eodem pacto syllogismus dividitur in categoricum, & hypotheticum, & categoricum rursus in absolutum, & modalem, prout continet propositiones simplices, vel conjunctas, absolutas, vel modales; prius igitur de categorico erit sermo, & speciebus ejus, de hypothetico postea, & mixto. Arist. itaque 1. Priorum c. 1. prope finem, & 1. Top. cap. 1. syllogismum definit, quod sit oratio, in qua quibusdam positis alterum quid a positis necesse est contingere, eo quod hæc sint: dicitur oratio, non autem argumentatio, quia argumentatio revera non est genus ad syllogismum, inductionem, &c. ut dictum est cap. 2. dicitur, oratio in numero singulari, vel quia est unica propositio hypothetica, ut ait Tatar. tract. 4. vel potius, ut ajunt Aver. Philopon. & Eufarius ratione unitatis mediæ, in quo uniantur extrema in præmissis, & unitatis formæ, seu dispositionis terminorum; & etiam ratione unius finis, quia ambæ præmissæ ordinantur ad unicam conclusionem inferendam; dicitur quibusdam positis, in plurali, quia ex una sola propositione, ex qua alia inferitur, syllogismus non conficitur, sed alia argumentatio imperfecta, scilicet enthymema, aut inductio, &c. debent igitur plures propositiones assumi, non quomodocumque, sed posita, idest disposita in modo, & figura; & ut notat Tatar. non debet addi particula, & concessio, quia si præmissæ sint veræ, siue falsæ, nihil refert ad syllogismum simpliciter, seu secundum formam consideratum, qui hic definitur, dicitur alterum quid a positis &c. ad denotandum, quod conclusio, quæ sequitur ex præmissis, est alia propositio ab illis, & ab eis necessario illata ob illarum dispositionem, unde ly necesse, ut notat Tatar. & Alex. non significat necessitatem consequentis, quasi consequens in omni syllogismo debeat esse necessarium, cum esse possit contingens, vel falsum, sed tantum necessitatem consequentis, ut ex præmissis necessario inferatur conclusio, etiam illa non sit necessaria, quæ erit de essentia syllogismi, si capiatur pro aggregato ex præmissis, & conclusione, non autem si capiatur pro solis præmissis dispositis, ut capit Arist. 2. Priorum, ita docet Tatar. 1. Priorum q. 1. in fine.

Sensus igitur præfatæ definitionis est, quod syllogismus est oratio discursiva, in qua posita majori, & minori propositione (sic enim appellantur præmissæ, ut mox dicemus) aliud scilicet conclusio ab his, quæ posita sunt, sequatur, idest deducitur ex vi dispositionis terminorum in præmissis, v. g. omne animal est substantia, omnis homo est animal, ergo omnis homo est substantia, hæc tertia propositio, quæ dicitur conclusio, sequitur necessario ex dispositione duarum priorum; unde brevius posset defini syllogismus, est oratio discursiva constans medio cum extremis disposito, ut est videre in syllogismo allato.

Sed dices, hanc definitionem non convenire omnibus syllogismis, quia non hypothetico, & expositorio, de quibus infra. Resp. verum esse Arist. mentem fuisse hic definire syllogismum categoricum, & hunc termino communi constantem; adhuc tamen potest etiam hypotheticus Masius, & Belluti Tom. I. Logica.

hanc definitionem participare, quatenus, & ipse per principia categorici habet regulari, & potest in categoricum resolvi; potest etiam applicari syllogismo expositorio, & omnibus aliis, quatenus omnes, ut necessarium, & formalem inferant consequentiam, indigent dispositione terminorum, & propositionum syllogistica jam declarata, & amplius declaranda, & omnes eisdem communibus principiiis regulari debent, quæ omnia ex dicendis patebunt.

99 Quia vero syllogismus est quoddam compositum rationis, ideo habet sua principia constitutiva, quæ sunt duplicia, alia materialia, alia formalia: & materialia, alia proxima, ut propositiones, alia remota, ut termini propositionum, qui in quolibet syllogismo sunt tres, ex quorum combinatione tres quoque formantur propositiones, & ideo necesse est unamquemque bis repeti, ratio est, quia in syllogismo debet inferri duo extrema esse simul connexa ob connexionem, quam habent cum aliquo tertio, prius ergo debet unum extremum connecti cum illo tertio, & erit prima propositio, deinde debet alterum extremum cum eodem tertio copulari, & erit secunda propositio, denique ipsa extrema debent in conclusione invicem connecti, & erit tertia propositio; hinc constat illud tertium, quod semel in una, & semel in alia præmissarum ponitur, unum facere terminum, duo autem extrema conclusionis, quæ semel in præmissis cum illo tertio, & semel in conclusione invicem connectuntur, alios duos terminos efficere; hoc totum manifestatur exemplo, si velimus ostendere hominem esse substantiam, excogitandum est aliquod tertium, cum quo tum homo, tum substantia conjungantur, quod erit v. g. animal, si igitur substantiam, & semel hominem cum animali componas, duæ propositiones resultabunt, nimirum omne animal est substantia, omnis homo est animal, postremo ex his inferendo hominem, & substantiam esse simul connexa, tertiam conficies propositionem, ergo omnis homo est substantia: prima propositio dicitur major, cum enim denotatio majoris sit quædam dignitas, optime illi tribuitur propositioni, quæ primum obtinet locum in syllogismo: secunda minor, tertia conclusio, quæ ponitur post notam illationis, unde consequens in plus se habet, quam conclusio, quia omnis propositio, quæ ponitur post notam illationis, dicitur consequens; sed illa, quæ ponitur post notam illationis in syllogismo, dicitur proprie conclusio, ex terminis vero ille, quibus sumitur ante conclusionem, dicitur medium, qui jungitur cum medio in majori dicitur major extremitas, qui vero in minori, dicitur minus extremitas.

Sed quamvis hic explicandi modus majorem, & minorem propositionem, ac etiam majorem, & minorem extremitatem Summularum communis cum Petro Hispano tract. 4. super lib. Prior. & Arist. ibid. Ovied. tamen contr. 4. Summul. punct. 3. Poncius disp. 20. Log. q. 5. Aver. sa q. 25. sect. 7. (quem falso Ponc. in oppositum citat) & alii Recentiores inquirunt non ex eo dici propositionem majorem, vel minorem, quod prius, posteriusve proferatur, sed illam dici majorem propositionem, in qua medium est subiectum, & altera extremitas est prædicatum, & minorem e contra, in qua medium prædicatur, & altera extremitas subicitur, & sic pariformiter majus extremum esse, quod in propositione prædicatur de medio, & minus extremum, quod subicitur. Hurt. etiam disp. 10. Log. sect. 11. §. 70. aliter explicat, ut nimirum major extremitas sit, quæ continet sub se plura, minor, quæ pauciora. Attamen recedendum non est a communi, tum quia ita significavit Arist. Petr. Hisp. cum aliis Summularum quia ex opposito modo dicendi sequitur in secunda, & tertia figura non posse assignari majorem, vel minorem, quia medium in una semper subicitur, & in alia prædicatur, quod licet gratis concedat Ovied. hoc tamen concessi absurditatem non tollit.

At Poncius obicit primo Arist. qui 1. Prior. cap. 5. explicare volens majorem, & minorem extremitatem ait, dico autem majorem extremitatem, in qua medium est (idest sub qua medium est) minorem voco, quæ est sub medio, ergo propositio illa, in qua subicitur medium, est major propositio, & in qua prædicatur est minor, si primo loco proferatur, siue non. Deinde arguit ratione, quia ex majori particulari nihil inferitur bene in secunda figura, at hoc esset falsum, si major est, quæ primo loco ponitur, nam hic Syllogismus optime concludit, aliquod animal est quadrupes, nullus homo est quadrupes, ergo aliquod animal non est homo. Resp. Arist. ibi ut ex contextu patet, explicare illis verbis, quænam sit major, & minor extremitas in prima figura præcise, non autem in omnibus; ait enim, in prima figura, medium voco, quod est in alio, & aliud in ipso, extremitatem vero alia est, quæ est in alio, alia in quo aliud. Ad aliud, syllogismus ille non concludit in secunda figura, nisi indirecte, cum autem dicitur ex majori particulari nihil inferri in secunda figura, id est intelligendum de conclusione directa. At in stat Poncius ex hoc sequi etiam in secunda figura assignari debere modos indirecte concludentes, quod est falsum. Negatur falsitas, ut constabit ex infra dicendis capit. 8. num. 111.

Solet hic quoque disputari, an conclusio sit de essentia syllogismi, quæ est fere quæstio de nomine, quia juxta varias syllogismi acceptiones utrumque asseri potest, ut infra dicitur disp. 17. q. 1. Breviter tamen dicendum, conclusionem esse de essentia syllogismi non minus, quam præmissas, prout ab Arist. hic sumitur, & definitur, qui ait, syllogismum esse orationem, in qua plures sunt propositiones, quarum una ex aliis sequitur, per quod significat ad essentiam syllogismi spectare tam præmissas, quam conclusionem, & æque ex utriusque constare, nam re vera ad structuram syllogisticam tres requiruntur propositiones. Conf. ratione, quia syllogismus est essentialiter consequentia, omnis autem consequentia includit essentialiter antecedens, & consequens, ergo conclusio, quæ est illatum, & consequens in syllogismo, est de integritate, & complemento ipsius.

100 Formalia item principia sunt duplicia, duobus nimirum materialibus correspondentia, & quidem cum forma syllogismi sit ordinatio, seu dispositio materiæ ejus, illa dispositio, qua ordinatur materia remota, seu termini, dicitur *figura*, & illa, qua ordinatur materia proxima, scilicet propositiones, dicitur *modus*; figura igitur, quæ est forma materiæ remotæ, est *apta dispositio terminorum secundum subjectionem, & prædicationem*; Modus, qui est forma materiæ proximæ, est *apta dispositio propositionum debita quantitate, & qualitate*, debita quantitas est, ut non omnes præmissæ sint negativæ, sed aliqua sit affirmativa; debita qualitas est, ut non omnes sint particulares; sed aliqua sit universalis. Et quia recta combinatio mediæ cum extremitatibus, in qua consistit ratio figuræ, est triplex, triplex etiam datur figura, nam vel medium subicitur in una, & prædicatur in alia, & sic habetur prima figura; vel prædicatur in utraque, & sic habetur secunda; vel in utraque subicitur, & sic habetur tertia; quod eo carmine ostendi solet.

Sub præ prima; secunda bis præ: tertia bis sub.

Quæres an admittenda sit quarta figura, quæ tribui solet Galeno, & Avicennæ? Medici eam admittunt, & quidam alii etiam ex nostratibus, ut Tatar. 1. Prior. q. de figuris syllogismorum § *dubitarum primo*, & Roccus l. 2. cap. 10. ubi proinde recensent modos quartæ figuræ, & Camerar. qu. 13. Log. Ratio fundamentalis hujus opinionis, ommissis aliis minoris momenti, est, quod tot sunt figuræ, quot sunt dispositiones mediæ termini cum extremis; sed datur quarta dispositio mediæ cum extremis, ergo &c. probatur minor, quia potest ita disponi, ut prædicetur in majori, & subicitur in minori, ut patet sic arguendo, omnis homo est animal; omne animal est substantia, ergo omnis homo est substantia; quæ est forma arguendi valde familiaris, qua ratione convictus Blanc. l. 7. sect. 7. quartam figuram cum Medicis libenter amplectitur.

Verum peripathetica schola nunquam hanc quartam admittit figuram, ut a prima essentialiter distinctam, & est manifesta Arist. sententia, qui 1. Priorum c. 2. concludit, necesse esse fieri omnem syllogismum per tres prædictas figuras, & sequuntur omnes Scotus 1. Priorum qu. 34. Aver. 1. Priorum cap. 8. Zab. l. de 4. figura, Conimb. & Complut. Fuentes, Casilius, Poncius, Morisanus, Hurtad. Averfa, Amicus, & passim alii Recentiores; & quamvis variis modis, & quidem ut plurimum inutilibus, ut ostendit Averfa qu. 25. sect. 7. rejici solet ab Auctoribus citatis, nempe quia inferat conclusionem innaturalem, & indirectam, aut prædicationem ejusdem de seipso; ratio tamen a priori est illa, quam Scot. cit. assignat, & ex ipso Arist. deducitur, quia nimirum dispositio mediæ non potest essentialiter diversificari, nisi illis tribus modis relatis, quod scilicet vel in præmissarum una subiciatur, & in altera prædicetur, vel in utraque prædicetur, vel demum in utraque subiciatur, ergo cum in quarta figura a Medicis assignata, habeat medium primam dispositionem, plane non erit a prima figura distincta, quæ in eo prædicatur essentialiter consistit, ut habeat medium in una propositione subiectum, in altera prædicatum. Resp. Tatar. quod prima figura potest capi dupliciter, large nimirum, ut est dispositio trium terminorum sic se habentium, quod medium subicitur in una præmissarum, & prædicatur in alia, sive hoc sit in majore, seu in minore, & sic concedit quartam figuram non esse a prima distinctam; alio modo capitur specialiter, ut, est dispositio trium terminorum sic se habentium, quod medium subicitur in majori, & prædicatur in minori, & sic esse distinctam.

Hæc solutio nulla est, quamvis enim verum sit medium in prima figura, ita communitè disponi, quod sit subiectum majoris, & prædicatum minoris, id tamen non efficitur, ut in prima figura syllogismus fiat, sed potius regulariter, ut directe concludat, quia non minus in prima figura foret, si ita disponeretur, ut medium esset prædicatum majoris, & subiectum minoris, hoc enim præcisè primam constituit figuram, quod medium in una sit subiectum, in altera prædicatum, qualicumque hæc fuerit, hoc siquidem penitus accidentarium est ad primam figuram

constitutionem. Et quod diversitas dispositionis mediæ, quod in majori subiciatur, & in minori prædicetur, aut e contra, non variet primam figuram essentialiter patet ex Arist. loc. cit. qui sæpe transponit præmissas, ut magis syllogismus conformetur primæ regulæ antepredicamentali. ubi tamen nulla ratione dicendum est voluisse ponere exemplam quartæ figuræ, quam ipse nunquam agnovit; ergo signum est, talem variationem dispositionis mediæ esse prorsus accidentariam, nec sufficere ad constituendam figuram aliquam a prima essentialiter diversam.

Ex hoc patet responso ad fundamentum oppositæ sententiæ, & quæcumque in oppositum objici solent, quamvis enim possint fieri quatuor combinationes mediæ cum extremis, illæ tamen duæ, qua medium subicitur in majori, & prædicatur in minori, aut e contra, non sunt essentialiter diversæ, imo quia hæc combinatio, qua medium prædicatur in majori, & subicitur in minori, facit syllogismum concludere indirecte, ut patet in exemplo ab Adversariis allato, ubi minor extremitas prædicatur de majori in conclusione, quod est concludere indirecte, ut postea dicemus, deberet quarta figura (si daretur) ad primam reduci, sicut syllogismi concludentes indirecte reducuntur ad directos; maneat ergo quartam figuram non dari, aut non esse a prima essentialiter diversam, & syllogismum ab Adversariis allatum re vera esse in prima figura, quia habet medium subiectum in una, & prædicatum in alia, etiam non ita dispositum, ut possit concludere directe; potest tamen facili negotio ita disponi transponendo præmissas absque ulla penitus alia mutatione dicendo; Omne animal est substantia, omnis homo est animal, ergo omnis homo est substantia.

C A P U T V I.

De Principiis regulativis syllogismi.

101 **N**omine principii regulativi syllogismi intelligimus regulam, a qua syllogismus habet suam certitudinem, & evidentiam ad concludendum; sunt autem duo principia hujusmodi; Primum est generalissimum pro quocumque syllogismo, etiam expositorio, cujus medium est terminus singularis, est autem tale; *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se; & quorum unum est idem cum tertio, cum quo alterum non est idem, non possunt esse eadem inter se*, quoad primam partem valet pro regulandis affirmativis, quoad secundam, valet pro negativis, & hoc principium est tantæ efficacitatis, ut in ipso fundetur universa structura syllogistica, ut testatur Doctor p. d. 2. quæst. 7. I. idem in solut. ad 1. princ. pro 4. quæst. & declaratur sic proposita quæstione v. g. an anima sit immortalis, ad cognoscendum num. hi termini sint connexi, advertendum est, quas habeat anima proprietates, & prædicata intrinseca, & reperto animam esse incorpoream, rursus est inquirendum, an incorporeum connexionem habeat cum immortalis, & reperto ita esse, tunc recte possunt inferre ex hoc, quod illi termini sunt cum hoc tertio scilicet incorporeo conjuncti, esse etiam inter se conjunctos; Quod si e contra reperitur incorporeum cum immortalis non posse connexi, tunc negative concludendum esset, nec animam cum immortalis esse connexam, quia incorporeum, quod supponitur cum anima esse conjunctum, non conjungitur cum immortalis, atque ita ex hoc patet, quomodo ex connexione extremitatum cum medio inferatur propositio affirmativa, in qua extremitates ununtur inter se, & quomodo ex affirmatione unius extremitatis cum medio, & negatione alterius inferatur conclusio negativa, in qua una extremitas negatur de alia. Et quamvis hoc principium sit omnibus syllogismis commune, ejus tamen vis in expositorio luculentius apparet, quia tertium illud, scilicet terminus, qui est medium, est magis unum, cum sit terminus singularis, in aliis vero communis, & ideo hoc genus syllogismorum est omnium perspicuissimum, utpote, quod est alienum a multiplicitate præceptorum de distributione, & suppositione mediæ, cum sit singulare, ut patet in hoc: Filius Virginis est Deus, Christus est Filius Virginis; ergo est Deus, ut infra magis constabit.

Alterum principium est: *Dici de omni, & dici de nullo*; quoad primam partem valet pro regulandis affirmativis, quoad secundam pro negativis: dici de omni est, quicquid universaliter dicitur de subiecto absolute supponente, dici etiam de quocumque contento sub illo, ut si omne animal est substantia, ergo & homo, qui stat sub animali, est substantia. Sic dici de nullo est, quicquid universaliter negatur de subiecto, negari etiam de quocumque contento sub eo, ut si nullum animal est lapis, ergo nec homo, qui stat sub animali, erit lapis. Hoc autem principium non est ita universale, sicut primum, quia non deservit ad syllogismum expositorium, ut notat Tatar. 1. Priorum quæst. 1. dub. 2. & 3. sed tantum ad illum, cuius medium est terminus communis, cui termino dumtaxat appli-

applicari possunt signa universalis, *omnis, & nullus*, hoc principium constructiva, ut illum distribuatur pro suis inferioribus; Et quamvis passim per hoc principium dicantur præcipue regulari modi perfecti primæ figuræ, non propterea negari debet etiam cæteros regulari, per illud enim tantum infirmare volunt solos modos perfectos primæ figuræ immediate regulari, quatenus omnes ad perfectos possunt reduci, ut postea dicemus. Advertendum autem hic est, hoc secundum principium regulativum a primo dependere, quod universalis est, & ab eo vim regulandi sumere, ut discurrunt patebit, imo notant Complut. lib. 3. cap. 4. hoc secundum principium a primo non differre, nisi penes hoc, quod primum sumitur in ordine ad esse, istud vero in ordine ad prædicari; quidem unum affirmari de alio fundatur supra identitatem illorum, sicut unum negatur de alio ob eorum diversitatem, & ideo liquido patet hoc secundum principium vim suam a primo accipere. Conf. ideo enim ex hoc, quod omnis homo currit per dici de omni, rite concluditur, quod Petrus currit, quia supponitur probatum Petrum esse hominem, & consequenter conjungitur cum homine Petrus; & curus, & idem cernitur etiam in altero principio, *dici de nullo*.

102 Verum enim vero quamvis hæc doctrina sit communi Summulistarum calculo probata, nihilominus Mol. p. q. 28. art. 3. disp. 2. Valq. p. p. d. 123. principium illud primum, *Quæ sunt eadem uni tertio, &c.* tamquam infirmum respuit, & non universaliter verum, nisi reducatur ad dictum de omni, & de nullo, sequitur Casil. lib. 3. tr. 2. cap. 2. Fundamentum eorum unicum est, quod tale principium in divinis claudicare videtur, quia ex identitate reali divinarum personarum cum divina essentia non potest inferri realis identitas earum inter se, & ideo hic syllogismus non valet; essentia divina est Pater, filius est hæc essentia divina, ergo filius est Pater; Unde ut hic, & similes syllogismi expositorii in divinis rite formentur, ut notat Scot. 1. Prior. q. 7. concl. 4. per dictum de omni, & dictum de nullo regulari debent, ita quod medius terminus, est singularis, distribuatur hoc modo. Quicquid est essentia divina est Pater, filius est essentia divina, ergo &c. nam ita consequentia tenet, sed major est falsa: Cum ergo primum illud principium; *Quæ sunt eadem uni tertio, &c.* non teneat in divinis, nisi cum multis limitationibus, quæ tandem faciunt illud recidere in aliud principium, *dictum de omni*, & cum e contra secundum principium aptum sit regulare etiam syllogismos expositorios in divinis, ut patet in exemplo allato, concludunt Vasquez, & Molina, dictum de omni, & dictum de nullo, esse unicum principium regulativum omnium syllogismorum. Adit Casil. principium illud. *Quæ sunt eadem uni; &c.* poni ab Arist. 7. Top. cap. 1. non autem 2. Prior. ubi erat locus agendi de principis regulativis syllogismorum; sed ibi tantum assignasse principium, *Dici de omni, &c.* ergo hoc tantum erit absolute principium regulativum syllogismorum.

Sed frustra laborant, nam veritas illius principii est universalissima, & etiam valet in divinis, & quamvis D. Th. p. q. 28. art. 3. & Thomistæ cum ipso aliquas afferant limitationes, ut etiam in divinis verum sit, Scotus tamen cit. p. d. 3. qu. 7. profert illud, ut absolute verum, ita quod semper verum est, quæ sunt eadem uni tertio, esse quoque inter se eadem illa tali identitate, non tamen majori, quia non potest concludi aliqua identitas extremorum inter se, nisi secundum illam identitatem, quæ sunt eadem medio, & sic, inquit Doctor, ex identitate reali personarum in essentia inferri potest identitas realis ipsarum inter se, non quidem realis personalis, sed realis essentialis, quia hæc identitate cum essentia sunt idem; syllogismus autem allatus, & similes, in divinis non tenent, quia afferuntur ut expositorii, cum tamen re vera tales non sint, sed sophismata, ut Doctor notat ibidem, & sequitur Arubal. p. p. disp. 102. cap. 2. ratio est, quia medium in syllogismo expositorio ita debet esse singulare, ut sit hoc aliquid, & incommunicabile ut quod, qualis non est essentia divina, & ideo ipsa non est sufficiens medium pro syllogismo expositorio, & quando etiam illi syllogismi essent expositorii, prorsus falsum est posse regulari per dictum de omni, & dictum de nullo, quicquid dicat Poncius disp. 10. Log. quæst. ult. quia hoc principium solum regulatur discursus, qui procedunt ex vi alicujus termini distributi, repugnat autem prorsus termino singulari, qui est medium in expositorio, distribui, cum inferiora non habeat, distribui namque seu accipi distributive est idem, ac supponere pro singulari suis inferioribus, N. c. Scotus cit. 1. Priorum, qu. 7. facit auctoritatem, sed standum est doctrinæ, quam habet in lib. sentent. Arist. autem 1. Priorum solum secundi principii expresse meminit, quia ibi solum loquitur de syllogismo, in quo pro medio sumitur terminus communis, utpote qui magis infervit ad cognitionem scientificam comparandam.

Quamvis ergo magna sit necessitas secundi principii, nam illo deficiente destrueretur descensus ad universalis ad particularia, quia virtute hujus principii tenet talis descensus, omnis homo est animal, ergo Petrus est animal, *Maffrii, & Bellati Tom. I. Logica.*

& Paulus est animal, imo negato hoc principio duæ contradictoriæ essent simul veræ, nam cum veritate istius universalis, omnis homo est animal, stare veritas hujus particularis, aliquis homo non est animal, quæ illi contradicit. Nihilominus fatenda etiam est necessitas illius principii, *Quæ sunt eadem, &c.* & dependentia hujus secundi ab illo, nam ex eo prædicatum de quibusvis sub eo contentis prædicatur, quia ipsis aliquo modo identificatur, ut disp. de univers. dicemus, ergo dici de omni necessario supponit identitatem subiectorum in predicato, & dici de nullo separationem, quod bene demonstrant Hurt. disp. 10. Log. sect. 16. Arriaga disp. 8. summ. sect. 4. & alii Doctorem nostrum secuti, & nuper Oyvied. contr. 4. summul. punct. 1.

C A P U T V I I.

Regule generales, & speciales cujuscumque figuræ assignantur.

103 **E**X principiis regulativis syllogismi cap. præc. declaratis quinque deducuntur regulæ omnibus tribus figuris communes. Prima est, quod *ex puris negativis nihil sequitur*, unde hæc consequentia non valet. Nullus homo est irrationalis, nullus equus est homo, ergo nullus equus est irrationalis, ratio hujus est, quia non potest concludere affirmative, eo quod medius terminus, qui est tota ratio conjungendi, cum neutro extremo est conjunctus, nec etiam negative, quia ad hoc, ut unum extremum non jungatur cum alio per medium, debet idem medium cum alterutro extremo esse conjunctum, nam si unum extremum ab altero disjungitur propter medium, debet hoc oriri ex eo, quod disjungatur a medio, cum quo conjungitur aliud extremum, & ita ipsa extrema erunt invicem disjuncta; si autem medium cum ullo extremo jungatur; non erit ratio neque conjungendi, neque separandi ipsa extrema, unde patet, hanc regulam fundari in primo principio regulativo. Advertendum tamen est, præmissas interdum videri affirmativas, cum tamen revera occultam contineant negationem, & ideo non concludunt, ut in syllogismo, omnis homo differt ab Angelo, omnis spiritalis substantia differt ab homine, ergo omnis spiritalis substantia differt ab Angelo, omnes hæc præmissæ sunt negativæ, quia differre est idem, ac unum non esse aliud, & ita se habent omnes propositiones, in quibus est relativum diversitatis.

Sed objicies, hæc consequentia est bona, quod non movetur, non currit, Sortes non movetur, ergo non currit, & tamen est ex puris negativis. Resp. nos hic tradere regulas de syllogismo cathogorico, allatus autem est hypotheticus, nam illa major huic conditionali æquivalens, si non movetur, non currit, & præterea fundatur in hac affirmativa, omne currens movetur. Dices, hic est cathogoricus. Omne, quod non est animal, non est homo, lapis non est animal, ergo lapis non est homo, & tamen consequentia tenet ex puris negativis. Resp. majorem esse universalem affirmativam, nam æquivalens illi, omne non animal est non homo, idque patet ex regulis conversionis, nam universalis affirmativa convertitur per contrapositionem infinitatis terminis, ac etiam, est ratio, subiecto infinitato, & negata copula, unde hæc propositio, omnis homo est animal, sic convertitur, omne non animal est non homo, vel sic, omne non animal non est homo, vide Casil. lib. 3. tr. 2. c. 6.

104 Secunda Regula est, quod ex puris particularibus nihil sequitur ratione formæ, non enim valet, aliquod animal est homo, aliquis equus est animal, ergo aliquis equus est homo, & si interdum sequatur ratione materiæ, ut aliquod animal est substantia, aliquis homo est animal, ergo aliquis homo est substantia. Ratio hujus regulæ est, quia in propositionibus particularibus medius terminus non complete distribuitur, idest non accipitur secundum totam suam latitudinem, & universalitatem, sed solum inadæquate, idest secundum partem: hinc fit, ut ex vi connexionis cum medio non sequitur inter duo extrema connexio, quia unum ex his extremis potest in majori cum hoc medio connexi secundum unam partem, & alterum extremum in minori conjungi cum eodem medio secundum alteram partem, ut patet in allato exemplo, in quo licet homo, & equus connectantur cum animali, non tamen sequitur connecti inter se, quia animal non distribuitur complete, hinc extat illud præceptum, quod medium in aliqua saltem præmissarum debet distribui, ut sic perfecte possit conjungi, vel disjungi ab extremitatibus, alias non regularetur syllogismus per dici de omni, vel dici de nullo, in quo principio hæc regula fundatur; advertite tamen, quod quando medium est singulare, ut in expositorio syllogismo, tunc recte concluditur, quia sumitur in utraque præmissa secundum se totum.

Sed objicies, hæc est bona consequentia, si aliquis homo currit, aliquod animal movetur, sed aliquis homo currit, ergo aliquod animal movetur, & tamen est ex puris particularibus. Resp. hunc syllogismum esse hypotheticum, C 2

ticum, & præterea majorem esse universalem implicite, & æquivalere huic, quotiescumque aliquis homo currit, aliquid animal movetur, nam ly *aliquis homo*, subiectum in majori, ampliatur, & fit terminus universalis per illam conditionalem *si*, quæ æquivalere illi, quotiescumque aliquis homo currit, &c. Dices, hic est categoricus, quod lucet video, *Sol lucet*, ergo Solem video, & tamen est consequentia bona ex puris particularibus. Resp. majorem posse sumi universaliter, vel particulariter, primo modo æquivalere illi, omne, quod lucet, video, & consequentia est bona, secundo modo æquivalere illi, aliquid, quod lucet, video, & tunc consequentia non est bona, quia potest lucere candela, quam non vides.

105 Tertia Regula est, quod conclusio sequitur semper debiliorem partem, quare si una præmissa erit particularis, vel negativa, etiam si altera sit affirmativa, vel universalis, conclusio erit particularis, vel negativa, quia negativa est ignobilior affirmativa, & particularis universalis. Ratio hujus regulæ est, quia si una præmissarum est affirmativa, altera negativa, tunc unum extremum conjungitur cum medio, & alterum ab eodem medio separatur in præmissis, quotiescumque autem aliqua duo ita se habent, ut unum connectatur cum aliquo tertio, & alterum ab eodem tertio separatur, non poterunt non esse invicem separata; ex eo enim, quod Petrus est homo, & equus non est homo, non potest inferri, nisi Petrum non esse equum. Idem dicendum, si una præmissarum sit particularis, quia etiam si in propositione universalis unum extremum uniat cum medio secundum se totum, in particulari tamen alterum extremum uniat cum illo tertio solum secundum partem, & ideo non potest inferri esse invicem connexa extrema, nisi secundum partem, ut omnis justus est amandus, sed aliquis homo est justus, ergo aliquis homo est amandus, non potest inferri; omnis homo est amandus ob rationem allatam; ex quo patet hanc regulam fundari in primo principio regulativo, quia extrema in conclusione nequeunt habere inter se majorem connexionem, quam habuerint in præmissis cum medio.

Sed objicies, syllogismum Arist. 2. Cæli cap. 4. Omnes stellæ, quæ non scintillant, sunt prope nos, Planetæ non scintillant, ergo planetæ sunt prope nos, minor est negativa, & tamen conclusio est affirmativa. Rursus ex regulis bonæ consequentiæ traditis c. 2. ex falso sequitur verum, ut patet sic arguendo, omnis equus est animal, omnis homo est equus, ergo omnis homo est animal, ergo non semper sequitur conclusio debiliorem partem. Demum, cum plures causæ concurrunt ad eundem effectum, & una est perfectior altera; effectus assimilatur perfectiori, & superiori, ut patet de duobus idem pondus trahentibus, quorum unus est potentior altero, nam tractio ponderis sequitur virtutem potentioris, ergo, &c. Resp. ad 1. minorem illius syllogismi esse affirmativam de prædicato infinito, ac si diceret, planetæ sunt stellæ non scintillantes, ut patet ex dictis c. 2. hujus tract. de infinitatione verbi. Ad 2. cum Summularistæ dicunt conclusionem sequi debiliorem partem, loquuntur quoad attributa propositionis ad puram formam syllogismi attententia, qualia sunt affirmatio, & negatio, particularitas, & universalitas, non autem curant de attributis sequentibus materiam, qualia sunt veritas, & falsitas, contingentia, & necessitas; nam forma bonæ consequentiæ optime salvatur etiam in materia falsa; quid autem dicendum sit etiam de attributis tenentibus ex parte materiæ, disputant Theologi in prologo de sacra doctrina, & in materia de fide: vide Cast. cit. fule de hac re differentem, & Amic. tr. 23. disp. 4. q. 11. Ad 3. negatur assumptum, potius enim res e contra se habet, quod cum duæ causæ subordinatæ ad eundem concurrunt effectum, effectus formaliter magis assimilatur inferiori, quam superiori, ut apud omnes est in confesso, & notat Scot. p. d. 3. q. 7. sub A a, & patet de Sole cum causis inferioribus concurrente; paritas de duobus pondus trahentibus assumpta non valet, quia istæ sunt causæ per accidens subordinatæ, nam quilibet illorum potest aliquid illius ponderis trahere, at præmissæ sunt causæ per se subordinatæ, quarum una nequit sine altera etiam minimam conclusionis particulam causare.

106 Quarta Regula est, quod medium nunquam conclusionem ingreditur. Ratio est manifesta, tum quia quilibet terminus bis tantum ponitur in syllogismo, ergo cum medium est bis positum in præmissis, iterum in conclusione poni non valebit: tum quia si in ea poneretur, non differret conclusio a præmissis, contra finem syllogismi, qui est, ut ex conjunctione quam habent duo extrema cum medio in præmissis, inferatur connexio eorumdem exclusio medio.

Sed objicies, hi syllogismi tenent, cum tamen medium etiam in conclusione habeant; omnis homo est animal, sed homo est homo, ergo homo est animal. Item omnis Angelus est spiritus, Michael est Angelus, ergo aliquis spiritus est Angelus. Resp. in primo syllogismo medium ingredi conclusionem sub ratione extremitatis, non sub ratione medii; in secundo consequentia tenet ex regulis conversionis per accidens, nam conclusio particularis est propositio convertens majoris, quæ est univer-

salis affirmativa, non autem tenet ex vi formæ syllogisticae.

Quinta tandem est, quod tam in medio, quam in extremitatibus non varientur proprietates terminorum excepta suppositione, quæ provenit a signis, unde tam medium quam extremitates non debent esse termini æquivoci, nec in una propositione ampliari, & in alia restringi; quia tunc argueretur a termino magis amplo ad eundem minus amplum, aut e contra: nec in conclusione distribui debet aliquis terminus, qui non fuerit in præmissis distributus; quia tunc argueretur a non distributo ad distributum: ut v. g. si diceremus, omnis homo est animal, nullus leo est homo, ergo nullus leo est animal, nam animal in majori non est distributum, idest universaliter sumptum, sed accipitur solum pro eo, quod est in homine; nam signum universale affirmativum non habet vim distribuendi terminos remotos, sed tantum proximos, idest subiectum non prædicatum; in conclusione vero distribuitur, & accipitur etiam pro eo, quod est in leone, nam signum universale negativum vim habet distribuendi terminos proximos, & remotos; Et ratio universalis hujus regulæ est, quia si oppositum illius, quod in hac regula præcipitur, fieret, tunc essent in syllogismo quatuor termini, & dari posset antecedens verum, & consequens falsum, quod est formalissimum iudicium male consequentiæ.

107 Ex regulis generalibus c. præc. declaratur desumitur pro unaquaque figura specialis quedam regula: Peculiaris itaque regula pro prima figura est, quod in quocumque syllogismo ejus directe concludente, ut consequentia sit bona, nec major debet esse particularis, nec minor negativa. Ratio est, quia si major esset particularis, medium in nulla præmissarum distribueretur contra præceptum datum in secunda regula generali; non esset distributum in majori, quia esset particularis, neque in minori, cum enim in ea medium prædicetur, & sit universalis affirmativa (alioquin foret ex puris particularibus) consequenter neque in ea distribuitur, quia universalis affirmativa non distribuit nisi subiectum, & ideo hæc consequentia non tenet in prima figura, aliqua substantia est Angelus, omnis homo est substantia, ergo aliquis homo est Angelus. Item minor negativa esse non debet, quia tunc in conclusione distribueretur aliquis terminus, qui non esset distributus in præmissis, & argueretur a non distributo ad distributum contra quintam regulam generalem, nam majus extremum non distribueretur in majori, quia esset universalis affirmativa, in qua prædicatum non distribuitur, in conclusione autem distribueretur, quia esset universalis negativa, in qua per signum negativum distribuitur tam subiectum, quam prædicatum, quia negatio, ut ajunt, est malignantis naturæ, & negat de subiecto, quæcumque invenit post se, ut nullus homo est lignum, aut quidam homo non est lignum, idest neque hoc lignum, neque illud lignum, neque istud, & propterea universalis negativa convertitur simpliciter, non autem universalis affirmativa; hæc igitur de causa hæc consequentia non tenet in prima figura, omnis Angelus est substantia, nullus homo est Angelus, ergo nullus homo est substantia. Advertendum tamen, quod si conclusio esset indirecta, potest interdum major esse particularis, & minor negativa, quia tunc cessant defectus assignati, ut infra constabit de quibusdam modis primæ figuræ indirecte concludentibus.

Sed objicies, hunc syllogismum esse bonum, & directe concludere in prima figura majori existente particulari, v. g. aliquid rationale dicitur, omnis homo est rationalis, ergo aliquis homo dicitur. Resp. concludere tantum ratione materiæ, nam si concluderetur ratione formæ, hoc etiam aliud argumentum valeret sub eadem forma, aliquid animal est irrationale, omnis homo est animal, ergo aliquis homo est irrationalis.

Regula pro secunda figura est, quod ex puris affirmativis nihil sequitur, ut patet in hoc syllogismo, omnis homo est animal, omnis equus est animal, ergo omnis homo est equus: Neque ex majori particulari, ut patet in hoc alio; aliquid vivens est animal, nullus Angelus est animal, ergo nullus Angelus est vivens. Ratio est, quia si ambæ præmissæ essent affirmativæ, cum in hac figura medium sit prædicatum, in neutra distribueretur contra præceptum datum, quia in propositione universalis affirmativa, quales sunt illæ, prædicatum nunquam distribuitur; quia cum dicitur, omnis homo est animal, non est sensus, quod sit omne animal, sed tantum illud animal, quod est ad humanam speciem contractum, vel aliquid animal confuse. Si vero major est particularis, tunc in conclusione distribueretur aliquis terminus, qui non esset distributus in præmissis, nam ut patet in alio exemplo, majus extremum non distribuitur in majori, & distribuitur in conclusione, & sic daretur antecedens verum, & consequens falsum.

Regula tandem pro tertia figura est, quod conclusio particularis esse debet, & minor affirmativa; Nam si conclusio non esset particularis, jam aliquis terminus distribueretur in conclusione, qui in præmissis distributus non esset, ut patet in hoc syllogismo, omnis homo est risibile, omnis homo est animal, ergo omne animal est risibile, ubi

ubi animal distribuitur in conclusione, & non in præmissis: Sic etiam idem sequitur inconveniens, si minor sit negativa, ut patet hoc alio syllogismo, omnis homo est animal, nullus homo est equus, ergo aliquis equus non est animal, ubi animal distribuitur in conclusione virtute negationis ante copulam positæ, cum tamen in majori distributum non sit, quia est universalis affirmativa, in qua prædicatum nunquam distribuitur; & hæc regulæ sunt valde notandæ, quia juvant ad cognoscenda vitia syllogismorum inutilium, in quibus semper invenitur aliquis defectus distributionis.

CAPUT VII.

Assignantur modi cuiuscumque figuræ cum eorum exemplis.

108 Sed decem modis possunt in qualibet figura propositiones secundum quantitatem, & qualitatem variari, nam secundum quantitatem quatuor sunt combinationes, possunt enim esse ambæ præmissæ universales, vel ambæ particulares, vel major universalis, & minor particularis, vel major particularis, & minor universalis; & rursus harum singulæ possunt secundum qualitatem quadrupliciter disponi in singulis figuris, aut enim sunt ambæ præmissæ affirmativæ, aut ambæ negativæ, aut major affirmativa, & minor negativa, aut demum major negativa, & minor affirmativa. Cæterum ex hac tota multitudine solum novemdecim modi utiles sunt ad recte inferendum, sex ad 3. figuram spectantes, quatuor ad 2. & novem ad 1. quorum primi quatuor directe concludunt, alii quinque indirecte; ille autem modus dicitur directe concludere, in cujus conclusione major extremitas de minori prædicatur, & e contra ille concludit indirecte, in cujus conclusione minor extremitas prædicatur de majori: potro omnes, & singuli modi utiles cuiuscumque figuræ his verbis comprehenduntur.

Barbara, Celarent, Darii, Ferio, Baralippon, Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisformorum, Cesare, Camestres, Festino, Baroco, Darapti, Felapton, Disjamis, Datist, Brocardo, Ferison

Quorum sensus difficilis non erit, si recolatur, quæ supra diximus tract. præc. cap. 8. vocalem, scilicet A, universalem affirmativam denotare, E, universalem negativam, I, particularem affirmativam, O, particularem negativam; illæ igitur dictiones singulos indicant modos syllogismorum cuiuscumque figuræ, & vocales contentæ in tribus primis syllabis, denotant tres propositiones syllogismi, quales, & quantæ esse debeant, si quæ vero aliz vocales superant in quibusdam dictionibus ponuntur metri gratia. Primi duo versus explicant novem modos utiles primæ figuræ: quatuor primi sunt directi, quinque alii indirecti: quatuor primæ dictiones tertii versus indicant quatuor modos secundæ figuræ. Denique a *Darapti*, ad finem usque denotantur sex modi tertiæ figuræ. Erit igitur syllogismus in *Barbara*, si medium in majori subiciatur, & in minori prædicetur, sineque tum præmissæ, tum conclusio universales affirmativæ, ut omne animal est substantia, omnis homo est animal, ergo omnis homo est substantia. Erit syllogismus in *Cesare*, ac in secunda figura, si in utraque præmissa medium prædicetur, & major sit universalis negativa, minor universalis affirmativa, & conclusio universalis negativa, ut nullum vitium est amandus, omnis virtus est amanda, ergo nulla virtus est vitium; Erit denique syllogismus in *Darapti*, ac in tertia figura, si medium in utraque præmissa subiciatur, & præmissæ ambæ sint universales affirmativæ, conclusio vero particularis affirmativa, ut omne animal est vivens, omne animal est substantia, ergo aliqua substantia est vivens; & in tribus figuris tria protulisse exempla in primis cuiusque modis sufficeret, sed ad majorem Tyroneum commoditatem in singulis modis afferre exempla juvabit: in primis itaque quatuor modis primæ figuræ directe concludentibus ita syllogizatur.

Bar Omne animal est substantia,
ba Omnis homo est animal,
va Ergo omnis homo est substantia.

Ce Nullum animal est lapis,
la Omnis homo est animal,
re Ergo nullus homo est lapis.

Da Omnis homo est rationalis,
ri Aliquod animal est homo,
i Ergo aliquod animal est rationale.

Fe Nullus spiritus est corpus,
ri Aliqua substantia est spiritus,
o Ergo aliqua substantia non est corpus.

109 Hæc allata exempla sunt pro quatuor modis primæ figuræ directe concludentibus, ubi ut vides, primus continet *Mastrii*, & *Belluzi* Tom. I. Logica.

net tres propositiones universales affirmativæ, secundus constat majori universalis negativa, minori universalis affirmativa, & conclusione universalis negativa; tertius habet majorem universalem affirmativam, minorem, & conclusionem particulares affirmativas: quartus denique habet majorem universalem negativam, minorem particularem affirmativam, & conclusionem particularem negativam; in aliis vero quinque modis hujus primæ figuræ indirecte concludentibus ita syllogizatur, ut in sequentibus exemplis.

Ba Omnis spiritus est substantia,
va Omnis Angelus est spiritus
ip Ergo aliqua substantia est Angelus.

Ce Nullum animal est lapis,
lan Omnis homo est animal,
res Ergo nullus lapis est homo.

Da Omnis leo est animal,
bi Aliquod rugibile est leo,
ris Ergo aliquod animal est rugibile.

Fa Omne animal est corpus,
pes Nullum elementum est animal,
mo Ergo aliquod corpus non est elementum.

Fri Aliquis homo est musicus,
se Nullus lapis est homo,
so Ergo aliquis musicus non est lapis.

Exempla nunc adducta sunt quinque modorum in prima figura indirecte concludentium, ubi, ut vides, primus constat ex majori, & minori universalis affirmativa, conclusione vero particulari affirmativa; secundus constat majori universalis negante, minori universalis affirmante, & conclusionem universalem negantem colligit; tertius continet majorem universalem affirmativam, minorem particularem affirmativam, & similem omnino conclusionem deducit; quartus habet majorem universalem affirmantem, minorem universalem negantem, & conclusionem particularem negantem, quintus tandem constat majori particulari affirmativa, & minori universalis negativa, & colligit conclusionem particularem negativam.

Modi secundæ figuræ sunt quatuor sequentes, qui tantum utiles sunt ad colligendas conclusiones negativas, & in eis ita syllogizatur.

Ce Nullum lignum est animal,
sa Omne homo est animal,
re Ergo nullus homo est lignum.

Ca Omnis homo est animal,
me Nullum lignum est animal,
res Ergo nullum lignum est homo.

Fe Nullum lignum est animal,
si Aliquis homo est animal,
no Ergo aliquis homo non est lignum.

Ba Omnis homo est animal,
ro Aliquod lignum non est animal,
co Ergo aliquod lignum non est homo.

Exempla nunc adducta sunt quatuor modorum secundæ figuræ, ubi, ut vides, primus constat ex majori universalis negante, & minori universalis affirmante, & conclusione universalis negante; secundus habet majorem universalem affirmativam, minorem universalem negativam, & similem prorsus conclusionem, tertius continet majorem universalem negativam, minorem particularem affirmativam, & colligit conclusionem particularem negativam, quartus denique constat majori universalis affirmativa, minori particulari negativa, & simili prorsus conclusione.

Modi tertiæ figuræ sunt sex sequentes, qui omnes tantum utiles sunt ad eliciendam conclusionem particularem; ac in eis ita syllogizatur.

Da Omne animal sentit,
va Omne animal est corpus,
pi Ergo aliquod corpus sentit.

Fe Nulla planta est sensitiva,
lap Omnis planta est corpus,
ton Ergo aliquod corpus non est sensitivum.

Di Aliquod animal est homo,
sa Omne animal est substantia,
mis Ergo aliqua substantia est homo.

Da Omne animal est substantia,
ri Aliquod animal est vivens,
si Ergo aliquod vivens est substantia.

Bro Aliqua planta non est lapis.
 Omnis planta est vivens.
 Ergo corpus vivens non est lapis.

Fe Nullum animal est lapis.
 Aliquod animal est corpus.
 Ergo aliquod corpus non est lapis.

Hac modo adducta sunt exempla, ut dicebamus modorum tertia figuræ, ubi ut vides, primus constat ex majori, & minori universali affirmante, & conclusione particulari affirmante; secundus constat ex majore universali negativa, minore universali affirmativa, & colligit conclusionem particularem negantem; tertius habet majorem particularem affirmativam, & minorem universalem affirmativam, ex quibus colligit conclusionem particularem affirmativam; quartus gaudet majore universali affirmante, minori particulari affirmante, & simili profus conclusionem particularem negantem; quintus continet majorem particularem negantem, minorem universalem affirmantem, & conclusionem particularem negantem. Sextus denique constat majore universali negante, minori particulari affirmante, & deducit conclusionem particularem negantem. Hos autem omnes trium figurarum modos esse legitimos ex eo constat, quod in his nunquam dari potest antecedens verum, quin etiam consequens verum esse deprehendatur ex vi antecedentis: quod si detur aliquis argumentandi modus, in quo ex antecedente vero sequatur aliquid falsum, non erit legitimus.

Ito Sufficientia vero horum modorum in quacumque figura facile deducitur ex regulis earum assignatis tum generalibus, tum specialibus, nam in prima figura ex sexdecim combinationibus rejici debent omnes quatuor puræ negativæ, & omnes quatuor puræ positivæ ex duabus primis regulis generalibus; & ex peculiari regula primæ figuræ rejici debent omnes modi, qui habent majorem particularem, & qui habent minorem negativam, unde quatuor modi dumtaxat remanent legitimi in prima figura directe concludentes; quia vero diximus regulam specialem primæ figuræ solum requiri ad concludendum directe, idcirco adhuc in ea possunt admitti alii modi indirecte concludentes, in quibus etiam intermedium possit major esse particularis, aut minor negativa, ut patet in *Fapesmo*, & *Frisefomum*. Sic etiam in secunda figura ex duabus primis regulis generalibus excluduntur octo combinationes; scilicet, ex puris negativis, & puris particularibus; & ex peculiari ejusdem regula excluditur combinatio ex utraque præmissa affirmativa, vel ex majore particulari, & utraque ista combinatio potest bis fieri, scilicet, utraque affirmativa cum majore particulari, & minore universali, vel e contra, & utraque major particularis existente prima præmissa affirmativa, & secunda negativa vel e contra, unde remanent tantum quatuor modi utiles secundæ figuræ. Sic denique in tertia figura ex duabus illis regulis generalibus octo excluduntur combinationes etiam ab aliis figuris exclusæ; & ex speciali regula ejusdem, quod minori existente negativa nihil concluditur, sive major sit particularis, & minor universalis, sive e contra, & sic excluduntur alia duæ combinationes, unde sex tantum remanent modi in tertia figura, ex quo tandem sequitur, modos utiles syllogizandi esse novemdecim, cæteros vero inutiles, & vitiosos, eo quia semper inveniantur in eis aliquis defectus distributionis: de hac sufficientia vide Scot. I. Prior. q. 22. 23. & 24.

Contra sufficientiam modorum primæ figuræ objicies, Primo quod sint plures assignatis, tum quia possunt in ea dari alii modi directe concludentes, v. g. *Barbari*, & *Celarent*, quorum primus ex præmissis universalibus affirmativis concludit particularem affirmativam, alter vero ex majore universali negativa, & minore universali affirmativa concludit particularem negativam: Tum quia cum quarta figura ex dictis non sit distincta a prima, ejus modi, qui sunt *Barbara*, *Camestres*, *Difamis*, *Ferison*, ad ipsam pertinebunt, cum bene concludant. Deinde urgebis ex alia parte, quod sint pauciores, quia Arist. I. Priorum cap. 5. solum duos modos indirectos enumerat in prima figura, nempe *Fapesmo*, & *Frisefom*.

Resp. ad primam duas illas combinationes contineri in *Barbara*, & *Celarent*, quia sub universali particularis continetur: hinc notat Scot. lib. 5. c. 4. lec. un. not. 3. nec Arist. nec Petr. Hisp. horum meminisse modorum, quia Arist. ait, quod omnis syllogismus, qui potest inferre conclusionem universalem, potest etiam inferre particularem per subalternationem istius ad illam. Accedit quod monet Scot. I. Priorum qu. 22. diversitatem modorum attendendam esse penes præmissas, non autem penes conclusionem, ut patet ex multitudine combinationum allata. Modi autem pro quarta figura inventi non differunt a modis primæ, nisi ex sola transpositione præmissarum mere accidentali, quare sicut talis transpositio non diversificat essentialiter quartam figuram a prima ex dictis c. 5. ita neque in eadem figura variabit essentialiter modos: Ad aliud pro altera parte Tat.

I. Priorum q. de modis p. fig. art. 1. §. primo sciendum, quem sequuntur Coniunb. ibi cap. 7. quæst. 2. art. 1. inquit, Arist. enumerasse tantum modos, qui distinguuntur a directe concludentibus non solum in conclusione, sed etiam ex parte præmissarum, quales sunt tantum illi duo; alios tres non enumerat, quia non multum differunt a perfectis, cum illi sint similes in præmissis.

Deinde contra sufficientiam modorum secundæ, & tertiæ figuræ objicies, quod in ipsis possunt assignari modi indirecte concludentes non minus, quam in prima, ergo sunt multo plures enumeratis; probatur assumptum, tum quia nedum Scotus cit. & ceteri communiter ita docent, sed etiam est expressa Arist. doctrina I. Priorum cap. 8. ibi. n. loquens de duobus modis primæ figuræ indirecte concludentibus *Fapesmo*, & *Frisefo*, subiungit fieri posse consimiliter & in aliis figuris, hoc est posse pariter in illis indirecte concludi, ut ibi Averroes exponit; tum quia ipsa experientia urget, ut Doctor ostendit loc. cit. nam in *Cesare*, & *Camestres* in secunda figura, *Darapti*, *Difamis*, & *Datisi* in tertia cum eadem dispositione, & ordine præmissarum potest converti conclusio, & a conversa ad convertentem est bona consequentia, in tali autem casu minus extremum prædicatur de majori, quod est concludere indirecte; Ceteri etiam modi eorumdem figurarum, scilicet *Festino*, & *Baroco* in secunda, *Felapton*, *Brocardo*, *Ferison* in tertia possunt indirecte concludere per transpositionem præmissarum; transpositis enim præmissis conclusio, quæ prius erat directa, fit indirecta, ergo, &c.

Respondent aliqui, quibus consentire videntur *Fonsec.* lib. 6. Inst. cap. 13. & *Coniunb.* I. Priorum cap. 7. quæst. 3. *Poncius* disp. 20. *Log.* quæst. 5. num. 55. negando assumptum, quia tunc indirecte concluditur, cum prædicatur minus extremum de majori, sed id contingere nequit in secunda, & tertia figura, in his enim figuris designari nequit majus, & minus extremum ex conjunctione cum medio in præmissis, sed tantum in conclusione ex conjunctione ipsorum adinvicem, quia in illis utrumque subjicitur in secunda figura, utrumque prædicatur in tertia, illud ergo erit majus extremum in his figuris, quod in conclusione prædicatur; & minus, quod in eadem subjicitur, quare implicabit in adjecto dicere, posse in his figuris minus extremum prædicari, & majus subjici. Confirmant id ex Arist. qui I. Priorum cap. 6. hoc pacto videtur in his figuris majus, & minus extremum designasse, dum ait majus extremum in secunda figura esse, quod est magis propinquum medio, minus, quod est magis remotum, & e contra in tertia figura, inquit cap. 7. majus extremum esse, quod longius distat a medio, minus, quod est medio propinquius. Confirmant tandem, quia in secunda, & tertia figura non habemus dictiones indicantes modos indirectos præter directos, sicut in prima, signum evidens non dari in eis modos indirecte concludentes, sicut in illa.

II Oppositum tamen verius est, ut ostendit ratio allata in argumento; & fundamentum eorum falsum est, majus enim, & minus extremum generatim loquendo designantur in præmissis ex conjunctione cum medio, non in conclusione ex conjunctione eorum inter se, unde illud dicitur majus extremum, quod digniorem obtinet locum in præmissis, scilicet in majori cum medio, & minus extremum, quod obtinet minus dignum, scilicet in minori, ita docuimus ex communi superiori cap. 5. ergo etiam in secunda, & tertia figura distinctio majoris, & minoris extremi sumenda est ex ordine præmissarum, non vero ex subjectione, & prædicatione ipsorum in conclus. Neque oppositum docuit Arist. cit. nam longe diversus est sensus verborum ejus ab eo, quem Adversarii præterunt, ut ibi exponit *Suessan.* com. 43. ab *Averfa* relatus qu. 25. sect. 8. & rextus, ut sonat, ita obscurus est, ut non magis pro eis quam pro nobis adduci queat. Non fuit autem necessesse distinctas dictiones assignare indicantes modos indirectos secundæ, & tertiæ figuræ, ut factum est in prima, quia ut notat *Averfa* cit. longe majorem habent differentiam modi indirecti primæ figuræ a directis, quam in cæteris; rationem assignat Scot. cit. quia si concludatur indirecte per conversionem conclusionis, ut fit in *Cesare*, & *Camestres* secundæ figuræ, *Darapti*, *Difamis*, & *Datisi* tertiæ, sufficiunt iidem modi, nam si in secunda figura sic concludamus indirecte, Nullus lapis est animal, omnis homo est animal, ergo nullus lapis est homo, adhuc iste syllogismus est in *Darapti*, & ratio est, quia ut docet Arist. I. Priorum de syllogism. potestatis, sicut syllogismus inferens conclusionem universalem, potest etiam inferre particularem ex vi consequentiæ subalternationis, ita qui inferunt unam conclusionem, inferre poterit suam convertentem ex vi consequentiæ conversionis, quare si *Cesare* inferat directe illam universalem negativam, poterit indirecte inferre suam convertentem, & si *Darapti* inferat directe illam particularem affirmativam, poterit etiam indirecte inferre suam convertentem ex legibus conversionis simpli.

simplicis. Si vero concludatur indirecte per transpositionem præmissarum, ut in cæteris modis secundæ, & tertiæ figuræ, adhuc modus indirectus non erit essentialiter diversus a directo, quia ordo præmissarum non sufficit distinguere modos syllogismorum: Itaque ad argumentum principale concedendum est assumptum, neganda sequela ob rationem modo allatam.

CAPUT IX.

De Reductione modorum imperfectorum ad perfectos.

112 **A**ristot. I. Priorum capit. 1. in fine distinguit penes formam duo syllogismorum genera, perfectos, scilicet, & imperfectos, illos appellat perfectos, qui nullo indigent, ut eorum vis, ac necessitas in concludendo appareat, & hujus generis sunt tantum quatuor modi primæ figuræ, in quibus evidentissima est vis conclusio- nis; imperfectos e contra vocat eos, qui indigent aliqua probatione, ut eorum necessitas concludendi evidenter appareat, & hujus generis sunt tam reliqui modi primæ figuræ directe concludentes, quam cæteri aliarum figurarum, esto directe concludant, nam eorum necessitas concludendi non est ita evidens, cum indigeat aliqua probatione; Ex quo patet, syllogismum imperfectum hic non accipi eo modo, quo dicere solemus Enthymema esse syllogismum imperfectum, quia nimirum ei deest pars intrinseca, & essentialis ad syllogismum necessaria, nam in hoc sensu syllogismi cujuscumque figuræ sunt perfecti, igitur in præsentibus syllogismis imperfectis pro eo sumitur, cui aliquid evidentiæ deest, ut judicetur evidenter concludere, hæc autem est imperfectio quædam accidentalis dumtaxat, ita notat Tatar. lib. 1. Priorum quæst. 1. §. *Quarto sciendum*, in fine. Solum autem quatuor modi primæ figuræ dicuntur perfecti, & evidenter concludunt, ut ait Tat. cit. §. *dubitatur secundo*, quia soli ipsi regulantur immediate per principium, *dici de omni*, & *dici de nullo*, quatenus in eis fit evidenter applicatio eorum, quæ dicuntur, vel negantur universaliter, ad ea, quæ sub ipsis universalibus continentur, nam in eis perfecte distribuitur medium in majori, in qua stat universaliter ex parte subiecti, & cum posita in minori prædicatur, hoc ipso evidenter ostenditur illud, de quo prædicatur, contineri sub ejus universalitate, & consequenter convenire illi id, quod de tali medio universaliter posito prædicabatur in majore, vel negabatur, quod est immediate regulari, per *dici de omni*, & *dici de nullo*, alii vero modi dicuntur imperfecti, & minus evidenter concludentes, quia non immediate regulantur per hoc principium, nec in eis fit evidenter applicatio superioris ad ea, quæ sub ipso continentur, sed regulantur mediante, & idem reducuntur ad illos modos perfectos, & per eos probantur; unde ut monet idem Tatar. aliqueum modum reduci ad alium non est de uno facere alium, sed est consequentiam, vel inevitantiam unius ostendere per consequentiam, vel evidentiam alterius.

113 Duobus autem modis imperfecti syllogismi ad perfectos reduci possunt, primo ostensive, secundo, ad impossibile; prima reductio dicitur ostensiva, quia per eam evidenter ostendimus, & quasi digito demonstramus syllogismum aliqueum regulari per dici de omni, & dici de nullo; altera dicitur ad impossibile, quia per eam deducimus negantem consequentiam syllogismi ad meram concedendi aliquid impossibile, & uterque modus reducendi breviter declaratur. Reductio ostensiva fit per conversionem alicujus propositionis, & intermedium cum intertenu etiam transpositionis præmissarum, ut scilicet, major mutetur in minorem, vel e contra, quia hæc reductio eo collimat, ut ostendat clariori modo posse disponi præmissas, ut sic evidentiis ibi innotescat regulatio per dici de omni, & de nullo.

Ut autem facilius, & sine errore, possit talis reductio exerceri, notanda sunt literæ initiales singulorum modorum, reducuntur enim ostensive illi syllogismi ad modum primæ figuræ, qui ab eadem litera incipiunt, ut *Baralip-ton* ad *Barbara*, *Cesare* ad *Celarent*, *Darapti* ad *Darii*, *Festino* ad *Ferio*, & sic de aliis; advertenda sunt insuper quatuor alia consonantes, quæ in medio; vel fine nominis singulorum modorum imperfectorum reperiuntur, ut S. P. M. C. nam litera S. significat propositionem indicatam per vocalem sibi immediate præcedentem convertendam esse simpliciter, P per accidens, M designat conversionem non sufficere, sed præmissas transponi debere faciendo de majore minorem, & e contra, C demum significat modos illos, in quibus reperitur, non posse reduci ostensive, sed per impossibile tantum, & tales sunt *Baroco*, & *Brocardo*, id autem totum his duobus verbis exprimitur.

S vult simpliciter verti, P vero per acci.
 M vult transponi, C per impossibile duci.

Quod adhuc alterius exemplis declaratur. *Cesare*, qui est primus modus imperfectus secundæ figuræ reducitur ad *Majestri*, & *Bellui Tom. I. Logica.*

Celarent, ut indicat litera initialis C. convertendo simpliciter propositionem indicatam per E, quæ immediate præcedit S, nimirum majorem universalem negativam, ut v. g. hic syllogismus factus in *Cesare*, nullum lignum est animal, omnis homo est animal, ergo nullus homo est lignum, reducitur ad *Celarent*, si dicamus in majore propositione, nullum animal est lignum. *Darapti*, qui est primus modus imperfectus tertiæ figuræ, reducitur ad *Darii*, ut indicat litera initialis D, facta conversione minoris per accidens, ut denotat litera P, quæ immediate sequitur minorem universalem affirmativam, ut denotat litera A, ut v. g. hic syllogismus factus in *Darapti*, omne animal est substantia, omne animal est vivens, ergo aliquod vivens est substantia, reducitur ad *Darii*, si in minori dicamus, aliquod vivens est animal. *Baralip-ton*, qui est modus indirectus primæ figuræ, reducitur ad *Barbara*, ut petit litera prima convertendo conclusionem per accidens, ut postulat littera P, quæ reperitur post vocalem I, positam in tertia syllaba, cui respondet conclusio, & ita hic syllogismus factus in *Baralip-ton*, omne animal est substantia, omnis homo est animal, ergo aliqua substantia est homo, reducitur ad *Barbara*, si in conclusionem dicamus, omnis homo est substantia: ubi tamen notandum est cum Tatar. tract. 3. conclusionem de *Baralip-ton* non posse in hac reductio dici proprie convertam per accidens, quia particularis affirmans ex regulis conversionis supra traditis non convertitur in universalem affirmantem, sed in particularem, sed potius reductam ad suum statum naturalem, quem servat conclusio de *Barbara*, quæ cum sit universalis affirmativa, optime convertitur per accidens in particularem affirmantem, convertitur ergo vel potius reducitur conclusio de *Baralip-ton* in universalem affirmantem ex vi præmissarum, nam cum sint eadem in *Barbara*, & *Baralip-ton*, & ad conclusionem de *Barbara* sequatur per conversionem per accidens particularis affirmativa, ergo ad præmissas de *Baralip-ton* sequitur particularis affirmativa, quia quicquid sequitur ad consequens bonæ consequentiæ, sequitur etiam ad ejus antecedens; ex his exemplis facile est, addicere reductioem aliorum modorum, nam *Dabit* efficitur in *Darii* conversa simpliciter conclusione, ut petit litera S, *Fapesmo* manet in *Ferio* majore conversa per accidens, ut petit P, & minori simpliciter, ut petit S, & facta præmissarum transpositione, ut petit M, & sic de singulis.

Bonitas vero reductioem ostensiva per conversionem propositionum, ut notat idem Tatar. fundatur in illa regula generali superiori tradita, quicquid sequitur ex consequenti bonæ consequentiæ, sequitur etiam ex antecedente, cum ergo sit bona consequentia a conversa ad convertentem, quicquid sequitur ex convertente, sequitur ex conversa, talis autem conclusio sequitur ex convertente, ut patet in syllogismo perfecto, ergo eadem conclusio bene inferretur ex conversa, quæ erat præmissa syllogismi imperfecti, & ob eandem rationem in syllogismo perfecto non semper inferretur eadem omnino conclusio, quæ fuerat in imperfecto, sed conversa illius, ut in *Camestres*, nam cum conversa possit inferre convertentem, sufficienter hoc modo probatur conclusio imperfecti syllogismi: Diximus autem omnes modos imperfectos posse reduci ostensive ad perfectos exceptis *Baroco*, & *Brocardo*, quia cum altera præmissarum in eis sit particularis negativa, quæ converti non potest, nisi in seipsam per contrapositionem, & altera universalis affirmativa, quæ tantum convertitur per accidens, plane si reduceretur ostensive, fieret syllogismus ex puris particularibus.

114 Reductio per impossibile fit cum negata consequentia, seu conclusione syllogismi ab Adversario (sub prætextu, quod non sit in forma) fit propositio contradictoria conclusioni negata, ex qua cum altera ex propositio-nibus concessis sunt tales præmissæ, ex quibus inferatur conclusio contradictoria alicui ex præmissis jam concessis, unde cogitur Adversarius vel negare, quod jam concesserat, vel concedere duo contradictoria simul esse vera; & fundatur hic reducendi modus in illo principio, *In bona consequentia ex contradictorio consequentis sequitur contradictorium antecedentis*: & hoc genere reductioem possunt reduci omnes modi imperfecti cujuscumque fuerint figuræ ad perfectos, ut docet Tatar. tract. 4. in explicatione secundæ figuræ, & I. Priorum quæst. de figuris §. *Quarto sciendum*, & ratio est, quia in omni modo utili, in quo negatur consequentia, debet concedi contradictorium ejus, quod negatur, ex qua contradictoria concessa, & altera præmissa concessa sequitur contradictorium alterius: specialiter tamen *Baroco*, & *Brocardo* dicuntur per impossibile reduci, quia alio modo reducibiles non sunt: Ut autem rite talis reductio fiat, hoc datur generale præceptum, ut semper attendatur ad conclusionem illatam, & sumatur contradictorium ejus, deinde ponatur illa pro ex præmissis cum altera, & inferatur contradictorium, vel contrarium alterius præmissæ concessæ, sic enim deducetur Adversarius ad impossibile, quod est duas contradictorias, vel contrarias concedere.

Sed ultra hoc generale præceptum tradit Tat. cit. etiam speciales regulas pro singulis figuris, unde ait, quod mo-

di secundæ figuræ reducuntur per impossibile sumendo contradictorium conclusionis pro minore, & retenta eadem majori inferitur contraria, vel contradictoria minoris concessæ; modi tertiæ figuræ reducuntur per impossibile sumendo contradictorium conclusionis pro maiore, & retenta eadem minori inferitur contradictorium, aut contrarium maioris concessæ; modi vero indirecti primæ figuræ possunt etiam reduci per impossibile sumendo contradictorium conclusionis pro minori, & ponendo maiorem concessam loco minoris, & inferendo tandem contrarium minoris concessæ; excipitur tamen Celantes, in quo contradictorium conclusionis, quia est particularis, debet poni pro minori, & minor de Celantes poni pro maiori, & sic in Darii inferre contradictorium maioris concessæ. Ut autem dignoscatur ad quem modum quisque syllogismus debeat reduci per impossibile, non est habenda ratio initialis literarum, ut in superiori reductione (excepto Baroco, & Brocardo, qui reducuntur ad Barbara; sumendo contradictorium conclusionis illatæ, quæ est universalis affirmativa) sed observanda sunt quatuor dictiones a Dialecticis inventæ: *Nescitis, Odiebam, Letare, Romanis*, in quibus quatuor vocales reperiuntur. A, quæ significat modum perfectum universalem affirmantem, scilicet, Barbara; E, universalem negantem, scilicet, Celarent; I particularem affirmantem, Darii, O particularem negantem Ferio. Prima dicitio quinque vocalibus constat, quibus modi indirecti primæ figuræ suo significantur ordine; secunda quatuor vocalibus respondentibus quatuor modis secundæ figuræ; tertia, & quarta sex vocalibus, quæ sex tertiæ figuræ modos designant, itaque modus imperfectus respondens vocali, A reducitur ad Barbara, respondens, E ad Celarent, respondens, I ad Darii, respondens, O ad Ferio; Ut vero regulæ traditæ pro singulis figuris memoriam mandentur, notanda sunt quatuor carmina, quorum duo prima servantur primæ figuræ.

*Major sit minor, sit contradictio major,
Dempto Celantes, in quo convertitur ordo,
Servat majorem, variatque secunda minorem,
Tertia majorem variat, servatque minorem.*

Ubi variare majorem, vel minorem est loco majoris, vel minoris substituere contradictoriam conclusionis imperfecti syllogismi. Juxta has regulas possunt afferri exempla in quacumque figura; fiat hic syllogismus in Baralipon, Omne animal est substantia, omnis homo est animal, ergo aliqua substantia est homo, si negatur conclusio, sumatur statim propositio illi contradictoria, quæ erit, nulla substantia est homo, tunc tollatur minor, & pro ea subrogatur major, & sic inferatur in Celarent. Nulla substantia est homo, omne animal est substantia, ergo nullum animal est homo, jam ista propositio contradictoria est minori, quam concessit, non quidem immediate, sed mediate, & convertendo illam minorem per accidens. Fiat hic syllogismus in Cesare, Nullus homo est rudibilis, omnis asinus est rudibilis, ergo nullus asinus est homo; si negetur conclusio, assumatur ejus contradictoria, quæ est, aliquis asinus est homo, & retenta majore ponatur ista propositio pro minore, deinde inferatur conclusio in Ferio, hoc pacto, nullus homo est rudibilis, aliquis asinus est homo, ergo aliquis asinus non est rudibilis, quæ conclusio est contradictoria minori jam concessæ, scilicet, omnis asinus est rudibilis. Fiat tandem hic syllogismus in Darapti, omne rationale est risibile, omne rationale est animal, ergo aliquod animal est risibile; si negetur hæc conclusio, sumatur contradictoria ejus, quæ erit nullum animal est risibile, & ponatur pro maiore retenta eadem minore, & sic inferatur in Celarent, Nullum animal est risibile, omne rationale est animal, ergo nullum rationale est risibile, quæ conclusio est contraria majori concessæ, & virtualiter contradictoria, quia sub universali continetur particularis: exempla de Baroco, & Brocardo non adducimus, tum quia passim adducuntur ab aliis, quasi non agnoscant alios modos per impossibile reducibiles ab istis, tum quia & ipsi servantur leges pro secunda, & tertia figura assignatas.

Denique Arist. 1. Priorum cap. 6. docet alium modum probandi syllogismos imperfectos, scilicet, per expositionem, seu per reductionem ad syllogismum expositivum, qui solum intervrit pro modis tertiæ figuræ, & practicatur sic, ut docet Tatar. cit. sub medio communi sumitur terminus singularis (qui est medium in expositivo, ut postea dicemus) cui utrumque extremum tribuitur, indeque elicitur eadem conclusio, quæ erat in syllogismo ex medio communi, ut ver. grat. fit talis syllogismus in Darapti, omnis homo est animal, omnis homo est rationalis, ergo aliquod rationale est animal, si quis hanc consequentiam neget, probari potest sumendo aliquod singulare sub homine hoc modo, si omnis homo est animal, Petrus est animal, si omnis homo est rationalis, Petrus est rationalis, tunc sic arguitur, Petrus est animal, Petrus est rationalis, ergo aliquod rationale est animal, & quia quicquid sequitur ex consequente, etiam sequitur ex antecedente, cum conclusio bene sequatur ex præmissis sin-

gularibus quæ inferantur ex universalibus, sequitur, eandem conclusionem bene fuisse illatam ex præmissis universalibus, & hac de causa hic modus probandi syllogismos vocatur per expositionem, quia ostenditur valere consequentia quodammodo ad sensum, quia sub medio communi sumitur singulare sensibile; deservit autem hic modus determinate pro tertia figura, quia cum hac habeat omnes conclusiones particulares, & propositio particularis bene inferatur a singulari, verb. grat. Petrus currit, ergo aliquis homo currit, satis congruenter per syllogismum expositivum probatur.

C A P U T X.

De variis speciebus syllogismi categorici.

115 **V**ariæ solent enumerari species categorici syllogismi.

Prima species est eorum, qui constant ex medio, aliisque terminis communibus, de qua hucusque egimus, & superiores regulæ sunt traditæ, & ideo unusquisque istorum dicitur syllogismus communis.

Secunda species est eorum, qui constant ex medio singulari, & aliis terminis sive singularibus, sive communibus, & dicuntur expositivi; est autem syllogismus expositivus, ut notat Tat. tract. 4. assignando modos tertiæ figuræ, & 1. Priorum quest. 1. §. *Dubitatur tertio*, ex Doctore 1. d. qu. lib. in sol. ad 1. princ. pro 4. quest. *cujus medium est terminus singularis singulariter, & univoce tenens*, & ideo distribui nequit, nec universalizari, sed potius perfecte debet singularizari, nam si perfecte, & complete non sit singularizatus, vitiosus erit syllogismus, quod maxime observandum est, ne decipiamur syllogizando in terminis divinis ad absoluta pertinentibus, ut v. g. sunt *Deus, & essentia divina*, quia enim non sunt complete singulares, sed æquivalent communibus, eo quod reipsa pluribus personis communicantur, ideo non sunt apti ad syllogismum expositivum, ut supra cap. 6. docuimus cum Doct. cit. & tener Aversa tract. 4. cap. 15. & ideo non valet, hic *Deus est Pater, hic Deus est Filius*, ergo *Filius est Pater*, quia medium non perfecte singularizatur, unde utendum est illo tamquam termino communi, & perfecte distribui, ut consequentia teneat, hoc modo: omne, quod est *Deus*, seu quicquid est *hic Deus*, est *Pater*, quicquid est *hic Deus*, est *Filius*, ergo, &c. sic enim consequentia tenet, sed præmissæ sunt falsæ: quæ etiam est communis doctrina Thomistarum. Sol. lib. 5. 3. p. cap. 1. Barnes lib. 5. cap. 9. Complut. summ. lib. 3. Joann. de S. Th. lib. 3. cap. 8. & aliorum p. p. quest. 24. art. 3. quare hæc erit regula, quod sicut in syllogismo communi, ut recte concludatur, debet medium perfecte distribui ex supradictis, ita ad bonitatem consequentia, in syllogismo expositivo e contra requiritur medium esse perfecte singulare, & incommunicabile. Dicitur autem hic syllogismus expositivus (ut etiam quid nominis explicemus) eo quod fit adeo perspicuus, ac evidens, quia est de singularibus nobis notis, ut rem veluti ante oculos exponere videatur.

116 Duplex vero est expositivus syllogismus, affirmativus, cujus, scilicet, ambæ præmissæ sunt affirmativæ, & negativus, cujus, scilicet, altera præmissarum negativæ est, & consequenter conclusio; principium regulativum pro affirmativis, ut notat Tatar. cit. est illud *Quæcumque uni, & eidem sunt eadem, ipsa inter se sunt eadem*, pro negativis est aliud, *Quæcumque negantur de eodem tertio, illa negantur de se invicem*, & id immerito negant Conimb. 1. Priorum cap. 6. qu. un. art. 1. quos sequitur Casil. lib. 3. tractat. 3. cap. 1. tum quia hæc doctrina veterum Summul. communissima, tum quia cap. 6. ostendimus vim illius geminati principii magis apparere in syllogismo expositivo, quam in aliis, ubi etiam soluta sunt difficultates in oppositum. Quamvis autem possit hic syllogismus fieri in quacumque figura servata semper affirmatione, vel negatione quam designant modi, nam in prima potest sic syllogizari, hic homo est Rex, Petrus est hic homo, ergo Petrus est Rex, in secunda sic, Petrus est hic homo, Paulus non est hic homo, ergo Paulus non est Petrus, frequentius tamen, & congruentius fit in tertia, in qua medium subjicitur, quia maxime convenit terminus singularibus subiecti in propositione, ut Petrus est albus, Petrus est homo, ergo homo est albus, ac ideo Arist. de his in hac sola figura meminit 1. Priorum cap. 7. Cavendum tamen est, cum sunt in tertia, ne minor sit negativa juxta regulam tertiæ figuræ, unde non valet, Petrus est homo, Petrus non est Paulus, ergo Paulus non est homo, varios autem modos constituendi hunc syllogismum in quacumque figura recenset Aversa tract. 4. inf. c. 14. apud quem videri possunt.

Tertia species est eorum, qui constant medio termino communi, & extremis singularibus, & est quædam species diversa a duabus allatis, quia talis syllogismus ex parte medii differt ab expositivo, & ex parte extremorum differt a syllogismo communi, & potest fieri, ut vel utrumque extremum sint singulare, vel unum sit commune, & aliud singulare, & quidem in omnibus figuris, ac juxta di-

versos earum modos possunt tales syllogismi efformari, in prima figura v. g. omnis homo est animal, Petrus est homo, ergo Petrus est animal, vel negative nullus homo est lapis, Petrus est homo, ergo Petrus non est lapis: in secunda figura: Petrus est justus, hic homo non est justus, ergo hic homo non est Petrus: in tertia figura omnis homo est animal, quidam homo est Petrus, ergo Petrus est animal: videatur Aversa cit. ubi. 16. etiam varios modos assignat conficiendi hunc syllogismum in singulis figuris.

Quarta species est eorum, quorum aliqua præmissa, vel ambæ, constat ex terminis, vel terminis obliquis, vel omnis potestas est a Deo, regnum est potestas, ergo regnum est a Deo: de hoc syllogismo ex obliquis plures solent assignari regulæ, sed breviter dicendum est, quod cum in nulla propositione terminus sincathegorematicus, ut sunt obliqui, per se sumptus, possit subijci, vel prædicari, omnis propositio ex obliquis constans ad ipsammet ex rectis constantem reduci debet, & tunc clare patebit, an recte syllogismus ex talibus propositionibus conflatus concludatur, id, quod Arist. docuit 2. Priorum c. 37. v. g. hæc propositio, hic liber est Francisci ad hanc reducitur, hic liber est aliquod possessum a Francisco, & hic syllogismus, omni color contrarium est frigus, quædam qualitas est calor, ergo quædam qualitas est calor, quædam qualitas est frigus, ergo quædam qualitas est calor, ad hunc reducitur, Omnis calor habet contrarium frigus, quædam qualitas est calor, ergo quædam qualitas habet contrarium frigus; vel potius, calor, & frigus sunt contraria, quædam qualitas est calor, ergo quædam qualitas, & frigus sunt contraria, itaque hujusmodi syllogismi ex obliquis reducuntur ad rectos, & in tantum bene concluduntur, in quantum confici possunt in terminis rectis; advertere tamen in his, & similibus syllogismis obliquis servari debere regulas jam traditas, & formari posse in qualibet figura.

117 Quinta species dicitur syllogismus modalis, & est ille, qui constat utraque præmissa modali, vel altera tantum, sive sit modalis divisa, sive composita, & confici potest secundum omnes quatuor modos nempe de possibili, contingenti, impossibili, ac necesse, & in quacumque figura, ut v. g. in prima, necesse est, omnem hominem esse animal, necesse est omne rationale esse hominem, vel omnis homo est rationalis, ergo necesse est omne rationale esse animal; in secunda figura, necesse est nullum lapidem esse animal, necesse est omnem hominem esse animal, vel omnis homo est animal, ergo necesse est nullum hominem esse lapidem: in tertia necesse est omnem hominem esse animal, necesse est omnem hominem esse substantiam, vel omnis homo est substantia, ergo necesse est aliquam substantiam esse animal: frequens tamen usus hujus syllogismi est cum altera modali tantum, ut omnem hominem currere esse possibile, aliquod animal est homo, ergo aliquod animal currere est possibile, & est optima consequentia; ratio est, quia major propositio æquivalet huic, omnis homo potest currere, cum qua, & minori, & consequentia conficitur syllogismus in Darii, unde licet totum dictum dicatur a Dialecticis esse subiectum, solum tamen homo reipsa est subiectum, de quo prædicatur possibile cursus.

Possunt autem propositiones modales cum aliis de inesse ad constituendum syllogismum modalem quintupliciter combinari, ut notat Tol. lib. 4. c. 16. Primo cum utraque propositio est de modo necessario. Secundo cum una est de necessario, altera de inesse. Tertio cum utraque est de contingenti. Quarto cum una est de contingenti, altera de inesse. Quinto demum cum una est de contingenti, altera de necesse, & juxta diversitatem combinationum diversas servantur regulas, imo eadem combinatio interdum in diversis figuris, & etiam in diversis modis ejusdem figuræ peculiare habet regulas; ex quo factum est, ut fere tot regulæ congerantur pro syllogismis modalibus, quot sunt modi figurarum, quas proinde recensere nimia foret prolixitas, & ideo brevitate gratia pauca quasdam generales, & aliquam specialem magis necessariam adducemus. Et prima est, quod si in syllogismo in quacumque figura confecto ambæ propositiones sint modales, conclusio quoque modalis erit, vel saltem talis deduci poterit, nam similes propositiones consimilem inferunt conclusionem; si vero altera tantum sit modalis, non sequitur necessario conclusio modalis, ut docet Doctor p. d. 39. ad 1. arg. 2. q. ubi notat ex una de inesse, & altera de possibili, vel contingenti non necessario inferri conclusionem de possibili, vel contingenti, & hoc præsertim verum est, quando major est de inesse, quod manifeste ostenditur exemplo in prima figura, si major sit de inesse, & minor de necesse sic arguendo, omne animal currit, necesse est omnem hominem esse animal, ergo omnis homo currit, ac etiam in secunda arguendo in Cesare cum majori negativa de inesse, & minori affirmativa de necesse tali pacto, Nullus Angelus est corpus, necesse est omne coloratum esse corpus, ergo nullum coloratum est Angelus: ex quo patet hallucinari, qui dicunt esse de essentia syllogismi modalis, quod inferat conclusionem modalem, & ad hanc necessario inferendam sufficere, si altera præmissarum sit modalis. Secunda est, quod in quacumque figura, si utraque præmissa fuerit de necesse, conclusio sequitur de necesse;

regulatur enim talis syllogismus per principia de omni, & de nullo, si enim prædicatum necessario inest omni medio, & medium necessario inest omni subiecto, & prædicatum quoque necessario fuerit omni subiecto, & hoc patet in exemplis supra allatis de necesse in quacumque figura. Tertia demum est, quod ex utraque de contingenti in secunda figura non bene concluditur, ut patet sic arguendo, contingit nullum risibile ambulare, contingit omnem hominem ambulare, ergo contingit nullum hominem esse risibilem; alias speciales regulas pro singulis figuris, & singulis earum modis vide apud Tat. 1. Prior. tr. 3. q. de consequentia ex modalibus, Conib. 1. Prior. c. 8. & deinceps, Tol. cit. Casilium l. 3. tr. 3. c. 5. ubi brevius, & clarius, quam alii, eas recenset, & docet modum reducendi imperfectos ad quatuor perfectos primæ figuræ.

Sexta demum species est syllogismus exponibilis, in quo, scilicet, aliqua propositio exponibilis, vel plures reperiuntur, v. g. animal rationale tantum est risibile, homo tantum est animal rationale, ergo homo tantum est risibile, ad quorum syllogismorum bonitatem percipiendam conducit multum exponibiles præmissas ad exponentes reducere modo sup. declarato c. ult. tr. præc. inde enim facile patebit bonitas, vel pravitas syllogismi exponibilis.

Quæres, an detur syllogismus constans ex propositionibus non significantibus, id est cujus partes sint termini non significantes, ac proinde nec sint veræ, nec falsæ? Qui existimant posse dari enunciationem constantem terminis non significantibus, consequenter affirmant posse dari syllogismum ex talibus propositionibus constantem, constituuntque hunc syllogismum, omnis syndapsus est mindria, sed Dac est syndapsus, ergo Dac est mindria; quod etiam confirmant ex Arist. qui in lib. Priorum omnes fere syllogismos efformat in elementis, & terminis non significantibus, igitur admitti debet hæc alia species syllogismi, & ita sentit Tat. 1. Priorum q. 1. §. *Dubitatur primo*. Qui vero non admittunt enunciationem constantem terminis non significantibus, consequenter negant talem speciem syllogismi, & quia hanc opinionem magis probabilem judicavimus tr. 1. c. 1. nam cum dicimus *Dac est syllaba*, re vera subiectum hujus enunciationis non est *Dac*, sed alius terminus significativus subintellectus, scilicet hæc vox, hæc dicitio, *Dac* autem est res significata, ut ibi diximus, ideo consequenter ad hunc dicendi modum neganda erit hæc species syllogismi; Arist. autem utitur literis, seu elementis in enunciatione syllogismorum, non quod velit syllogismum, ex elementis confectum, esse vere syllogismum, sed ut ostendat, se non agere de syllogismo certæ materiæ applicato.

C A P U T XI.

De syllogismo hypothetico, & aliis syllogismorum speciebus.

118 **S**yllogismus hypotheticus dicitur, qui ex propositionibus hypotheticis, vel saltem aliqua hypothetica constat; & quia propositionis hypotheticæ tres sunt species principales, scilicet conditionalis, disjunctiva, & copulativa, ut patet ex cap. 6. tract. præd. hinc triplex etiam erit syllogismus hypotheticus, unus constans ex conditionalibus, alter ex disjunctivis, & alter ex copulativis.

Syllogismus constans ex conditionalibus est duplex, alter ex toto hypotheticus, quia nimirum propositiones omnes, ex quibus constat, sunt hypotheticæ, alter ex parte, quia non omnes sunt hypotheticæ, sed altera tantum; syllogismorum ex toto hypotheticorum quatuor solent constitui modi a Summulistis. Primus, *quo existente quid est*, ut si es homo, es animal, si es logicus, es homo, ergo si es logicus es animal, per quod explicatur *ly quo existente quid est*; nam aliquis existens homo est animal. Secundus *quo existente quid non est*, ut si es homo, non es brutum, si es logicus, es homo, ergo si es logicus, non es brutum. Tertius, *quo non existente quid est*, ut si Gabriel non est corpus, est spiritus, si Gabriel est Angelus, non est corpus, ergo si Gabriel est Angelus, est spiritus. Quartus, *quo non existente quid non est*, ut si non studes, non es sapiens, si vagaris, non studes, ergo si vagaris, non es sapiens; & hujusmodi syllogismi dici etiam solent argumentationes a primo ad ultimum, & facile reducuntur ad categoricos perfectos primæ figuræ, nam primus, & tertius affirmative concludentes ad Barbara reducuntur conficiendo ex illis hypotheticis duas universales categoricas, major est primus hoc modo reducitur, omnis homo est animal, omnis logicus est homo, ergo omnis logicus est animal: tertius hoc modo, omne incorporeum est spiritus, omnis Angelus est incorporeus, ergo omnis Angelus est spiritus. Secundus vero, & quartus, qui negative concludunt, reducuntur ad Celarent: secundus hoc modo; Nullus homo est brutum, omnis logicus est homo, ergo nullus logicus est brutum; quartus hoc modo: Nullum non studens est sapiens, omne vagans est non studens, ergo nullum vagans est sapiens. Syllogismi ex conditionalibus hypothetici ex parte dicuntur, qui constant ex majori hypothetica, & reliquis categoricis, & horum syllogismorum duo constituuntur modi, unus a positione antecedentis ad positionem conse-

consequentis, alter a destructione consequentis ad destructionem antecedentis; antecedens in proposito est illa prior categorica, ex qua constat major hypothetica, consequens est posterior categorica integrans cum prima hypothetica, ut in hac propositione, si est homo, est animal: est homo dicitur antecedens, est animal dicitur consequens; positio fit per concessionem antecedentis, sive fit affirmativum, sive negativum; destructio fit per negationem; si positio est affirmativa, & per affirmationem, si est negativa; exemplum primi modi, si est homo, est animal, logicus est homo, ergo logicus est animal; exemplum secundum, si est homo, est animal, lapis non est animal, ergo non est homo: & facile syllogismi utriusque modi ad categoricos reducuntur, nam primus reducitur faciendum majorem categoricam illi hypotheticæ æquivalentem, omnis homo est animal, logicus est homo, ergo, &c. sic etiam proportionaliter secundus.

119 Secunda species hypothetici syllogismi est constans ex disjunctivis, cujus præcipue duo assignantur modi, unus a sufficienti partium enumeratione cum destructione unius, vel plurium partium pro constitutione remanentis, ut vel es calidus, vel tepidus, vel frigidus; non es calidus, nec tepidus, ergo frigidus; vel es mortalis, vel æternus, non es æternus, ergo mortalis. Alter modus est, dum propositio disjunctiva est de oppositis non natis de eodem verificari, tunc enim arguere possumus a positione unius ad destructionem alterius, ut numerus, vel est par, vel impar, est par, ergo non est impar; & etiam hi duo modi facile reducuntur ad categoricum, quem semper includunt implicite, ut v. g. iste secundus sic debet reduci, opposita de eodem verificari non possunt, sed par, & impar sunt opposita circa numerum, ergo de eodem numero verificari non possunt, atque ita si quis numerus est par, nequit esse impar; Et ad hanc speciem syllogismi hypothetici pertinet illa frequens, & elegans argumentatio bicornis, quæ dicitur Dilemma; de qua mentionem fecimus supra cap. 2. Notandum tamen, quod si particula vel teneretur disjunctivam, non disjunctivam; quod tunc contingit, quando non est nexus propositionum, sed partium unius totalis extremi, scilicet subjecti, vel prædicati ex dictis cap. 4. syllogismus hypotheticus non tenet; nam sic arguere non valet, unus, vel alter equus requiritur ad equitandum, bucephalus est equus, ergo requiritur ad equitandum, item hic, vel ille oculus est necessarius ad videndum, oculus dexter est hic, vel ille oculus, ergo oculus dexter est necessarius ad videndum; neuter syllogismus valet, nam ly unus, vel alter equus, hic vel ille oculus, qui est medius terminus, æquivalent aliquis; & sic cum præmissæ sint particulares, numquam est distributus, sicut non valet hic, aliquid animal est equus, homo est aliquid animal, ergo homo est equus.

Tertia species hypothetici syllogismi est, qui constat ex propositionibus copulativis, cujus duo præcipui assignantur modi, unus pro copulativis ex affirmata copula, ut v. g. omnis homo, & omnis equus currit, Sortes est homo, & bucephalus equus, ergo Sortes, & bucephalus currunt, qui syllogismus duos continet categoricos in Darii, & ad hunc modum spectant regulariter syllogismi ex propositionibus complexis, ut argumentationes a pari. Sicut vis habent duo ad quatuor, ita quinque ad decem, sed duo sunt pars dimidia quaternarii, ergo quinque sunt pars dimidia denarii, & alia consimiles, nam in hujusmodi argumentationibus semper implicentur plures syllogismi categorici; & hic etiam est advertendum, quod si ly & accipitur copulativam, tunc non sumitur distributive, & consequenter debet repeti ly & in minori, verb. gratia Petrus, & Paulus sunt duo: hic homo, & hic sunt Petrus, & Paulus, ergo hic, & hic sunt duo: si autem subsumeretur, hic homo est Petrus, ergo hic homo est duo; male concluderet, quia medius terminus in majore accipitur copulativam, in minore acciperetur distributam, & sic non esset totale extremum. Alter modus assignatur pro copulativis negativis, in quo ponitur una pars propositionis ad tollendam alteram, unde conficitur ex negatione copulantis cum positione unius partis in minori ad destructionem alterius, ut non homo currit simul, & sedet (accipiendo ly non in fronte ut negat totam propositionem, non autem ut infinitat terminum homo, quia sic propositio affirmativa foret de subiecto infinito) sed currit, ergo non sedet, unde illa major æquivalent huic disjunctivæ, vel homo non currit, vel si currit, non sedet: vel clarius, nullus est simul sapiens, & ignarus, Socrates est sapiens, ergo non est ignarus; & hic modus reducitur ad syllogismum categoricum, velut secundus modus supra assignatus syllogizandi ex disjunctivis. Ex his apparet hujusmodi syllogismos hypotheticos, cujusvis sint speciei, sive sint ex parte, sive ex toto hypothetici, non concludere immediate ratione debita dispositionis, & aliarum legum syllogismorum, sed solum mediate, eo quod implicent unum, vel plures syllogismos categoricos, & ad eos reducuntur, cum non habeant ex se regulas logicas jam traditas.

Denique aliqui præter syllogismum categoricum, & hypotheticum addunt quoddam tertium genus syllogismi, quod

appellant mixtum, eo quia sit argumentatio quædam ex syllogismis categoricis, & hypotheticis contexta, ab aliis vero dicitur syllogismus ducens ad impossibile; constat autem ex tribus discursibus, nam primo accipimus contradictorium illius, quod probandum est, & ex eo inferunt aliquid aperte falsum. Secundo ex conclusione aperte falsa inferunt falsitatem ejus principii. Tertio demum ex falsitate illius principii concluditur veritas illius, quod erat probandum; v. g. probare volumus, quod nulla planta sentit syllogismo mixto, seu ad impossibile ducente, accipiendum est contradictorium illius propositionis, quod erit hæc propositio, aliqua planta sentit, ex hoc inferendum est aliquid manifeste falsum, v. g. si aliqua planta sentit, ergo delectatur. Secundo ex falsitate illius consequentis concludenda est falsitas sui principii, seu antecedentis hoc modo, at falsum est plantam aliquam delectari, ergo falsum est plantam aliquam sentire. Tertio tandem ex falsitate hujus contradictorii inferenda est veritas primæ propositionis, quæ huic contradictorie opponetur, hoc modo, falsum est aliquam plantam sentire, ergo verum est nullam plantam sentire; cum regula contradictoriarum ea sit, ut una sit vera, altera falsa in quacumque materia, sed quia hic modus syllogizandi rarus est, & valde perplexus, ipsum inuicem tantum sat erit.

120 Quæres, quænam sint allatæ divisiones syllogismi in categoricum, & hypotheticum, & categoricum in communem, expositivum, modalem, &c. & unde sint petendæ? Resp. cum syllogismus habeat suo modo materiam, & formam ex dictis c. 5. & materia sit duplex, una ex qua, ut termini, & propositiones; altera circa quam, ut res, & objecta per terminos, ac propositiones significata; ex utroque capite possunt desumi divisiones, & dividi potest syllogismus per duplices differentias, ut notat Tat. r. Prior. q. r. §. dubitatur primo, s. per formales, seu formam syllogismi consequentes, & per materiales, quæ nempe materiam consequuntur, unde syllogismus ratione materie æquivalentur, id est enunciationum, ex quibus componitur, dividitur in simplicem, seu categoricum, & hypotheticum, seu conjunctum, & rursus categoricum in communem, expositivum, absolutum modalem, &c. ratione vero forme dividitur in syllogismum primæ, secundæ, & tertiæ figuræ, idque variis modis, ut supra: Denique ratione materie circa quam, dividitur in syllogismum demonstrativum, seu necessarium, topicum, seu probabile, & sophisticum, seu apparentem, de qua divisione agendum in posteriore parte Institutionum: ex quo patet divisiones hucusque allatas petitas esse ex parte forme syllogismi, aut materie ex qua.

Quæres rursus, an divisiones syllogismi, quæ ex his tribus capitibus peti possunt, omnes sint essentielles. Resp. Tat. cit. viderur velle, quod divisio sumpta ex parte forme in diversas figuras, & modos sit essentialis, unde non tantum syllogismus unius figuræ specie distinguit a syllogismo alterius, sed etiam syllogismus unius modi a syllogismo alterius modi in eadem figura. Sed quamvis primum dictum possit universaliter admitti, nimirum quod syllogismi unius figuræ specie distinguantur a syllogismis alterius in forma syllogistica, quia habitu medio ad extrema in unaquaque figura est essentialiter diversa, & ideo vis inferendi, & judicium illativum in diversis figuris videntur esse diversæ speciei, ex quo oritur alia accidentaliter differentia penes majorem, vel minorem evidentiam illationis, ut diximus c. 9. alterum tamen dictum, quod nempe syllogismi in diversis modis ejusdem figuræ essentialiter differant, non est universaliter admittendum; sed tantum si unus fuerit affirmativus, & alter negativus, quia modus est debita dispositio propositionum in quantitate, & qualitate, at quantitas non distinguit essentialiter propositiones, sed sola qualitas intrinseca, ut est affirmatio, & negatio, ex dictis tr. 2. c. 3. ergo si duo modi ejusdem figuræ ita se habent, quod consentent propositionibus in qualitate diversis, erunt essentialiter diversi in eadem figura, sicut propositiones, ex quibus constant, at si constant propositionibus sola quantitate differentibus, non nisi accidentaliter erunt diversi.

121 Divisiones syllogismi ratione materie ex qua, in affirmativum, & negativum, categoricum, & hypotheticum sunt essentielles; ratio est, quia ex dictis tr. 2. c. 3. propositio affirmativa specie essentialiter differt a negativa, & categorica ab hypothetica, ergo pariter syllogismi affirmativi, & negativi, categorici, & hypothetici eodem modo differunt inter se, quia constant materia diversæ speciei, atque ideo præfatæ divisiones erunt essentielles, & generis in species. Divisiones vero syllogismi in communem, & expositivum, in absolutum, & modalem, in obliquum, & rectum, sunt accidentales; ratio est, quia syllogismus communis, & expositivus non differunt, nisi ratione quantitatis propositionum, & communitatis, ac singularitatis mediæ ex prædictis; at propositiones penes quantitatem non differunt essentialiter, quia essentia propositionis consistit in copulatione extremorum affirmando, vel negando; quantitas vero dicit extensionem subiecti ad ea, quibus potest convenire prædicatio, unde supponit enuntiationem constitutam, & essentiam propositionis signifi-

gnificantem ipsam veritatem complexam, quæ per copulationem extremorum constituitur. Item propositio modalis, & absoluta, seu de inesse non differunt, nisi accidentaliter, quatenus in una prædicatum absolute tribuitur subiecto, & in alia specificatur modus, quo ei convenit ex dictis tract. 2. cap. 4. sic etiam propositio constans ex terminis obliquis tantum accidentaliter differt ab ea, quæ constat ex rectis, quia idem essentialiter est sensus utriusque; ergo syllogismi ex his propositionibus constituti non nisi accidentaliter erunt inter se diversi, syllogismus vero exponibilis a non exponibili potest interdum differre accidentaliter tantum, interdum etiam essentialiter juxta differentiam propositionum, ex quibus integratur, nam exponibilis propositio a non exponibili differt quandoque accidentaliter tantum, ut homo tantum est rationalis ab ista, homo est rationalis, quia idem essentialiter est sensus utriusque, cum enim rationalitas sit differentia hominis constitutiva, ipsi soli convenire potest; at si exponibilis sit de prædicato contingenti, quod aliis convenire potest, ut homo tantum currit, tunc potest essentialiter differre a non exponibili, unde idem judicium erit ferendum de syllogismis ex his propositionibus constans.

122 De ultima divisione syllogismi sumpta ex parte materie circa quam in demonstrativum, probabilem, & elenchum, ait Tatar. cit. esse essentialem, & generis in species, si per sophisticum syllogismum intelligamus illum, qui tantum in materia peccat, quia sophisticus peccans in forma se vera non est syllogismus. Oppositum tenet Fuentes 3. p. Summul. quæst. 2. diff. 1. art. 2. Poncius disp. 20. Log. quæst. 4. Amic. tract. 23. disp. 2. qu. 3. dub. 3. Niph. i. Priorum cap. 1. & alii, quorum ratio est, quia hæc divisio datur per differentias penes materiales, nam isti syllogismi eandem prorsus formam participant syllogisticam, nec differunt, nisi quia diversas connotant materias, in quibus formantur, & videtur mens Scoti lib. 1. Priorum quæst. 6. quia igitur hæc divisio non datur per differentias formales, id est negata Fuentes esse essentialem cum Doctore ibidem. Resp. tamen facile ex Tatar. cit. quod syllogismus plures potest habere species, quasdam, quæ constituantur per differentias formales, id est consequentes formam syllogismi, seu dispositionem propositionum, & quasdam quæ constituantur per differentias materiales, id est consequentes propositiones ipsas, quæ tamen adhuc dici debent; & possunt differentie essentielles; solet siquidem essentialis differentia aduam intellectus, qualis est discursus syllogisticus præsertim, peti ab objectis ex 2. de An. Adverte tamen (inquit Tat.) quod species, quæ constituantur per differentias materiales, includunt, seu præsupponunt alias species formales, nam non potest esse syllogismus demonstrativus, aut dialecticus, quin sit in modo, & in figura; & id forte vult intèrere Doct. cit. in lib. Pr. quod scilicet divisio lylogif. per differentias materiales non est omnino prima divisio, nam præsupponit quicquid priorum datam per differentias formales; sed quicquid sit de hoc, Scot. in illis libris (si sunt ejus) tenuem facit autoritatem, ut dicemus in quæst. præcæm.

CAPUT XII.

De arte inveniendi Medium, ac bene disputandi.

123 Quia disputatio inter duos versatur, quorum unus arguens, alter defendens appellatur, munera utriusque hoc ultimo capite sunt aperienda, ut disputatio bene procedat; proposita igitur a defendente conclusione disputanda debet arguens adinvenire medium, quo eam impugnet; Artem adinveniendi medium tradidit Arist. i. Priorum cap. 29. quæ a Summulistis Pons asinorum vocari consuevit: sumptis appellationem a ponte, ut notat Casl. lib. 3. tract. 2. cap. 9. eo quod sicut pons est ratio connectens utramque partem ripæ, ita medium est ratio connectens utrumque extremum: & dicitur asinorum, quia in inventionem mediæ discernuntur ingeniosi a rudibus, nam ingeniosi pollent scientia, quam dicit Arist. i. Post. 27. esse subtilitatem inveniendi medium in non perspecto tempore, & qualibet propositione posita, & negata, extrema per illam negationem quasi interrupta ipsi illico per medium quasi pontem connectunt; Et quamvis antiquitus hæc ars inveniendi medium difficilis admodum judicaretur, modo tamen ad facilem methodum reducta est.

Duplex itaque assignatur via indagandi medium ad aliquam propositionem probandam, & syllogisticè inferendam, una est generalis non determinatis regulis innixa, sed solo lumini, & judicio intellectus, ex cujus dictamine semper pro medio id assumendum est, quod est causa, & ratio, cur prædicatum conveniat subiecto, unde pro concludenda affirmativa conclusione pro medio assumendum est id, cum quo extrema indentificantur, & pro concludenda negativa id, cum quo unum extremum indentificatur, & aliud fecerunt. At Complur. lib. 3. cap. ult. & Joan. de S. Thom. cap. 9. hanc viam generalem rejiciunt, ut prorsus inutilem, & manifeste principium petentem; nam hoc est, quod inquirimus, quid sit illud, in quo extrema indentificantur, vel unum eorum fecerunt, & quid est illud, quod est

ratio, & causa, ut prædicatum conveniat subiecto. Sed sane hæc est regula generalis inveniendi medium, quam docuit Arist. cit. i. Post. cap. ult. nam ibi hominem solertis ingenii, & subtilem inveniendi medium appellat, qui statim dignoscit, & penetrat propter quid conclusivus, & causam, cur prædicatum conveniat subiecto, & quamvis hæc via in particulari non doceat per regulas speciales, quodnam medium sit assumendum pro hac, vel illa propositione probanda, non idcirco petit principium, sed tantum in generali docet, quodnam pro medio sit assumendum pro quacumque conclusione, relinquens deinceps explicandum per regulas speciales, quænam media specialia sumi debeant pro certis conclusionibus, & hæc docentur ab alia via speciali determinatis regulis innixa. Altera igitur via specialis docet inventionem certi mediæ pro certis conclusionibus inferendis, quæ in universum esse possunt, vel universalis affirmativa, vel universalis negativa, aut particularis affirmativa, aut particularis negativa, & quatuor præcipuis innotuit regulis ex Arist. desumptis i. Priorum cap. 29. ut notat Delphinus cap. de arte inven. med.

Prima regula est: ad concludendam universalem affirmativam, quod solum fit in Barbara, pro medio sumendum est terminus consequens ad subiectum, & antecedens ad prædicatum illius propositionis concludendæ; terminus consequens ad alium ille dicitur, qui ex illo alio inferitur, & sic superius dicitur consequens ad inferius, quia ex ipso inferitur; & contra ille terminus dicitur antecedens respectu alterius, qui illum inferit, & sic inferius dicitur antecedens ad superius, quia illud inferit. In terminis vero æqualibus, & convertibilibus, quia se mutuo inferunt, potest quivis respectu alterius dici antecedens, & consequens; igitur ad concludendam universalem affirmativam debet sumi pro medio aliquis terminus consequens ad subiectum, & antecedens ad prædicatum, id est qui inferatur a subiecto, & inferat prædicatum, ad concludendum v. g. omne animal est substantia, sumi potest corpus pro medio, sic arguendo, omne corpus est substantia, omne animal est corpus, ergo omne animal est substantia; vel sumi potest aliquid convertibile cum subiecto, scilicet sensibile, sic arguendo, omne sensibile est substantia, in quibus exemplis constat medium esse consequens ad subiectum, & antecedens ad prædicatum.

Secunda regula, quia particularis affirmativa concludi potest in prima, & tertia figura (in secunda nequaquam) ad eam concludendam in prima, scilicet in Darii, sufficit idem medium, quo utitur ad concludendam universalem, quia sub universali continetur particularis, scilicet terminus consequens subiectum, & antecedens prædicatum, unde ad inferendum in Darii, quod aliquid animal est substantia adhuc intervenire potest pro medio sensibile, quod inferitur ex animali, & inferit substantiam, & sic arguendum erit. Omne sensibile est substantia, aliquid animal est sensibile, ergo aliquid animal est substantia. Sed ad eandem concludendam in tertia figura necessario sumendum est pro medio terminus antecedens tam subiectum, quam prædicatum, unde ad concludendam eandem, quodam animal est substantia, in Darapti, aut Disamis, conveniens medium erit homo, quod inferit utrumque, scilicet animal, & substantiam, & sic arguetur in Darapti, omnis homo est substantia, omnis homo est animal, ergo aliquid animal est substantia.

Tertia regula est, ad concludendam universalem negativam sumendum est pro medio terminus consequens ad subiectum, & extraneus ad prædicatum, aut e contra, consequens ad prædicatum, & subiecto extraneus, ille autem terminus dicitur alicui extraneus, quod de illo affirmari non potest, ut homo respectu equi: v. g. ad concludendum in Celarent, & Celare, quod nullus homo est lapis, sumendum est medium consequens ad subiectum, & prædicato extraneum, ut animal, vel risibile sic arguendo. Nullum animal est lapis, omnis homo est animal, ergo nullus homo est lapis, vel nullus lapis est animal, omnis homo est animal, ergo nullus homo est lapis; ad concludendam vero eandem in Camestres, vel Celantes indirecte sumendum est medium extraneum ad subiectum, & consequens ad prædicatum, v. g. inanimatum sic arguendo, omnis lapis est inanimatus, nullus homo est inanimatus, ergo nullus homo est lapis, vel nullum inanimatum est homo, omnis lapis est inanimatus, ergo nullus homo est lapis.

Quarta Regula, ad inferendam particularem negativam sumendum est medium antecedens ad subiectum, & extraneum prædicato, & hæc regula valet pro quacumque figura, ut notat Delphinus, unde si in prima volumus inferre hanc particularem negativam, aliquid animal non est homo, conveniens medium erit brutum, quod est antecedens ad animal, & homini repugnat, & in Ferio sic arguetur, Nullum brutum est homo, aliquid animal est brutum, ergo aliquid animal non est homo; in secunda sic in Festino: Nullus homo est brutum, aliquid animal est brutum, ergo aliquid animal non est homo; in tertia sic in Felapton, Nullum brutum est homo, omne brutum est animal, ergo aliquid animal non est homo; ad quas regulas memoriter tenendas invenerunt Summulistæ quaf-

quasdam dictiones uno, aut alio carmine comprehensas, quæ plañe difficiliores sunt, ut memoriæ mandentur, quam ipse regulæ, videri possunt apud Tat. 1. Priorum & alios. His itaque viis adinvento medio.

124. Manus Arguentis est argumentum suum proponere in forma syllogismi, aut quod magis sapit, in enthymemate, quod cum brevius, & concisus procedat, & minus manifestet vim latentis illationis, majorem utique respondentis incutit difficultatem; tum quia eum tenet anticipatam; tum quia parum temporis ei concedit ad cogitandum responsum; dum autem impugnat propositam conclusionem, verb. grat. *logica est scientia*, debet initio disputationis aliquam in antecedente assumere propositionem, unde inferat oppositum conclusionis, quam impugnare contendit, non enim licet statim oppositum assumere in antecedenti dicendo, *logica non est scientia, ergo falsa conclusio*, nam hæc esset manifesta petitio principii, quia assumeret pro vero, vel concessio, quod proponitur disputandum; Et quamvis Tyronebus concedatur non statim in disputationis initio cardinem difficultatis proponere, sed liceat per quamdam veluti argumentorum seriem, & catecham longius inchoare, arguendæ tamen sunt pueriles argumentationes, v. gr. illud non est asserendum, ex quo sequitur inconveniens, at ex proposita conclusione sequitur inconveniens, ergo, &c. Probatur minor, tunc sequitur inconveniens, quando sequitur aliquid falsum, sed &c. ergo &c. viriliter ergo proponatur argumentum, & quantum fieri potest in difficultate proposita persistat proseguendo semper idem medium per suas causas, & principia, vel ad inconveniens deducendo, non vero divertat ad aliud medium, nec repetat probationem semel propositam, aut eisdem, aut aliis verbis, hoc enim indicat ingenii sterilitatem, & valde tediosum est auditoribus.

Cum vero fuerit illi, negata aliqua propositio, statim eam probare tenetur, itaque negata propositio sit conclusio novi syllogismi, vel consequens novi enthymematis, ut si propositio negata sit hæc, *Petrus currit*, sic erit probanda, omnis homo currit, ergo Petrus currit; & omnino insulsum est ad probandam propositionem negatam inferre *ergo falsa responsio*: ubi vero quisque promptus sit ad negata probandum, valde conducit, antequam in arenam descendat, privato studio assuescere ad singulas propositiones probandas, nam imparatus accedens ad disputationem non semel hæret, atque perplexum esse cogitur, quod valde indecorum est. Si vero defendens argumentum solverit distinguendo propositiones, debet statim arguens partem distinctionis negatam, quæ salvat conclusionem, impugnare, vel probare, distinctionem allatam non valere, sic enim semper immediate arguet contra responsum, quam resumere non debet, antequam impugnetur, ut aliqui faciunt: nam ex ipsa impugnatione illico constabit, num arguens responsum datam perceperit, nec ne; Licet etiam arguenti interdum a respondente petere rationem negationis alicujus propositionis, aut instantiam in aliquo singulari, si præterdat propositionem assumptam esse universalem veram, & aliquando etiam explanationem alicujus distinctionis, vel responsum, ac demum quoque intelligentiam ipsius conclusionis, ut eam impugnare possit in sensu defendentis, & in his casibus tenetur respondens arguenti in omnibus satisfacere, qua majori poterit, brevitate, & claritate.

125. Munus defendentis est audita argumenti propositio ne illud integre, ac fideliter repetere, ad quod multum conducet (præsertim quando argumenta repetenda sunt plura contra plures conclusiones) observare medium, quo utitur arguens contra hanc, vel illam conclusionem, quia ex memoria, & intelligentia mediis facilis est totius argumenti repetitio; interim vero dum argumentum ex integro prima vice resumit, perpendere debet qualitatē præmissarum, aut antecedentis, si est enthymema, & illationem conclusionis, aut consequentis, si bona sit, vel mala; semel ex integro resumpto argumento prævia tali animadvertione, repetit iterum argumentum non ex integro, sed respondendo ad singulas ejus partes, negando majorem, vel minorem, aut antecedens, si sunt falsæ; concedendo, si sunt veræ: distinguendo, si sunt dubiæ, vel æquivocæ, permittendo per verbum *transat*, vel *quicquid sit de hoc*, si sint impertinentes ad inferendam consequentiam, deinde ad conclusionem deveniendo, si est concedenda, dicat, concedo consequentiam, si neganda, dicat, nego consequentiam, non autem conclusionem, quia illa propositio dicitur conclusio, quæ necessario inferitur ex præmissis ratione formæ, & sic negari non potest sub nomine conclusionis; si autem est distinguenda, non dicat, quod manifestetur, sed consequens, (quod etiam in enthymemate observari debet) consequentia enim cum consistat in ipsa illatione, non vero in assertionē veritatis, non potest distinguī, quia distinctio cadit super æquivocationem, aut ambiguitatem propositionis, quatenus habet diversos sensus in significando, sed tantum negari, ut mala, & inconveniens, vel concedi, ut convenientis, & bona; advertat tamen nunquam distinguere consequens, nisi prius distinxerit aliquam ex præmissis, ut faciunt quidam inexperti, qui concedunt majorem, & minorem, & distinguunt consequens;

quid autem interfit inter consequens, & consequentiam; dictum est cap. 1. hujus tract. ex quo etiam magis patebit consequens bene posse distinguī, non autem consequentiam; Si argumentum consistat propositione aliqua hypothetica, ut v. g. si corpus naturale est objectum totius Philosophiæ, etiam in lib. de anima objectum esset corpus animatum, consequens est falsum, ergo, &c. si illa hypothetica non est vera, non debet absolute negare majorem, sed sequelam majoris, quod si post integrum argumentum subsumeret arguens aliam adhuc propositionem, ut inde inferret aliam consequentiam, tunc toto priori argumento concessio potest illam propositionem negare sub nomine subsumpti, vel minoris sublatæ, & talis nuncupatur, quia pro majori inservit illi totum præcedens argumentum.

Debet autem præ omnibus curare defendens, ut sit succinctus in responsum, & quantum fieri potest, formæ argumenti alligatus, quod facile erit, si duo observabit, primum est, ut non sit sollicitus reddere rationem de omnibus, quæ dicit, nisi ab ipso arguente petatur, sed totum onus probandi relinquat arguenti. Alterum est, ut semper ante oculos habeat commune adagium inter disputantes, *sepe nega, raro distingue*, nunquam concede, primum, & secundum documentum nos monent tutius esse negare propositionem, si in omni sensu vera non sit, quam illam distinguere, nec ad distinctionem esse recurrendum nisi manifesta urgeat necessitas, aut distinctio talis sit, quæ silum argumentationis omnino adversario præcidat; per tertium vero documentum non prohibemur concedere propositiones veras, & quæ nihil obstant, sed tantum prodigaliter veritatē in concedendo: interdum enim evenit, ut tantæ liberalitatis defendente poeniteat, dum videt se ex concessis ab adversario convictum. Quod si objecta fuerit aliqua auctoritas, quam negari non licet, eam brevibus explicare tenetur aperiendo mentem auctoris in sensu, qui suæ conclusioni minime contradicat.

Postremo munus Patroni, & Præsentis disputationi est attendere totum progressum argumenti, & disputationis comprehendere, & provide respondentis suggerere, negationem, concessionem, explanationem, aut distinctionem propositionis; ipse vero pauca, & cum gravitate loquatur, certus suum defendentem plus honoris adepturum ex Assistentis silentio, quam ex multiplici ejus interpellatione, & colloquio cum arguente, nam ita indicabit illum ita se gerere in conclusionum tutela, ut Assistenti non egeat. At quia supponitur disputationis Patronum esse virum doctum, ac proinde de suis partibus omnino certum, alia de ejus munere addenda non sunt.

C A P U T XIII. & ult.

De Modis, seu Instrumentis sciendi

126. Quamvis de Modis, seu Instrumentis sciendi fufe acturi sumus disp. 1. Log. per totam, attamen ad calcem hujus primi Tractatus adjicere placuit hoc Caput de Modis, & Instrumentis sciendi, ut de ipsis, utpote, qui præcipue ad facultatem Logicam spectant. Tyronebus etiam in hac parva Logica aliqua prælibare possint: quare hic veluti compendio complicabimus de hac materia, quæ loc. cit. fufe dicturi sumus; nomine itaque Modi, seu Instrumenti sciendi intelligi solet in scholis via distincte cognoscendi id, quod ante confuse cognoscebatur, unde a Summulistis definitur solet, quod sit *oratio manifestativa alicujus ignoti*, sive id faciat via illationis, sive alio modo, per quod excluduntur voces simplices, & incomplexæ, quia sufficientes non sunt ad explicandam rem distincte, & explicite, sed tantum confuse significant, ut tradidit Arist. in præoem. Phys. Hinc deducitur tria tantum esse instrumenta sciendi logica, scilicet, Definitionem, Divisionem, & Argumentationem, ut docet Scot. lib. 1. Prior. q. 2. quod brevi, & evidenti discursu ita suadet Tatar. q. 1. præamb. Logica; Modus sciendi est oratio manifestativa ignoti, hoc autem vel est complexum, vel incomplexum: si incomplexum, vel id est essentia rei integra, & hæc per definitionem explicatur; vel partes ejus, & hæc per divisionem manifestantur, ut v. g. si ignoretur hominis essentia, manifestatur hæc definitio, *est animal rationale*; si ignoretur partes ejus, manifestantur hæc divisione, *hominis alia pars est anima, alia corpus*, si vero, quod ignoratur, est quid complexum, ut v. g. quod *homo sit visibilis*, statim manifestatur per hanc argumentationem, *Omne animal rationale est visibile, omnis homo est animal rationale, ergo omnis homo est visibilis*: ergo sicut nullum aliud datur ignotum, quod manifestetur, ita nullus alius datur modus sciendi, qui manifestet. Alii ad hæc instrumenta sciendi Enunciationem addiderunt, & alii methodum sumendo methodum pro ordine, qui in scientiis observari debet, ut distincte tradantur, & sine confusione. Sed ut dicemus in quaestionibus, enunciatio re vera non est instrumentum sciendi, quia de ratione enunciationis, ut sic, est tantum enunciatio unum de alio, non autem ignotum manifestare distincte, in quo consistit ratio modi sciendi; neque propositio valet hoc munus obire, nisi virtute definitionis, divisionis, & argumentationis, si

nimirum in illa ponatur definitio rei, vel per illam essentia rei in suas partes dividatur, vel denique per eam discursive procedatur ad cognitionem rei; Methodus autem, sive ordo in scientiis tradendis, quamvis valde juvet mentis directionem, non tam est instrumentum ab illis tribus distinctum, quam communis illorum recta quadam dispositio, ut bene dirigant cognitionem nostram, ut ibi declarabitur; manet ergo tria tantum esse instrumenta sciendi propriè loquendo, Definitionem, Divisionem, & Argumentationem, & horum quidem præstantius, & efficacius esse argumentationem, utpote, quæ procedit per vim illativam ad manifestandum ignotum, de qua quia fufe tractatum est in superioribus, alia hic addere non oportet, sed solum de definitione, ac divisione.

127. Definitio dividi solet in definitionem, *quid rei*, & *quid nominis*; illa explicare contendit rei essentiam, & quidditatem vel per essentialia, vel saltem per accidentalia; hæc vero non tam explicat rei essentiam, quam ipse nominis ethimologiam, & significationem, & per hanc indicat a longe, & confuso modo ipsam rei essentiam, ut cum definitur mulier, quod fit mollis aer, lapis, quod lædit pedem, &c. itaque dimissa definitione *quid nominis*, ut parum explicante essentiam rei, definitio quid rei definitur ab Arist. 1. Top. c. 4. & 2. Post. cap. 10. quod sit *oratio, quod est rei significans*, id est oratio explicans essentiam, & naturam rei; dicitur *oratio*, quia necessario plures terminos vocales, vel mentales continere debet, ut nimirum ex vi unius definitum cum aliis conveniat, & hoc habeat rationem generis, vel quasi generis, & ex vi alterius secernatur ab aliis, & hoc habeat rationem differentie, vel quasi differentie, sic in hominis definitione, quod est *animal rationale*, nomen animal, vel conceptus illi correspondens commune est omnibus brutis, rationale autem animal conjunctum est differentia ipsam discernens a quocumque alio, quod non est ipsum; dicitur autem, *quod quid est rei significans*, ut per hæc particulas secernatur definitio a cæteris orationibus essentiam rei non explicantibus, & ab aliis sciendi modis, a divisione quidem, quia ipsa non explicat integram, & totalem rei essentiam, sed partes; ab argumentatione vero, quia neque hæc manifestat naturam rei, sed an aliqua propositio sit vera, vel falsa. Quia vero per definitionem potest essentia rei dupliciter exprimi, nimirum vel per partes essentielles, seu principia intrinsece rem constituentia, vel per proprias passiones, & accidentia extranea, definitio quid rei dividi solet in essentialiam, seu quidditativam, & accidentialem, seu descriptivam; definitio essentialis dicitur, quæ datur per partes essentielles; quæ si fuerint physica, ut quod homo est id, quod constat ex anima, & corpore, dicitur definitio essentialis physica; si fuerint metaphysica nempe genus, & differentia, erit definitio essentialis, & metaphysica, ut cum dicimus, quod homo est animal rationale; definitio accidentalis est, cum essentia rei per extranea exprimitur, & circumscribitur.

128. Rursum definitio essentialis, & quidditativa duplex est, quædam pure quidditativa, alia vero per additamentum data: prima dicitur pure quidditativa, quia omnes partes in ea contentæ directe, & per se primo pertinent ad quidditatem definiti, ita definitur homo, quod fit animal rationale, ac pariter alia substantia completa, quia earum entitates adeo absolventur ab ordine ad aliud extrinsecum ipsis, ut perfecte in se concipi possint absque ulla tali habitudine, alia vero dicitur quidditativa non pure, sed per additamentum data, quia ad perfectam rei notitiam pariendam ultra essentielles partes definiti additur in definitione aliquid extrinsecum, ad quod definitum dicit ordinem saltem transcendentalem, quo pacto materia finitur per ordinem ad formam, anima ad corpus 2. de Anim. accedens per ordinem ad subiectum ex 7. Metaph. & alia hujusmodi; cum enim sint entitates non omnino completæ, sed essentialiter imperfectæ in suo conceptu perfecto, & adæquato pendet ab aliquo extrinseco, de qua duplici definitione videatur Doctor 1. Priorum q. 5. & 4. d. 1. q. 2. & d. 12. q. 1. P. & Tatar. q. 1. de genere, §. *sciendum*. Deinde definitio accidentalis quoque potest subdividi juxta varios modos exprimiendi essentiam per extranea, nam exprimi potest per proprias passiones, ut dicendo, quod homo est animal risibile, vel etiam per accidentia communia quidem, si seorsum sumantur, sed propria si sumantur conjunctim, ut si dicatur, quod homo est animal bipes, habens caput erectum, &c. quæ definitio dicitur pure accidentalis, quia per accidentia communia assignatur, potest denique rei essentia exprimi per causas extrinsecas, scilicet efficientem, & finalem, ut dicendo, quod homo est animal creatum a Deo propter beatitudinem, quæ definitio dicitur causalis extrinseca, quia datur per causas extrinsecas definitio.

Conditiones quædam bonæ, ac legitimæ definitionis solent assignari, quæ præsertim ad quatuor reducuntur; prima, ac inter omnes præcipua est, ut consistat genere, & differentia, vel saltem suppleat vices illorum, quod additur ob definitionem accidentialem, in qua genus, ac differentia proprie non reperitur, & ratio est, quam supra annuimus, quia ex vi definitionis debet finitum convenire

cum omnibus, quæ cum ipso sub eodem genere continentur, & ab aliis omnibus discerni, quæ sunt sub diversis generibus, primum habet merito generis, aliud vero merito differentie: secunda est, ut convertatur cum definito, itaut de quocumque dicitur definitio, dicatur, & definitum, & e contra, sic animal rationale convertitur cum homine, & e contra, ratio hujus conditionis est, quæ deducitur ex præcedenti, quia definitio talis esse debet, ut per ipsam definitum adæquate exprimat, ac secernatur a quocumque, quod non est ipsum, at non se exprimet, nec distingueret, illud si cum ipso non converteretur, sed aliis præter ipsum conveniret, vel e contra: tertia conditio est, ut sit clarior definito, quam innuit Arist. 6. Top. cap. 2. loc. 17. ubi ait definitionem tradi debere per priora, & notiora; & ratio hujus conditionis deducitur ex ipso definitionis conceptu, ipsa enim datur ad explicandam distincte rei essentiam; quæ confuse solum, & indistincte per definitum importatur ex præoem. Phys. tex. 5. ergo debet esse clarior definito. Quarta denique conditio est, ut non sit diminuta, neque superflua: non diminuta, quia tunc non explicaret totam rei essentiam, ut si definireretur homo, quod fit animal, non esset bona definitio quia non explicatur altera pars essentia, quæ per differentiam importatur: neque debet esse superflua, cujus defectu non est bona hominis definitio, quod fit animal rationale mortale, alia solent addi conditiones, sed ad istas quatuor facile reducuntur, & in illis virtualiter continentur, ut dicurrenti patebit. Quæ autem, & quot sint conditiones rei definibilis explicabitur infra disp. 1. q. 3. art. 3. interim videatur Doct. 4. d. 1. q. 2. ubi quinque exigit conditiones ad hoc, ut aliquid possit defini definitione essentiali, & proprie dicta.

129. Divisio, quæ ponitur aliud instrumentum logicum, a divisione physica nomen traxit, nam divisio physica est quædam partium separatio, quæ antea unitæ totum constituebant, ut cum lignum in duas secatur partes, dividitur; ex hac itaque divisione Dialectica divisio sumpta est, quæ est *oratio totum in sua partes distribuens*, id est oratio distribuendo manifestans multiplicitatem, seu confusionem totius, talis est actus, quo mente, vel voce dividimus animal, ut totum potentiale, in hominem, & brutum: dicitur *oratio*, ut secernatur a divisione physica, quæ fit re, & in effectu, non autem mente solum, vel voce, ut fit dialectica divisio; additur *distribuens totum in suas partes* loco differentie, quia per hoc distinguitur ab aliis instrumentis sciendi, nam definitio explicat, quid res sit, argumentario qualis sit, scilicet rei proprietatem, seu rei qualitatem, divisio vero quanta res sit, seu quantitatem id est quantum continentia sua se extendit per partes: unde esto divisio etiam videatur per partes explicare rei essentiam, hoc non fit per se primo virtute ipsius, quemadmodum facit definitio, sed consequenter; & diverso quoque modo id per utramque contingit, quia definitio explicat essentiam rei ejus partes conjungendo, & totum componendo: divisio vero id facit distinguendo illas, & separando, unde directe, & per se ordinatur ad explicandam confusionem, & multiplicitatem partium rotius, non autem quidditatem ejus.

Quamvis autem varia divisionum genera assignari soleant, triplex tamen divisio præcipue traditur a Philosophis, prima dicitur totius potentialis in suas partes subjectiva id est superioris in inferiora v. g. generis in species, speciei in individua, universale namque respectu suorum inferiorum dicitur totum potentiale, quia non illa actu continet, tamquam componatur ex illis, sed potentia, & dividitur in illa, tamquam in partes subjectivas prædicando de qualibet illarum: altera dicitur totius actualis in suas partes actuales, id est actu in eo contentas, sive hæc partes integrales sint, ut manus, & pes respectu hominis, duo palmaria respectu ligni, sive sint essentielles id est non spectantes tantum ad rei integritatem, sed essentiam quoque, & quidditatem, ut sunt partes hominis physica anima, & corpus, vel metaphysica animalitas, scilicet, & rationalitas: itaque divisio totius actualis in suas partes est oratio, ex vi cujus dividitur totum in partes, quas actu continet, seu ex quibus actu constituitur, sive illa partes integrales, sive essentielles, sive physica, sive metaphysica, ut si diceretur, partium hominis integralium alia est caput, alia manus, &c. essentialium alia est anima, alia corpus loquendo physice, alia animalitas, alia rationalitas loquendo Metaph. Tertia tandem dicitur divisio subiecti in accidentia, vel proprius subiecti per accidentia, ut si dicatur hominum alius est albus, alius niger, in qua divisione plura assignantur subiecta ejusdem rationis variis accidentibus affecta, & fit suo modo divisio alicujus totius in suas partes, sic enim dividitur tota hominum collectio, ut aggregatum quoddam, in suas partes, ex quibus aggregatur.

Solent præterea plures assignari conditiones bonæ divisionis, quæ ad tres reducuntur; prima est, ut singula membra divisionis sint minoria toto diviso; sed simul sumpta illud adæquent, quod aliis verbis dici solet totum divisum latius patere singulis membris dividendis, non tamen ommibus simul sumptis: ratio hujus conditionis est lumine

naturali nota, nam totum est majus sua parte, ergo totum divisum debet necessario excedere singula sua membra sigillatim sumpta: item totum præsertim synthetice sumptum, quo sensu sub divisione cadit, nihil addit supra omnes partes simul sumptas, ergo non patet latius illis simul sumptis, hac de causa non bene dividetur animal in rationale, & rudibile, cum singula membra dividenda simul sumpta non adæquent divisum, cum dentur animalia, quæ nec sunt rationalia, nec rudibilia: neque e contra bene divideretur in sensitivum, & irrationale, quia sensitivum æque patet ac animal ipsum, cum sit differentia ipsius constitutiva: Secunda conditio est, ut membra dividenda aliquo pacto adinvicem opponantur, id est sint ita inter se diversa, ac distincta, ut in eo sensu, quo sunt membra dividenda, non invicem coincident, vel unum includatur in alio: & ratio est, quia tunc non essent membra distincta. Tertia conditio est, ut divisio tradatur per membra proximiora, quantum fieri potest, ne generetur confusio, ut cum divisum plura sub se continet membra, prius dividatur in propinquiora, & hæc rursus in alia, ut animal in rationale, & irrationale, & hoc in aquatile, volatile, & terrestre, & hæc rursus in alia inferiora quævis remota, de quo fufus in quæstionibus.

130 Sed quia non minus distinctio, quam divisio valde juvat ad manifestandam rerum multipliciter, & confusio, in fine hujus capituli non erit abs re aliqua de distinctio, & identitatibus subjungere, quantum fert Tyroneum capacitas, exacta namque de his tractatio ad Metaphysicam spectat. Thomistæ passim duas solum assignant distinctiones, realem scilicet, & rationis; illam esse dicunt, quæ inter plura reperitur præter opus intellectus, seu nullo intellectu cogitante, ut inter hominem, & equum, Petrum, & Paulum; distinctionem vero rationis ajunt illam esse, quæ inter plura reperitur per solum intellectus operationem; quæ distinctio aliquod habuerit fundamentum in re, dicitur distinctio rationis ratiocinatæ, five cum fundamento, & tunc contingit, quando intellectus rem simplicissimam distinguit in plures cum fundamento, quod habet in ipsa re propter æquivalentiam, quam habet cum multis, & sic distingui dicimus in luce solari virtutem calefactivam ab exciccativa, quatenus eadem virtus simplicissima lucis æquivaleret illis duabus, quas hic in igne videmus distinctas; Si vero distinctio illa rationis nullum habuerit in re fundamentum, illam vocant distinctionem rationis ratiocinantis, & ita distinguere solemus idem a se ipso absque fundamento in re in prædicatione identica dicendo, Petrus est Petrus, consideratus enim sub secunda intentione subiecti distinguitur a seipso considerato sub ratione prædicati. Modo difficultas est, an debeat dari aliquod tertium genus distinctionis; quod nec proprie sit realis, nec rationis, & quamvis Thomistæ id constanter negent, Suarez tamen d. 7. Metaph. sect. 1. cum cæteris Recentioribus suæ Societatis tertiam quamdam distinctionem assignant mediam inter realem, & rationis, quam appellant modalem, & reperitur inter rem, & modum rei; nomine autem modi intelligunt minimam quamdam entitatem ultimo determinantem subiectum, quæ non potest esse sine tali subiecto, bene tamen subiectum sine illa; & hoc genere distinctionis distinguitur seditio a sedente, actio ab agente, unio a re unita, &c. hanc autem dicunt poni debere mediam distinctionem inter realem, & rationis, quia certum est illa enumerata plusquam ratione ab invicem distingui, quia absolute loquendo unum esse potest sine alio, licet non e contra; nec entium dici possunt distingui realiter, quamvis enim posset dici distinctio realis, ut explicatur a Thomistis, pro illa, quæ reperitur inter aliqua præter opus intellectus, proprie tamen loquendo de distinctione reali, ac entitativa, nequeunt res, & modus realiter, ac entitativè distingui, quia distinctio realis proprie dicta versatur inter rem, & rem, id est inter ea, quæ realiter separari possunt, & utrumque se solo existere saltem per Dei potentiam, quo pacto distinguuntur duo homines, anima, & corpus &c.

Verum cum Recentioribus istis fateamur necessitatem distinctionis mediæ inter realem proprie dictam, & rationis, nequaquam tamen ad hoc inducimur ex fundamento ipsorum, nam in primis falsum est, quod ipsi dicunt, ad distinctionem realem inter aliqua opus esse, quod sint ab invicem separata, vel separabilia, hoc enim neque in creatis, neque in divinis verificari potest, non quidem in divinis, nam personæ divinæ non possunt seorsim separata existere, cum una sit in altera circumnecessione, ut inquit Theologi, & tamen realiter distinguuntur, nec etiam in creatis, quia hic multa realiter distinguuntur distinctione reali proprie dicta, quæ tamen nequeunt ab invicem separari, vel separata existere; sic ajunt Scotistæ totum physicum, & ejus partes unitas realiter distingui inter se, non tamen unum posse ab alio separari, sic etiam Thomistæ subiectum a passione realiter distinguunt, inter quæ tamen necessariam agnoscunt connexionem indispensabilem; Deinde, quando etiam hoc totum concederetur, requiri ad realem distinctionem, ut scilicet, unum sit separabile ab alio, adhuc tamen falsum est hanc separabilitatem debere esse mutuam ex parte utriusque extremi, ut scilicet hoc sine illo, & e contra existere possint, nam

sufficiens signum distinctionis realis, ac entitativæ inter aliqua duo est, quod unum possit ab alia divelli, quomodocumque id contingat, unde creatura adhuc realiter a Deo distinguitur, etiam si sine ipso existere nequeat, & actus vitalis realiter distinguitur a potentia, & tamen in sententia præsertim Recentiorum nequit ab ea divelli, & se solo conservari, non ergo ad realem distinctionem necessaria est mutua separabilitas extremorum; atque ideo distinctio illa, quam ipsi ponunt inter rem, & modum ejus extrinsecum (nam de distinctione rei a modo suo intrinseco aliter sentiendum) optime reducitur ad distinctionem realem, cum absolute loquendo res possit a suo modo separari, licet non e contra; tum quia ut ait Doctor 2. d. p. qu. 5. §. *quod si adhuc*, licet modus rei extrinsecus, ut seditio, ubi, unio, &c. non sit ita res, sicut illa, cujus est modus, non tamen nulla res est, sicut nec ullum ens, quia tunc nihil esset, quod repetit quol. 3. ab initio, unde concludit ibidem hanc esse de nomine contentionem, num scilicet distinctio inter rem, & talem modum sit dicenda realis, vel modalis, quia juxta varias entitatis, & rei acceptiones potest hæc distinctio vocari realis, vel modalis, ut fufus in quæstionibus.

131 Ex alio itaque solidiori fundamento admittenda nobis est distinctio quedam media inter realem simpliciter dictam, & rationis, cum Scoto 1. d. 2. q. 7. §. *Sed hic restat*, & d. 8. q. 4. quæ dici consuevit in nostra schola distinctio ex natura rei formalis: dicitur quidem distinctio ex natura rei ut fecernatur a distinctione rationis, quæ fit per opus intellectus; dicitur vero formalis, ut fecernatur a distinctione reali, ac entitativa proprie dicta, quæ versatur inter rem, & rem, at hæc media, de qua loquimur, versatur inter formalitatem, & formalitatem, quæ plerumque in eadem re physica inveniuntur immerse per realem identitatem, quæ ratione etiam alio nomine dicuntur realitates derivato a re vocabulo cum diminutione, ut ostendatur illas non esse proprie res diversas, quia non habent diversas existentias, sed potius plures ejusdem rei realitates, & aliquitates, quæ cum adhuc habeant diversas rationes conceptibiles, & definibiles secluso quocumque opere intellectus, non enim esse in intellectu dat illis rationem formalem quidditativam, sed talem habent a parte rei, ut habet Doctor quol. 1. lit. Q. consequenter etiam fundare dicuntur distinctionem ex natura rei formalem, majorem quidem distinctione rationis, quia habet esse præter opus intellectus, sed minorem distinctione reali, quia non est inter rem, & rem, id est inter aliqua duo, quibus diversæ correspondeant existentia, sed inter realitatem, & realitatem, quæ licet habeant proprias rationes formales conceptibiles, non tamen habent diversas existentias, sed singulæ unica existantia, nimirum illius rei, cui identificantur. Confirmatur adhuc, & magis explicatur hæc communis doctrina Scotistarum ex Doctore desumpta 2. d. 3. q. 1. nam in una, ac eadem re physica multæ reperiuntur formalitates, & realitates immerse per identitatem, ut v. g. in homine ratio substantiæ, corporis, animalis, rationalis, risibilis, &c. quæ etiam dici solent gradus metaphysici, ut per hoc ostendatur non esse proprie res diversas, sed potius plures ejusdem rei gradus, isti vero gradus in homine licet proprias non habeant existentias, sed omnes, & singulæ existant ad existentiam ipsius hominis; ideoque diversæ res dici nequeant, nec proprie fundare distinctionem realem, ac entitativam: adhuc tamen habent diversas rationes conceptibiles, & definibiles, ut constat de animalis, & rationalis, neque enim hæc duo diversas habent rationes, quia sic apprehenduntur ab intellectu, sed potius ab intellectu attinguntur, ut in suis conceptibus diversa, quia talia sunt a parte rei, ut aiebat Doctor quol. 1. Q. ergo inter tales realitates, & formalitates rationabiliter alia distinctio poni non potest, quam formalis ex natura rei: non enim esse potest distinctio rationis, quia distinguuntur citra omnem intellectus operationem, neque distinctio realis, quia non est inter plures res, seu plura entia propriam existentiam habentia, erit ergo distinctio media inter utramque. Neque valet, quod solent dicere Thomistæ inter hæc sufficere distinctionem rationis ratiocinatæ, & cum fundamento in re, quia hæc distinctio non datur actu, & formaliter a parte rei, sed tantum fundamentaliter, & virtualiter: completur vero, & actuatur per opus intellectus: at gradus metaphysici prædicti, pariter subiectum, & passio, distinguuntur actualiter præter opus intellectus, nam citra quamque intellectus operationem, alia formaliter est ratio animalis, alia ratio risibilis, vel rationalis.

Dicendum itaque, quod si per distinctionem realem intelligamus illam, quæ immediate, & a toto genere fecernitur a distinctione rationis, ut nimirum est illa, quæ datur ex natura rei, & præter opus intellectus, sic inter distinctionem realem, & rationis nulla datur media distinctio, quia distinctio formalis ex natura rei continetur sub distinctione reali sic explicata, ut quedam species: At si per distinctionem realem intelligatur illa sic proprie dicta, quæ versatur nimirum inter rem, & rem, seu inter extrema diversas existentias habentia, five ab invicem separari possint, five non; sic utique inter distinctio-

nem

nem realem, & rationis admittenda est distinctio media, quæ versatur inter plures realitates, seu formalitates ejusdem rei modo jam explicato; & sic dantur tria genera distinctionum, ad quæ alia omnia excogitabilia reduci poterunt, nempe genus distinctionis realis, distinctionis formalis, & distinctionis rationis: distinctio realis constituitur in suo esse per diversitatem, seu alietatem existentiarum in suis extremis: distinctio formalis per diversitatem rationum formalium, seu conceptuum obiectivorum: & tandem distinctio rationis per diversitatem considerationis nostræ, five cum fundamento in re, five non; & hæc attingit sufficit pro capacitate Tyroneum, de quo fufus a gemus infra disp. 1. quæst. 5. art. 2. & fufus adhuc disp. 6. Metaph.

DIALECTICARUM INSTITUTIONUM PARS POSTERIOR.

De attentibus ad materiam syllogismi.

QUÆ ad formam syllogisticam spectant, explicuimus; restat, ut materiam, in qua confici solet ipse syllogismus, quæ ratione materiam, circa quam nuncupatur, declarem, & quoniam triplex est, necessaria, contingens, & impossibilis, ut diximus in 1. p. tract. 2. c. 4. unde tres dantur species syllogismi ratione materie, puta syllogismus demonstrativus in materia necessaria, topicus in materia contingenti, & sophisticus, vel apparens in materia falsa, seu impossibili, ut inimus 1. p. tract. 3. cap. 11. idcirco pars ista in tres tractatus pariformiter subdividitur. Quamvis autem nec Petrus Hispan. nec alii Summalistæ in Logico Institur. de syllogismo demonstrativo agere soleant, jam dictum est in Prolog. ad has Instit. hoc non fuisse mysterium, sed defectum, atque ideo in hoc vestigiis eorum non est reverendum, sed specialis quoque debet institui tractatus de syllogismo demonstrativo, sicut instituitur de Topico, & Elencho, ut bene advertit Jo. Caspar. in sua Dialect. tract. 7. ab initio.

TRACTATUS PRIMUS

De syllogismo demonstrativo.

CAPUT I.

De præcognitionibus, & præcognitis.

INter omnes syllogismi species principem locum obtinet demonstratio, utpote quæ in materia necessaria conficitur, & quia ex terminis, & propositionibus constat, sicut cæteri syllogismi, non tamen ex quibuscumque, a gradum erit de conditionibus terminorum, & propositionum demonstrationem integrantium, ac de ipsa demonstratione, ejusque effectu, quæ est scientia, & jure merito, nam omnis doctrina, & omnis disciplina discursiva, inquit Arist. in princ. lib. Post. fit ex præexistenti cognitione, id est omnis cognitio illata propositionis, & conclusio præsupponit cognitionem alterius propositionis inferentis; sicut sunt præmissæ, in quibus virtualiter continetur conclusio, cum discursus sit illatio alicujus ignoti ex notiori; quapropter ad exactam cognitionem adipiscendam conclusio demonstrativæ aliqua præcognosci debent, ut sunt termini, & præmissæ ex illis formatæ, videndum est igitur primo, quæ debeant esse præcognita, & quid de illis præcognosci.

2 Præcognitio sumi potest dupliciter; vel formaliter, & sic dicit cognitionem alicujus necessario prærequisitam ad cognitionem alterius, vel objective, & est obiectum terminans talem cognitionem, quomodo significat modum cognoscendi rem aliquam ab intellectu, & sic sumitur in præsentia. Quinque autem sunt modi cognoscendi, primus est *quid nominis*, secundus, *an res sit*, tertius, *quid res sit*, quartus, *qualis res sit*, quintus, *propter quid res sit*, quorum posterior præsupponit priorem, ut enim sciamus, quod homo sit, debemus præcognoscere, quid importetur per hoc nomen *homo*, unde quia modus præcedens respectu sequentis est præcognitio, & sequens est quæstio, fit quod primus modus, *quid nominis*, dictus semper erit præcognitio, & ultimus modus erit quæstio, numquam præcognitio: quatuor igitur in specie erunt præcognitiones, sed possunt ad duas in genere reduci, ut facit Arist. 1. Post. cap. 1. *Quid est*, & *Quod est* primus modus subdividitur in *Quid est nominis*, *Quid est rei*; etenim de re aliqua duplicem possunt habere definitionem, & conceptum, confusum scilicet, & distinctum: primus dicitur *Quid nominis*: secundus *Quid rei*. Secundus modus subdividitur, in

Quod est simplex, & *incomplexum*, quod significat esse rei, vel essentia, vel existentia, five aptitudinalis, five actualis, & in *Quod est compositum*, & *complexum*, significans veritatem propositionis, & præmissarum.

Dices, quatuor sunt quæstiones ex 2. Post. c. 1. ergo quatuor suppositiones, seu præcognitiones, quia quæstio unum quærit, & aliud præsupponit. Tum quia tria sunt præcognita ex 1. Post. c. 1. ergo tres præcognitiones, quia præcognitio, & præcognitum sunt relativa. Resp. esse quatuor in specie, & duo in genere. Ad 2. negatur consequentia, ad probat. dicimus præcognitum, vel dicitur denominationem ex actu cognitionis provenientem, & sic cognitio, & obiectum cognitum possunt dici relativa, & tot esse actus, quot objecta cognita; vel dicit rem cognitam, & præcognitio modum cognoscendi, & sic proprie non sunt relativa, nam idem modus potest pluribus rebus convenire, & eidem rei plures modi.

3 Præcognitum dupliciter sumi potest, Primo, ut dicit obiectum terminans actum præcognitionis, & hoc *Quid est*, & *Quod est*, præcognita dici possunt; secundo, ut dicit rem illam, quam intellectus concipit sub modis cognoscendi assignatis, & de qua percipit *Quid est*, & *Quod est*, & in hoc sensu sumitur in præsentia; & sunt tria, subiectum, passio, seu prædicatum, & dignitas, five principium; ratio hujus est, quia conclusio demonstrativæ potissimæ (de qua loquitur Arist. dum præcognita enumerat) constat ex subiecto, & passione, ergo quia cognitio terminorum præsupponitur cognitioni propositionum, subiectum, & passio ante conclusionem debent præcognosci: & quia conclusio ex principis inferitur; etiam præmissæ debent esse præcognitæ, quæ dignitas largo modo dicuntur, dignitas enim proprie de primis principiis dicitur.

Institis ante conclusi. debent præcognosci constructio demonstrationis in modo, & figura, vis illativa, & medium, ergo plura præcognita, quam tria. Tum. 2. quia subiectum, & passio integrant principia, ergo non sunt præcognita ab illis distincta. Tum. 3. aliquando in demonstratione concluditur aliquid prædicatum essentiale, vel accidentale per aliam causam tanquam per medium, vel per passionem ipsam, ergo passio non est semper præcognitum. Resp. ad 1. hoc loqui de præcognitis ad materiam demonstrationis pertinentibus, non ad formam, qualis est constructio in modo, & figura, & vis illativa: Medium autem, cum sit in demonstratione potissima definitio subiecti; potius erit præcognitio, quam præcognitum, ut dicemus. Ad 2. quamvis integrent principia, non tamen eadem præcognitione præcognoscuntur, ut in principiis unita, & seorsim sumpta, ut statim declarabimus. Ad 3. assignata præcognita sunt demonstrationis potissimæ, in qua passio semper per suam causam concluditur de subiecto. Vel dicimus idcirco assignasse nos secundum præcognitum esse passionem, aut prædicatum, nam per istud intelligitur omne id, quod de subiecto in conclusione demonstratur.

4 Applicando præcognitiones præcognitis, dicimus primo de dignitate non debere præcognosci nisi, *Quod sit complexum*, scilicet, quod sit vera: ratio est, quia & si dignitas, ut dicit unam secundam intentionem propositionis, sit quid incomplexum, & habeat quid nominis, & quid rei: attamen si exercite sumatur, ut dicit aggregationem illorum terminorum per copulam unitorum, non habet *Quid est* five nominis, five rei, neque *Quod est* simplex, hæc enim omnia incomplexum conveniunt, & in tali acceptione sumitur, cum inter præcognita numeratur, quia ut sic infertur conclusioni, non vero ut dicit illam secundam intentionem, ita Doctor 1. Post. q. 5. necesse est igitur præcognoscere, quod principia demonstrationis sint vera, & etiam principia illa communissima ab omnibus concessa, qualia sunt *De quolibet verum est affirmare, vel negare, necesse est quolibet vel esse, vel non esse*, ad quæ principia omnia alia resolvuntur, utraque enim intellexit Arist. nomine dignitatis.

De passione certum est, non debere præcognosci, *Quod sit complexum*, neque *Quid rei*, quia in definitione passionis ingreditur subiectum, & explicatur inherencia passionis in subiecto, hoc autem concluditur per demonstrationem; deinde certum est præcognosci de ipsa *Quid nominis*, hæc enim est prima omnium præsuppositio, neque potest de aliquo ulla quæstio moveri, nisi saltem confuse cognoscatur, quid per tale nomen intelligitur. Dubium tamen est, an debeat præcognosci *Quod sit complexum*, seu ipsius existentia: & quidem in aliqua demonstratione est evidens præcognosci, ut cum a posteriori, & per sensum cognoscimus effectum, v. g. echlypsum, & postea per causam a priori demonstramus; attamen non est hoc semper in omni demonstratione necessarium, eo quia potest aliquando dubitari de passionis existentia, & tamen de subiecto demonstrari, ut est eternitas motus, divisibilitas quantitatis in infinitum, &c. quæ ratione Arist. asseruit de passione *Quid nominis* præcognosci, quia locutus est de præcognitione, quæ in omnibus intervenit demonstrationibus, non negavit tamen, quin aliquando etiam an sit de passione præsupponatur.

Dices, de subiecto in tantum præsupponitur an sit, quia nemo quærit, an ipsi talis passio conveniat, nisi ipsum sup-

supponeret possibile, ergo nemo quæreret, an passio subiecto conveniat, nisi ut possibilis præcognoscatur. Tum quia quid est præsupponit an sit, ergo si de passione præsupponitur Quid est, etiam an sit. Tum. 3. in majori propositione passio unitur cum medio termino, ergo ante conclusionem præsupponitur existere. Resp. ad 1. negando paritatem, quia subiectum est id, de quo quæritur; & ideo præsupponi debet habere aliquod esse, ac passio, seu prædicatum est id, quod quæritur, an conveniat subiecto, ideoque potest dubitari an sit in rerum natura, eo vel maxime quod existentia passionis est inexistens in subiecto, unde non potest recte præsupponi esse, nisi in subiecto. Ad 2. assumptum est verum de Quid est rei, non de quid est nominis. Ad 3. talis cognitio non convenit passioni in se, & absolute, sed in ordine ad propositiones, & præmissas, ideoque non debet assignari, ut præcognitio propria passioni, ut distinctum est præcognitum a præmissis. Expeditus tamen erit asserere de passione debere etiam an sit præcognoscere faltem confuse, & Arist. idcirco præterisse, quia in demonstratione distincta ostenditur, & perfecte ipsius inexistens in tali subiecto; quod etiam multi tenent, ut Moris. disp. 2. Log. qu. 3. & insinuant Compl. disp. 17. qu. 2.

5 Tandem de subiecto non præsupponitur, quod sit complexum, seu quid nominis, deinde quod sit complexum, & ipsius existentia, nam an sit præcedit quale sit, & propter quid sit, tum quia subiectum est bas, & fundamentum totius demonstrationis, ergo præsupponi debet existere. Præsupponitur quoque Quid rei in demonstratione positivissima, nam in hac medium est quidditas, & definitio subiecti, ut dicemus, ergo debet ante præcognosci; non negamus tamen, quin in demonstratione a posteriori, & quidditas, & existentia subiecti possint esse quæstiones, ut dicemus in disputationibus, cum de conditionibus subiecti scientia loquimur.

Potest igitur hæc tota doctrina exemplo declarari: si quæreretur, an homo sit risibilis, ut talis propositio probetur, oportet præcognoscere, quid significetur per ista nomina homo, & risibilis, & quod homo sit ens aliquod possibile, deinde quia medium demonstrandi risibilitatem de homine est definitio hominis, quæ est animal rationale, ideo debet etiam de homine præcognosci quid rei. His præceptis intellectus procedit ad formandam demonstrationem demonstrando conclusionem per præmissas, de quibus debet esse certus, quod sint veræ, & non falsæ, nam ex falsis nequit ostendi verum; ex dictis p. p. tract. 3.

C A P U T II.

De scientiæ demonstrationis effectu.

1 **U**T naturam, & proprietates demonstrationis cognoscamus, effectum ipsius, quod est notitiam parere scientificam, investigare debemus. Et primo, quod datur in nobis de novo notitia certa, & scientifica de aliqua re; probatur adversus sophistas omnem scientiam negantes, & contra Platonem admittentem quidem scientiam, sed non de novo: putabant enim animam nostram ab initio suæ creationis omnibus scientiis fuisse decoratam, at infusione in corpus ex consortio sensuum omnium oblitam, sed paulatim, inde succedentibus occasionibus ab externis excitari, & eorum, quæ sciebat, reminisci, unde inferebat nostrum scire esse quoddam reminisci. Quod datur; probatur experientia, aliqua enim certo scimus per causas, cognoscimus etiam certo aliqua principia, ex quibus deinde alia evidentur deducere possumus. Tum quia habemus naturalem appetitum ad cognitionem rerum per causas, ergo non debet esse totaliter frustra, ut nulla in nobis datur scientia. Tum quia, vel hoc, quod est nos nescire omnia, certo scitur, vel non; si secundum, ergo non debet totaliter negari scientia; si primum, ergo jam in nobis datur certa, & evidens notitia nostræ ignorantæ; & consequenter scientia, quia esset notitia alicujus per causam. Deinde quod de novo generetur, præter quam quod est de fide, quia anima nostra in eo instanti in quo creatur, corpori unitur, ut determinatum fuit in Conc. Lat. sub Leone X. probatur adhuc, nam quorum reminiscimur, non solum recordamur de illis, verum etiam sæpe de ipso cognitionis actu, at nunquam in acquisitione primaria notitia rerum recordamur habuisse de illis cognitionem aliquam. Tum quia nullus posset esse error in intellectu, quia phantasma solum excitaret species ab initio infusas, quæ non nisi veram cognitionem parere possent. Quapropter intellectus noster a principio est tamquam tabula rasa, in qua nihil est depictum, sed impotentia ad omne intelligibile, sicut tabula ad recipiendam quamlibet picturam, & potest vel totaliter abintrinseco, & propriis viribus acquirere scientiam alicujus rei, ut cum ipse solus per inventionem aliqua cognoscit; vel partim ab extrinseco, quando scilicet, non est bene dispositus, & indiget Doctore tamquam excitante, & applicante principia ad inferendam conclusionem.

Objic. quod non datur rerum scientia. Tum quia intellectus movetur a sensu, sensus autem fallitur, ut patet:

Tum 2. quia scientia est de æternis, & certis, res vero sunt corruptibiles; Tum 3. quia non attingimus naturas rerum, sed potius per quasdam similitudines illas percipimus, ergo non habemus veram de ipsis notitiam. Tum 4. quia de omnibus dubitari potest etiam de illo primo principio scilicet, Quodlibet necesse est esse, aut non esse, nam multi hoc negarunt, ut refert Arist. 4. Met. 9. Resp. ad 1. nec semper sensum falli circa proprium objectum, quando est bene dispositus; nec intellectum necessario se qui apprehensionem sensus, sed proprio lumine, & aliorum sensuum ope posse errorem alicujus corrigere. Ad 2. non concludit univ ersaliter, nam dantur res æternæ, & adhuc dicimus non requiri ad scientiam æternitatem rerum in existendo sed in essentia, puta, quod propositiones sint sempiternæ veritatis, ut infra. Ad 3. species intelligibiles sunt rerum similitudines naturaliter repræsentantes, ideoque per ipsas vere naturas rerum attingimus. Ad 4. non debemus ob aliquorum imperitiam, imo petulantiam negare omnem notitiam certam, & evidentem.

Objic. 2. quod non datur scientia de novo; nam cum aliquid quærimus, vel illud scimus, & sic nil de novo cognoscimus, vel illud ignoramus, & sic nunquam poterimus cognoscere, sicut si servus alicujus auferat, si quippiam antea illum novisset, inveniet, si occurreret, at si nullam habuit notitiam, etiam occurrentem non cognosceret. Tum quia si conclusio scitur per præmissas, aut secundum se, aut applicatas in modo, & figura; non primum, quia sic scientia non haberetur per demonstrationem, nec secundum, quia talis applicatio, vel est nota ante demonstrationem addicenti, & sic ipsi nota quoque erit conclusio, vel ignota; ergo non posset ducere in cognitionem conclusionis. Resp. ex Arist. 1. Post. 1. quod conclusionem ante demonstrationem noscimus confuse, & imperfecte in suis principis, in quibus virtualiter continetur, & virtute luminis intellectus sit nota perfecte, & distincte, sicut res, quæ non est, virtute alicujus causæ producitur in esse. Ad 2. conclusio scitur per præmissas applicatas, quæ applicatio fit nota intellectui prius naturæ, quam conclusio, statim enim ac minor additur majori, intellectus deducit conclusionem, & præmissæ notæ sunt ex terminorum cognitione; omnis enim doctrina, & disciplina discursiva ex præexistenti fit cognitione.

7 Hæc igitur scientia definitur ab Arist. 1. Post. c. 2. in concreto, tali pacto: *Scire prius non per causam cognoscere, propter quam res est, quod illius est causa, & non contingit aliter se habere*, hæc est definitio scientiæ propriissime dictæ; scire enim tripliciter potest accipi communiter, & dicit evidentem comprehensionem veritatis, quomodo ad contingentia se extendit, ut cum cognoscitur Petrus currere, secundo proprie, & dicit evidentem comprehensionem veræ propositionis, quæ nequit esse falsa, & sic solum necessaria sciuntur; tertio propriissime pro evidenti cognitione alicujus veritatis necessariae per causam, & sic sumitur in præsentibus; *ly cognoscere* stat loco generis, extenditur enim ad quamcunque cognitionem, etiam sensitivam, additur *per causam*, ad differentiam eorum, quorum cognitionem non habemus per causam, ut est cognitio principiorum, & cognitio a posteriori, & per effectum, additur *propter quam res est*, quia multæ sunt causæ, sed ad scientiam solum concurrere debet illa causa, quæ est propria illius rei, & proxima, quia posita ponitur effectus, & qua remota removetur, subditur *quod illius est causa*, quia nedum oportet, quod illa causa sit causa proxima, sed requiritur, quod intellectus sciat effectum a tali causa pendere; tandem additur, *& non contingit aliter se habere*, quia requiritur, ut intellectus nullatenus dubitet de effectu, quod a tali causa proveniat, imo quod sit prorsus impossibile, ut aliter se habeat: hic scientia nostra dicitur notitia certa evidens, per causam proximam, & nota fieri per discursum syllogisticum.

8 Istam scientiam Arist. 1. Post. cap. ult. læcernit ab aliis habitibus intellectus, & cognitionibus, & primo differt a cognitione sensitiva, quia sensus est singularium; scientia vero universalium, quæ sub sensu non cadunt. Secundo differt ab opinione, quia scientia est de necessario, quod non potest aliter se habere, estque assensus conclusionis sine formidine de opposito, opinio vero est de contingenti, quod potest aliter se habere, & dicitur assensus conclusio sine formidine de opposito. Verum est tamen, quod licet idem intellectus nequeat simul habere scientiam, & opinionem de eadem re, respectu ejusdem, quia implicat simul existimare aliter, & non aliter se posse habere; potest tamen idem objectum esse scibile, & opinabile diversa ratione, ut homo est scibilis secundum risibilitatem, opinabilis secundum justitiam. Differt etiam ab aliis habitibus intellectualibus; quinque enim sunt habitus intellectus, scilicet, intellectus, sapientia, scientia, prudentia, & ars, ars est circa factibilia, & externa opera, prudentia est circa agibilia in eodem principio recepta, ut velle, cogitare, &c. & isti habitus versantur circa contingentia, ceteri circa necessaria, quæ vel sunt deducta ex principis, ut sunt conclusiones, & est scientia, vel sunt principia, & hoc dupliciter, vel sunt principia demonstrationis tantum, & cognitio horum vocatur intellectus, vel sunt

sunt principia etiam entium, & sic est sapientia, quæ non solum principia complexa communissima contemplatur, sed etiam altissimas causas considerat.

Quia vero habitus specificatur ab actibus, & actus ab objectis, hinc scientia suas condiciones, ut unitatem, certitudinem, nobilitatem, &c. sumit a proprio objecto, ita ut unus objecti una est scientia, & quæ est de objecto simpliciori, & magis a materia sensibili abstracto, nobilior, & certior est ea; quæ circa objectum magis compositum, & minus a materia sensibili abstractum versatur, sic disciplinæ mathematicæ certiores sunt naturali philosophia propter objectum magis abstractum, qualis est quantitas, & arithmetica est certior musica, quia illa considerat numerum simpliciter, hæc numerum sonorum. Et quia objecta alia sunt disparata, alia vero subordinata ad invicem, hinc etiam alia scientiæ sunt omnino disparatæ, ut arithmetica, & medicina: alia subordinatæ, & quæ est prior, dicitur subalternatæ, quæ posterior, dicitur subalternata, illa probat principia scientiæ subalternatæ, hæc accipit sua principia ab illa, quibus procedit ad alias conclusiones demonstrandas; sed de his omnibus futuris in questionibus.

9 Verum quia oppositorum eadem est disciplina, & quod iuxta se posita magis elucet, cum ignorantia scientiæ opponatur, ejus natura, & causæ erunt explicandæ, ut facit etiam Arist. in 1. Post. c. 12. & 13. Duplex est ignorantia, alia paræ negationis, & est privatio, & carentia scientificæ cognitionis, alia pravæ dispositionis, & est positiva, & prava mentis affectio, quæ opinatur oppositum veritati, & vocatur error. Hæc causatur in nobis, vel per erroneam apprehensionem, ut si quis apprehendat auriscalcum, ut aurum, vel per sophisticum syllogismum, ut cuiusvis falsæ assentitur conclusioni; ignorantia paræ negationis interdum causatur ob defectum alicujus sensus a nativitate; nam cæcus a nativitate licet possit habere notitiam aliquam imperfectam, & confusam colorum, nunquam tamen perfectam, & distinctam, ratio est, quia scientiam non habemus nisi per inductionem, vel demonstrationem, & utraque a sensu dependet; nam inductio procedit ex singularibus, quæ sensu cognoscuntur; demonstratio ex universalibus, quæ per suas singulares intelliguntur, ergo deficiente aliquo sensu, deficit scientia perfecta objecti illius sensus. Hinc deducitur illud axioma, *Nihil est in intellectu, quod prius non fuerit aliquo modo in sensu*; & dicitur aliquo modo, quia non requiritur, ut res in seipsa sensu percipiatur, sed sufficit vel per suos effectus, quomodo cognoscitur Deus per creaturas, vel per similitudinem, ut Petrus absens per Paulum præsentem ejus fratrem, vel per partes, quas intellectus potest conjungere, ut qui vidit montem, & aurum, potest effingere montem aureum, vel aliquo alio modo, de quo Doctor in p. d. 3. q. 1.

C A P U T III.

De necessitate principiorum, ubi de modis perfectiatis.

10 **P**incipium demonstrationis definitur ab Arist. 1. Post. cap. 2. quod sit propositio immediata, quæ, scilicet, non est altera prior, per quam demonstratur, ut est hæc, omne animal rationale est risibile; quod principium est duplex, unum dicitur dignitas, alterum dicitur positio, dignitas est propositio immediata, & indemonstrabilis, quam necesse est noscere, qui aliquam scientiam vult adficere; tales sunt propositiones per se notæ: dicuntur dignitates, quia propter maximam evidentiam, quam continent, dignissimæ sunt, ut ab omnibus tamquam veræ censeantur; vocantur etiam maximæ, quia ad probandas quamplures propositiones inserviunt, hujusmodi sunt in Metaphysica *De quolibet verum affirmare, vel negare, de nullo ambo, similiter in Mathematica omne rotam esse majus sua parte, si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent sunt æqualia*. Positio est propositio immediata, & indemonstrabilis, quam scire non est necesse, qui aliquam scientiam acquirere instituit, sed sufficit, ut a Magistro illam accipiat, ut addicens philosophiam non est opus, ut sciat definitiones naturæ, motus, corporis naturalis, &c. Verum est tamen, quod positio non solum hanc propositionem indemonstrabilem, sive affirmativam, sive negativam significat, sed etiam definitionem, quæ rei quidditatem explicat absque affirmatione, & negatione, definitio enim est ut in propositione sumitur, affirmat, vel negat, attamen si in seipsa spectetur, nullam dicit affirmationem, vel negationem, sed tantum genus, & differentiam, ut definitio hominis dicit *animal rationale*; dicitur quoque definitio positio, quia in initio scientiarum ponitur ad instar propositionis, quæ postea utendum est in progressu.

11 Præcipua proprietates principiorum demonstrationis est, quod sint necessaria, nam si conclusio, & scientia est de necessariis, etiam principia, quia licet ex præmissis falsis contingat colligi conclusionem veram, & ex non necessariis necessaria, attamen id fit non tamquam ex falsis, & non necessariis, alioquin effectus nobilior esset sua causa, sed propter formam syllogisticam. Hanc necessitatem, & proprietatem declarat Arist. cap. 4. ponens tres condi-

tiones, vel potius tres gradus necessitatis concurrentes ad constituendam necessitatem principii demonstrativi.

Prima conditio, seu primus gradus necessitatis est, ut sit *de omni*; propositio de omni est, in qua prædicatum dicitur de quolibet contento sub subiecto, & pro quolibet tempore, ut omnis homo est coloratus, ista vero, omnis homo disputat, omnis homo comedit, non sunt de omni, nam primæ deficit prima conditio, & secundæ secunda; unde licet ad propositionem de omni prioristico sufficiat universalitas subiectorum, tamen ad propositionem de omni posterioristico ultra illam, requiritur universalitas temporis.

Secunda conditio, seu secundus gradus necessitatis est, ut sit *per se*; propositio per se est, in qua prædicatum per se convenit subiecto, non per accidens, quæ conditio ut explicetur, adnotari debent quatuor modi dicendi per se ab Arist. capit. 4. assignati. Sed prius supponendum, quod prædicatio est duplex, alia directa, & naturalis, & est, cum id, quod a parte rei subicitur, est etiam in propositione subiectum, & quod a parte rei inest illi, est in propositione prædicatum, ut homo est animal; alia indirecta, & non naturalis, cum e converso, quod re vera subest, in propositione prædicatur, & quod inest, subicitur; & ratio hujus est, quia in propositione prædicatum tribuitur subiecto, illicque convenire enunciatur, ergo subiectum se tenet in propositione per modum habentis, & continentis, & prædicatum per modum habiti, & contenti, ergo illa propositio erit directa, & naturalis, quæ conformis erit rebus, ut se habent a parte rei, & ut sunt ordinatæ. Rursus accipiendum ex Doct. 2. d. 3. q. 4. sup. E. & 3. d. 7. q. 1. D. & d. 22. M. 4. d. 11. q. 3. FF. & quol. 13. AA. quod quando aliquid est in se repugnans, vel ens per accidens, non potest de aliquo dici per se, nec de ipso aliquod prædicatum per se potest enuncari, unde istæ propositiones non erunt per se, homo irrationalis est animal, homo albus est rationalis, homo est animal coloratum, &c. & ratio est, quia quod in se est repugnans, vel per accidens, semper erit tale, cuiusque comparetur, cum comparatio non tollit rei comparatæ, quod intrinsece, & formaliter illi convenit, ergo si est impossibile, & repugnans, vel per accidens, nihil de ipso dicitur possibile, & per se. Verum est tamen, quod illæ propositiones, in quibus prædicatur natura horum impossibilium, vel entium per accidens; reductivè possunt dici per se, ut chymera est impossibilis, vacuum est nihil, homo albus est ens per accidens: ratio est, quia sicut ista entia dicuntur habere propriam naturam, habita comparatione ad vera entia, & similitudinariæ, ita etiam suo modo possunt in ipsis fieri prædicationes per se. His perceptis.

12 Primus modus dicendi per se est, cum prædicatum est definitio, vel ingrediens definitionem subiecti, ex quo aliqui deducunt omnia prædicata, quæ definitionem ingrediuntur tam in recto, quam in obliquo, sive sint de essentia definiti, sive aliquid additum, per se prædicari in primo modo de definito, unde concedunt has esse per se primi modi, homo est animal, homo constat ex anima, & corpore, quæ sunt partes essentielles hominis in obliquo de ipso prædicantes, risibile est homo, pater est filii pater, & similes, nam homo ingreditur, ut subiectum definitionem risibilis, & filius ut correlativum in definitione patris, & probant ex ipso Arist. qui asserens exempla primi modi, ait, ut cum linea prædicatur de triangulo, & punctum de linea; et quamvis linea sit pars essentialis trianguli, & in obliquo de ipso dicatur, punctum tamen non est pars essentialis, nec de essentia lineæ, & solum definitionem lineæ ingreditur tamquam terminus, & quid extrinsecum, ad quod essentialem dicitur habitudinem: ergo quia quodlibet accidens essentialem dicitur ordinem ad subiectum per quod definitur, & relativum ad correlativum, istæ propositiones erunt in primo modo. Insuper quia non est major identitas, quam ejusdem ad seipsum, hanc propositionem, homo est homo, in primo modo collocant ex Arist. 5. Met. 23. & 2. Perier. cap. 4. ubi bonum dicit esse per se bonum, & citatur Scotus 1. Post. quæst. 19. & Tromb. cum Formalistis in tract. de Form. art. 3. Tandem quia naturæ communes sunt de essentia singularium, de ipsis prædicantur etiam in primo modo.

Alii ex opposito non solum negant, quæ in obliquo definitionem ingrediuntur, ad hunc modum pertinere, sive sint de essentia, sive quid extrinsecum, verum etiam negant transcendentia in primo modo prædicari de inferioribus, quia non se habent ad modum formæ inexistens, propositiones quoque identicas eadem ratione, & quia non sunt naturales, neque demonstrationi possunt inservire, cum non explicent causam, cur prædicatum subiecto conveniat, & demonstratio procedat ex causis: prædicationis item universalium de singularibus removent ab isto modo, quoniam non sunt de omni, cum sint particulares, omnis autem propositio per se debet esse de omni posterioristico, sicut secundus gradus necessitatis præsupponit primum, solum ergo propositiones, in quibus subiectum de proprio definito, ut sunt genus, & differentia respectu speciei, in hoc primo modo reponunt.

13 Dicimus tamen, quod proprie loquendo illæ propositiones erunt per se primi modi, in quibus prædicata sunt de essentia subjecti universalis, sive in recto, sive in obliquo, sive prædicamentalia sunt, sive transcendentia; at quando non sunt de essentia, quamvis ingrediatur definitionem, non constituunt propositionem per se: reductive vero ad hunc modum spectant prædicationes universalium de singularibus, ejusdem de se ipso, & propositiones negativæ, in quibus remouentur a subjecto prædicata opposita prædicatis illis convenientibus in primo modo: explicantur, & probantur singula; & primo quod prædicata essentialia in recto per se in primo modo prædicentur, patet ex communi consensu, & ex Arist. hic, & ex Doct. 3. d. 7. qu. 1. D. & 1. Post. qu. 20. quia hæc est major necessitas, quæ possit inter prædicatum, & subjectum reperiri, cum sint de quidditate subjecti, & idem de prædicatis essentialibus in obliquo dicendum, & de transcendentibus etiam, quale est ens, quod vere in quid de suis inferioribus prædicatur, ut docet Doct. 1. d. 8. qu. 3. T. & vere ens concipitur ad modum alicujus formæ Metaphysicæ inclusæ in suis inferioribus quidditative, sicut cætera prædicata quidditative.

Secundo, quod quando non sunt de essentia, licet ingrediatur definitionem, non faciunt propositionem per se primi modi, habetur expresse a Doctore 1. d. 3. qu. 3. G. ubi negat ens in quid, & primo modo de suis passionibus dici, quod probat, quia prædicatum in primo modo est de essentia subjecti, at subjectum non ponitur in definitione passionis, vel accidentis, nec correlativum in definitione relativi tamquam quid essentialia, sed ut additum, & extrinsecum; eo vel maxime, quod sæpe sunt alterius speciei, imo & prædicamenti. Tum quia 1. Post. 35. prædicatio per se non convertitur in prædicationem per se, sed passio per se prædicatur de subjecto, ergo subjectum non prædicabitur per se de passione. Tum quia in tantum prædicatum per se dicitur de subjecto, quia in subjecto est causa, & ratio formalis inhaerentiae prædicati cum subjecto, qua ratione tunc fit directa, & naturalis prædicatio, quando id, quod inest, prædicatur, & cui inest, subiicitur; sed in passione non est talis ratio, nec subjectum inest passioni, nec correlativum relativo, ergo non possunt consistere propositionem per se. Solum potest inferri, quod cum passio, vel accidens dicat essentialia ordinem ad subjectum, qui ordo circumscribit nobis essentialia differentiam, idcirco non subjectum, sed talis ordo ut sic circumscribens dicitur in primo modo de accidenti; & in hoc sensu intelligendus est Arist. dum hic affert exemplum de linea ex punctis constante, punctum enim cum non sit pars essentialis lineæ, sed terminus necessario requisitus, non dicitur de linea, neque in obliquo in primo modo, sed habitudo lineæ ad punctum, ut explicans differentiam essentialia ipsius, erit prædicatum in primo modo. Hinc colligitur, quod non sufficit dicere, prædicatum primi modi est, quod ingrediatur definitionem subjecti, sed requiritur adhuc, ut ingrediatur tamquam aliquid essentialia, non tanquam additum; insuper quod quando una definitio essentialis prædicatur de altera ejusdem definiti, est vera prædicatio per se primi modi, ut animal rationale est ens substantiale, corporeum constat ex corpore, & anima, nam licet una definitio non sit de conceptu alterius, sufficit, ut sit de essentia definiti, pro quo supponit.

14 Tertio, quod illæ propositiones enumeratæ in conclusione possunt ad hunc modum spectare saltem reductive, probatur, non enim proprie spectant, ut patet ex dictis referendo opinionem oppositam de prædicationibus ejusdem de seipso, & universalis de singularibus; quod etiam dicendum est de propositionibus negativis, quia in eis prædicatum remouetur, non tribuitur subjecto, ergo non possunt dici proprie in primo modo; tum etiam quia negationes nequeunt esse de essentia, & constituere ens positivum. Restat igitur, ut solum reductive pertineant, quia universalis sunt de essentia singularium, & si ista dehiuerent, non nisi per universalis, ergo istæ prædicationes erunt in primo modo, & necessariæ. Similiter si perfectas propositiones est, quia prædicatum est in subjecto non per aliud, ita ut quanto subjectum est minus aliud a prædicato, tanto magis propositio est per se, inde magis est per se propositio, in qua tota definitio prædicatur de definito, quam si pars prædicaretur, cum non sit major identitas, quam ejusdem ad seipsum, identicæ propositiones possunt dici per se, & non nisi in primo modo. Insuper quod propositiones negativæ, &c. ad hunc modum reducuntur, patet ex dictis in Phys. disp. 4. qu. 1. art. 1. ubi cum Doctore quol. 4. E. ostendimus negationes prædicatorum simpliciter repugnantium alicui, quamvis constitutive non pertineant ad essentiam illius rei, consecutive tamen spectare, quatenus necessario consequuntur ad prædicata propria essentialia, ergo quia negatio irrationalitatis, verbi gratia concipitur in homine ad rationalitatem, quæ in primo modo dicitur de homine, etiam talis negatio ad talem modum reduci debet, ut hæc, homo non est irrationalis, suo modo sit per se primi modi, & hoc sibi vult Doct. cum 1. Post. qu. 21. asserit, quod negativa propositio est vera primo, & per se, sed dependenter ab affirmativa. Et ex his

breviter dilucida sunt, quæ sæpe disputant Formalistæ nostri tractat. Formalitat. part. 3. art. 3. de distinctione formali circa propositiones spectantes ad primum hunc modum dicendi per se, ubi præsertim contendunt de prædicatione identica, & universalis de singulari, de quo plura Aret. ibid. com. 6. quæ omnia ex dictis breviter conciliari possunt.

15 Dubitari tamen potest de modis intrinsecis, an in primo modo prædicentur per se de re, cujus sunt modi, quales sunt infinitas, & necessitas respectu Dei, finitas, & contingentia respectu creaturæ, intensio, & remissio graduum in qualitate, non enim videntur spectare ad 2. modum, in quo passio dicitur de subjecto, ut infra, quia modus intrinsecus intimior est ipsa passione, nec facit unum conceptum per accidens cum re, cujus est modus, ut facit passio cum subjecto, ex Doctore. quol. 5. C. Resp. cum Simpliciter. tract. 2. disp. 1. n. 4. ubi cit. Tatar. & Pofnan. ob rationem allatam modum proprie non pertinere ad 2. modum, sed ad primum modum, quia aliquo pacto pertinet ad quidditatem rei, quatenus perfecte, & adequate quidditas nequit concipi non intellecto modo intrinsecis; non tamen attinet ad primum gradum perfectitatis primi modi, nam intimiora sunt rei prædicata quidditative, quam modi intrinseci. Unde in hoc primo modo dantur gradus, primus est, quando tota definitio prædicatur de definito, secundus quando pars definitionis prædicatur de definito, tertius quando modus prædicatur de re, cujus est modus, & ad quartum gradum pertinent propositiones, quæ reductive in hoc primo modo collocantur.

Dices, animal non est de ratione rationalis, sed hæc propositio est per se, rationale est animal, & non nisi ad primum modum reduci videtur, ergo falsum est prædicatum primi modi debere esse de essentia subjecti; min. prob. quia est necessaria, & non per accidens, ergo per se; tum quia bene sequitur, omnis homo per se est animal, omnis homo per se est rationalis, ergo rationale per se est animal, quia ex propositionibus per se non sequitur nisi propositio per se, non per accidens. Resp. ex Scot. 4. d. 2. qu. 3. FF. quod nec genus de differentia, neque differentia per se prædicatur de genere, quod etiam docuit 1. Post. qu. 23. quia neutrum per se includitur in altero, aliter unum ipsorum esset tota definitio, & licet sit necessaria, non tamen per se propter carentiam inclusionis, sed solum est necessaria propter inclusionem in tertio, scilicet, in specie. Dicitur quoque per accidens logice, ut innuit Doct. in 3. d. 7. q. 1. D. quatenus prædicatum est extra conceptum subjecti, non metaphysice, quasi quod unum accidat alteri, vel ambo tertio. Ad aliam probationem resp. Tat. hic negando conseq. quia non est necesse, quod si extremitates uniantur cum medio sub aliquo modo speciali prædicandi, seu cum aliqua determinatione hoc denotante, quod etiam sic uniantur inter se, imo committitur fallacia accidentis, quatenus non quicquid convenit prædicato, dicitur etiam subjecto convenire, eo quod prædicatum non est omnino idem cum subjecto, vide Doctorem p. Post. cit. plura circa hoc docentem.

16 Secundus modus dicendi per se est, cum subjectum est de definitione prædicati; sed hoc non sufficit, aliter hæc propositio animal est homo, esset per se, cum animal sit de definitione hominis, quod tamen est falsum, ut habet Doct. 1. Post. q. 18. & in 4. cit. eo quia est prædicatio innaturalis, non interserviens demonstrationi, & faciunt ad hoc, quæ supra diximus, ostendendo hanc propositionem, risibile est homo, non esse per se, quare requiritur adhuc, quod subjectum sit de definitione prædicati, non ut pars essentialis, sed ut additum. Sed neque hoc sufficit, aliter accidens commune in secundo modo de subjecto diceretur, & faceret propositionem per se, non per accidens, contra Arist. hic. Quapropter exigitur etiam, quod inter illa sit necessaria habitudo causa ad effectum, ita ut subjectum sit causa prædicati, quæ habitudo, ut sit necessaria, non debet esse in genere causa materialis, nam hæc datur respectu accidentis communis, & quia hæc indifferens est ad formam, & privationem recipiendam; quantum est de se, ut habet Doct. in 1. d. 3. q. 7. S. & 2. d. 25. C. sed in genere causæ efficientis, non cuiuscumque, sed illius, quæ per emanationem causat, & propriam resultantiam, ut explicavimus in Phys. disp. 7. q. 2. quale est subjectum respectu propriæ passionis; cæteri enim effectus non habent necessariam connexionem, & habitudinem cum suis causis, quam doctrinam tradit Scot. 1. Post. q. 25. hinc alii breviter dicunt prædicationem secundi modi esse, cum passio de proprio subjecto prædicatur.

Ex quibus deducitur primo, quod si passio prædicatur de definitione subjecti, vel de differentia constitutiva, talis prædicatio erit in secundo modo, quia explicite assignatur ipsius causæ, ita Doct. in 3. d. 11. q. 3. B. Secundo, quod passio in secundo modo prædicatur de inferioribus proprii subjecti, ut cum passio generis dicitur de specie, & passio speciei de individuis; licet non immediate, & primario, sed immediate, & secundario, & hoc sibi vult Arist. cum 1. Post. 12. ait passionem generis per accidens convenire speciei, idest non immediate, ratio est, quia in inferioribus vera reperitur causa illius passionis.

Ter-

De necessitate principiorum, ubi de modis perfectitatis. 51

Tertio, quod passio inferioris nullo modo prædicatur per se de superiori, ita Doct. cit. unde hæc non est per se, animal est risibile, quia non convenit illi definitio hujus secundi modi: neque ista est per se, numerus est par, linea est recta ob eandem rationem. Quarto, quod passiones inferiorum sub disjunctione per se in secundo modo prædicantur de superiori, ut numerus vel est par, vel impar; linea, vel recta, vel curva, quoniam hæc duo sic accepta, cum sint immediata, necesse est alterum inesse, se habent enim, ac si contradictorie opponerentur, & simul cum disjunctione sumpta constituunt unum proprium de genere enunciabile: idem dici potest de ista propositione, animal aut est rationale, aut irrationale, quia dividi in species per differentias est proprietas generis.

Dices accidens semper prædicatur accidentaliter; ergo per accidens, non per se. Resp. si by accidentaliter determinat inhaerens, idest denotat prædicatum esse ens accidentale, est verum antecedens, sed neg. conseq. quia bene potest aliquid accidens necessario convenire subjecto, si determinat inhaerentiam, & connexionem: negatur conseq. Solent hic quamplures notari differentia inter primum, & secundum modum dicendi per se, & quinque enumerat Aret. citat. com. 7. sed per hoc breviter distinguuntur, quod prædicata primi modi sunt de essentia, & quidditate subjecti, non autem prædicata secundi modi; & ideo illa sunt priora, subjecto, ut constitutiva illius: ista vero sunt posteriora, ex quo oritur alia differentia, quam hic assignat Lynconiensis quod prædicatum primi modi est causa subjecti quantum ad esse, quia est constitutum ejus; sed prædicatum secundi modi est causatum a subjecto, quia dimanat, & pullulat ab eo.

17 Tertius modus communiter dicitur, quod non sit modus prædicandi, sed modus per se essendi; & varie explicatur a Doctore: Quidam enim dicunt esse modum per se essendi, hoc est solitarie existendi, quo sensu potest etiam convenire accidenti, quando non est in subjecto, quam expositionem recipit Doct. quol. 9. A. Alii hunc modum per se essendi magis coarctant, ut excludant modum essendi in alio, ut in subjecto, sive actu, sive aptitudine, quo sensu competit tantum substantiis tam primis, quam secundis. Alii adhuc magis coarctant, ut excludant modum essendi in alio, non solum ut in subjecto, sed etiam ut in inferiori, quomodo tantum primis substantiis competit, nam secundæ sunt in primis tamquam in inferioribus, unde Arist. de istis tantum exemplificavit. Zab. vero lib. 1. de propof. necess. contendit hunc esse quoque modum per se prædicandi, ita ut esse, seu existere per se dicatur de substantia in propositione de secundo adjacente, eo quia Logica non considerat modos essendi, qui sunt reales, sed modos intentionales, & prædicandi, qui demonstrationi interserviunt, quatenus per se esse enunciatur de substantia in propositione, quæ omnia probabiliter sustineri possunt.

18 Quartus modus per se ab aliquibus appellatur modus non per se prædicandi, sed per se causandi: at Arist. in text. & Doct. 1. Post. q. 52. clare illum enumerant per modos per se prædicandi fundatum tamen super modum per se causandi, & ut ait Doct. 3. d. 7. q. 1. §. Quinto videndum, quando in subjecto includitur proxima ratio inhaerentiae prædicati, licet inter ipsam subjectum, & prædicatum non sit necessaria habitudo, sed contingens, ut cum dicitur, voluntas vult, jugulatus interit: ex quo deducitur contra Cajet. hic non sumi causam, & effectum potentialiter, sed in actu: nam si potentialiter sumerentur, esset in illis necessaria habitudo, nec a secundo modo differret, ut si diceretur, voluntas est volitiva, calor est calefactivus; hæc enim prædicata sunt aptitudines, & passiones subjectorum; & quamvis effectus in actu contingenter uniantur propriæ causæ in actu quoad esse; per se tamen uniantur quoad causam, quia ab ipsa essentialiter dependet, & hoc sufficit ad constituendam propositionem non omnino per accidens, sed aliquo modo per se. Deducitur etiam per causam hic intelligi non intrinsecam, & essentialiam, quales sunt materia, & forma respectu compositi, quia istæ pertinent ad primum modum; sed extrinsecam, sive formalem, finalis, aut materialis sit: etenim forma accidentalis, ut albedo, dicitur causa formalis extrinsecæ hominis albi, pro quanto non est de ejus essentia, & iste modus secundum Scotistas habet tres gradus; Primus est, quando effectus formalis prædicatur de subjecto mediante sua causa formali, ut homo albedine est albus, albus enim est effectus formalis albedinis, & ipsa mediante dicitur de homine. Secundus, quando actus egrediens a sua causa formali prædicatur de effectu formali illius causæ illa mediante, ut album albedine disgregat, interfectione interfectione interit, interire enim est actus interfectionis, sicut disgregare est actus albedinis, & effectus interfectionis est interfectum esse, ut album est effectus albedinis. Tertius, quando effectus prædicatur de suo immediato principio, ut intellectus intelligit, voluntas vult.

At hic oritur difficultas, quia tunc quartus hic dicendi modus non videtur differre a secundo, nam prædictum est, quod cum passio prædicatur de definitione subjecti, ut

Maffrii, & Belluzi Tom. I. Logica.

cum dicimus, quod animal rationale est risibile, hæc est propositio secundi modi dicendi per se, sed in hac propositione effectus prædicatur de suo immediato principio productivo, nam risibilitas est effectus, & animal rationale ejus immediatum productivum, ergo hic quartus modus non videtur differre a secundo: Lynconiensis hic videtur concedere, quod primus, & quartus dicendi modus invicem confundantur in quibusdam eorum gradibus; Trombata vero tract. Formal. art. 3. §. pro declaratione, ut assignet horum modorum discretionem adinvicem ita discurre: Prædicatum aut est intra conceptum formalem subjecti, aut extra; si primo modo, sic est prædicatum pertinens ad primum modum dicendi per se, quia in tali modo prædicatum est de intellectu subjecti; si vero prædicatum est extra intellectum subjecti, aut habet causam intrinsecam in subjecto, aut non: si primo modo, aut illa causa enunciatur expresse, & distincte, seu explicite, aut non: si primo modo, sic habetur quartus modus dicendi per se, quia in isto exprimitur causa prædicati, ut dicendo interemptus interit per interemptionem; si vero causa non enunciatur expresse, sic habetur secundus modus, ut dicendo, homo est risibilis, ubi respectu risibilitatis non exprimitur causa, quæ est animal rationale. Sed hæc doctrina difficultatem non solvit, quia etiam exprimitur talis immediata causa risibilitatis dicendo, animal rationale est risibile, adhuc propositio pertinet ad secundum modum dicendi per se, non ergo bene per illud fecerunt hic quartus modus a secundo. Hinc idem Tromb. ibid. quasi hanc difficultatem prævidisset, aliam differentiam immediate subdit inter quartum, & secundum modum dicendi per se, nam in secundo modo in subjecto non tantum includitur proxima ratio inhaerentiae formalis prædicati ad subjectum, verum etiam illa ratio inhaerentiae est simpliciter necessaria respectu prædicati: sed in quarto modo licet includatur in subjecto proxima ratio inhaerentiae, illa tamen propositio non est necessaria, sed contingens, & isto modo dicimus, quod istæ propositiones, calidum calefacit, voluntas vult, sunt per se in quarto modo, ubi prædicatum non necessario competit subjecto, sed contingenter, quam solutionem recipit Aret. com. 9. cit. & ait esse doctrinam Scoti loc. citato 3. d. 7. quæst. 1. ubi ait, quod propositiones hujus quarti modi bene sunt per se, sed non semper necessaria, & exemplificat de ista, voluntas vult, calidum calefacit, quæ sunt contingentes, voluntas enim non vult necessario, sed contingenter, quam doctrinam rursus habet Tromb. 3. Metaph. q. 2.

Sed neque hæc solutio satisfacit, & doctrina in ea contenta, quamvis innuat a Doctore loc. citato cum mica falis adhuc intelligenda est, quia omnis perfectas aliquam infer necessitatem, nam per se excludit per accidens, quod importat contingentiam, si ergo propositiones quarti modi sunt aliquo pacto per se, debent quoque esse suo modo necessaria: & quidem hoc negari non potest, quia ut dicebamus contra Cajet. non sumuntur causa, & effectus in hoc quarto modo potentialiter, nec causa potentialiter, & effectus actualiter, sed ambo sumuntur in actu adeo ut effectus comparetur causæ, ut stat sub ipsa causalitate, ut constat in exemplis allatis, calidum calefactione calefacit, interemptus per interemptionem interit: quamvis ergo in causis contingentibus, & liberis effectus necessariam non habeat connexionem cum causa absolute sumpta, habet tamen necessariam connexionem cum ea, ut stat sub causalitate, quia ut ait Arist. 2. Phys. & 5. Metaph. causa in actu, & effectus in actu simul sunt, & non sunt, & ideo supra dicebamus, quod licet effectus in actu contingenter uniantur causæ in actu quoad esse, per se tamen, & necessario uniantur quoad causari, unde etiam ipsa voluntas, ut stat sub volitione, dicitur necessario volens, ergo in propositionibus quarti modi per se reperitur sua proportionata necessitas, ut bene ostendit Amic. tractat. 26. disp. 1. q. 12. in lib. Post. Itaque ad propositam difficultatem occurrendum est ex modo dictis, quod in isto quarto modo effectus in actu prædicatur de suo immediato principio productivo, non autem effectus in potentia, vel in aptitudine, si enim pertinet ad secundum modum dicendi per se, & ideo illa propositio animal rationale est risibile, ad secundum modum pertinet, non ad quartum, & hanc potissimum differentiam inter secundum, & quartum modum dicendi per se inter alias adnotavit Venetus, quem sequitur Amic. cit. q. 11. dub. 3. & Aret. cit.

19 Quæri hic etiam solet, an propositio per se convertatur in propositionem per se, & difficultas procedit præsertim de propositionibus primi, & secundi modi, quomodo invicem convertantur. Negant universaliter Scotus 1. Post. quæst. 18. & 1. d. 3. q. 3. lit. G. Tromb. 3. Met. quæst. 2. & tract. Formal. loc. cit. Fab. theor. 8. & alii Scotistæ passim. Cajet. autem 1. Post. cap. 4. ait aliquas converti, & aliquas non converti, ut ista est per se, reciprocantur, ait ipsas non converti, ut ista est per se, homo est animal, non tamen hæc, animal est homo; at quando termini reciprocantur, inquit propositionem per se converti in propositionem per se, licet non in eodem modo, D 2 addunt

addunt aliqui, sed quæ sunt primi modi cum convertuntur, sunt secundi modi, & e contra, ver. grat. ens est unum, homo est risibilis, sunt propositiones per se secundi modi, quod si convertantur dicendo, unum est ens, risibile est homo, sunt propositiones jam primi modi; sunt quidem propositiones per se, quia sunt propositiones necessariæ, & omnis propositio necessaria est per se, spectant vero ad primum modum, quia in illis convertentibus prædicatum est de ratione subjecti, eo quia subjectum cadit in definitione passionis; & hoc est totum Cajet. fundamentum.

Oppositum tamen cum Scoto tenendum loco citat. quod aperte docuit Aristot. ipse ex professo i. Post. cap. 18. dicens in propositionibus per se non dari convertentiam; neque valet dicere, Aristot. esse intelligendum, quod propositio per se non convertitur in eundem modum, bene tamen in diverso: nam Aristot. absolute loquitur, & non comparative, & ut constabit postea solvendo fundamentum Cajet. falsum est etiam in hoc sensu unam propositionem per se posse converti in aliam; Deinde probatur ratione ex Trombet. cit. cuiuscumque propositionis prædicatum dependet a subjecto quantum ad rationem formalem inherentiæ intrinsicam subjecto, subjectum ipsius non potest consimili dependentia dependere a prædicato, sed in qualibet propositione per se prædicatum sic dependet a subjecto, ergo e contra subjectum non potest sic pendere a prædicato, ergo per se non convertitur in per se: major patet ex Phycis, ubi probabitur non dari circulum in dependentia essentiali in eodem genere causæ; probatur minor, quia ista dependentia videtur esse ad aliquid in ratione principii formalis, quia omnis dependentia, quæ est secundum rationem formalem intrinsicam, reducitur ad genus causæ formalis. Nec rursus dicas, non sequi circulum, quia propositio per se convertitur in per se in eodem modo, sed in diverso, nam mox patebit id esse falsum, tum quia quando etiam id concederetur; adhuc daretur circulus in dependentiis essentialibus in eodem genere causæ, quia si propositio sit per se primi modi, si secundi, per seitas, & dependentia essentialis prædicati a subjecto exercetur in genere causæ formalis. Demum jam supra dictum est, concediturque ab ipso Cajet. prædicationem per se debere esse directam, & naturalem, sed propositiones convertentes assignatæ ab ipso continent prædicationes indirectas, & innaturales, ut constat, ergo, &c. Conf. ad hominem, quia ipsemet Cajet. ibidem ea ratione negat esse propositionem per se, cum inferius prædicatur de superiori, ut cum dicitur, animal est homo, quia hæc prædicatio est contra naturam, sed tales quoque sunt propositiones ab ipso assignatæ; cum subjectum prædicatur de sua passione, & species de differentia, nam differentia, & passio insunt speciei, non e contra, ergo, &c.

Fundamentum vero Cajet. facile labitur, falsum enim est, propositiones illas convertentes ab ipso adductas, rationale est homo, risibile est homo, esse propositiones per se ad primum modum spectantes: non enim in primis sunt propositiones per se, quia non sunt naturales, & directæ; neque spectant ad primum modum, quia in definitione passionis subjectum non cadit, ut de ejus quidditate, sed ut additum ex 7. Met. tex. com. 17. & 19. quod est extraneum a ratione ejus formali, atque ideo propositio illa ad primum modum nequaquam spectare potest. Cum vero agebat Cajet. illas propositiones esse necessarias, atque ideo per se, neganda est consequentia, quia propositio de omni est necessaria, & tamen non est per se, quia per seitas dicitur posteriore gradum necessitatis, neque ab eodem habet propositio necessitatem, & per seitas, sed ex diversis capitibus, ut bene notat Tromb. 3. Met. quæst. 2. ad 1. princ. nam propositio dicitur necessaria, quando extrema ipsius sunt immutabiliter unita in quocumque esse concipiuntur, si in re, si in intellectu, ita quod necessitas propositionis oritur ex immutabili terminorum habitudine: sed propositio est per se, quando in subjecto includitur ratio formalis inherentiæ prædicati ad ipsum: modo stat aliqua extrema propositionis esse immutabiliter unita, & habere necessariam habitudinem ad invicem, & adhuc unum non includere rationem formalem inherentiæ alterius. Dices, illæ propositiones non sunt per accidens, inquit Cajet. ergo per se. Respondetur, Doctorem loc. cit. i. d. 3. q. 3. concedere illas esse per accidens, ubi tamen notat Bargius id intelligendum non esse in toto rigore, quoniam propositio per se, & per accidens proprie loquendo dividuntur propositionem naturalem, quando scilicet subjicitur, quod debet subjici, & prædicatur, quod debet prædicari, ut habet Doct. q. penult. univers. & i. Post. q. 18. in solutione ad argumenta, ubi per totam questionem bene declarat, quo pacto propositiones illæ dicantur per accidens, breviter tamen dicendum esse per accidens, non quidem ratione objecti, quo sensu hæc dicitur per accidens, homo est albus, sed dicitur per accidens ratione modi connectendi, ut docet Arist. i. Post. 33. & 34. & Them. com. 35. quia prædicatur, quod deberet subjici, & e contra.

Ex opposito rotidem modi per accidens prædicandi assignari possunt; Primus est, quando prædicatum non est de

essentia subjecti, & est oppositus primo modo dicendi per se, quo sensu hæc propositio, homo est risibilis, potest dici per accidens. Secundus oppositus secundum, quando prædicatum nedom non est de essentia subjecti, sed nec proprietate ejus, ut sunt propositiones omnes in quarto modo. Tertius oppositus tertio (juxta ponentes illum inter modos prædicandi; quamvis ab Aristot. non numeretur) est, quando esse prædicatur de accidente, ut albedo est. Quartus oppositus quarto est, quando effectus non prædicatur de sua per se causa, sed de aliquo per accidens sibi conjuncto, ut musicus ædificat, accidit enim ædificatori, quod sit musicus; nec ædificat ut musicus, sed ut ædificator.

20 Tertia demum conditio, seu necessitatis gradus est, quod principium demonstrationis non solum sit de omni, & per se, sed quod universaliter prædicetur; prædicatum universale est, quod dicitur de omni, per se, & secundum quod ipsum, ubi not. quod universale non sumitur hic pro termino multis communi, ut in lib. prædicab. sed posteriori; pro illo, scilicet, prædicato, quod primo convenit subjecto, & secundum ipsum, idest adæquate, & convertibiliter (in hoc enim sensu sumitur ly primo, non vero ut sonat ac immediate) ut est risibile respectu hominis, vel ejus definitionis: at hæc, homo est sensibilis, non est de prædicato generali; quia sensibilitas non convenit homini, quatenus homo est, sed quatenus animal, neque ista, homo est animal, quia non convertibiliter, & adæquate dicitur de homine.

Ut autem clarius percipiatur natura prædicati universalis, debemus cum Aristot. i. Post. cap. 5. patefacere errores, quos possumus committere circa prædicatum universale, ut illos evitemus, tribus enim modis possumus errare; Primo si existente uno tantum individuo unius speciei, putaret quis, quod est prædicatum per se, & universale speciei, convenire huic individuo, quatenus est tale individuum, ut si quis existimaret huic Lunæ, quatenus hæc Luna est, convenire eclipari, erraret, quia etiam alteri conveniret, si daretur, unde hoc prædicatum non convenit Lunæ, quatenus hæc Luna, & in particulari, sed quatenus Luna, & in generali. Secundo quando sunt plures species, quibus secundum rationem communem convenit prædicatum, quæ cum sit incognita, putaret quis tale prædicatum illis convenire secundum proprias rationes peculiarias, ut si quis existimaret localiter moveri convenire perfectis animalibus secundum rationes speciales, cum tamen conveniat secundum rationem communem animalis perfecti, quæ supponit innominata. Tertio; si quod est speciei, putamus convenire generi, ut si esset tantum homo in rerum natura, & qui putaret homini convenire esse rationale, quia animal, erraret. Quos errores, ut evitemus, assignat Aristot. cit. hanc regulam, ut verum universale prædicatum cognoscamus. Si postis omnibus non ponatur tale prædicatum, & ablati non auferatur, signum est, prædicatum illud non convenire subjecto secundum illas rationes, sed secundum eam rationem erit prædicatum universale, secundum quam primo, & convertibiliter ita convenit: ut illa ablata, ab intrinseco, & per se auferatur tale prædicatum, & illa posita ponitur, ut posita rationalitate in homine ponitur risibilitas, & illa ablata, hæc etiam auferatur.

Hi sunt necessitatis gradus, quos requirit Aristoteles ad principia demonstrationis, quorum ultimus præsupponit secundum, & primum, propositio enim de prædicato generali est per se, & de omni, secundum præsupponit primum, sed non e contra, ut patet intrinseco. Verum est tamen, quod non omnes modi per se demonstrationis inserviunt, sed solum primus, & secundus, in quibus prædicatum numquam potest subjecto non inesse; quamvis etiam quartus possit aliquando inservire; tertius vero modus, quando existentia demonstratur de subjecto, dumtaxat inservit.

Dices, bonitas, sapientia, &c. demonstrantur de Deo, & tamen istæ propositiones non sunt de omni propter singularitatem subjecti: item eclipis de Luna demonstratur, in qua conclusione non adest universalitas temporis; demonstratur etiam in hyeme esse nives, in æstate grandinem fieri, &c. quæ nullam habent necessitatem, ergo falsum est, quod principia demonstrationis debent hos gradus necessitatis habere. Respond. quod universalitas subjecti alia est positiva, ut quando subjectum est commune pluribus, quibus omnibus convenit prædicatum; alia est negativa, ut cum isto nihil sit sub subjecto, tamen nihil est sumere sub illo etiam per impossibile, cui tamen non conveniat prædicatum; item plures dantur gradus necessitatis, quedam enim propositiones dicuntur necessariæ, quia ut plurimum verificantur, sed fallibiliter, ut quod dantur nives in hyeme; quedam aliquando, sed infallibiliter, ut quod tali tempore, & positis talibus causis eclipis Lunæ contingat; quedam ut sint semper, & infallibiliter naturaliter potentia, ut quod oriatur Sol quotidie, & occidat semper; & infallibiliter secundum omnem potentiam, ut quod homo sit risibilis: ad arg. resp. quod propositiones de Deo possunt dici de omni, quatenus subjectum potest dici universale universalitate negativa, quatenus nihil esset sub Deo, si esset possibile, cui non con-

conveniret bonitas, & hoc sufficit: alia propositiones, secundum quod sunt necessariæ, dicuntur demonstrari, & quo magis sunt necessariæ, eo perfectiori demonstratione demonstrantur, & quia demonstratio potissima est omnium perfectissima, & de ipsa præcipue loquitur Aristoteles, qua propositiones maxime necessariæ demonstrantur, idcirco dicitur principia demonstrationis esse debere taliter necessaria, ut sint de omni, per se, & secundum quod ipsum.

CAPUT IV.

De demonstratione propter quid.

21 Demonstratio ab Aristot. i. Post. cap. 10. dividitur in demonstrationem propter quid, seu potissimum, & in demonstrationem quia. Prima est, quæ per causam proximam, & adæquatam procedit tamquam per medium ad demonstrandam conclusionem. Secunda, quæ a non tali causa procedit; prior dicitur potissima, & a priori propter perfectissimum modum procedendi, & perfectissimam scientiam, quam parit, de qua Aristot. cap. 2. duplicem dat definitionem.

Prima definitio est ista, Demonstratio est syllogismus faciens scire: seu est syllogismus scientialis, quæ definitio constat ex genere, quale est syllogismus, & ex differentia, quam circumscribit nobis ly faciens scire, per quod a topico, & clencho distinguitur, & consequenter potest dici hæc definitio formalis, quatenus datur per causam formalem, qualis est differentia; potest quoque dici finalis, quia datur per finem demonstrationis, qui est scientia, propter quam est instituta. Verum est advertendum, quod ly scire, hic sumitur lato vocabulo, ut etiam ad scire a posteriori extenditur, sic talis definitio erit demonstrationis in communi, non demonstrationis propter quid; at Aristot. per scire intellexit scientiam propriissimam, quam supra definiat, unde in tex. 9. ait scientiam demonstrativam esse ex prioribus, & causis conclusionis.

Secunda definitio, quæ materialis dici solet, quia datur per conditiones principiorum, & ex definitione scientiæ illam deducit Aristot. est ista, Demonstratio est syllogismus constans ex veris, primis, immediatis notioribus, prioribus, & causis conclusionis. Ab ista definitione parum differt secundum aliquos illa, quæ i. Top. c. 1. traditur, est syllogismus constans ex principis veris, aut primis, aut talibus, quæ ex primis hæc cogitationis sumptæ principium, sed melius dicitur sua definitionem competere demonstrationi communi ad propter quid, & quia, ut omnis demonstratio a syllogismo topico secretatur, signum hujus erit, quia datur per disjunctionem veris, aut primis, nam principia demonstrationis Quia sunt vera, licet non prima, nec immediata: pro declaratione igitur hujus definitionis singulæ particulæ sunt expendendæ.

22 Prima conditio est, ut sint præmissæ veræ, quia conclusio est vera, ergo & præmissæ, nam licet ex falso aliquando sequatur verum, hoc est per accidens, & ratione formæ syllogisticæ, non per se, & ratione materiæ, imo quamvis conclusio illa secundum se spectata sit vera, tamen ut deducta ab illis præmissis est falsa, quia ut sic includit vim illativam, & causativam præmissarum respectu conclusionis, quatenus conclusio est effectus, & præmissæ causæ: at falsum est conclusionem veram esse effectum falsæ præmissæ, non ens enim, quale est falsum, nequit esse causa entis, quale est verum, quapropter hoc totum scilicet conclusio in se vera cum relatione effectus ad præmissas falsas, ut causas, est quid falsum, tum quia non ens non potest sciri, falsum est non ens, ergo nequit sciri, & illi assentiri intellectus, hæc conditio convenit etiam syllogismo topico.

Dices, ex æternitate motus quod est falsum, Aristot. collig. 8. Phys. existentiam primi Motoris, quod est verum, & in demonstratione ducente ad impossibile una propositio est falsa. Tum quia de infinito, vacuo, & ente rationis multæ demonstrantur, quæ sunt non entia, & falsa. Resp. ad 1. patet ex dictis, conclusionem Aristot. de existentia primi Motoris sequi per accidens ex motus æternitate, vel quod etiam conclusio sit falsa modo explicato, in demonstratione autem ducente ad impossibile concluditur negative, & præmissa falsa assumitur sub conditione, si esset vera, nunc autem non de ista demonstratione loquimur, sed de offensiva, & propter quid. Ad 2. de non entibus, & falsis datur scientia negativa, quatenus cognoscimus infinitum non dari, vacuum non existere, ens rationis non esse verum ens, sed falsum, non vero scientia positiva affirmando de illis aliquid verum, & reale prædicatum.

Secunda conditio est, ut sint prima, & immediata, istæ enim particulæ, quamvis ab aliquibus distinguantur, communiter tamen pro eodem sumuntur, & in tantum Aristot. appositus ly immediatis, ut insinuaret, non sumi in eodem sensu, ly primis & prioribus, unde tex. 10. & 13. eandem significationem ambobus tribuit; hæc igitur conditio denotat, quod principia demonstrationis debent esse immediata, seu indemonstrabilia per aliud medium a priori, & in eodem genere; diximus a priori, quia non occidit, quod a posteriori, & per effectum demonstrantur: diximus in eodem

generi, nam potest una causa demonstrari per aliam alterius generis, & tamen dicitur prima, & immediata in proprio genere, & ratio hujus conditionis est, quia si principia essent demonstrabilia, & evidentiæ per alia, & illa per alia, procederetur in infinitum, quod est evitandum; ergo standum est ad aliqua principia immediata indemonstrabilia per aliud medium prius, & intimius subjecto. Verum est tamen, quod aliqua dicuntur indemonstrabilia formaliter, quia seipsis sunt talia, alia virtualiter, si scilicet evidentiam habeant ab aliis principiis prioribus, per quæ possunt demonstrari, consciens tamen demonstrationem scit illa resolvere in propria principia; quamvis autem ad perfectissimum demonstrationem requiratur principia formaliter immediata, tamen ad perfectam demonstrationem sufficiunt principia virtualiter immediata, aliter nulla daretur scientia subalternata, dummodo tamen priora principia sint nota scienti; aliter non esset demonstratio, sed conclusio topica in ipso. Hujusmodi propositiones possunt esse tam affirmativæ, quam negativæ; affirmativæ præcipue erunt, quæ non habent causam, cur prædicatum insit subjecto, ut quando definitio essentialis, aut proprium genus, vel differentia prædicatur de definito, & cum prima passio de definitione dicitur, & universaliter quando effectus dicitur de sua proxima causa, ut homo est animal rationale, homo est animal, est rationalis, animal rationale est risibile, seu discursivum, &c. at hæc homo est sensibilis, non dicitur immediata, quia potest recte per animal demonstrari. Negativæ erunt, in quibus extrema seipsis distinguuntur, non per aliud medium, ut animal rationale non est hinnibile, hæc vero, homo non est planta, non dicitur immediata, quia potest ostendi per animal. Et istæ duæ conditiones conveniunt præmissis in se, absolute, & ut propositiones sunt, sequentes vero in ordine ad conclusionem, ut principia illius.

23 Addit deinde Aristot. tres alias condiciones convenientes principii comparatis ad conclusionem, quod sit ex prioribus, notioribus, causis conclusionis, & primo ultimum explicat, a qua ceteræ proveniunt; debent igitur esse causæ conclusionis, quia seire est rem per causam cognoscere, unde medium debet esse causa inherentiæ prædicati cum subjecto in conclusione, ergo præmissæ talem causam debent continere. Pro cuius notitia communiter dicitur, quod causa alia est in cognoscendo, quæ scilicet est ratio, cur aliquid cognoscatur, quo sensu cum per effectum cognoscimus causam, effectus respectu causæ dicitur causa in cognoscendo; alia est causa in essendo, a qua aliquid in esse causatur, quæ etiam causa in cognoscendo dicitur, si per ipsam cognoscimus effectum, & hæc est duplex, formalis, seu propria, quæ scilicet vere est causa effectus, sive physica, sive metaphysica, alia virtualis, quæ proprie non est causa, sed taliter se habet in ordine ad aliud, quod si illud causaretur, non nisi ab illa causa proveniret, quomodo incomprehensibilitas Dei ab infinitate ipsius provenit, & quia hic definitur demonstratio propter quid, per causam non intelligitur illa, quæ solum causa est in cognoscendo, sed etiam in essendo, & secundum rem, sive formalis sit, sive virtualis, ut demonstrationes, quæ sunt de Deo, vere possunt demonstrationes dici, quod consonat Scot. quol. 1. artic. 2.

Sed hoc dictum de causa virtuali non placet Amico tr. 26. quæst. 6. dub. 1. unde negat demonstrationes de Deo, & aliquas mathematicas sub demonstratione hic definita contineri, eo quia causæ virtuales non sunt, nisi secundum nos, non a parte rei, ergo si intelligitur res ab illa causa causari, intelligitur falsum. Tum quia etiam causa tantum in cognoscendo potest dici causa virtualis, & sic demonstratio ab effectu esset demonstratio propter quid. Tum etiam quia de principis daretur scientia; nam apprehensio terminorum potest dici causa virtualis cognitionis principiorum, quia si hæc posset causari, ab illa causaretur.

Verum tantus rigor non placet; si enim per causam virtuales intelligitur id, a quo proprietates aliqua dimanant, & pullulat abique alia dependentia, & imperfectione, quo sensu Patres Græci nomen causæ admittunt in divinis, & convertitur cum principio, potest pro medio assumi in vera, & propria demonstratione propter quid, quia sufficit emanatio illa, & pullulatio, & parum refert, quod sit cum vera dependentia, & imperfectione. Nec objectiones aliquid valent: non prima, quia causæ virtuales etiam a parte rei sunt tales, quatenus a parte rei unum pullulat ab alio; unde non intelligitur falsum, si a dependentia prædicatur. Non secunda, quia causa non provenit ab effectu, ideoque effectus non erit causa virtualis. Non tertia, quia hic est sermo de causa inherentiæ prædicati cum subjecto, quo sensu apprehensio terminorum nequit dici causa principiorum; neque termini principiorum habent aliam causam, cur adinvicem connectantur, cum sint prima, & immediata, quare de ipsis non erit scientia. Verum est tamen, quod Aristot. præcipue intellexit de causa proprie dicta; unde est fere quæstio de nomine.

24 Ex hoc probatur, quod præmissæ sint priores (quæ particula differt a ly primis, dicuntur enim præmissæ primæ, quia non habent alias priores: dicuntur priores respectu conclusionis) eo quia causa est prior ordine, & natura

ipsa conclusione, sicut quælibet causa prior dicitur suo effectu. Et quia sunt causæ in essendo, & cognoscendo ipsius conclusionis, evidentiam enim, & certitudinem conclusio habet ex præmissis, sequitur, quod notiores sint ipsa conclusio, quod probat Arist. per illud axioma. *Propter quod unumquodque tale, & istud magis*, ut si volumus medicinam propter sanitatem, magis volumus sanitatem, sed assentimur conclusioni propter præmissas, ergo magis assentimur præmissis.

Pro exacta tamen cognitione hujus axiomatis multa solent a Doctores afferri, ut ipsius veritatem salvent, quampluresque conditiones, & limitationes adducuntur: breviter tamen dicimus, quod ista propositio est causalis, unde verificatur in his, quæ se habent, ut causa, & effectus; & fundamentum sumit ex hoc, quod nulla causa producit effectum seipsa nobiliorem; sed semper causa totalis, scilicet ut causa, & independens est, dicit majorem perfectionem, quam effectus, nam independentia dicit perfectionem, dependentia imperfectionem; hinc conditiones requiritur ad veritatem istius axiomatis, præcipue sunt, quæ ad salvandam majorem perfectionem causæ respectu effectus requiruntur. Prima igitur conditio est, ut causa sit totalis, & per se respectu illius effectus, qua ratione non valet, compositum est ens in actu propter formam, ergo forma est magis in actu, nam compositum est ens in actu subsistens, forma est actus informans, nec forma est totalis causa actualitatis compositi, sed etiam propria entitas: similiter non valet, cœli influunt propter motum, ergo motus magis influunt, eo quia motus non est per se causa influxus, sed per accidens, & instrumentalis. Secunda, ut prædicatum, in quo fit comparatio, conveniat formaliter tam causæ, quam effectui, unde non valet, aer est calidus propter Solem, ergo Sol est magis calidus; Petrus odio habet peccatum propter Deum, ergo magis Deum odio habet, homo deambulat propter sanitatem, ergo sanitas magis deambulat. Tertia, quæ ex prima deducitur, ut id, quod effectum denominat talem, causetur a causa quatenus tali, qua ratione non valet, domus est alba propter ædificatorem, ergo ædificator est magis albus, quamvis ipsi etiam albedo conveniat, quia albedo ædificatoris non est causa albedinis domus. Quarta, quod forma, in qua comparantur, suscipiat magis, & minus, hinc non sequitur, Petrus est homo propter Franciscum, ergo Franciscus est magis homo, Filius in divinis spirat Spiritum Sanctum propter Patrem, ergo Pater magis spirat; Tandem quod ly magis, & minus non necessario dicit semper intentionem, & remissionem graduum, sed aliquando majorem perfectionem quoad modum habendi talem formam, quia scilicet magis independentem, & a fortiori, ut si aer ut quatuor calefaceret lignum ut quatuor, si inferretur, ergo aer est magis calidus, ly magis non diceret majorem intentionem caloris in aere, quam in ligno, quia ambo sunt ut quatuor; sed perfectiorem modum possidendi, quia magis independentem, & nobiliori titulo possideretur calor ab aere, quia est causa, quam a ligno. Cum his conditionibus intellectum illud axioma semper est verum in quocumque genere causæ, ut bene hic advertunt Tar. & Jo. de Magistris.

Dices, tam objectum, quam species ipsius sunt intelligibilia, & tamen non sequitur, objectum intelligitur propter speciem, ergo species magis intelligitur; insuper si pater, & filius essent parvi, non sequitur, filius est parvus propter patrem, ergo pater est magis parvus: item conclusio est finis præmissarum, ergo sunt propter conclusionem, ergo conclusio erit magis evidens, & nota. Resp. speciem nec esse causam totalem intellectus objecti, neque concurrere, quatenus est intelligibilis, ut Quæ, sed potius ut Quæ, representando scilicet objectum, unde deficit prima, & tertia conditio. Similiter secundo exemplo deficit prima conditio, parvitas enim cum sit defectio, & negatio, non est effectus per se, sed per accidens productus: Demum tertio exemplo deficit tertia conditio, nam conclusio ut finis non causat in præmissis notabilitatem, & evidentiam, sed appetibilitatem, unde si præmissæ solummodo propter conclusionem, & non ex alio capite amarentur, magis esset amata conclusio.

25 Sed circa notabilitatem principiorum duo fuerunt errores antiquorum, quos refert, & reicit Arist. c. 3. nam aliqui negarunt sciri posse, aliter scitentur per alia principia, & sic in infinitum; alii dixerunt sciri per demonstrationem circularem, ut scilicet, conclusio sciat per principia, & hæc deinde per conclusionem, hinc non est in infinitum procedendum. Primum errorem, quia evidens est, non confutat Arist. sed solum solvit rationem ipsius, nempe quod quamvis notitia principiorum non sit nobis indita a natura, & intellectui nostro congenita, eo quia intellectus noster est tamquam tabula rasa, in qua nihil est depictum, dicuntur tamen lumine naturæ cognosci, & non per alia principia, quatenus percipimus sensibilia per sensum, ex sensu sunt imaginationes, & phantasmata, ex quibus efficitur memoria, & ex multis memoriis experientia, tandem ab experientia plurium singularium colligit intellectus propositionem universalem, cui vi luminis naturalis, & indita inclinationis a natura clarum, & certum præbet assensum, & in hoc principio acquiescit intel-

lectus non procedens ulterius, sed potius ex eo colligens conclusiones; unde non est cognitio scientifica, & per causam, sed a simplici apprehensione terminorum originatur, at de notitia primorum principiorum plura vide disp. 3. Met. q. 2. Secundum errorem respicit, quia cum demonstratio circularis in hoc differat a regressu, ut illa semper eadem via procedat, scilicet, propter quid, & a causa ad effectum, hic vero diversa via, primo a posteriori, & ab effectu, secundo a priori, & a causa; si omnia per demonstrationem propter quid scientur, ita daretur circulus in demonstrationibus, idem esset notus, & ignotus natura respectu ejusdem, quod contradicit; probatur sequela, nam demonstratio propter quid procedit a notioribus natura, & in se, quæ sunt principia, ad ignotiora natura, quæ est conclusio; ergo si principia deinde per conclusionem demonstrarentur demonstratione propter quid, jam conclusio esset notior natura; & in se respectu principiorum; quapropter non est admittendus circulus, sed regressus, ita ut cum principia demonstramus per conclusionem, talis demonstratio non est propter quid, & a priori, sed quia, & a posteriori per effectum nobis notiosem, sed ignotiosem natura, ad causam notiosem natura, & nobis ignotiosem. Notiora nobis, sunt sensibus propinquiora, ignotiora a sensibus remotiora, quoniam nostra cognitio ortum ducit a sensibus, & quia effectus ut plurimum sunt propinquiores sensibus, causæ sunt remotiores (interdum enim res e contra se habent, ut patet de Sole, qui propinquior est sensibus quibusdam effectibus ipsius in visceribus terræ) illi erant nobis notiores, ista ignotiores; notiora natura e converso; quæ sunt minus sensibilia, ut universalis, ignotiora natura, quæ sunt magis sensibilia, ut singularia, de quo vide disp. 5. Metaph. q. 9. art. 1. ubi de hac re agitur ex professo.

26 Ex his patet definitio demonstrationis materialis, & conditionis præmissarum, ex quibus aliæ conditiones oriuntur, ut quod sint necessariae necessitate in precedenti cap. declarata, quæ a Doctores ponitur potius, ut passio conveniens præmissis ratione terminorum, ex quibus constant, quam conditio ipsarum, ut præmissæ sunt; item, quod sint ex per se inherentes, ex universalibus, & æternæ, non quidem æternæ, quæ sunt magis sensibilia, ut singularia, de quo vide disp. 5. Metaph. q. 9. art. 1. ubi de hac re agitur ex professo.

27 Ex his patet definitio demonstrationis materialis, & conditionis præmissarum, ex quibus aliæ conditiones oriuntur, ut quod sint necessariae necessitate in precedenti cap. declarata, quæ a Doctores ponitur potius, ut passio conveniens præmissis ratione terminorum, ex quibus constant, quam conditio ipsarum, ut præmissæ sunt; item, quod sint ex per se inherentes, ex universalibus, & æternæ, non quidem æternæ, quæ sunt magis sensibilia, ut singularia, de quo vide disp. 5. Metaph. q. 9. art. 1. ubi de hac re agitur ex professo.

28 Ex his patet definitio demonstrationis materialis, & conditionis præmissarum, ex quibus aliæ conditiones oriuntur, ut quod sint necessariae necessitate in precedenti cap. declarata, quæ a Doctores ponitur potius, ut passio conveniens præmissis ratione terminorum, ex quibus constant, quam conditio ipsarum, ut præmissæ sunt; item, quod sint ex per se inherentes, ex universalibus, & æternæ, non quidem æternæ, quæ sunt magis sensibilia, ut singularia, de quo vide disp. 5. Metaph. q. 9. art. 1. ubi de hac re agitur ex professo.

CAPUT V.

De Demonstratione Quia.

27 **D**emonstratio Quia est illa, quæ a non causa propria, & adæquata procedit ad demonstrandam conclusionem, qua ratione dicitur, demonstrationem propter quid facere scire propter quid res sit, nam perfecte quietatur intellectus per ipsam, demonstrationem vero Quia solum facere scire quod res sit, nam licet evidenter demonstrat prædicatum convenire subjecto, non tamen perfecte quietatur intellectus, sed ulterius procedit ad investigandam propriam causam.

Multipliciter autem potest fieri hæc demonstratio, Primo quando per effectum demonstratur causam esse: circa quod est notum quod effectus quandoque est cum sua causa convertibilis, & tunc ex negatione, vel affirmatione effectus potest concludi negatio, vel affirmatio causæ, & possumus deinde progredi per demonstrationem propter quid a causa ad effectum, ita se habent sensibile, & rationale; quandoque non est convertibilis, sed inadæquata, vel quia excedit causam, si potest ab alia produci, ut calor respectu ignis, qui potest a sole quoque generari, vel quia excedit a causa, ut si effectus quando est semper a tali causa proveniat, non tamen semper ab illa causatur, ita

CAPUT VI.

De medio demonstrationis.

ita se habet respiratio respectu animalis, nam pisces sunt animalia, non tamen respirant; sic sensibilia respectu viventis, animal enim est causa respiracionis, & ratio viventis est causa sensibilitatis, non tamen sunt causæ adæquatæ: ab effectu, qui excedit a causa, potest fieri demonstratio affirmativa, ut respirat, ergo est animal, non tamen negativa, non respirat, ergo non est animal: ab effectu vero excedente causam potest effici demonstratio negativa, ut non est calor, ergo non est ignis, non vero affirmativa, est calor, ergo est ignis. Hæc demonstratio dicitur quoque demonstratio a posteriori, quia procedit per aliquid posterius in re, qualis est effectus in ordine ad causam.

Secundo, quando per causam remotam, & non propriam demonstratur effectus, per causam remotam intelligitur causa inadæquata; & tunc si excedit effectum, a negatione causæ concluditur negatio effectus, ut non est animal; ergo non respirat: si excedit ab effectu, concluditur affirmative a positione causæ ad positionem effectus, est ignis, ergo est calor. Hæc demonstratio potest dici a priori, quia procedit ex prioribus, quales sunt causæ: hinc quando dicitur demonstracionem propter quid esse a priori, & demonstracionem Quia a posteriori, antonomastice hoc debet intelligi, quatenus omnis demonstratio propter quid est a priori; & omnis demonstratio a posteriori est demonstratio Quia, non tamen est universaliter verum, quia datur demonstratio a priori, quæ non est propter quid, sed Quia, & demonstratio Quia, quæ non est a posteriori.

Dices, datur causa remota, a qua per demonstrationem propter quid proceditur ad effectum, ergo falsum est, demonstracionem. Quia procedere a causa remota; antec. prob. hæc est demonstratio propter quid, omne animal rationale esse risibile, omnis homo est animal rationale, ergo omnis homo est risibilis, & inter animal rationale, & risibile mediatur esse admirativum, quod est causa proxima risibilitatis, & universaliter quando est ordo inter passiones, & effectus, ita ut posterior a priori proveniat. Resp. causam remotam posse sumi dupliciter, vel ut distinguitur ab immediata, & proxima, quo sensu animal rationale erit causa remota risibilitatis, sed adæquata, & convertibilis; vel ut distinguitur ab inadæquata, & non convertibili, quomodo animal rationale non erit remota causa risibilitatis, in hoc sensu sumitur in definitione demonstrationis Quia, unde negatur antec. cum sua probatione. Verum est tamen, quod aliqui per causam remotam utramque intelligunt, unde negant demonstracionem allatam esse propter quid, sed opposita sententia est communior, & est quæstio de nomine.

Tertio, potest fieri a signo aliquo naturali, quod necessarium habeat connexionem cum alio, quia invicem se consequuntur, non tamen se habent ut causa, & effectus, unde dicitur soler a concomitanti, ut est flebile, ergo est risibile; & hic modus, quamvis expresse non assignetur ab Arist. tamen quia est certus, evidens, & necessarius, qua ratione hæc propositio, flebile est risibile, non est omnino accidentalitas, sed reducibilis ad secundum modum perfectitatis, quatenus risibilia dicitur de homine, qui datur intelligi per ly flebile; hinc poterit dici modus demonstrativus reducibilis ad modum arguendi a non causa. Ad istum modum quoque reduci potest Inductio, quæ est a particularibus sufficienter enumeratis, quæ sunt posteriora ad universale, quod est prius. Demonstratio vero deens ad impossibile est reducibilis tam ad demonstracionem propter quid, quam ad demonstracionem Quia, nam si procedit a causa proxima, est demonstratio propter quid, ut si equus est rationalis, est risibilis, si vero a tali causa non procedit, erit demonstratio Quia, ut si equus est risibilis, est rationalis.

27 Ex his deducitur, demonstracionem propter quid a demonstracione Quia differre multipliciter, nam illa procedit semper a causa proxima, adæquata, & a priori, ista vel a causa remota, & inadæquata, vel a posteriori; illa pertinet ad scientiam subalternantem, quæ, cum sit superior, reddit causam principiorum scientiæ subalternantem, & ea probat a priori; ista vero spectat ad scientiam subalternantem, quæ sapius ab effectu procedit: illa nobilior est, quia simpliciter magis facit scire, & secundum quod ipsum. Insuper deducitur demonstracionem aliam esse affirmativam, aliam negativam, sed illam perfectiorem esse, quia demonstratio affirmativa non indiget propositione negativa, at demonstratio negativa indiget affirmativa propositione, quia ex puris negativis nihil sequitur; sic etiam demonstratio offensiva dignior est demonstratione ducente ad impossibile, nam illa procedit ex propositionibus veri, ista saltem ex una falsa. Tandem colligitur, quod inter figuras syllogismorum tertia non est apta demonstrationi, nam scientia est universalium; tertia autem figura particulariter concludit; secunda quamvis possit inservire demonstrationi negativæ, aptior tamen est prima figura, & inter omnes modos primus est aptissimus, nam prima figura non indiget aliis, sed aliæ figuræ indigent prima, qua ratione nobilior est cæteris, & primus modus concludit universaliter affirmative, quo modo concludere debet demonstratio propter quid.

Mastrii, & Bellui Tom. I. Logica.

28 **P**ræcipua difficultas conficiendi demonstracionem conclusio demonstratur; hinc non immerito Arist. retum fere 2. lib. Post. consumpsit, ut explicaret methodum, & viam inveniendi medium demonstracionis, quod innuit in fine primi libri, dum definitionem solertius assignavit, dicens, quod solertia est *subtilitas inveniendi medium in non perspecto tempore*, idest est vis velociter penetrandi a causa ad effectum, vel ab effectu ad causam in parvo tempore, nam omnis demonstratio procedit, vel a causa ad effectum, vel e contra. Ut igitur tractacionem mediæ aggrediamur, cum ipso Arist. numerum quæstionum debemus præmittere.

Quatuor igitur sunt genera quæstionum (quamvis in particulari infinitæ sint quæstiones, sicut scibilia sunt numero infinita) an sit res, quid sit res, quia sit res, idest qualis sit res, & propter quid sit res, ut de homine. Primo quæritur, an sit, an scilicet habeat aliquid esse. Secundo quid sit in speciali illud esse, quod habet. Tertio quale sit, idest quam proprietatem habeat in se. Quarto propter quam causam illi conveniat talis proprietates: primæ duæ quæstiones dicuntur simplices, quia sunt per propositiones de secundo adiacente; reliquæ dicuntur compositæ, quia sunt in propositionibus de tertio adiacente, & verbum est determinatur ad peculiare prædicatum. Sufficientia vero hujus quaternarii assignari poterit, quia de re aliqua, vel quæritur entitas, vel proprietates; si primam, vel quæritur de entitate rei in generali, & universalis, an res existat, & habetur prima quæstio, vel in speciali, quænam sit illa entitas, & habetur secunda; si quæritur proprietates, vel quæritur inhærentia ipsius in subjecto, & habetur tertia, vel causa talis inhærentiæ, & habetur quarta quæstio.

Dices. Arist. 1. Top. alias assignavit quæstiones iuxta numerum prædicatorum, scilicet, generis, definitionis, proprii, & accidentis, ergo quæstiones plures, quam quatuor. Tum quia in omni quæstione quæritur prædicatum, & supponitur subjectum; ergo si est subjecti, semper est præcognitio, numquam quæstio. Resp. duas primas quæstiones ibi assignatas contineri in quæstione quid est, nam genus & definitio pertinent ad quidditatem rei, reliquas contineri in tertia quæstione. Ad 2. assumptum esse verum de aliis quæstionibus non de prima, in qua quæritur ipsum esse de re, & isti præsupponitur solum quid nominis, ut diximus c. 1. hujus Tract.

29 Omnes istæ quæstiones, inquit Arist. reducuntur ad unam, scilicet, ad quæstionem mediæ, eo quia omnis quæstio est quæstio mediæ, quod probatur, nam omnis quæstio est propositio dubitabilis, si enim non dubitarem de aliqua re, non esset inquisitio de illa re, sed evidentiæ, & certitudo; ad omnis propositio dubitabilis per medium demonstratur, & quando medium scimus, quietamur, & cessat omnis inquisitio, quod patet in sensibilibus, nam ideo de eclipse Lunæ quærimus an sit, & propter quid sit, quia nescimus causam, at si efferimus supra Lunam, & videremus ipsam intrando umbram terræ deficere, nec quæreremus de eclipse, an sit, nec propter quid sit, quia per illud medium, scilicet, per ingressum in umbram terræ hæc omnia nobis innotescerent, quapropter omnis quæstio est de medio per quod possit illa propositio dubitata demonstrari. Verum est tamen, quod solum quarta quæstio explicite quærit medium, at cæteræ quæstiones saltem implicite, & virtualiter quærent medium, quatenus omnes causam quærent, per quam possint ostendi.

Cum igitur omnis quæstio quærat causam, per quam tamquam per medium demonstratur; scire enim est rem per causam cognoscere, ut clarius pateat, quænam causa possit in demonstratione pro medio inservire, advertendum, quod causa, a qua res accipit esse, & quæ dat esse rei, est quadruplex, duæ intrinsecæ, duæ extrinsecæ: intrinsecæ causa est, quæ constituit causatum, tamquam pars in causato inexistens, & una est materialis, ex qua aliquid fit tamquam ex subjecto in se recipiente alteram partem, scilicet, formam, ut corpus est materia hominis, quia in ipso est, & animam recipit; altera causa intrinsecæ dicitur formalis, & definitur, quod sit quod quid erat esse rei, idest quæ ita dat esse rei, ut constituat eam actu in certa, ac determinata rerum specie, ita se habet anima rationalis respectu hominis; causa extrinsecæ est, quæ causat effectum, sed in illo non manet, & una dicitur efficiens, quæ scilicet producit effectum, seu ut ait Arist. quæ aliquid primum movet, ut Deus dicitur causa efficiens omnium, altera est finalis, in cuius gratia aliquid fit, sic sanitas dicitur causa finalis deambulationis.

30 Ex quolibet istorum generum potest sumi medium pro demonstratione, & maxime ex genere causæ formalis, nam in demonstratione potissima medium est definitio subiecti, quod fufius declarabimus in disput. solum hic advert-

advertendum, quod illa causa debet pro medio infervire, quæ tempore non antecedit effectum, aliter ex causa non inferretur necessario effectus, cum possit esse sine illo, licet ab effectu possimus arguere causam, ut diximus cap. præced. Insuper not. illam causam debere poni pro medio, quæ in quæsto quæritur, non vero quæ est ex vi quæstionis nota, ut si quis quæreret, quare pulsantur campanæ, si responderemus, quia trahuntur, vel moventur, non satisfacimus quæsto, nam ille non quærit causam moventem, & efficientem, sed finalem, quia v. g. aliquis Sacerdos est celebraturus.

Deducitur tandem ex ista doctrina; quod cum idem effectus possit habere plures causas, poterit per plura media, & plures demonstrationes ostendi, & quia multæ res mutuo se generant, etsi non eadem numero, saltem specie, sequitur, posse admitti demonstrationes aliquas circulares, in quibus semper a causa ad effectum procedatur, v. g. ex terra madefacta fit vapor, ex vapore nubes, ex nube pluvia, ex pluvia iterum terra madefactio, unde valet inferre, est terra madefactio, ergo est pluvia, a causa ad effectum, & deinde est pluvia, ergo terra madefactio, etiam a causa ad effectum, quæ demonstrationes quamvis non sint potissimæ propter non necessariam connexionem causæ cum effectu, non sunt tamen vitiosæ, neque in illis committitur proprie circulus, quia non redditur ad idem numero, sed ad idem specie, unde non sequitur idem omnino simul esse prius, & posterius respectu ejusdem.

Quoniam vero medium in demonstratione est definitio, tractat Arist. in 2. Post. de definitione, docetque modum eam venandi, & construendi; sed quia de hoc fuse agimus infra disp. 1. qu. 4. hic alia non addimus ad secundum Poster. spectantia, hæc enim omnia ibi ex professo trademus.

TRACTATUS SECUNDUS

De Syllogismo Topico.

CAPUT I.

De materia tum remota, tum proxima syllogismi topici.

31 **P**ost tractatum de syllogismo demonstrativo, de syllogismo topico occurrit sermo, sicut enim demonstratio est cæteris nobilior, quia scientiam generat, quæ opinione, & errore est præstantior, ita syllogismus topicus debet elencho, & falligraphe præferri, quia opinio, quæ effectus est topici, longe superat errorem, qui ab elencho generatur; Syllogismus topicus est, qui ex probabilitibus colligitur, idest qui ex præmissis non necessariis, sed probabilibus inferit conclusionem etiam probabilem: unde non scientiam, quæ est cognitio certa, & evidens, sed opinionem parit, quæ est adhæsit intellectus alicui propositioni cum formidine de opposito; non requiritur autem quod utraque præmissa sit probabilis, sed sufficit una, quia conclusio sequitur semper debiliorem partem; sicut ad inferendam conclusionem falsam satis est una præmissarum falsa. Probabilis propositio est, quæ videtur vera, vel omnibus hominibus, tam rudibus, quam sapientibus, vel plurimis, vel sapientibus solum, & his, vel omnibus, vel majori parti, vel præstantioribus: hæc autem apparentia veritatis non se tenet ex parte rei, quasi quod detur aliqua propositio, quæ in se nec veritatem habeat, nec falsitatem, hoc enim implicat, cum veritas, & falsitas contradictorie opponatur, sed provenit ex parte intellectus, eo quia veritas, vel falsitas illius propositionis non ita evidenter percipitur ab intellectu, quapropter uni intellectui propositio illa propter aliquas rationes apparet vera; alteri vero ex aliis capitibus apparet falsa; hinc potest esse, quod aliqua propositio sit in se necessaria, sed quia intellectus non evidenter percipit illam necessariam connexionem, ignorans causas illius necessitatis, sed tantum ex verisimili quadam, & apparenti ratione movetur ad assentiendum illi, non habebit scientiam de illa propositione, sed opinionem, nec dicetur illa propositio necessaria, sed probabilis. Ex quibus patet, quomodo syllogismus topicus a demonstrativo differat, & ab elencho, ille enim ex propositionibus veris, certis, & evidentibus procedit, iste ex propositionibus in se falsis, quæ veræ apparent non sapientibus, neque cum aliquo fundamento veritatis; at topicus procedit ex probabilibus apparentibus veris ipsis sapientibus propter fundamentum aliquod, & consimilem rationem veritatis; dicitur iste syllogismus dialecticus; nam dialectica, quamvis totam logicam significet, peculiariter tamen huic parti ascribitur, eo quia hac parte instructi de rebus omnibus probabilibus, & incertis copiosam disputationem instituerent possumus: dicitur etiam topicus, nam *topos*, apud Græcos significat idem, quod locus apud Latinos, & hæc pars logicalis locos omnes tradit, a quibus media desumimus ad probandas probabiles propositiones.

Materia hujus syllogismi, sicut & aliorum, duplex est, remota, & proxima; remota sunt termini, proxima propositiones; de utraque agit Arist. 1. Top. hanc autem esse problemata dialecticam, & propositionem dialecticam, illam autem esse prædicata, topica, non quod propositiones dialecticæ ex solis prædicatis conficiantur, constant enim ex subjecto, copula, & prædicato, sed de prædicatis tantum mentionem fecit, quia ex diversitate prædicatorum sumitur problematum diversitas, ut infra; prius igitur de materia remota, deinde de propinqua agemus.

32 Prædicata topica quatuor assignantur ab Arist. 1. Top. cap. 4. Definitio, seu terminus, genus, proprium, & accidens. Definitio est oratio explicans essentiam rei, & dicitur terminus, nam sicut terminus agrorum, quicquid pertinet ad agros, in se claudit, ita definitio continet, quicquid est de quidditate definiti, de qua definitione ex professo agemus infra disp. 1. qu. 4. Genus est, quod de pluribus differentibus specie in quid prædicatur: Proprium est, quod non indicat rei essentiam, soli autem inest, & conversim prædicatur. Accidens est, quod nec est definitio, nec genus, nec proprium, sed potest inesse, & non inesse rei, ex quo loco sumpsit Porph. definitiones prædicabilium.

Ex quibus definitionibus colligitur, ut recte notavit Averſa qu. 39. sect. 5. male Ruvium asseruisse hic num. 8. & 9. prædicatum accidentis omnia illa sub se comprehendere, quæ de subjecto quærentur in problemate, absque eo quod explicite quæretur modus, si scilicet conveniant subjecto tanquam genus, vel definitio, aut proprium, v. g. si quis quæreret, an animal conveniat homini tanquam genus, tunc animal continetur sub prædicato generis, sed si absolute quæreret, an homo sit animal; ait Ruvius, animal tunc contineri sub prædicato accidentis. Hoc autem est falsum, quia prædicatum accidentis secundum Arist. potest non inesse, animal autem, definitio, & proprium nequeunt non inesse: quapropter quamvis aliquando explicite non quæritur modus prædicari, implicite tamen quæritur, & sic animal semper sub prædicato generis continebitur.

Sufficiencia horum prædicatorum tangitur ab Arist. cit. nam omne prædicatum vel convenit subjecto convertibiliter, vel inconvertibiliter; si primum, aut essentialiter, & sic est definitio; aut accidentaliter, & sic est proprium; si secundum, aut essentialiter, & sic est genus; aut accidentaliter, & sic est accidens.

Dices, tot sunt prædicata, quot prædicabilia, se habent enim ut actus, & potentia, prædicabile est, quod potest prædicari, prædicatum, quod actu prædicatur; sed prædicabilia sunt quinque, scilicet genus, species, differentia, proprium, & accidens, ergo, &c. Tum quia transcendentia, & individuum non continentur sub istis prædicatis, & tamen possunt de aliquo prædicari. Resp. Tat. hic, & cum eo fere omnes Recentiores, prædicatum in communi differre a prædicabili, ut actum, & potentiam; at prædicatum topicum habere ultra hoc, quod de aliquo prædicatur, modum illum prædicandi conversim, vel non conversim, quapropter si differentia specifica consideratur in ordine ad speciem, & generica in ordine ad genus, non erit prædicatum distinctum a definitione, quia utraque prædicatur convertibiliter, & essentialiter, si vero comparantur ad inferiora, reducuntur ad genus, ad quod reducitur etiam species, & transcendentia, quia ista omnia prædicantur essentialiter, non convertibiliter: & quamvis definitio non assignetur a Porph. inter prædicabilia, hoc est, quia solum de incomplexis omnino in ordine ad categorias mentionem fecit, in quibus definitio non collocatur, Arist. vero locutus est de prædicatis in ordine ad problemata topica; Sed plenius adhuc satisfaciendum est huic dubio infra disp. 4. qu. 5. non incipiamus tamen, quin alia possint subdivisiones fieri, & sic multiplicari prædicata assignando differentiam, & species, vel prædicata distincta. Individuum tandem potius natum est subici, quam prædicari, de transcendentibus non sunt specialia problemata ex Scot. 1. d. 8. qu. 3. S.

33 Problema dialecticum est quæstio de utraque parte contradictionis, vel contrarietatis, ut an homo sit animal, an non, an terra sit frigida, vel calida; propositio dialectica est interrogatio de una tantum parte quæstionis, ut an terra sit frigida, unde problema, & propositio dialectica differunt sicut pars, & totum, nam problema explicite utramque partem quærit, propositio alteram explicite, alteram implicite: & dividi possunt primo juxta divisionem prædicatorum, ut aliud sit problema definitionis, in quo definitio, quæretur de definito, aliud sit problema generis, &c. Secundo dividuntur juxta diversitatem materiarum, quæ in scientiis pertinetur, ut aliud sit problema morale, aliud speculativum, aliud physicum, aliud metaphysicum, &c. Tertio dividi possunt ex parte illorum, qui illis assentiuntur, nam aliud est, quod est æque incertum tum vulgaribus, tum sapientibus quoad utramque partem, quia nulla ratio urget pro aliqua illarum, ut an numerus stellarum sit par, vel impar, aliud, in quo vulgares opinantur contra sapientes, ut sitne Sol major terra, an non; aliud, in quo etiam sapientes discrepant, ut an cælum consistat ex materia, & forma, vel

vel non; ubi advertendum, quod ad hoc, ut aliqua propositio dicatur dialectica, & problema dialecticum, requiritur; ut sit probabilis per rationes aliquas generales, non demonstrativas. Dicuntur autem problema, & propositio dialectica materia proxima syllogismi topici, non quod ipsum formaliter ingrediantur, non enim syllogismus constat ex propositionibus interrogativis, sed vel affirmantibus, vel negantibus; sed materia dicuntur, quatenus continent duo extrema, ex quibus conficitur conclusio illius syllogismi, quæ erit altera pars, vel affirmativa, vel negativa problematis, ut si quæreretur, an terra sit altior mari, syllogismus concludet, vel quod sit altior, vel non sit altior.

CAPUT II.

De locis topicis.

34 **D**iximus problema esse materiam syllogismi topici, eo quia in se conclusionem continet, & duos terminos, quapropter cum syllogismus ex tribus terminis constare debeat, medium terminum invenire oportet ad probandam conclusionem; pro cuius inventionem quædam assignantur a Doctoribus loca topica nuncupata, ex quibus, tamquam ex promptuariis, media extrahimus ad ostendam conclusionem. Definitur enim locus topicus, quod sit *sedes argumenti, vel illud, a quo conveniens elicitur argumentum ad propositam quæstionem*, per argumentum hic intelligitur medium topicum; in his enim locis reponuntur quædam maximæ, & universales propositiones tantæ dignitatis, ut ab omnibus conceduntur, in quibus alie propositiones virtualiter continentur, & accipiunt vim inferendi conclusionem, sicut locus naturalis dicitur habere virtutem conservativam locati.

Solet a Summulistis dividi locus in locum maximam, & in locum differentiam: maximæ locus maxima est propositio illa universalis, qua nulla est prior, & notior in illo genere, sed ex terminis nota, ipsique multæ argumentationes innuntur, ut *De quocumque dicitur definitio, dicitur etiam definitum, De quocumque prædicatur species, prædicatur etiam genus*, quibus innuntur istæ argumentationes, animal rationale est risibile, ergo homo est risibilis, Petrus est homo, ergo est animal: locus differentia maximæ sunt termini illi, quibus maximæ differunt inter se, & ex quibus conficiuntur, sic definitio, & definitum, genus, & species dicuntur loci differentia maximæ, per quos terminos maximæ inter se distinguuntur, unde prima dicitur esse in loco a definitione ad definitum, altera a specie ad genus.

35 In istis maximis duos terminos reperies, quorum unus dicitur inferens, & est, qui solum in antecedenti ponitur, non in consequenti, alter dicitur illatus, qui conficiens ingreditur, sic in exemplis adductis termini inferentes sunt definitio, & species, termini illati, definitum & genus, animal rationale erit inferens, homo erit illatus, terminus vero, qui tam in antecedenti, quam in consequenti ponitur, dicitur terminus communicans; locus differentia maximæ non sumit suam denominationem, nisi a terminis inferente, & illato ab inferente ut a termino a quo, ab illato, ut a termino ad quem, unde solet dici locus a definitione ad definitum, a specie ad genus, &c. & quando isti termini diversimode denominantur, & diversis nominibus, terminus inferens ponitur in ablativo, illatus in accusativo, ut patet in exemplis adductis, quando vero iisdem nominibus denominantur, ambo ponuntur in ablativo plurali, unde non dicitur locus ab opposito ad oppositum, a repugnante ad repugnans, sed ab oppositis a repugnantibus.

Locus differentia maximæ prima sui divisione triplex est, intrinsecus, extrinsecus, & medius, quorum quilibet alias patitur subdivisiones, de quibus omnibus breviter agendum: ex his divisionibus habentur divisiones loci maximæ, nam maximæ dividuntur juxta diversas habitudines, quas habent inter se termini, ut alia est habitudo inter definitionem, & definitum, & alia inter speciem, & genus, & secundum varias istas habitudines variæ formantur maximæ illas expiantes.

CAPUT III.

De Locis intrinsecis.

36 **L**ocus intrinsecus est, quando argumenta sumuntur ab his, quæ ad rei substantiam, seu essentiam pertinent (substantia enim hic non accipitur pro predicamento, sed pro rei quidditate, quomodo accidentibus etiam convenit) vel substantiam comitantur: qui locus est duplex, vel a substantia, vel a comitantibus substantiam. Locus a substantia est, quando argumentum sumitur ab his, quæ ad essentiam attinent, & convertibiliter se inferunt; talia sunt definitio, & definitum. Diximus convertibiliter se inferunt, quia si solummodo locus a substantia explicetur, quod sumatur ab his, quæ ad essentiam attinent, ut facit Ruvius, sic sub isto loco non tantum

locus a definitione, sed a genere, a specie, a partibus, &c. comprehenderentur, cum tamen a Summulistis ista loca sub loco a concomitantibus substantiam ponantur, eo quia non explicant essentiam convertibiliter, igitur a communi sententia non recedamus: locus a substantia proprie est locus a definitione ad definitum, per definitionem non solum potest intelligi definitio proprie dicta, quæ per genus, & differentiam solum explicat essentiam rei, verum etiam descriptio, & interpretatio nominis; descriptio est oratio explicans essentiam rei per genus, & accidens proprium, vel plura accidentia communia circumscriptiva propriam differentiam, ut homo est animal risibilis, homo est animal bipes ad beatitudinem ordinatum: interpretatio est explicatio nominis, & est duplex; quædam, quæ cum interpretato convertitur, ut theologia est sermo de Deo, quædam, quæ non convertitur, ut lapis idest ladens pedes, nam multa ladunt pedes, quæ non sunt lapides; in presenti de prima est sermo.

37 Locus igitur a definitione ad definitum est habitudo identitatis, seu convertibilitatis ipsorum ad invicem, unde quatuor maximæ ab istis eruntur, duæ affirmativæ, & duæ negativæ. Prima est *De quocumque prædicatur definitio, prædicatur definitum*, ut Petrus est animal rationale, ergo est homo. Secunda affirmativa est *Quicquid prædicatur de definitione, prædicatur de definito*, ut animal rationale est mobile, ergo homo est mobilis. Tertia negativa, *A quocumque removetur definitio, & definitum removetur*; ut albedo non est animal rationale, ergo albedo non est homo. Quarta negativa *Quicquid removetur a definitione, removetur a definito*, ut animal rationale non est lapis, ergo homo non est lapis: in prima, & tertia definitio est prædicatum, in secunda, & quarta est subjectum. Idem dicendum de interpretatione, & interpretato, de descriptione, & descripto.

Quoniam autem definitio, & definitum convertibiliter dicuntur, possunt alia quatuor maximæ formari a definitione ad definitionem, dicendo *De quocumque prædicatur definitum, prædicatur definitio*, &c. ita ut definitum sit inferens, & definitio illatum: propter quam convertentiam similes maximæ confici possunt a differentia specifica ad speciem, & a proprio ad subjectum, & e contra mutatis nominibus.

Notandum est tamen, quod duo præcipue requiruntur, ut istæ maximæ verificentur, primum, ut termini non supponant materialiter, aut simpliciter, sed formaliter, & absolute, vel personaliter, unde non sequitur animal rationale est oratio, ergo homo est oratio, animal rationale est definitio, ergo homo est definitio: secundum, quod non accipiuntur in propositionibus, in quibus involvitur actus interior intellectus: unde non sequitur, scio Petrum esse hominem, ergo scio Petrum esse animal rationale, hoc enim potest ignorari, ita Tatar. in Summ. tr. 4. item quod accipiuntur in propositionibus de inesse, non vero in illis propositionibus, quæ secundum aliquos æquivalent modalibus, ut demonstrabile est hominem esse risibilem, ergo demonstrabile est animal rationale esse risibile, hoc est falsum, quia est principium demonstrationis immediatum, & indemonstrabile; ita Nicol. de Orb. in tract. de locis.

Rursus hic advertendum est, hunc locum a definitione non solum esse topicum, unde scilicet possit argumentum probabile deduci, sed etiam demonstrativum; & ideo dicendum est, hunc locum tunc deservire topico syllogismo, quando vel non constat esse veram, & propriam rei definitionem, vel descriptionem, quæ pro tali assumitur, vel non constat prædicatum conclusionis convenire definitioni subjecti, aut definitionem prædicati conclusionis convenire subjecto ejusdem, quod etiam proportionaliter intelligendum est de aliis locis topicis, a quibus deduci possunt argumenta necessaria.

38 Locus a comitantibus substantiam desumitur ab illis terminis, qui non convertibiliter idem important, sed unus includitur in alio aliquo modo essendi, & sunt octo: A toto, A parte, A causa, Ab effectu, A generatione, A corruptione, Ab usibus, & A communiter accidentibus: nam pars est in toto, & totum dicitur esse in parte, effectus etiam dicitur esse in causa, & ideo sumuntur duo loca a causa, & effectu: generatio dicitur esse in re genita, quia est via in formam, & corruptio unus est generatio alterius, usus etiam dicitur finis rei, & res est in suo fine, & tandem communiter accidentia sunt in suo subjecto.

Totum quia relative refertur ad partem, quor modis dicitur totum, tot etiam dicitur pars, unde locus a toto, & a parte dividitur ad divisionem totius, & partis. Totum est multiplex, scilicet universale, integrale, quantitativum, in modo, seu modale, in loco, seu locale, & in tempore, seu temporaneum, totidem etiam dividitur pars.

39 Totum universale est omne superius, & magis commune in linea prædicamentali, pars hujus totius est inferius, & minus commune, & dicitur pars subiectiva, a toto universali ad partem subiectivam valet arguere destructive, seu a negatione superioris ad negationem inferioris, & est

& est maxima, *A quocumque remouetur totum uniuersale, quolibet ejus pars remouetur*, ut non est animal, ergo nec homo, nec Leo, &c. ratio est, quia superius essentialiter includitur in inferiori, unde ubi pars est superior, nec inferius potest esse; & hoc est verum, si totum se teneat ex parte prædicati; at si est subiectum, non quicquid remouetur a toto uniuersali, remouetur ab omnibus ejus partibus, nisi in propositionibus negativis in primo, & secundo modo perfectitatis; ut animal non est lapis, ergo nec homo est lapis, nec leo, &c. in aliis vero propositionibus remouetur non ab omnibus partibus, sed ab illis sub disjunctione acceptis, ut animal non est rationale, ergo aliqua ejus species non est rationalis, scilicet vel equus, vel leo, &c. A toto uniuersali ad partem subiectivam affirmatiue non valet, nisi in propositionibus per se, siue sit subiectum, siue prædicatum, in aliis non, nisi sub disjunctione, ut modo dicebamus, ut animal est sensibile, ergo homo est sensibilis, leo est sensibilis, &c. animal currit, ergo, vel homo, vel leo currit: unde dicebat Arist. 2. Top. c. 4. si genus prædicatur de aliquo, necesse est aliquam ejus speciem de eodem prædicari, ut hoc est animal, ergo vel est homo, vel leo, vel equus, ex quibus patet, quod a toto uniuersali ad partem subiectivam non possumus habere regulam generalem, nisi primam, toto se tenente ex parte prædicati, at alio modo semper illæ regulæ limitantur, signum evidens, quod non tenent gratia formæ, sed gratia materiæ.

A parte subiectiva ad totum uniuersale non tenet destructiue, sed constructiue, seu affirmatiue, siue inferius se teneat ex parte subiecti, siue ex parte prædicati, unde sunt duæ maximæ: *Quicquid prædicatur de inferiori, prædicatur de superiori*, ut homo currit, ergo animal currit: *de quo dicitur inferius, dicitur superius*, ut Petrus est homo, ergo est animal: ratio est, quia inferius semper continet in se superius, nec sine illo reperiri potest, at superius potest esse sine aliquo inferiori, unde non valet, non est homo, ergo non est animal, quia animal potest faluari in aliis speciebus.

Dices, valet, est ens, ergo est Deus, est numerus, ergo est binarius, ergo a superiori ad inferius tenet consequentia affirmatiue. Tum quia non valet, Socrates differt a Paulo, ergo differt ab homine, Socrates incipit esse albus, ergo incipit esse coloratus, supposito, quod prius fuerit niger, ergo ab inferiori ad superius non tenet affirmatiue. Tum 3. quia valet dicere, homo non currit, ergo animal non currit, ergo ab inferiori ad superius non solum affirmatiue tenet, sed etiam negative. Resp. ad 1. illam consequentiam tenere per locum ab effectu ad causam, quia Deus est omnis entis creati causa; vel si ens supponat pro ente in uniuersali, tenet gratia materiæ propter summam Dei necessitatem in essendo, non gratia formæ, exemplum de numero valet per locum a toto integrali, ut infra. Ad 2. propositiones illæ sunt virtualiter negative, nam est sensus, Socrates non est Paulus, Socrates nunc est albus, antea non erat, ideo non tenet consequentia. Ad 3. valet illa consequentia, ut notat Tat. duobus seruat, primum quod pars consistat, idest quod vere a parte rei sit illud inferius absque tali prædicato, unde si diceretur Adam non est albus, ergo homo non est albus, non valet, quia non adest consentientia partis, nam Adam non solum non est albus, sed neque existit: secundum, quod totum non distribuatur pro omnibus, & singulis inferioribus, sed confuse supponat: his seruat potest procedi a parte subiectiva ad totum negative.

40 Totum integrale est corpus constans ex partibus quantitatem habentibus, ut domus, aut huic corpori simile, ut est totum physicum respectu partium essentialium; partes integrantes sunt partes componentes hoc totum, quæ sunt duplicis generis: alia principales, siue quibus totum nequit consistere, ut caput, cor, respectu hominis, paries, tectum respectu domus; alia minus principales, siue quibus totum potest esse, ut fenestra in domo, digitus in homine. Locus a toto integrali ad partem, & a parte ad hoc totum est habitudo ipsorum, & a toto ad partes principales tenet affirmatiue, arguendo de est 2. adjacente ad est 2. adjacens, vel arguendo de prædicatis necessario consequentibus ad est 2. adjacens, non in aliis prædicatis, ut bene notat Tat. cit. ut est domus, ergo est paries, domus est aliquid, quia ly aliquid, cum sit transcendens, consequitur ad est 2. adjacens, non tamen sequitur, domus valet centum, ergo paries valet centum. Maxima est ista, *Posito toto integrali, ponitur quolibet ejus pars principalis*; nam minus principalis non necessario ponitur: Non tamen tenet negative, non est domus, ergo non est paries, quia licet ad positionem posterioris requiratur positio prioris, non tamen ad destructionem posterioris necessario sequitur destructio prioris.

A parte integrali ad totum tenet negative in eisdem terminis, quos retulimus de toto integrali, ut non est paries, ergo non domus, non tamen sequitur, paries non valet centum, ergo neque domus. Maxima est *Destructa parte integrali principali, destruitur totum*, quia ad destructionem prioris sequitur destructio posterioris, affirmatiue vero non tenet, nisi ponantur partes omnes, & uni-

tæ, ut sunt paries, tectum, & fundamentum inter se unita: ergo est domus.

41 Totum in quantitate est terminus communis cum signo uniuersali, ut omnis homo, nullus lapis; pars in quantitate est ille terminus cum signo particulari, ut aliquis homo, vel inferiora contenta sub illo communi termino, ex quo sequitur, quod totum, & partes hujusmodi debent supponere non materialiter, sed personaliter, ut optime notat Orbellus; a toto in quantitate ad partes tenet consequentia tam affirmatiue, quam negative, siue sit subiectum, siue prædicatum, eo quia totum hoc distribuatur pro omnibus, & singulis inferioribus, & formantur duæ maximæ in genere, vel quatuor in specie, *Quicquid affirmatur, vel negatur de toto in quantitate, affirmatur, vel negatur de omnibus, & singulis partibus*, ut omnis homo currit, ergo Socrates currit, Petrus currit, &c. Secunda, *De quo affirmatur vel negatur totum in quantitate, affirmantur, vel negantur ejus partes*; ut lapis nullum habet sensum, ergo nec habet visum, nec auditum, &c.

Dices, non sequitur, omnes Apostoli sunt duodecim, ergo Paulus est duodecim; item omne animal fuit in arca Noe, ergo Bucephalus fuit in Arca Noe. Resp. ex dictis 1. p. tr. 1. c. 10. & tr. 3. c. 4. quod descensus sub termino communi, seu illato consequentia a toto in quantitate ad partes, debet fieri juxta suppositionem illius termini in tali propositione: hinc quia in prima supponit collectivè, debet illatio fieri ad partes simul sumptas, & quia in secunda supponit distributive pro generibus singulorum, debet inferri descensus tali suppositioni accommodatus.

A partibus in quantitate, si omnes simul sumantur, tenet ad totum, tam affirmatiue, quam negative, tam a parte subiecti, quam a parte prædicati; & sunt duæ maximæ, ut de toto diximus, *Quicquid affirmatur, vel negatur de omnibus partibus simul sumptis, affirmatur, vel negatur de toto in quantitate*, ut Socrates currit, Petrus currit, & sic de aliis, ergo omnis homo currit. Secunda, *De quo affirmantur, vel negantur omnes partes simul sumptæ, affirmantur, vel negantur totum in quantitate*, ut Petrus habet visum, gustum, &c. ergo habet omnem sensum.

42 Totum in modo est terminus communis sine aliqua determinatione sumptus, ut homo Philosophus; pars in modo est terminus communis cum aliqua determinatione acceptus, ut homo albus: homo dicitur totum, quia ad plura se extendit, quam modificatus per album, unde totum uniuersale distinguitur a toto in modo, quia illud respicit inferiora essentialia, istud inferiora accidentalialia, ut homo, ut totum uniuersale, respicit Petrum, Franciscum, &c. præciendo ad accidentibus, sed solum ut homines sunt; homo vero ut totum in modo respicit inferiora quatenus determinata, & distincta per aliquas accidentarias determinationes, ut hominem album, hominem nigrum &c.

Est etiam not. quod determinatio modificans terminum communem est triplex, alia est distrahens, seu alienans, quæ repugnat suo determinabili, & tollit rationem sui determinabilis, ut homo mortuus, pictus, irrationalis, &c. alia est diminuens, quæ non tollit omnino rationem illius, cui adjungitur, sed partim diminit, ut homo cognitus, album secundum dentes, alia est contrahens, seu restringens, & est quæ non tollit, aut diminit significatum termini communis, immo ipsum supponit, facit tamen stare pro paucioribus suppositis, ut homo albus; ut recte arguatur a toto in modo ad partem, & e contra, modus debet sumi in tertio sensu, nam non sequitur cadaver non est homo, ergo non est homo mortuus; Petrus non est homo mortuus, ergo non est homo; neque sequitur, rosa est cognita, ergo rosa est; æthiops est albus secundum dentes, ergo est albus. Atramen ut recte arguatur a toto in modo ad partem secundum determinationem contrahentem, requiritur adhuc, quod copula æque primario afficiat tam terminum, quam modum a parte prædicati, & ratione utriusque per copulam tribuatur subiecto, ut Petrus sit homo doctus, ergo sit homo, non valet, quia ly sit non afficit hominem, sed ly doctum; his observatis a toto in modo ad partem, tenet negative tam in subiecti, quam in prædicati, ut Petrus non est lignum, ergo non est lignum album, homo non est lapis, ergo homo albus non est lapis, non tamen affirmatiue, ut Petrus est homo, ergo est homo albus, homo currit, ergo homo albus currit, nisi in ordine ad prædicata primi, & secundi modi, ut homo est risibilis, ergo homo albus est risibilis, quæ consequentia tenet gratia materiæ, quamvis propositio non sit per se, unde maxima *Destructo toto in modo, destruitur quolibet ejus pars*.

A parte in modo ad totum tam subiciendo, quam prædicando tenet constructiue, dummodo termini non supponant simpliciter, sed personaliter, ut homo albus currit, ergo homo currit, Socrates est homo albus, ergo est homo: Maximæ sunt istæ, *Quicquid prædicatur de parte in modo, prædicatur & suum totum*. Diximus, si suppositio non sit simplex, nam non sequitur, homo albus est ens per accidens, ergo homo est ens per accidens, ly homo albus

albus supponit simpliciter pro illo aggregato; & idem omnino dicendum hic, quod supra diximus de loco a parte subiectiva ad totum uniuersale, quomodo scilicet possit etiam negative procedi.

43 Totum in loco est dictio comprehendens adverbialiter omnem locum, ut ubique, nullibi, pars totius in loco est dictio comprehendens aliquem locum adverbialiter, ut hic, illic; Similiter totum in tempore est dictio adverbialis comprehendens omne tempus, vel semper nunquam, pars totius in tempore est dictio adverbialis significans aliquam partem temporis, ut hodie, heri, &c. ab istis totis ad partes tenet consequentia tam affirmatiue, quam negative, ut Deus est ubique, ergo est hic, Antichristus nullibi est, ergo non est hic, Deus est semper, ergo est hodie, Deus nunquam fuit malus, ergo neque hodie est malus, & sunt duæ maximæ, *Quicquid convenit totum in loco, vel in tempore, convenit etiam pars: A quocumque remouetur totum in loco, vel in tempore, remouetur etiam pars*.

A partibus vero in loco, & in tempore ad totum semper tenet negative, ut Cæsar non est hic, ergo non est ubique; non est hodie, ergo non fuit semper, & sit hæc maxima, *quo remouetur pars in loco, vel in tempore, remouetur totum in loco, vel in tempore*; hæc tota possunt reduci ad totum in quantitate, & eisdem regulis omnino possumus uti.

44 Locus a causa ad effectum, & ab effectu ad causam est habitudo, quam habent ad invicem hi termini, & sicut causa est quadruplex, efficiens, materialis, formalis, & finalis, ut diximus tr. præc. d. c. 6. sic quatuor loca possunt a causa, & ab effectu desumi; & primo a causa efficiente ad effectum sit argumentatio respectu horum prædicatorum, est, sit, bonum, & malum, proportionaliter accomodando juxta exigentiam habitudinis causæ ad effectum, & e contra, idest si est sermo de causa in potentia, arguatur ad effectum ut potest esse; si de causa in actu, ad effectum, ut est in actu, & sit, ut Philosophus est, ergo potest docere, docens actu est, ergo discens actu est, dominicans est bonus, ergo domus sit, vel erit bona, est malus, ergo erit mala; quod non est intelligendum de bonitate aut malitia morali, vel entitativa, nam peccator potest esse optimus artifex, sed de bonitate, & malitia causæ, & effectus, idest in quantum causa efficiens est, & non addit impedimentum ex alio capite; & dantur maximæ a causa efficiente ad effectum, & e contra alia duæ ab effectu ad causam efficientem. *Posita, vel remota causa efficiente in potentia, vel in actu, ponitur, vel remouetur effectus in potentia, vel in actu*: Secunda, *Posita causa efficiente boni, vel mali ponitur effectus bonus, vel malus: ex parte effectus Posito, vel remota effectu, in potentia, vel in actu, ponitur, vel remouetur causa efficiens in potentia, vel in actu*; Secunda, *Posito bono effectu, vel malo, ponitur causa efficiens bona, vel mala*.

Causa materialis est duplex, una permanens, ut æs in statuta ænea, alia transiens, ut semen in arbore, farina in pane, ab ista causa sumuntur duæ maximæ, 1. *Posita causa materiali, possibilis est suus effectus*, ut posito ferro possibilis est gladius, 2. *Remota causa materiali, remouetur effectus*, ut remotis lapidibus, signis &c. remouetur domus. Ab effectu quoque ad istam causam duæ maximæ sumuntur, 1. affirmatiue, *Posito effectu ponitur materiam permanentem esse, & transientem fuisse 2. negativa. Remoto effectu, remouetur causa materiali in actu, non tamen in potentia*.

A causa formali in actu sunt duæ maximæ ad effectum, & e contra, inferuntur enim ad invicem, *Posita, vel remota causa formali, ponitur, vel remouetur effectus formalis*, ut albedo est, ergo album est; albedo non est, ergo album non est; ab effectu quoque similis maxima desumitur, *Posito, vel remota effectu, ponitur, vel remouetur causa formalis*, ut album est, ergo albedo est; diximus a causa formali in actu, quia potest esse aliqua forma separata, quæ nullum actu effectum causet, ut anima separata, & accidentia in Sacramento altaris, a qua causâ non valet inferre effectum.

A fine ad effectum sumitur locus in ordine ad ista prædicata bonum, & malum, & tenet affirmatiue, & negative; idem dicendum de loco ad effectum ob hanc causam, unde sunt istæ maximæ, *Cujus finis est bonus, vel malus, effectus est bonus, vel malus, & si effectus est bonus, vel malus, finis ejus erit bonus, vel malus*, ubi not. quod effectus finis præcipue sunt media ad consequendum ipsum, quæ sunt duplicia: alia, quæ ex sua natura habent proportionem, & ordinationem ad finem, & assumuntur secundum rectum dictamen rationis, ut operationes meritoriarum ad consequendum beatitudinem, medicina ad acquirendam sanitatem; alia, quæ per accidens, & non secundum prudens dictamen rationis ordinantur ad finem, ut si quis æger potum aquæ assumeret ad sanitatem acquirendam, aut furtum propter eleemosynam, regulæ datæ intelliguntur de primis, non de secundis.

45 Locus a generatione est habitudo generationis ad genitum; generatio hic capitur proceptione cuiuscumque esse, siue substantialis, siue accidentalis, & sit argumentatio respectu prædicatorum boni, & mali, & est talis

maxima. *Cujus generatio bona est, genitum bonum est, cuius generatio mala est, genitum malum est*, & e converso potest argui a genito ad generationem, ut aurum est bonum, ergo generatio auri est bona; generatio, est mala, ergo fur est malus, & hoc sequitur, quia generatio terminatur ad esse rei, quare, si illud esse erit bonum, bona erit generatio, non mala.

Corruptio est deperditio alicujus esse, & quia non terminatur ad esse rei, sed ad non esse, hinc desumitur talis maximæ: *Cujus corruptio est bona, corruptum est malum, & cuius corruptio est mala, corruptum est bonum*, nam si esse rei est bonum, carentia ipsius est mala, si malum, erit bona, & eodem modo arguitur a corrupto ad corruptionem, ut hæretici sunt mali, ergo illorum corruptio est bona, Doctores ecclesiæ sunt boni, ergo eorum corruptio est ecclesiæ mala.

Dices, mors Christi fuit bona ecclesiæ, ergo Christus fuit malus ecclesiæ, quod est falsum; ergo falsa illa regula. Resp. hanc regulam uniuersaliter valere, quando ex opposito ab esse geniti arguitur generatio mala, nam tunc recte inferitur, quod si generatio est mala, corruptio illius est bona, quando vero ex bonitate corruptionis nequit argui malitia generationis, signum erit, quod talis bonitas corruptioni non ex se, sed ab extrinseco provenit, ut est in casu, in tantum enim mors Christi fuit bona, quia fuit a Deo ad nostram salutem ordinata, sic Sancti sunt boni, & tamen ipsorum mors dicitur in Psalm. pretiosa, quatenus a Deo ordinatur ut meritoria vitæ æternæ.

Ufus est exercitium alicujus rei, quæ res dicitur usitata, & ab usu desumitur locus, ut a causa finali respectu mediorem in ratione boni, & mali. *Cujus enim usus bonus est, ipsum bonum est*; quare nihil de novo currit dicendum.

Tandem communiter accidentia sunt duplicia, alia, quæ non semper se consequuntur, ut esse album, & doctum, alia, quæ se inferunt saltem ut plurimum, & hoc dupliciter, vel pro eodem tempore, ut est interpositio terræ, & eclipis Lunæ, vel pro alio tempore, ut sunt mors, & vita, partus, & conceptio, a primis non potest desumilocus, sed a secundis, & si ad invicem inferuntur pro eodem tempore, tunc ab uno ad aliud tenet consequentia affirmatiue, quam negative, & e contra, ut in exemplo adducto de eclipis; at si pro diversis temporibus se inferunt, tunc affirmatiue *A positio posterioris sequitur positio prioris*, non e contra, ut peperit mulier, ergo concepit, mortuus est, ergo vixit; torquetur, ergo commisit errorem; Negative vero arguitur *A destructio prioris ad destructionem posterioris*, non vixit, ergo neque mortuus est.

Dices penitere supponit delictum, & tamen non valet, Christus egit penitentiam, ergo deliquit. Resp. penitentia proprie est dolor de peccatis a se commissis, & hic dolor supponit delictum, quam penitentiam non habuit Christus.

CAPUT IV.

De locis extrinsecis.

46 Locus extrinsecus est, quando terminus inferens est in illato secundum aliquem modum essendi, sed omnino est extra illum, & sunt isti, Ab oppositis, A majori, A minori, A simili, A propositione, A transumptione, & Ab auctoritate.

Locus Ab oppositis est habitudo unius oppositi ad aliud; & quia oppositio est quadruplex ex dictis 1. p. tract. 1. cap. 9. scilicet relativa, contraria, privativa, & contradictoria, ab his omnibus sumuntur loci, & maximæ. At tamen de oppositis in communi sunt duæ maximæ omnibus convenientes. Prima *De quocumque affirmatur unum oppositorum, negatur alterum respectu ejusdem, & secundum idem*, quod ponitur, quia idem potest esse filius, & pater respectu diversorum, idem potest esse mobile, & movens respectu ejusdem formæ, ut cum aqua se reducit ad pristinam frigiditatem, sed non secundum idem, nam aqua esse movens, ut est in actu virtuali, & potentiam habet activam; est mobilis, ut est in potentia formali, & passiva Secunda, *Opposita oppositis conveniunt*, ut si pater est superior, filius est inferior, si virtus est bona, vitium est malum. Tria vero ex Moris. hic requiruntur ad veritatem hujus regulæ, primum, quod propositio antecedens sit per se: unde non valet, album est dulce, ergo nigrum est amarum; secundum, quod quando termini antecedentes se habent ut inferius, & superius, in consequenti oppositum superioris contradictorium ponatur a parte subiecti, ut homo est animal, non sequitur, ergo non homo est non animal, sed non animal est non homo; Tertium, quod illa contraria non opponantur sub eodem genere per excessum, & defectum, ut non valet, avaritia est mala, ergo prodigalitas est bona.

A relative oppositis arguitur tam affirmatiue, quam negative quoad verbum est de secundo adjacente, unde est maxima, *Posito, vel remota uno relativo, ponitur, vel remouetur alterum*, ut si pater est, filius est, si pater non est, filius non est.

47 Contrariorum alia sunt mediata, quæ medium habent secun-

secundum formam, ut album, & nigrum, inter quæ sunt medii colores; alia immediata, inter quæ nulla forma mediat per participationem extremorum, sed solum subjectum utriusque capax. A mediatis tenet affirmative, *Positio uno contrariarum in subiecto, remouetur alterum*, ut est album, ergo non est nigrum, non tamen e contra, non est nigrum, ergo est album, quia potest esse viride. Ab immediatis tenet etiam negative, ut *Remouo uno in subiecto existente, & capax, ponitur alterum*, ut non est sanus, ergo est æger; diximus in subiecto existente; quia requiritur constantia subiecti; unde non sequitur Antichristus non est sanus, ergo est æger; diximus in subiecto capax, quia si non est capax, nec etiam valet, ut lapis est sanus, ergo est æger, & hoc quia ista contrariam annexam habent oppositionem aliquam privativam.

A privativæ oppositio tenet conseq; affirmative, unde *Positio uno in subiecto, remouetur alterum*, negative tamen non tenet, nisi sit constantia objecti, ejus capacitas, ut de immediate contrariis diximus, & tempus determinatum, quia Catulus ante nonum diem non est videns, non tamen est cæcus, quia non habet determinatum tempus a natura ad videndum. Sed est hic not. quod aliquando privatio negat actum, ut tenebra, aliquando negat etiam principium illius actus, ut cæcitas, a prima valet semper arguere negative, *Remouo non privatio oppositio ponitur alterum*, ut aer non est lucidus, ergo est tenebrosus; a secunda vero non valet arguere a simplici negatione actus ad privationem, ut Petrus non videt, quia dormit, ergo est cæcus.

48 Contradictorie opposita alia sunt incompleta, & sunt termini quorum unum est finitus, alter infinitus, ut homo, & non homo; alia completa, ut sunt propositiones affirmative, & negativa de eisdem terminis: in primis potest dari medium in propositionibus sumptis cum aliquo finitogremate, ut cum Doct. diximus p. i. tract. 2. c. 7. & 10. & ideo non valet semper arguere a positione, vel negatione unius ad positionem, vel negationem alterius: in secundis nullum potest dari medium, & ideo potest in ipsis argui tam constructive, quam destructive respectu horum prædicatorum veri, & falsi; unde est maxima: *Si unum contradictorium est verum, alterum est falsum*: ut falsum est me legere, ergo verum est me non legere.

Præter ista oppositorum genera dantur etiam disparata, quæ ad invicem non possunt verificari, ut homo, & asinus, ab istis arguitur affirmative; ut est homo, ergo non est asinus, non tamen negative; ut non est homo, ergo est asinus; Sed debent adesse duæ conditiones, ut notat Tatar. hic, prima, quod ista disparata non subiciantur in propositione, aliter non semper recte argueretur, ut homo est animal, ergo asinus non est animal; secunda, quod in accidentibus arguatur in terminis abstractis, quamvis in substantiis possit argui etiam in terminis concretis, unde non valet, lac est album, ergo non est dulce.

49 Locus a majori ad minus, & a minori ad majus est habitudo istorum terminorum, ubi not. cum Tat. hic per majus intelligitur illud, quo habet majorem apparentiam, & probabilitatem ostendi, & conveniendi alicui subiecto; per minus intelligitur id, quod habet minorem apparentiam conveniendi, v. g. facilius est superare decem quam mille, facilius est expugnare unam civitatem, quam regnum, ideo illud dicitur majus, hoc minus, & potest tripliciter fieri comparatio, vel unum prædicatum ad duo subiecta comparatur, ut debellare provinciam respectu regis, & militis, vel duo prædicata ad idem subiectum, ut ferre centum, & ferre decem in ordine ad eundem hominem, vel tertio duo prædicata ad duo subiecta, ut ferre centum, & ferre decem respectu hominis adulti, & parvuli: A majori ad minus tenet negative, & fit maxima, *Si id, quod magis videtur inesse, non inest, neque quod minus videtur inesse, inest*, ut si homo adultus nequit ferre decem, neque parvulus poterit ferre centum: A minori ad majus tenet affirmative, & est ista maxima, *Si quod minus videtur inesse, & inest, ergo quod magis videtur inesse, inest*; ut si miles potest civitatem debellare, ergo, & Rex; in hoc tamen non sequitur, miles potest facere decem, ergo, & Rex; nam quamvis videatur argui a minori ad majus propter majorem Regis potentiam, verè tamen arguitur a majori ad minus, nam probabilius est militem posse majorem laborem sustinere, quam possit Rex; quia, ut diximus, per majus, & minus intelligitur major, vel minor probabilitas, vel facilitas rei.

Locus a simili parum differt a loco a proportionem, si accipitur simile non pro convenientia solum in qualitate, sed pro quacumque, & tenet tam affirmative, quam negative, si arguatur quod illa, in quibus est proportio, & similitudo, & est maxima, *De similibus, & proportionalibus est idem iudicium*, ut sicut se habet Rex in Regno, ita Generalis in Religione, sed Rex debet esse prudens, & sapiens, ergo & Generalis; diximus, si arguatur quod illa, &c. nam non valet, Rex debet habere milites, ergo & Generalis.

Ab isto loco sumitur modus arguendi a commutata proportionem, in quo sunt istæ regulæ, ut notat Doct. in 2. d. 36. K. in 4. d. 43. q. 3. C. Prima, quod accipiantur quatuor termini, & primus comparetur cum secundo, tertius cum quarto. Deinde commutando, ut primus comparetur

cum tertio, & secundus cum quarto, ut sicut se habet duo ad quatuor, ita tria ad sex, ergo commutando sicut se habet duo ad tria, ita quatuor ad sex; sed duo ad tria est proportio sesquialtera, qui includit duo, & medietatem ipsius, ergo quatuor ad sex erit proportio sesquialtera: Secunda regula est, quod quando fit in aliis rebus a quantitate, fiat in terminis convertilibus, & contradictoriis, nec unum sit superius, alterum inferius, & hoc vult dicere Doct. ibi, cum ait, argumentum a commutata proportionem tenere in omnibus quantum ad contradicere, & converti, in aliis non necessario tenet, unde non valet, sicut se habet superficies ad hanc superficiem, ita color ad hunc colorem, ergo commutando sicut se habet superficies ad colorem, ita hæc superficies ad hunc colorem, sed superficies nequit esse sine colore, ergo neque hæc superficies sine hoc colore, non valet, quia termini non contradicunt, sed sunt positivi: similiter non valet, sicut se habet homo ad non hominem, ita animal ad non animal; ergo; commutando sicut se habet homo ad animal, ita non homo ad non animal, sed quod est homo, est necessario animal; ergo quod est non homo, est necessario non animal, non valet, quia licet termini contradicant, se habent tamen ut superius, & inferius, unde in hoc casu, inquit Doct. non debet comparari secundus cum 4. sed quartus cum 2. quia ab inferiori ad superius non tenet negative, sed bene a superiori ad inferius, hinc extrema contradictoria non habent eandem vim se inferendi ad invicem, sicut sua opposita, ut patet ex dictis; quando ergo servantur istæ duæ regulæ, valet commutata proportio non solum in quantitatibus, verum etiam in aliis rebus, ut sicut se habet homo ad non hominem, ita rationale ad non rationale, ergo sicut se habet homo ad rationale, ita non homo ad non rationale, sed Brunellus est non homo, ergo est non rationalis.

Transumptio est duplex, una, quando aliqua vox sumitur ad significandum significatum alterius vocis propter quandam similitudinem, & analogiam in illis repletam, & dicitur metaphora, ut cum risus tribuitur florere pratorum; altera, quando unum nomen minus notum declaratur per aliud magis notum, & hoc modo sumitur hic, & differt a nominis definitione, quia definitio nominis convertitur cum definito, & in ipsa accipitur expositio nominis, ut philosophus, idest, amator sapientiarum, & in transumptione solum recipitur nomen ut notius, ut si quis pro Philosopho uteretur sapientis nomine, & tenet affirmative, & negative, estque maxima, *Quicquid quæ alicui convenit, vel disconvenit sub nomine magis noto, convenit, vel disconvenit illi sub nomine minus noto*, ut sapiens fludet, ergo philosophus studet: ex quo deducitur, proprie hunc locum non esse extrinsecum, quia hæc nomina eandem rem significant.

Tandem autoritas est iudicium sapientum in propria scientia, & locus ab autoritate habet hanc maximam, *Cuiuscunque experto in sua scientia est credendum*; & quo magis est expertus, eo minus falli potest, & consequenter majorem inducet probabilitatem, & quia Deus non potest falli, aut mentiri, ideoque autoritas divina maximam inducit certitudinem, at homines, quia sunt fallibiles, quamvis sapientissimi, non inducunt firmum testimonium, nisi aliqua sit ratio illud comprobans: locus iste tenet affirmative, ut Astrologus ait, cælos mobiles esse, ergo sunt mobiles, negative tamen non tenet ab autoritate negata, ut Arist. non dixit expresse animam rationalem esse immortalem, ergo non est immortalis; non tenet, valet autem ab autoritate negativa, quando expresse ab aliquo sapiente negatur aliquid, ut Arist. negavit infinitum, ergo non datur.

CAPUT V.

De locis mediis.

50 Locus medius est, quando termini inferens, & illatus partim conveniunt, & partim differunt, vel se habent ut membra dividenda, & sunt tres, scilicet, A conjugatis, A casibus, & A divisione.

Conjugata quasi idem jugum ducentia sunt denominantia, & denominativa, quæ idem habent significatum principale, licet in modo significandi differant. Ab his parum differunt casus, nam conjugata sunt nomina ab uno provenientia, ut sapiens a sapientia, casus vero sunt five nomina, five verba, five adverbia ab uno derivantia, ut bonum, bene, a bonitate, sapiens, sapienter, a sapientia. Ab istis ergo conjugatis, & casibus arguitur tam affirmative, quam negative per illam maximam: *Quicquid convenit, vel repugnat uni conjugatorum, vel casuum, convenit, vel repugnat reliquo, & Cui inest, vel non inest unum conjugatorum, & casuum, inest, vel non inest reliquum*, ut album est coloratum, ergo albedo est color, iustum est bonum, ergo quod iuste fit, bene fit.

Pro veritate tamen hujus argumentationis assignantur plures regulæ. Prima, quod non fiat in terminis, ultima abstractione abstractis, ut notat Doct. 1. d. 5. qu. 1. unde non valet, albedo est color, ergo albedineitas est coloreitas: homo est animal, ergo humanitas est animalitas. Secunda,

cunda, quod fiat in prædicatis per se maxime si affirmative arguatur, vel si negative ab abstractis ad concreta, ut non valet, album est dulce, ergo albedo est dulcedo, vel albedo non est dulcedo, ergo album non est dulce; quamvis a concretis ab abstracta negative semper valeat. Tertia, ut non sit factum aliquod miraculum circa formam, idest si albedo esset a subiecto separata, non valeat, albedo est color, ergo album est coloratum, tunc enim non datur concretum ad subiectum. Quarta, quod fiat in diversis prædicatis; & nomina cum nominibus, adverbia cum adverbis copulenter, unde non valet, album est coloratum, ergo albedo est colorata, sed albedo est color, & iustum est bonum, ergo iuste agere bene est.

Divisio est duplex pro nunc, una, quæ datur per negationem, ut hoc vel est ens, vel non ens, sed non est ens, ergo est non ens, & datur maxima, *Si aliqua duo dividunt aliquod tertium, si illi tertio inest unum eorum, non inest alterum*, ut patet in exemplo adducto.

Altera divisio est, quæ datur per affirmationem, & est duplex, alia per se, alia per accidens, prima est triplex, vel generis in species per differentias, ut animalium aliud rationale, aliud irrationale, vel totius integralis in partes, ut domus in tectum, parietem, &c. vel vocis in sua significata, ut canis alter cælestis, alter terrestris, alter marinus. Secunda divisio etiam triplex est, alia subiecti in accidentia, ut animalium aliud album, aliud nigrum; alia accidentis in subiecta, ut aliud nixi, aliud papirus. Tertia accidentis in accidentia, ut dulcium aliud album, aliud nigrum.

Locus a divisione tenet tam constructive, quam destructive; & dantur istæ maximæ: *Ab affirmatione divisi de aliquo cum negatione alterius membri de eodem, vel omnium dempto uno ad affirmationem alterius tenet consequens*; dicitur ab affirmatione divisi de aliquo, quia subiectum debet contineri sub diviso, & sub illo genere, unde non valet, lapis non est animal rationale, ergo est animal irrationale, dicitur, *vel omnium dempto uno*, quia si divisum habet plura membra, a negatione unius non sequitur affirmatio alterius, ut est canis, & non est cælestis, ergo marinus. Secunda: *Positio uno membrorum dividendum in aliquo subiecto, remouetur alterum*, ut homo est rationalis, ergo non est irrationalis; dummodo tamen membra non coincident, sed omnino sint diversa.

TRACTATUS III.

De Syllogismo Sophistico.

CAPUT I.

De fallaciis in genere.

51 Remanet pro complemento harum Institutionum Logicalium, ut de syllogismo irrisorio, seu sophistico agamus, non quidem ut possimus deinde disputando aliquem fallere, indignum est enim scientifico viro, sed ut sciamus insidias, & sophisticarum captiones evitare: cuius notitiæ tanta est utilitas, ut noster Ochoam in 4. p. partis tertie Logic. cap. 1. asseruerit, neminem sine naturalem philosophiam, five moralem, ius civile, aut canonicum, Metaphysicam, & Theologiam perfecte acquirere posse sine notitia fallaciarum, imo necessaria ista ignorans in multis probabitur errores: nequit enim vitari malum, si non cognoscatur.

Syllogismus itaque sophisticus est syllogismus deceptorius ex apparentibus concludens errorem, quæ tamen vera non sunt; unde sicut in rebus dantur colores apparentes, ut in collo columbaræ radiis Solis expositæ similes veris coloribus, ita syllogismus apparens non est verus syllogismus, sed similis illi; quapropter syllogismus ille, qui ex evidentibus falsis constat, non dicitur sophisticus propter non apparentiam. Tripliciter autem hic syllogismus potest dici a vero declinare, vel quia peccat in forma, quia scilicet non fit in modo, & figura; vel quia peccat in materia, si terminos æquivocos continet, quæ deviatio implicite arguit primam, nam cum terminus æquivocus sit multiplex, non valet, consequenter nullus syllogismus talis erit ex tribus terminis, sed ex quatuor; vel tandem, quia peccatur in utroque: de defectibus circa formam satis diximus in 1. p. tract. 3. dum regulas veri syllogismi assignavimus, restat, ut defectus circa materiam aperiamus, fallacias communiter nuncupatas.

52 Fallacia igitur, quamvis multas habeat acceptiones, in præsentibus sumitur pro loco sophistico, seu illa propositionem, in qua fundatur syllogismi deceptorii, & qua consequentia falsa ostenduntur, ut veræ, sicut enim dantur loca topica, quæ maxima, & differentia maximæ dicuntur, e quibus probationes eruantur ad inferendam conclusionem probabilem, & dicuntur locus a substantia, locus a definitione, &c. sic dantur loca sophistica; & ab illis maximis

denominantur, unde dicitur fallacia æquivocationis, fallacia amphibologiæ &c. & in qualibet istorum datur causa apparentiæ, quæ movet ad credendum illud, quod non est, & causa deceptionis, quæ facit creditum esse falsum, & latet in causa apparentiæ.

Fallacia in communi dividitur in fallaciam in dictione, & in fallaciam extra dictionem; fallacia in dictione est, cuius causa apparentiæ sumitur ex parte dictionis, quatenus, scilicet, idem signis non significatur unum, sed plura, & dicitio hic accipitur tam pro termino incompleto, quam pro complexo, & oratione: hujus species sunt sex, scilicet, fallacia æquivocationis, amphibologiæ, compositionis, divisionis, accentus, & figuræ dictionis: Fallacia extra dictionem est, quæ causam apparentiæ sumit ex parte rerum propter ignorantiam plurium habitudinum, quæ habent ad invicem, non quidem ut sic, sed ut tales res per voces significancur, & explicancur, unde prima sumit causam apparentiæ ex parte multiplicis significationis dictionis, secunda ex parte multiplicis habitudinum rerum significatarum, & hujus sunt septem species, scilicet, Accidens, Secundum quid ad simpliciter, Ignorantia, Elenchi, Petitio principii, Consequens, Non causa ut causa, & Secundum plures interrogationes ut unam.

CAPUT II.

De fallaciis in dictione.

53 Prima fallacia in dictione est fallacia æquivocationis, quæ est idoneitas decipiendi ex imitate vocis diversa omnino significantis, unde causa apparentiæ est unitas vocis, causa deceptionis est pluralitas significatarum, & tripliciter potest contingere, primo quando aliquis terminus est æquivocus a casu, ut cum plura immediate significat absque analogia, & in una præmissam pro uno supponit, in altera pro altero, ut in communi exemplo de cane cælesti, & terrestris, omnis canis currit, fidus celestis est canis, ergo currit; ut præmissæ sint veræ, in majori ly canis supponi debet pro terrestris, in minori pro cælesti, & sic argumentum est in quatuor terminis, vel si pro altero tantum supponit, una illarum est falsa. Secundo potest contingere, quando aliquis terminus est æquivocus a consilio, & cum analogia admixtus plura significans ordine quodam, quatenus unum proprie significat, alterum vero per transumptionem, & metaphoram, ut quicquid currit habet pedes, aqua currit, ergo habet pedes. Tertio quando una dicitio per se accepta unum significat, sed sumpta cum alia plura significat, ut mortale significat, quod potest mori, at sumptum cum propositione *ita* potest significare, vel quod potest non mori, quomodo negat actum moriendi, vel quod non potest mori, quomodo negat actum, & potentiam ad moriendum, si arguatur, omne immortale est æternum, quod potest non mori, est immortale, ergo quod potest non mori, est æternum; in ma. immortale negat actum, & potentiam, in mi. negat actum; item omnis injustus est puniendus, lapis est injustus, ergo puniendus, in ma. ly injustus dicit non tantum negationem justitiæ, sed etiam privationem justitiæ, immo habitum positivum injustitiæ, in mi. dicit simplicem negationem, huc spectat æquivocatio proveniens ex ampliatione nominis, si cum in una terminus propter copulam de præterito supponat pro his, qui fuerunt, in altera propter copulam de præterito supponat pro his, qui nunc sunt, ut quicquid currebat, seder, ambulans currebat, ergo ambulans seder, nam ly ambulans in min. supponit pro his, qui nunc ambulant, & qui prius ambulant, at in conclus. supponit pro his, qui nunc sunt ambulantes ratione præsentis temporis.

54 Amphibologia differt ab æquivocatione, quod æquivocatio dicit multipliciter significati cum unitate vocis; amphibologia vero pertinet ad totam orationem, ut cum unica est oratio secundum materiam, & formam, sed multiplicem habet sensum, propter unitatem orationis est apparentia hujus fallaciæ, propter multipliciter sensum est deceptionis causa; & potest etiam tripliciter evenire, ut in æquivocatione, nam potest esse, quod oratio aliqua ex se plures habeat sensus, ut hic liber est Arist. potest enim dicere ly est, vel habitudinem possessionis, vel habitudinem causæ efficientis, & effectus, unde non valet, quicquid est Arist. possidetur ab Arist. hic liber est Arist. ergo possidetur ab Arist. Secundo potest contingere per transumptionem, & proverbialiter, ut laterem lavare secundum proprium sensum est aquam in laterem immittere, sed impropre, & proverbialiter significat etiam in aliqua re operam inutiliter perdere, hinc non sequitur, quicumque insanum do lavat, infundit aquam in laterem, quicumque insanum do lavat, laterem lavat, ergo &c. Tertio tandem si una oratio ex se habeat unum sensum; sed cum alia aliud significet, ut hac propositio *id cognoscit*, si ly id, sumatur in nominativo, facit hunc sensum, quod sit aliquod cognoscens, si in accusativo, facit alium, nempe quod sit aliquod objectum cognitum, unde non valet, quod quis cognoscit, id cognoscit, lapidem Petrus cognoscit, ergo lapis cognoscit, nam ut major sit vera, ly id sumi debet in accusativo, sed

sed in conclusione infirmatur, quod sumeretur in nominativo.

55 Fallacia compositionis, & divisionis cadit in illis propositionibus, quae possunt admittere sensum compositum, & divisum, ita ut secundum unum sensum sunt verae, secundum alium sensum sunt falsa, nam si secundum utrumque sensum essent verae, vel falsa, non possent decipere, quia vel non haberent falsitatem, vel non haberent apparentiam: compositio ergo ad fallaciam requisita est eorum, quae deberent separari, falsa unio; & divisio est eorum, quae deberent uniri, falsa separatio; fallacia compositionis est, cum ex oratione vera in sensu diviso infertur conclusio falsa in sensu composito; fallacia divisionis est, cum ex oratione vera in sensu composito infertur falsa in sensu diviso: causa apparentiae est materialis identitas propositionis, propter quam videtur vera in quolibet sensu: causa deceptionis est multiplicitas sensuum, quorum unus est verus, alter falsus.

Tripliciter autem contingere potest propositionem aliquam hos sensus admittere, vel quia est modalis, & de ista jam diximus in 1. p. tract. 2. c. 5. quomodo scilicet explicentur modales in sensu composito, vel diviso, & in istis potest committi fallacia compositionis, ut quemcumque possibile est esse album, possibile est, quod sit albus, possibile est nigrum esse album, ergo possibile est, quod niger sit albus, procedit a minori vera in sensu diviso ad conclusionem falsam in sensu composito: committitur etiam fallacia divisionis, ut impossibile est sedentem ambulare, Petrus sedet, ergo impossibile est Petrum ambulare, procedit a majori vera in sensu composito ad conclusionem falsam in sensu diviso.

Potest etiam secundo esse, quod aliqua propositio admittat hos sensus, quando ejus partes copulantur similibus conjunctionibus, & particulis, & vel, nec, aut, &c. quae particulae si determinant unum extremum propositionis, sumuntur conjunctim, vel disjunctim, & faciunt unam propositionem categoricam de subiecto, vel praedicato composito, unde faciunt compositum sensum; si vero determinant totam propositionem, sic sumuntur copulative, vel disjunctive, & faciunt plures propositiones hypotheticas, & sensum divisum, v. g. omne animal rationale, vel irrationale est homo, si ly vel cadit supra subiectum, sumitur disjunctim, & facit hunc sensum compositum, omne animal, siue sit rationale, siue irrationale, est homo, & est falsa propositio, si cadit supra totam propositionem, sumitur disjunctive, & generat sensum divisum, scilicet vel omne animal rationale est homo, vel omne animal irrationale est homo; similiter, duo, & tria sunt quinque, ly est sumitur copulativum, facit sensum compositum verum, nam est sensus, quod duo, & tria simul sumpta faciunt quinque, si sumitur copulative, facit sensum divisum falsum, est enim sensus, quod tam duo est quinque, quam tria est quinque, unde non valet, omne animal rationale, vel irrationale est homo, asinus est animal irrationale, ergo est homo; duo, & tria sunt quinque, duo, & tria sunt par, & impar, ergo quinque est par, & impar.

Tertio potest aliqua propositio utrumque sensum admittere, quando aliqua dictio, seu adverbium potest cum diversis conjungi, & si conjungitur cum illo, cum quo aptius videtur construi, facit sensum compositum, si cum illo, cum quo minus apte, & convenienter construitur, facit sensum divisum, aptius tamen, & convenientius est praecedens, quam sequens, & proximum, quam remotum, ut quicquid vivit, semper est, si ly semper conjungatur cum ly vivit, facit sensum compositum, & est vera propositio, si cum ly est, facit sensum divisum, & est falsa: quicumque litteras scit, nunc didicit eas, si ly nunc construat cum ly scit, est compositio vera, si cum ly didicit, est compositio falsa, unde non sequitur, grammaticus scit litteras, ergo nunc didicit eas.

56 Accentus hic capitur pro modo proferendi, vel scribendi dictionem aliquam, & quia ex diversitate hujus modi aliquando provenit diversitas significati illius dictionis, hinc committitur fallacia accentus, quae est deceptio proveniens ex identitate materiali dictionis, quae est causa apparentiae, & diversitate significati illius dictionis ex modo diverso proferendi, vel scribendi, quae est causa erroris, variatur autem dictio vel ex variatione aspirationis, ut ara significat altare, hara vero cum aspiratione significat porcorum stabulum, unde non valet, ara est in templo, stabulum porcorum est hara, ergo est in templo, vel ex variatione diphthongi, ut aequus significat justum, equus vero significat animal hinnibile, & non valet, equi sunt hinnibiles, sancti sunt aequi, ergo sunt hinnibiles: vel ex variatione accentus, & quantitatis syllabarum, ut populus si habet primam longam significat arborem, si brevem significat gentem, hinc non sequitur, omnis populus est arbor, gens Itala est populus, ergo gens Itala est arbor: vel tandem quando eadem dictio modo proferatur ut una, modo ut plures, ut in invite significat coacte ut una dictio, ut duae dictiones significat arborem vitis, hinc non recte infertur, nihil fit a Deo invite, racemi sunt in vite, ergo racemi non sunt a Deo.

57 Fallacia figurae dictionis est deceptio proveniens a si-

multitudine apparenti dictionum, vel in voce, & desinentia, vel in significato, vel in modo significandi, aut in aliquo alio, cum tamen re vera differant; quod tripliciter esse potest: Primo si quis crederet dictiones omnes similes in voce, vel desinentia esse ejusdem generis, vel masculini, vel feminini, vel neutri, ut omnis substantia est bona, poeta est substantia, ergo poeta est bona, ubi quia tam substantia, quam poeta desinit in a, posset quis credere ejusdem generis feminini esse; idem potest in verbis contingere, ut calefacere est agere, calefieri est pati, ergo intelligere, & videre est agere, intelligi, & videri est pati.

Secundo contingit, quando sub termino distributivo unius praedicamenti subsumitur terminus alterius praedicamenti, vel sub termino distributivo speciei unius praedicamenti subsumitur terminus alterius speciei ejusdem praedicamenti; pro quo not. ex Och. & Orbel. hic, quod sicut diversae interrogationes conveniunt diversis praedicamentis, sic etiam diversa distributiva illis competunt. v. g. si de Petro interrogetur substantia, & quidditas, interrogatio fit per quid, dicendo, quid est Petrus? & resp. per terminos explicantes proprium genus, & propriam differentiam; si quaeratur magnitudo, interrogatio non fit per quid, hinc enim propria est praedicamenti substantia, sed per quantum, scilicet quantum est Petrus? & respondetur per terminum exprimentem quantitatem continuam, non discretam, quot enim est interrogatio ad quantitatem discretam artinens, quale ad qualitatem; quando ad praedicamentum quando, ubi ad praedicamentum ubi, &c. unde secundum quod sunt interrogationes, debet responderi per terminos proportionatos, & convenientes: pariter diversa sunt distributiva, nam distributivum substantiae est, quicquid, quilibet, distributivum quantitatis continuae est, quantumcumque, quantitatis discretae, quotcumque, qualitatis, quaecumque, praedicamenti ubi hoc signum, ubicumque, praedicamenti Quando, quodcumque, &c. Verum est quod ly quicquid, non solum est distributivum substantiae, sed cujuscumque termini absoluit, etiam si accidens sit, eo quia correspondet interrogationi factae per quid, quae etiam fit de accidentibus in terminis absolutis, & sine ordine ad subiecta, quomodo explicantur quidditates ipsorum, non in terminis connotativis, & in concreto.

Quando ergo sub distributivo alicujus praedicamenti subsumitur terminus alterius praedicamenti, vel sub distributivo unius speciei subsumitur terminus alterius speciei ejusdem praedicamenti, committitur fallacia figurae dictionis, eo quia propter similitudinem illarum dictionum credit quis licite argumentari posse in illis terminis, ut Quicquid emisti comedisti, carnem crudam emisti, ergo carnem crudam comedisti, ly quicquid est distributivum substantiae, quod subsumitur, est terminus complexus unum terminum significancem rem suam per modum substantiae, & alterum per modum qualitatis, scilicet ly crudam: Item Quicquid Deus facit mediis causis secundis potest se solo facere, Deus cum causis secundis facit actum meritorium, ergo se solo potest facere actum meritorium, quod est falsum; quia Deus non meretur, cum non habeat legem aliquam superioris, cui conformetur, unde committitur haec fallacia, nam fit transitus a distributivo praedicamenti substantiae ad terminum de praedicamento relationis, qualis est ly meritorius: similiter, quodcumque fuisi Romae, fuisi homo, bis fuisi Romae, ergo bis fuisi homo, fit transitus a praedicamento Quando, ad quantitatem discretam: Ubi adverte ex Tatar. hic, quod huic distributivo, quodcumque, aequivaleret interdum, quotiescumque, si sumatur pro qualibet temporis differentia; sed interdum significat partes temporis discretas, & interruptas, quomodo est distributivum quantitatis discretae, item quatuordecim digitos heri habuisti, hodie habes, decem digitos heri habuisti, ergo decem hodie habes, quod esset falsum, supposito quod unum amiserit, eo quia in majori est sermo de mole, & continua quantitate digitorum, in minori de numero ipsorum, debet ergo subsumi terminus aptus ad satisfaciendum interrogationi illius praedicamenti, ut quaecumque currit, disputat, si subsumatur, Sortes currit, ergo disputat, non valet, sed subsumi debet, album currit, ergo disputat; rursus, quodcumque est pater, est filius, Petrus est pater, ergo est filius, non valet, sed debet subsumi, in hoc tempore est pater, ergo in hoc tempore est filius.

58 Tertio committitur haec fallacia, ut habet Scot. r. d. 2. q. 7. II. quol. 5. d. quando qualequid mutatur in hoc aliquid, vel e contra, ut quando commune, quod dicitur qualequid, mutatur in singulare, quod est hoc aliquid, vel e contra, quo casu variatur suppositio illius termini; non tamen ad variationem cujuslibet suppositionis committitur haec fallacia, aliter hic syllogismus non esset rectus, omnis homo est animal, Petrus est homo, ergo est animal: ubi ly homo in ma. supponit distributive, in mi. determinate, sed solum quando variatur suppositio materialis in formalem, vel simplex in personalem, vel confusa in determinatam, unde non valet isti syllogismi, homo est dictio bisyllaba, animal rationale est homo, ergo &c. hic homo in ma. supponit materialiter, in mi. formaliter; homo est species, Petrus est homo, ergo &c. hic homo suppo-

supponit in ma. simpliciter, in mi. personaliter; in isto alio est eadem variatio, Socrates est alius ab homine, Socrates est homo, ergo homo est alius ab homine; omnis homo est animal: ergo omnis homo est hoc animal, ly animal in antec. supponit confuse, in conseq. determinate. Committitur etiam haec fallacia, quando arguitur a pluribus determinatis ad unam determinatam, idem quantum in antec. terminus communis supponit determinate respectu partium totius in quantitate, qualia sunt inferiora termini communis, in conseq. vero supponit determinate respectu totius in quantitate, quod est terminus communis cum signo universalis, ut animal est Petrus, animal est Paulus, & sic de aliis, ergo animal est omnis homo, ly animal supponit pro uno determinato in antec. in conseq. pro pluribus determinatis.

CAPUT III.

De fallaciis extra dictionem.

59 Inter fallacias extra dictionem prima est fallacia accidentis, utpote ceteris efficacior ad decipiendum, pro cuius notitia not. quod trium terminorum syllogismo ingrediendum, medius dicitur accidens, non quia sit semper quintum praedicabile, non enim taliter hic sumitur accidens, sed sumitur pro extraneo, quatenus est ex parte idem, & ex parte diversum cum alio termino, cui conjungitur, & de quo praedicatur, & sic tam superiora dicuntur accidentia respectu inferiorum, quam inferiora respectu superiorum, propter inadequatam identitatem inter illa; minor extremitas dicitur res subiecta, & major dicitur attributum, eo quia minori extremitati attribuitur in conclusione. Fallacia igitur accidentis est deceptio proveniens ex inadaequata, & partiali identitate accidentis cum re subiecta, quae identitas est causa apparentiae in syllogismo affirmativis, & diversitas est causa erroris, in negativis e contra, ita Doctor in p. d. 2. q. 7. II.

Tribus modis potest haec fallacia committi; primus est, quando ex conjunctione extraneitatum cum medio in praemissis infertur conjunctio ipsorum in conclusione, affirmando unum de altero, ut essentia divina est pater, filius est essentia divina, ergo filius est pater; committitur fallacia accidentis, quia, inquit Doctor, major identitas concluditur in conclusione, quam fuerit in praemissis assumpta, in praemissis enim erat sermo de identitate in essentia, quae si concluderetur in conclusione, esset vera, filius enim est idem cum Patre essentialiter, at illa concluditur identitate per se, quapropter explicanda est illa propositio. Quae sunt eadem unum tertio, sunt eadem inter se, scilicet, eadem identitate, qua in tertio conveniunt; huc spectant syllogismi in secunda figura ex puris affirmativis, ut homo est animal, leo est animal, ergo leo est homo.

Secundus modus, quando ex non identitate extremitatum cum medio in praemissis arguitur non identitas ipsorum in conclusione, ut quando arguitur ex puris negativis, nullus homo est asinus, nullum rudibile est homo, ergo nullum rudibile est asinus; nullum animal est lapis, nullus homo est lapis, ergo nullus homo est animal, arguitur major distinctio in conclusione inter extremitates, quam sit in praemissis cum medio.

Tertius modus est, quando ex aliquibus divisim acceptis in praemissis infertur indebita conjunctio ipsorum in conclus. vel quando ab aliquibus conjunctim sumptis in praemissis infertur indebita divisio in conclusione, ut iste est albus, & est monachus, ergo est monachus albus, iste canis est pater, & est tuus, ergo est pater tuus, iste est homo mortuus, ergo est homo, & est mortuus: diximus indebita conjunctio, vel divisio, quia a divisis ad conjuncta valet inferri, & e contra, ut iste est animal, & est rationale, ergo est animal rationale; iste est animal album, ergo est animal & est album, quapropter est videndum quando fit indebita conjunctio, & divisio.

60 Not. igitur ex Tat. 2. Periher. c. 2. q. 1. §. 3. Sciendum, & §. 4. Sciendum, quod arguere a divisis ad conjuncta est arguere ab antec. in quo ponuntur duo praedicata mediante particula conjunctiva, & ad consequens, in quo praedicata reponuntur sine aliqua conjunctione, & ad hoc tria requiruntur, primum, quod illa praedicata divisa se habeant ut determinabile, & determinatio, seu ut substantivum, & adjectivum, sic se habet animal respectu rationalis, albi, musci, &c. defectu cuius non sequitur, iste est monachus, & albus, ergo est monachus albus, quia albedo non est determinatio illius praedicati, monaci, secundum quod determinatio non sumatur aequivoce, & significatum varietur, qua ratione non valet, iste canis est genitor, & est tuus, ergo est genitor tuus, nam ly tuus in antec. denotat habitudinem possessionis, in conseq. habitudinem effectus ad suam causam efficientem; tertium, quod non sequatur negatio, neque fiat oratio impropria, ut Petrus est homo, & animal, ergo est homo animal, vel est homo, & rationalis, ergo est homo rationalis.

Arguere vero a conjunctis ad divisa, est arguere ab antec. in quo ponantur praedicata sine conjunctione ad conf. in quo sint praedicata cum copula conjunctiva; ad quod

etiam duae conditiones requiruntur ex Orbelo hic; Prima quod determinatio non fit distrahens, unde non valet, Sortes est homo mortuus, ergo est ens, & est mortuus; chymera est ens impossibile, ergo est ens, & impossibile; Secunda, quod unum praedicatum ex se, & simpliciter conveniat subiecto, non ratione alterius praedicati, ut haec conseq. non valet, Camaldulensis est monachus albus, ergo est monachus, & albus, quia albedo convenit illi ratione habitus, Franciscus est bonus artifex, ergo est bonus, & artifex, nam bonitas illi competit ratione artis: essentia divina est pater generans, ergo est pater, & est generans, generare enim dicitur de illa ratione paternitatis: Quodcumque igitur deficient istae conditiones, fit indebita conjunctio, vel divisio, & committitur fallacia accidentis.

61 Fallacia de secundum quid ad simpliciter est affinis cum precedenti, pro cuius notitia recolenda sunt, quae diximus tract. praec. c. 3. de toto, & parte in modo dictum enim simpliciter est terminus communis solitarie sumptus, & dicitur totum, in modo dictum secundum quid est terminus ille cum determinatione, quae dicitur pars in modo, sed in proposito ut committatur haec fallacia, requiritur, ut totum sit determinatum ab aliqua determinatione, vel distrahente, vel diminvente, non vero restringente, unde non valet, cadaver est homo mortuus, ergo est homo, aethiops est albus secundum dentes, ergo est albus, valet autem, Sortes est homo albus, ergo est homo, eo quia ly mortuus est determinatio distrahens, ly albus secundum dentes est diminuens, & ly albus est restringens: quapropter fallacia ista est deceptio proveniens a convenientia apparenti dicti secundum quid ad dictum simpliciter; & potest etiam e converso fieri fallacia a simpliciter ad secundum quid, ut Sortes est homo, ergo est homo secundum.

Haec fallacia multiplex est juxta multipliciter additi diminuentis; nam vel est diminuens secundum totum, qualis est conditio distrahens, ut exemplificavimus de mortuo homine; vel est diminuens secundum partem, & hoc est tripliciter, nam vel haec determinatio est secundum majorem partem, ut cum paries secundum majores partes est albus, vel secundum certam, & determinatam partem, quae sic proprium subiectum illius conditionis, ut simitas respectu nasi, & ex istis valet arguere a parte ad totum, sequitur enim paries secundum plures partes est albus, ergo est albus; Sortes est simus secundum nasum, ergo est simus, neque proprie dicitur conditio diminuens; vel est secundum partem minorem, nec determinatam, ut aethiops est albus secundum dentes, non sequitur; ergo est albus: vel tertio est diminuens secundum locum, ut non licet in mari audire sacrum, non sequitur; ergo non licet audire sacrum; quarto vel est diminuens secundum tempus, ut non licet vesci carnibus in quadagesima, non valet, ergo non licet vesci carnibus; tandem vel est diminuens secundum usum, ut male utenti non expediunt scientiae, non valet, ergo non expediunt scientiae.

62 Dices, in ista propositione, Petrus est perfectus, latro est monachus albus, &c. ly perfectus, & ly albus sunt conditiones restringentes, & tamen non sequitur, ergo est perfectus, est albus, ergo male dicitur, quod a conditione restringente non committitur haec fallacia. Tum quia cadaver est homo mortuus, licet non possit inferri, ergo est homo, potest tamen inferri, ergo est mortuum, ergo arguendo a conditione distrahente non committitur haec fallacia. Resp. ad 1. non sequi consequentias illas, non quia committatur haec fallacia, aliter numquam valeret arguere a termino determinato per conditionem restringentem ad ipsum simpliciter, sed quia committitur fallacia accidentis, quatenus non adsunt omnes conditiones requisitae ad hoc ut possit fieri bonus processus a conjunctis ad divisa, ut nuper dicebamus, vel dicendum, quod licet in istis casibus non sequatur, eo quia unum praedicatum convenit propter aliud, in aliis tamen sequitur. Ad 2. concedimus, quando est determinatio distrahens, posse fieri progressum ad determinationem, non tamen ad ipsum determinatum, quod se habet ut simpliciter dictum; quando vero est conditio restringens, potest fieri progressus ad utrumque; dummodo adsint conditiones assignatae in tertio modo praecedentis fallaciae.

Quod dictum est secundum quid, & simpliciter, ut se tenent ex parte praedicati, proportionaliter est dicendum de ipsis, ut se tenent ex parte subiecti, ut homo mortuus est cadaver, non sequitur, ergo homo est cadaver, rosa cognita est in intellectu, ergo rosa est in intellectu; at si est conditio restringens, tenet consequens ut homo albus currit, ergo homo currit, dummodo non comparatur ad aliquid praedicatum conveniens illi toti, ut totum est, & aliquod praedicatum faciens illud totum supponere simpliciter, ut homo albus aggregatur per accidens, ergo homo est aggregatur per accidens, non valet.

Specialiter autem potest haec fallacia committi, ut advertit Ocham in p. 4. partis tertiae suae logicae c. 3. quando arguitur ab esse de 1. adjacente, ad ipsum de 3. adjacente, vel e contra: tam affirmative, quam negative; tunc ab esse de 2. adjacente ad esse de 3. adjacente affirmative,

mativæ, quam negativæ; tunc ab esse de 2. adjacente ad esse de 3. adjacente affirmativæ fit hæc fallacia, quando additum non necessario competit subiecto; ut homo est, ergo est albus, at si necessario convenit, est recta illatio, ut rosa est, ergo est ens; est possibilis &c. tunc negativæ fit hæc fallacia, quando additum est prædicatum necessarium conveniens subiecto, sive existat, sive non, ut rosa non est, ergo non est possibilis; si vero additum sit prædicatum supponens necessario existentiam subiecti, recte arguitur, ut rosa non est, ergo non videtur. E contra ab esse de tertio adjacente ab ipsum de secundo affirmativæ committitur hæc fallacia; si additum sit prædicatum necessarium: non committitur, si sit prædicatum contingens præsupponens constantiam, seu existentiam subiecti, ut sequitur, Sortes est albus, ergo est, non sequitur Sortes est possibilis, ergo est. Negativæ vero semper committitur hæc fallacia, præterquam in predicatis, quæ existentiam opponuntur, nam sequitur, chymera non est possibilis, ergo non est, non tamen sequitur, homo non est lapis, non est albus, &c. ergo homo non est.

63 Fallacia ignorantie elenchi provenit ex deceptione, qua putat quis elenchum syllogismum habere omnes condiciones; syllogismus elenchus est syllogismus contradictorius, id est ostendens contradictorium ejus, quod est a respondente concessum, unde requirit primo omnes condiciones optimi syllogismi in modo, & in figura. Secundo quod confret ex propositionibus vere contradictoriis, ad quas requiruntur quatuor condiciones, quod sint ad idem, secundum idem, similiter, & eodem tempore, quibus addi potest identitas loci, nisi velimus hanc reducere ad secundam. Potest igitur ignorari elenchus syllogismus, vel quo ad primarias condiciones, si scilicet quis putaret illum syllogismum esse in modo, & in figura, cum tamen non sit, & fallacia hujus ignorantie est nimis ampla omnibus fallaciis conveniens; vel potest ignorari quo ad secundarias condiciones, si existimaret aliquis propositiones illas esse vere contradictorias, cum non sint, & de ista est fermo, quæ tot modis potest evenire, quot sunt condiciones contradictoriarum; ut quinque est medietas denarii, non est medietas binarii, ergo est medietas, & non medietas, non valet, quia non sunt ad idem; lignum est alteri æquale secundum longitudinem, inæquale secundum latitudinem; ergo est, & non est æquale, non valet, quia non sunt secundum idem: homo est species, nullus homo est species, ergo est, & non est species, non sequitur, quia non est similis, & eadem suppositio; Petrus hodie non currit, cras currit, ergo currit, & non currit, non valet, quia deest identitas temporis; Petrus audit Sacrum in templo, non audit in cubiculo, ergo audit, & non audit, est defectus identitatis loci.

64 Fallacia petitionis principii est, quando idem per se ipsum probatur, & hoc, vel iisdem omnino verbis, & dicitur petitio principii statim, ut homo currit, ergo homo currit, & hæc non est in usu; vel sub aliis verbis, & hoc multipliciter, ut quando quis utetur synonymis verbis, ut gladius cædit, ergo ensis cædit; vel cum particularis probatur per universalem, & e contra; vel cum definitum ostenditur per definitionem, & universaliter quando id, quod debet probari, ostenditur per ignotius, vel æque notum. Verum est tamen, quod proprie loquendo, & ex natura rei in his casibus non semper committitur petitio principii, nam & definitio notior est in se definitio, & totum partibus, aut e contra; potest tamen committi ad hominem, si scilicet respondentis æque ignota sint definitio, & definitum totum, & partes, & tunc respectu ipsius respondentis committitur petitio principii, quia æqualiter negabit propositionem assumptam ad probationem, in qua v. g. ponitur definitio, sicut antea negaverat antecedens, in quo erat definitum, quia æque ignorat utrumque.

65 Fallacia consequentis est deceptio proveniens ex ap-

parenti convertibilitate secundæ consequentiæ cum prima, ita ut sicut prima est bona, ita putetur esse secunda; ex quo infertur, quod ad hanc fallaciam semper sunt duæ consequentiæ vel explicite, si arguatur enthymematibus, vel implicite, si arguatur ex majori hypothetica conditionali, & per antecedens, & consequens hic intelligitur propositio, in qua assumitur inferius in ordine ad superius, vel e contra; hæc enim fallacia fit in terminis non convertibilibus; ut sunt superius, & inferius: idcirco tunc committitur hujusmodi fallacia, quando non recte a superiori ad inferius, vel e contra argumentamur; duobus autem modis non recte arguitur, sicut duobus etiam modis optime infertur, nam a superiori ad inferius affirmativæ non valet, sed e contra, ergo a positione consequentis ad positionem antecedentis committitur hæc fallacia, quamvis arguendo a positione antecedentis recte positio consequentis inferatur; positio est assumptio ejusdem propositionis, destructio est assumptio contradictoria positionis, unde in hoc discursu, est homo, ergo est animal; est animal, ergo est homo, committitur fallacia consequentis, quatenus secunda consequentia putatur recta, sicut prima, & est a positione consequentis, scilicet ab assumptione illius consequentis est animal, ad assumptionem antecedentis. Deinde a superiori ad inferius negativæ tenet, non e contra, ideo a destructione antecedentis ad destructionem consequentis non valet, ut si est homo, est animal, non est homo, ergo non est animal; huc etiam spectant similes syllogismi, Qui dicit te esse animal, dicit verum, qui dicit te esse asinum, dicit te esse animal, ergo qui dicit te esse asinum, dicit verum, in hoc arguitur a positione consequentis ad positionem antecedentis, seu a superiori ad inferius affirmativæ, ab esse animal, ad esse asinum.

66 Fallacia secundum non causam ut causam est deceptio proveniens ex apparentia, quam habet una propositio ad inferendam aliam, ac si esset vere illius causa, quod potest dupliciter evenire, primo quando fit duplex progressus, unus in quo concluditur conclusio falsa, alter, in qua assignatur pro causa falsitatis conclusionis aliqua præmissarum, quæ vere non est causa. Secundo ut colligitur ex Scot. 1. d. 3. q. 7. Resp. quando infertur falsa conclusio ex una propositione, quæ tanquam causa assumitur illius falsitatis, cum tamen revera non sit, ut vinum inebriat, ergo est ebrius, inebriare enim non est causa ebrietatis in vino, sed in alieno supposito.

67 Ultima fallacia est secundum plures interrogationes ut unam; quadrupliciter enim potest fieri interrogatio: Primo, quando unum de uno queritur, ut est ne Sortes homo? 2. quando unum queritur de pluribus, ut est ne Sortes, & bucephalus rationalis? 3. quando plura queruntur de uno, ut est ne homo animal, & albus? 4. quando plura de pluribus queruntur conjunctim, ut an homo, & talpa sunt videntes, vel cæci? in his omnibus modis committitur hæc fallacia, præterquam in primo, & cum unica responsione fatisset pluribus interrogationibus apparentibus; ac si esset una interrogatio, cum tamen pluribus egeat quæsitum illud responsionibus, ut si essent duo homines, unus cæcus, alter surdus; & quaereretur an essent cæci, vel surdi; si responderetur, quod sunt cæci, ergo surdus erit cæcus, si surdi, ergo cæcus erit surdus: quare duplici responsione debet huic quæsitio satisfieri; scilicet iste est cæcus, & iste est surdus, & distinctione utendum. Hic notat Orbell. quod licet respondens affirmativæ respondendo ducatur ad inconvenientem, ut patet in exemplo adducto: si tamen negativæ respondeat dicendo, non sunt cæci, neque surdi, solum apparenter ducitur ad inconveniens, non enim sequitur, ergo nullus est cæcus, & nullus surdus, nam sensus illius responsionis est, quod nec ambo sunt cæci, nec ambo surdi: & hæc dicta sufficiunt pro complemento Institutionum Dialecticarum, ut facilius Tyrone ad Logicam magnam, & hanc quæstionibus contextam gradum facere possint.

Finis Summularum.

QUÆSTIO PROÆMIALIS

Ad universam Aristotelis Logicam.

De Natura Logica.



PHILOSOPHIA olim sapientia vocabatur, & qui rebus cognoscendis incumbant, sapientes: at quia nomen hoc tumorem, & jactantiam se præferre videbatur, ut Scotus refert 1. Met. sum. p. c. 2. Pythagoras noluit se sapientem appellari; sed Philosophum, hoc est, sapientiam amatorem, hinc nomen sapientis in nomen Philosophi est mutatum, & doctrina, quæ sapientia dicebatur, Philosophia cepit nuncupari. Definitur ab Arist. 1. Met. c. 3. *Cognitio rerum, ut sunt, sive per suas causas*; cum enim omnia creata habeant suum esse per causas, tunc uti sunt, intelliguntur, cum per suas causas cognoscuntur, & hac ratione aiebat Plat. in Theæt. & Arist. 1. Met. c. 2. homines ex admiratione philosophari cepisse, hoc est, ex notitia effectuum, & ignorantia causarum investigare cepisse rerum causas; ex quo deducitur, Philosophiam esse rerum cognitionem per suas causas, & Philosophum esse, qui rerum cognitionem hoc modo est affectus.

Dividi solet in hac amplitudine sumpta in Naturalem, Moralem, & Rationalem. Naturalis Physicam comprehendit, & Metaphysicam, quibus addi solet Mathematica. Moralis Ethicam, Rationalem Logicam, seu Dialecticam; hæcque trimembrem diviso Philosophiam non solum communis calculo Stoicorum, & Platoniorum recepta fuit, ut videtur est apud Euseb. l. 2. de præpar. Evangel. Alcibi. de doctrina Plat. c. 3. Cic. lib. 1. de Orat. ad Quintum fratrem, sed Ar. ipse eam amplexus est 1. Top. cap. 12. ubi facta divisione problematum in Naturalem, Moralem, & Logicam, subdit *ad philosophiam igitur secundum veritatem de his negotiandum est, dialectico autem modo ad opinionem.*

Eam quoque amplectitur D. Aug. 1. 8. de Civ. Dei c. 4. & ejus sufficientiam ex professo probat, Philosophiam namque ad hominis felicitatem ordinatur, quam in hac vita consequi potest, hæc autem tum in contemplatione veritatis consistit, tum in actione virtuti consentanea, ut docet Ar. 1. 1. ad Nichom. cap. 7. & 8. statuenda igitur est scientia, quæ rerum causas, & arcana naturæ scrutetur, & contemplationi solius veritatis incumbat, & hæc erit Naturalis philosophia Physicam, & Metaphysicam complectens: Altera deinde pars Philosophiæ est assignanda, quæ incumbat moribus instruendis, & ad civilem vitam instituendam, & hæc est Moralis. Quia vero hæc omnia non nisi discurrendo, & differendo comparantur, & intellectus noster sæpe decipitur, & errat in discursu, constituenda denique est altera Philosophiæ pars, quæ mentem dirigat in suis operationibus, & hæc est rationalis. Hanc denique trimembrem divisionem recipit S. Thom. initio Ethic. ad Nichom. & quicunque tenent, Logicam esse scientiam, & partem Philosophiæ, Conimb. in præmio ad l. Ph. Mor. initio Logica, Complut. d. 1. q. 6. Amic. tract. 1. q. 4. dub. 1. & alii quamplures; Verum tamen est, quod notat Pasqualig. in Met. 1. p. disp. 4. sect. 3. posse hanc trimembrem divisionem reduci ad bimembrem, scilicet ad Naturalem, & Moralem, accipiendam naturalem non presse, ut dicit solum contemplationem de natura, sed large prout complectitur res omnes intra ordinem naturæ speculabiles, sub quacunque abstractione illæ sint, sic enim accipiendam naturam, res a Logica consideratæ non erunt extra ordinem naturæ, atque ita spectabit ad philosophiam ipsam naturalem.

Universam itaque Philosophiam juxta Scoti principia, & Arist. dogmata, ubi nostræ non obviat fidei, contexe intendentes ab ea parte, quæ rationalis dicitur, exordium sumimus, quia hæc ipsa pars philosophiæ est instrumentum respectu cæterarum partium, Naturalis nimirum, & Moralis, quæ non nisi differendo, & discurrendo acquiruntur; modus autem differendi, & discurrendi a Logica docetur. Hanc igitur proæmialem quæst. de natura Logica differentem in plures distribuemus articulos, ubi de variis Logica nominibus, & acceptionibus differemus, de ejus fine, objecto, essentia, qualitate, necessitate, partitione, ac denique de ejus unitate, & a cæteris facultatibus distinctione.

ARTICULUS I.

De variis Logica nominibus, & acceptionibus.

Quoad primum, facultas, quam aggredimur explicandam, Logica passim appellari solet, & quidem Logica dicitur quasi fermocinalis, vel rationalis facultas ex eo, quod sermonem verum, vel falsum confiderat, vel quia ratiocinari docet, logos enim vox Græca *Mastrii, & Belluti Tom. I. Logica.*

utrumque significare potest, sermonem, scilicet, & rationem, melius tamen, inquit Scotus q. 1. Prædicam. dicitur Logica scientia rationalis a ratione, quam fermocinalis a sermone, quia per hunc loquendi modum significari videatur Logicam veritari circa sermonem, & voces, tanquam ejus objectum, quod falsum esse monstrabitur infra. Dialectica etiam confuevit appellari, hoc est; facultas disceptatrix, vel disputatrix, quatenus disserere, ac disputare docet, est enim nomen Græcum derivatum a verbo *dialegome*, quod significat disserere, ac disputare: quamvis autem apud antiquiores Philosophos Dialecticam nomen usurparum fuerit pro ea tantum Logica parte, quæ dicitur Topica, & agit de syllogismo probabili, ut fufè Zab. tradit l. 1. de natura Logica c. 9. & Arist. ipse non semel insinuavit, qui 1. Top. 1. Elench. 3. Met. & alibi sæpe per Dialecticam intelligit solum partem topicam, modo tamen communiter toti Logicae tribuitur: quamvis enim differere, & disputare proprie significet ex probabilibus discurrere, cum nimirum pro utraque quæstionis parte probabiliter afferuntur argumenta, absolute tamen significat quocunque modo discurrere, & ex notis ignora manifestare, & quidem etiam apud Arist. reperitur hoc nomen Dialecticæ universaliter usurparum pro tota Logica, ut videtur est 1. Rhetor. c. 1. Met. 8. text. & alibi sæpe, ut Fons. notat 2. Met. c. 3. q. 1. sect. 3. Demum Ar. opus suum logicum, uti constat ex vulgari inscriptione, Organum nuncupavit, ad significandam logicam veluti instrumentum infervire ad aliarum scientiarum acquisitionem.

Quoad 2. Logica in primis dividi solet in naturalem, & artificialem. Naturæ est ipsum naturale lumen nobis congenitum dictans modum recte apprehendendi, judicandi, & discurrendi, sive istud naturale lumen sit nuda potentia intellectiva, sive intellectus cum habitu principiorum, quæ sunt naturaliter nota, ut Compl. contendunt disp. 1. Log. q. 1. Artificialis autem est habitus studio comparatus, quo intellectus instruitur, & dirigitur, ne erret in suis operationibus exercendis; traditur autem hæc divisio ab Ar. 1. Rhet. c. 1. & 2. Elench. c. 8. & 11. & ab omnibus est recepta. Rursus artificialis dividi solet in universalem, & particularem, quam divisionem tradidit Aver. 2. Met. com. 15. & 1. Elench. q. 1. & 2. ut notat Maur. noster q. 1. præd. Universalis dicitur, quæ docet præcepta communia omnibus scientiis, ut quod demonstratio constare debeat ex necessariis, definitio tradenda sit per essentialia. Particularis dicitur, quæ tradit præcepta applicata materiam hujus, vel illius scientiæ, ut quod in Met. definitum sit per genus, & differentiam, in Ph. per materiam, & formam, alio modo explicatur hæc divisio a Zab. lib. 2. de nat. log. c. 1. sed allata explicatio communior est, & magis congrua.

4. Frequentior tamen adhuc, & magis famosa est illa divisio logicae artificialis in docentem, & utentem, tam apud Latinos, quam apud Græcos, licet sub aliis terminis, docentem enim vocant logicam a rebus avulsam, utentem vero rebus conjunctam, ut Philop. refert in præfat. ad lib. Prior. Logicam docentem vocant ipsammet doctrinam logicam, quæ docet modum sciendi, & certas regulas in quacunque scientia observandas in definiendo, dividendo, & discurrendo, utentem vocant earundem regularum usum, & exercitium, seu potius eandem docentem, quatenus in usu positam, & huic, vel illi scientiæ applicatam per actuale exercitium definitionis, divisionis, & argumentationis. Hinc aliqui deducunt logicam utentem non esse proprie logicam, sed scientiam ipsam determinatam, Physicam nimirum, Metaph. Moralem, vel aliam, cujus est materia discursus, & sic definitio, divisio, vel syllogismus in materia physica dicitur logica utens, eo quod tunc utamur regulis, & præceptis logicae docentis; ex quo tandem inferunt non esse proprie aliam logicam, quam docentem. At isti manifeste falluntur, tum quia sicut in materiis aliarum scientiarum datur hujus logica, ita etiam ipsa materia logica, definiendo, dividendo, & arguendo, ergo saltem in hoc sensu, cum nimirum seipsa utitur, dari debet proprie logica utens; tum quia etiam quando exercetur in aliis scientiis, quamvis actualis usus syllogismi v. g. quoad materiam spectet ad illas scientias, adhuc tamen quoad formam, & modum ad logicam attinet, tum denique quia adhuc in alio sensu magis proprio præfatam divisionem explicabimus, secundum quem necessario concedendus est habitus, qui proprie dicatur logica utens.

Sed circa allatam divisionem duplex oritur dubitatio. Prima est, quomodo distinguantur logica docens, & utens, an scilicet importet unum, & eundem habitum, an potius plures specie, & numero diversos: communis sententia

E. Tho.

Thomistarum affirmat esse unum, & eundem realiter habitum ex diversis muneribus tantum, & diversis considerationibus hæc nomina subeuntem, unde dicunt, quod idem logicæ habitus, quatenus tradit præcepta definiendi, dividendi, & dicendi, dicitur Logica docens, quatenus vero aliis scientiis applicatur per usum suorum præceptorum, & regularum ad illas acquirendas, dicitur utens, ita Compl. d. 1. Log. q. 4. §. 2. Scoto q. 2. prozimal. Sanchez 1. Log. q. 6. Maius lect. 3. q. 4. Didacus a Jesu q. 5. Joan. de S. Th. p. 2. Log. q. 1. art. 5. Aversa q. 1. Log. 1. 2. licet concedat actus logicæ docentis, & utentis esse realiter, & essentialiter distinctos. Ruvius q. 3. procem. & alii passim; Sed præter Thomistas videtur etiam communis opinio Scotistarum, nam satis aperte eam infirmat Doctor q. 1. prædicab. ubi non nisi ex diversa consideratione videtur fecerere logicam docentem, & utentem, & sequitur Faber Theo. 1. c. 1. Poncius d. 2. Log. q. 6. Fuentes quæst. 4. diff. 2. art. 1. & alii passim.

5 Dicendum tamen est, quod si de logica utente proprie sit sermo, importat habitum realiter distinctum, & specie diversum ab habitu Logicæ docentis. Conclusio hæc prius explicatur, deinde probatur. Logica namque utens, ut notat Mauritiu q. 1. univ. §. 6. *difficultas*, & Tar. q. 1. procem. Log. §. 1. *sciendum*, potest accipi dupliciter, uno modo pro habitu scientifico logico per demonstrationem acquisito, quo utitur in singulis scientiis definiendo, dividendo, arguendo; alio modo pro habitu acquisito ex frequenti exercitio definiendi, dividendi, arguendi, ex istis enim actibus frequentatis generatur in intellectu promptitudo quædam ad similes actus eliciendos, quia secundum Doctorem 3. d. 33. ex omni actu voluntatis, vel intellectu potest generari habitus, vel promptitudo, si logica, ut ens primo modo sumatur, non est distinctus habitus a logica docente, sed est ipsamet logica docens in usu posita, & aliis scientiis applicat, unde in hoc sensu improprie dicitur utens, cum potius dici deberet usu, seu usitata, ut notat Mau. cit. & Anglius q. 1. univ. & ita loquitur Aver. 1. Phys. com. 35. at in 2. sensu est habitus prorsus distinctus a logica docente, nam docens est habitus speculativus, & contemplativus, utens vero practicus, & operativus, ac proinde proprie dicitur utens active, nam est talis habitus, quo quis instructus prompte, & faciliter utitur logica docente, ejusque regulis & præceptis, & distinctio logicæ docentis, & utentis in hoc sensu coincidit cum ea, quam alii tradunt in logicam contemplativam, & factivam, contemplativa enim est docens, factiva vero utens.

6 Hoc autem modo explicata conclusio facile suadet ex eo, quod ait Scot. q. 4. Pr. in sol. ad 2. & 3. Bb. docet enim ibi, quod ubi cognitio aliquorum non est propter specularem simpliciter, sed etiam aliquo modo propter operari, tunc respectu eorum duplex est necessarius habitus in intellectu nostro, unus erit universalium, alter vero particularium ex particularibus actibus generis, sic rerum operabilium scientiam moralem habemus, quæ est cognitio quædam universalium, & prudentiam, quæ est particularis quidam habitus generis ex pluribus egisse, & quo in particulari cognoscimus, quomodo talis actio fieri debeat; cum igitur cognitio instrumentorum logicalium non sit propter seipsam simpliciter, sed ad dirigendas operationes intellectus, sic duplex respectu ejus ponendus est habitus in mente nostra, unus erit universalium, quo generales regulas definiendi, dividendi, & arguendi agnoscimus, alter vero particularis habitus quidam generis ex frequenti applicatione omnium illarum regularum ad certas, & determinatas materias in particulari, unde intellectus habilis, & promptus redditur ad definiendum, arguendum &c. Conf. ratio ex communi natura omnium facultatum organicarum, ejus enim natura sunt omnes istæ, ut quilibet dividatur in docentem, & utentem, sic enim dividitur frænefactiva in frænefactivam docentem, & utentem, scriptoria in docentem, & utentem, medicina similiter, & aliæ consimiles facultates; sed in his omnibus facultas docens realiter ab utente distinguitur, & diversos importat habitus, ergo similiter in Logica, quæ disciplina organica est, dicendum erit; Probat minor, quia v. g. scriptoria docens est habitus ille, qui tradit regulas bene scribendi, utens est, qui acquiritur ex frequenti scriptura, sicut etiam medicina docens est habitus tradens regulas, & præcepta medendi, & solet dici Theorica, utens est alter habitus, qui acquiritur ex actuali usu medicine docentis, & dici solet Practica, unde semper prius acquiritur habitus facultatis docentis, quam utentis, ille acquiritur ex auditu Magistri, & studio regularum, & præceptorum, iste vero ex actuali usu, & exercitio illorum, sic igitur etiam de Logica dicendum erit, quod docens est habitus ille, qui acquiritur ex auditu magistri, lectione librorum, &c. utens vero est, quem deinceps acquirimus ex frequentatis actibus definiendi, arguendi, &c. & multoties evenit, quod aliquis habet Logicam docentem, & non utentem, ut patet in Tyronibus, qui regulas logicæ maxime callent, sed in conficiendis syllogismis sunt adhuc inexperti, & inexercitati.

7 Et hinc rursus alia deducitur confirmatio, quia postquam de recenti intellectus instructus est habitu docentis

Logicæ definit, dividit, arguit conformiter ad illas regulas, & præcepta, sed cum aliqua difficultate, non expedite, & prompte: verum sæquentiando hos actus acquirit facilitatem quandam, & promptitudinem ad illos promptius, facilius, & expeditius efficiendos, ergo acquirit novum habitum ab illo realiter distinctum, hoc enim est manifestum indicium habitus acquisiti, cum aliquid operamur prompte, & expedite, quod prius difficulter efficiebamus; Probat assumptum, quia est Tyrones optime sciunt definitionem constare debere ex genere, & differentia, quod in conficiendis syllogismis medius terminus in prima figura debet habere locum subjecti in ma. tamen antequam sæpius se exercuerint, difficultatem sentiunt in conficiendis syllogismis in hac, vel illa figura; quare cum applicatio præceptorum Logicæ etiam post exactam eorum cognitionem bene, vel male fieri possit, sane requiritur specialis habitus inclinans ad eam rite faciendam, & hic erit Logica utens. Hinc ajebat Ar. 1. Priorum c. 28. non solum oportere Logicam generationem syllogismorum considerare, quod fit per Logicam docentem, sed etiam potestatem habere faciendi, & hic est habitus Logicæ utentis.

Respondent negando intellectum Logicæ docente imbutum indigere distincta facilitate, & habitu propter applicationem, cognitis enim regulis, & præceptis Logicæ, non est ulla difficultas in applicatione, & usu earum ad talem & talem materiam, sed solum indiget appositione materiæ ad quam ipsæ regulæ sine nova difficultate vincenda ex parte sui applicantur, & extenduntur, unde tota difficultas consistit in cognitione, & ordinatione regularum, qua adepta applicatio ipsa non habet speciale difficultatem, quia intellectus naturaliter tendit ad objecta semel proposita, & applicatio ipsa fit ad res cognitatas per actus naturali representatione, & tendentia respicientes objecta, non morali, sed voluntaria motione, unde, cognitio præcepto logico, v. g. passionem prædicari debere de subjecto, statim ac Physicus dicit, quæ sit passio, & quod subjectum, nulla difficultas remanet, cur fieri nequeat propositio; Hinc Joan. de S. Th. negat paritatem assumptam in argumento principali de Logica, & Morali, quia in morali post judicatum, & cognitum bonum, restat præcipua difficultas in applicanda voluntate propter ejus libertatem, seu indifferentiam, vel resistentiam ad bonum regulatum, unde præter Syneum, & Eubulium, quæ bene judicant, & conciliantur, requiritur distinctus habitus, qui imperet, & exequatur, & hic est Prudentia. Ad confirm. demum ejusdem argumenti deductam ex natura facultatum organicarum concessa paritate negat minorem, citharædus enim vel musicus, si post artis perfectam cognitionem digitos movere non potest, vel linguam, & palatum, aut non ita expedite, ad hanc difficultatem vincendam nova arte non indiget, sed exercitatione corporali, aut aliquo, quo tollatur prædictum impedimentum, & ita qui expeditius movet digitos, non generat novam artem, sed impedimentum exercitii ejus tollit, sic intellectus quando exercetur in syllogizando circa diversas materias, vel scientias, non acquirit novam artem, seu habitum diversum ab ipsa doctrina logicæ, sed expeditiorem usum. Ruvius vero negat paritatem, nam artes, quæ per externa membra exercerentur, duplicem utique facilitatem petunt, unam in intellectu, in quo sunt, tanquam in subjecto, alteram in membro externo, per quod exercerentur, ars vero logicæ, sicut non exercetur per membra externa, sed per solum intellectum, ita non petit nisi facilitatem intellectus quæ est unus, & idem habitus, quo cognoscuntur regulæ logicæ, & applicantur.

8 Sed solutiones istæ ex dictis corruunt, nam post exactissimam logicorum præceptorum cognitionem adhuc manere difficultatem ad illis utendum, ipsa experientia docet in Tyronibus, sicut & facilitatem generari in eisdem ex frequenti usu syllogizandi. Et parum refert, quod intellectus sit potentia naturalis, & naturaliter tendat in objecta proposita, quia habitus adituntur non solum propter indeterminationem potentie (alioqui solum darentur in potentiis liberis) sed etiam ob difficultatem, quam interdum habent ad aliquas operationes, ut dicemus in l. de Anim. Cum igitur hanc retineat intellectus ad applicationem præceptorum logicalium etiam post exactam eorum cognitionem, consequenter novo indigebit habitu ad eam tollendam. Nec valet, quod ait Joan. a Sanct. Thom. hanc difficultatem tolli exercitio syllogizandi, non per generationem novi habitus, sed per solum impedimentum remotionem, sicut in Citharædo post apprehensionem artis difficultas applicandi digitos instrumento paulatim tollitur exercitio, non per generationem novi habitus in digitis, sed per impedimentum ablationem, quod erat in digitorum nervis. Non valet, tum quia in primis sic respondendo jam fatetur, post apprehensionem præceptorum logicæ, & appositionem materiæ adhuc manere difficultatem, quæ tollitur paulatim exercitio, quod prius negabat, tum quia quando etiam facilitas ad operandum in membris externis non esset proprie habitus, ut multi sustinent, facilitas tamen ad operandum in intellectu, & voluntate importat habitum secundum communem, ac magis receptam sententiam; tum quia si ad difficultatem tollendam, & expeditiorem usum introducendum sola sufficit impedimenti remotio, in nulla potentia confi-

constituendus erit habitus ad facilius operandum, sed sola impedimenti ablatio; Et per hoc etiam reicitur Ruvii solutio, quamvis enim ars logica per solum intellectum exercetur, & non per aliam potentiam, quæ disponi debeat; tamen quia intellectus duplicem sentit difficultatem, unam in cognoscendo præcepta logicæ, alteram in applicando, ita duplex facilitas, vel habitus in eodem debet admitti, unus, quo prior tollatur difficultas, & erit logica docens, alter, quo posterior, & erit utens.

9 Denique actus utentis Logicæ multiplicati generant alium habitum non Logicæ docentis, quia non sunt actus scientifici, & sic non generant, neque agent scientiam, qualis est Logica docens, ergo alium a docente distinctum. Resp. Ruvius ipsamet Logicam docentem perfici per exercitium efficiendi Syllogismos, non ut scientiam, sed ut artem, vult enim quod idem habitus Logicæ, prout dat regulas, & præcepta Logica, est scientia, & dicitur Logica docens, sed in quantum efficit syllogismos singulares, est ars, & Logica utens vocatur. At statim reicitur hac solutio, tum quia implicat unum, & eundem habitum esse simul, & semel practicum, & speculativum, cum hæc sint differentie essentialiter habitum dividentes, ut dicitur in lib. Post. ad Logica docens habitus est speculativus, utens practicum redolet, tum quia per secundam regulam antepred. diversorum generum, & non subalternatum posteriorum diversa sunt species, & differentie, scientia vero, & ars diversa constituunt genera. Nec dicere juvat, quod licet Logica docens, ac utens sint idem habitus, tamen secundum diversas rationes esse potest ars, & scientia, nimirum quatenus docens est scientia, ars vero, quatenus utens. Quia cum Logica inferior sit ad scientiam, vel artem, qui sunt habitus superiores, plane per rationes docentis, & utentis non poterit contrahi ad esse generis superioris, sicut per rationale, & irrationale non potest animal contrahi ad esse corporis, vel viventis, ergo debemus dicere Logicam docentem, & utentem importare diversos essentialiter habitus sub diversis generibus collocatos, nimirum scientiæ, & artis.

Resp. Joan. de S. Thom. quod actus Logicæ utentis generant quandam facilitatem per modum dispositionis, & expeditionis in applicatione materiæ, quæ non est novus habitus, sed aliquid imperfectum in tali genere interveniens veluti dispositio, seu expeditio quædam in ipso exercitio artis, quam repositionem pluribus declarare conatur. Sed frustra prorsus, & quæstio evadit nominalis, an facilitas de novo genita ex actibus Logicæ utentis habitus, vel dispositio dici debeat, sufficit nobis, ut nova qualitas generetur intellectum reddens promptum, & expeditum ad definiendum, arguendum, &c.

10 Contra hanc conclusionem obicitur 1. Autoritatem Scoti quæst. 1. univ. ubi insinuat logicam docentem, & utentem non nisi ex diversis muneribus, & considerationibus distingui. Tum 2. ratione, quia posito habitu logicæ docentis, & cognitione materiæ, in qua exerceri debet, nulla videtur remanere difficultas, quæ non possimus facile definire, dividere, & arguere, ergo non est ponendus novus habitus ad eliciendos actus logicæ utentis. Tum 3. ad logicam docentem pertinet non solum considerare regulas rectæ operationis secundum se, sed etiam judicare, an bene sint applicatæ hic, & nunc in hac, & illa materia, ergo superfluit alius habitus ab ea. Tum 4. habitus utens idem sonat, quod habitus regulans, & dirigens, sive quo intellectus per modum regulæ utitur, ergo logica utens non est habitus secundum rem diversus a docente. Tum 5. dum Tyrones incipiunt arguere, definire, & applicare regulas logicæ docentis, illi primi actus sunt logicæ utentis, & tamen adhuc generis non est in illis novus habitus, ergo non est a docente distinctus. Tum tandem habitus logicæ docentis inclinatur ad definiendum, & syllogizandum, & faciliat intellectum ad usum instrumentorum logicalium, faciliat enim intellectus ad conficiendum syllogismum, postquam cognovit, quid sit, quoque modo confici debeat, quam antea, ergo est unus, & idem habitus, quia quatenus tradit regulas, dicitur docens, quatenus docendo ad usum faciliat, dicitur utens, ita Didacus a Jesu.

Resp. Doctorem ibi loqui de logica utente in primo sensu, quomodo non distinguitur a docente, sed est ipsa in usu posita, quod si Doctor ibi (ut verius est) per logicam docentem sumit habitum procedentem ex necessariis, per utentem sumit habitum procedentem ex probabilibus, qualis est Topica, auctoritas est ad oppositum, nam concludit distinctionem, non identitatem. Ad 2. negatur assumptum, nam supposita logica docente, & cognitione materiæ, v. g. physica, remanet adhuc difficultas applicationis logicorum præceptorum ad materiam physicam, quæ per habitum logicæ utentis tolli debet. Ad 3. negatur sequ. quia præter habitum scientem dignoscere errores, qui contingere possunt in operationibus intellectu, debet alter admitti reddens intellectum promptum, & expeditum ad recte hic, & nunc operandum. Ad 4. quod est Aversa, negatur assumptum, nam nisi velimus vocabulis abuti, habitus utens non est, quo utitur, sed qui nos faciliat, & promptos reddit ad usum logicæ docentis. Ad 5. illi primi

Mastrii, & Bellui Tom. I. Logica.

actus sunt logicæ utentis, non quia procedant ab habitu logicæ utentis, sed quia sunt generativi illius, sicut universaliter in moralibus actus dicitur ad aliquam speciem virtutem, quia vel generat illam, vel generatur ab illa, illi ergo priores actus producuntur ab intellectu nudo cum solo auxilio regularum logicæ docentis, quæ solum regulative concurrunt ad eos, & ideo cum difficultate producuntur, quæ deinde tollitur ab habitu logicæ utentis, quæ paulatim illis actibus acquiritur. Ad 6. quod magis urget, dicimus omnino distinguendos esse actus, quibus addicimus regulas, & præcepta logicæ, & quibus utitur definiendo, arguendo, &c. actus primi generis sunt speculativi, secundi sunt operativi, primi sunt generativi scientiæ, secundi sunt operativi, primi logicæ docens inclinatur, & faciliat physicæ ad actus primi generis, scilicet ad tradenda præcepta, ad actus vero secundi generis faciliat solum idealiter, & directive, quatenus intellectus, quo magis logica docente instructus est, minus exponitur erroribus in arguendo, at quantumvis regulas calleat logicæ, semper aliquam patietur difficultatem quouque per exercitium auferatur.

Sed dices, ut quis bene arguat in aliqua scientia particulari, v. g. physica, non alio habitu indigere videtur, quam logica, ut dirigente actum syllogizandi & physica, ut eliciente actum, ergo superfluit alter habitus, quia ad dirigendum sufficit logica docens, ad eliciendum physica. Resp. sufficere utique illos duos habitus, ut bene arguatur in Physica, at ut faciliat, & prompte arguatur, exigi alium habitum, & erit logica utens concurrrens ad illum actum, non quidem directive, & idealiter, quia hoc gerit logica docens, sed elicitive, non quidem quantum ad materiam syllogismi, quia hoc præstatur a Physica, sed quantum ad formam syllogisticam, & sic in tali casu tres habitus eidem actui corresponderent, habitus logicæ docentis concurreret regulative, & directive, habitus logicæ utentis elicitive quantum ad formam, & habitus Physicæ elicitive quantum ad materiam, quod quamvis absurdum dicit P. Didac. quæst. 1. Procem. concl. 3. id tamen non probat. Nititur quoque Poncius disp. 2. cit. q. 6. a num. 59. nostram oppugnare sententiam, ac rationes diluere e sed jam disp. 1. Met. quæst. 3. a num. 65. omnibus ejus instantiis abunde satisfactum est, adeo ut plura hic addere non sit opus; Et ex eadem doctrina occurrendum est Ovidio. controverf. 2. Log. punct. 2. ubi ex eisdem fundamentis nos impugnat.

Expeditur alia difficultas.

11 **A**ltera difficultas, quæ contingit circa allatam divisionem, est, an hæc distinctio cadat in omnes, & singulas logicæ partes, an in quasdam tantum, cui difficultati ansam præbuerunt Angelicus, & Subtilis Doctor, ille siquidem 4. Met. lect. 4. apertis verbis negavit in parte demonstrativa logicam utentem, iste vero quæst. 1. univ. in corpore quæstii solam partem Topicam affirmat esse utentem, ut notat Mauritiu & Faber, quare Auctores quamplures tanta auctoritate suffulti negant hanc divisionem; toti logicæ convenire, & singulis ejus partibus, ita Compl. quæst. 4. procem. Conimb. quæst. 4. art. 2. Fontec. 2. Met. capit. 3. quæst. 1. sect. 6. & Mauritiu quæst. 1. univ. qui in hoc maxime laudat dictam D. Th. sed his non obstantibus.

Dicendum est cum communiori, hanc divisionem toti logicæ convenire, & singulis ejus partibus, licet peculiari quodam modo conveniant Topicæ quod dicatur utens; concl. hanc docuit Scot. ex professo q. 1. & 2. Elench. & sequitur Anglic. q. 1. univ. & probabiliter putat Mauritiu. cit. & est passim recepta a Recentioribus Ruvio, Aversa, Didaco, a Jesu, Joan. de S. Th. & quidem logicam docentem reperiri in omni parte logicæ omnes fere concedunt, quia non solum docet scientifico modo conficere demonstrationem, sed etiam syllogismum probabilem, & apparentem, Quod etiam in omni parte possit dici utens, probatur; quia cæteræ scientiæ ununtur nedum modo probabili arguendi a logica tradito in lib. Top. sed etiam demonstrativo, quem docet in lib. Post. ergo etiam in parte demonstrativa dabitur logica utens, & in primo, & in secundo sensu hujus distinctionis jam explicato. Accedit, quod in ipsamet parte demonstrativa non solum datur doctrina de demonstratione, verum etiam datur usus ipsius, quia in explicanda ejus natura multas conficit demonstrationes. Denique logica secundum se rotam dicitur scientia communis; ut docet Scot. q. 2. univ. & 2. Met. text. 15. quia in omnibus scientiis exercemus partem demonstrativam, definitivam, disputativam, &c. ergo logica utens per omnes partes divagatur in utroque sensu distinctionis, in primo quidem, quia omnibus partibus logicæ utitur in aliis scientiis, in 2. vero, quia sæpius definiendo acquirimus habitum operativum nos promptos reddentem ad consimiles actus, sic demonstrando, aut probabiliter disputando.

12 Addit tamen Scot. q. 1. Elen. quod licet tota logica sit communis quoad doctrinam, diversus tamen est usus doctrinæ, qui traditur in Dialect. 1. Top. & in demonstrativa, nam Dialect. est ex communibus, & in singulari scientiis ad proprias conclusiones ex communibus arguit, nam ostendit, quod amor, & odium sunt in eodem susceptibili, non per proprietatem amoris,

vel odii, sed per hoc medium, quod contraria sunt nata fieri circa idem, unde ex communibus arguit ad proprias conclusiones, illa autem pars logicæ, quæ est demonstrativa, est in doctrina tradatur de communibus, puta de syllogismo demonstrativo, & de attributis ad ipsum, quæ sunt communia cuilibet scientiæ, tamen in singulis scientiis arguit per proprium medium, nam Geometra utitur ratione demonstrativa, unde accipit primas, & veras causas conclusionis, & per proprium medium arguit ad propriam concl. sed arguens dialecticè aliam, & aliam concl. in alia, & alia scientia per idem medium potest ostendere, hæc Doctor. Hæc igitur de causa, inquit ipse, peculiari quodammodo Topica dicitur utens, quia si communem attendimus loquendi modum, tunc aliqua re uti posse proprie dicimus, quando eam in hanc rem, vel illam postsumus consumere, ut bene notavit P. Didacus, quia ergo hæc indeterminatio, & hic indifferens in hanc, & illam scientiam usus solum in rebus Topicis, & probabilibus invenitur, ex locis enim Topicis a definitione, a divisione, a conjugatis, a toto, a similibus, a partibus, a dissentaneis, ab oppositis &c. postsumus argumenta defumere probabilia ad quamlibet conclusionem inferendam in singulis scientiis, quod non invenitur in rebus necessariis, & demonstrabilibus, quæ ad unam tantum partem determinatam sunt, hæc ratione nomen usus, seu logicæ utentis peculiariter parti Topicæ tribuitur.

13 Contra hæc conclusionem obijciunt Compl. probando, quod in parte demonstrativa non datur logica utens; quia si logica haberet usum respectu partis demonstrativæ, vel esset in materia necessaria aliarum scientiarum, vel in materia propria; non primum, quia quælibet scientia conficit suas demonstrationes per directionem logicam, unde tales demonstrationes non procedunt a logica, sed ab ipsis scientiis, alias si sola logica omnes efficeret demonstrationes, ipsa sola esset scientia, quod est absurdum. Neq. 2. quia usus, de quo hic loquimur, & a quo logica denominatur utens, debet esse distinctus a doctrina, ut logica per ipsum usum formaliter non doceat, sed potius recipiat doctrinam, & operetur juxta illam, alias considerationes logicæ docentis, & utentis non essent diversæ, sed usus in materia demonstrativa logicæ non distinguitur a doctrina, sed potius per talem usum formaliter docemur, ut patet, ergo ab eo logica nequit dici utens. Tum quia si logica respectu suæ materiæ necessariæ diceretur utens, jam non essent idem logica utens, & logica rebus concreta, neque similiter logica docens, & logica a rebus avulsa, logica enim dum est in materia propria, & non descendit ad extraneas materias, semper est a rebus avulsa, ergo respectu propriæ materiæ semper est docens, & non utens.

Resp. Logicam habere usum utroque modo respectu partis demonstrativæ, est utens passive in materia aliarum scientiarum, dum illa in suis demonstrationibus conscientis utuntur præceptis a logica traditis in lib. Post. est etiam utens active, dum habitu operativo logico per exercitium sapientis demonstrandi acquisito concurrunt etiam physice, & elicitive ad demonstrationes aliarum scientiarum quantum ad partem demonstrativam, unde falsum est, quod demonstrationes aliarum scientiarum non procedant a logica utente elicitive; neque ex hoc sequitur solam logicam esse scientiam, quia etiam alia scientiæ concurrunt physice, & elicitive ad proprias demonstrationes quantum ad materiam, ut supra diximus, unde demonstrationes illa ex parte materiæ ad illam particularem scientiam spectant, sed ex parte formæ spectant ad logicam, directione ad docentem, elicitive ad utentem. Datur etiam usus partis demonstrativæ in materia propria; dum scientifico modo ostendit logica modum struendi demonstrationem, unde negatur assumptum etiam quoad alteram partem; ad primam probationem, vel ibi sermo est de usu, a quo logica dicitur utens passive, & sic vera est minor: quia sicut logica utens in hoc sensu non est habitus a docente distinctus, ita hic usus non distinguitur a doctrina, & per ipsum formaliter docemur, vel sermo est de usu, a quo logica dicitur utens active, & sic falsa est minor: quia sicut logica utens in hoc sensu est habitus operativus realiter a docente distinctus, ita hic usus realiter distinguitur a doctrina, nec per ipsum formaliter docemur, sed per ipsum operamur, & ab hoc usu proprie denominatur logica utens. Ad alteram probationem negatur conseq. nam logica etiam si in docendo utatur suis regulis, & præceptis, quia tamen hoc est mere per accidens & sibi ipsi inservit, ac si penitus esset distincta scientia, hinc est, quod quamdiu ad extraneas materias aliarum scientiarum non descendit, semper censetur a rebus avulsa.

ARTICULUS SECUNDUS.

De fine Logicæ.

14 UT objectum logicæ docentis ejusque naturam investigemus, consulto exordimur a fine illius, si enim verum est, finem intrinsecum scientiæ coincidere cum objecto, ut notat Faber Theor. 1. in fine, & objecti cognitionem in practicis maxime ex fine pendere, cum logica, etsi practica non sit, se tamen habeat ad modum practicæ facultatis, utpote quæ disciplina organica est,

maxime juvabit questionem de ejus fine præmittere tam secundum se, & totam amplitudinem suam consideratæ, quam ut ab Arist. tradita; Patentur omnes finem, & scopum logicæ, in quem tota collimat, esse dirigere intellectum in suis operationibus, consentaneum enim erat, ut quemadmodum instituta erat scientia ad directionem actionum voluntatis, quæ est Ethica, ita alia institueretur pro directione operationum intellectus, cum non minus sit errori exposurus, quam voluntas, præsertim pro statu isto, in quo in rerum cognitione dependet a sensu, qui sæpe sæpius decipitur, ita notavit Antonius de Fantis spec. ration. art. 2. diff. 12. hæc autem est logica, ut notat Scot. qu. 4. Prolog. art. 1. & Ant. And. 6. Met. q. 3. qua hæc ratione ab Arist. dicitur *modus sciendi*, 2. Met. 15. & definitur, quod sit *scientia rationalis discretiva veri a falso*. Verum cum tres sint intellectus operationes, simplicium apprehensio, iudicium, & discursus; difficultas est, an hæc directio per se intenta a logica sit omnium, & singularum operationum, an solius tertiæ; ad quam prima, & secunda ordinantur; & rursus an hæc directio sit per se intenta in quacunque materia, tam scilicet probabili, quam demonstrativa, an potius in demonstrativa tantum. Quantum attinet ad primam difficultatem, multi tenent adæquatam logicæ finem esse dirigere tantum tertiam operationem, qua ex notis investigatur ignorum, ita opinatus videtur Zab. lib. 1. de natura log. cap. 18. & quicumque tenent, syllogismum esse adæquatam objectum in logica tota sua amplitudine. Quantum attinet ad secundam, tenent quamplures finem logicæ esse dirigere cognitionem nostram in materia tantum demonstrativa, ita sensisse videtur Avic. p. p. log. c. 1. Ammon. præfat. in prædic. Philop. & Alex. præfat. in Prior.

15 Dicendum tamen est, quod si loquamur de logica in tota amplitudine sua, finis adæquatus ejus est dirigere omnes, & singulas tres intellectus operationes in quacunque materia, sive probabili, sive necessaria; si vero sermo sit de logica ab Arist. tradita, utique finis ejus adæquatus est tantum tertiæ operationis directio. Concl. est Scoti 1. Prior. q. 2. §. *Quantum ad tertium*, & probatur primo quoad primam partem, quia omnes tres operationes sunt per se dirigibiles in quacunque materia, ergo logica secundum se ordinatur ad omnes, & singulas dirigendas in quacunque materia. Prob. assumptum, quia quælibet independenter ab alia proprium potest participare errorem, quia si implicaret dari tertiam operationem, adhuc darentur præcepta de secunda, universalem v. g. negativam simpliciter converti, affirmativam in partem, &c. & si implicaret dari secundam, adhuc darentur præcepta de prima, v. g. quod ad distincte quidditatem apprehendendam oportet concipere genus, & differentiam objecti, & quamvis una operatio indigeat majori directione, quam alia, ut tertia, quam secunda, secunda, quam prima, non tamen hinc fit eam, quæ indiget minori directione; per se ad logicam non pertinere, quia hæc directio, qualicumque sit, non nisi ad logicam pertinere potest.

Nec satisfacit dicere cum Adversariis pertinere utique, sed indirecte, ac reductive, quatenus prima, & secunda reducuntur ad 3. Nam licet prima conferat ad 2. & secunda ad 3. tamen singulæ per se habent suam restructuram, & sunt capaces directionis, habentque suas regulas, & præcepta distincta. Quod vero una magis capax sit, ac indigens directionis, non efficit, quin omnes per se, & directe sint a Logica dirigendæ per instrumenta propria, sed solum quod directio unius magis principaliter intendatur, quam alterius, unde concedendum ultro est, quod Logica etsi adæquate sit inventa ob directionem trium simul operationum intellectus in quacunque materia, principaliter tamen inventa est propter directionem tertiæ operationis, & in materia necessaria, quia inter operationes intellectus ea est difficilior, & ideo præcipuus finis Logicæ etiam in tota sua latitudine erit dirigere demonstrationem, idest syllogismum in materia necessaria, non tamen adæquatus.

16 Quoad alteram partem etiam probatur, quia ut ait Scot. cit. Ar. parum curavit de divisione; nec egit de definitione, nisi quatenus inservit argumentationi, & demum totam suam Logicam in gratiam argumentationis composuit, utpote instrumenti ceteris omnibus perfectissimi, quod etiam probat Doctor ibidem tali discursu. Quiquid tractat, Arist. in sua Logica, in gratiam argumentationis, seu syllogismi tractat, ergo adæquatus finis ejus est directio solius tertiæ operationis; Probatur assumptum, principia enim ejus tam proxima, quam remota in l. Prædic. & Periher. declaratur, rationem ejus in communi, & quidditatem, quæve ipsi in communi accidunt, in lib. Priorum manifestavit, & tandem partes subjectivas in lib. Post. Top. & Elench. quibus tractatibus tota absolvitur Arist. Logica. Immo Arist. ipse in fine Elench. volens se ostendere inventorem Dialecticæ, dixit se de syllogismo tractasse, quasi tractatio de syllogismo sit tota Logica ab Arist. contexta; Hinc Doctor etiam qu. 4. Prol. art. 1. inquit, finem Logicæ esse dirigere intellectum in actibus discurrendi, licet enim dici posset ipsum de fine præcipuo Logicæ in se fuisse locutum verisimile tamen est de Logica ab Aristot. tradita verba fecisse.

Articulus Secundus, de fine Logicæ.

fecisse. Hic tamen addendum est, quod etsi Logica Arist. sit adæquate instituta pro directione discursus in quacunque materia, ut patet ex ejus dicto in fine Elench. tunc relato, principaliter tamen est instituta ob directionem ejus in materia necessaria, ut elare colligitur ex 1. Prior. c. 5. ubi proponit se primum, idest, præcipue tractaturum de demonstratione, quod dicit se præstitisse in 1. Posterior.

17 Sed quia in disciplinis organicis, de quarum numero est Logica, alique facultatibus adminiculativis duplex solet finis distingui, internus nempe, qui attingitur ab ipsis, & externus, qui non attingitur ab ipsis, sed ab aliis facultatibus, quibus inserviunt, ut patet in frænefactiva, quæ simulatur equestris, nam ejus finis internus est frænium, externus vero, est directio equi, ad quam frænium ordinatur, quæ directio solum attingitur ab equestri. In proposito directio operationum intellectus in esse exercito non est finis intrinsecus Logicæ, sed extrinsecus tantum, quia est Logica sit directiva, hoc non facit elicendo operationes ipsas directas, quia hoc pertinet ad particulares scientias simul cum Logica utente, sed tantum est directiva exemplariter, & idealiter, quatenus contemplantur instrumenta, ac ideas, ad quarum imitationem fieri debent operationes ipsæ, ut sint rectæ, & quia finis internus adhuc duplex est, ut notat Scot. q. 3. Prolog. supra T. formalis scilicet, & objectivus, vel ut alii loquuntur, *Quo*, & *Qui*, ut patet in ipsa frænefactiva, in ipsa finis internus objectivus, & Qui est ipsum frænium; internus formalis, & Quo est perfecta cognitio ipsius fræni, & universaliter cognitio perfecta sui objecti in unaquaque facultate, ut docet Doct. cit. In proposito finis Quo, seu formalis intrinsecus Logicæ in tota sua latitudine est cognitio modi, quo dirigantur omnes, & singulæ operationes intellectus; finis vero Qui, & objectivus est modus ille cognitus, nam universaliter loquendo finis formalis intrinsecus cuiuscumque habitus est cognitio, quæ immediate ab eo elicitur circa proprium objectum, finis vero Qui est id, ad quod terminatur finis Quo, scilicet cognitio ipsa; & sic demum servata proportione dici debet de Logica ab Arist. tradita, quod finis internus ejus formalis; & Quo est cognitio dumtaxat argumentationis, seu syllogismi, finis objectivus, & Qui est syllogismus ipse.

18 In oppositum obijciuntur Primo ad probandum directionem operationum intellectus nullo modo esse posse finem Logicæ. Tum quia efficere operationes rectas in cognitione rerum, verumque a falso discernere pertinet ad singulas scientias; ergo non est hic peculiaris Logicæ finis. Tum quia si esset hic finis Logicæ; ergo foret quodammodo directiva operationum suarum, quod falsum est, quia tunc procederet in infinitum.

Respond. ex Bassolio q. 8. Prol. ar. 2. quod efficere operationes rectas elicitive, & in esse exercito, utique ad alias scientias spectat circa propria objecta, sed efficere operationes rectas exemplariter, & idealiter, ac in esse quasi signato ad solam Logicam spectat. Sic etiam discernere verum a falso moraliter spectat utique ad singulas scientias circa propria objecta, at discernere verum a falso instrumentaliter ad solam Logicam pertinet; quatenus ipsa sola dat regulas dirigendi errores, & evitandi in quacunque operatione intellectiva, ut notat Zab. lib. 1. de nat. Log. c. 3. Ad 2. negatur falsitas consequentis, & processus in infinitum, quia intellectus per eadem præcepta, quibus dirigit actus aliarum scientiarum, dirigere etiam potest actus Logicæ sive implicite, sive explicite ex vi reflexiva, quam habet supra suos actus; unde præceptum syllogismi, quod habeat tres terminos, est sufficienti ad dirigendum intellectum non solum in materia Physica, sed etiam Logica.

Secundo arguitur ad probandum, quod si finis Logicæ est dirigere, hoc est tantum in ordine ad 3. operationem, quæ solum indiget directione, nam prima operatio est apprehensio objecti repræsentati per speciem, quæ necessario repræsentat, qua ratione negat Aristot. contingere falsitatem in prima operatione; secunda vero operatio, vel est circa objectum notum ex terminis, ita ut propositio sit per se nota, & non indiget directione Logicæ, quia satis est lumen intellectus, & apprehensio terminorum, si vero sit circa objectum ignotum, jam notificari debet ex vi tertiæ operationis, unde non dirigitur, ut secunda, sed ut tertia. Quin etiam Logica non habet dirigere ipsam tertiam operationem, nisi in materia necessaria, nam Logica dicitur instrumentum sciendi, at scientia habetur tantum per demonstrationem.

19 Resp. negando assumptum, ostendimus enim primam, & secundam operationem esse per se dirigibiles; ad probationem dicimus, quod licet in prima operatione non reperiatur falsitas complexa, potest tamen intervenire interdum falsitas complexa, talis nempe defectus, quo concipit intellectus rem alter, quam sit, ut cum apprehendit angelum, tamquam corporeum, vel obscure, & implicite rem aliquam apprehendit, non per se considerando omnes, & singulos gradus essentialia ejus, vel indistincte, & consue concipit ut unum quid, quæ distinguenda sunt; propter quos, & similes defectus indiget intellectus directione etiam in prima operatione; & cum dicitur, quod in hac operatione intellectus necessario conformatur cum objecto repræsentato per speciem, quia species necessario

repræsentat, verum est, speciem necessario repræsentare, negatur tamen semper repræsentare recte, sapius enim ex mala constitutione sensuum interiorum, aut etiam aliquo defectu exteriorum provenit mala repræsentatio specierum intelligibilium; ex quo fit, veritatem, vel falsitatem incomplexam in hac operatione attendi debere ex objecto non ut repræsentato, sed ut est in se, de quo suo loco agemus in lib. de Anima; Secunda quoque operatio est erroris capax, deficit enim sæpe intellectus in enunciationibus falsim non per se notis, & adhuc in istis indiget directione logica, quæ dat regulam ordinate connectendi prædicatum cum subiecto, sive connexio sit nota, sive ignota, talis enim connexio fit non intuendo objectum, sed regulas logicæ; quod si objectum notificetur per tertiam, adhuc tamen directio secunda est distincta a directione tertiæ, & potest in se rectificari abstrahendo ab omni tertiæ. Tertia denique operatio, ut est erroris capax in quacunque materia, ita dirigi habet a logica in omni materia, & non in necessaria tantum, & quando logica dicitur instrumentum sciendi, non sumitur verbum sciendi in rigore pro cognitione per demonstrationem acquisita, sed pro quacunque cognitione, quocumque modo sit acquisita.

Tertio arguitur ad probandum finem etiam logicæ Arist. esse directionem cuiuscumque operationis, & non solius tertiæ, quia si tota percurratur Arist. logica videbimus, distinctos composuisse libros pro directione cuiuscumque operationis sigillatim; edidit enim librum prædicamentorum, ne intellectus in apprehensione rerum confunderetur, sed habendo ante oculos seriem omnium rerum distinctam, distincte, ac sine confusione rem unamquamque conciperet: ad evitandos autem errores, quos potest committere in conjungendo terminos apprehensos, data sunt regulæ in lib. Periher. ad evitandos tandem errores in discursu contingere notos tam quoad formam, quam quoad materiam, ceteros composuit libros Prior. Post. Topic. & Elench. ergo finis logicæ Arist. non est tantum directio 1. Prior. q. 2. hinc fit, quod simpliciter, & absolute finis adæquatus tertiæ operationis, sed cuiuscumque.

20 Respondetur concedendo Logicam Arist. etiam partiri posse juxta tres intellectus nostri operationes, ut docet Ant. And. initio Periher. & in lib. Prædicam. & Periher. dedisse regulas pro directione primæ, & secundæ operationis, sed quia terminos, & propositiones ibi non consideravit propter se, sed tantum ut sunt partes, hæc proxima, illæ remotæ syllogismi, ut ibidem docet Ant. And. & Scot. cit. logicæ Arist. sit directio tantum tertiæ operationis.

Quarto obijciuntur ad probandum directionem operationum intellectus esse finem logicæ nedum extrinsecum, sed etiam intrinsecum. Tum quia finis intrinsecus habitus directivi est directio, sed logica est essentialiter habitus directivus, ergo &c. Nec dicere sufficit, logicam esse habitum directivum idealiter tantum, & in esse signato, non elicite, & in esse exercito, ac proinde quod finis intrinsecus ejus est directio tantum idealis, quæ non est, nisi cognitio ideæ; ac cujus exemplar fieri debet operatio, ut recta sit. Non sufficit, nam contra hoc est, quod logica efficit, & elicit operationes rectas in propria materia; ergo attingit directionem etiam in esse exercito. Tum deinde probatur exemplo sapius adducto frænefactoriæ, quæ non solum respicit intrinsece cognitionem frænificiendi, sed ipsam quoque directionem, qua fit frænium rectum. Nec dicere suffragatur, quod directio equi non respiciatur a frænefactoria intrinsece, sed extrinsece, quia frænefactoria non est directiva equi, cum hoc sit munus equestris, at logica est directiva operationum.

Respondetur ad primum solutione data inter arguendum, ad replicam dicimus logicam per accidens solum attingere directionem in esse exercito, non per se, & quatenus logica est, accidit enim sibi, quod sit logica in tali casu, & hoc exercet munus, veluti esse scientia distincta: Cui accedit, quod etiam in propria materia directio in esse exercito attingitur a logica utente, non docente. Ad alterum respondetur, quod si frænefactoria consideretur, ut est habitus in intellectu docens modum recte faciendi frænium, quo sensu spectari debet, ut valeat paritas, falsum est directionem in esse exercito esse ejus finem intrinsecum, non enim attingitur ab ipsa, sed ab alio habitu in potentia externis resistente, qui dicitur frænefactoria utens, hæc enim est, quæ conficit frænium juxta regulas a docente præscriptas.

ARTICULUS TERTIUS.

De adæquato Logicæ objecto.

21 CONSTITUTO sine hujus facultatis tam intrinseco, quam extrinseco, tam secundum se consideratæ, quam ut ab Arist. conscripserat, ejusdem proprium, & adæquatam subiectum in utraque consideratione venari difficile non erit; At quia nomen subiecti multas habet acceptiones, ut docet Scot. 1. Prior. q. 2. quandoque pro subiecto inhærenti repræsentato per speciem, quia species necessario

fumitur in præfenti pro eo, circa quod unaquæque scientia versatur, quo sensu i. Post. 25, una scientia dicitur esse unius generis subiecti, & appellatur subiectum considerationis, & etiam obiectum, quod potentia, vel habitui obicitur cognoscendum, quod cum iterum sumi possit, vel fufe pro omni considerata in scientia, aut arte, quo sensu in medicina, v. g. non solum corpus humanum, ut sanabile, sed etiam omnia medicamenta, & instrumenta dicuntur subiectum circa quod artis medicæ, & quicquid demum in scientia tractatur, ejus subiectum vocatur; vel proprie, pro re non quocumque modo, sed per se, & primo considerata in scientia, hic loquimur de subiecto considerationis in secundo sensu; quod cum iterum dividatur in subiectum adæquatum, seu totale, & in subiectum inadæquatum, seu partiale, quod deinde dividitur in principale, & est principaliter pars subiecta earum, quas sub se totale subiectum comprehendit, & minus principale, & est pars subiectiva inferioris conditionis ejusdem subiecti totalis, hic loquimur de subiecto totali, & adæquato, quod est ita primo per se considerata in scientia, ut tota artificis cura in ejus contemplatione sita sit, ac proinde cætera omnia in scientia considerata revocentur ad ipsum, & habeant attributionem, quod proinde subiectum attributionis appellari consuevit, licet id a Modernis quibusdam fumatur pro subiecto principalitatis.

22 Quamvis autem subiecti hoc modo sumpti variæ, ac multiplices enumerari soleant conditiones, præcipue tamen, ad quas cætera omnes reducuntur, sunt, quas enumerat Doctor q. 3. universal. quod de eo in scientia præsupponatur quid est, & quod est, quod per ejus quod quid est demonstrant affectiones de eo in illa scientia, & tandem quod omnia determinata in scientia reducuntur ad ipsum, & propter ipsum considerentur, vel tanquam ejus principia, vel tanquam partes, aut species, vel proprietates ejus, vel alia consimili ratione, quæ subiecti conditiones, veluti necessarias, & sufficientes recipiuntur passim ab Auctoribus, Complut. disp. 1. Procem. q. 2. Didac. a Jesu q. 3. Procem. & aliis, & expresse deducuntur ab Arist. 1. Post. tex. 2. & 25, ubi docet subiectum esse illud, cujus principia, partes, & passiones in scientia inquirentur, necessitatem vero harum conditio num, earumque sufficientiam ostendere non est hujus loci, nam ex professo tractabitur infra disp. de scientia 12. q. 2. Et quia etiam, ut ibidem trademus, subiectum adæquatum scientiæ parte materiali constat, & formali, re scilicet considerata, & modo considerandi, ex quibus in esse scibili componitur unum subiectum quod totius scientiæ, de utraque parte subiecti logicæ erit hic etiam differendum.

Hac præmissa doctrina quantum ad præsentem sufficit (nam de hoc fufe infra loc. cit.) de natura subiecti adæquati scientiæ, modo descendimus ad quaestionem propositam de subiecto adæquato logicæ. Et quidem mirum est, quanta sit Auctorum varietas in hujus facultatis obiecto assignando, nam viginti, & amplius sententiæ recitantur de hac re, nos celeberrimos referemus, quæ ad duas classes revocari possunt. Una erit eorum, qui ponunt, logicam esse scientiam realem, ac proinde obiectum reale ei assignant. Altera est eorum, qui eam faciunt scientiam rationalem, ac proinde ali-quod ens rationis obiectum ejus statuunt.

23 Auctorum primæ classis prima Opinio est eorum, qui statuunt obiectum logicæ res omnes, sive omnia entia, non tamen quatenus entia sunt in seipsis, & a parte rei, sic enim de eis agit Metaph. sed quatenus sunt ab intellectu cognoscibilia. Secunda asserit non res sed voces, ut rerum significativas esse logicæ obiectum, quæ opinio communiter tribui solet Nominibus, & est Aureol. in prolog. art. 5. Tertia asserit modum, seu instrumentum sciendi reale esse subiectum in logica, varie tamen auctores instrumentum sciendi acceperunt; Quidam enim sumserunt illud in toto rigore pro sola demonstratione, quæ est instrumentum scientiæ productivum propriissime dictæ, ita multi veteres. Alii sumserunt latius pro syllogismo, vel argumentatione, & quidem pro prima intentione, quo sensu tantum sunt instrumenta realia. Alii demum latissime acceperunt instrumentum sciendi reale, prout scilicet complectitur definitionem, divisionem, & argumentationem pro conceptibus obiectivis, seu pro prima intentione, ita Conimb. q. 2. Procem. qui tamen protestantur se loqui de logica secundum se considerata, non prout ab Arist. tradita, ita enim solam argumentationem assignant pro subiecto adæquato. Quarta sententia, quæ communis est inter Neotericos, non instrumenta directiva, sed potius operationes intellectus, ad quas hac ordinantur, asserit esse subiectum, unde statuunt pro subiecto, vel tres operationes intellectus quatenus dirigibiles, vel ut specialiter loquitur Averf. q. 2. fec. 5. cognitionem intellectum comprehendentem tres actus nostri intellectus, quatenus dirigibile, itur illud sit materiale, hoc vero formale: ita Averf. cit. Amic. in log. tract. 1. qu. 5. dub. 4. Blanc. disp. 1. qu. 9. Didacus a Jesu qu. 3. Procem. Arriag. disp. 2. log. num. 34. Ovid. contr. 2. log. punct. 1. Ruvius q. 6. secuti Suarez 1. tom. Met. disp. 1. fec. 4.

Non fuit pauciores opiniones inter Auctores secundæ classis, eorum enim, qui entia rationis pro obiecto assignant, quidam putarunt ens rationis in sua communitate

sumptum debere statui obiectum. Alii hanc opinionem carcerantes non omne ens rationis ponunt obiectum logicæ, sed tantum genus quoddam entis rationis, quod appellant ens rationis logicum, & secundam intentionem, & est illud ens rationis, quod significari solet passim in logica per terminos logicæ, genus, species subiectum, prædicatum, definitio, enunciatio, & alios similes, ita Thomista omnes, Cajet. c. de genere p. 2. Scot. q. 5. Procem. Masius hic fec. 2. q. 13. Sanch. lib. 1. hu. 17. Javel. tr. 1. log. c. 3. Niger. q. 12. Clip. Complut. disp. 1. q. 3. Joan. de S. Thom. p. 2. log. q. 1. art. 3. Galleg. Petronius, & alii, qui pro hac sententia citant veteres omnes Thomistas. Alii tandem adhuc magis se restringentes, nec inter logicam secundum se, & ut ab Arist. traditam distinguunt, subiectum logicæ statuerunt illud ens rationis, quod per argumentationem importatur, vel certe syllogismum, quam sententiam de syllogismo docuit Scotus ex professo q. 3. univers. & sequuntur Scotista passim in eum locum Mauri. Anglic. Brasul. Sarnan. Faber Theor. 6. Roccus q. procem. 5. Fuentes qu. 3. diff. 3. art. 6. tamquam Doctor ibi locutus fuerit de subiecto logicæ quocumque modo sumptæ; Faber tamen c. 3. inquit ibi Doctorem assignare subiectum logicæ Aristotelicæ.

Resolutio de obiecto logicæ Aristotelicæ.

I. 24 **D**icendum est, in logica, prout est ab Arist. tradita, non aliquid reale esse obiectum, sed ens rationis, non quidem in tota sua communitate, neque ut limitatum ad ens rationis logicum, sive secundam intentionem, sed quatenus ad argumentationem, seu syllogismum coarctatur. Conclusio est Scoti q. 3. univers. & etiam 1. Prior. q. 2. ubi aliud statuit subiectum in logica, ut ab Arist. tradita, & in tota amplitudine sua consideratur, est communis inter Scotistas nemine discrepante, uno excepto Poncio, qui disp. 2. log. qu. 5. parum curans Scoti auctoritatem, & omnium Scotistarum, assignat logicæ, etiam prout est ab Arist. tradita, obiectum reale, & syllogismum pro prima intentione captum, & probatur quoad omnes partes.

Primo quod in logica Arist. non sit aliquod reale subiectum, suaderur, tum quia quæcumque traduntur in logica Arist. sunt entia rationis, & secundæ intentiones logicæ, ut genus, species, univocum, analogum, prædicamentum, propositio, æquipollentia, antecedens, inductio, syllogismus, figura, subiectum, prædicatum, &c. tum quia hac ratione dixit Boetius, logicam esse de secundis intentionibus applicatis primis, quia Arist. totam logicam suam tradidit sub terminis secundarum intentionum; tum denique quia hac ratione dicta fuit scientia rationalis, & selecta a numero scientiarum realium, ut notat Scot. q. 3. Prolog. lit. l. & fuit perpetua, & constans sententia omnium Peripateticorum, quæ etiam ratione Grammatica, & Rhetorica distinguuntur contra scientias reales, quia traduntur sub terminis secundarum intentionum, ut sunt nomen, verbum, participium &c. ergo ens rationis, non autem ens reale subiectum erit logicæ Arist. quia per ens rationis distinguitur a cæteris scientiis.

Resp. Aversa q. 2. fec. 3. negando assumptum, quia potius logica Arist. in omnibus suis libris, & tractatibus agit de entibus realibus, in lib. Perih. Priorum, & sequentibus per se agit de actibus nostri intellectus, de enunciatione, discursu &c. nec per se queruntur secundæ intentiones, quæ ex illis actibus resultant: in lib. prædicam. per se considerantur, & certis locis disponuntur naturæ reales exclusis entibus rationis. In lib. etiam prædicab. quamvis tractetur de genere, differentia, & reliquis, quæ videntur entia rationis, tamen tractatur de illis, quatenus important entia realia, & universaliter ita procedit tota Arist. logica, ea enim, quæ docet, verificantur de entibus realibus non rationis, docet enim genus prædicari de speciebus, speciem de individuis, at non valet utique prædicare dicendo, species est genus, individuum est species, sed homo est animal, Petrus est homo; docet prædicatum affirmari de subiecto, at non valet dicere, subiectum est prædicatum, sed bene Petrus est albus, est homo.

Sed hæc solutio facile refellitur, falsum enim est, quod in lib. Perih. & Prior. agatur per se de actibus nostri intellectus, enunciatione, & discursu, sed agitur de regulis, & præceptis, quibus operationes illa dirigi debent, & istæ regulæ traduntur per terminos secundarum intentionum, quod prædicatum affirmatur de subiecto, quod in prima figura majus extremum prædicatur de medio termino, medius terminus de minori extremo, & in conclusione majus extremum de minori, falsum est in prædicamentis naturas reales per se considerari, nam de substantia, quantitate, qualitate, aliisque prædicamentis agit logicus secundum quod in eis attenditur subicitilitas, & prædicabilitas, ut vero sunt partes entis realis pertinent ad Metaph. & sic etiam dicendum de naturis communibus, quas important genus, & species, cæteraque prædicabilia, quæ per se ad logicum non spectant, sed secundæ intentiones universalitatis, quas fundant. Nec est necesse ea, quæ docet, in secundis intentionibus verificari de eisdem predicatione exercita, tria est enim logicalis regula, quod quæ signantur in secundis, exercentur in pri-

in primis, non vero in eisdem secundis, & ideo tota hæc respositio falsa est.

25 Secundo quod ens rationis in tota sua communitate non sit subiectum logicæ Aristotelicæ, nulla indiget probatione, tum quia, & Grammatica, Poetica, & Rhetorica sua habent entia rationis, tum quia Compl. ipsi testantur certissimum esse ens rationis universaliter sumptum non esse obiectum logicæ, nec aliquem Thomistarum oppositum asserere, nam logica non considerat relationem rationis dexteri, & sinistri in columna, nec relationes rationis quibus Deus ad creaturas refertur. Sed quod neque subiectum sit ens rationis logicum, seu secunda intentio, quæ est veritatis manifestativa, qualis est sola secunda intentio logica, probatur. Tum quia in qualibet scientia distinguendum est subiectum communitatis a subiecto attributionis, neque hoc coincidit cum illo, secunda autem intentio in logica est subiectum communitatis, quia prædicatur essentialiter de subiecto, prædicato, copula, genere, propositione, &c. ergo non est subiectum attributionis. Tum quia juxta hanc sententiam non contradistinguerentur in logica principia, passiones, & subiectum, ut docuit Arist. 1. Posteriorum 26. quia hæc omnia considerarentur, ut species, cum intrinsece imbibant conceptum entis rationis logici, & secundæ intentionis. Tum quia etiam Arist. in sua logica consideraret omnes secundas intentiones veritatis ostensivas (quod tamen non fecit) non proinde dicendum foret considerari omnes per se, & directe, veluti species obiecti totalis, sed indirecte, & reductive, & sic de facto consideravit terminos, & propositiones, ut principia sui obiecti, aliquas vero secundas intentiones veluti affectiones ejus.

Hinc deducitur non convenire secundæ intentioni conditiones obiecti scientiæ supra recentias, & a Complut. ceterisque Thomistis receptas, nam una illarum est etiam juxta eorum doctrinam, quod contineat omnia, quæ tractantur in scientia, ita ut ad ipsum omnia revocentur, vel tanquam principia, vel partes, vel species, vel proprietates ejus; altera est, quod sit, de quo potissima cura est in tali scientia, & de quo (si aliqua fuerint) tradantur præcepta; at prima conditio secundæ intentioni non convenit, quia omnia considerata in logica reducuntur ad ipsam, ut species, non ut principia subiecti, neque ut proprietates; neque secunda, quia tota Arist. cura fuit agere de syllogismo, ut ipse testatur c. ult. 2. Elench. ejusque regulas, & præcepta discrete tradidit; de secundis autem intentionibus, nec peculiarem tractatum confecit, nec passiones aliquas de ipsis demonstravit, quod tamen necessarium erat, si secunda intentio sumenda erat pro subiecto. Accedit, quod de definitione, & divisione ex professo non egit, ergo secunda intentio veritatis ostensiva non est in Arist. logica adæquatum subiectum, cum non omnes tales intentiones in ea considerentur.

Resp. Complut. quod quamvis Arist. ex professo non egerit de definitione, aut divisione, hoc tamen non est, quia non contineatur sub obiecto logicæ, sed vel quia de definitione jam egerat Socrates, de divisione Plato, ac nullus, forte de aliis intentionibus logicalibus ex professo disputavit. Sed hæc solutio ostenditur solum tractas de definitione, & divisione ex natura rei ad logicæ obiectum spectare in tota sua amplitudine, quod gratis concedimus; at hic de logica ab Arist. tradita est fermo; & parum refert, quod volumina alia ediderit de definitione, & divisione, quæ perierunt, quia quaestio est de logica Arist. quæ nunc extat, ejusque in præfenti quaerimus obiectum.

26 Tertio tandem, quod in logica Arist. subiectum adæquatum sit syllogismus, seu argumentatio, probatum manet tum ex refutatione aliarum opinionum; tum ex dictis articulo præcedenti, ubi demonstratum est, finem logicæ Arist. esse tradere instrumentum directivum tertæ operationis, quod est argumentatio, vel syllogismus, finis autem internus coincidit cum obiecto, tum tandem patet ex progressu ipsius Arist. constat enim, syllogismum in ejus logica omnibus potiri conditionibus ad obiectum scientiæ desideratis, gaudet prima; nam in ea supponitur esse, & post tractationem de principis remotis, & propinquis in lib. Prædicam. & Perih. statim in lib. Prior. præmittit definitionem ejus; gaudet secunda, quoniam in eisdem lib. Prior. multæ passiones de illo demonstrantur per prædictam definitionem, ut esse in modo, & in figura, constare ex tribus terminis, concludere universaliter, particulariter, affirmative, & negative; gaudet denique tertia, quandoquidem omnia, quæ in scientia tractantur, vel sunt principia syllogismi, & sic habentur lib. prædicam. & Perih. vel sunt proprietates ejus, & sic habentur libri Priorum, vel species, & sic habentur lib. Post. Topic. & Elench. ita discurret Doct. 1. Prior. q. 2.

In oppositum obicitur Primo cum Neotericis quod aliquid reale, & non rationis, poni debeat obiectum in logica. Tum quia quælibet scientia realiter causatur ab obiecto suo partialiter, & ab eodem in perfectione mensuratur, dicit

enim relationem ad illud, ut ad mensuram ex Arist. c. de relat. sed nullum ens rationis potest causare scientiam, quæ est realis qualitas, nec ejus perfectionem mensurare, cum sit imperfectius illa, ergo &c. Tum 2. quia obiectum scientiæ debet esse scibile, & per se intelligibile, id autem entia rationis convenire non potest, cum intelligibilitas sit prima passio entis realis. Tum 3. quia subiectum debet continere virtualiter notitiam suarum passionum, quæ scilicet ipsum formaliter consequuntur ex Scot. q. 3. Prolog. at ens rationis non potest causare notitiam suarum passionum, cum talis notitia sit qualitas realis. Tum 4. quia si logica ageret de ente rationis, ideo esset, quia tractat de genere, specie, subiecto, prædicato, & aliis similibus intentionibus, sed hæc etiam dicuntur entia realia, quia in hac propositione, *homo est animal*, actus intellectus correspondens illi termino *homo*, non representat naturam humanam præcise, sed ut subicitur animali, ergo non solum representatio hominis, sed modus etiam representandi illum, ut id, de quo dicitur animal, est quid reale. Tum 5. si logica est de secundis intentionibus, utique non erit de ipsis in abstracto, sed in concreto, ut applicatæ sunt primis, atque ita logica haberet pro obiecto aggregatum per accidens. Tum demum, demonstratio, quæ est subiectum principale in logica, consideratur in ea, ut quid reale, ergo etiam subiectum adæquatum, sub quo continetur, reale erit; probatur assumptum, quia consideratur a logica ut effectrix scientiæ, sed ut realis non potest esse ens rationis, ergo, &c.

27 Resp. ad 1. quod sicut non est de essentia obiecti est motivum, & mensurativum sui actus in perfectione, ita non est de ratione scientiæ ut sic, quod cautetur a proprio obiecto, & ab eo in perfectione mensuratur, ut ex Doctore colligitur 4. d. 1. q. 1. sub S, sed tantum, de ratione scientiæ realis, qualis non est logica, ut est ab Arist. tradita, & contexta, quæ causatur non ab ente rationis, sed a fundamento, quod habet a parte rei, ita Mauri. q. 3. univers. §. 6. *dubitat*, in fol. ad 1. ubi addit etiam poni posse totalem causalitatem habitus logicalis ex parte intellectus, nam licet in actu recto obiectum sit causa partialis, & hoc primarium, in actu tamen reflexo potest totalis activitas tribui potentia, & quamvis ens rationis nequeat esse mensura scientiæ quantum ad perfectionem, potest tamen esse mensura sui actus quoad veritatem, quatenus notitia intantum vera est, inquantum exprimit obiectum, sicut est, quo sensu de relatione mensurabilis ad mensuram videtur Scotus loqui quol. 3. M. & O. & proprie dici solet relatio conformitatis actus ad obiectum. Ad 2. negatur minor quamvis enim non habeat intelligibilitatem obiecti primarii, hæc enim est passio entis realis, habet tamen intelligibilitatem obiecti secundarii, quatenus sicut entitatem habet ad modum entis realis, ita scibile est ad modum illius; Neque dicas ex hoc sequi, quod tantum sit scibile per accidens. Quia sicut ejus essentia in hoc sita est, quod cognoscatur ad modum entis realis, sic per se convenit illi, quod cognoscatur ad modum alterius, de quo fufus infra disp. 3.

Ad 3. ait Mauri. cit. quod continentia virtualis, cujus meminit Doctor, convenit tantum subiecto scientiæ realis, de quo ibi loquitur; vel quod convenire potest etiam entia rationis fundamentaliter. Sed expeditius dici poterit, quod ideo subiectum dicitur continere virtualiter passiones suas quoad cognitum, non quia subiectum ipsum, ut sic, causat notitiam passionis, sed quia subiectum, ut cognitum, sive nota subiecti causat notitiam passionis, quo sensu hoc munus potest etiam competere entia rationis, quia ejus cognitio est ens reale. Ad 4. negatur minor, nam licet representatio hominis in ea propositione sit realis, ea tamen subiecto in propositione non est quid reale, sed denominatio extrinseca derelicta ab actu recto intellectus; quæ sit ens rationis, & secunda intentio formaliter per actum reflexum. Ad 5. utique logica est de secundis intentionibus in concreto, nimirum, ut applicatis primis, sed non idecirco est de aggregato per accidens, quia res primæ intentionis non cadit in intellectu secundæ, veluti pars, sed ut terminans respectum eo modo, quo accidens, quando intelligitur dependere a subiecto, non intelligitur uti unum per accidens. Ad 6. demonstratio potest sumi vel materialiter, & pro prima intentione, & sic est illa materialis collocatio propositionum, quæ medius terminus ita ordinatur, ut in una subiciatur, & in altera prædicetur, vel formaliter, & pro secunda intentione, & est relatio, vel relationes ab intellectu factæ antecedentis, & consequentis, majoris, minoris, & occasione desumpta ex illa reali ordinatione, primo modo causat scientiam realiter, & exercite, secundo modo figurate, & sic consideratur in logica Arist. & ab eo definitur, quod faciat scire. Poncius cit. disp. 2. q. 5. adducit cum Aversa nonnullas rationes, quibus ostenditur nititur Log. habere obiectum reale, immo contra communem negatur lib. Post. Topic. & Elench. ita discurret Doct. 1. Prior. q. 2.

contexta, qui eam expresse docuit sub terminis secundarum intentionum, quo sensu hic loquimur, & quod illi termini sint 2. intentiones, patebit infra disp. 2. q. 8. art. 1. & disp. 2. Met. qu. 9. art. 1. num. 54.

28 Secundo obicitur cum Thom. ad probandum, quod ens rationis, seu secunda intentio sit subiectum. Tum quia log. dicitur scientia rationalis hac de causa, quia est de ente rationis, ut de objecto; alioquin intrinsece est qualitas realis. Tum 2. quia sicut datur una scientia, quae tractat de ente reali in universum, & est Metaph. ita dabitur alia, quae tractet de ente rationis in universum, & erit logica. Tum 3. quia quaecunque tractat logica, sunt entia rationis, ac intentiones secundae, ut termini, enunciationes, syllogismi, figurae, &c. & hac ratione aiebat Boetius, quod logica est de secundis intentionibus applicatis primis. Tum 4. quia entia rationis, & secundae intentioni conveniunt conditiones subiecti, quia praedicatur de omnibus, quae in logica tractantur, aliaque ad ipsum reducuntur vel tanquam partes, vel principia, vel passiones. Tum demum quia omnes secundae intentiones, de quibus logica tractat, sunt veritates offensivae, & per se conducunt ad dirigendas operationes intellectus, ergo omnes indifferenter continentur sub objecto adaequato ejus, quod erit ens rationis logicum, sive secunda intentio veritatis offensiva; conseq. patet, nam omnes participant rationem obiectivam, per quam logica fecerunt non solum ab aliis scientiis realibus, sed etiam rationalibus, quales sunt Grammatica, & Rhetorica, quae considerant secundas intentiones offensivas congruitatis, vel incongruitatis sermonis, non autem veritatis, & falsitatis, ita Compl. cit.

Resp. ad 1. logicam absolute dici scientiam rationalem, quia est directiva rationis in suis actibus, logica vero Arist. adhuc speciali ratione dicitur rationalis, quia nimirum est de ente rationis, ut de objecto, hoc autem non est subiectum ejus in quacunque communitate inspectum, sed ut supponit pro argumentatione, vel syllogismo. Ad 2. ens rationis in communi per se primo, & directe ad nullam scientiam pertinet, sed solum indirecte, & reductive pertinet ad Met. quatenus secundum essentiam suam est ens apparens, quia ejusdem scientiae est considerare id, quod est tale, & quod videtur tale 4. Met. tex. 4. Ad 3. concedimus totam, quia logica Arist. tradita est sub terminis secundarum intentionum, & dicitur esse de secundis intentionibus eo modo, quo Philosophia dicitur esse de rebus naturalibus, non vero quod omnes proprie sint subiectum attributionis. Ad 4. negatur assumptum, quia non est de ratione subiecti, quod sit commune omnibus in scientia consideratis per praedicationem, sed per attributionem, ita ut omnia reducuntur ad illud vel tanquam partes, vel principia, vel passiones, at omnia considerata in logica reducuntur ad secundam intentionem, ut species ad ipsum genus. Ad 5. concessio assumpto adhuc negatur consequentia, nam si praecipua conditio objecti scientiae est, ut si id, de quo potissima cura est in tali scientia; & de quo traduntur praecipua, ut Compl. fatentur, plane potissima cura Arist. fuit in sua logica elucidare secundam intentionem, quae est veritatis manifestativa per virtutem illustrativam, ut constat ex verbis ipsius Philosophi 2. Elench. c. ult. hac autem est argumentatio, seu syllogismus, de quo etiam plura reliquit praecipua.

Tertio obicitur, quod obiectum adaequatum logicae Arist. non sit syllogismus. Tum quia non solum egit Arist. de syllogismo, sed de ceteris etiam speciebus argumentationis, inductionis, Enthymemate, & exemplo, ergo, potius argumentatio in communi erit obiectum. Tum secundo, quia non solum egit de argumentatione, sed distinctos libros etiam composuit pro directione primae, & secundae operationis, ut lib. praedicam. & Perihier. & de definitione late tra. 2. Post. ergo potius modus sciendi in communi, seu instrumentum directivum in sua amplitudine erit obiectum. Tum tertio, quia dicere non valet terminos, & propositiones Arist. ibi non considerasse propter se, sed tantum, ut sunt partes syllogismi; quia & si hoc modo sint considerabiles, tamen non obstat, quin etiam per se, & directe considerentur (ait Averfa sec. 4. & fuit argumentum Aureol. in prolog. art. 5.) sicut in Physica, licet elementa concurrant ad constituendum mixtum, tamen Physica non agit per se solum de mixtis, neque corpus mixtum est adaequatum obiectum ejus, sed per se etiam agit de elementis, & corpus commune mixtis, & elementis est obiectum Philosophiae. Tum denique quia, ut urgent Complur. si semel admittimus in obiectis particularibus alicujus scientiae quemlibet ordinem unius ad aliud excludere illud, quod sic ordinatur a ratione propria, & immediata objecti, jam in qualibet scientia obiectum principale esset adaequatum, possemusque dicere Deum, aut intelligentias esse obiectum adaequatum Metaphysicæ, & hominem Philosophiae naturalis, & in proposito logicae Demonstrationem, siquidem quae tractantur in Met. dicunt ordinem ad Deum, qui est primum ens, & quae in Philosophia, ad hominem, qui est praecipua substantia materialis, & quae in logica ad Demonstrationem, quae est genuinum instrumentum sciendi, ergo licet intentio generis deserviat definitioni, & intentio praedicari propositioni, & hac argumentationi, non ideo intentiones istae debent excludi ab objecto per se, & immediato Logicae.

29 Resp. ad primum, argumentationem, & syllogismum

non differre, & inductionem, & exemplum, ac Enthymema non continere species a syllogismo essentialiter distinctas, sed ad ipsum veluti imperfectum ad perfectum reduci, quia sunt syllogismi imperfecti habentes totam vim inferendi a syllogismo, unde & in syllogismum transverbi facile possunt, & ad aliquam trium figurarum reduci, ut Arist. docet in postrema parte 2. lib. Prior. ita erudite demonstrat P. Faber Theor. 6. c. 3. & nos ostendimus 1. p. inst. tract. 3. c. 2. Ad 2. ait Doct. 1. Prior. q. 2. terminos, & propositi in illis libris considerari in ordine ad syllogismum, cujus sunt partes proximae, vel remotae, de definitione vero 2. Post. loquitur in ordine ad demonstrationem, quam ingreditur, ut medium, ut omnes fatentur. Ad 3. potuit utique Arist. logicam suam ita instituere, ut termini, & propositiones per se considerarentur, ita quod directe includerentur in obiecto logicae, veluti species ejus, sicut elementa consideravit in naturali philosophia: sed non ita fecit; quin potius, ut patet ex progressu operis, consideravit ea indirecte, & reductive per ordinem ad syllogismum, quem constituant, quia solum de directione discursus fuit sollicitus. Ad 4. concedimus, non quemlibet ordinem unius objecti partialis ad aliud excludere illud, quod sic ordinatur a ratione propria, & immediata objecti, sed solum quando ita consideratur in ordine ad illud, ut nullo modo propter se, & directe consideretur, sed indirecte penitus, & in gratiam alterius, quod non ex natura rei pensandum est, sed ex progressu scientiae, & Auditoris ejus, sic autem considerari terminos, & propositiones, nimirum in gratiam penitus syllogismi, ut partes ejus in logica Arist. fatentur omnes ejus expositores, & ipse in fine 2. Elench. Neque hinc confunditur subiectum adaequationis cum subiecto principalitatis, vel via discernendi unum ab alio pracluditur, quia subiectum adaequationis semper illud erit, ad quod reducuntur omnia considerata in scientia, vel ut partes, vel species, vel principia, aut alia consimili ratione, subiectum vero principalitatis erit, quod est nobilissimum, & praestantissimum contentum sub objecto adaequationis, quod utriusque in logica est demonstratio, quia est syllogismus in materia necessaria confectus, ac proxime scientiae generativus, & inter omnes praestantissimus.

30 Quarto tandem arguitur ad idem. Tum quia nihil est subiectum totius, & partis, sed syllogismus est subiectum in lib. Prior. ergo. Tum 2. quia nulla scientia suum consistit subiectum, sed logica consistit syllogismum. Tum 3. nullum complexum potest esse subiectum, quia de subiecto praesupponitur, quod est incomplexum, at syllogismus est quid complexum. Tum 4. quia assignando simpliciter, & absolute syllogismum pro subiecto, assignatur tantum pars materialis, ergo diminutus est Doctor non assignando etiam formalem, nam ex utrisque coalescere debet subiectum adaequatum scientiae.

Respondetur ad primum ex Doct. q. 3. Univers. majorem esse veram eodem modo, at diverso idem esse potest subiectum totius, & partis, sic in proposito syllogismus est subiectum in lib. Priorum, quoad continentiam tantam virtutem, id est quantum ad proprietates ipsum formaliter consequentes; est vero subiectum totius quoad continentiam virtutem, & potentialem simul, id est prout supponit etiam pro suis speciebus, & non pro seipso tantum in communi. Ad 2. non est Logica docens, quae consistit syllogismum, sed utens, illa tantum regulas tradit, & praecipua recte sciendi. Accedit, non semper opus esse, quod subiectum sit prius scientia quantum ad esse actuale, sed possibile. Ad 3. si syllogismus exercite sumatur pro aggregato scilicet plurimum propositionum, utique de ipso praesupponi nequit, quod est simplex, nec statim subiectum logicae; tamen si sumatur pro secunda intentione in illo aggregato fundata potest poni subiectum; & de ipso supponi, quod simplex, in hoc enim sensu est quid incomplexum. Ad 4. ait P. Faber Theor. 6. c. 3. quod quando subiectum materiale in scientia consideratur omnibus modis, quibus est considerabile, tunc necessariam non esse additionem partis formalis, quae solum additur ad restringendam considerationem objecti materialis, & ita inquit contingere de syllogismo in logica, quia consideratur ab ea omnibus modis quibus est considerabilis. Sed forte in syllogismo aliqua ratio considerari potest, quae non attingitur a logico, quia ratio generalissima entis rationis in ipso imbibita spectat ad Met. & limites logicae excedit, sicut & communis ratio secundae intentionis, quae etiam vagatur per Grammaticam, & Poeticam; certum est logicam praesertim considerare syllogismum quatenus habet vim manifestandi ignotam ex notis per vim illustrativam, & hanc esse rationem formalem obiectivam ejus. Itaque ratio formalis obiectiva in log. Arist. assignanda erit, ut in aliis scientiis, unde sicut in Philosophia naturali ponitur subiectum corpus naturale, quatenus naturale, in Metaph. ens, ut ens, in Theologia Deus, ut Deus, ita in Arist. Logica erit syllogismus, quatenus talis, id est quatenus habet vim dirigendi intellectum in investigatione ignotorum ex notis, ita enim specificatur ratio formalis, secundum quam consideratur, atque ita non est diminutus Doctor, quia intellexit syllogismum, quatenus syllogismum, esse subiectum. Vide alia argumenta apud Doct.

Resolutio de objecto Logicae in se.

31 SI de Logica secundum se loquamur, id est prout adaequate institui potest secundum totam suam latitudinem, & omnes ejus partes, ad quas se extendere potest, obiectum adaequatum ejus est modus sciendi, seu instrumentum sciendi in communi, & in tota amplitudine sua, ut nimirum comprehendit definitionem, divisionem, argumentationem, & si quae alia sunt instrumenta ad hoc munus idonea (de quo disp. seq.) Ita Scot. 1. Priorum qu. 2. tenent Fonsec. 2. Met. c. 3. qu. 1. sect. 4. Conimb. q. 2. Procem. Log. Tolet. qu. 5. Tatar. q. 3. Procem. consentit Faber c. 5. & alii Scotista, & probabilem putat P. Fuentes q. 3. diff. 3. art. 5. d. 20. & si ratio, quam ibi ad hanc conclusionem probandam adducit, nihil concludat, quia solum probat instrumentum sciendi esse subiectum praedicationis. Quamvis autem P. Faber Theor. 6. c. 3. & alii Scotista negent illos libros Priorum esse Doctoris, quia nimirum plura continent, quae non sunt consona dictis ejus in lib. Univers. in Metaph. & lib. Sent. ubi majorem habet auctoritatem; tamen ut bene notat Fuentes cit. id non est sufficiens argumentum, ut negemus eos libros esse Doctoris, quia eadem ratione possemus dicere tractatum Univers. esse alterius Doctoris, quia q. 12. negat ens esse univocum, qu. 3. ad 2. principale ponit corpus mobile subiectum naturalis Philosophiae, immo in lib. de Anim. & Met. habet quamplurima passim diffona ab his, quae docet in lib. Sent. ut veritas in ejus lib. facile patebit. Non ergo quia multa tractat Doctor in lib. Sent. & quod quae dixerat in Logica, & Metaph. negare debemus eos libros fuisse ab eo conscriptos, quia non est novum, Autores classicos in ultimis, & maturis consideratis lucubrationibus interdum, quae antea dixerant, revocare, sed potius regulam hinc universalem deducere debemus, quod in schola Subtilium libri dumtaxat sent. & quib. auctoritatem facere debent irrefragabilem, ceteri vero Log. Anim. Met. non absolutam facere debent auctoritatem, sed in his tantum, quae consona sunt scriptis sent. & hinc in modum in hoc opere utemur auctoritate Doctoris.

32 Primo itaque probatur nostra conclusio ratione deducta ex ipsa natura logicae, nam obiectum artis instrumentariae simpliciter, loquendo universaliter, est instrumentum, circa quod versatur, & cujus constructionem docet, sed logica est facultas instrumentaria simpliciter, instrumentaria quidem, quia est de modo, seu instrumentis sciendi 2. Met. tex. 15. instrumentaria vero simpliciter, quia deservit, & adimiculatur aliis scientiis 1. Top. c. 9. ad hoc enim inventa est, ergo habebit pro objecto adaequato modum, seu instrumentum sciendi, non potest autem habere pro objecto adaequato hoc tantum, vel illud instrumentum sciendi, quia per se, & directe tenetur dirigere omnes operationes intellectus, cum in omnibus possit error contingere, ergo non solum demonstratio, sed omnis syllogismus, & argumentatio, non solum argumentatio, sed etiam definitio, & divisio, & si quod aliud exeret instrumentum, debet per logicam considerari, & praeficiari; quare cum logica secundum se amplioris sit ambitus, quam prout fuit ab Arist. tradita, instrumentum sciendi in communi, prout ab hoc, & illo abstractum, assignandum erit illi pro objecto totali, & adaequato; Major probatur a simili in omnibus facultatibus instrumentariis simpliciter, omnes enim ita versantur circa instrumentum, ut non attingant opus, ad quod suapte natura ordinantur, sed hoc ab alia perficitur, cui istae famulantur, quas proxime ministras merito nuncupavit Arist. 1. Eth. c. 1. & 1. Polit. c. 5. sic se habet framaefactiva respectu equestri, quia versatur circa frantum, quod est instrumentum ordinatum ad equi directionem, & ita circa illud versatur, ut non attingat opus, ad quod suapte natura ordinatur, sed hoc attingitur ab equestri, cui ipsa subservit: sic se habet ferraria respectu lignariae, quia versatur circa ferrum, & dolabram, quae sunt instrumenta ordinata ad sciendum scammum, vel statum, & ita circa illa versatur, ut non attingat scammum, vel statum, sed perficiantur ista a lignaria, cui ipsa subservit: omnes igitur ejusmodi instrumentariae facultates sistant in consideratione, & constructione instrumentorum, nec transeunt ad opus, unde ipsum instrumentum est, ad quod reducuntur omnia, quae in tali facultate continentur, & ipsum non reducitur ad aliud aliud intra eandem contentum, immo si opus aliquo modo considerat, ad quod instrumentum, de quo agit, ordinatur; illud idem considerat in gratiam talis instrumenti, ut scilicet illud bene conficiat, vel regulas recte sciendi edoceat, ut sit idoneum ad tale opus obeundum; sic framaefactiva equi directionem considerat in gratiam frani, ut scilicet regulas edoceat illud ita sciendi, ut aptum ad tale munus, diversa enim instrumenta exiguntur pro operum diversitate, & natura operis bene cognita valde conducit ad regulas tradendas de instrumento construendo ad tale opus ordinatum.

Resp. Averfa sect. 4. in fine falsum esse, logicam ita esse facultatem instrumentariam, ut non attingat opus, ad quod ordinantur instrumenta ab ipsa considerata, sed in simplici instrumentorum contemplatione consistat; nam non solum conficit, & rimatur instrumenta sciendi, ut aliis scientiis

tradat, sed ipsa logica per sua instrumenta perficit, ac dirigit ipsas operationes; Sed falsitas istius responsionis ex praecedenti articulo liquet, ubi ostensum est ex profecto logicam non perficere operationes intellectus physice, & elicitive, seu in esse exercito, sed ideo aliter tantum, & veluti in esse signato, quatenus tradit regulas, & praecipua ceteris scientiis bene definiendi, dividendi, & discurrendi.

33 Secundo Modus sciendi, seu instrumentum recte cognoscendi (vocabulum namque sciendi fuisse sumitur) in logica secundum se considerata omnes habet conditiones ad subiectum scientiae requisitas, est enim id, quod per se intenditur, & consideratur in logica, cum finis intrinsecus ejus sit docere instrumenta omnia, quae nostram cognitionem coadjuvare possunt ex art. praeced. unde si rota traderetur; de ipso praecipere quid est, & quod est; est id, ad quod reducuntur omnia, quae considerata forent in logica secundum se sumpta, omnia namque ad hoc tenderent, ut rectas facere operationes intellectus docerent, essent enim regulae, & praecipua inservientia pro directione primae, vel secundae, vel tertiae operationis proxime, vel remotae; Neque ordinaretur ad aliquid ulterius in ipsa logica considerandum, est enim aliquo modo transiret ad considerandas operationes intellectus, sane illas non consideraret, nisi ut dirigibiles per ejusmodi instrumenta, hoc autem non est contemplari instrumenta in ordine ad operationes, ut ostendere conatur Averfa, sed operationes in ordine ad instrumenta, ut cognita earum natura, ac dirigibilitate, idonea conficiantur instrumenta pro earum directione. Rursus habet partes, principia, & passiones, nam instrumentum sciendi in communi dividitur in definitionem, divisionem, & argumentationem, & si quae alia sunt instrumenta, tanquam in partes subiectivas; habet suam primariam, & adaequatam passionem, quae est esse directivum operationum intellectus, habetque principia, ex quibus possit logica demonstrare talem proprietatem, nimirum definitionem, aliaque positiones, vel suppositiones ad talem scientiam attinentes, ergo nihil desiderat, ut sit obiectum logicae in se.

Denique probatur ceteras opiniones excludendo, in primis enim nequeunt res omnes, quatenus intelligibiles poni subiectum: tum quia jam omnes aliae scientiae superfluerent, ut enim ait Scot. qu. 3. Praedic. nihil est subiectum scientiae alicujus, nisi sub ratione scibilis, unde res quatenus scibiles nequeunt spectare ad Logicam adaequate; Tum quia ad Metaph. praesertim spectat considerare res, quatenus intelligibiles, cum haec sit praecipua passio entis, quod ponitur obiectum in Metaph. Neque obiectum logicae possunt esse voces, tum quia si nulla esset, vel esse posset vox, adhuc esset operatio intellectus nostri, quae possit dirigi, & regulari ab aliqua scientia; quae non esset, nisi logica, & Angeli de facto perfectam possident logicam sine vocibus; Tum quia ut notat Mauric. quaest. 1. univers. voces non pertinent ad logicum, nisi per accidens, quatenus per illas conceptus manifestat, non autem per se, quia sine externa voce potest logica consistere. Neque eadem ratione potest ens rationis, quomodocunque sumatur, statim obiectum logicae in se; tum quia si nullum esset, vel esse posset ens rationis, adhuc esset operatio nostri intellectus, quae posset, & deberet dirigi ab aliqua scientia, quae utriusque foret logica, & deberet dirigi ab aliqua scientia, quae utriusque foret logica, cum sit ad hoc munus adinventum. Tum quia per accidens est, quod logica tradat regulas, & praecipua per terminos secundarum intentionum, cum etiam id fieri poterit per terminos primarum, ergo ex natura rei petit instrumentum sciendi reale, & pro prima intentione pro adaequato subiecto, sed de hoc agemus infra art. 5. ubi ostendimus logicam secundum se esse scientiam realem, ac proxime petere obiectum reale.

Nec demum subiectum logicae in se esse possunt operationes mentis nostrae, quatenus dirigibiles, ut auctumant Neoterici, quibus subscribit Poncius disp. 1. quaest. 4. concl. 3. aut cognitio intellectiva, quatenus dirigibilis, ut loquitur Averfa, quia cum subiectum praesupponatur notum in scientia quoad quid est, & quod est, debet Artifex in sua facultate exploratam habere undequaque naturam sui objecti adaequati, & explicatam tam quoad rem consideratam, quam quoad modum considerandum, sed res considerata secundum hanc opinionem est cognitio intellectiva, cujus essentia, & quidditas non explicatur in logica, neque a logica supponitur explicata in priori scientia, quae ipsam antecedit, hujusmodi enim explicatio ad scientiam de anima spectat, ut docet Ant. And. initio Perihier. ergo quoad rem consideratam errat haec opinio. Sed errat etiam quoad modum considerandi, quia sequeretur, logicam aliquo modo subalternari scientiae de anima, quia addit supra operationes, quas confiderat anima, conditionem, seu differentiam accidentalem, scilicet dirigibilitatem; Accedit, quod ratio formalis objecti debet esse indemonstrabilis de subiecto, quia est medium in demonstratione, quae de ipso demonstratur, propria passio, sed dirigibilitas non potest esse medium, cum potius sit passio de subiecto ipso demonstrabili: Tandem obiectum instrumentariae facultatis, qualis est logica, non est opus, ad quod instrumentum ordinatur, sed instrumentum ipsum; & in ipsa logica, aut non agitur de dirigibilitate cogni-

cognitionis, aut certe si operationes intellectus considerantur, quatenus dirigibiles, hoc fit in gratiam instrumentorum sciendi, ut nimirum cognita earum dirigibilitate, & indigentia, apta conficiantur instrumenta pro directione, ut supradictum est. Remanet igitur objectum logicae in se esse instrumentum sciendi, ut comprehendit definitionem, divisionem, argumentationem, & si quae alia sunt instrumenta recte cognoscendi; quamvis enim Doctor cit. enumerando species instrumenti sciendi, illa tantum tria recenset, non ideo excludit intellexit alia minoris momenti instrumenta, sed ita locutus est, quia illa tria sunt generalia; & principalia quadam instrumenta, ad quae caetera minoris momenti reduci possunt, ut dicemus disp. seq.

34 Verum adhuc dubium remanet de ratione formali, secundum quam logica in se considerat instrumentum sciendi; quicunque nostram amplexati sunt sententiam, dicunt logicam illud considerare, quatenus directivum, ita ut directivitas sit objectum formale, instrumentum sciendi materiale, & ita conjungendo partem materialem cum formali, subjectum adaequatum sit instrumentum sciendi, quatenus directivum; qui dicendi modus eandem censuram patitur, quam ille, qui in Philosophia naturali statuit pro objecto corpus mobile, quatenus mobile, quia non est confundenda ratio formalis subjecti cum passione ejusdem, cum haec debeat per illam de subjecto demonstrari; directivitas vero, ut diximus, est propria passio instrumenti sciendi, ideo non bene conjungitur cum eo, velut ratio formalis; assignanda est ergo ratio formalis objectiva logicae in se, sicut in aliis scientiis, ut supra diximus, unde sicut in Philosophia naturali ponitur subjectum corpus naturale, quatenus naturale, in Met. ens ut ens, in logica quoque erit instrumentum sciendi, quatenus tale; hoc est quatenus habet virtutem sciendi scire, vimque dirigendi, ita enim specificatur ratio formalis, secundum quam consideratur, & per quam de ipso directivitas, velut propria, & adaequata passio potest demonstrari.

Sed adversus positam conclusionem obiicitur primo probando res omnes, vel voces, aut entia rationis esse subjectum in logica. Tum quia 1. Elench. c. 2. & 1. Rhet. c. 1. docet, logicam non versari circa rem aliquam determinatam, sed circa omnes res, & 4. Met. tex. 5. ait Dialecticam laborare circa omne ens, sicut Met. ergo res ipsae sunt subjectum. Tum deinde arguit Aureol. pro vocibus, omnes libri logicae inchoantur a vocibus, liber praedicam. ab aequivocis, & univocis, lib. 2. de Interp. a nomine, verbo, & oratione, lib. resolutorii a definitione syllogismi per orationem, ergo logica est de vocibus, quatenus expressivis conceptum. Tum demum ad probandum ens rationis aliquod esse subjectum probari potest rationibus allatis praecedenti art. quibus ostensum est log. non pati objectum reale, sed objectum rationis exposcere.

35 Resp. Arist. 1. Elench. & Rhet. voluisse solum Dialecticam quantum ad usum versari circa omnes res, & ad nullum certum genus constringi, quia in omnibus scientiis syllogismi exercentur, & in hunc sensum etiam explicari potest 4. Met. 5. laborat enim Dialecticus circa omne ens, quia omnibus rebus applicatur instrumenta logica, ideoque dicitur scientia communis, ita innuit Scot. qu. 3. univ. Ad 2. Arist. consulto inchoavit a vocibus, quia voces sunt instrumenta manifestativa conceptuum, hoc autem non est agere per se de vocibus, sed per accidentia, & in ordine ad aliud. Accedit, quod hic est sermo de logica secundum se considerata, non autem ut ab Arist. tradita. Ad 3. resp. per idem, quod rationes allatae art. praeced. procedunt de logica Arist. quae cum tradita sit per terminos secundarum intentionum, utique ex modo procedendi Artificis, sibi vendicat aliquod ens rationis pro objecto, non tamen ex natura rei, quia sine secundis intentionibus adhuc posset logica institui. At rursus instat Aureol. cit. pro vocibus, quod est primo subjectum veri, & falsi est subjectum in logica, quia verum, & falsum sunt passiones generales a logico consideratae, sed oratio, ut expressiva conceptus, est subjectum veri, & falsi, ergo, &c. Resp. argumentum in primis etiam contra Aureol. militare, quia probat vocem tantum complexam esse subjectum in logica, nam haec sola potest esse subjectum veri, vel falsi, & tamen Aureol. tenet vocem in communi ad complexam, & incomplexam esse subjectum; Deinde major est falsa, quia verum, & falsum non sunt passiones adaequatae logicae, quae praecipue versatur etiam circa bonitatem discursus, minor etiam est manca, quia non conveniunt primo orationi vocali, sed mentali ex i. p. Instit. n. 54.

Secundo obiicit praesertim Averfa probans operationes intellectus, quatenus dirigibiles, esse objectum. Tum quia fecit operationes intellectus, quatenus tales spectant ad physicam, sic quatenus dirigibiles spectant ad logicam, sed si in logica considerantur, non videtur quomodo reduci possint ad instrumenta directiva, non enim operationes sunt propter instrumenta, sed instrumenta propter operationes; media vero reducuntur ad finem, & non finis ad media, ergo operationes, quatenus dirigibiles, erunt objectum. Tum 2. quia in aliis facultatibus organicis experimur non instrumenta esse objectum, sed operationes, ad quas instrumenta ordinantur, sic in arte scribendi non calamus, sed scriptura,

ad quam ordinatur, est objectum, in arte pingendi non penicillus, sed pictura, ad quam ordinatur, in medicina non pharmaca, sed sanitas, vel homo sanabilis, ergo pariter in logica. Tum 3. Ethica, quae tradit regulas, & praecipua directiva operationum voluntatis, non habet pro objecto tales regulas, & praecipua, sed operationes voluntatis, ad quas illa ordinantur, ergo pariter in logica. Tum tandem, quia logica docet definire, dividere, & ratiocinari, sed haec sunt operationes intellectus; immo asserere definitionem, divisionem, & argumentationem esse subjectum, est ponere ipsasmet operationes intellectus, nam definitio, divisio, & argumentatio non sunt, nisi ipsimet actus intellectus apprehendendi, iudicandi, & discurrendi.

36 Resp. concesso etiam operationes intellectus, quatenus dirigibiles, a logica considerari, negando eas, ut sic, ad instrumenta, per quae diriguntur, reduci non posse, tanquam ad objectum in logica primo consideratum; quamvis enim instrumenta sunt propter operationes in esse physico, tamen in esse scibili res et contra se habet, quod operationes considerantur propter instrumenta modo jam explicato, sic in lib. Post. demonstratio est propter scientiam in esse physico, & scientia est finis demonstrationis, nec propterea scientia ibi ponitur objectum, nec demonstratio ad eam reducitur, velut ad primo consideratum in eis libris, sed potius et contra res se habet, quod scientia reducitur ad demonstrationem, quia ibi consideratur natura scientiae, ut recte conficiatur instrumentum generativum ejus, quod est demonstratio, unde Arist. c. 2. ex hoc, quod scire est rem per causam cognoscere &c. concludit, quod demonstratio debet esse ex primis, veris, &c. signum evidens, quod scientiam considerat in gratiam demonstrationis, sic in lib. Physic. corpus naturale est propter moveri, quia habet principium motus, & quietis, nec tamen corpus naturale ponitur ad motum reduci, tanquam ad objectum in primo consideratum, & sic in multis aliis.

Ad 2. facultates organicae, aliae sunt simpliciter organicae, quae nimirum ita circa instrumenta versantur, ut non attingant opus, ad quod illa ordinantur, sed facultates illae, quibus famulantur, uti se habet frangefactiva respectu equestris, ferraria respectu lignariae, lignaria respectu nauticae, & sic de multis aliis; aliae sunt, quae ita de instrumentis agunt, ut etiam attingant opus, ad quod ordinantur, quae proinde ministras simpliciter appellari non possunt, quia aliis non famulantur, nec simpliciter instrumentariae, quia est de instrumentis agant, non tamen ut aliis ea subministrant, sed ut eisdem ipsamet utantur ad illud idem opus perficiendum, ita se habent scriptoria, pictoria, medicina, &c. quamvis igitur in facultatibus organicis secundi generis non instrumenta, sed actiones, ad quas ordinantur, sunt objectum, tamen in facultatibus primi generis instrumenta solum sunt objectum, non actiones, quae a tali facultate non attinguntur, unde negatur paritas in argumento assumpto, scriptoria in pictoria, medicina, &c. sunt artes secundi generis, logica vero primi, ut ostensum est.

Ad 3. negari posset operationes voluntatis, quatenus dirigibiles esse objectum in Ethica, cum potius sit homo, quatenus beabilis, ut innuit Scot. q. 3. Prolog. ad 3. qu. Concesso tamen hoc, negari debet paritas assumpta de Ethica, & logica, quia Ethica non solum tradit regulas, & praecipua operationum voluntatis, verum etiam elicitive attingit operationes ipsas directas, logica vero non ita se gerit circa operationes intellectus, ut dictum est.

Ad 4. logica docet definire, dividere, & ratiocinari idealiter tamen, quatenus tradit instrumenta directiva apprehensionis, iudicii, & discursus, quae sunt definitio, divisio, & argumentatio; ex quo sequitur potius logicam versari circa instrumenta, velut objectum, quam circa operationes. Cum vero dicitur, isthaec non esse, nisi ipsos actus intellectus apprehendendi, iudicandi, &c. respondemus definitionem, divisionem, & argumentationem dupliciter sumi posse, vel formaliter quatenus sunt actus, quibus apprehendimus, iudicamus, & discurremus; vel objective, quatenus sunt instrumenta quadam directiva actuum intellectus, secundum quod minus terminare possunt actum intellectus, & tanquam objecta scientiam constituere, si primo modo considerentur, utique coincidunt cum operationibus intellectus, sed non secundo modo, in quo tantum hic de illis loquimur.

Tertio ad idem urget Ovvied. contr. 2. log. punct. 1. num. 18. probans logicam primario, & per se non agere de conceptibus objectivis, sed tantum secundario, quatenus hi sunt objectum formalium; logica immediatius agit circa conceptus formales, quam circa objectivos, ergo, &c. Probatur assumptum, conceptus objectivi referuntur ex formalibus, & eatenus potest illis aliqua regula praescribi, quatenus formalibus praescribitur, cum enim in seipsis non fiant, sed tantum in formalibus, ex quibus referuntur, sic in seipsis dirigi non possunt, sed tantum in formalibus, ergo immediatius agit logica de conceptibus formalibus, quam de objectivis. Concesso potest agere de conceptibus objectivis, ut subsunt formalibus, & de illis praecipua tradere, quatenus ab ipsa

ipsa sunt formales, ergo tantum agere potest de conceptibus objectivis, ut subsunt formalibus, quatenus agit de formalibus; major pater, frustra enim traderentur praecipua de illo, quod fieri nequit, & similiter minor. Conf. rursus, conceptus objectivi, ut directi, seu ut formalibus subsunt, per se non sunt, sed tantum referuntur ex formalibus, sicut denominatio visus referat ex visione, & eatenus tantum possunt bene, vel male fieri, quatenus bene, vel male sunt formales, ergo tota directio eo debet tendere, ut recte fiant formales, quibus recte factis objectivos esse directos necesse est. Demum brevibus vim argumenti declarat, id docet logica, quod facio, sed ego tantum facio conceptus formales, ergo tantum logica docet circa conceptus formales. Tum quia logica docet definire, dividere, enunciare, discurre, quae omnia consistunt in operationibus nostri intellectus.

Resp. in hac argumentatione magnam esse confusionem, & vocabulorum abusum, si enim per conceptus objectivos intelligit definitionem, divisionem, & discursum objective sumpta, inepte vocat haec instrumenta directiva, & regulata per conceptus formales, nam potius res et contra se habet, quod haec sunt instrumenta directiva, & regulativa conceptuum formalium, ut constabit ex infra dicendis disp. 1. q. 1. conceptus enim objectivus est, qui dirigit actum post ea eliciendum; sicut enim quilibet artifex, ut opus sum recte efficiat, prius illud mente praecipit, qualiter sit efficiendum cogitando regulas, & praecipua tale opus efficiendi, sic intellectus ut recte definiat, & discurrat, considerat regulas, & praecipua definitionis, & discursus, & virtutes hujus notitiae, & conceptus objectivi recte deinde elicit, & efficit actualem definitionem, & discursum; non ergo conceptus formalis dirigit, & regulat objectivum, sed e contra. Rursus falsum est, conceptum objectivum referat ex conceptu formali, quia non actus praecedit objectum, sed objectum praesertim motivum, & mensurativum actus praecedit actum ipsum, hoc animadvertere placuit, ut pateat, propositiones in argumento assumptas non esse absolute veras, ut proferuntur, tamen ne per solam negationem propositionum videamur velle argumentum dissolvere; addimus per conceptum objectivum duo intelligi posse, nimirum & entitatem ipsam objecti, & denominationem ipsam cogniti, & objecti, quatenus actu obiicitur intellectui; secundum primam considerationem planum est conceptum objectivum praecedere formalem, quia hoc pacto significat objectivum conceptibile, sed in alio sensu utique conceptus objectivus referat ex formali, quia significat objectum actu conceptum, seu ut actu subest conceptui formali. Cum ergo in argumento, ejusque confirmationibus ait Ovvied. conceptum objectivum referat ex formali, ac per ipsum regulari & dirigi, si id intelligit de conceptu objectivo in primo sensu, est omnino falsum, sic enim potius conceptus formalis fit ex objectivo, & per ipsum mensuratur, ac dirigitur; si vero intelligit de conceptu objectivo in alio sensu, utique verum dicit, at non in hoc sensu dicimus instrumenta sciendi objective sumpta esse subjectum in logica; & per hanc doctrinam pater ad argumentum cum suis confirmationibus, & dignosci potest abusus multorum vocabulorum, quem ibi habet hic Auctor.

Deinde solutio ipsa, quam inibi Ovvied. innuit ad hoc argumentum, sufficere posset, nam dici posset eo argumento probari actus practicos logicae tantum tendere circa conceptus formales, dari tamen in eadem logica alios actus speculativos, qui versantur immediate circa conceptus objectivos, hac itaque solutio sufficiens est, quia consonat doctrinae supra traditae de logica docente, & utente; nam logica utens est, quae actibus suis practicis efficit immediate rectas operationes intellectus; docens vero non elicit illas operationes, sed sinit in sola contemplatione regularum, quibus illae dirigi valeant. Verum hanc solutionem rejicit Ovvied. quia nullus actus speculativus reperitur in logica, & quando hi darentur in ipsa, immediate formales conceptus intuebuntur, quod sic probat, logica non speculatur res secundum se sumptas, sed formaliter quatenus directas, ergo id, quod formaliter speculatur, est earum directio, sed directio ipsarum nihil aliud est, quam formales conceptus, a quibus objecta extrinseca directa dicuntur, ergo id, quod formaliter logica immediate contemplatur, tantum est directio conceptum objectivorum, quae non distinguitur a conceptibus formalibus. Sed hac ipsa impugnatio rursus confundit terminos, & nihil concludit, falsum namque affinit dupliciter, quod scilicet non dentur in logica actus speculativi, & quod isti non immediate versentur circa conceptus objectivos instrumentorum sciendi; unde ad antecedens dicendum est utique logicam non speculari res secundum se sumptas, non tamen speculatur eas, quatenus directas, proprie loquendo, sed quatenus dirigibiles, sic id, quod immediate contemplatur, sunt instrumenta sciendi, quatenus directiva, & quando etiam concederetur id, quod immediate contemplatur, esse directionem ipsam, falsum est hanc esse directionem conceptum objectivorum, quia ut dictum est, directio immediate cadit super ipsos actus formales, & hac exercetur attendendo ad regulas bene definiendi, dividendi, & discurrendi, quae docentur in logica, unde omnes fere propositiones in argum. assumptae sunt falsae.

37 Quarto obiicit P. Fuentes cit. art. 6. argumentatio sola, seu syllogismus est vere modus, & instrumentum sciendi, quia habet vim illativam, non autem definitivam, & divisivam, ergo solus syllogismus est subjectum in logica secundum se; Probatur assumptum, nam definitio, & divisio, etiam si supponantur ad scientiam, non tamen modum sciendi tribuunt, nisi quatenus vi syllogistica diriguntur, patet in hac definitione, *Homo est animal rationale*, quae nec scientia est, nec potest modum sciendi tribuere, nisi in syllogismo constituitur hoc modo, *Omnis homo est animal rationale, Petrus est homo, ergo est animal rationale*, ergo definitio non est proprie instrumentum sciendi. Resp. nos hic non accipere instrumentum sciendi in tanto rigore, sed juxta communem loquendi modum Summularum, qui illud definitur, quod sit oratio manifestativa alicujus ignoti, quomodocumque id fiat, sive per vim illativam, sive alio modo, & nomine modi sciendi intelligimus vim quamdam distincte cognoscendi id, quod antea cognoscebamus confuse, quo sensu definitio, & divisio sunt instrumenta sciendi, ut magis patebit disp. seq.

ARTICULUS IV.

De essentia Logicae, An sit scientia.

38 Sex genera notitiae intellectuales, loquens praecipue de habituali, tradidit Ar. 6. Eth. c. 3. Intellectum, quae est notitia primorum principiorum, quibus intellectus assentitur ex sola terminorum apprehensione absque discursu; Scientiam, quae est notitia certa, & evidens de objecto necessario habitata per discursum syllogisticum, si proprie sumatur, ut de ea loquitur Ar. 1. Post. cap. 2. Sapientiam, quae est notitia rerum praesentissimarum, & maxime universalium, unde Metaphysica dicitur proprie sapientia 1. Met. cap. 1. Prudentiam, quae est notitia directiva actionum humanarum, ut bene fiant in genere moris, & laudabiliter. Artem, quae est habitus cum ratione activus, vel factivus; & Opinionem, quae non est notitia certa, & evidens, ac de objecto necessario, sed probabilis, & obscura, ac de re contingenti. Ut ergo quidditatem, & naturam logicae attingamus, videndum est sub quo horum habituum intellectualium contineatur. Quod eum quampures asserunt, ut Zab. 1. r. de nat. Log. Balduinus qu. 7. Niger q. 11. Clyp. Zimar. in Tab. verb. *absurdum est logicam ad nullum ex his generibus pertinere, sed esse peculiare quoddam genus notitiae, quam vocant habitum, seu facultatem instrumentalem, & modum sciendi, ex hoc ipso refellitur, quod mancam faciunt, & insufficientem divisionem ab Arist. cit. datam de habitibus intellectualibus, ut fufe prosequitur Faber theor. 1. c. 3.*

Neque ad rem est, quod nuper excogitavit Averfa. q. 1. Log. sect. 5. ut aliquid novi videretur asserere, quod nimirum Logica in aliqua sui parte est essentialiter intellectus, quia continet quadam principia, ex terminis nota, & per se statim evidentiā, eaque tradit in ordine ad directionem nostrae cognitionis, & in magna parte est essentialiter opinio: nam ea, quae fufus, & acrius pertractantur in Logica, sunt illa, quae in disputationem veniunt, quae auctoritatibus, ac rationibus probabilibus transiguntur, & varis opinionibus in partes contrarias resolvuntur, nec habetur certitudo, & evidentiā veritatis, sicut ad scientiam requiritur, unde in his omnibus logica est opinio, non scientia; concludit tandem esse vere, & proprie scientiam quantum ad illas veritates, & conclusiones universales, quas certo, & evidenter probat. Sane inutilis profus est hic labor Averfae, & minime necessarius: tum quia ita quoque res se habet in caeteris scientiis, quilibet enim sua principia habet per se nota; & in quacunque plura probabiliter disputantur ab Auctoribus pro utraque parte: tum quia quando proponitur quaestio de aliqua facultate, in fit scientia, sermo instituitur non de notitia principiorum primorum in ea facultate, sed de notitia conclusionum, & quatenus, quomodo procedat ad probandas illas, & ex tali processu arguimus, an sit scientia, vel opinio, tum tandem quia conditiones scientiae, quae ab Ar. insinuantur 1. Post. tex. 5. & 6. Ethic. c. 3. ad tres reducuntur, quod habeat subjectum, quod illud subjectum habeat passiones, & quod haec demonstrantur de illo per causam, ergo eo ipso quod aliqua facultas habet haec omnia, licet alia quadam quadam minoris momenti in ea facultate cadant sub disputantium opinione, absolute tamen facultas illa dici debet scientia; quae ratione etiam Averfa l. c. concludit Logicam absolute dici debere scientiam, & ita est loquendum in caeteris scientiis; etiam si multas contineant conclusiones probabiles, ut bene notat Arriag. d. 3. Log. sect. 2. & Ovvied. contr. 2. punct. 3.

39 Extant itaque in hac re quatuor placita, duo extrema, & duo media: Prima sententia extrema est eorum, qui absolute negant, Logicam tam docente, quam utentem esse scientiam, pro qua referuntur Simplicius, Amonius, Philoponus, & alii veteres, quos sequitur Villalp. qu. 5. proem. Secunda extrema asserit utramque esse scientiam, ita Murcia q. 3. proem. Didacus a Jesu q. 5. Caverio disput. 2. dub. 4. & alii moderni. Tertia media utentem Logicam ait esse scientiam, non quidem distinctam ab aliis scienti-

scientiis, sed esse varias ipsas scientias, docentem vero, quae proprie est Logica ab aliis scientiis distincta, non esse scientiam, ita Zab. loc. cit. ubi testatur hanc esse communem Graecorum sententiam. Quarta tandem media, quae est Latinorum communis, e contra asserit utentem Logicam non esse scientiam, sed potius artem, bene tamen docentem, ita Scot. q. 1. univ. quem sequuntur Scotista omnes Maur. Anglic. Sarnan. Brasavol. ibi, Faber. theor. 1. Fuentes q. 5. diff. un. art. 3. Roccos q. 1. procem. & Tat. tenet etiam D. Th. 4. Met. lect. 4. cum suis Sor. Sanc. Mas. Complut. Sed inter istos adhuc quaestio est, an Logica docens quoad omnes partes sit scientia, multi namque Topicam excludunt, eo quia procedit ex communibus; unde hac ratione nolunt eam appellare docentem, sed utentem, & in hunc sensum Scottista quamplures Scotum interpretantur qu. 1. univ. quando ait Logicam utentem non esse scientiam, quia procedit ex communibus, ita Sarnan. & Fab. cit.

40 Dicendum est, logicam docentem quoad omnes suas partes esse scientiam, non artem; utentem vero artem, non scientiam: Ita Scot. qu. 1. univ. & q. 3. Elench. ubi Maur. & Angli. Probatur autem primo, quod sit scientia quoad omnes partes, quia Logica demonstrative procedit ad suas conclusiones probandas, non solum in parte analytica: Sed etiam in topica, & sophistica, nam ut Maur. ait, ita probabilitas de syllogismo dialectico, & apparentia de sophistico, & necessitas illationis de syllogismo simpliciter sumpto demonstrantur per propria principia, sicut procedere ex necessariis de syllogismo demonstrativo, ergo quoad omnes partes est vere scientia. Probatur assumptum ex Scot. q. 3. Elench. ita enim bene ostenditur apparentia de syllogismo sophistico, tanquam eius passio, per unitatem vocis in fallacia aequivocationis, tanquam per proprium medium, sicut risibile de homine per animal rationale, ita etiam per proprium medium probabilitatem demonstrat de syllogismo Topico, quia omnis syllogismus constans ex probabilibus praemissis natus est inferre conclusionem probabilem, sicut constans ex necessariis natus est inferre necessariam, cum ergo doctrina, quam Logica tradit de syllogismo probabili, & apparenti in Top. & Elench. non sit probabilis, & vitiosa, sed certa, & evidens, ac illa, quam tradit in parte analytica de demonstrativo, consequens est, ut Logica docens quoad omnes partes sit scientia proprie dicta, quia simili etiam modo probat, quod universale praedicatur de pluribus, quia est in multis, quod definitio est manifestativa quidditatis rei, quia constat ex genere, & differentia, & sic de aliis.

Resp. Zab. cit. c. 3. quod licet doctrina Logica dici possit scientia capiendi scientiam pro cognitione certa, & evidenti acquisita ex vi syllogismi necessarii, & evidenti, tamen nequit proprie dici scientia, quia non est de objecto necessario, & aeterno, ut ad scientiam exigitur 1. Post. c. 2. quia veratur circa secundas intentiones, quae sunt mere contingentes, & tandiu sunt, quandiu ab intellectu sunt.

41 Faber cit. c. 3. ut ostendat, quomodo etiam entia rationis sint suo modo necessaria, distinguit tres gradus necessitatis, in primo ponit substantiam, in 2. accidentia, in 3. secundas intentiones logicas, quas intantum vult esse necessarias, in quantum fundamentum habent in rebus, & non perperam finguntur ab intellectu nostro, in quo distinguuntur a signmentis, quod ibi longo sermone declarat. Sed evasio Zab. parum valet, & Faber laborem assumit voluntarium, quia ut docet Doctor 1. d. 3. q. 4. non exigitur in objecto scientiae necessitas incompleta, nec de tali loquitur Arist. aliqui nec Philosophia, immo nec ulla cognitio de rebus creatis posset habere rationem scientiae, cum omnes sint corruptibiles, & solum de Deo scientia foret, sed sufficit necessitas completa, id est necessitas connexionis alicujus praedicati cum eo, & talis necessitas locum quoque habet in entibus rationis, & secundis intentionibus, nam de ipsis etiam formari possunt propositiones aeternae veritatis conjungendo cum eis praedicata, quae ipsis necessario competunt, & talibus propositionibus tota logica est plena, ut quod Genus praedicatur de pluribus specie differentibus, de quocunque dicitur subjectum, dicitur quoque praedicatum. Cui accedit, quod instantia Zab. procedit etiam solum in log. Arist. de secundis intentionibus, non autem in logica absolute sumpta, & ex natura rei, quo sensu agit de instrumentis sciendi realibus.

Resp. alii non sufficere ad scientiam, quod sit cognitio certa, & evidens, & de objecto necessario habita per demonstrationem, sed adhuc esse debet ob solam veritatem, in qua sit statur, at logica ordinatur ad opus, nimirum ad efficiendas rectas operationes intellectus. Sed haec etiam evasio nulla est, quia haec non est conditio scientiae absolute sumptae, ut patet ex 1. Posterior. c. 2. sed tantum scientia speculativa, & haec ipsa ordinatio aliud non impedit, quin aliqua cognitio sit scientia, aliqui nulla practica foret scientia.

42 Secundo probatur, logicam docentem non posse dici artem; quia ut colligitur ex Arist. 6. Ethic. c. 4. ratio artis repugnat scientiae, nam ars circa singularia veratur, veratur enim circa generationem rerum, & generatio est singularium, scientia vero est universalium; ars agit de contingentiis, scientia de rebus necessariis, ergo cum logica docens sit scientia, non potest dici ars; Tum quia logica do-

centes est habitus speculativus, ars omnis autem est habitus practicus, & operativus saltem prout practica distinguuntur a Theorica, unde D. Tho. 1. Metaph. lect. 1. dividit artem contra rationem speculativam, illamque ponit in parte practica intellectus, Tum tandem quia finis intrinsecus artis est opus, unde definitur, quod sit habitus cum recta ratione factivus, operatio vero directa non est finis intrinsecus logicae docentis, sed tantum extrinsecus, ut patet ex 2. art. non enim ipsa efficit syllogismos, sed efficere docet, & in tali contemplatione sistit.

Tertio quod ex opposito logica utens non sit scientia, sed ars; probatur, quia logica utens proprie loquendo est habitus, quo instructi facile conficimus definitiones, divisiones, & syllogismos juxta praecipua docentis logicae, cum ergo circa singularia veretur, & res a nobis operabiles, non erit scientia, sed ars, quia ars est habitus cum recta ratione factivus, cum vero non efficiat opera externa, sed interna, non erit ars mechanica, quae in operibus extrinsecis consumatur, sed liberalis in bonum animi ordinata, & ita eam appellavit Suarez in Met. disp. 44. in fine.

Resp. aliqui ad rationem artis requiri, quod producat opus externum, ita enim docuisse videtur Arist. 6. Ethic. c. 4. atque ideo logicam utentem non posse dici artem: Sed contra, quia ut bene notat Blanch. disp. 2. procem. lect. 5. ex eo, quod opus sit externum, vel internum, non tollitur ab eo ratio operis artificiosi, ergo neque ab habitu tollitur ratio artis ex hoc quod istud, vel illud efficiat; probatur assumptum, quia propria ratio operis artificiosi in eo sita est, ut sit conformis regulis artis, potest autem talis conformitas in opere reperiri, sive sit externum, sive internum. Accedit, quod si ad rationem artis necessaria foret effectio externi operis, artes liberales amitterent rationem artis, cum interius praesertim confunderentur, utpote quae ordinatae sunt in bonum animi, non corporis. Arist. autem cit. ideo praesertim habitui factivo, id est cui opus externum correspondet, tribuit rationem artis, quia sicut in opere externo, utpote sensibilius magis apparet receptio directionis factae per regulas artis, quam in interno, ita in habitu factivo etiam magis apparet ratio artis; non ob id tamen absolute neganda est ratio artis habitui activo, & immanenti, qualis est logica utens, nam Arist. 6. Met. c. 1. dividit artem in artem actionis, & affectionis, ut notat idem Blanch. lib. 1. instit. Dialect. sect. 4.

43 Quaes, an logica saltem utens passive sumpta nimirum pro logica ipsa docente ceteris scientiis applicata, ut sic, possit dici scientia? Negat P. Faber c. 1. concl. 2. quia talis usus, & applicatio non habet vim tribuendi logicae rationem scientiae, sed potius supponit habitum logicam in tali genere constitutum, ergo sub tali specificatione recipere nequit denominationem scientiae. Sed potius cum Tatar. q. 1. procem. §. primo sciendum, dicendum est esse scientiam, quia in hoc sensu non est habitus distinctus a logica docente, & sub hac specificatione adhuc dici potest scientia; immo hac ratione passim logica dicitur scientia communis, ut docet q. 2. univ. non ergo haec communitas usus, & applicationis ejus quibuscumque scientiis tollit, quin adhuc sub tali communitate dicatur scientia, & ut sub tali usu possit dici scientia, non est necesse, quod ab eodem usu rationem scientiae accipit, ut Faber velle videtur, sed sufficit ut ratio scientiae, & usus non pugnent in eodem habitu, & ita est in proposito.

Solvuntur objectiones.

IN oppositum obiicitur 1. auct. Aristot. quod Logica docens non sit scientia, nam 1. Ethic. cap. 4. ait tollere naturam logicam, qui eam non ut facultatem, sed ut scientiam tradunt, & 1. Topic. cap. 9. enumerans tria problematum genera, docet, quod alia per se respiciunt electionem, & fugam, ut sunt problemata activa, alia per se tendunt ad veritatem, & scientiam, & sunt speculativa, alia demum ait utrique parti auxiliari, & sunt problemata Logica. Et 2. Met. 15. ait absurdum esse querere simul scientiam, & modum sciendi, ubi per modum sciendi intelligit logicam secundum omnes expositiones, ergo cum distinguat Arist. scientiam a modo sciendi, logica non erit scientia. Et 4. Met. 5. & in principio Rhet. ait logicam non tractare de aliqua re determinata, cum tamen scientia verari debeat circa objectum certum, & ei proprium. Et demum 6. Met. cap. 1. enumerans scientias speculativas logicam non meminit, sed tantum recenset Mathematicam, naturalem, & divinam.

44 Resp. ad primam, non negare ibi esse scientiam absolute, sed qualem eam aliqui ponebant, ut, scilicet, non esset disciplina organica, & alii scientiis praemitenda, reprehendit enim eos, qui in Dialectica de materia omnium scientiarum promiscue disputabant, & monet eam debere praemitti aliis scientiis. Ad 2. inde colligitur non esse scientiam, sed esse scientiam organicam, non autem profus gratia sui, ut sunt aliae scientiae mere speculativae. Ad 3. ait Doct. q. 1. univ. Logicam dici modum sciendi, non formaliter, & in recto, sed materialiter tantum, & in obliquo, quatenus est de modo sciendi, tanquam de proprio objecto, per scientiam vero alias

alias intelligit scientias, quae sunt de rebus, & non de modis sciendi, & quia prius debet cognosci modus sciendi, quam res, ideo ait Arist. absurdum esse utrumque simul querere. Ad 4. logica quantum ad doctrinam est de certa re, & determinato objecto, quod est instrumentum sciendi in tota logica absolute sumpta syllogismus in Logica Arist. sed quantum ad usum veratur circa omnia indeterminate, quia omnibus scientiis applicatur, unde dicitur scientia communis. Ad 5. jam supra statimus logicam esse partem Philosophiae, atque ideo reducitur ad secundum membrum, praeterquam quod locus ab auctoritate negativa nihil probat.

Secundo arguitur ad diem rationibus scientia est necessaria, & perpetua, ut docet 1. Post. Arist. 2. & 7. sed logicam docens est de contingentibus, nam est de secundis intentionibus, quae sunt ad libitum nostrum. Nec valet solutio superioris alata in conclusione probanda, scilicet in secundis intentionibus inveniri etiam quo modo necessitatem complexam, id est necessariam connexionem quorundam praedicatorum cum ipsis, & hanc ad scientiam sufficere; & argumentum ad summum concludere de logica Aristot. quae utique est de secundis intentionibus, non de logica in se, quae est scientia realis. Neutra solutio valet, non prima, quia extrema propositionum logicarum sunt corruptibilia, ergo etiam connexio, quae super illa fundatur, quandoquidem destructo fundamento labitur quoque fundatum; neque secunda, quia etiam logica in se tractat de instrumentis sciendi, quae sunt res a nobis operabiles ac proinde contingentes.

45 Resp. optimam esse solutionem allatam, ad impugnationem, dicimus ex Scot. 1. d. 3. q. 4. duplicem esse necessitatem, & immutabilitatem connexionis, unam simpliciter, quae competit extremis definitioni non obnoxii, alteram secundum quid, quae cadit inter extrema, quae licet in se sint corruptibilia, habitudo tamen inter ea nunquam mutari potest in falsam, & haec necessitas reperitur in propositionibus Logicalibus, & sufficit ad scientiam, aliqui argumentum urget etiam in propositionibus Physicalibus, & Mathematicis, quarum extrema sunt corruptibilia. Nec etiam argumentum concludit de logica in se, quia licet instrumenta illa quoad existentiam sint res contingentes, & a nobis operabiles, necessaria tamen sunt quoad possibilitatem, & in hoc sensu constituuntur objectum logicum in se.

Tertio probatur, quod saltem in omni sua parte non sit scientia, ut docens, nam in lib. Top. instituit modum, quo procedi possit ad conclusiones probabiliter, & etiam sophistice ostendendas, hoc totum tamen demonstrative facit ex propriis principis ostendendo probabilitatem de syllogismo Topico, apparentiam de Elencho. Topica vero dicitur procedere ex communibus, ideo Doctor q. 1. univ. negat esse scientiam. In lib. Elench. instituit modum, quo possimus decipere, & sophistata eformare, unde vocatur ars deceptorum. Rursum non omnes actus procedentes ab habitu logicae docentis sunt scientifici, immo potius generant falsitatem, nam si hic conficiatur syllogismus in Barbara, Omnis canis est asinus, omnis homo est canis, ergo omnis homo est asinus, foret logicus esse discursum bene confectum in Barbara, & tamen generat falsitatem. Demum logica non acquiritur per demonstrationem, quia tunc ante logicam danda esset alia logica, per quam illa demonstratio esset nota, & sic daretur processus in infinitum, ergo &c.

46 Resp. ex Scot. q. 5. Elench. quod licet logica instituat modum, quo procedi possit ad conclusiones probabiliter, & etiam sophistice ostendendas, hoc totum tamen demonstrative facit ex propriis principis ostendendo probabilitatem de syllogismo Topico, apparentiam de Elencho. Topica vero dicitur procedere ex communibus, quia quando applicatur ad alias scientias, utitur suis locis communibus a definitione, a conjugatis, a contrariis, &c. quo sensu utique non est scientia. Ad 2. potest in eo, & similibus syllogismis considerari consequens, & consequentia, & licet non detur in eis actus scientiae consequentis, quod materiam concernit; datur tamen vera scientia consequentiae, quae respicit formam, & cum ab habitu logicae dependeat quoad formam, & secundum formam sint optime dispositi in modo, & figura, sequitur scientificum esse habitum logicam, & ad actus scientificos inclinare. Ad 3. logica acquiritur per aliquam unam demonstrationem directam, & regulatam a logica naturali, vel artificiali imperfecta.

Quarto arguitur, quod logica docens sit etiam ars cum Joann. de S. Th. p. 2. log. qu. 1. art. 2. & Averf. cit. quia ars est recta ratio operum faciendorum, talis autem est logica docens in ordine ad operationes intellectus. Tum 2. quia duo requiruntur ad artem, ex parte materiae quod sit capax regulationis, ex parte formae, quae se habet ut regula dirigens, quod fiat directio per certas, & determinatas regulas, utrumque adest in proposito, nam operationes intellectus, sicut sunt capaces erroris, ita & directionis, & logica habet certas, & determinatas regulas, ergo nil deficit, ut ars liberalis dicatur. Tum 3. quia ratio artis non repugnat cum scientia, nam licet ex parte applicationis hic, & nunc faciendae ars sit de singularibus, & contingentibus, tamen ex parte regularum est de

necessariis, & universalibus, illae enim sunt certae, & determinatae in universali. Tum 4. quia, ut ait Averf., praeter notitiam universalem logicam datur particularis, & determinata ad hoc opus efficiendum hic, & nunc, ergo saltem talis notitia directiva, quae spectat ad logicam docentem, erit proprie ars. Tum denique quia fallum est omnem artem esse habitum practicum, id enim verum est, quando ejus opus est praxis, non autem quando est pura speculatio, ut est in proposito.

47 Resp. negando assumptum, quod illa sit completa ratio artis, nam 6. Ethic. c. 4. definitur, quod sit habitus cum recta ratione conjunctus ad efficiendum idoneus, ex quo colligitur artem integrari ex habitu cognitivo in intellectu, & operativo in potentia exequentem, sive sit ab intellectu distincta, sive non. & ratio est, quia finis intrinsecus artis non est sola cognitio modi, quo operari debemus, sed etiam ipsum opus, modo logica docens sistit in sola contemplatione regularum, non autem efficit rectas operationes intellectus, sed haec est logica utens, quae ideo dici potest ars. Ad 2. praeter illa duo requiritur adhuc, ut habitus, qui dicitur ars, physice, & exercite introducat formam in materiam capaceam directionis, quod non facit logica docens, quae tantum docet, non autem efficit. Ad 3. negatur assumptum, ad probationem dicendum artem praecipiendi non posse ab applicatione ad opus hic, & nunc exercendum, cum sit habitus suapte natura effectivus, cujus proinde finis extrinsecus est opus, & ideo 6. Ethic. cap. 3. ait. Arist. artem versari circa generationem rerum. Ad 4. nec etiam illa notitia particularis dici potest proprie ars eadem ratione, quia scilicet physice non attingit opus, quod est de ratione artis, sed tantum idealiter, & directive. Ad 5. ars omnis dicitur habitus practicus, quatenus est operativus, & effectivus, non autem in simplici contemplatione consistens, etiam si operatio quam attingit, non sit praxis. Hac tamen ratione negat Complut. q. 6. esse proprie artem, quia non operatur ea intentione, ut operetur, sed ut cognoscat, & D. Thom. vocat artem speculativam 2. 2. q. 47. art. 2.

Quinto tandem obiicitur ad probandum, quod logica utens sit scientia; quia secundum communem est idem habitus cum docente, cum autem ex natura rei, & non ex consideratione nostra habitus conveniat esse scientificum, vel non esse, plane si docens est scientia, erit etiam utens, alioquin de eodem contradictoria ex natura rei verificarentur. Resp. hoc argumentum satis molestum esse ponentibus logicam docentem, & utentem eundem habitum realiter importare, unde valde laborant Compl. pro ejus solutione disput. 1. procem. q. 6. Fuentes vero mirabilia effudit indigna plane, quae referantur; Didacus qu. 5. proem. ut consequenter loquatur, concedit logicam utentem esse scientiam; nobis tamen argumentum nihil facessit negotii, quia concedimus importare diversos realiter habitus, immo haec erat una ratio, quae id probavimus art. 1.

ARTICULUS V.

De qualitate Logicae, An sit scientia realis, & speculativa.

48 Circa qualitatem istius scientiae duplex occurrit difficultas. Prima est, an sit scientia realis, vel rationalis, non est difficultas de logica intrinsece considerata, & formaliter; in hoc enim sensu, cum sit vera qualitas de prima specie, nulli dubium est esse scientiam realem, sed difficultas est de logica extrinsece, & objective considerata. Recentiores quamplures, & praesertim, qui art. 3. assignabant logicam objectum operationes intellectus, defendunt logicam esse scientiam realem. Qui vero statuerant objectum ens rationis, aut secundam intentionem, vel aliquid simile, asserunt consequenter esse scientiam rationalem, & ita supponere videntur Thomistae, & Scottista omnes, excepto Poncio disp. 2. q. 5.

Dicendum nobis est consequenter ad ibi dicta, quod logica ex natura rei est scientia realis, sed prout est ab Ar. contexta, est scientia rationalis. Probatur autem conclusio evidentissimis rationibus; Certum est, scientiam pendere in suo esse, & conservari ab objecto, nam scientia est alicujus scibilis scientia, unde impossibili existente aliquo objecto, impossibilis quoque est scientia illius objecti, sed si impossibile foret ens rationis, & quaelibet secunda intentio, adhuc extaret, vel possibilis foret illa scientia quae logica nuncupatur, ergo ex natura rei est scientia realis; probatur minor, si nullum daretur ens rationis, adhuc intellectus noster posset operari, quia neque intellectus, nec ejus operatio pender ab ente rationis, sed e contra, & ejus operatio posset adhuc dirigi, & regulari per aliqua praecipua, scientia vero tradens hujusmodi praecipua esset logica, quae in hunc finem est adinventum, ut dirigat intellectum, ne erret in operando.

Resp. contrarii, quod cum regulae dirigentes actus intellectus tradantur in actu signato, ut patet, cum dicitur genus praedicari de specie, speciem de individuo, & hoc modo assignari nequeant, nisi per terminos secundarum intentionum, idcirco nisi istae possibiles forent, nec illae regulae

possent ab aliqua scientia tradi, & sic amotis secundis intentionibus removeretur logica, in qua traduntur huiusmodi regulæ. Sed contra, quia huiusmodi regulæ possent tradi etiam in actu signato per terminos primæ intentionis; ergo &c. probatur assumptum, ubi enim tunc dicitur genus prædicari de specie, & per hanc regulam dirigatur intellectus ad bene apprehendendam speciem quidditatem, & de illa recte iudicandum, & enunciandum, possemus per terminos primæ intentionis eandem assignare regulam dicendo, quod natura communis semper includitur inferioribus, quæ regula non minus inserviet ad bene apprehendendam inferiorum naturam, & de illo recte iudicandum, quam illa per terminos secundæ intentionis tradita, ut patet consideranti; & idem iudicium de aliis regulis, quas nunc in terminis secundæ intentionis habemus in logica, est faciendum. Accedit, quod sicut Ethica instituta ad dirigendas operationes voluntatis tradit suas regulas per terminos primæ intentionis, possent similiter logica alias regulas, vel eandem tradere per terminos eodem dirigentes operationes intellectus; Nec unquam contrarii sufficiens ostendit, unde tantam habeat logica necessitatem secundarum intentionum ad dirigendas operationes intellectus, sola utilitas ostendi potest, ut postea dicemus.

49 Deinde adhuc efficacius arguitur; instrumenta scientiæ, de quibus agit logica, & præsertim demonstratio, quæ est omnium præstantissimum, sumpta pro prima intentione, vel habent vim faciendi scire, ac dirigendi vel eam non habent, sed accipiunt a secunda intentione superveniente; non secundum, quia ens rationis talem vim enti reali conferre non potest, & cum demonstratio sit vera, & realis causa scientiæ, dici nequit, quod producat effectum realem per ens rationis, tanquam per rationem causandi; tum etiam quia secundæ intentiones logicæ habent fundamentum in primis, atque ita vim faciendi scire præsupponunt in primis; ergo primum concedendum est, sed si instrumenta logicalia vim habent dirigendi, & faciendi scire antecederent ad secundas intentiones, consequens est ut etiam antecederent ad eas possint constituere scientiam logicalem.

Resp. P. Jo. de S. Th. p. 2. log. qu. 1. art. 3. quod effectiva, & physica causalitas, quæ actus demonstrationis generat scientiam, non pertinet per se ad logicam dirigentem, sed ad scientiam directam, & hæc effectiva generatio convenit illi ratione actuum realem, quibus demonstratio constat. Per se autem pertinet ad logicam considerare in demonstratione rectam dispositionem syllogisticam veritatum, & convenientiam materiæ, scilicet quod propositiones sint necessariae per se, & recte dispositæ, quæ sunt conditiones ex parte objecti requisitæ, ut processus scientificus ordinetur, non autem tales conditiones sunt virtus ipsa effectiva scientiæ.

50 Sed contra est, quod in primis convenientia materiæ, id est propositionum necessitas, non est aliquid rationis, ergo cum hæc per se spectet ad Logicam, ut etiam fatetur hic Auctor, aliquid reale per se considerabit, sed probatur etiam, quod convenientia formæ, id est recta dispositio propositionum sit aliquid reale, nam certum est demonstrationem generare scientiam, non quomodocunque, sed in quantum est recte disposita, quia ex eisdem propositionibus non ordinatis, vel generatur error, vel saltem disparata cognitio, ergo cum etiam hæc ordinatio concurrat ad generationem scientiæ, erit quid reale, non autem pura relatio rationis, cum effectus realis dependere nequeat essentialiter ab ente rationis, & cum hæc ad Logicam per se spectet, plane Logica ex natura rei scientia realis erit. Conf. hæc ratio, ideo enim dicimus Musicæ proportionem, & coordinationem esse aliquid reale, quia aurium oblectamentum causant, qui est effectus realis, quod utique sine ordine non causarent, ergo sic in proposito.

Resp. Complut. disp. 1. q. 2. nu. 25. non ex eo, quod inter ipsos actus requiratur talis ordo, ut dispositio, ut generent scientiam, ideo ordo ille debet dici realis; quia iste non est forma constitutiva actuum in esse causæ scientiæ, sed tantum conditio sine qua non, non repugnat autem aliquod ens rationis interdum esse conditionem alicuius causæ realis, nam in Sacramentis novæ legis significatio est quid rationis, & tamen est conditio sine qua non causantem realiter gratiam, & quod certius est, voces significantes vere, & realiter causant in auditu species intentionales rerum, quas significant, cum tamen significatio, sine qua tales species non causarent, sit quid rationis resultans in illis ex impositione humana.

51 Sed quamvis verum sit præfatam actuum ordinationem concurrere ad generandam scientiam non velut rationem causandi, sed ut conditionem causantis, & relationem realem posse per modum conditionis sine qua non concurrere ad effectum realem absolutum, ut Scot. docet 3. d. 2. q. 2. sub. F. de approximatione causarum extrinsecarum, & unione intrinsecarum ad communem effectum producendum, nam causæ nequeunt effectum producere, nisi approximata, & unita. Ex hoc tamen non sequitur, præfatam actuum dispositionem in demonstratione esse respectum rationis, immo, cum ille ordo inter præmissas da-

inferendam conclusionem se habeat, veluti approximatio causarum, ut effectum producant, sicut hæc in causis est relatio realis, ita & ordo ille inter præmissas, quo una collocatur sub alia, erit respectus realis. Nec sequitur, si relatio realis potest esse conditio causæ realis, ita esse posse relationem rationis, nam non videtur, unde assignari possit in effectu reali talis, ac tam necessaria dependentia ab ente rationis; & si assignatur, tandem reduci debet in aliquam causam, seu conditionem realem, ex qua resultat illud esse rationis, ut ipsimet Complut. ibi fatentur; ex quo patet illud esse rationis mere concomitantem, & per accidens se habere ad productionem realis effectus, & ita evenit in proposito in illatione conclusionis ex præmissis, ut infra declarabitur ex professo disp. 3. Exempla vero adducta a Complut. non sunt ad rem; nam falsum est, Sacramenta novæ legis physice causare gratiam, cum tantum causent moraliter, ut apud nostros in materia de Sacramentis habetur; & voces causare physice species intentionales in auditu, exercitium si quidem significationis vocis, cum scilicet, ingerit audientem notitiam rei significatæ, non fit per causalitatem physicam, sed per quandam excitationem, veluti moraliter, quæ vox moraliter excitat mentem auditoris, ut ad prolationem vocis, cuius significatum scit, statim eliciat rei significatæ conceptum, ut fuisse dicimus disp. de Vocibus ex Doct. in 2. d. 42. ad 2. q. 2. & 4. d. 1. q. 5. B.

Hæc rationes adeo sunt evidentes, ut P. Joan. de S. Th. loc. c. in fine tandem fateatur, quod etiam si non resisterent entia rationis formaliter, & secundum existentiam objectivam, adhuc daretur logica, quæ illarum rationes consideraret saltem ex parte sui fundamenti, plane hoc est, quod ab Adversariis contendimus, non esse nimirum Logicam ex natura rei ita connexam, & dependentem a secundis intentionibus, ut ipsi amotis Logica tota funditus ruat, cum bene servari possit contemplando instrumenta scientiæ pro prima intentione, & regulas tradendo in terminis ejusdem.

52 Quod autem Logica Arist. (quod attinet ad secundam conclusionis partem) sit scientia rationalis, patet ex dictis art. 3. cum enim Arist. data opera logicam suam tradiderit sub terminis secundarum intentionum, ut sunt genus, species, subiectum, prædicatum, antecedens, consequens, &c. hinc factum est, ut logica, quæ suapte natura scientia realis est, ex intentione Artificis evaserit rationalis. Si autem queratur, cur Arist. Logicam suam instituerit sub terminis secundarum intentionum potius, quam primarum, dicendum hoc fecisse ob faciliorem methodum, facilius quidem, & commodius dantur intelligi res logicæ sub terminis secundarum intentionum, quam primarum; ubi enim multa dicenda forent de re, quæ in propositione affirmatur, vel negatur de alia, similiter de re, de qua alia affirmatur, sub istis signis intentionalibus subiecti, & prædicati breviter omnis res comprehenditur, quæ de alia dicitur, & de qua alia dicitur; sub nomine generis comprehenditur animal, planta, calor, &c. sub nomine speciei leo, homo, asinus, & sic de aliis; per hanc regulam, quod genus prædicatur de specie, datur universum intelligi, quod homo est animal, leo est animal, asinus est animal, &c. & ita ubi multa necessaria forent ad docenda logicalia sub terminis primarum intentionum, paucissimis id fit utendo terminis secundarum, & hoc fuit in causa, cur Arist. qui maxime cupiebat Logicam reducere ad faciliorem methodum possibilem, eam instituerit sub terminis secundarum intentionum, & ita ubi suapte natura realis erat, rationalem fecerit ex modo eam contextendi.

53 In oppositum obiicit P. Fuentes qu. 5. diff. un. art. 4. Doctorem q. 1. univer. in fine, ubi Logicam vocat rationalem, ut contradistinguitur a scientia reali, & in 6. Met. q. 1. scientiam speculativam dividit in realem, & rationalem, & sub hac Logicam constituit, & in prolog. sen. q. 3. & 2. Later. §. ex his dictis idem habet. Resp. breviter Scotum, & alios Auctores, cum Logicam appellant scientiam rationalem, non realem, ipsos loqui de Logica ab Arist. contexta, qua omnes utimur, non autem de Logica in se, & ut ex natura rei posset institui, unde Doct. 1. Prior. q. 2. assignans subiectum Logicæ in se, nequaquam eam ibi dicit scientiam rationalem, & sic etiam intelligendus est Boetius, cum ait, Logicam esse de secundis intentionibus. Sed instabis etiam, Logicam in se dici scientiam rationalem, ergo &c. Resp. Logicam in se dici rationalem, non ut contradistinguitur a reali, sed quia est directiva rationis, hoc est, intellectus in actibus suis. Sed rursus instabis, Logica Aristot. est pars Logicæ in se, & obiectum illius continetur sub obiecto istius, ergo si Logica Arist. est rationalis, ut distinguitur a reali, & obiectum eius aliquid rationis, talis erit etiam Logica in se, & secundum totum ambitum. Resp. quod sicut tota Logica ex natura rei realis est, & petit subiectum reale, ita etiam illa pars de argumentatione, quæ tradita est ab Arist. in se, & ex natura rei realis est & petit subiectum reale, & sicut hæc pars tradita est ab Arist. sub terminis secundarum intentionum, ita poterit institui tota, & subiectum unius semper est sub subiecto alte-

alterius, si utraque spectetur uniformiter; at difformiter, minime, unde nunc syllogismus quia est subiectum Logicæ Arist. secundo intentionaliter captus, utique non continetur formaliter sub instrumento scientiæ realiter, sed fundamentaliter tantum. Sed iterum urges, non est in Aristotris arbitrio scientias immutare, ergo si Logica ab Arist. tradita est rationalis, talis erit ex se, non vero quia Arist. ei assignavit pro obiecto aliquod ens rationis, quia non stat in Auctoris arbitrio assignare obiectum scientiæ, cum quilibet determinatum obiectum sibi vindicet ex natura rei. Resp. quod quamvis secundum rem non possit Auctor scientias immutare, & diversa obiecta tribuere ad libitum suum, potest autem immutare secundum modum, & ita contingit in proposito, quia cum instrumenta scientiæ, & regulæ bene cognoscendi sint obiecta Logicæ ex natura rei, & cum hæc tradi possint per terminos primæ, & secundæ intentionis, placuit Arist. eas tradere hoc secundo modo; & ideo Logica ejus est rationalis, & quamvis utatur terminis secundarum intentionum ad significandas res, & regulas tradat in actu signato per terminos secundarum, ut exerceantur in primis, hinc tamen deducere non debemus cum Neotericis etiam Arist. Logicam agere de secundis intentionibus tantum per accidens, sed potius materiam proximam, circa quam per se versatur, esse secundas intentiones, primas vero, quibus eas applicat, esse materiam remotam.

54 Secundo obiicit tunc actus enunciationis est ordinatus, quando unum extremum concipitur, ut subiectum, & aliud ut prædicatum, tunc actus discursus est ordinatus, & recte dispositus, ut cum una propositio est antecedens, & alia consequens, sed esse subiectum, & prædicatum, antecedens, & consequens sunt entia rationis, ergo ordo actualis in enunciatione, & discursu necessario est ens rationis. Conf. quia propositionem esse majorem vel minorem, primo, vel secundo loco poni, unum alteri subiecti nihil ponit in rebus reale, & totum hoc res habent ab intellectu, ergo totum hoc est ens rationis, atque ita Logica scientia mere rationalis.

Resp. negando majorem, tunc enim actus enunciationis est ordinatus, quando unum de alio affirmatur, vel negatur, licet adhuc termini non denominentur a notionibus subiecti, & prædicati, & sic etiam dicendum de actu discursus, quod eo ipso est ordinatus, cum una propositio inferretur ex alia, licet non denominentur adhuc propositiones a notionibus antecedentis, & consequentis, quæ postea sunt per actum reflexum, quare cum antequam termini vel propositiones denominentur a secundis intentionibus, unus terminus de alio affirmetur, una propositio inferatur ex alia, ordo, qui reperitur inter subiectum, & prædicatum, inter antecedens, & consequens, plane realis erit. Ex hoc patet ad Confirm. quod quamvis esse subiectum, prædicatum, majorem, minorem, &c. sint relationes rationis, tamen intellectus a parte rei sine ulla fisione unum affirmat de alio, vel negat, & collocatio minoris sub majori vera est, ac realis, & non ficta, & se habet in præmissis, velut approximatio in causis, cum coeunt ad causandum communem effectum.

Tertio arguit Complut. disp. 1. q. 2. n. 20. In qualibet scientia dantur aliqua prima principia objecti illius scientiæ, a quibus procedit ad conclusiones demonstrandas de obiecto, unde si obiectum est ens reale, necessario principia debent esse realia; sed Logica non habet aliqua prima principia realia, ex quibus procedat ad conclusiones de suo subiecto demonstrandas; ergo ejus obiectum non potest esse ens reale, & consequenter nec ipsa scientia realis; major patet, probatur minor, quia in minori opinione tota ars syllogistica innititur duobus illis principiis dici de omni, & dici de nullo: vel illis quæcumque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, & quæcumque sunt eadem inter se, distinguuntur ab uno tertio, similiter ars definiendi, & dividendi innititur intentionibus generis, differentiæ, & similibus, quæ omnia constat esse entia rationis.

Resp. negando minorem de Logica in se, concedendo de Logica Arist. similiter dicendum ad probationem, quod utique Logica Arist. innititur illis principiis explicatis per terminos secundarum intentionum, at Logica in se potest aliis inniti, & etiam eisdem traditis, tamen in terminis primarum intentionum, ut supra declaratum est; immo principium illud quæcumque sunt eadem &c. est principium reale assignatum per terminos primæ intentionis.

55 Altera difficultas de qualitate Logicæ est, an sit scientia practica, vel speculativa, cuius exacta cognitio quamvis pendeat ex dicendis infra disp. de scientia, ubi expendemus, quomodo habitus dividatur per practicum, & speculativum, & de natura utriusque differemus, hic tamen sub silentio penitus prætereunda non est, de qua quatuor sunt sententiæ. Prima fuit nostri Gerardi de Odonis in Prolog. Ethic. q. 3. apud Maur. q. 1. univer. quia asseruit non esse practicum, neque speculativum, sed esse instrumentum ad assequendas utraque; sequitur Zab. lib. 1. de nat. Log. c. 11. & 12. Petrus Niger q. 14. ar. 6. quæ opinio modo communiter reicitur, tum quia Arist. 3. de anima c. 10. adæquate dividit intellectum in practicum, &

speculativum, & 6. Met. c. 1. scientiam in practica, & speculativa, tum quia cognitio practica, & speculativa rationes contradictorias præferunt, vel enim sistit in sola contemplatione veritatis, & sic est speculativa, vel non sistit, sed ordinatur ad opus, & sic est practica, ut Arist. docuit 2. Met. c. 2. dicens *speculativa finis est veritas, practica vero opus*, ergo non datur medium neque per participationem extremorum, neque per abnegationem, ita notavit Doct. qu. 4. Prolog. ar. 1. & Anton. And. 6. Met. q. 2. Alia sententia e contra docet logicam esse simul practicam, & speculativam, ita Valq. p. 1. disp. 8. c. 5. & disp. 9. cap. 3. Suar. disp. 44. Met. in fine, Ruvius hic q. 5. Hurtad. disp. 2. sec. 2. Caver. disp. 3. dub. 3. Lovanien. q. 15. in Porphy. Tolet. hic, & alii, quæ opinio eisdem rationibus refellitur, quæ præcedens, nam practicum, & speculativum vel sunt differentia essentialia scientiæ, vel certe ea nobis circumscribunt, ut monet Doct. cit. unde implicat, eandem cognitionem esse simul practicam, & speculativam, sicut implicat eundem numerum esse simul parem, & imparem (quicquid in oppositum dicat Poncius disp. 2. Log. qu. 8. n. 91. quem impugnatum vide disp. 1. Metaph. n. 72.) & quia præferunt rationes penitus contradictorias, sicut non patiuntur medium per abnegationem extremorum, ita nec admittunt medium per participationem, quæ omnia ex professo disp. de scient. probantur. Hinc est, quod cæteri Auctores communiter logicam ponunt, aut absolute practicam, ut Nominales passim, Ocham in prolog. sent. ubi Gabriel q. 11. Gregor. qu. 5. art. 2. Aurel. & alii antiqui; quos ex modernis sequuntur Fons. 2. tract. 3. q. 2. sec. 4. Conimb. qu. 4. proem. ar. 5. Averis q. 1. sec. 6. Murc. disp. 1. q. 4. Arvied. contr. 2. Log. pun. 5. Arriaga disp. 3. sec. 5. aut absolute speculativam, ut D. Tho. cum suis apud Complut. disp. 1. q. 6. & Scot. q. 4. Prolog. ubi Bargius, Licher. Viger. & alii Expositores, & 6. Met. q. 1. in fol. ad 1. Ant. And. 1. Met. qu. 2. Maur. q. 1. univer. ubi Sarnan. Brasavol. & alii circa eum locum. Ratio discriminis inter hos Auctores ex nomine praxis, & notitiæ practicæ ortum duxit, nam aliqui omnem operationem dirigibilem, ut sic, contendunt esse praxim, & notitiam directivam ejus appellant practicam, eo quia non sistit in simplici contemplatione objecti, sed versatur circa illud modo operabili, & tendit ad illud efficiendum, unde cum ita versetur logica circa operationes intellectus, & instrumenta scientiæ, plane practica scientia erit. Alii vero non omnem operationem dirigibilem volunt esse praxim, nec omnem directivam practicam, sed operationem dirigibilem tantum per dictam prudentiæ, vel artis, in genere moris vocant praxim, unde consequenter volunt esse operationem ab electione voluntatis pendente, alioquin non foret laude, aut vituperio digna, & omnem cognitionem huiusmodi operationum directivam censent esse practicam, quia per ipsam removetur error practicus; & quia logica ita dirigit operationes intellectus, ut tantum intendat ab eis remove-rem errorem speculativum, qui est falsitas, unde tota ista directio est propter scire, & circa verum versatur, quod est obiectum intellectus, ideo scientia speculativa censenda; & hi absque dubio melius loquuntur, & magis proprie declarant naturam praxis, & notitiæ practicæ, & speculativæ, ut inferius suo loco dicemus, & hic est sensus ab Arist. intentus 1. Met. c. 2. dum ait finem speculativæ esse veritatem, practicæ opus, ita namque hæc verba exponit Commen. com. 3. *Per speculativam scimus, ut sciamus, per practicam vero sumus scientes, ut operemur, quia practicæ finis opus*; quantumcumque ergo logica dirigit operationes intellectus, cum tales dumtaxat dirigat, ut sciamus, semper finis ejus est veritas, & per consequens scientia speculativa est; namque, per eam sciamus, non ut operemur, sed ut sciamus, quia in logica tam actio dirigens, quam directio est scire, & veritatis cognitio.

56 Dicendum igitur est, quod licet per quandam analogiam, & secundum quid Logica dici possit scientia practica, simpliciter tamen, & absolute loquendo est speculativa: Conclusio est Scoti in terminis 6. Met. q. 1. ad 1. prin. ubi sic loquitur, *de logica licet dici possit, quod est practica, quia non est tantum propter scire propriam, sed directivam in aliquo actu; extendendo nomen, quia tamen actus, in quo dirigit, non est nisi speculatio, ideo logica proprie non est practica, sed speculativa*. Probatur, & explicatur conclusio, nam cognitio practica potest sumi late, pro notitia, scilicet, cuiuscumque operationis contingenti, quæ sit erroris capax, sive practici, sive speculativi, & non est pure contemplativa naturæ proprii objecti, sed etiam effectrix illius, & sic Logica dici potest scientia practica, nam scientia Logica non sistit in hoc, ut tantum cognoscamus naturam syllogismi, se tradit regulas, & præcepta illum recte conficiendi; sed quia hoc non sufficit ad notitiam practicam proprie dictam, sed esse debet directiva praxis, nimirum operis ab electione pendente, & quod sit capax erroris practici, ac proinde imputabilis ad laudem, vel vituperium, ideo proprie loquendo logica non est practica, sed speculativa, quia ipsa dirigit actus intel-

intellectus, ne contingat in eis falsitas, qui est error speculativus, & totus ejus finis est veritas, & scire; non autem operari, nam non solum cognitio naturae syllogismi, verum & illius constructio est propter scire, & Logica efficit instrumenta sciendi, non ut operemur, sed ut recte cognoscamus; Et ut modo abstinemus ab ea con- certatione, an operatio intellectus dici possit praxis, de quo inferius loc. cit. hoc omnes fatentur tenentur, quod licet actus intellectus in ordine ad bonitatem moralem directus rationem praxis habere possit; tamen quatenus dirigatur in ordine ad veritatem, non habet rationem praxis, quia tunc finis illius directionis est veritas, & non opus, modo logica dirigit operationem intellectus, non ut participat bonitatem moralem a voluntate communicatam, sed ut versatur circa verum, quod est proprium intellectus, & hoc est praecipuum fundamentum, cui haec innititur sententia.

57 At respondent contrarii, & praesertim Averf. cit. parum referre, quod cognitio speculativa, quae dirigitur per Logicam, sistat in contemplatione veritatis. Nam ipsa Logica non sistit in contemplatione veritatis de ipso suo objecto, sed ordinatur ad illud efficiendum, atque adeo non est propter seipsum, & gratia sui, in quo consistit ratio scientiae practicae, illa autem cognitio est speculativa, quae sistit in contemplatione veritatis de suo objecto, quod considerat, & sic est gratia sui, & propter seipsum. Et quando dixit Arist. speculativae finis est veritas, practicae opus, non intellexit de fine operationis directae, sed de fine ipsiusmet cognitionis, quae dicitur speculativa, vel practica, eo quod speculativa ita cognoscit veritatem sui objecti, ut alio veritatem non dirigat ex modo cognoscendi, scilicet, praecipiendo, & distando, de objecto cognito faciendo, alioquin non foret mere cognoscitiva, & omnino non sisteret in noticia veritatis, sed operativa foret, & practica. Tota haec responsio falsae innititur intelligentiae naturae cognitionis practicae, & speculativae; falsum liquidem est qualemcumque ordinem ad opus scientiam extrahere a ratione scientiae speculativae, & ita in simplici, & nuda contemplatione sui subjecti sistere debere, ut nequaquam ad illius effectum dirigere possit, quod P. Didacus quaest. 6. proem. & Compl. manifesto demonstrant exemplo; Geometria namque Astrologia, & Mathematica scientiae speculativae sunt, & tamen non est contra speculationem earum aliquid operari, nimirum triangulum, sphaeram, aut astrolabium, opus etiam numerandi, vel mensurandi spectat ad illas, & tamen eas non extrahit a ratione speculativae, non alia ratione, nisi quia horum instrumentorum constructio ordinatur ad cognitionem veritatis, neque per illam intendunt scientiae hujusmodi opus ipsum factum, sed veritatem, ergo cum Logica non solum omnia ordinet ad cognitionem veritatis, sed ipsum opus, quod dirigit cognitio veritatis sit, plane ordo talis ad opus a ratione scientiae speculativae ipsam non extrahit; Et hac de causa etiam propter seipsum dicitur, & non propter aliud; quia etiam si dirigat in opus, tamen in hac ipsa actuali directione, immo & effectione operis non intendit opus, ut sic, sed veritatem.

Poncius etiam disp. 2. Log. q. 8. n. 85. hanc probationem inficiatur, & ait facile solvi posse dicendo, quod licet finis proximus practicae sit opus, non veritas, tamen veritas potest esse finis ejus remotus, & sic in proposito dici poterit Logicam esse practicae, quia licet remote ad veritatem ordinetur, proxime tamen ordinatur ad opus, scilicet ad confessionem syllogismi, & aliorum instrumentorum sciendi, quod sufficit, ut absolute, & simpliciter practica dicitur; quod enim hoc opus ulterius ordinetur ad veritatem cognoscendam impertinet est ad Logicam (inquit) nam si sciamus ordinaretur per se essentialiter ad acquisitionem scientiarum, non propterea scientia tradens modum illud faciendi esset speculativa; sicut nec de facto Medicina, quae tradit modum recuperandae memoriae, & disponendi caput in ordine ad acuendum ingenium dicitur speculativa, licet recuperatio memoriae, & acumen intellectus ordinentur ad scientias habendas; Ad illud de Mathematica, quae docet conficere triangulum, & tamen est speculativa, ait non esse practicae, quia non ostendit adaequate, quomodo triangulus fieri possit; si enim sic ostenderet, plane practica non foret. Hinc tandem n. 87. ipse probat conclusionem, quod logica non sit practica, sed speculativa, quia in omnibus ejus partibus dirigit actus intellectus, non autem actum alterius potentiae ab intellectu, quae sola est praxis, ut docet Sc. qu. 4. Prol. Haec tamen sua ratio parum valet, quia vel falsum, vel saltem dubium assumit, quod scilicet, nulla operatio intellectus dici possit praxis, oppositum namque probabilis est, ut infra patet dis. 12. quaest. 5. art. 1. & tenet etiam Poncius ipse disp. cit. n. 80. & ideo libenter ab hac ratione abstinimus, quo usque infra melius declaratur. Quare praestat adhibere rationem a nobis adductam, quae non est ita facilis solutionis, ut Pontius arbitratur, sensus namque illius axiomatis, quod finis speculativae sit veritas, practicae vero opus, verus, & genuinus est, quem verba ipsa praesertunt, non autem quem ipse com-

miniscitur, nempe quod finis per se intentus a speculativa est veritas, practicae vero opus bonum in genere moris, vel artis; & si interdum speculativa opus attingit, aut practica veritatem, id esse mere per accidens, & propter aliud, nam speculativa opus attingit, ut v. g. in proposito logica syllogismum, non nisi gratia veritatis, unde illud assumit pro medio, non autem pro fine a se intento; sic Astrologia docet conficere, & conficit sphaeram materialem ad eum modum, quo Caelos esse inter se dispositos existimat, tamen quia hoc opus non propter se conficit, sed in ordine ad veritatem assequendam de situ, & motibus Orbium, non amittit rationem speculativae. Quod autem subdit de Medicina disponere caput ad acuendum ingenium, & arte lignaria sciamni confectiva, quod ordinari potest ad veritatis studium sedendo super ipsum, valde est abs re nostra; quis enim non videt syllogismum opus esse magis aptum pro veritate assequenda, quam sit sciamnum? & quo pacto fieri potest, ut sciamnum per se essentialiter ordinetur ad acquisitionem scientiarum, ut ipse supponit? nonne haec est ridicula suppositio? sic pariter quis non videt, quando Medicina remedia tradit memoriae recuperandae, & disponendi caput ad acuendum ingenium, finem ab ipsa per se intentum esse capitis purgationem, acquisitionem vero scientiarum, & veritatis mere per accidens ad ipsam attingere? non ergo exempla illa ad rem faciunt neque rationem nostram labefaciunt. Denique omnino falsum est quod aiebat hic Auctor, Mathematicam non adaequate docere, quo modo triangulus fieri possit, immo unicus Mathematicae scopus est docere modum formandi hujusmodi figuras mathematicas, ut videri potest apud Euclid. quod si Mathematica id adaequate non docet, debebat hic Auctor facultatem assignare, quae plene id doceat.

58 In oppositum obiicitur. 1. praecipuum oppositae sententiae fundamentum, Habitus dirigens actiones voluntatis est practicus, ergo & habitus dirigens actiones intellectus. Nec valet negare pariter, eo quia operatio voluntatis est praxis, non operatio intellectus. Haec namque non est sufficiens ratio, ut ille habitus dicatur practicus, iste speculativus, quia prudentia est habitus practicus, & cum sit omnium directiva virtutum, etiam dirigit operationes aliquas intellectus, qui ad virtutes pertinent; ergo quod Logica dirigit operationes intellectus, non obstat, quominus sit scientia practica. Nec etiam dicere valet, operationes intellectus, ut a prudentia directas, habere rationem praxis, quia ut sic, pendunt ab electione voluntatis, & sunt capaces erroris practici, ac proinde imputabiles in genere moris, non autem ita se habent, ut dirigantur a Logica, quia non cadunt sub directione Logicae, nisi ut sunt capaces erroris speculativi, scilicet falsitatis, & ideo non sunt praxes, sed mere speculationes. Nam contra urget Vasquez, quod etiam in operibus Logicae principium est electio, si quidem libere sunt, & voluntas movet intellectum ad suos actus, sicut caeteras potentias, ergo Logica vere est scientia practica activa, utpote quae versatur circa opera, cujus principium est electio.

Resp. quicquid sit de prima solutione, quae pendet ex alia difficultate, an operatio intellectus possit habere rationem praxis (videtur enim habere posse, quatenus bene, vel male moraliter fieri potest) de qua inferius suo loco, secundam solutionem omnino satisfacere pro negatione paritatis. Et impugnatio Vasquez, quamvis apud Mauritium alicujus videatur momenti, eam enim adducit, & non solvit, ita tamen frivola est, ut etiam Complut. advertunt, quod si quid probat, probat quoque nullam esse scientiam speculativam; siquidem omnes actus, cujuscumque scientiae sunt, vel saltem fieri possunt a nostro intellectu libere, & media motione voluntatis, cum igitur ait Aristot. 6. Met. c. 1. scientiam activam versari circa ea, quorum principium est electio, intelligit de operationibus, quibus per se convenit procedere ab electione, & tales sunt actiones virtutis moralis; omnes enim tales aut sunt actus eliciti, aut saltem imperati a voluntate, at operationibus intellectus, ut a Logica diriguntur, mere per accidens convenit libertas, seu voluntatis imperium, quia antecederet ad quamcumque voluntatis operationem potest intellectus errare in suis actibus, & per regulas, quas tradit Logica dirigi, & ideo actus ejus, quatenus a Logica diriguntur, non sunt praxes.

Secundo obiicitur rationes ex Aureol. quia Logica est de objecto operabili, & circa illud versatur modo operabili, & ut vocant, compositivo, & non mere speculabili, & resolutorio, non enim contemplatur tantum naturam definitionis, & argumentationis, sed tradit regulas, & praecpta bene illa construendi, & huic argumento innititur Ovidius loc. cit. Tum. 2. quia agit de operationibus intellectus, quatenus illius sunt naturae, ut bene vel male fieri possint, & tradit modum, quo bene fiant, ac detegit vitia, quae contingere possunt in exercitio earum, atqui haec propria sunt scientiae practicae. Tum 3. actus, qui elicuntur a Logica, quomodo fieri debent definitio, enunciatio, syllogismus, &c. non sunt propter solam veritatis cognitionem, ut ibi sistamus, sed ex natura sua referuntur ad usum, ut definitiones sine errore faciamus. Tum 4. Logica est habitus non tantum cognitivus, sed etiam operativus, unde dividitur in docen-

docentem, & utentem, sed omnis talis habitus est practicus. Tum 5. habitus speculativus est propter se 1. Met. c. 2. sed Logica non est propter se, sed propter alias scientias. Tum 6. quia tunc esset nobilior scientis practicae, quod tamen falsum est, quia ipsa est de ente rationis, illa de ente reali, patet conseq. quia speculativa quaelibet nobilior est quacumque practica ex 1. Met. cap. 2. Tum deum, quia Logica non solum dirigit syllogismos speculativos, sed etiam practicos, ergo saltem ex hac parte practica est.

59 Resp. ad primum, utique directionem ad Logicam pertinere, hinc tamen non sequitur esse practicae, eo quia in ipsamet directione, immo & operatione non quaerit, nisi veritatem, omnis namque Logica directio ad veritatem recte indagandam ordinatur, directio vero practica non ordinatur ad hoc, ut recte cognoscamus, sed ut boni efficiamur, ut verbis expressis docet Arist. 2. Ethic. cap. 2. unde modus compositivus Logicae diversus est ab eo, quo utuntur practicae. Ad 2. Logica agit de operationibus intellectus, quatenus bene, vel male fieri possunt speculative, non practicae, & detegit etiam vitia speculativa, quae in ipsis contingere possunt; proprium autem scientiae practicae est dare regulas ad evitandam pravitatem in genere moris, quales non sunt regulae logicae, quae solum dantur ad fugandam ignorantiam; neque modus praecipivus est proprius scientiae practicae, nisi ordinetur ad alium finem, quam ad veritatem. Ad 3. dicitur adhuc sistere in ipsa veritatis contemplatione, quia ipsemet usus instrumentorum logicorum ad hoc inservit, ut sciamus, non ut boni efficiamur, & tendit ad fugandam ignorantiam, non pravitatem, vel errorem practicum contra regulas prudentiae vel artis. Ad 4. cui praesertim innititur Arriaga cit. falsum est Logicam docentem, de qua hic est sermo, attingere operationem, nam ipsa solum est directiva operationum, illas autem facere directas spectat ad alias facultates auxilium logicae utentis, ut patet ex 2. & 3. art. & quando etiam eliceret operationem directam non posset adhuc dici in rigore practica, quia non dirigeret praxim, sed in ordine ad veritatem, quod est munus scientiae speculativae non practicae; Logica vero utens, quia est effectrix operis, induit rationem artis, & dici potest habere rationem practici, quatenus est operativa; speculativi vero, quia opus ipsum, quod efficit, est speculatio, non praxis. Ad 5. non probat, quod non sit speculativa, sed solum quod non est speculativa principalis, sed potius ministra, & instrumentalis. Ad 6. Arist. ibi loquitur de speculativis principalibus, qualis non est Logica, & verum est, omnem speculativam esse practica nobiliorem, si non ex objecto, saltem ex modo procedendi circa illud, & in hoc sensu Logica dici potest nobilior practicae. Ad 7. regulat Logica etiam syllogismos practicos, sed in ratione veri, prudentia autem in ratione boni, & ideo est habitus practicus, illa speculativus; haec igitur, & alia argumenta, quae adducit, & solvit Ant. And. cit. solum probant, quod Logica habet modum practici, at quia omnis ista directio ad speculandum ordinatur, & ad rectificandum speculationis opus, simpliciter speculativa manet.

Et per hoc patet ad quaesitam Arist. auct. ut 1. Rhet. c. 1. dum ait Dialecticam esse inventam ad dirigenda opera, quae bene, vel male fieri possunt, & 1. Prior. sect. 2. ubi logicum non solum considerare debere generationem syllogismorum, verum, & sciendi potentiam habere, & alias similes: quando vero 6. Met. c. 1. speculativam dividit in Mathematicam, Physicam, & Metaphysicam, nullam logicam mentionem faciens, vel locutus est de speculativis principalibus, inter quas logica non est, vel ipsam subintellexit sub secundo membro, cum sit pars Philosophiae. Ad hunc etiam articulum de qualitate logicae spectat quaestiuicula illa, An sit scientia communis, quam quia difficultate vacat, brevibus resolvit Doctor q. 2. univers. dicens, quod est scientia communis communitate nimirum usus, & applicationis, quatenus quae in ea tractantur, sunt omnibus applicabilia facultatibus, & sic logica est scientia communis, quoad omnes partes; verum tamen est Topicam peculiari ratione dici communem, quatenus nimirum locos quosdam arguendi communes tradit indifferenter ad quodlibet probandum applicabiles.

ARTICULUS SEXTUS.

De necessitate, & utilitate Logicae, ejusque partitione.

60 Logicae ad omnes scientias, & facultates esse pertinentem nemo dubitat, id enim ostentant variae ejus appellationes, & encomia, illud praesertim apud omnes receptissimum, quod est *ars artium, scientia scientiarum, ad omnium Methodorum principia viam habens*; sed dubitatur, an etiam sit necessaria; & quamvis non defuerint, qui simpliciter, & absolute esse necessariam dixerunt ad alias scientias quomodocumque comparandas etiam imperfecto modo, quos sequitur Araxo 2. Met. q. 3. art. 3. Galleg. hic contrav. 1. Blanch. disp. 3. sect. 3. & Amic. tract. 1. qu. 2. dub. 2. art. 3. concl. 6. frequens tamen, & communis *Mastri, & Belluti Tom. 1. Logica.*

opinio veterum, & Recentiorum distinguit, & ait non esse simpliciter necessariam ad alias scientias utcumque comparandas; partialiter nimirum, & imperfecte; palam enim est, quod scientiam partialem, id est, actum aliquem scientificum potest quis elicere in aliqua scientia solo lumine naturae, ut v. g. consequentiam in Barbara esse necessariam; problemata aliqua Mathematica esse certa, ut si ab aequalibus aequalia demas, quae remanent, sunt aequalia; manifestum etiam est alias scientias sine logica imperfecto quodam modo acquiri posse, tum quia ante logicae inventionem extiterunt scientia naturalis, & Philosophi; tum quia modo videmus multos in Theologia, jure, & aliis facultatibus cognitionem quandam superficiale, & imperfectam consequi sine logica. Verum ad eas totaliter, & perfecte acquirendas asserunt esse simpliciter necessariam, non enim quis potest perfecte scientiam aliquam comparare, nisi sciat conclusiones omnes resolvere usque ad prima principia, cognoscatque bonitatem illationum, necessitatem, & conditiones praesertim deceptiones, quae circa eas solent contingere, & alia plura, quae sola logica artificialis docet. Tum etiam quia nullum vidimus absque logica in aliis scientiis consummatum evasisse; cum tamen solus Dialectica ductu absque alio magistro plures scientias multi comparaverint. Hinc Arist. 1. Phys. c. 3. Met. 6. & 22. & alibi saepe testatur veteres Philosophos ob Dialecticam ignorantiam in multis, & turpes fuisse prolapsos errores; & Plato 7. de Repub. ait, *Impossibile est, intellectum sine dialectica exacto rem aliquam attingere*, ergo logica ad alias scientias totaliter, & perfecte acquirendas est simpliciter necessaria; Ita tenet Compl. disp. 1. quaest. 7. Sanch. lib. 1. quaest. 2. Didac. disp. 2. qu. 1. Joan. de S. Thom. quaest. 1. art. 2. Masius sect. 2. quaest. 3. Averf. quaest. 1. sect. 4. Morfan. prolog. 8. Rocchus quaest. 4. proem. Tolet. hic quaest. 1. Ruvius q. 1. eitant pro hac sententia. Jamblic. epist. ad Sopat. Alexand. in prolog. Topic. D. Thom. opusc. 58. & 70. Egid. 1. Post. Albert. tr. 1. Log. cap. 3.

61 Dicendum tamen est, Logicam artificialem (de hac enim est quaestio) nequaquam necessariam esse simpliciter, & absolute ad acquisitionem aliarum scientiarum, & probatur, quia, ut experientia docet, multi Theologiam acquirunt, jus civile, & Pontificium cum nulla, aut parva saltem cognitione regularum logicarum. Quod vero inquit communis opinio, hos non acquirere facultates illas totaliter, & perfecte, ideoque ad illas sic acquirendas simpliciter necessariam censei debere; Sane id non probat necessitatem logicam simpliciter ad illas scientias comparandas, sed necessitatem secundum quid, & ex suppositione, illud enim dicitur necessarium simpliciter, & absolute ad aliquem finem, sine quo finis absolute obtineri non potest; illud dicitur necessarium secundum quid, & ex suppositione, sine quo, licet finis absolute possit obtineri, non tamen certo aliquo modo, v. g. non aequae commodae, non aequae facile, non aequae cito, quare necessitas ista potius spectat ad modum acquisitionis, quam ad substantiam finis obtinendam; Cum igitur absque logica absolute possint aliae facultates obtineri, ejus necessitas ad earum acquisitionem simpliciter non erit, & absoluta, sed tantum secundum quid, & ex suppositione, nam quod aequae facile, & perfecte sine logica obtineri nequeant, pertinet ad modum acquisitionis, non ad substantiam finis.

Confirmatur exemplo, nam ad salutem animae necessarius simpliciter est status Christianus, hic autem duplex est, laicalis unus, religiosus alter, & quidem religiosum adhibendo longe tutius, atque perfectius acquiritur hic finis; quem admodum igitur ex hoc inferri non valet statum religiosum esse simpliciter necessarium ad animae salutem, ita ex hoc, quod logica mediante perfecte, & totaliter aliae scientiae acquirantur, non bene inferitur ejus necessitas simpliciter, & absoluta ad illas acquirendas. Tandem quod pertinet ad acquisitionem finis tantum hoc, vel illo modo, non bene censetur necessarium simpliciter ad acquisitionem illius finis, sed tantum secundum quid, & ex suppositione, cum non pertineat ad substantiam acquisitionis ejus, sed tantum ad modum; sed Logica ex opinione communium allata non pertinet ad substantiam acquisitionis aliarum scientiarum, sed tantum ad modum, ut, scilicet, totaliter, & perfecte acquirantur, ergo Logica non est necessaria simpliciter ad illas acquirendas.

62 In oppositum obiicitur Primo, probando, quod sit necessaria simpliciter ad alias scientias etiam utcumque acquirendas; nam scientia etiam in esse imperfecto est vere scientia, sicut animal imperfectum est verum animal, sed non potest comparari vera scientia sine Logica, vera enim scientia habetur per demonstrationem; & haec per Logicam artificialem. Tum 2. quia nullus habet veram scientiam, nisi sciat illam resolvere usque ad prima principia ex Arist. 1. Post. cap. 2. Sed sine Logica nullus scit resolvere etiam imperfecte. Tum 3. ad scientiam requiritur evidentia illationis, id est quod cognoscamus evidentiter conclusionem inferri ex praemissis, atqui sola Logica docet, quantum ad conclusio inferatur ex principiis. Tum 4. quia licet quis ex lumine naturali assentiri possit uni, vel alteri conclusioni proximae principii lumine naturae notis, ille tamen assensus non est scientificus sine certitudine consequentiae, quia

quia etiam in prima figura potest error contingere, unde nemo certus est se non errare sine aliqua reflexione, quod servaverit regulas bonæ consequentiæ, quas docet Logica artificialis. Tum demum quia ipsa est modus sciendi 2. Met. 15. Resp. per solam Logicam naturalem confici posse aliquam demonstrationem, quia in scientiis sunt aliquæ conclusiones ita proxime innitentes principiis lumine naturali notis, ex quibus adeo evidenter sequitur conclusio, ut explicatis terminis conficiantur absque difficultate tales demonstrationes. Ad 2. in scientiis aliqua resolutio in prima principia, & aliqua illatio consequentiæ esse potest ita per se nota, ut sine arte possit attingi certe, & absque formidine. Ad 3. naturale lumen, sicut propria virtute se extendit ad assensum principiorum, ita ad unam, vel alteram conclusionem principii proximam se extendere potest sine arte, ad ceteras vero remotiores utique se extendere nequit, nisi ex arte, & magna reflexione. Ad 4. neg. in huiusmodi demonstrationibus proximam innixis primis principiis haberi non posse certitudinem consequentiæ sine arte, & reflexione, nam etiam in aliquo modo primæ figuræ potest error contingere, in primo tamen consequentiæ est prorsus infallibilis, & necessaria. Ad 5. probat solum conferre ad facilem, & perfectam scientiarum acquisitionem.

63. Secundo objicere contra, logicam artificialem nullo propositum modo esse necessariam ad aliarum scientiarum acquisitionem, nam ad scientiam duo sunt necessaria, & quod ad hunc principia per se nota, quibus præbeatur assensus, & ut ex illis certa deducatur conclusio; sed ad primum sufficit lumen naturale, & etiam ad secundum, nam necessitas consequentiæ etiam fundatur in principiis per se notis, scilicet dici de omni, & dici de nullo. Tum 2. si esset necessaria, maxime id esset propter definitiones, & divisiones, sed quælibet scientia habet suas definitiones, & divisiones, ergo. Tum 3. nam quisque percipit, num recte intelligat ex objecto, cui operatio conformatur, vel non, & scientia quælibet cognoscit suum objectum. Tum 4. quia si est necessaria ad alias scientias saltem perfecte acquirendas, pari ratione necessaria foret ad seipsam perfecte acquirendam, quod impossibile videtur. Tum 5. quia saltem ad practicas scientias non videtur necessaria, nam practica solum respiciunt rectitudinem operis, non autem ipsam investigationem veritatis, unde solum indigent prudentia, vel arte. Tum demum quia habitus naturalis non datur ad simpliciter posse, sed ad facilius posse, ergo sine Logica artificiali poterit etiam perfecte intellectus consequi alias scientias, licet cum majori difficultate.

Resp. per illud probari solum lumen naturale extendi posse ad unam, vel alteram conclusionem principii per se notis proximam, ad ceteras tamen remotiores extendi nequit sine arte, & reflexione ad regulas artis, & in istis necessitas consequentiæ non potest certo cognosci sine Logica. Ad 2. licet scientiæ particulares habeant definitiones, & divisiones certis materiis applicatas, illarum tamen bonitas, & certitudo ex præceptis logicis de definitione, & divisione dignosci debet. Ad 3. patet ex dictis art. 2. in fol. ad primum. Ad 4. concedimus logicam etiam sibi esse necessariam, sicut lumen, quod est medium necessarium, ad quodlibet videndum, est etiam sibi ipsi necessarium, ut videatur, & re vera logica sibi ipse inservit per applicationem unius partis ad aliam, nam illa pars, quæ agit de terminis simplicibus ad directionem primæ operationis attinens, juvat ad cognitionem alterius partis, quæ agit de enunciatione, & attinet ad directionem secundæ, & hæc pars ipsa juvat ad illam, quæ agit de discursu, & tota ipsa Logica ruditer, & imperfecte tradita in institutionibus pro Tyronibus est necessaria ad seipsam postea perfecte tradendam, & pro dignitate. Ad 5. licet id gratis concedat Jo. de S. Th. id tamen admittendum non est; quia practica quamplures scientiæ procedunt, & suas demonstrationes conficiunt, unde saltem ex hoc capite Logica indigent. Ad 6. negatur consequ. quia licet semel, atque iterum possimus bene operari in aliqua materia, & per logicam naturalem, & naturæ lumen circa nostras operationes reflectere, id tamen non potest fieri semper, & in qualibet materia sine regulis artis. Dices, ergo ad scientias saltem sic acquirendas, scilicet perfecte, erit simpliciter necessaria. Neg. consequ. immo est implicantia in adjecto, ly enim sic pertinet ad modum acquirendi scientias, non ad substantiam, & ideo non recte inferitur inde necessitas logicæ simpliciter, quia sine logica acquiri potest aliqua scientia quoad substantiam habitus, nam hoc fit per quamlibet demonstrationem; sed tantum necessitas secundum quid, & ex suppositione, ut declaratum est in conclusione probanda.

64. De partitione Logicæ (quæ erat altera pars hujus articuli) varii extant modi dicendi. Tat. q. 1. procem. Logicam partitur in veterem, & novam; vetus est illa, quæ de partibus argumentationis tam propinquis, quam remotis tractat; nova, quæ est de argumentatione ipsa, ejusque partibus subjectivis. Maur. qu. 3. univers. Logicam fecerunt in eam portionem, quæ est de partibus integrantibus syllogismum, & complectitur libros prædicabilium, prædicam. & Periher. & in illam, quæ est de partibus subjectivis. Conimb. cum aliis Auctoribus passim in procem. Log. secant Logicam in tres partes sumpta divisione ex parte objecti, in eam, quæ est de definitione, in eam, quæ est de divisione, & in eam, quæ agit de discursu juxta numerum instrumentorum tribus operationibus intellectus deservientium.

Dicendum tamen, quod Logica in se, & in tota latitudine sua in duas dividi debeat principes partes, in quarum una de instrumento sciendi in communi agatur, in altera de speciebus, & partibus subjectivis ejus, & prima pars subdividi potest in illam, in qua de principiis, sive essendi, sive cognoscendi modi sciendi in communi agatur, & in illam, quæ tractet de affectionibus ejus, ut sic; secunda etiam subdividi potest juxta numerum specierum modi sciendi, quæ præstantiores saltem, ad quas ceteræ reduci possunt, tres recenseri solent, definitio, divisio, & argumentatio. Ratio hujus partitionis facile deducitur supponendo, quod quando scientia dividitur, debet primo dividi in partes principales, non autem in minus principales, illæ vero sunt partes principales in scientia, quæ per se, & directe ad illius scientiæ texturam, & integritatem spectant; & propter se expetuntur, & non omnino in ordine ad aliud, seu ad aliam partem, alioquin cum illa constitueret unam partem principalem, non autem in se talis esset; sed si logica contingeret secundum totum ambitum suum, utriusque tractatus de instrumento sciendi in communi directe, & per se institueretur tractando de ejus principiis, & passionibus, & propter se expeteretur similiter tractatus de speciebus ipsius, ergo &c. major ostenditur exemplo, nam lib. 1. & 2. Phys. non constituunt partem distinctam principalem a ceteris lib. Phys. licet in illis de principiis agatur, in istis de passionibus corporis naturalis, non alia certe ratione, nisi quia omnes ordinantur ad cognitionem corporis naturalis in communi; Minor patet, quia quilibet tractatus directe pertinet ad Logicæ considerationem, nec unum ita alteri subordinatus est, ut nequaquam propter se expeteretur; nam materia tradita in unoquoque digna foret propria, & peculiari consideratione, etiam præciso ordine unius ad alium.

65. At si sermo fit de Logica Arist. hæc in duas dividi debet principales partes, in quantum in prima agitur de syllogismo, in altera de speciebus ejus, illa continebit libros prædicabilium, prædicamenta. Periher. & Prior. ista libros Post. Top. & Elench. Ratio hujus partitionis est, quia lib. prædicam. & Periher. non propter se expetuntur, sed in gratiam prorsus syllogismi in communi, ergo non possunt constituere partem principalem, sed cum lib. Prior. ubi de ipso syllogismo agitur, unam partem principalem constituent, quod pariter est de secunda dicendum. Adhuc tamen partes ejusmodi principales in alias minores fecari possunt, prima in duas, in eam, scilicet, quæ est de principiis integrantibus syllogismum, quæ adhuc subdividitur; vel enim sunt principia remota, & sic est liber prædicam. cui inservit liber prædicab. vel sunt propinqua, & sic est liber Periher. & in eam, quæ est de quidditate, & affectionibus ipsius syllogismi in communi, & sic sunt libri Prior. Altera vero dividitur in tres minores partes juxta tres species syllogismi, nam vel est demonstratio, & ita habentur lib. Post. vel syllogismus probabilis, & sic habentur lib. Topic. vel deceptorius, & sic habentur lib. Elench. qui discursus integer colligitur ex Doct. 1. Prior. qu. 2. Nos quamvis Logicam in tota latitudine sua ad nimiam prolixitatem evitandam contexere non intendamus, quia tamen ampliorem contexere volumus, quam reliquerit Arist. altius initium Disp. petemus, nimirum ab ipso instrumento sciendi in communi; paulatim postea descendendo ordinem ipsius Arist. capiemus. Alias quædam difficultates de unitate Logicæ, subalternatione, &c. quia non sunt Logicæ peculiare, sed aliis quoque scientiis communes, hic libenter missas facimus, & usque ad Post lib. differimus ad Disp. de scientia, nam ibi de unitate habituum, subalternatione scientiarum, aliisque communibus earum attributis sumus acturi, & ex ibi dicendis facile patebit earum resolutio.

DISPUTATIO PRIMA.

De modis, seu instrumentis sciendi.

Post Quæstionem Proœmialem merito primum locum possit hæc Disputatio; cum enim modus sciendi, seu instrumentum cognoscendi statutum sit objectum Logicæ, plane hinc Logica debet incipere, ut ab initio exactam præmittat sui objecti cognitionem; hic autem non solum de modo sciendi in communi agemus, sed etiam ad quædam instrumenta particularia descendemus, ad ea nimirum, quorum notitia est prorsus necessaria ad ceterorum captum, & se habent velut claviculæ quædam ad alia aperienda.

QUESTIO PRIMA.

Quid, & quomplex sit modus, seu instrumentum sciendi.



DE natura instrumenti Logicæ, quod est modus sciendi, ejusque conditionibus varie loquuntur Auctores, Zabarel. in suis lib. de methodis per totum, quem sequitur Faber Theor. 16. contendit de ratione instrumenti sciendi esse vim illativam, ita quod illud solum dicatur instrumentum logicum, quod habet vim notificandi ignotum ex noto. Alii initius agentes inquirunt sufficere ad instrumentum logicum, quod habeat vim manifestandi ignotum, sive id faciat via illationis, sive alio modo, ita Soto lib. 2. summ. c. 4. Aversa quæst. 4. Log. sect. 1. Complut. in præamb. ad summ. Casil. ibid. cap. 1. & est communis opinio Summulistarum, qui modum sciendi definiunt, quod est oratio manifestativa alicujus ignoti. Alii demum per modum sciendi intelligunt, non solum quod habet vim manifestandi ignotum, sed quicquid quomodo juvare potest intellectum nostrum in dirigendis operationibus ejus, ita loqui videntur iidem Complut. disp. proœmial. quæst. 3.

Hinc de numero instrumentorum logicorum varii exorti sunt modi dicendi, nam Auctores primæ sententiæ solum argumentationem instrumentum logicum appellant, & eam præcipue, quæ est in materia necessaria, qualis est demonstratio, hæc enim parit scientiam proprie dictam, unde in toto rigore meretur nomen instrumenti sciendi. Auct. 2. sent. licet major pars eorum tria assignent instrumenta logica, Definitionem, Divisionem, & Argumentationem, tamen aliqui hunc numerum minuere aggressi sunt subtrahendo divisionem, eo quia non sit ab aliis instrumentis distincta, ita Hurtad. disp. 10. sect. 6. Vallius init. Post. quæst. 1. cap. 3. & fuit sent. Algazel. in sua Logica. Alii e contra numero ternario non contenti addiderunt Resolutionem, quæ est progressus a particularibus ad universalis, a posterioribus ad priora, ita Eustrat. in sua præfat. super 2. Post. Ammon. super procem. Porph. Damasc. cap. 1. suæ Phys. Alii addiderunt enunciationem, ut Avers. cit. & quamplures methodum, sumendo methodum pro ordine, qui in scientiis observari debet, ut distincte tradantur, & sine confusione. Auctores denique 3. sent. latissime utrapartes modum sciendi appellant instrumenta logica omnes secundas intentiones, de quibus logica tractat, siquidem omnes illæ sunt aliquo modo veritatis ostensivæ, & conducunt ad directionem operationum intellectus, qui est unicus logicæ finis, ita Complut. loc. ult. cit.

2. Dicendum est, quod licet strictissime loquendo de modo sciendi, & instrumento logico sola argumentatio possit dici modus sciendi, utpote quæ sola ex noto ignotum manifestat per vim illativam; & illum fere sumendo secundum totam extensionem, quam potest habere, omnes secundæ intentiones logicæ dici possunt instrumenta sciendi, id est recte cognoscendi, utpote quæ omnes sunt aliquo modo veritatis ostensivæ, & intellectus directivæ, & tamen proprie loquendo modus sciendi, & instrumentum logicum est illud, quod habet vim manifestandi ignotum, quomodocumque id faciat; cumque id solum conveniat cum omni proprietate Definitionis, Divisionis, & Argumentationis, hæc tria proprie erunt instrumenta logica, non plura, nec pauciora. Concl. est Scoti quæst. 2. lib. 1. Priorum quam tenet Tat. quæst. 1. præamb. logicæ, & Summulistæ omnes. Et quantum spectat ad assignandam rationem modi sciendi, seu instrumenti logicæ, probatur breviter, quia ut docet Scot. 4. d. 1. qu. 2. significata vocabulorum probare non possimus, sed oportet ea supponere ex communi usu loquentium, ut apud logicos nomine modi sciendi consuevit intelligi via distincte cognoscendi id, quod ante confuse cognoscebatur, unde instrumentum sciendi a Summul. communiter definitur, quod sit oratio manifestativa alicujus ignoti, per quod excluduntur voces simplices, & incomplete, quia sufficientes non sunt ad explicandam rem distincte, & explicitè, sed tantum confuse significant, ergo absque sufficienti ratione Auctores primæ sent. nimis coarctantur, & Bellui Tom. I. Logica.

Etant rationem instrumenti logicæ, seu modi sciendi, ut solum ab illis orationibus participetur, quæ habent vim manifestandi ignotum per illationem, & nimis ampliant Auctores 3. sent. dum volunt eam convenire etiam vocabulis simplicibus, & quibuscumque intentionibus logicis.

3. Deinde probatur exemplo artis, unde nomen instrumenti deductum est, nam in eis non solum appellatur instrumentum, seu modus sciendi artefactum illa ultima dispositio, seu applicatio materiæ, ex qua immediate resultat artefactum, sed ad quamlibet partem artefacti formam faciendam datur etiam modus, quo recte, & facile talis pars efficiatur, sed quia non ita cernitur modus recte operandi in qualibet minutissima parte artefacti efficienda, nec certum instrumentum illi correspondet, sed in principalioribus partibus illius; ita hac proportione servata logicæ nomen modi sciendi non restringatur ad solam argumentationem, vel demonstrationem, quæ est ultima dispositio, ex qua immediate resultat scientifica cognitio, neque ampliant ad minutissimas quascumque intentiones logicas, sed tribuunt illud principalioribus quibusdam intentionibus, scilicet, Definitioni, Divisioni, & Argumentationi, quia sunt generalia quædam instrumenta sciendi, in quibus elucet vis manifestandi ignotum, unde proxime, & immediate dirigunt intellectum in suis operationibus, ac proinde speciali modo convenit eis esse veritatis ostensivas.

Hinc facile probatur altera pars conclusionis, quod tria tantum sint instrumenta logica, Definitio, Divisio, Argumentatio; nam ut discursit Tatar. Modus sciendi est oratio manifestativa ignoti, hoc autem, vel est complexum, vel incomplexum; si fuerit complexum, manifestatur per argumentationem: si vero incomplexum, vel ignoramus essentiam, & hæc explicat definitio, vel partes ejus, & hæc manifestat divisio, ut v. g. in homine si essentiam ignores, manifestatur hac definitione, est animal rationale, si ignores partes ejus, manifestantur hac divisione, Mominis alia pars est anima, alia corpus, & si ignores propriam passionem, quæ de illo prædicatur, dicendo, homo est visibilis, manifestantur per hanc argumentationem, Omne animal rationale est visibile, omnis homo est animal rationale, ergo omnis homo est visibilis, ergo sicut nullum aliud datur ignotum, quod manifestetur, ita nullus alius datur modus sciendi, qui manifestet. Tum 2. quia est alia intentiones logicæ conducunt ac cognitionem rerum acquirendam, & intellectum juvent in suis operationibus, tamen proxime, & immediate id non efficiunt, sed mediatis illis tribus, ergo illa tria proprie sunt instrumenta logica, & ad ea reduci debent cetera, quæ ad modum sciendi quomodocumque pertinent.

4. Præterea numerus hic ternarius non potest rationabiliter augeri, nec minui, ergo instrumenta logica non sunt plura, nec pauciora tribus; probatur assumptum, non potest in primis augeri addendo Resolutionem, ut instrumentum ab illis tribus distinctum, nam resolutio sæpe sapius cum Divisione coincidit, nam dividendo resolvimus, & reducimus rem in sua principia, unde & Arist. in procem. Phys. Resolutionem appellat divisionem tex. 3. Posteriori autem ex his nota sunt elementa, & principia ista, qui hæc dividunt, id est resolvunt; interdum etiam coincidit cum Definitione, & Demonstratione, quando nimirum resolvimus definiendo, & demonstrando, definiendo quidem, quia sic reducimus definitum in sua principia definitiva, demonstrando vero, cum per demonstrationem a posteriori, seu a signo, quæ dici solet Methodus resolutiva, effectum resolventes causam invenimus ex Acerb. lib. 5. qq. Periher. quæst. 1. Nec debet augeri addendo Enunciationem cum Aversa, quia de ratione enunciationis, ut sic, est tantum enunciare unum de alio, non autem manifestare ignotum, in quo consistit ratio modi sciendi, unde secundum quod est propositio, non necessario affert res notiores, sed solum id evenit, quando coincidit cum definitione, aut divisione, ut cum dicimus, homo est animal rationale, hominis alia pars est anima, alia corpus, quo casu enunciatio manifestat ignotum non ratione sui, sed definitionis, vel divisionis, quæ in ea continetur, ergo enunciatio, ut sic, non est modus sciendi distinctus a ceteris, quia per eam absolute profertur unum de alio, sed nullo modo ostenditur veritas illius, quod per enunciationem asseritur: Nec demum augeri debet addendo

Methodum, seu ordinem servandum in scientiis tradendis, quamvis enim hic ordo maxime juvet mentis directionem, valdeque conducatur ad scientiarum acquisitionem, nam ordo confusioem eliminat ab intellectu, non ob id addendus est, ut instrumentum ab illis tribus distinctum, sed potius dici debet illorum communis, & quaedam recta dispositio, ut bene dirigant cognitionem nostram, quod ita probatur; nullum instrumentum ad suum munus applicatur, nisi prius sit recte dispositum, & accommodatum, non utimur securi ad sciendum, si est obtusa, sed prius ad cotem acutur, non utimur calamo ad scribendum, nisi prius attemperato, & sane acumen hoc in securi, & calamo, non est instrumentum distinctum a securi, & calamo, sed est dispositio quaedam necessaria ad instrumentum, ut bene suum munus exerceat, at Methodus, & ordo est similis quaedam dispositio communis illis tribus instrumentis, ut bene dirigant cognitionem nostram, qualiter enim scientia tradit suam doctrinam arguendo, definiendo, &c. hac autem omnia ordinate tenetur facere, ne confusioem pariat, ergo censeretur non debet instrumentum distinctum ab illis.

5 At neque debet minui hic numerus, non enim minui potest subtrahendo Argumentationem, quia ad dirigendum discursum plane efficacius instrumentum excogitari nequit, & licet, inter argumentationis species demonstratio dignior sit, ac præcipua, atque ideo per excellentiam solet appellari modus sciendi ex Aristot. 1. Post. cap. 3. non tamen ipsa sola absolute loquendo dici debet instrumentum logicum, & modus sciendi, quia hic non accipimus nomen scientiæ in rigore, sed fufe, ut instrumentum sciendi idem sonet, quod cognoscendi. Nec minui potest subtrahendo Definitionem, tum quia ad explicandas rerum quidditates, & earumdem proprietates inveniendas ex communi omnium sensu maxime confert; tum quia Arist. ipse 1. de An. 8. & 1. Met. 48. inter instrumenta cognoscendi eam connumerat simul cum demonstratione, & 6. Topic. c. 1. & 3. ait definitionem facere, ut cognoscatur substantia quod reperit 3. Post. cap. 2. Nec denum minui potest subtrahendo divisionem, tum quia Arist. 1. de An. 1. de An. 8. & 1. Met. 48. inter instrumenta cognoscendi eam connumerat simul cum demonstratione, tum quia de se patet, quantum divisio juvet ad distinctos conceptus rerum efformandos, ad discernendum quid affirmari, vel negari debeat; immo tanta est efficacia eius in veritate manifestanda, ut Arist. 1. Priorum sect. 2. cap. 3. eam appellaverit parvam quendam syllogismi particulam, & veluti imbecilem syllogismum; & tandem in dissolvendis difficultatibus, & rebus declarandis in dubium verentibus nil frequentius utimur, quam divisione, & distinctione, ergo cum etiam divisio sit manifestativa ignoti, inter instrumenta logica ipsa quoque erit computanda.

Solvuntur objectiones.

6 **I**N oppositum obiicitur 1. quod sola argumentatio sit modus sciendi, & instrumentum logicum, nam omne instrumentum logicum est discursus a noto ad ignotum, & intrinsece includit vim illativam, sed definitio, & divisio non includunt vim, sed sola argumentatio, ergo &c. minor patet, major probatur, tum ex ipso nomine facultatis logicæ, logica enim dicitur a *logos*, id est a ratione, & discursu, unde ipsa est facultas discursiva, ergo instrumenta logica, ut vere talia dicantur, debent includere discursum a noto ad ignotum; tum etiam ex ipsa ratione assignata modi sciendi, nam si in hoc sita est, ut sit oratio manifestativa ignoti, necessario illationem includit, nam nihil ignotum ex notis notum redditur, nisi beneficio illationis; & hoc est unicum fundamentum Zab. lib. 3. de Meth. cap. 73. & Faber. cit. Quod confirmari potest auctoritat. Arist. qu. 1. Post. 1. & 1. Top. 10. 6. Ethic. 3. 1. Rhet. 2. loquens de instrumentis sciendi meminit tantum syllogismi, & inductionis, & plane non sufficienter 1. Post. 1. probare omnem doctrinam fieri ex præexistenti cognitione, eo quod fiat syllogismo, & inductione, & tex. 3. dum probat deficiente sensu deficere omnem scientiam illius sensibilibus, quia non amplius sit inductio, & demonstratio. Demum si de ratione modi sciendi foret, ut sit ignoti manifestativus quomodocumque, tunc etiam termini, & voces simplices instrumenta logica forent appellanda, cum nobis aliquid significant, & declarent, quod prius ignorabamus, & si quis diceret alicui Indias esse, quas iste nunquam vidit, foret talis oratio modus sciendi, quia esset manifestativa alicuius ignoti.

Resp. negando majorem, neque enim hic sumere debemus instrumentum logicum ad libitum Zabarel. sed juxta communem loquendi modum, quo ut sunt veteres Summulistæ, pro medio apto ad manifestandum ignotum, sive id fiat via illationis, sive alio modo, quo sensu nomine instrumenti usus est Arist. ipse 5. Met. 48. ubi definitionem appellat instrumentum, quo omnes scientia utuntur; ad primam probationem majoris, logica dicitur scientia rationalis, quia est directiva rationis in omnibus actibus suis, unde considerare tenetur instrumenta directiva cuiuscumque operationis intellectus, & non tantum discursus, verum quia

inter omnes actus discursus est dignior, ab isto actu logica dicta est scientia discursiva sumpta denominatione a nobilitate; ad alteram probationem negatur absolute non posse ignotum fieri notum, nisi via illationis, nam fieri potest componendo per definitionem, & resolvendo per divisionem. Ad Conf. si Arist. ibi non meminit definitionis, & divisionis, meminit alibi, & 1. Post. tex. 1. loquitur de doctrina discursiva, ut patet ex ipso contextu, & text. 33. loquitur de objecto complexo ignoto; quod utique manifestatur per discursum. Ad alteram Conf. est de ratione modi sciendi, ut manifestet ignotum non quomodocumque, sed distincte, & explicite, & ideo nomina, & voces dici nequeunt instrumenta logica, quia rem notificant confuse tantum, & implicite, ut docuit Arist. in præm. Phils. qua etiam ratione oratio illa, quod Indias reperiantur, & alia confirmat, nequeunt dici instrumenta sciendi, quia rem confuse solum, & indistincte significant, unde enunciationem absolute sumptam hac ratione exclusimus a numero instrumentorum logicorum.

7 Secundo obiicitur, quod definitio non sit instrumentum Logicum, nam si esset instrumentum a demonstratione distinctum, logica non haberet unum subiectum, nec consequenter esset una, quia definitio non potest ad syllogismum reduci, qui est adæquatum logicæ objectum. Deinde quando fuerit clare cognita natura hominis, hac definitio, *animal rationale* non erit modus sciendi, si quidem tunc non manifestat ignotum. Tandem instrumentum debet distingui a fine, ad quem ordinatur, sed definitio non distinguitur ab illa cognitione, quæ est finis eius, quia definitio est simplex quidditatis rei intuitus, neque alia cognitio sequitur ad illum intuitum, ratione cuius sit instrumentum: Imo hac ratione Blanc. 1. 5. dialect. inquit. sect. ult. negat universaliter Def. Divis. & Argum. esse instrumenta logica, quia potius sunt opera ipsius logicæ.

Resp. ad 1. in Logica absolute considerata in toto ambitu suo, non syllogismum, sed instrumentum sciendi esse adæquatum objectum. Ad 2. idem argumentum confici potest contra argumentationem, quod non manifestet ignotum illi, qui jam distincte conclusionem per eam illatam noscebat, dicendum itaque quod licet definitio non manifestet ignotum ei, qui jam clare definiti naturam agnovit, tamen ex natura sua est manifestativa, & hoc sufficit ad rationem modi sciendi. Ad 3. idem etiam argumentum urgeri potest contra argumentationem, quod non distinguitur ab ipsamet notitia discursiva, atque ideo esse nequeat instrumentum eius, ut urgebat de facto Blanc. cit. itaque respondet Amic. tr. ult. Log. quaest. 6. dub. 2. dupliciter definitionem posse dici instrumentum sciendi, primo respectu ipsius scientiæ, & ita certum est non esse instrumentum, quia esset instrumentum sui ipsius, quia per definitionem non habemus aliam scientiam, quam cognitionem quidditatis, quæ est ipsissima definitio. Secundo, ut sit instrumentum respectu quidditatis cognitæ, & ita bene dicitur instrumentum, & sic intellectus est principale agens, cognitio definitiva est instrumentum, quo apprehendit objectum, sicut manus dicitur instrumentum corporis, quia per eam aliquid apprehendit. Sed hac responsio non satisficit, non enim objectum, sed cognitio recta objecti est finis instrumenti logici, ergo male concedit definitionem esse instrumentum objecti tantum, non autem cognitionis. Quod si dicat, etiam objectum, quatenus recte cognitum, statui posse finem logici instrumenti, hoc nihil est, cum enim esse cognitum in objecto nihil reale dicat, nisi cognitionem ipsam, ut ad illud terminata, plane dicere definitionem esse instrumentum objecti, quatenus cognitum, est idem, quod asserere esse instrumentum cognitionis ipsius, atque ita redit integra difficultas.

8 Potius ergo dicendum, quod definitio, sicut etiam divisio, & argumentatio possunt sumi dupliciter, vel formaliter, vel objective, primo modo sunt ipsimet actus definiendi, dividendi, arguendi, secundo modo sunt objecta, quæ per hos actus menti obverfantur, cognoscit enim intellectus per logicam instructus regulas, & præcepta bonæ definitionis, divisionis, &c. & sic cognoscit, quomodo definiendum sit, dividendum, &c. & hoc modo sumpta præcipue habet rationem instrumenti logici, ut Tat. cit. ibidem innuit, & Averfa sect. 2. conceptus enim objectivus est, qui dirigit actum postea efficiendum, sicut enim quilibet artifex, ut opus suum recte efficiat, prius illud mente præcipit, qualiter sit efficiendum cogitando regulas, & præcepta tale opus efficiendi, sic intellectus, ut recte definat, discurrat &c. considerat regulas, & præcepta definitionis, & discursus, & virtute huius notitiæ, & conceptus objectivi, qui in proposito est discursus regulatus, vel definitio efficit subinde actualem discursum, vel definitionem. In proposito itaque licet definitio formaliter sumpta non distinguitur a notitia ipsa quidditatis, objective tamen sumpta distinguitur, saltem quoad modum essendi, sicut distingui solet res objective concepta a seipsa, ut existat realiter a parte rei, & hæc sola distinctio sufficit ad salvandam, quæcumque dicuntur de cognitione dirigibili, & instrumentum directivo; & per hoc patet ad instantiam Blanc. formaliter sumptæ sunt opera logicæ, sed objective sunt instrumenta. Sed dices, definitio, & argumentatio sic sumptæ pro conceptu

objectivo rei efficiendæ non sunt, nisi idea, & exemplar definitionis actualis, & discursus, ad idea non dicitur instrumentum, sunt enim causæ distinctæ idealis, & instrumentalis, & domus in mente Architecti non solet dici instrumentum ædificandi, sed tale dicitur malleus, securus, &c. ergo hoc modo inspecta definitio nequit dici instrumentum. Resp. ideam in Logica habere rationem instrumenti, nec est per ratio de aliis artibus factivis, & logica, quia in illis cum exercentur per actus transeuntes habentur instrumenta externa, quæ proprie tali nomine nuncupantur, sed logica cum exercentur per actus immanentes, & opus eius dirigibile sit cognitio intellectiva, nil aliud habet, quod ita proprie fortiri possit rationem instrumenti directivi, quam ipsamet ideam operis faciendi.

9 Tertio obiicitur, quod divisio non sit instrumentum logicum; tum quia 1. de An. text. 8. habeatur, quod omnis ratio, vel est definitio, aut demonstratio, & 1. Met. 48. omnis disciplina, aut est per demonstrationem, aut per definitionem; tum quia 2. Post. in principio proponens Philo. numerum questionum scientiarum, tantum quatuor enumerat, an sit, quid sit, &c. nullam faciens mentionem de quotuplex sit, ergo frustra fingitur Methodus ista distincta ad satisfaciendum illi quæsitio, tum denique quia idem cognoscimus per hanc definitionem *homo est animal rationale*, & per divisionem ejusdem in partes Metaphysicas, ergo divisio non est instrumentum conditionis a definitione.

Respond. in primis duobus locis Arist. loqui de cognitione ipsius quod quid est, & etiam de illa cognitione, quæ proprie scientia appellatur, has namque cognitiones maxime estimavit veluti principales in qualibet facultate, & in ordine ad istas, tamquam instrumenta præcipua constituit definitionem, quæ est generativa primæ, & demonstrationem, quæ alteram generat, & non assignavit divisionem, quia hæc non est ita necessaria, ut definitio, & demonstratio ad perfectam rei notitiam assequendam. Ad alteram de 2. Post. Arist. ibi enumerat tantum illa quæ sita, quæ pertinent ad rem in se, & in sua communitate inspectam ante divisionem in plura; quæ quæsitum quotuplex res fit reducit ad quæsitum qualis sit, quia species non sunt de essentia generis, sed veluti ejus accidentia, quia inferiora accidenti superiori. Ad 3. si interdum per definitionem, & divisionem idem exprimitur objectum, id tamen non fit eodem modo, quia definitio componit essentiam rei, quam divisio resolvit in partes, differunt ergo illæ duæ propositiones non ratione objecti, seu rei significatæ, sed modo significandi, & manifestandi eandem rem, qui diversus est in definitione, ac divisione, quia primus est modus compositivus, alter divisivus, quod sufficit ad diversitatem illorum instrumentorum; quod adhuc magis explicabitur infra q. 5. art. 1.

10 Quarto demum obiicitur, quod sint pluribus, nam sicut argumentatio communi consensu inter instrumenta logica numeratur, quia mediantibus regulis de ipsa traditis est aptissimum instrumentum ad directionem discursus, ita pariter enunciatio erit aptissimum instrumentum ad directionem iudicii, quia & ipsa habet proprias regulas, & præcepta, quibus observatis non minus bene dirigitur iudicium, quam regulis argumentationis servatis dirigatur discursus. Conf. quia si ignorati naturam hominis dicatur, *Homo est animal*, vere manifestatur illi aliquid ignotum; ergo vere est modus sciendi. Præterea omnes secundæ intentiones logicæ sunt aliquo modo veritatis ostensivæ, & singulari juvant ad acquirendam scientiam, & dirigendum intellectum, ergo omnes sunt modi sciendi. Demum Aristot. 2. Met. c. ult. Methodum, seu modum procedendi in tradendis scientiis appellavit modum sciendi, ergo non bene excluditur.

Resp. hæc, & familia argumenta probare dumtaxat instrumenta sciendi esse plura tribus, si modus sciendi latius usurpetur, & secundum omnem extensionem pro quæcumque norma recte intelligendi: at si non proprie sumatur pro oratione manifestativa ignoti, unde. Ad 1. non ideo præcisè argumentatio ponitur instrumentum logicum, quia habet proprias regulas, quibus discursus dirigit, nam pari ratione, nodum enunciatio, sed etiam termini simplices inter instrumenta logica forent computanda, cum etiam de subiecto, copula, & prædicato propria tradantur regulæ, quibus observatis dirigitur apprehensio in ordine ad iudicium, sed ideo dicitur proprie modus sciendi, quia manifestat ignotum, quod enunciationi non convenit, quæ talis est. Ad 2. ajunt Compl. in præamb. ad summ. negando, quod enunciatio ex se sit manifestativa ignoti, nam ipsa solum unum de alio enunciat, ad hoc autem, ut vere manifestaret ignotum, deberet ostendere sic esse, sicut per talem propositionem asseritur, quod tamen non fit per ipsam, sed per argumentationem. At ita respondendo plane conceditur de ratione instrumenti logici, & modi sciendi esse vim probativam, & illativam, quod tamen & ipsi negant. Dicendum igitur, quod enunciatio unum de alio proposito utriusque aliquid ignotum manifestat, sed non quantum sufficit ad modum sciendi, cuius est manifestare ignotum distincte, & explicite, quod non facit propositio, nisi vel coincidat cum defini-

tione (ut est in exemplo adducto in argumento) vel cum divisione, vel per argumentationem illata sit, cuius proprium munus est manifestare distincte, & explicite ignotum complexum. Ad 3. & 4. concludunt solum omnes intentiones logicæ, & methodum ipsam esse modos sciendi, & instrumenta logica sumpta sciendi modo secundum omnem extensionem.

QUESTIO SECUNDA.

Qualiter instrumenta profata directioni cognitionis deserviant.

11 **C**ertum est, cognitionem intellectivam per illa instrumenta dirigi posse; sed aliqua difficultas est in explicando, quomodo in ea talis directio exerceri possit; nam clarum est, talem directionem non exerceri circa cognitionem in communi abstrahentem a recta, & indirecta, sed circa cognitionem in particulari; logica enim utens, ut supra dicebamus, versatur circa particulares discursus, & particularia iudicia, omnis autem actus cognitionis particularis, vel est actus verus, & rectus, vel indirectus, & falsus, aut enim est conformis, aut difforsim objecto, nec dari potest medium, si cognitio est recta, & vera, jam non indiget directione, si vero est indirecta, & falsa, non potest ipsamet eadem permanens dirigi, & recta fieri, iudicium enim, quo hominem esse animal irrationale asseritur, nullo prorsus modo idem permanens potest fieri verum, sed debet a mente tolli, & oppositum introduci, non enim secundum se est capax directionis, & veritatis, & ita universaliter est de propositionibus necessariis: quod si in contingentibus possit interdum idem iudicium mutari de vero in falsum, hoc certe fieri nequit, nisi per mutationem objecti, at dirigere hoc modo non spectat ad logicam, quia ipsa non habet vim dirigendi cognitionem mutando objectum, sed solum mutando cognitionem ipsam. Accedit, quod solum de necessariis est scientia, & ita logica præsertim adinventata est, ut dirigat cognitionem scientificam acquirenda.

Aversa in sua Log. q. 3. sect. 7. explicat posse dirigibilitatem convenire cognitioni indirectæ, & falsæ, sicut Theologi in materia de peccatis explicare solent in actibus malis privationem bonitatis, & capacitatem oppositæ rectitudinis, in actu enim falso duo consideranda sunt (inquit) & quod sit actus cognitionis, & quod sit indirectus, quatenus ergo indirectus, est utique incapax rectitudinis; quatenus falsus, est incapax veritatis, quia irrectitudo, & falsitas rectitudini, & veritati repugnat, estque illi impossibilis; quatenus vero actus cognitionis est, sic secundum ipsam communem rationem retinet rectitudinis capacitatem, & ut sic est dirigibilis; reducitur autem hæc capacitas ad actum non quidem faciendo, ut idem actus mutetur in verum, sed convertitur in alium actum verum realiter diversum, & oppositum, convenientem tamen cum illo in ratione communi cognitionis circa tale objectum, & tandem subdit Aversa hoc genus aptitudinis, & capacitatis fuisse ab Arist. assignatum 5. Met. c. 22. dum ait, Talpam esse capaxem visus, non quatenus Talpa est, sed quatenus animal est, & hac ratione dici cæcam.

12 Sed hic dicendi modus patitur in primis omnes difficultates, quibus premitur sententia Theologorum tenentium actui odii, & blasphemiz deberi rectitudinem secundum genus, & hac ratione esse formaliter malos, quæ plane magni sunt ponderis. Deinde falsitas maximam ponit imperfectionem in actu, sed privato secundum genus nullam dicit imperfectionem in taliter privato, ut bene Scot. ostendit 1. d. 28. q. 2. ad 1. nam privatio visus in planta est quodammodo privatio ex Arist. 5. Met. 28. & non importat imperfectionem in planta, alioquin privatio sensibilitatis in lapide, & infinita perfectionis in ente creato id etiam faceret; quia lapis, quæ substantia, est capax sensationis, & quodlibet ens creatum, quatenus ens, est capax infinitæ perfectionis, ergo falsitas, & irrectitudo cognitionis non bene explicantur per privationem rectitudinis in actu secundum genus. Rursum falso supponit Aversa cognitioni intellectivæ, ut sic, convenire, atque debere rectitudinem, quia cognitio intellectiva, ut sic, abstrahit a recta, & indirecta, ergo ut sic neutrum ei convenit, vel debetur, sicut nec animali, ut sic, debetur rationalitas, vel irrationalitas, quia ab his abstrahit. Confirm. nam repugnat in terminis actui falso secundum gradum genericum debere rectitudinem, quam non potest habere secundum specificum, nam si debetur gradui generico, debetur etiam omnibus inferioribus, vel si eis omnibus non debetur, nec debetur gradui generico, sed aliis quibus speciebus illius generis, sicut quantitas debetur substantiæ corporeæ, non autem spirituali, & ideo non debetur gradui generico substantiæ in communi; alioquin si deberetur generi, deberetur etiam omnibus speciebus. Et per hoc patet ad exemplum de Talpa, nam si Talpæ repugnat visus secundum speciem, falsum erit visum debere gradui generico animalis, unde tenendo Talpam non carere visum secundum speciem, non est simpliciter cæca, vel privata, sed tantum secundum quid, seu secundum genus, non quod ejus generi, id est animali debetur visus, sed quia ei non repugnat; quæ doctrina est Scot. loc. cit. ubi ait carentiam

rationis in bove esse privationem secundum quid, quia licet ratio repugnet bovi, qua bos, non repugnat tamen animali; & ait, hanc privationem nihil dicere imperfectio- nis in privato ob rationem allatam, & ita intelligendus est Arist. cit. dum loquitur de Talpa.

Si respondeat Averſa, ſufficere, quod reſtitudo ſaltem non repugnet generi actus, licet ei non debeat, quia hoc ſufficit, ut cognitio intellectiva in communi dicatur dirigibilis. Contra hoc eſt, quia dirigibilitas ab ipſo ponitur paſſio cognitionis intellectivæ, ergo non erit mera non repugnantia, ſed debetur, & aptitudo ad dirigi.

13 Alii proinde fatentur, directionem utique non deberi actibus elicitis nec ſecundum ſpeciem, nec ſecundum genus, ſed deberi actibus elicendis, ut ſic enim non ſunt reſti, nec errati, ſed eſſe poſſunt utrumque, reſti quidem ſi eliciantur juxta præcepta logica, errati vero, ſi non ita eliciantur. Sed contra hoc etiam eſt, quod idem proſus eſt individuum, quod nunc exiſtit, & prius in potentia objectiva, ut docet Doct. 2. d. 16. q. un. A. ex Ariſt. 9. Met. ergo ſi cum exiſtit non poteſt idem enim numero, dirigi, ergo neque cum exiſtere poteſt, idem enim numero eſt actus elicitus, & elicendus.

14 Dicendum itaque cognitionem intellectivam intantum dici dirigibilem, & directionis capacem, in quantum intellectus cognoscens, & operans poteſt dirigi, & corrigi tranſeundo ab actu falſo ad verum. Probatur, quia ſi hoc modo explicetur capacitas directionis in cognitione, ut ſcilicet reſtitudo debeat potentia intellectivæ, non actui cognitionis, facile vitatur difficultas in principio propoſita, & univerſaliter defenditur omnem cognitionem, ſive ſit de objecto contingenti, ſive neceſſario, eſſe dirigibilem, reſtitudinique capacem, quatenus intellectus in omni cognitione poteſt dirigi, & emendari. Accedit, quod quando dicimus ſinem logicæ eſſe dirigere operationes intellectus, aliud non intelligimus, quam intellectum per logicam dirigi poſſe, & debere in ſuis operationibus, ergo reſtitudo debetur potentia intellectivæ operanti, non ipſi operationi. Denique licet modus dicendi Averſæ, quod reſtitudo debeat operationi, ſuſtineri poſſet in illis contingentiſſimis actibus (ſi tamen dantur, de quo in lib. de An.) qui iidem numero manentes poſſunt de veritate ad falſitatem migrare, & e contra; nullatenus tamen ſuſtineri poteſt de actibus neceſſariis, & aliis contingentiſſimis, ergo ut detur univerſalis regula, quomodo cognitio intellectiva ſit capax directionis, reſtat dicere, quod ſit capax illius mediate, non immediate, id eſt ratione intellectus dirigibilis, non ratione ſuæ entitatis, ſive ſpecifice conſideretur, ſive generice.

At in contrarium obicitur directio, vel indirectio convenit intellectui mediate cognitione, ergo & dirigibilis, quia eſt eadem ratio; probatur aſſumptum, quia tunc intellectus eſt reſtus, quando eſt verus, indirectus quando eſt falſus, ſed veritas, & falſitas immediate convenit cognitioni, mediate intellectui, quatenus habet cognitionem veram, vel falſam. Rurſus cognitio dicitur mediate directæ, ergo etiam immediate dirigibilis; Conſeq. patet, quia actus in ſubjecto, cui ineſt, ſupponit potentiam ad ipſum. Reſp. ad 1. negando paritatem, quia directio, vel indirectio reſpicit actum ſecundum, & ſumitur immediate ex conformitate, vel diſformitate ad objectum, quæ fundatur immediate in actu, ſed dirigibilitas reſpicit actum primum, & ſumitur ex poſſe, vel non poſſe elicere actum reſtum. Ad 2. in actu eſt potentia logica ad directionem, id eſt non repugnantia ad dirigi, quo ſenſu Deus dicitur habere potentiam ad eſſe, non autem potentia phyſica, ſeu ſubjectiva, quæ dicitur contradictionis, ſed hæc in intellectu ſolum reperitur, & de potentia ad dirigi in hoc ſenſu loquimur in propoſito.

15 Sed adhuc ulterius pro majori notitia famulatus horum instrumentorum dubitari ſolet, an præſata ſingula instrumenta ſingulis deſerviant operationibus, vel potius æqualiter omnibus. Pro deciſione breviter dicendum eſt, quod licet omnia, & ſingula aſſignata instrumenta omnibus, & ſingulis interviant operationibus, non tantum omnibus æqualiter famulantur; & quidem primum facillime probatur diſcurrendo per ſingula. Definitio enim maxime juvat ad dirigendam primam operationem, ipſa enim mediante rite concipimus eſſentiam propriam rerum, hinc etiam valet ad directionem ſecundæ, cum enim nos ducit in cognitionem quidditatis, docet conſequenter, quæ prædicata eſſentialia de ipſa enunciare debeamus, & quæ negare, valet tandem ad dirigendam tertiam, quia ex eadem definitione concluduntur illative propriæ paſſiones, & attributa, & repugnantia excluduntur, nam medium demonstrationis, per quod paſſionem offendimus de ſubjecto, eſt ipſius ſubjecti definitio. Diviſio ſimiliter tendit ad directionem cuiuſcuſque operationis intellectus, per diviſionem liquidem reſolvendo rem in ſua prædicata diſtincte apprehendimus eſſentialia rei; & quia dividendo cognoviſimus, quid de re aſſerendum ſit, vel negandum, conſequenter famulatur ſecundæ. Tandem tertie deſervit, quia in diſcurrendo frequenter utimur diſtinctione, ſapientius ſit argumentum a ſufficienti diviſione, & præſertim per pulcher ille arguendi modus, qui dicitur dilemma in

diviſione fundatur. Argumentatio denique juvat & ipſa omnes, & ſingulas intellectus operationes; de diſcurſu reſ de ſe patet, de iudicio probatur, quia ſi interdum intellectus enunciando decipitur, tribuendo ſcilicet prædicatum aliquod rei, quod vere ei non convenit, non melius corrigitur, & in notitiam erroris devenit, quam per argumentationem; dirigit etiam apprehenſionem, quia ad inveniendam perfectam rei quidditatem non ſemel utimur ſyllogiſmo.

16 Verum quamvis hoc totum verum ſit omnia, & ſingula hæc instrumenta omnibus, & ſingulis famulari operationibus, ut probatum eſt, non tamen omnibus æqualiter interviant, ſed certum instrumentum certæ operationi eſt ſpecialiter applicatum, & additum, & proximè, ac directe ad eam reſtificandam ordinatur, quod pariter probatur diſcurrendo per ſingula, & ſingula conferendo ſingulis operationibus; & quidem Definitio quamvis juvet, & dirigit ſecundam & tertiam operationem, ut diximus, tamen per ſe primo valet ad directionem primæ, quia objectum proprium primæ operationis aſſignatur quodquid eſt rei ab Ariſt. 3. Met. 8. & 3. de Anim. 26. & alibi sæpe, ſed veram rei quidditatem noſcimus per definitionem 2. Met. Sum. 3. c. 1. ergo definitio per ſe primo valet ad directionem primæ operationis. Diviſio autem licet etiam primæ, & tertie operationi deſerviat, ſecundæ tamen ſpeciali modo adminiculatur, quia per diviſionem præſertim dignoſcimus, quid aſſerendum ſit, vel quid negandum de re, quam inquirimus. Accedit, quod ſecunda operatio conſiſtit in affirmatione, vel negatione prædicari de ſubjecto, hæc autem affirmatio fundatur in identitate prædicati cum ſubjecto, ſicut negatio in eorum diverſitate, at per diviſionem poſſimus devenimus in notitiam huius identitatis, vel diverſitatis, ergo peculiari modo deſervit ſecundæ operationi. De argumentatione tandem certum eſt apud omnes, quod licet primam, & ſecundam operationem juvet, per ſe tamen primo inſtituta eſt ad directionem tertie.

Methodus vero, cum non ſit peculiare instrumentum a cæteris diſtinctum, ut liquet ex qu. præced. ſed potius communis quedam conditio, ac veluti cuiuſcuſque diſpoſitio, ut bene ſuum munus gerat, & cognitionem dirigit, conſequenter non eſt cenſendum instrumentum alicui certæ operationi aſſixum; ſed omnes, & ſingulas indifferenter coadiuvans.

Q U Æ S T I O III.

Quodnam horum instrumentorum ſit perfectius.

17 Etiamſi exacta huius quaſiti intelligentia ſupponeret particularem tractationem de unoquoque eorum ſingillatim, placuit tamen, & utile viſum eſt id in præſenti inveſtigare, ubi de omnibus promiſſe tractamus, & unum ad aliud conferre: Et quidem in primis certum eſt apud omnes, & abſque controverſia receptum, Diviſionem eſſe imperfectius instrumentum cæteris, ut Scot. docuit lib. 1. Prior. qu. 2. unde ſola remanet difficultas de Definitione, & Argumentatione. Euſtrat. præſat. in 2. lib. Poſt. Balduin. q. 9. Smig. & alii quamplures, tenent Definitionem eſſe perfectius, & nobilius instrumentum cæteris omnibus. At Scot. cit. Faber Theor. 16. Zab. Philop. Simp. & Græci omnes aſſerunt argumentationem præſertim, quæ ſit in materia neceſſaria, præſtare definitioni, & ſequitur Amic. tract. ultim. q. 5. dub. 3. & ſi ratio, qua id aſſerit, ſit inſufficiens, fundatur enim in hoc, quod definitio non ſit instrumentum reſpectu cognitionis, ſed potius reſpectu objecti, quæ doctrina ſuperius exploſa eſt qu. 1. huius diſp. in ſol. ad 2.

Dicendum breviter eſt, argumentationem, & eam præſertim, quæ ſit in materia neceſſaria, præſtare cæteris instrumentis logicis etiam definitioni ipſi in ratione instrumenti. Concluſio eſt Scoti loc. cit. ubi in corpore quaſiti ait quod argumentatio eſt modus ſciendi perfectiſſimus inter alios, & quod ideo Ariſt. fecit quaſi totam ſuam Logicam de argumentatione. Probari autem poteſt. Tum quia inter instrumenta logica ſola argumentatio vim probativam, & illativam poſſidet, ergo perfectiori modo dirigit, & manifeſtat ignotum, nam negari nequit, quin virtus illativa in manifeſtatione ignoti ex notis maximam habeat energiam. Tum 2. quia tunc instrumentum cenſetur perfectius in arte, quanto illimitatio eſt eius famulatus, & ad plura deſervire poteſt, at argumentatio non ſolum inſervit directioni diſcurſus, ſed etiam iudicii, & apprehenſionis: nam & ſi hoc ſit commune ſingulis instrumentis, quod omnibus, & ſingulis operationibus deſervire poſſunt, ut patet ex q. præced. negari tamen non poteſt, quin perfectiori modo id competat argumentationi; ſi enim intellectus falſa opinione detineatur, ſtatim argumentatio ex notis ad ignota procedendo, ejus errorem convincit. Tum etiam efficaciffima eſt ad inveniendam rei eſſentiam, & conceptum ejus quidditativum, cum enim definitio eſt ignota, inveſtigatur per diſcurſum a poſteriori, & methodum reſolutivam, quæ vel eſt demonſtratio quia, vel inductio, ut docet Faber cum Zab. Theor. 17. ergo cum definitio ipſa ſapientius argumentatione manifeſtetur, plane in ratione instrumenti logici, id eſt ignoti manifeſtativi, deſicit a demonſtratione.

18 Con-

Quæſt. I. Quid, & quotplex ſit instrumentum ſciendi. 87

18 Conſulto autem dictum eſt in concluſione definitionem in variis instrumentis logicis excedi ad argumentationem, quia ſi in ratione cognitionis conſideretur, res e contra ſe habet, unde notavimus loc. cit. q. 1. in ſol. ad 2. poſſe definitionem, & argumentationem dupliciter ſumi, vel formaliter pro ipſis actibus definiendi, & arguendi, ſeu pro ipſa cognitione definitiva, aut demonſtrativa rei, vel objective, quo ſenſu præſertim induunt rationem instrumenti logici, ut ibi declaratum eſt; quamvis ergo in ratione instrumenti argumentatio definitionem excedat, in ratione tamen cognitionis definitio excedit argumentationem etiam in materia neceſſaria, id eſt cognitio definitiva rei excedit demonſtrativam, quod facile probatur. Tum quia definitio ex genere ſuo circa ſubſtantiam rei verſatur, demonſtratio circa accidens, manifeſtat enim neceſſariam in hæſionem paſſionis cum ſubjecto, ergo cum perfectio eſſentialis cognitionis ex objecto formali ejusdem menſuretur, plane in ratione cognitionis definitio perfectior erit demonſtratione, quia eſt circa nobilior objectum ex genere ſuo. Tum etiam, quia eſt interdum accidat, ut definitio, & demonſtratio ſint circa accidens aliquod, adhuc tamen definitio ex genere ſuo eſt circa eſſentiam, & quidditatem illius accidentis, demonſtratio autem circa paſſionem ejus, quæ eſt prædicatum extra quidditatem exiſtens, ergo univerſim loquendo definitio in ratione cognitionis ſemper perfectior eſt demonſtratione. Tum præterea, quia etiamſi contingat, quod definitio, & demonſtratio ſint circa idem proſus objectum, & adhuc perfectior erit cognitio definitiva rei, quam demonſtrativa, quia hæc eſt cognitio habita per diſcurſum, illa per ſimplicem quaſi intuitum, cæteris autem paribus nobilior eſt modus attingendi objectum ſine diſcurſu, quam cum diſcurſu, qua ratione hic intelligendi modus Deo tribuitur. Tum demum quia hæc ratione ait Ariſt. 3. Met. 3. & 7. Met. 4. quod dicimus magis ſcire, cum ſcimus, quod ſit homo, quam quando qualis ſit, ergo in ratione cognitionis definitio excedit demonſtrationem.

19 In oppoſitum obicitur 1. quod definitio etiam in ratione instrumenti perfectior ſit argumentatione. Tum quia illud eſt nobilior instrumentum logicum, ad quod omnia instrumenta logica reducuntur, ſed omnia reducuntur ad definitionem, etiam demonſtratio ipſa, ut docet Aver. 1. Poſt. com. 11. ubi ait ſcientiam rerum per demonſtrationem quaſi propter ſcientiam definitionis; unde 1. Poſt. com. 38. ait tractationem 1. Poſt. ordinari ad ſecundum librum, ubi agitur de definitione, ergo definitio nobilior eſt, quia ſinis nobilior eſt his, quæ ſunt ad ſinem. Tum deinde nobilior eſt instrumentum, quod verſatur circa perfectius objectum, ſeu ſcientiam cauſæ de nobiliori objecto, ſed definitio eſt circa ſubſtantiam, demonſtratio circa accidens, ergo &c. Tum tandem quia definitio rem manifeſtat per cauſam formalem, & intrinſecam 3. Met. 3. & 7. Met. 35. quæ certius ducit in cognitionem, quam cauſa efficiens, & extrinſeca, per quam procedit demonſtratio, ergo non tantum ex objecto, circa quod verſatur, ſed etiam ex medio, quo utitur ad illud manifeſtandum, definitio excedit demonſtrationem, ita arguit Bald. loc. cit.

20 Reſp. ad 1. neg. minore, nam in logica ſecundum ſe conſiderata in tota latitudine de ſingulis instrumentis per ſe agit in ordine ad ſingulas operationes intellectus, ut patet ex dictis q. proem. in Logica vero Ariſt. (quidquid dicat Aver. de quo non curamus) tantum abeſt, ut de demonſtratione agatur in ordine ad definitionem, quod potius omnino e contra ſe habet, nam in 2. Poſt. confideratur, ut eſt medium in demonſtratione poſſiſſima, unde ad eam reduci habet, velut pars ad totum: ad 2. Faber. cit. abſolute negat definitionem notificare ſubſtantiam, & inquit ſignificare tantum ſubſtantiam rei, unde poſtea theor. 17. oſtendit ſubſtantiam notificari methodo reſolutiva, quæ vel eſt demonſtratio quia, vel inductio. At male negat Faber definitionem eſſe notificativam, & declarativam ſubſtantie rei; tum quia hæc eſt aperta Ariſt. doctrina 6. Top. c. 1. & 3. & 7. Met. tum quia id ratio convincit, nam ſi definitio ſignificat ſubſtantiam, & eſſentiam rei, ut ipſe concedit, utique certum eſt non ſignificare illam confuſe, & implicite, ut ſignificatur per nomen definiti, ſed clare, & diſtincte, ut docet Ariſt. in Progn. Phyſ. tex. 5. ergo illam notificat, & declarat, nam ſignificare diſtincte rem eſt ipſam declarare, & notificare, & falſum eſt, ut patet ex ſupradictis, rem notificari non poſſe niſi per illationem, & diſcurſum ex toto ad ignotum, & ideo quamvis concedamus ſubſtantiam rei modo illativo notificare poſſe per methodum reſolutivam, negamus tamen alio modo manifeſtari non poſſe, quia definitio per ſimplicem vel intuitum ſine diſcurſu quidditatem rei manifeſtat.

21 Potius ergo ex dictis occurrendum eſt, aliud eſſe comparare adinvicem definitionem, & demonſtrationem in ratione cognitionis, aliud in ratione instrumenti, ut bene notavit Amic. cit. nam ſi primo modo comparetur, negari nequit, quin definitio nobilior ſit demonſtratione, ut bene probat argumentum, at non probat, quod ſit perfectior in ratione instrumenti, nam perfectio instrumenti formaliter non attenditur ex fine vel obſtatione, quia alioqui nobilior eſſet demonſtratio, quia demonſtratione propter quod, Maſſiv. & Bellus Tom. 1. Logica.

nam illa ſubſtantiam, & eſſentiam rei manifeſtat, hæc accidens; ſed ſicut ratio instrumenti conſiſtit in famulatu, & in modo adjuvandi intellectum in cognitione objecti; ita ex conditionibus augmentibus non perfectionem cognitionis, ſed vim adjuvantem intellectum ad eam obtinendam, attendi debet perfectio, & nobilitas logici instrumenti, cumque hæc virtus magis eniteat in demonſtratione, quam in definitione, quia in ea vis illativa continetur, ideo in ratione instrumenti ab ea exceditur, licet in ratione cognitionis excedat. Ad 3. falſum eſt definitionem uti cauſa formali pro medio, quia ipſa ad rem manifeſtandam non procedit via illativa, imo potius ipſa medium eſt in demonſtratione poſſiſſima; dicitur tamen rem notificare per cauſam formalem, & intrinſecam pro quanto definitum declarat proponendo partes intrinſecas quidditatis ejus.

Secundo obicitur e contra, quod nec in ratione cognitionis definitio præſert demonſtrationi, nam ut una cognitio aliam excedat in perfectione, non ſufficit, ut ſit de nobiliori objecto, ſed debet circa illud adæquate verſari, ergo ſi demonſtratio pariat clariorem, & magis adæquatam cognitionem de accidente, quam faciat definitio de ſubſtantia, erit perfectior definitione, etiam in ratione cognitionis, eſt ſit de ignobiliori objecto. Accedit, quod etiam interdum contingere poteſt, ut demonſtratio ſit circa accidens nobilior, & definitio circa ignobilior, illa nimirum circa intellectionem, hæc autem circa albedinem.

22 Reſp. duplicem eſſe perfectionem cognitionis, aliam eſſentialem, quæ attenditur penes objectum formale, accidentalem alteram, quæ attenditur penes conditiones accidentales cognitionis, penes nimirum intentionem, claritatem, certitudinem, &c. & utique contingere poteſt, ut una cognitio ſit perfectior alia eſſentialiter, & imperfectior accidentaliter; & ſic dicemus cognitionem conſulam ſubſtantie imperfectiorem eſſe diſtincta accidentis; ſic igitur in propoſito, etiamſi definitio rei imperfecta foret, tamen quia ex genere ſuo verſatur circa perfectius objectum, quam demonſtratio, ſemper ſecundum ſpeciem eam excederet, & ſolum in quibusdam accidentalibus conditionibus excederetur ab ea, quæ doctrina eſt Scoti 2. d. 3. qu. 9. & tradita ſuit ab Ariſt. 1. de part. animal. ca. 5. ubi ait melius eſſe ſecundum eſſentiam, & ſpeciem de divinis, & cæleſtibus rebus tenuem cognitionem habere, quam de corruptibilibus magnam, & perfectam ſecundum conditiones accidentales. Ad aliud dicimus id evenire per accidens, per ſe tamen, & ex genere ſuo definitio in ratione cognitionis perfectior eſt demonſtratione, quia definitio eſt circa quidditatem rei, & demonſtratio circa accidens ejusdem rei, unde ut comparatio reſta ſit inter definitionem, & demonſtrationem, fieri debet reſpectu ejusdem rei, ſic enim definitio deprehenditur ſemper perfectior demonſtratione, quia per eam res cognoviſtur quid ſit, per iſtam qualis ſit.

Q U Æ S T I O IV.

De Definitione.

23 Quamvis definitio, ut importat rei quidditatem ad Met. ſpectet, qua ratione Ariſt. uſe de illa pertractat 7. Met., nam attinet ad eam diſputare de conceptibus tranſcendentibus, qualis eſt conceptus ipſius quidditatis, tamen ut eſt medium in demonſtratione, & instrumentum ſciendi, ſeu cognoviendi quidditatem, ad logicam attinet, ita directe docuit Averſ. 7. Met. com. 42. & quamvis ipſam conſiderare, ut eſt medium in demonſtratione, ſpectet ad 1. Poſt. tamen ut instrumentum cognoviendi ad hanc pertinet diſp. ubi agere decrevimus etiam in particulari de quibusdam instrumentis logicis, quorum cognitio proſus neceſſaria videtur ad ceterorum captum, nam ſe habent velut claviculæ quedam ad alia aperienda; tale autem instrumentum eſt definitio, de qua quia plura occurrunt differenda, ideo quaſtionem hanc in plures diſtribuemus Articulus.

ARTICULUS PRIMUS.

An ſit, quid ſit Definitio, & quotplex.

24 Circa primam articuli partem, eſt ut Ariſt. referat 2. Poſt. 20. & 8. Met. 9. Antiquiores quidam Antithenſis Sectatores negaverint poſſibiles eſſe rerum definitiones, quam opinionem ſecutus eſt Joan. Franc. Picus in examine vanæ doctrinæ gent. lib. 5. c. 7. & 8. ita tamen exploratum eſt apud omnes rerum definitiones non ſolum eſſe poſſibiles, verum de factis dari, ut cæteri omnes Philoſophi oppoſitum docuerint; ita Plato apud Alcibi. de doct. Plat. c. 5. Pythag. & Socr. apud Laert. in vitis eorum, Democr. quem idcirco laudat Ariſt. 1. de partib. anim. c. 1. & Ariſt. ipſe ſere ubique, ſed ex proſoſo 6. Top. 2. c. 1. & 8. Met. Accedit ratio evidens, quia ablata definitione tollitur demonſtratio, cujus eſt medium, & ablata demonſtratione omnes ſcientiæ tolluntur, nihil propterea demonſtratio, quæ ſcientiam tollunt, quæ ſunt obvia ſciemus, & ea quoque ignoraretur, quæ ſunt obvia ſen-

sentibus, & facillima cognitio: in hac igitur parte nullus remanet ambigendi locus de existentia definitionis.

25 Quantum vero ad aliam quaestio partem de ratione definitionis, recolenda est communis illa divisio definitionis in definitionem *quid rei*, & *quid nominis*. Definitio quid rei apud omnes est, quae explicat naturam rei, sed rationem definitionis quid nominis non assignant omnes eodem modo. Averſa tract. 1. inſtit. c. 3. Blanc. l. 4. inſtit. ſect. 4. Amic. tract. ult. q. 2. dub. 4. Arriag. diſp. 3. Ovſjed. controv. 2. Sum. inquit, quod definitio quid nominis eſt, quae explicat vim, & ſignificationem nominis, ut ſi definiatur hoc nomen *homo* dicendo, *eſt nomen ſignificativum animalis rationalis*. Sed hoc non bene dicitur, nam cum natura nominis, ejuſque eſſentia in ſignificatione conſiſtat, & ipſum nomen quoque ſit res quaedam vere definibilis per definitionem quidditativam, certe ſi definiatur per genus, & differentiam, ut dicendo, quod hoc nomen *homo*, eſt *nomen ſignificativum animalis rationalis*, talis definitio vere erit quid rei, nam vere explicat per genus, & differentiam totam eſſentiam illius nominis *homo*. Fuentes 2. part. Sum. q. 2. diſt. 1. art. 1. ait definitionem quid nominis eſſe rationem entis impoſſibilis, & ideo ſubdit hoc genere definitionis defini *chimeram*, *hircocervum*, & alia entia impoſſibilia, & ideo nominis definitio appellatur, quia totum eſſe definiti nullum eſt aliud, quam nominari, & hanc ait fuiſſe mentem Ariſt. 2. Poſt. c. 7. ubi docet de rebus, quibus actu eſſe, & exiſtere repugnat, non poſſe ſcribi, quid ſint ipſa, ſed tantum quid nomina ſignificent; quod etiam ait inſinuari a Scot. 4. d. 1. q. 2. §. *Hic primo videndum*. Sed neque hoc bene dicitur, quia entia quoque realia ultra definitionem quid rei, habent etiam quid nominis, ergo falſum eſt id formaliter ſignificare rationem entis impoſſibilis, aſſumptum patet ex 1. Poſt. text. 2. §. 24. & 25. ubi offenditur, ad demonſtrationem neceſſariam eſſe praecognitionem quid nominis, idem innuit Ariſt. 2. Poſt. text. 10. qui eſt locus a Fuentes citatus, & 4. Met. 28. Et e contra etiam entia impoſſibilia poſſunt explicari ſuo modo definitione quid rei, nimirum per rationem explicite, & diſtincte, explicantem illud, quod nomen importat implicite, & conſuſe, ut Scot. docet loc. cit. ab ipſo Fuent. Quod ſi contendat Scot. ibi loqui de quid nominis, adhuc habemus intentum, quia inquit ibi, hanc rationem nominis eſſe tam entis, quam non entis, quod etiam docuerat in 1. d. 3. q. 6. art. 3. falſum igitur eſt, Doctorem huius fuiſſe opinionis; quod ibi aſſerit, eſt, definitionem quid rei proprie explicare tantum veram, & ratam rei eſſentiam, unde negat, hanc eſſe proprie entis impoſſibilis; quod utique verum eſt, nam haec eſt una conditio entis definibilis, ut poſtea dicemus, & hoc ad ſummum ſignificari voluit Ariſt. 2. Poſt. c. 7. quia enim definitio quid rei proprie entis tantum reali convenit, ideo ibi dicebat entia impoſſibilia praefertim explicari per definitionem nominis.

Definitio igitur quid nominis, ut colligitur ex Doctore 1. d. 22. qu. 1. §. *Poteſt dici*, & ex 4. loc. cit. §. *ex his praedictis*, ut diſtinguitur a definitione quid rei, eſt explicatio, ſeu ſignificatio nominis, vel per aliud nomen clarius, vel per ethymologiam ejus, vel alio conſimili modo; ſic definitur mulier, quod eſt mollis aer, homo, quod ab humo trahit originem, Sol, quod ſolus ſit in Orbe, lapis, quod ſic dicatur a laeſione pedis, ita enim non vere explicatur natura ipſius nominis, ut res quaedam eſt, ſed craſſo quodam modo ſignificatum ejus, unde definitio quid nominis proprie, ut notat Tat. in 2. Poſt. q. 1. §. *Primo ſciendum* idem eſt, quod nominis interpretatio, quicquid dicat Fuent. cit. & ſequuntur Complur. praamb. de modis ſciendi, Caſil. tr. 3. c. 1. ex quo demum ſequitur, ut ibi notant iidem, ſolam definitionem rei eſſe proprie, & ſimpliciter definitionem, atque ideo praedictam definitionem eſſe aequivocam analogam, & ideo dimiſſa definitione quid nominis, ad aliam progredimur.

Definitio itaque quid rei, ut ab ejus nomine exordiamur, ita appellata eſt metaphora deſumpta ex terminis, & ſinibus agrorum, ut notavit Quintil. lib. 7. c. 4. unde 1. Top. c. 4. ab Ariſt. vocatur terminus, eo quia ut ſines agrorum eos definiunt, & claudunt, ut ab aliis ſecernant; ſic definitiones naturae, & definitiones rerum circumſcribunt, & ab aliis ſeparant, definitur vero ab Ariſt. 1. Top. c. 4. & 2. Poſt. text. 10. quod ſit *oratio quodquid eſt eſſe rei ſignificans*, id eſt oratio explicans naturam, & eſſentiam rei, nam frequens eſt apud Ariſt. loco *eſſentia* ponere *quodquid eſt eſſe rei*, quia per illam reſponderetur ad interrogationem factam de re per *quid*, in qua definitione genus eſt *oratio*, in hoc enim convenit cum aliis modis ſciendi, per reliquas particulas diſſert definitio ab illis, & a caeteris orationibus, quae non explicat eſſentiam rei; dicitur autem oratio, quia eſſentia rei non poſteſt uno nomine exprimi diſtincte, nam ut docet Alenſ. 7. Met. text. 54. quilibet res definibilis habet rationem quandam communem, qua cum aliis convenit, & aliam peculiarem, qua ab aliis diſcernitur; cum igitur haec duae rationes per definitionem ſint explicandae, plures termini vocales, aut mentales ſunt adhibendi, cum unico praefari non poſſit, nam nullus terminus univocus, quales ſunt, qui definitionem ingrediuntur, poſteſt ſignifi-

care plures conceptus: idem habet Doct. 6. Met. tract. 33.

27 Poſteſt autem definitio formaliter ſumpta, & non obſective, id eſt pro actu, quo intellectus rem definit, dupliciter ſumi, vel pro ſola apprehenſione quidditatis rei per ſe ſumpta, quae importatur per genus, & differentiam, ut eſt *animal rationale* reſpectu hominis, vel etiam pro enunciatione, qua talis eſſentia affirmatur de homine, dicendo, quod *homo eſt animal rationale*: primo modo inſpecta attinet ad primam intellectus operationem, quia eſt oratio imperfecta, & diminuta ab omni affirmatione praecidens, & in hoc ſenſu locutus eſt Ariſt. 1. Poſt. cap. 10. & lib. 2. cap. 2. dum ait definitionem non eſſe enunciationem, ſeu affirmationem; ſed eſſe id, quod affirmatur dare, ſolumque percipi, & apprehendi, ut ibi docet Comment. at ſecundo modo inſpecta pro integra nimirum enunciatione includendo definitum, & copulam, ita plane ſpectat ad ſecundam, & in hoc ſenſu Ariſt. 1. Poſt. c. 2. & 7. lib. 2. cap. 10. ait definitionem eſſe propositionem, & eſſe unam ex praemiſſis in demonſtratione, & etiam interdum eſſe conſuſionem, ſi probetur nimirum, & inferatur ex aliis praemiſſis, quo caſu ſpectare etiam poterit ad tertiam operationem, & ita facile reſolvitur inutilis quaestio, quae ſolet de hac re controverti, tota namque difficultas pendet ex diverſo modo accipiendi definitionem: magis tamen proprie capitur primo modo, quia alio modo eſt potius enunciatio definitiva, quam pura definitio.

28 Demum quoad tertiam partem articuli, multiplicitas definitionis pendet ex multiplici modo explicandi eſſentiam rei, poſteſt autem per definitionem dupliciter explicari eſſentia rei, nimirum vel per partes eſſentiales, & principia intrinſeca rei, vel per proprias paſſiones, & accidentia extranea; prima dicitur definitio quid rei eſſentialis, & quidditativa, altera vero deſcriptiva, & accidentalis, ſed quia eſſentia rei explicari poſteſt, vel per partes eſſentiales phyſicas, ut dicendo, quod homo eſt compositum ex corpore, & anima rationali, vel per Metaphyſicas, ut homo eſt animal rationale, hinc definitio eſſentialis ſubdividitur in Phyſicam, & Metaphyſicam, & definitio eſſentialis phyſica appellari ſolet definitio cauſalis intrinſeca, eo nempe quia datur per cauſam materialem, & formalem, quae ſunt cauſae intrinſecae, quia manent in definito, ut patet de anima, & corpore reſpectu hominis, ut notat Tatar. cit. §. *ſecundo ſciendum*. Definitio autem deſcriptiva eſt, quando per extranea circumſcribitur eſſentia rei, ex Tat. ibi. §. *Quarto ſciendum*. Poſteſt vero eſſentia rei tripliciter per extranea inſinuari, & ſignificari; primo per proprias paſſiones, ut dicendo, quod homo eſt animal riſibile, & hic eſt frequens deſcribendi modus: ſecundo modo per cauſas extrinſecas efficientem, ſcilicet, & finalem, ut dicendo, quod homo eſt animal creatum a Deo propter beatitudinem, quae definitio dicitur cauſalis extrinſeca, eo quia datur per cauſas extrinſecas extra definitum manentes, de qua Ariſt. 2. Poſt. 44. ait eſſe orationem ſignificantem propter quid eſt; & ut talis definitio ſit bona, debent assignari in ea propria cauſae definiti, quia ſi eſſent communes, non poſſent converti cum ſuo definito; tertio modo explicari poſteſt, & circumſcribi per accidentia communia quidem, ſi ſeorſum ſumantur, ſed propria rei conjunctim ſumpta, ut ſi dicatur, quod *Homo eſt animal pulchrum, bipes, implume, habens caput erectum*, &c. haec enim, quamvis ſint accidentia aliis ab homine convenientia, ſi ſeorſum ſumantur, tamen conjuncta ſimul ſoli homini conveniunt, & haec definitio dici ſolet pure accidentalis, eo quia per accidentia communia assignatur, quae quamvis a pluribus Auſtoribus reiciantur; tamen ita explicata admitti debet, quia ſi ſervat leges bonae definitionis, ut advertunt Complur. cit. & docuit Aver. 2. Phyſ. text. 28. & 93.

29 Rurſus autem, ut notat Tat. q. 1. de genere §. 3. *ſciendum*, ex Scot. Prior. q. 5. & 4. d. 1. q. 2. & d. 12. q. 1. P. & alibi ſaepe, definitio eſſentialis, & quidditativa eſt duplex, quaedam eſt pure quidditativa, cujus omnes partes pertinent ad quidditatem definiti, ſicut iſta *homo eſt animal rationale*, ſic ſubſtantiae completae definiuntur, quia earum entitates ita abſolutae ſunt ab ordine ad aliud extrinſecum illis, ut ſine ulla tali habitudine poſſint perfecte concipi. Alia eſt quidditativa data per additamentum, quia nimirum ad perfectam notitiam rei pariendam additur aliquod extrinſecum in definitione, ad quod definitum dicitur ordinem ſaltem tranſcendentalem, ſic definitur accidens per ordinem ad ſubjectum ex 7. Met. 17. relatio per ordinem ad terminum, anima per ordinem ad corpus, cum enim ſint entitates non omnino completae, ſed eſſentialiter imperfectae, ut non ſolum quidditativae, ſed etiam quietative concipi poſſint, pendet ab aliquo extrinſeco; Unde quia huiusmodi definitio praeter genus, & differentiam, continet etiam aliquod extrinſecum definitio, ideo admitti debet praeter definitionem eſſentialem, & deſcriptivam alia definitio, quae quaſi mixta ſit eſſentialis, & deſcriptiva, & accidentalis.

In oppoſitum contra praedicta arguitur, Primo, quod non ſit poſſibilis aliquid rei definitio, nam ut urgebant Anthiſtencii praedicata, per quae res definitur, debentur & ipſa per alia

alia definiti, & rurſus haec per alia, unde tamen in infinitum abiretur. Accedit, quod non poſteſt cognofci quidditas, niſi cognofcatur ultima differentia, & haec cognofci non poſteſt, niſi cognofci infinitis rebus, a quibus per eam fecerintur. Conf. quia delinquimus (ait Picus) cum quid ſubſtantiale definituri adhibeamus ea, quae ſenſibus noſtris occurrunt, nam haec ſunt accidentia, at ſubſtantia non tam ſenſibus percipitur, quam ratione requiritur. Reſp. ad 1. negando aſſumptum, nam ut docet Ariſt. 8. Met. 7. in definiendo pervenimus ad ſuprema praedicata, quae ulterius per alia definiti non exigunt, & tales ſunt conceptus entis, & ultimae differentiae. Ad 2. negatur ſubſumptum, nam ut Scot. docet 2. Poſt. quaest. ult. ad cognofcendum tale diſcremen definiti a caeteris rebus non eſt neceſſe ſingulas in particulari perſtingere, ſed ſufficit illas cogitare in aliquo conceptu communi, ſaltem negativo, quatenus ſc. talem eſſentiam non participant. Ad 3. negatur aſſumptum, & ſi enim accidentia non valeant directe in notitiam ſubſtantiae nos ducere, valent tamen indirecte, & argutive, ut ſuo loco dicemus in lib. de Anim. unde extat dictum Ariſtotel. quod accidentia magnam partem conferunt ad cognofcendum quod quid eſt, vide Scot. 2. Poſt. quaest. 59.

30 Secundo obijctur contra definitionem allatam de ipſa definitione, & primo contra partes ejus; nam cum proprie ſpectet ad primam operationem, male dicitur *oratio*. Tum 2. quia una ſola vox poſteſt ſignificare totam rei eſſentiam, ut humanitas. Tum 3. cujuſlibet rei eſſentiam poſteſt unus conceptus adequatus per definitionem explicatus, ergo non eſt oratio neceſſario plures explicans; ſcilicet conceptu convenientiae, & differentiae. Tum 4. quia etiam diviſio eſt oratio explicans naturam rei per ſuas partes, in quam reſolvitur definitum. Ergo non bene ponitur illa particula loco differentiae.

Reſp. ad 1. quod definitio eſt oratio imperfecta, & diminuta, quae habet rationem unius termini complexi praedicabilis de definito, & ideo proprie ſpectat ad primam operationem. Ad 2. una vox poſteſt ſignificare totam eſſentiam indiſtincte, & conſuſe, ut in exemplo allato, & ideo cum definitio debeat explicare eſſentiam clare, & diſtincte, id facere debet pluribus vocibus diverſas eſſentiae partes ſignificantibus, rationem nimirum genericam, & differentialem. Ad 3. negatur conſeque. quia illemet conceptus adequatus integratur ex pluribus inadquatis, quorum unus eſt genericus, & communis, alter differentialis, & proprius, & uterque debet exprimi in definitione. Ad 4. quando etiam diviſio manifeſtaret eſſentiam, de quo qu. ſeq. adhuc tamen id non eſſicit eodem modo, ut patet ex dictis qu. 1. in fol. ad 3. & amplius patebit ex dicendis qu. ſeq. art. 1.

31 Tertio arguitur contra totam definitionem: Tum quia idem nequit eſſe definitio, & definitum, alioquin eſſet notius, & ignotius ſeipſo, nam definitio eſt notior definito, ergo definitio defini non poſteſt, quia eſſet ſimul definitio, & definitum. Tum etiam, quia ſicut actionis non eſt actio, quia abiretur in infinitum, ita neque definitionis eſt definitio. Tum 3. definitio dicitur ad convertentiam cum definito, haec autem tradita non dicitur ad convertentiam cum definitione, quia haec definitio tradita eſt quaedam ſingularis definitio, quae & ipſa continetur ſub definitione in communi, atque ideo cum ipſa converti non poſteſt. Demum ſi definitio definitur, utique per definitionem definitur, atque ita idem ſeipſum definit.

Reſp. ad 1. frequens eſſe in ſecundis intentionibus, quod una ſit formaliter talis, & ſimul alia denominative, ut inferius dicemus, ita genus formaliter eſt intentio generis, denominative vero eſt ſpecies univerſalis, intellectus enim per reflexionem poſteſt ſuper unam ſecundam intentionem aliam inducere, ſic igitur in propoſito, quamvis nequeat definitio eſſe ſimul definitio, & definitum formaliter, poſteſt tamen eſſe formaliter, & eſſentialiter definitio, & denominative definitum, quatenus comparatur ad ſuam definitionem. Ad 2. hic definitur definitio in actu ſignato, id eſt pro ſecunda intentione ſumpta, non autem in actu exercito; atque ideo non ſequitur proceſſus in infinitum, quia omnes definitiones in actu exercito continentur ſub ipſa definitione in actu ſignato, atque ita conſequenter etiam ipſius definitionis definitio exercita; nam & definitio definitionis eſt utique definitio quaedam, & definitio, quae traditur de definitione ipſa in actu ſignato, convenit illi. Ad 3. negatur minor, ad probationem, eſti definitio definitionis ſit ſingularis in eſſendo, eſt tamen univerſalis in repraeſentando, & ſignificando, quia haec ipſa definitio convenit omnibus definitionibus rerum in particulari. Ad 4. definitio in actu ſignato definitur per definitionem in actu exercito, ſeu definitio in communi definitur per ſeipſum, quia definitio in actu ſignato non eſt definitio in actu exercito, ſed definitur per eam.

32 Quarto tandem arguitur contra multipliciter definitionis, nam ſicut unius rei eſt unica eſſentia, ita & unica definitio, ergo male assignantur tot ſpecies definitionis, eſſentialis, & accidentalis, eſſentialis Phyſica, & Metaphyſica, non enim alia eſt eſſentia rei Phyſica, & alia Meta-

phyſica. Tum praefertim, ut arguit Blanc. lib. 5. inſt. ſec. 6. nulla eſt admittenda definitio pure accidentalis, & ratio a priori eſt, quia in omni definitione explicatur quid ſit definitum, non poſteſt autem explicari quid ſit res, quin in ipſa definitione ponatur aliquid intrinſecum definito, nam quae ſunt extrinſeca rei, & communia, niſi conjungantur cum aliquo intrinſeco ejusdem, non poſſunt verificari de illo ſolo, ſed caeteris etiam erunt communia. Tum demum, ut arguit idem, nulla etiam eſt admittenda definitio mixta, nam omnis definitio, aut traditur per intrinſeca tantum, aut per intrinſeca, & extrinſeca ſimul; ſi primum, erit tantum eſſentialis, ſi ſecundum, erit tantum accidentalis, ſicut compositum dicitur accidentale, licet pars materialis ejus ſit ſubſtantia, v.g. paries, & argumentatio conſtans ex una probabili, & altera neceſſaria, abſolute dicitur probabilis.

Reſp. utique unius rei non niſi unam definitionem poſſe assignari quantum ad rem explicatam, plures tamen assignari poſſe quantum ad modum explicandi, eadem enim eſſentia poſteſt per eſſentialia indicari, vel accidentalia circumſcribi, item vel per eſſentialia Phyſica, vel Metaphyſica, & hoc nullum eſt inconveniens. Ad 2. negatur minor, ad probationem accidentia extrinſeca, & communia, eſti ſeparatim ſumpta conveniant aliis, conjunctim tamen ſoli definito conveniunt. Ad 3. verum eſt non debere admitti definitionem mixtam, ut quandam tertiam ſpeciem ab illis duabus conſtitutam, nam abſolute loquendo omnis definitio aut eſſentialis eſt, aut accidentalis, & praefertim definitio data per additamentum computari debet inter eſſentiales, quia datur per genus, & differentiam, & quamvis aliquod extrinſecum in ea ponatur, non tamen attinet ad eam directe veluti pars intrinſeca definiti, ſed indirecte tantum, & connotative, veluti terminus, aut ſubjectum, aut aliud quid conſimile neceſſario requiſitum ad perfectam notitiam definiti, poſteſt tamen appellari definitio mixta, quatenus conſtat ex una parte eſſentiali, & altera accidentali.

ARTICULUS II.

De modo constituendi, & investigandi Definitionem.

33 Plurima tradidit Ariſt. tum. 6. Top. tum. 7. Met. Sum. 2. c. 13. de modo conſtituendi definitionem, ex quibus omnibus breviter colligitur, hunc eſſe modum bene conſtituendi definitionem, quod ſcilicet in ea ponatur ea praedicata, quae intrinſeca ſunt de ejus eſſentia, & ſi interdum iſta non ſufficiunt ad quietandum intellectum, addantur ulterius ea, ad quae res definienda dicitur ordinem quandam tranſcendentalem, & quaſi eſſentialem, ſine quibus perfecte, & quietative intelligi non poſſet, & ita definitur accidens per ſubjectum 7. Met. 17. relatio per terminum, actus per objectum, &c. Ratio autem, cur in definitionibus horum entium, & conſimilium adhibeatur ſemper aliquid extrinſecum, non eſt, quia id ſit praedicatum eſſentiale illorum, nec quia ordo, & reſpectus ad tale extrinſecum ſit de eſſentia eorum, aut ſaltem realiter idem, ut Recentiores putant, quia ut ait Doct. 4. d. 12. q. 1. in corp. in fol. ad 2. dub. identitas reſpectus ad fundamentum, vel non identitas non eſt ratio, quare terminus cadat in definitione fundamenti, ut additum, nec dependentia eſſentialis, & neceſſaria eſt cauſa, quod terminus dependentiae addatur in definitione fundamenti dependentis (ait Doct.) tunc enim Deus magis poneretur in definitione cujuſcumque creati, & ſimul alia denominative, ut inferius dicemus, ita genus formaliter eſt intentio generis, denominative vero eſt ſpecies univerſalis, intellectus enim per reflexionem poſteſt ſuper unam ſecundam intentionem aliam inducere, ſic igitur in propoſito, quamvis nequeat definitio eſſe ſimul definitio, & definitum formaliter, poſteſt tamen eſſe formaliter, & eſſentialiter definitio, & denominative definitum, quatenus comparatur ad ſuam definitionem. Ad 2. hic definitur definitio in actu ſignato, id eſt pro ſecunda intentione ſumpta, non autem in actu exercito; atque ideo non ſequitur proceſſus in infinitum, quia omnes definitiones in actu exercito continentur ſub ipſa definitione in actu ſignato, atque ita conſequenter etiam ipſius definitionis definitio exercita; nam & definitio definitionis eſt utique definitio quaedam, & definitio, quae traditur de definitione ipſa in actu ſignato, convenit illi. Ad 3. negatur minor, ad probationem, eſti definitio definitionis ſit ſingularis in eſſendo, eſt tamen univerſalis in repraeſentando, & ſignificando, quia haec ipſa definitio convenit omnibus definitionibus rerum in particulari. Ad 4. definitio in actu ſignato definitur per definitionem in actu exercito, ſeu definitio in communi definitur per ſeipſum, quia definitio in actu ſignato non eſt definitio in actu exercito, ſed definitur per eam.

34 Secundo, praedicata vero, quae directe ſpectant ad eſſentiam definiti, vel ſunt partes Phyſicae, vel gradus Metaphyſici; ſi primum, conſtituunt definitionem phyſicam, illamque component, non in recto poſita, ſed in obliquo, quia homo non dicitur anima, & corpus, ſed ex corpore, & anima conſtans; ſi ſunt gradus Metaphyſici, ponuntur in recto in definitione, & conſtituunt definitionem Metaphyſicam; poſteſt autem definitio Metaphyſica duobus modis conſtrui, ut docet Ariſt. 6. Met. 43. & Doct. ibid. uno modo ex genere primo generaliffimo, & omnibus differentis usque ad ultimam, & hoc eſt, quando genus proximum eſt innominatum, tunc enim circumloquimur ipſum per genus remotum, & differentias communes usque ad ultimam, & tunc genus remotum cum omnibus differentis praecedentibus, & communibus tenet locum generis proximi; ſecundo modo assignatur definitio ex genere proximo, & ultima differentia, & hoc quando proximum genus eſt nominatum, & ultima differentia eſt nobis nota; exemplum primi, ut ſi dicatur, quod homo eſt ſubſtantia corpo-

corporea, animata, sensibilis, rationalis, dato quod genus proximum ignoretur; exemplum secundi, ut si dicatur, quod homo est animal rationale, dato, quod animal sit genus proximum, & rationale sit ultima differentia, Ita Doct. l. c. & in 4. d. 11. q. 3. *S. Ad rationes*; ex quo patet, non bene definiti per summum genus solum, & infimam differentiam, quamvis autem prior definiendi modus sit magis magistralis, & exquisitus, posterior tamen est magis utilis, & expeditus, & quantum fieri potest, eo uti debemus; tum quia sic evitatur prolixitas, ut ait Ar. 1. Prior. sect. 3. c. 39. tum quia omnia necessaria continet, nam supponitur genus proximum esse cognitum explicite, idest quo ad omnes gradus superiores in ipso contentos, ut ex Ar. colligitur 2. Post. 21. unde non est exacta definitio, si daretur per genus proximum tantum confuse cognitum: sive autem utamur primo, sive secundo modo, omnia prædicata essentialia, quæ in tali definitione ponuntur, ut colligitur ex Ar. cit. 7. Met. 43. erunt genus, vel differentia, aut saltem se habebunt ad initer eorum, quod addimus, casu, quo prædicata transcendunt in definitione ponentur, quod tamen evitari debet, quantum fieri potest, nam termini transcendentes in definitionibus non bene sonant.

Hinc inferitur, non posse partes definitionis ad libitum utcumque disponi, sed prius genus debere poni, & differentiam deinde, ut insinuat Ar. 2. Post. tex. 19. & 21. & ratio est; quia tunc genus in differentiam transmutaretur, vel differentia inferior in superiorem, quia quod primo loco ponitur, censetur universalius, & per posterius contrahibile, unde non explicaretur res, ut est in se, si ordo inverteretur.

35 Tertio, quando autem res definitur per illa, ad quæ dicitur ordinem, non tamen secundum se inclusam in ipsa essentia rei, ait Averfa q. 4. sect. 4. quod deberent poni omnia, ad quæ res essentialiter dicitur ordinem, ut perfecta, & adequata esset definitio; sed ad brevem & expeditam definitionem sufficere, quod ponantur aliqua, donec formetur conceptus ita proprius definiti, ut soli ipsi, & non aliis conveniat; & ideo juxta hoc non oportere in definitione causali omnes rei causas apponere, nec in definitione per effectus omnes proprietates, eandem doctrinam habet Amictr. ult. q. 1. dub. 7. Sed si ordo ad hæc extrinsecus est de essentia rei definiendæ, ut isti concedunt, plane implicat assignari posse definitionem ejus ponendo aliqua tantum in definitione, & non potius omnia, ad quæ res illa essentialiter dicitur ordinem, ut enim rei definitio recte assignetur, omnia illius prædicata quidditativa debent in ea exprimi, ut ait Ar. 2. Post. 21. tales autem sunt isti respectus transcendentales in rebus ex opinione istorum, ergo omnes debeant in definitione exprimi, & si ita est, non videtur, quare omnia creata per additamentum defini non debeant, cum nulla res creata sit ab his respectibus absoluta, saltem enim omnia dicunt relationem transcendentalem ad Deum, ut ad primum efficiens, & plane si talis ordo exprimi debet in definitione, quia est de essentia rei, cum non magis sit de essentia ejus ordo ad hanc rem, quam ad aliam, non videtur posse assignari ratio, cur potius hæc causa, quam illa explicari debeat in definitione, cum ordo ad utramque sit essentialis rei. Porius ergo regula universalis erit, quam Doct. trad. loc. cit. 4. d. 12. q. 1. quod quando res definiendi habet per additamentum, etsi ad multa dicantur ordinem transcendentalem, non tamen illa omnia exprimi debent in definitione, quia nec identitas talis respectu ad fundamentum, nec dependentia essentialis fundamenti est causa, cur terminus hujusmodi respectus aut dependentiæ cadat in definitione fundamenti, & definitio: sed tantum illa, quæ necessaria videntur ad habendum perfectum, & quietativum conceptum rei, ita ut intellectus anxius ad ulteriora non maneat.

36 Quarto ex his deducuntur quatuor conditiones ad bonam definitionem requisitæ: prima, & principalis est, quod constet genere, & differentia, vel saltem aliquo supplente vicem generis, & differentia; quod additur ob definitionem accidentalem, in qua genus, & differentia proprie non reperitur, sed aliqualo loco illorum; definitio enim ut docet Scot. 7. Metaph. in text. 74. constare debet ex conceptu quidditativo, qui explicat essentiam quantum ad ea, in quibus cum aliis convenit, & tenet locum generis; & qualitativo, qui explicat essentiam quoad ea, per quæ ab eisdem secernitur, & tenet locum differentia. Ex hac deducitur secunda conditio, quæ est, ut convertatur cum definito, & e contra; si enim definitio continet totam essentiam definiti, consequens est, ut nulli alteri possit convenire, sed soli definito, ita ut de quocumque dicitur definitio, dicatur & definitum, ac e contra. Tertia conditio est, ut definitio sit clarior definito, cum enim adhibeamus definitionem ad manifestandum definitum, consequens est, ut definitio sit clarior, alioquin ignotum per aque ignotum manifestaretur: & cum totam essentiam manifestet per partes suas, necessario sequitur, quod sit clarior, & notior definito in ordine distincte cognoscendi, etsi in ordine confuse cognoscendi possit definitum esse notius definitione ex præm. Phys. tex. 5. Quarta demum conditio, quæ ex hac tertia sequitur, est, ut non sit diminuta, quia tunc non explicaret totam essentiam definiti, ut si dicere-

mus, quod homo est substantia rationalis, quia tunc intermedia genera omitterentur, neque superflua, ut si diceremus, quod homo est animal rationale bipes, quia tunc potius pareret confusionem, quam claritatem.

37 Quinto ex tertia conditione sequitur definitionem, & definitum differre non penes rem significatam, sed tantum penes modum significandi, quia quod definitum significat confuse, hoc ipsum significat definitio distincte 1. Phys. tex. 5. nam si definitio non explicaret idem, quod significat definitum, jam non esset definitio ejus, sed illius alterius, quod significaret. Hinc orta est contentio inter Thomistas, & Scotistas de distinctione definitionis a definito; illi siquidem asserunt non differre, nisi ratione, & secundum nostrum intelligendi modum, quia tota eorum diversitas non ex parte rei conceptæ, sed solum ex parte intellectus concipientis se tenet, ita Cajet. 1. Post. c. 3. & 1. p. q. 2. ar. 1. Averfa cit. Morian. disp. 11. Log. q. 5. & alii passim. Scotistæ contra tract. 2. Form. art. 2. contendunt differre etiam ex natura rei, eo quia seclusa quacumque intellectus operatione de ipsis contradictoria verificantur, nam definitio exprimit rem distincte, & definitum confuse, & quidem quæstio non est de definitione formali, capta nimirum pro actu intellectus apprehendente quidditatem rei, sed objectiva, quæ est res ipsa definita distincte representata intellectui per partes essentielles, & rursus non est contentio de definitione, & definito pro secunda intentione; sic enim certum est non posse inter ea versari, nisi distinctionem rationis, ut ait Tromb. ib. sed pro prima intentione, & pro denominato, quo sensu est præcise res ipsa definita distincte intellectui representata.

38 Scot. agit de hac re in 1. d. 2. q. 2. & quamvis ibi non explicet, qualis sit distinctio, quæ inter definitum, & definitionem reperitur, probat tamen ex professo, quod definitum, & definitio non sunt termini synonymi, sed diversi, & hoc sive accipiantur pro vocibus significantibus, sive pro conceptibus significatis; tum quia definitum importat conceptum objectivum rei confutum, definitio distinctum; tum quia alioqui in demonstratione essent tamen duo termini, quia in ea solum sunt definitum, sive subiectum, definitio, quod est medium, & passio demonstrata; & cum in eo demonstraretur passio de subiecto mediante subiecti definitione, ut risibilitas de homine mediante rationalitate, semper peteretur principium, quia probaretur idem per idem, ita probat Doctor alietatem horum terminorum, quam etiam concedunt ipsi Thomistæ. Tota igitur difficultas consistit in hoc, qualis distinctio ex hac alietate inferatur inter definitionem, & definitum; & in primis certum est non inferri tantum distinctionem rationis ratiocinantis, quæ tota se tenet ex parte intellectus concipientis, ut volebant Thomistæ, & præsertim Cajet. & Averfa cit. tum quia quando Petrus prædicatur de seipso, talis distinctio versatur inter Petrum a parte subiecti, & seipsum a parte prædicati positum, & tamen adhuc propositio est identica, ergo ad alietatem terminorum, ita quod propositio non sit identica, major distinctio requiritur, quam rationis ratiocinantis, quæ est mere facta per intellectum; tum quia Averfa q. 6. sec. 4. docet cum cæteris Thomistis, ut voces, & termini non dicantur synonymi diversos conceptus objectivos eis correspondere debere, quia synonyma sunt, quæ non solum significant eandem rem, sed etiam secundum eandem rationem, eundemque conceptum; ergo definitio, & definitum, cum non sint termini synonymi, differunt non tantum quoad voces significantes, sed etiam quoad conceptus significatos, atque ideo distinctio, quæ inter definitum, & definitionem reperitur, non se tenet præcise ex parte intellectus concipientis.

Sed neque ex alietate terminorum in propositione, aut syllogismo confestim inter eos inferre debemus distinctionem ex natura rei actualem, & omnino ab opere intellectus præcipientem, ut velle videbantur Scotistæ, quia ne propositio sit identica, sufficit, ut idem confuse, & inadæquate conceptum dicatur de ipso adæquate concepto, ut docet Bargius 1. d. 8. q. 2. in §. *Respondeo, quod quando*, & ita accidit universaliter, dum conceptus transcendentis, quibus nulla a parte rei correspondet adæquata realitas, enunciatur de suis inferioribus; & ne petatur principium, sufficit, ut per rem distincte cognitam probetur eidem confuse cognita aliud convenire, & ita accidit universaliter, dum de transcendentibus proprie ostenduntur passiones per eorum conceptus quidditativos; igitur ex alietate terminorum quoad conceptus objectivos importatos tam in propositione, quam in syllogismo sola inferri potest distinctio rationis ratiocinatæ, & materialiter solum, ac de per accidens potest major inferri, nimirum quia termini illi res diversas important, aut realitates; cum igitur Doct. l. c. aliud non probet de definitione, & definito, quam sola terminorum alietatem, illis rationibus non sufficienter ostenditur inter illa distinctio ex natura rei actualis.

39 Ut igitur distinctionem agnoscamus, quæ re vera inter definitionem, & definitum versatur, expendendum est Adversariorum fundamentum jam insinuatum, quod definitio, & definitum differunt solum secundum confuse concipi, & distincte concipi; cum ergo eadem prorsus sit res

explicata per nomen definiti, & definitionem, & sola diversitas se tenet ex parte modi concipientis confuse, vel distincte, plane tota distinctio se tenet ex parte intellectus concipientis, & nullo modo ex parte rei conceptæ, atque ita erit sola distinctio rationis ratiocinantis inter illa, & sola distinctio quoad voces significantes, non quoad conceptus objectivos. Verum pro intelligentia istius rei, & eversione istius fundamenti observandum est, quod confusio, & distinctio, seu claritas non modificat tantum actum cognitionis, seu conceptum formalem, sed etiam objectivum, idest ipsam rei cognoscibilitatem, quatenus intrinsece ipsa res cognoscibilis est hoc, vel illo modo, confuse per nomen definiti, distincte per definitionem, & hoc totum concedunt Thomistæ 1. p. in materia de visione beatifica, loquentes enim de comprehensione docent, illam esse cognitionem objecti comprehensivam, qua distincte, & clare attingitur objectum, quantum intelligibile est, distinctio & claritate se tenente ex parte cognoscibilitatis objecti, non autem cognitionis, quia v. gr. tam comprehendit formicam Angelus inferior quam superior, quamvis iste clarior, & distinctius eam attingat claritate se tenente ex parte intellectus cognoscentis. Stante igitur hac doctrina, quod confusio, & claritas cognitionis non tantum se tenet ex parte intellectus cognoscentis, sed etiam objecti cogniti, enervatur confestim fundamentum Averf. concedendo, quod utique eadem res per definitionem, & definitum declaratur, & significatur, & quod est sola diversitas in modo concipiendi eandem rem distincte, vel confuse; verum ista claritas, & confusio non se tenet tantum ex parte intellectus concipientis, sed etiam ex parte rei conceptæ, & ideo cum se tenet ex parte objecti, optime inquit Doctor, definitionem, & definitum esse diversos terminos, non solum quoad voces significantes, sed etiam quoad conceptus significatos, & objectivos, non quod diversas res explicant, sed quia explicant eandem diversis modis ex parte objecti se tenentibus. Unde hac ratione etiam cum Scotistis asseri potest, quod definitio, & definitum differunt ex natura rei actualiter, quatenus a parte rei idem prorsus objectum duplici modo ex natura rei est conceptibile, confuse scilicet per nomen definiti, & distincte per definitionem ipsam, & hi duo modi conceptibilitatis sunt in objecto abinvicem distincti ante omne opus intellectus; & qui de hac re plura desiderat, adeat P. Fabrum theor. 7. ubi satis eleganter hac de re disserit, a quo solutiones ad argum. Cajet. transcribere verbo ad verbum non erubuit Posnan. 1. d. 2. q. 1. art. 3.

40 Sexto tandem modum investigandi definitionem docuit Ar. 2. Post. c. 8. Plat. in Sophist. de quo late tractat Zabab. l. 3. de Method. fere per totum; Plato docuit investigare definitionem via divisionis sumendo prædicatum, quod est communis re definiendæ, & illud dividendo per differentias in species, deinde adjundero illi differentiam specificam, quæ si convertatur cum re definiendæ, erit definitio rei adinventæ, at si non convertatur, ulterius progrediendum est, donec oratio convertatur cum re definiendæ, quod quique exemplo sibi manifestare poterit, & in hoc sensu utilem esse divisionem ad inveniendam definitionem docet Scot. 1. d. 3. q. 2. N. Arist. vero utilior visa est via compositionis, unde e contra vult, quod primo sumantur inferiora rei definiendæ, deinde videatur adæquata ratio in qua ipsa conveniunt, & hæc erit definitio talis rei, ut si quis velit hominem definire, sumat Joannem, & Paulum, & videat prædicata, in quibus essentialiter conveniunt aliis seclusis, hæc enim prædicata singillatim expressa erunt hominis definitio. At brevior modus est, quem insinuat Calen. lib. 1. de sanit. tuenda, & l. 1. de differ. morb. ut refert Amic. cit. d. 4. & Doctor observasse videtur 4. d. 1. q. 2. investigandum definitionem Sacramenti. Primo igitur percipiendum est quid nominis illius rei, quam volumus definire, si enim hæc ignoretur, ad investigandam rei quidditatem omnia via præcluditur, ut etiam Aristot. fatetur 2. Post. deinde investigandum est, sub quo genere sit, quod facile apprehenditur ex proprietatibus generis, unde raro inest ignotum, demum investigare debemus, quænam differentiarum insit rei, & hoc fit, vel inductione, si differentia sensibilis sit in suis particularibus, vel per demonstrationem quæ, ut late docet Zabab. Consultatur Doct. l. c. & expendatur modus, quo utitur in investiganda definitione Sacramenti.

ARTICULUS III.

Quenam proprie definiendi possint.

41 Resolvit Scotus quæstum hoc ex professo in 4. d. 1. qu. 2. ubi docet ad hoc, ut aliquod definiendi possit propria, idest definitione essentiali, quinque conditiones necessarias esse, quas Scotistæ recipiunt passim, Tat. q. r. de genere, §. *tertio sciendum*, Fuent. cit. diff. 2. art. 1. Am. tr. ult. q. 2. Averfa l. c. & alii communiter, quamvis aliquas non recipiat Blanc. l. 5. inlit. sect. 7.

Prima conditio est, quod definibile sit ens positivum; & probatur, tum quia definitio proprie dicta est oratio verum esse significans 1. Top. c. 4. at non entia, privationes, &

negationes tale esse non habent; tum quia definitio essentialis explicat essentiam, & naturam rei, at essentia est entis essentia, non vero non entis, & ideo Arist. 1. Post. t. 7. ait non ens posse quidem habere definitionem quod nominis, non autem rei: quia tamen non entia, negationes, & privationes concipiuntur per modum entis, & habent suum genus, & speciem privativam, ut notat Doctor quol. 18. §. *ex isto sequatur*, ideo possunt defini sui modo assignando earum genus, & differentiam.

42 Secunda est, quod sit ens per se unum, sive unum sit unitate simplicitatis, quia caret partibus physicis, ut angelus, & albedo, sive unitate compositionis ex per se actu, & per se potentia, quale est compositum physicum; requiritur ergo, ut non sit aggregatum quoddam ex diversis naturis, quæ non sunt nata facere per se unum, nam omne tale est ens unum per accidens, ut homo albus, & acervus lapidum, simpliciter vero, & absolute sunt plura entia; atque ideo unica definitione explicari non potest; cum unan non importet naturam, sed plures; hinc Arist. 7. Met. 12. & 13. & 42. & 8. Met. text. 15. ait hujusmodi entia per accidens posse nominis definitione explicari, non autem definitione rei: ut autem melius intelligatur hæc per se unitas requisita ad definitum, videndi sunt quinque gradus unitatis, quos Scor. assignat 1. d. 2. q. 7. Hh. & quæ de hac re notavimus d. 5. Ph. q. 11. art. 1. Subdit tamen hic Doctor, quod ista per se unitas non impedit, quod definitum includat aliquid tanquam terminum per se dependentiæ suæ, ut accidens includit subiectum, vel sicut aliquid, quod simul est secum natura, ut relativum includit correlativum; ita quod licet in definitione accidentis cadat subiectum tanquam terminus dependentiæ ejus, & in definitione unius relativi ingrediatur suum correlativum, tanquam aliquid, quod est secum simul natura, non obstat, quo minus definitio accidentis, & relativi non sint quidditativa, sed prohibet, quod nihil includatur, tanquam per se pars in ipso, quod non se habet ad aliud in eodem, sicut per se actus ad per se potentiam, vel pars ejusdem actus, vel ejusdem potentia ad aliam partem, sicut contingit in toto per accidens; hæc Doct. loc. cit. quibus verbis docere voluit, accidentia debere defini definitione quidditativa, quam vocant per additamentum, quia habent defini per ordinem ad substantiam, quæ doctrina fuit Ar. 7. Met. text. 12. usque ad 20. ubi docet substantia dari definitionem simpliciter quidditativam, idest sine addito alterius naturæ, at accidentis esse definitionem quidditativam per additamentum, quia etiam si habeant proprium genus, & propriam differentiam, quantumcumque hæc explicatur in definitione, non quiescit intellectus, quousque attingat subiectum, cujus sunt accidentia, ut explicatum est initio præced. ar. ex Doct. 4. d. 12. q. 1.

43 Tertia conditio, quæ potest ad primam reduci, est, quod sit ens reale, & patet ex prima conditione, quia definitio explicat veram quidditatem, at entia rationis, & fictitia veram essentiam non habent, sed eam habere finguntur per intellectum, ut disp. 3. dicemus, ergo proprie defini non possunt, & fuit doctrina Av. 1. Post. com. 10. subdit tamen inferius Doctor, quod licet entia rationis non possint in hoc sensu proprie defini, quatenus nempe definitio exprimit veram essentiam extra animam, adhuc tamen in alio sensu dici possunt habere suo modo proprias definitiones, in quibus inveniatur genus, & differentia, & per quas explicetur conceptus in anima per se unus, & hoc modo definiuntur omnes intentiones logicales; & sic habere definitionem sufficit ad scientiam proprie dictam, alioquin logica non esset scientia.

44 Quarta est, quod habeat aliquam compositionem, per quam sit in plures conceptus resolvibile dicentes quid, & quale, unde quæ non habent nisi conceptum simpliciter simplicem, veluti sunt ens, & ultimæ differentia, proprie defini non possunt, sed solum aliquam explicationem admittunt, quæ suo vocabulo dici potest definitio; probant hanc conditionem Scot. ex Ar. 8. Met. c. 9. ubi ait, definitionem esse orationem longam experimentem quid, & quale, quia distincte, & per partes explicat, quod definitum implicite importat, ergo oportet, quod de definito possint plures conceptus formari, quidditativus nempe, per quem cum aliis convenit, & qualitativus, per quem ab aliis differt, & satis liquet hæc conditio ex ar. præced. ubi inter assignandum conditiones bonæ definitionis eam esse præcipuam dicebamus, quod constaret ex genere, & differentia seu conceptu quidditativo, & qualitativo.

Quinta demum, & ultima conditio est, quod sit res universalis, per quam excluduntur singularia, ita Ar. 2. Post. text. 2. 7. Met. 53. & 1. Met. text. 5. & probatur, quia definitio explicat quidditatem rei; at singularitas, seu differentia individualis, quamvis pertinet ad substantiam, & integritatem rei, non tamen pertinet ad quidditatem, ut docet Doct. 2. d. 2. quæst. 6. §. *per hoc patet*: tum quia quidditas est communicabilis, non autem singularitas: tum quia hac ratione dicitur species tota quidditas individuum, tum quia etiam ex communi modo loquendi per singularitatem potius explicatur de singulari aliquo quis sit, quam quid sit; tum tandem quia si singularitas adderet novum gradum essentia a specie distinctum, individu-

inter se essentialiter different. Ex his itaque concludit Doctor, quod definitio proprie dicta non est nisi entis positivi, per se unius, realis, compositi realiter, vel saltem quantum ad conceptus, & universalis.

45 In oppositum arguitur 1. contra tres priores conditiones, nam negatio habet distinctam formalitatem ab affirmatione, cui opponitur, ut docet Ant. And. 4. Met. qu. 2. & privationes habent sua genera & species, ex Scot. quol. 18. ergo proprie definiti possunt, atque ita prima conditio necessaria non est. Deinde ens per accidens est scibile, ut multi tenent, & Scot. ipse 6. Met. q. 2. ergo & proprie definibile. Nec valet dicere definiti non posse, quia directe plura entia importat: quia hoc tantum facit, ut una definitione non possit explicari, sed pluribus, cum quod stat, ut adhuc sit proprie definibile. Tandem in Logica definiuntur genus, species, & ceterae intentiones logicales. Nec respondere juvat definitiones illas exactas non esse, quia sicut Logica est vera, & proprie scientia, ita propriis utitur definitionibus, ergo secunda, & tertia conditiones necessariae non sunt.

Resp. ad 1. satis patere ex dictis in explicatione primae conditionis, quomodo negationes, privationes, & cetera non entia possint definiti, & quomodo proprie careant definitione quid rei, nam sicut proprie non sunt res, nec quid, ita proprie quid rei habere non possunt, sed tantum per analogiam de entia positiva. Ad 2. de assumpto differendum erit infra disp. de scient. pro nunc dicatur, quod sicut non est saltem ita proprie scibile, velut ens per se unum, sic etiam non est ita proprie definibile, & solutio inter arguendum allata est sufficiens; eo enim ipso, quod aliquid non est una definitione explicabile, confessum convincitur non esse proprie definibile, alioquin etiam aequivoce definiti posset, sed tantum explicari posse pluribus definitionibus, quas Ar. 6. Top. vocat complicatas definitiones, & sic explicare possumus, quid sit homo albus assignando definitiones hominis, & albedinis. Ad 3. patet ex dictis in explicatione tertiae conditionis non posse esse definitionem de secundis intentionibus eo modo, quo est ratio explicans verum quid extra animam, sed eo modo, quo exprimit unum conceptum per se in intellectu, sive conceptus ille sit rei extra, sive rationis, bene posse definiti, & hoc modo tantum, & non aliter definiuntur omnes intentiones logicales, & sic habere definitionem sufficit ad scientiam proprie dictam, ita Doct. l. c.

46 Secundo arguitur contra quartam, quia per definitionem explicatur quidditas rei; sed quidditas consistit in indivisibili 8. Met. tex. 11. ergo quarta conditio est impertinens. Tum etiam quia definitio fit per actum simplicem, pertinet enim ad primam operationem, sed quae intelligitur per actum simplicem, non habent partes. Tum tandem, quia Deus, & summa genera proprie definiuntur, & tamen non componuntur.

Resp. ad 1. quidditatem dici indivisibilem quoad intentionem, quatenus non suscipit magis, & minus, non autem ob carentiam compositionis realis, aut saltem quoad conceptus. Ad 2. negatur minor, nam sicut oculis simplici intuitu imaginem percipimus multis constantem membris, ita mente simplici intuitu possumus cognoscere quidditatem ex genere, & differentia constantem, eo vel maxime quia multiplicitas illa partium non tollit unitatem, ut probat Ar. 7. Met. 42. & 8. Met. 15. Ad 3. ait & Amic. sequitur Averfa, illa proprie non definiti duplici de causa, & quia non sunt composita, & quia definitum debet esse sub genere, quam doctrinam inquit esse Boet. l. de divis. & Ammon. in Porph. q. 4. idem docet S. Th. 7. Met. lect. 3. Sed arbitramur, Deum, & summa genera posse proprie definiti, quia etsi non sint composita ex genere, & differentia, adhuc tamen simpliciter simplicia non sunt, sed resolvable in ultiores conceptus, quidditativum, & qualitativum; definitio autem quidditativa non debet necessario constare ex genere, & differentia, sed vel ex his, vel ex proportionalibus, ut docet Ar. 9. Met. text. 2. idem tenet Blanc. cit. & quidem Doctor per illam quartam conditionem solum excludit ea, quae habent conceptum simpliciter simplicem, qualia sunt transcendentia, differentiae ultimae, & etiam propriae passionis, ut explicat Tat. cit. qui proinde advertit, duplicem esse definitionem pure quidditativam; quaedam est cujus omnes partes pertinent ad quidditatem definiti, sed non ut genus, & differentia, ut definitiones generum generalissimorum, quae dantur per ens & modum intrinsecum ipsorum; alia est, quae datur per genus, & differentiam, & de illa communiter dicitur, quod sola species definitur capiendo speciem tam per speciem generalissimam, quam subalterna; itaque Deus, & genera summa proprie definiuntur, nam sunt composita saltem quoad conceptus, & solum excluduntur per hanc particulam transcendentia, & ultimae differentiae, quae solum definiuntur proportionaliter, ut ait Aristot. cit. 9. Met. 2. & Doct. in eum text.

47 Tertio objicitur contra quintam, quia individua habent proprias rationes individuales, ergo definiti possunt explicata natura specifica, & addita tali differentia. Conf. quia illa definiti possunt definitione essentiali, quae habent plures conceptus intrinsecos, quorum alter sit principium

conveniendi, alter distinguendi, at individua sunt hujusmodi, ergo &c. Nec valet dicere (ait Blanc.) quod ponitur in definitione essentiali debere esse aliquid spectans ad essentiam definiti, qualis non est differentia individualis. Non valet, quia sufficit, quod definitio essentialis consistat ex gradibus essentialibus, aut substantialibus, cum omnes sunt intrinseci rei definitae, & in proposito licet differentia individualis non sit de essentia individui, est tamen de integritate substantiae ipsius, & consequenter est gradus intrinsecus rei, quod sufficit, ut possit intrare definitionem essentialem. Tum 3. quia Arist. 2. Post. 22. ait facilius esse definire singulare, quam universale, & de facto Porph. c. de specie definit individuum, & cap. de subit. definitur prima substantia. Tum tandem quia definitio speciei convenit individuo, ergo potest definiti.

48 Resp. ad 1. ea ratione, ut notat Marg. Scot. 2. d. 2. quaest. 6. Bonetum in Met. asseruisse singulare posse proprie definiti, quod etiam sensisse videtur Ant. And. 7. Met. quaest. 7. & sequitur Arriag. disput. 3. Summul. n. 7. ubi hac eadem ratione ait, individuum posse ex se definiti, per accidens tamen pro hoc statu a nobis non posse, quia non cognoscimus differentias individuales. Sed cum Doct. modo cit. in fol. ad 3. & eodem Ant. And. 7. Met. quaest. 13. ad 2. princip. dicendum est, quod etsi aliqua ratio possit exprimere, quicquid concernit ad entitatem individui, non tamen illa ratio erit perfecta definitio, quia non exprimit quod quid erat esse, at definitio sciendum Aristoteli. 1. Top. cap. 4. est oratio exprimens quicquid est rei. Ad 2. sufficiens est solutio inter arguendum data, quam frustra conatur Blanc. evterere, dum ex proprio capite fingit ad definitionem essentialem sufficere, ut conceptus eam intrantes sint gradus intrinseci, & substantialia, non autem essentialia; quia oppositum constat ex ipso nomine definitionis essentialis, nam talis dicitur, quia gradus, ex quibus constat, omnes sunt essentialia rei definitae, & alioqui partes etiam integrales ingredi possent definitionem essentialem hominis, quia sunt de integritate substantiae ejus. Ad 3. Aristoteli. ibi per singulare intelligit minus universale, ut ex ipso contextu colligitur, quod quomodo intelligendum sit, suo loco expendemus; Porphyrius vero definit figuram per secundam intentionem, & in actu signato, non autem pro denominato, & in actu exercito, idest definit singularitatem ipsam in communi, quae ut sic induit modum speciei, & sic etiam definitur prima substantia, ut magis ibi explicabitur. Ad 4. imo, ex hoc concludit Doctor. cit. individuum, ut sic, ratione sui non posse definiti, quia individua non habent aliam definitionem essentialem a definitione speciei; hinc distingui solet duplex definitum, aliud propinquum, & immediatum, & est natura communis, quae immediate per definitionem explicatur; aliud remotum, & mediatum, quod scilicet remote explicatur, quatenus continetur in propinquo, & sunt individua.

Q U E S T I O V.

De Divisione.

49 Non defuerunt, qui solam divisionem generis in species dixerunt esse instrumentum logicum, & proinde hanc solam divisionem totius universalis in suas partes subjectivas per se ad logicam pertinere, ita refert Zab. l. 3. de Meth. cap. 6. & videtur tenuisse Ant. And. in lib. divis. Boetii. At praxis Dialecticorum modo est in oppositum; nam hic in logica de divisione agentes, ex professo omnes modos divisionis declarant, tam totius universalis, quam essentialis, & integralis, imo recentent etiam modos divisionis per accidens, & de omnibus proprias regulas assignant. Nec plane absque ratione, quia sicut in definitione duo solemus distinguere, materiam, & formam, & quamvis quantum ad materiam possit ad Physicam spectare, vel Metaphysicam juxta diversitatem materiae, ex qua conficitur, forma tamen, & modus eam conficiendi ad Logicam spectat, ita divisio Physica, vel Metaphysica, etiam quantum ad materiam ad hanc, vel illam attineat facultatem, quantum tamen ad formam, & modum eam recte conficiendi spectat ad logicam, quae tradit leges, & praecipua omnibus divisionibus communia; igitur & nos omnes divisionis modos attingemus, quos recipere potest, unde hic modus dividendi multum deservire solet in disputationibus ad indagandam propositionum veritatem: Divisio rei est, quae res in suas partes secernitur, & quae totum divisibile est multiplex, ita etiam divisio rei; Totum itaque aliud est per se, quod nimirum constat partibus per se unitis, & non aliquo vinculo mere accidentaliter, aliud per accidens, cujus partes mere per accidens adunatae sunt, & sic in primis duplex est divisio, alia per se, quae nimirum manifestat multipliciter partium per se unitarum, alia per accidens, quae e contra explicatur. Totum autem per se duplex est ex Scot. 2. d. 3. q. 4. aliud potentiale, seu universale, & est illud, quod dividitur in partes subjectivas praedicando de qualibet illarum, aliud actuale, & est illud, quod actu continet partes, ex quibus componitur, nec est praedicabile de qualibet illarum, ita etiam duplex est divisio, alia potentialis correspondens primo toti, & est,

Quaest. V. De Divisione quid sit, & quotuplex. Art. I. 93

in Metaphysica deinde rursus per nostris evolvenda, nam non solum in rebus physicis, verum etiam in logicis ipsis tradendis nil frequentius utitur, quam distinctionum variis generibus, ut plane mirum sit, quare Auctores omnes de rerum distinctionibus in Logica aut parum, aut nihil profus tractent; prius igitur agemus de Divisione, postmodum de multiplici rerum distinctione.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid, & quotuplex sit Divisio, & quae leges.

50 Divisio est oratio totum in suas partes distribuens, idest, est oratio distribuendo manifestans multipliciter, seu confusionem totius; dicitur oratio, ut intelligatur non pertinere ad dialecticam divisionem quocumque modo factam, sed tantum mentalem, & vocalem, quando scilicet mente dividimus hominem in animal, & rationale, aut in animam, & corpus, vel ore has eadem partes exprimus, ponitur loco generis, unde per orationem hic intelligitur illa, quae est modus sciendi, id enim indicat particula illa distribuens, quae idem sonat, ac distribuendo manifestans, potest autem accipi tam per orationem perfectam, quam imperfectam, quia sensu coincidunt cum termino complexo, & ratio est, quia in exercenda ipsa divisione intervenit operatio prima intellectus, apprehensio nimirum totius, & partium, & potest ipsa divisio in propositione categorica per modum termini complexi, habere rationem praedicati, sicut ipsa definitio, ut cum dicimus, animal aut est rationale, aut irrationale, sed praecipue sumi debet per orationem perfectam, sicut divisio fit ab intellectu, & praecipue exercetur per secundam operationem, tunc enim cum omni proprietate dicitur intellectus dividere, quando affirmat totius hanc, & illam esse partes, quod si intellectus talem divisionem inferret ex aliis praemissis, tunc actus dividendi ad tertiam operationem spectaret.

51 Additur *ly distribuens in suas partes*, loco differentiae, per hoc enim divisio a definitione distinguitur, & argumentatione, ut notat Ant. And. l. 6. divis. Boet. §. Circa istam lectionem, quod definitio explicat quid res sit, seu rei quidditatem, argumentatio qualis res sit, idest rei proprietatem, & qualitatem, divisio vero quanta res sit, seu quantitatem, idest quantum sua continentia se extendit per partes; unde quamvis divisio explicando partes consequenter manifestet essentiam rei realiter, non tamen explicat illam formaliter, ut essentia est, ut facit definitio, sed solum explicat multipliciter in tali essentia existentem, & hoc est, quod supra dicebamus, definitionem explicare essentiam conjungendo partes, & componendo totum, divisionem vero disjungendo, quare divisio directe, & per se ordinatur ad explicandam confusionem, seu multipliciter partium totius, non autem ipsum totum, vel ejus quidditatem, & demum definitio respicit totum categorematice, divisio syncategematice solum, quorum terminorum explicationem videas apud Scot. 4. d. 2. q. 1. A. ex qua doctrina facile solvi possunt, quaecumque contra hanc communem sententiam obiciuntur. Hic disp. 10. Log. sect. 6. & Arriag. disp. 3. sum. num. 13. non distinguunt divisionem a definitione, nisi in toto potenciali, ubi id omnino negari non potest. Ex his colligitur in omni divisione dari totum, quod per ipsam dividitur, & appellatur divivum, & dari partes, in quas dividitur, & dicuntur membra dividentia; ubi notandum est, non oportere ad efficiendam divisionem semper intervenire veram rationem totius, & partium, sed quandoque fieri per imitationem quandam totius, & partium; ut contingit in divisione, qua subjectum in sua accidentia dividitur, nam nec subjectum est vere totum in ordine ad accidentia, nec accidentia partes in ordine ad subjectum, sed quia accidentia cum subjecto faciunt unum per accidens ad imitationem veri totius, ideo hoc sufficit ad efficiendam divisionem saltem per accidens, ut mox explicabitur magis.

52 Secundo, duplex est divisio, alia nominis, alia rei. Divisio nominis est illa, quae vox in suas distribuitur significationes, ut quando dicimus hanc vocem *Canis* varias habere significationes: per hanc vero divisionem non tantum distribuuntur termini simplices in varias significationes, verum etiam oratio integra in varios sensus, quos recipere potest, unde hic modus dividendi multum deservire solet in disputationibus ad indagandam propositionum veritatem: Divisio rei est, quae res in suas partes secernitur, & quae totum divisibile est multiplex, ita etiam divisio rei; Totum itaque aliud est per se, quod nimirum constat partibus per se unitis, & non aliquo vinculo mere accidentaliter, aliud per accidens, cujus partes mere per accidens adunatae sunt, & sic in primis duplex est divisio, alia per se, quae nimirum manifestat multipliciter partium per se unitarum, alia per accidens, quae e contra explicatur. Totum autem per se duplex est ex Scot. 2. d. 3. q. 4. aliud potentiale, seu universale, & est illud, quod dividitur in partes subjectivas praedicando de qualibet illarum, aliud actuale, & est illud, quod actu continet partes, ex quibus componitur, nec est praedicabile de qualibet illarum, ita etiam duplex est divisio, alia potentialis correspondens primo toti, & est,

qua universale dividitur in partes, quas sub se, & in potentia continet, ut est divisio generis in species, & speciei in individua, & ad hanc reducitur divisio generis per differentias, nam illas quoque dicitur genus in potentia continere, licet non ut partes subjectivas, quia in eis non includitur, nec praedicatur, unde proprie non dicitur genus dividi in differentias, sed per differentias; alia est divisio actualis, alteri toti correspondens, & est, quae tale totum dividitur in partes, quibus actu constat, & componitur.

Rursus totum actuale dividitur in essentialia, & integrale: essentialia illud est, cujus singulae partes spectant ad essentiam rei, quae si fuerint physicae, constituunt totum essentialia physicum, si metaphysicae, constituunt metaphysicum: integrale vero est, cujus partes singulae, etsi non spectent ad essentiam rei, pertinent tamen ad integritatem rei materialis, unde solum in materialibus reperuntur, quae si fuerint similes, & ejusdem rationis, ut guttae aquae in Oceano constituunt totum, quod dicitur homogenum, si fuerint dissimiles, & alterius rationis, ut brachium, & caput in homine constituunt totum, quod dicitur heterogenum; sic igitur divisio actualis, alia erit essentialis, quae totum dividitur in partes, quarum singulae sunt de essentia divisi, quae si fuerint physicae, ut corpus, & anima respectu hominis, erit essentialis Physica, si Metaphysica, ut animalitas, & rationalitas, erit essentialis Metaphysica, alia erit integralis, quae totum materiale dividitur in partes, ipsum integrantes, quae juxta variam naturam partium integranium geminanda erit.

53 Ex parte vero totius per accidens adhuc triplex divisio solet assignari; Una est subjecti in accidentia, ut cum dividitur homo in album, & nigrum, homo enim, qui dividitur, est subjectum albedinis, & nigredinis, quae illi accidunt, & ad hanc pertinet divisio vocis in suas significationes supra allata, significatio enim est accidens vocis, & eadem vox veluti subjectum plures interdum habet significationes. Altera e converso est accidentis in subjecta, ut quando dividitur album in lac, & liliam, quibus veluti subjectis inest albedo divisa. Alia demum assignari solet divisio accidentis in accidentia, ut cum dulce dividitur in album, ut est lac, & flavum, quale est mel, re tamen vera hac divisio non est a ceteris distincta, nam si divisum est de essentia membrorum dividendum, ut cum dividitur coloratum in album, & nigrum, tunc pertinet haec divisio ad divisionem totius universalis, & est generis in species, est enim, ac si dicatur, colorum alter est albedo, nigredo alter; si vero divisum non est de essentia membrorum dividendum, ut est in allata divisione dulcis in flavum, & album, tunc pertinet ad divisionem subjecti in accidentia, quia dulce, quod est divisum: non sumitur pro forma dulcedinis, sed pro subjecto ipso dulci, cui accidit esse album, vel flavum.

54 Tertio multa solent afferri leges bonae divisionis, sed praecipuae, ad quas alia reducuntur, duae sunt, vel tres ad summum. Una est, quae singula membra dividentia sint inferiora, idest minoris diviso, & ratio est evidens, quia omne totum est majus sua parte; omnia vero simul sumpta totum divisum adaequant, ac exhaustant, & ratio est, quia in toto praesertim syncategematice sumpto, ut a divisione attingitur, non est aliud, quam omnes suae partes simul. Nec valet; si dicas, hominem bene dividi Metaphysice, in animal, & rationale, in qua divisione constat alterum membrum dividens, nempe animal, totum divisum excedere, scilicet hominem: Nam quamvis animal in ratione totius potentialis excedat hominem, tamen ratione partis actualis metaphysicae exceditur ab homine, & in hoc sensu est membrum dividens in allata divisione. Altera regula est, ut membra dividentia habeant aliquam inter se oppositionem, idest sint ita inter se distincta re, vel ratione, ut non coincident in eo sensu, quo sunt membra dividentia, aut unum non includatur in alio.

55 Sed hic moveri solet difficultas, an divisio tradi possit per membra solum privative opposita, aut contradictorie, ut v. g. an ista divisio sit bona, animal aliud homo, aliud non homo; Affirmant aliqui, quos sequitur Joan. de S. Thom. p. p. Log. q. 4. art. 3. & probat; quia fieri potest divisio penes terminos privativos, ut si dicatur, homo, alius videns, alius caecus, aer alius tenebrosus, alius lucidus, ergo etiam fieri potest per terminos negativos, quia privatio de formali negatio quaedam est; constat etiam ex usu communiter hanc divisionem ab omnibus admitti, animal aliud rationale, aliud irrationale, & tamen irrationale est negativum, seu privativum respectu rationalis. Complut. vero praeb. de modis sciendi concedunt dari posse divisionem per unum membrum positivum, & aliud privativum, non tamen mere negativum, unde in ea divisione, qua animal dividitur in rationale, & irrationale inquitur, *ly irrationale* non esse intelligendum pure negative, sic enim non solum convenit brutis, sed etiam plantis, & elementis, & aliis, quae continentur sub animali, haec enim omnia non sunt rationalia, quod tamen est contra primam regulam, juxta quam unum membrum dividens non potest extendi ultra divisum; ut ergo bona sit divisio, debet membrum negativum sumi privative; idest pro carentia alterius membri positivi, non ubicunque, sed in tali subjecto, idest

contento intra sphaeram totius divisi, & sic irrationalitas in praefata divisione hoc modo sumpta significat carentiam rationalitatis, non in quocumque subiecto, sed in apto, nato, idest intra genus animalis.

56 Ant. And. cit. de divisione generis in species praecipue loquens negat fieri posse per privative, aut contradictorie opposita praefata, & probat, quia genus dividitur in species per differentias, species autem aliquid ponit, & per consequens differentia, quae constituit intrinsece speciem, negativum autem non potest esse de intrinseca constitutione positivum; quae ratio etiam in aliis per se divisionibus militare videtur, nam in his totum, quod dividitur, aliquid positivum est, & cum dividatur per suas partes, plane divisio non poterit fieri per solam negationem, aut privationem, quia nec privatio, nec negatio totum positivum constituitur possunt. Addit tamen, quod quia differentia rerum communiter sunt nobis ignota, species etiam non semper propriis nominibus nuncupantur, hinc est, quod circumloquimur eas per aliqua vocabula, quibus quandoque addimus particulam privativam, vel negativam, & nunc divisio generis dicitur fieri per contradictoria, & privative opposita, tum per negationem, aut privationem positam in divisione circumloquimur, & intelligimus aliquid positivum, speciem, vel differentiam, & in hoc sensu etiam Cassilius concedit dari posse divisionem per terminos negativos lib. 1. tr. 3. c. 2. atque ita concludendum est dari posse divisionem per terminos privativos, vel negativos, non tamen mere negative, aut privative reos, & in hoc sensu animal dividitur per irrationale, quod nobis circumloquitur differentiam brutalem; verum tamen concedendum est, divisionem per accidens tradi posse per terminos negativos, aut privativos negative, vel privative se habentes, idque solum probant exempla supra allata a Joan. de S. Thom. negat homo alius est videns, alius caecus; aer, alius est lucidus, alius tenebrosus, nam istae, & similes divisiones attinent ad divisionem subiecti in accidentia, nam habitus, & privatio accidunt sub subiecto, circa quod immediate se habent.

57 Solet etiam addi alia conditio, quod divisio tradatur per proxima membra, quantum fieri potest, & sit bimembrius si est possibile, ne multitudo membrorum pareat confusionem. Verum hac regula non semper est necessaria, imo quando aliquid genus distribuitur per species plures ex aequo, & immediate subiectas, poterit divisio per tot membra tradi, quot sunt species immediate subiectae, sic bonum bene dividitur in honestum, utile, & delectabile, si autem species non ita se habeant, juyabit utique conficere divisionem bimembrem, ita ut membra sint duo, vel pauciora, quantum fieri potest, quae deinde in alia inferiora distribuuntur, sic substantia non bene divideretur in lignum, lapidem, & angelum, sed prius dividi debet in corpoream, & incorpoream, corporea in sentientem, & non sentientem, &c. adhuc tamen non erit absolute necessarium, nam si omnes species substantiae, vel alterius generis essent alicui notae, posset illas immediate enumerare absque erroris nota non illo ordine servato, & adhuc illa divisio esset bona, quia esset manifestativa multipliciter totius divisi, ut notant Complut. cit.

58 Quarto tandem, ut de utilitate divisionis aliqua tangeamus, jam diximus q. 4. art. 2. in fine valde utilem esse ad definitionem indagandam, quod praeter Platonem ibi cit. docuit etiam Boer. lib. divis. & Ant. And. ibidem, cuius ratio est, quia omnis bona definitio datur per genus, & differentias, sed differentiae habentur per divisionem generis, cum per differentias dividitur, sic etiam dividendo genus colliguntur omnes differentiae necessariae ad definitionem speciei; Quando autem Arist. 2. Post. text. 4. probat, quod via divisiva non est utilis ad investigandum quod quid est, idest definitionem, quia committitur petitio principii, inquit Ant. And. dupliciter intelligi posse viam divisivam ad definitionem valere, uno modo per modum syllogizandi, alio modo colligendi, & componendi differentias cum genere, primo modo negatur ab Arist. propter petitionem principii; ut si velimus probare animal rationale esse definitionem hominis; sic vel animal rationale est definitio hominis, vel animal irrationale, sed non est definitio hominis animal irrationale, ergo est animal rationale. hic petitur in minori, quod debet probari, quod si probatur, utique non potest probari per modum divisivum, sed alia via; at alio modo, scilicet per modum colligendi differentias, valet utique via divisiva ad definitionem, neque id negat Arist. 2. Post. Sed dices definitio est prior divisione, quia antequam aliquid dividatur, oportet scire per definitionem, utrum sit univocum, vel equivocum, ergo ad illam investigandam non valet. Resp. Ant. Andr. ibidem, quod divisio praesupponens definitionem sui divisi est utique posterior illa, nec valet ad illam investigandam, sed valet ad aliam posteriorem, ut v. g. divisio animalis non valet ad definitionem animalis, quae praesupponitur, sed ad definitionem hominis, quae quaeritur, & duplici ratione juyat ex Arist. 2. Post. text. 19. com. 74. & 75. primo enim juyat, ut recte disponantur partes definitionis, cum enim duae sint, scilicet, genus, & differentia, divisio facit, ut praeparantur, quod est communius, deinde juyat, ut nihil praetermittatur eorum, quae praedicantur in quid, quia colligit omnes, & singulas differentias, quae de specie praedicantur in quid.

Est utilis etiam divisio ad totam aliquam scientiam, ut notat Amic. tract. ult. q. 5. dub. 4. nam juyat ad disponendas partes scientiae, ut patet ex progressu Arist. in Physica, nam cum de corpore naturali vellet agere, prius de eo tractat in universali in octo lib. Phys. tum dividit illud i. Coeli ab initio in simplex, & mixtum, atque de simplici prius egit in lib. de Coelo, mixtum autem, cum dividatur in imperfectum, & perfectum, in homogeneum, & heterogeneum, homogenea in lapides, & metalla, heterogenea in plantas, & animalia, & horum species, ut legitur i. Meteor. c. 1. agit deinceps de his omnibus hoc eodem ordine.

ARTICULUS II.

Quid, & quotuplex sit distinctio.

59 IN primis de formalitate ipsa distinctionis est difficultas, in quo, scilicet, formaliter consistat, an importet aliquid positivum, vel potius in sola consistat negatione, & remotione identitatis; Pasqualig. in Metaph. p. 2. disp. 47. sect. 1. tener identitate quid positivum praefere, unde postea sect. 2. subdit distinctionem consistere formaliter in ablatione talis positivum per identitatem importati, sequitur Jo. de S. Thom. p. 2. log. q. 2. art. 3. & alii Recentiores passim; Mauritius noster e contra in Epitom. formalit. dicere videtur, quod distinctio formaliter consistit in aliquo positivo, nimirum in alicetate, seu diversitate extremorum, identitas vero in negatione talis alicetatis, sequuntur alii formalistae, & Achillius l. 1. de distinct. cap. 26. art. 3. Sed cum hic sermo sit de distinctione, & identitate in tota sua amplitudine, ut nimirum sub se comprehendit tam realem, quam rationis, tam positivam, quam negativam, vanum est laborare, ut inquiramus aliquam rationem communem univocam distinctionis, aut identitatis sic complexae, quia nulla talis datur; quare cum distinctio, & identitas in tanta communitate sit aliquid equivocum, sufficit assignare quid nominis explicando formalitatem distinctionis per negationem, aut carentiam identitatis, & e contra identitatem per negationem distinctionis, seu alicetatis.

60 Quantum vero ad numerum distinctionum: veteres Thomistae duo tantum identitatem, & distinctionem genera posuerunt, primum genus continet distinctionem, & identitatem realem, quae est a parte rei ante opus intellectus, & convenit iis, quae vel important res diversas, vel sunt una, atque eadem res: alterum genus est identitas, & distinctio rationis, quae habet esse per intellectum, & tunc contingit, cum eadem res in se ipsa cum distinctione ab intellectu concipitur. Hoc autem genus distinctionis subdividunt in eam, quae est sine ullo fundamento ex parte obiecti, ut cum idem distinguitur a seipso, & vocant distinctionem rationis ratiocinantis, & in eam, quae sit cum fundamento ex parte obiecti, quo modo distinguunt gradus essentialis metaphysicos, & vocant distinctionem rationis ratiocinatam, & parum, vel nihil ab hac sententia distant Nominales.

Recentiores vero Thomistae, qui & Neoterici, seu Neutrales dicuntur, praeter distinctionem realem, & rationis, addunt tertium genus distinctionis, quam appellant modalem, eo quia non versatur inter rem, & rem, sed inter rem, & modum ejusdem rei, nam praeter res in rerum natura dantur circumstantiae quaedam earundem rerum afficientes illas, & ultimo determinantes, ut est sessio respectu sedentis, figura respectu quantitatis, qui modi in seipsis proprie non sunt entia; vel res, sed potius rerum circumstantiae, quarum virtute sic, vel sic se habent; explicant autem ita hoc genus distinctionis, ut solum inter ea versetur, quae sic ex natura rei, & praeter opus intellectus distinguuntur, ut non utrumque ipsorum, sed alterum tantum possit separatim existere, nimirum res sine modo, non e contra, ut sedens sine sessione, quantitas sine hac, vel illa figura, extrema sine unione, non e contra, quia essentia modi ita sita est in actuali modificatione, ut nec per divinam potentiam fieri possit, ut modus existat separatus a re modificata, & hac de causa nolunt hanc distinctionem, etiam si ex natura rei, & praeter opus intellectus, appellare realem, quia distinctio realis proprie versatur inter rem, & rem, quarum una vicissim sine alia potest existere saltem per potentiam Dei absolutam; atque ideo ita statuunt hanc distinctionem, ut sit membrum immediate dividens distinctionem, ut sic, ut bene notavit Pasqualig. cit. disp. 51. sect. 1. num. 3. non vero quod sit membrum distinctionis realis, & hanc sententiam docuerunt Fons. 5. Met. c. 4. q. 6. sect. 2. Suar. in Met. disp. 7. sect. 1. a. num. 15. quos caeteri Neoterici passim sequuntur.

61 Scotistae antiquiores, qui Formalistae nuncupati sunt, septem assignarunt distinctionum genera, scilicet, distinctionem rationis, ex natura rei, formalem, realem, essentialem, se totis subiective, & se totis objective, quas singulas breviter explicatas videre licet apud P. Fabrum in suo brevi tractatu Formalit. cap. 7. ita docuerunt unanimiter Ant. Sirex. qui propterea Magister Formalit. est appellatus, Trombet. Mauric. Vallon. Doduct. in suis tract. Formalit. Licher. in 2. d. 1. q. 4. Zerb. in qu. de pluralitate distinctio.

tionum, & passim alii antiquiores nostrae Scholae. Verum alii Scotistae tor genera distinctionum inficiantur, tribus tantummodo contenti, ad quas omnes alias reducunt, nempe reali, rationis, & formalis media inter utramque, quae minor est illa, quia non versatur inter rem, & rem, sed inter plures ejusdem rei formalitates, & major ista, quia inter illas reperitur citra quodcumque opus intellectus; & hoc genere distinctionis fecerunt volunt inter se gradus Metaphysicos in creatis, ut animalitatem, & rationalitatem in homine, & attributa in divinis, ut justitiam, & misericordiam in Deo, ac universaliter subiectum, & propriam passionem, ita Tatar. q. ult. praedicab. dub. 2. Burlifer. & Bonet. in suis tract. formalit. & sequuntur Recentiores omnes Scotistae Faber cit. Vulpes in summ. to. 1. p. 1. disp. 8. art. 5. & 6. tom. 3. disp. 59. art. 3. Smising. 1. p. tr. 2. disp. 1. n. 58. Meurisse in Met. lib. 2. cap. 3. 4. p. q. 4. & ita ponunt hanc distinctionem mediam, ut sit membrum immediate dividens distinctionem in genere, ut sic.

62 Dicendum est pro totali resolutione istius materiae duo esse prima genera distinctionum, & identitatum, nempe ex natura rei, seu praeter opus intellectus, & rationis, seu per opus intellectus, & haec rursus subdividi in varias species iuxta variam rerum, vel realitatum unitatem, vel pluralitatem, in quibus fundantur, ita Scotistae quamplures Rad. 1. p. contr. 4. Nolan. in Pinach. quaest. 1. Conclusio hac probatur ex regulis bonae divisionis jam assignatis in praeced. art. quia cum aliquod commune in inferiora dividitur, debent ea assignari, quae immediate se habent ad rationem communem, nam si unum membrum assignaretur, quod immediate divideret rationem communem, aliud vero, quod non immediate divideret, confusa nimis, ac inordinata profus evaderet divisio, nam infinita pene membra possent assignari sic dividenda, ergo in assignandis generibus distinctionum illa primo debent assignari, quae immediate dividant distinctionem, ut sic, seu in communi sumptam, sed talia sunt membra jam assignata, ergo &c. Probatur minor, membra, quae dividunt immediate ens in tota sua amplitudine, sunt ens reale, & rationis, capiendo ens reale pro omni eo, quod est extra nihil, nam impossibile est, aliquam rationem entis excogitari, quae non dicat, aut ens reale, aliquid nimirum habens esse independentem ab intellectu, aut ens rationis, aliquid nimirum habens esse dependentem ab intellectu; cum igitur identitas, & distinctio sequantur ordinem, & rationem entis, cujus assignantur veluti passiones disjunctae, conceptus communissimus identitatis, & distinctionis per assignata membra debet primo, & immediate dividi. Conf. tunc recte assignatur divisio alicujus communis, cum membra primo dividenda ita se habent ad rationem communem, ut sub ipsis contineantur alia inferiora, sive genera, sive species, ita quod membra dividenda simul sumpta aequae pateant, ac ipsum commune divisum, ut patet ex eodem art. praeced. ergo in assignandis distinctionum, & identitatum generibus illa primo assignare debemus, quae sub se omnes alias continent immediate, vel mediate, sed ita se habent membra jam assignata, nam omnes identitates, vel distinctiones assignabiles ad illa reducuntur, ergo &c. probatur minor assignando sub illis generibus totam seriem identitatum, & distinctionum.

63 Distinctio itaque ex natura rei, seu praeter opus intellectus, ut ex Scoto colligitur 1. d. 2. q. 7. §. Sed hic refut. & d. 8. q. 4. §. Ad quaestionem, & 2. d. 1. q. 5. §. Ad quaestionem istam, & d. 3. q. 1. & alibi saepe; subdividitur in distinctionem ex natura rei realem, & in distinctionem ex natura rei formalem, ratio est, quia ut docet Arist. 5. Met. tex. 18. identitas proxime fundatur super unitatem, distinctio supra multitudinem, seu pluralitatem, ergo tot modis distinctio ex parte rei dicitur, quot modis dicitur pluralitas, & multitudo, sed pluralitas a parte rei, ut notat Doctor. 1. d. 13. q. un. & 4. d. 46. q. 3. in sol. ad 1. duplex est, altera rerum, & dicitur pluralitas simpliciter: altera realitatum, seu formalitatum, & dicitur pluralitas secundum quid, ergo &c. declaratur subillata minor; per Rem, quae multiplicata facit pluralitatem simpliciter, & est nata fundare realem distinctionem, non tantum venit intelligendum id, quod per se primo, & immediate existit, vel sic existere potest, ut multi Formalistae velle videntur, sed omne id quod per veram efficientiam, & physicam causalitatem accipit esse, sive solitarie existere possit, sive non, & ita se habent omnes physicae entitates, omnes nimirum substantiae, sive completae, sive incompletae, ut materia, & forma, omnia item accidentia, sive absoluta, sive respectiva, haec enim omnia vere sunt entia in recto propriam essentiam, & existentiam habentia, etsi non omnia solitarie existere nata, ut patet de relationibus, quod solum indicat ea habere exitum existentiam, & existentiam alterius dependentem, non vero carere profus existentia; ac proinde omnia isthaec sunt idonea fundamenta distinctionis realis; & nata facere pluralitatem simpliciter, quia sunt verae res, & vera entia physica per veram causalitatem physicam a causis suis producta in sensu explicato in Phys. disp. 7. q. 2. Per Realitatem vero, quae multiplicata solum nata est facere pluralitatem secundum quid, & fundare distinctionem ex natura rei formalem, intelligitur id, quod est aliquid rei praefato

sensu explicata, non quocumque modo, sed per identitatem realem (qua ratione dici solet aliquiditas) sive perfectam, ut est identitas attributorum in Deo, quae habetur ratione infinitatis extremorum, sive imperfectam, ut est identitas graduum metaphysicorum in creatis, quae habetur precise ex unione eorum in tertio, ut docet Doctor 1. d. 8. q. 4. atque ita per realitatem omne id intelligendum venit, quod per se non recipit esse a sua proxima causa per verum influxum physicum, sed per simplicem dimanationem metaphysicam, quo sensu ait Doctor 1. d. 3. q. 7. S. & 2. d. 25. C. passionem emanare a subiecto, & 2. d. 16. qu. un. potentias ab anima, & universaliter emanant realitates, seu gradus metaphysici a rebus physicis, ut animalitas, & rationalitas a corpore, & anima,

Explicatur distinctio Realis.

64 Distinctio igitur ex natura rei Realis est, quae reperitur inter rem, & rem praefato modo explicatam, quam explicuit Doct. 2. d. 1. q. 5. §. Contra istam opinionem, & §. Ad quaestionem lit. M. sed exactius 2. d. 2. q. 2. A. & B. ubi tale tradit regulam dignoscendi distinctionem realem, ea realiter distinguuntur, quorum unum vel est, vel esse potest separatim ab alio, vel saltem talia sunt, quae sic adinvicem se habent sicut illa, quae sunt separata, vel separabilia: quod separatio actualis sit figurum sufficiens distinctionis realis, fatentur omnes, & est de se evidens, id autem intelligi debet, etiam si quae separata sunt, unum abque alio vicissim existere non possent, sola enim illa actualis separatio sufficit, & hac ratione relativa, ut pater, & filius, distinguuntur realiter, etiam si unum sine alio existere non contingat: separatio item potentialis sufficiens est ad inferendam distinctionem realem inter illa, quae ita sunt separabilia, nam omne ens est unum, ac per consequens indivisibile a seipso, & inseparabile, quare eo ipso, quod aliqua sunt separabilia, jam non unum ens, sed duo entia realiter distincta censeri debent. Nec est necesse ad distinctionem realem inferendam, quod separabilitas ista sit mutua, ita, scilicet, ut hoc sine illo, & e contra vicissim existere possit, ut contendunt Recentiores, nam ad distinctionem realem cum omni proprietate sufficit, quod alterum extremorum existere possit sine altero, etsi non e contra, & impossibilitas ex parte unius extremi existendi sine alio solum infert, quod dici nequeat mutuo separabilia cum retentione propriae existentiae; & quamvis unio, sessio, & aliae hujusmodi entitates modales dici non possint res, vel entitas, sumendo rem pro eo, quod per se, & immediate saltem per Dei potentiam existere potest, tamen dici possunt res, & ens eo modo, quo hoc in decem praedicamenta descendit, & saltem, ait Scotus 2. d. 1. q. 5. §. Quod si adhuc, licet modus non sit ita res, sicut illa, cujus est modus, non tamen nulla res est, sicut nec nullum ens, quia tunc nihil esset, quod etiam reperit quol. 3. ab initio, unde concludit, hanc esse contentionem de nomine, quia iuxta varias acceptiones entitatis, & rei potest hujusmodi distinctio vocari realis, & modalis; Hoc tamen certum est, quod respiciendo naturam distinctionis in se, & non denominationem a modo desumptam, debet potius dici realis, quia non ex hoc, quod subiectum existere potest sine modo, non e contra, statim inferri debet, quod hac distinctio non sit realis, sed modalis, quia Deus, & creatura vere distinguuntur realiter, & tamen nulla alia inter ea versatur distinctio, nisi haec, quod Deus existere potest sine creatura, non e contra. Nec valet, quod ajunt quidam, distinctionem, quae est inter Deum, & creaturam non posse dici modalem, quia creatura non est modus Dei, nec illum afficit in ratione modi. Non valet, imo potius ex hoc confirmatur, quod respiciendo naturam hujus distinctionis in se realis potius dici debet absolute loquendo, & solum poterit appellari modalis, quando res, quae sine alia existere nequit, bene tamen e contra, est modus illius, & eam afficit in ratione modi. Nos tamen praesertim hanc distinctionem debemus appellare realem, & non modalem, quia distinctio modalis apud nos consuevit accipi pro ea, quae versatur inter rem, & modum intrinsecum ejus, ut inter essentiam, & existentiam, non autem inter rem, & modum ejus extrinsecum, & accidentalem, qualis est hic, de quo Recentiores loquuntur.

65 Separatio tandem proportionalis sufficit etiam ipsa ad inferendam realem distinctionem, haec autem proportionalis separatio inter ea versatur, ut notat Doctor cit. quae, etsi sint abinvicem inseparabilia, haec tamen inseparabilitas non provenit ab intrinseco, sed mere ab extrinseco, quod impletur in 2. d. 1. q. 4. §. Ad quaestionem, explicat exemplo motus Coeli, quia secundum Arist. contra dictio est Coelum esse sine motu, non quidem ex causa intrinseca in Coelo, quia est receptivum motus, & indifferens ad quietem, sicut ad motum, sed ex causa extrinseca per veram causalitatem physicam a causis suis producta in sensu explicato in Phys. disp. 7. q. 2. Per Realitatem vero, quae multiplicata solum nata est facere pluralitatem secundum quid, & fundare distinctionem ex natura rei formalem, intelligitur id, quod est aliquid rei praefato

tialem, hæc enim contradictoria predicata necessario inferunt distinctionem realem, ut Scot. 2. declarat. 2. d. 25. q. un. §. *Ad primum*, quia relationes producentis, & producti repugnant in eadem persona, relationes, quæ dicuntur dependentiam essentiali, ut causæ ad causatum, repugnant non solum in eadem persona, sed etiam natura, unde hac ratione, quamvis personæ divinæ sint ab intrinseco inseparabiles propter unitatem essentia, adhuc tamen realiter distinguuntur, quia una est producens, & altera producta, ut docet D. Aug. 1. de Trin. cap. 1. quamvis totum sit a partibus inseparabile, item ab intrinseco, quia tamen ad eas dependentia dicit essentiali, ut causari ad causas intrinsecas, hac de causa adhuc ab eis realiter est distinctum, ut Scotus docet 3. d. 2. q. 2. Itaque concludamus separationem extremorum actualem, vel potentialem, vel saltem proportionalem singulas distinctum sumptas esse sufficientes signum realis distinctionis, & omnes conjunctum sumptas esse signum adæquatum.

66 Hinc facile deducitur, quid sit identitas realis, nam e contra illa erunt eadem realiter, quæ nec separata sunt, nec possunt separari, nec proportionem correspondent his, quæ sunt separabilia, ita quod unicum, & adæquatum signum identitatis realis sit inseparabilitas aliquorum tam actualis, quam potentialis, & proportionalis, quali inseparabilitate solum potiuntur ea, quorum unum non est sine alio, nec esse potest ab intrinseco, nec se habent ut producens, & productum, vel causa, & causatum, ita ut unum essentialiter ab alio dependeat, quia hæc inferunt separationem proportionalem, id est talia inferunt contradictoria in his, quæ ita se habent, scilicet ut producens, & productum, causa, & causatum, qualia nata sunt verificari de his, quæ sunt separata, vel separabilia, servata proportionem; ex quo patet, male Recentiores omnes assignare veluti sufficientes, & adæquatum signum realis distinctionis separationem in esse actualem, vel potentialem, & identitatis realis in separationem actualem, & potentialem.

67 Deinde distinctio realis jam explicata subdividi solet in negativam, & positivam, & hæc rursus in accidentalem, & essentiali; negativam est, quæ versatur inter ens, & non ens, ut inter materiam, & privationem, vel inter duo non entia, ut inter duas privationes, de qua Scot. 3. d. 8. quæst. unic. quol. 18. unde quia proprie non est inter rem, & rem, dicitur distinctio realis imperfecta; positiva est, quæ versatur inter duo entia realia, quorum unum realiter non est aliud; realis essentialis est, quæ oritur inter duo ex principiis eorum essentialibus, & ita distinguuntur res, quæ extant sub diversis generibus, vel speciebus, quia hæc habent essentias, & naturas alterius rationis; quam distinctionem vocat Doct. 1. dist. 2. quæst. 7. FF. distinctionem realem naturarum, ex quo patet, distinctionem essentiali reduci ad realem, quia non est, nisi distinctio realis naturarum, ut bene notavit Tatar. loc. cit. natura enim, & essentia idem sunt; distinctio vero realis accidentalis est, quæ per principia accidentalia causatur, quomodo homo albus a nigro distinguitur, & ad hanc reduci potest distinctio numerica individuum, quatenus principium individuationis, unde oritur, est perineat ad substantiam individui, est tamen extra essentiam ejus, ut dictum est quæst. præced. art. 3. quæ tamen distinctio potiori vocabulo solet materialis appellari, quatenus differentia individualis, quæ est ejus principium, dicitur materia totius, ut Scot. docet 2. quæst. 3. quæst. 6. & ab eodem loc. cit. 1. distinct. 2. q. 7. optime appellatur distinctio realis suppositorum. Denique ad distinctionem realem reducantur etiam illam, quæ versari solet inter totum, & singulas partes singillatim sumptas, quam vocant distinctionem includentis ab incluso, quomodo totum corpus distinguitur a capite, quia includit illud, & adhuc alias partes. Verum quia non solum datur totum Phisicum, sed Metaphysicum, etiam & logicum, poterit hæc distinctio includentis, & incluso ad varia genera distinctionum pertinere pro qualitate eorum.

68 Meurisse loc. c. concl. 3. dividit distinctionem realem in mutuum, & non mutuum, & rursus utramque in actualem, potentialem, & virtuaalem; mutuum autem est, quæ distinguuntur ea, quæ esse possunt mutuo sine se invicem: non mutuum, quæ unum existere potest sine alio, non e contra, & sic ait distingui rem, & modum ejus: actualem autem esse, quæ distinguuntur actu separata: potentialem, quæ distinguuntur separabilia; virtuaalem, quæ distinguuntur ea, quæ se habent ad modum separabilium. Verum tota hæc doctrina falsa est, quia implicat unum esse realiter distinctum ab alio, & quod vice versa hoc non sit realiter distinctum ab illo, ergo in hoc sensu omnis distinctio realis est mutua. Quod autem aliqua duo extrema sint ita realiter distincta, ut unum possit existere separatum ab alio non e contra, non facit, quod inter ea non sit realis distinctio mutua, sed solum quod non sit mutua separabilitas, multum autem differt aliqua duo non esse mutuo realiter distincta, & non esse mutuo realiter separabilia. Rursus ex hoc, quod Doctor in 2. distinct. 2. quæst. 2. docet distinctionem realem inter aliqua duo concludi ex eorum separationem, vel actualem, potentiali, vel saltem

proportionali, male subdividit Meurisse distinctionem realem in actualem, potentialem, & virtuaalem, seu proportionalem: tum quia Scotus ibi expresse loquitur de distinctione reali actuali, cujus sufficiens, & adæquatum signum inquit esse separationem, vel actualem, vel potentialem, vel proportionalem; tum quia non pari passu currunt distinctio realis, & separatio, ita ut eodem modo fecerit in actualem & potentialem, & quod si separatio inter aliqua duo sit actualis, inferat distinctionem actualem, si potentialis, potentialem tantum, & si virtualis, virtuaalem, quia clarissimum est, separationem potentialem tantum inferre inter sic separabilia distinctionem realem actualem, sic partes totius essentialis, & integralis, eo quia sunt abinvicem separabiles, censentur actu realiter distinctæ, quia earum unio non excludit distinctionem actualem earundem, sed tantum separationem, & divisionem actualem: sic etiam motus Cœli, & ipsum Cœlum, quæ sunt secundum Philosophum inseparabilia, proportionem tamen correspondent his, quæ possunt separari, sunt realiter actu distincta, ergo separatio potentialis, & virtualis semper inferunt distinctionem realem actualem, & non tantum potentialem, vel virtuaalem inter ea, quæ sic sunt separabilia.

69 Sed contra allatam doctrinam de distinctione reali moveri solet difficultas de toto, & partibus, quod utique (loquendo de essentiali) realiter distinguitur a partibus etiam simul unitis ex Scot. 3. d. 2. quæst. 2. & d. 22. q. un. constat autem nec totum existere posse sine partibus simul junctis; nec vice versa partes simul junctas absque toto; constat etiam nec ista esse separata abinvicem, nec separabilia, nec se habere ad modum separabilium; nec tandem unum esse proprie producens, & aliud productum, ergo doctrina allata de distinctione reali est insufficientis. Hæc difficultas ardua adeo visa est Meurisse loc. cit. ut ea coactus ausus sit negare famosam sententiam Scotistarum de distinctione reali totius a partibus, ait enim falsum esse de mente Doctoris totum distingui realiter a partibus unitis, cum enim in 1. dist. 1. quæst. 4. & in 2. dist. 1. quæst. 5. & alibi passim doceat, omne prius naturaliter posse esse sine suo posteriori absque contradictione, si non sit ei eidem, sequeretur partes unitas posse esse sine toto, quia sunt priores eo naturaliter, cum igitur unitæ sine eo esse nequeant, fit, ut sint ei realiter idem, quod expresse ait docuisse 1. Phis. quæst. 9. ubi discrete docet totum, & partes unitas esse idem realiter: quare subdit deceptos omnes esse, qui hæcenus existimaverunt de mente Scoti totum distingui realiter a partibus unitis, ex eo forte quia in 3. dist. 2. quæst. 2. permixtum probat distinctionem totius, tum a partibus unitis, tum divisis, nam quando probat totum esse aliam entitatem a partibus unitis, intendit solum inter ea inducere distinctionem formalem, ita quod in sententia Doctoris totum distinguatur a partibus unitis formaliter solum, seu ex natura rei, non quidem formaliter conceptibiliter, seu metaphysice, quo genere distinctionis distinguuntur gradus metaphysici, sed formaliter enitative, seu phisice, quomodo distinguuntur gradus phisici inseparabiles, quod expresse colligi arbitrat ex quibusdam verbis Doctoris in 3. dist. 22. quæst. unic. contra Magistrum in fol. ad arg. opinionis adversæ, ubi concludit, quod *quomvis totum non sit sine unione partium, tamen unio illa, vel relatio non est formalis vario illius totius*, quibus verbis indicat solum inter partes unitas, & totum non esse identitatem formalem.

70 Verum quantum distet hic Scotista a germana Scoti sententia, & veritate, constat ex dictis in Phis. disput. 5. quæst. 13. art. 1. ubi ex professo de hac re differimus, nam in 3. dist. 2. quæst. 2. quarta præsertim ratione efficaciter demonstrat distinctionem realem inter totum, & partes unitas, quia sic unitæ vere causant totum, & nihil realiter causat seipsum, nam inter causam, & effectum universaliter intercedit semper realis distinctio, ut ostendimus in Phis. disput. 8. quæst. 2. art. 1. Et in 3. dist. 22. quæst. unic. §. *quantum ergo*, ait entia materialia composita habere causalitatem intrinsecam per causas inexistentes materiam, scilicet, & formam, quas, statim ait, esse realiter distinctas a tali composito, ut ibi est videre; falsum ergo est ex eo loco solum colligi distinctionem formalem; & plane non videmus quomodo ex verbis illis a Meurisse adductis deducatur totum in Scoti sententia a partibus unitis solum formaliter distingui. Accedit, quod frustra præter distinctionem formalem, quæ proprie versatur solum inter formalitates metaphysicas, fingit aliud genus distinctionis formalis phisicæ, ut eam astruat inter totum, & partes unitas, nam in Scholam præsertim Scotistarum hucusque talis distinctio formalis ingressum non habuit. Quod vero expresse docuerit Doctor 1. Phis. quæst. 9. identitatem totius cum partibus unitis, nos parum urget, quia opus illud Scoticum non est, cum passim multa contineat dissona a Scoti doctrina in Metaph. & lib. sent. sed est Marfilii Inguen Nominalis, cujus scriptum se comperisse in quadam vetusta Bibliotheca Venetis testatur Roccus in Phis. in epist. ad Lectorem, & idem ingenue faretur P. Lucas Wan-

Wandungus, cum genuina Doctoris opera recenfer, & nobis cretenus dixit, ex quo factum est, ut in Phis. illic pseudoscotica philosophia nec verbum quidem unquam fecerimus. Quod tandem ait, hinc sequi partes unitas posse esse sine toto, quia in sententia Doctoris omne prius naturaliter potest separari a posteriori, si non sit ei realiter idem; quod si sit inseparabile, id arguere realem identitatem cum posteriori, ut patet de subjecto, & passione. Hoc etiam parum urget, jam enim supradictum est ex Scot. 2. d. 1. quæst. 5. N. & dist. 2. quæst. 2. A. id verum esse, quotiescumque repugnantia separationis ab intrinseco veniat, & non ab extrinseco, ut est in proposito, quod enim partes unitæ esse nequeant sine toto, provenit ab extrinseco, nempe ex earum unione, quæ illis accidit, & quæ supposita nequeunt non causare totum, non autem talis necessitas provenit ex absoluta earum entitate, ut notavit Licher. 2. d. 12. quæst. 2. in fol. ad instantias Cajet. contra maximam Scoti *Omne absolutum, prius alio*, &c. sed fufius hanc difficultatem pertractamus in Phis. loc. cit. in fol. ad 3. prin.

71 Rectius ergo dicendum est in hac re P. Meurisse fuisse deceptum, & non omnes alios Scotistas, ut ipse parum humiliter dixit, & ad argumentum ex dictis occurrendum est, quod licet totum, & partes unitæ, nec sint separata, nec separabilia, proportionem tamen correspondent iis, quæ separari queunt, ut supra explicatum est; & quamvis non se habeant proprie, ut producens, & productum, quia hoc spectat ad genus causæ efficientis, & se habent tamen ut causa, & causatum in genere causæ materialis, & formalis, quod sufficit ad inferendam realem distinctionem, quia inter causam, & effectum in quocumque genere causæ realis, & phisicæ realem intercedere distinctionem semper est necesse, ut fufe probamus in Phis. loco jam cit. disp. 8. q. 2. art. 11.

Distinctio formalis declaratur.

72 **D**istinctio ex natura rei formalis, quæ erit alterum membrum distinctionis ex natura rei, ut a distinctione rationis, & facta per intellectum fecerunt, est illa, quæ versatur inter plures ejusdem rei formalitates, quæ nimirum in eadem phisica entitate radicantur, & identificantur; est autem formalis ratio objectiva, & secundum se conceptibilis, unde illa dicuntur distingui ex natura rei formaliter, quæ habent & aliam formalitatem, seu rationem conceptibilem, ita ut utrumque definiendo non erit idem adæquate conceptus objectivus utriusque, ita explicant distinctionem formalem Scotistas quamplures Tat. Bonet. Burlif. Fab. Meurisse loc. c. unde e contra illa erunt eadem ex natura rei formaliter, quæ eandem habent formalitatem, & eandem rationem conceptibilem. Verum, ut docet Scotus cit. 1. d. 2. quæst. 7. §. *Sed hinc restat*, duplex reperitur distinctio ex natura rei formalis, actualis nimirum, & virtualis: actualis est, quæ versatur inter plures formalitates in eadem re phisica actu, & non virtute tantum existentes, quæ proinde a parte rei citra quodcumque opus intellectus habent diversas rationes conceptibiles, sic distinguuntur ex natura rei formaliter actualiter diversæ potentia in eadem anima radicate, diversi gradus Metaphysici in homine, & diversa attributa in Deo ex Scot. 1. d. 8. q. 4. §. *Ad questionem*, quia nimirum hæc omnia sunt diversæ perfectiones formaliter, & actu in Deo existentes, & non virtualiter tantum, unde & eorum distinctio actualis esse debet. Virtualis vero est, quæ versatur inter plures ejusdem rei formalitates, non actu, sed virtute tantum in ea contentas, quatenus eadem simplicissima res, vel realitas ob sui eminentiam æquivaleret pluribus realitatibus, unde occasionem præbet intellectui formandi plures conceptus inadæquatos objectivos ex eodem objecto adæquato, quibus actualiter distinctas facit formalitates illas, quæ solum erant virtualiter distinctæ ante opus intellectus inadæquate concipientis, qua ratione solet hæc distinctio appellari rationis ratiocinatæ, quatenus solum per opus intellectus sit actualis, cum antea solum esset virtualis: ita dicemus in Sole solum ex natura rei virtualiter distingui virtutem calefactivam, & desiccativam, quia nimirum hujusmodi virtutes non actu continentur in Sole secundum suum esse formale, sed virtualiter tantum, & eminentialiter, quatenus Sol per unam, & simplicissimam virtutem eminentioris ordinis æquivaleret illis duabus, ex quo intellectus occasionem sumit distinguendi has virtutes in Sole, cum tamen a parte rei unica sit, & simplicissima. Ex quo patet falsum esse, quod Recentiores passim Scoto tribuunt, quod scilicet, nullam distinctionem formalem virtuaalem agnoverit, sed omnem distinctionem cum fundamento in re actualem posuerit, nam loc. cit. eam expresse admittit, & etiam §. *Ad questionem*, ut mox dicemus explicando distinctionem rationis ratiocinatæ, quæ cum formali virtuali coincidit.

73 Sed Thomistæ, & alii Neoterici communiter negant distinctionem formalem actualem, & solum virtua-

lem admittunt, quam etiam alio nomine vocant distinctionem rationis ratiocinatæ; distinctionem vero ex natura rei actualem volunt semper esse realem, & cum ea profus coincidere, unde Pasqualig. disp. 50. sect. 2. ait, hæc esse communem sententiam extrinsecam Scholam Scotistarum; sed præter distinctionem ex natura rei realem, & ex natura rei virtuaalem, debere etiam admitti distinctionem formalem actualem, minorem illa, quia non est inter rem, & rem, majorem ista, quia est actualis, & in esse distinctionis nullo modo ab intellectu dependet, probatur evidenter; quia multoties plures perfectiones in inferioribus dispersæ reperiuntur in aliqua re superiori ob ejus eminentiam unitæ realiter, ubi in inferioribus erant realiter distinctæ, & quia secundum se sunt perfectiones simpliciter, manent adhuc in ea re secundum suas proprias formalitates, unde continentur in ea formaliter, & non virtualiter tantum, aut eminenter, ergo perfectiones hujusmodi, ut sic contentæ in ea re superioris ordinis, nequeunt distingui realiter, quia continentur in ea per identitatem realem, neque solum virtualiter, quia non existunt ibi virtute tantum, sed actu secundum proprium esse formale cujuscumque: assumptum patet, quia ita continentur attributa in Deo, justitia, misericordia &c. ubi enim in nobis sunt perfectiones accidentariæ realiter abinvicem distinctæ, in Deo realiter adunantur, & quia sunt ex se perfectiones simpliciter, extant in eo formaliter, & non virtualiter tantum; sic etiam vegetativa, & sensitiva continentur in homine, quia ubi in brutis, & plantis sunt formæ realiter distinctæ, adunantur in homine in unicam formam, quæ est ordinis superioris, scilicet, in anima rationali; sed quia anima rationalis est forma, qua homo non solum intelligit, sed sentit, & vegetat, & informat non solum quatenus rationalis, sed etiam quatenus sensitiva, & vegetativa, hinc dicimus sensitivam, & vegetativam in homine adhuc retinere proprium esse formale, quod per earum definitionem explicatur, etsi non retineant proprium esse reale.

74 Respondere solent Adversarii concedendo hujusmodi formalitates actuales ex natura rei reperiri in eadem re, actu enim reperitur in Deo formalitas justitiæ, & misericordiæ, actu reperiuntur in homine animalitas, & rationalitas, sed negant reperiri actu distinctas; non enim bene (ajunt ipsi) ex actuali earum existentia in eadem re deducitur actualis earum distinctio ex natura rei. Sed hæc responsio, quam semper habent in promptu, efficaciter refellitur, quia distinctio formalitatum ejusdem rei fundatur in eo modo, quo ibi sunt, & reperiuntur, ergo si ibi sunt ex natura rei actualiter, eodem etiam modo erunt ibi distinctæ; probatur assumptum, quia quo res est, eo formalissime est una unitate proportionata suæ entitati, ergo formalissime est indistincta a se, & distincta ab omni alio secundum formalitatem unitatis. Accedit ex supradictis ex Arist. 5. Met. 18. identitatem fundari supra unitatem, distinctionem supra multitudinem, & pluralitatem, si ergo formalitates, v. g. justitiæ, & misericordiæ actu existunt in Deo, vel sunt formalissime unam perfectio, & hoc dici nequit, quia tunc unaquæque non existeret ibi secundum suam rationem formalem, secundum quam dicitur perfectionem simpliciter; vel sunt plures, & tunc necessario inferatur actualis distinctio inter illas, quia hæc sequitur pluralitatem.

75 Præterea principaliter, multa realiter identificantur, quæ tamen adhuc variis definitionibus exprimentur, ut Arist. docet 3. Phis. 22. de actione, & passione, & 3. Met. 10. de genere, & differentia, sed definitio, præsertim cum traditur per conceptus adæquatos, explicat esse formale, quod habet definitum a parte rei, licet non explicet esse reale, quod veluti materialiter se habet, ergo debet admitti distinctio formalis actualis a parte rei, quæ sit minor reali, & major virtuali. Et demum contradictio semper inferit distinctionem; implicat enim de eodem secundum idem contradictoria verificari, & quidem talem inferit distinctionem, qualis ipsa est, si est contradictio rationis, inferit distinctionem secundum diversum esse rationis, ut cum de Petro posito a parte subjecti in propositione identica affirmamus esse subjectum, & de eodem negamus esse subjectum, ut stat a parte prædicati; si est contradictio secundum esse reale, inferit distinctionem realem, ut si dicamus, quod Urbanus VIII. est, Paulus V. non est, talis contradictio inferit inter istos Pontifices realem distinctionem; si est contradictio secundum esse formale, inferit distinctionem formalem, non realem, quia multæ propositiones veræ sunt in sensu reali, & identico, quæ non admittuntur in sensu formali, sic in divinis verum est in sensu identico essentiam esse incommunicabilem, quatenus est eadem res cum Paternitate, quæ est incommunicabilis, at falsa est in sensu formali, qui explicat rationem præcisam rei, quæ per se primo significatur, & per essentiam in divinis per se primo importatur entitas communicabilis. Verum contradictio secundum esse formale, & ex natura rei esse potest duplex, alia actualiter, & formaliter vera citra quodcumque opus intellectus, ut cum dicimus, quod homo per animalitatem actu a parte rei convenit cum Asino, & per rationalitatem actu

actu a parte rei differt nullo intellectu cogitante, alia virtualiter solum, & fundamentaliter, ut si diceremus in Sole esse idem principium proximum calefactionis, & deficcationis, & non esse idem, hæc contradictio non verificatur a parte rei actualiter, quia actu a parte rei est unicum, & proximum principium utriusque, sed tantum virtualiter, & fundamentaliter, quatenus unica illa virtus æquivaleret duplici virtuti; ergo cum contradictio inferat semper distinctionem, qualis ipsa est, non dabitur tantum distinctio formalis virtualis, sed etiam formalis actualis.

76 Respondent Recentiores fere omnes, quod cum definitio fiat per actum intellectus; & non definiatur aliquid, nisi in quantum apprehenditur, non explicatur res secundum esse subjectivum, quod habet a parte rei, sed secundum esse objectivum, quod habet in intellectu, unde non repugnat, quod si de eodem apprehenduntur, & præcendantur diversæ rationes formales, etiam diverso modo definiantur, & explicentur, nec propterea intellectus rem concipit aliter, quam sit, quia rationes illæ fundamentaliter differunt in re. Ad aliud de contradictione pariter dicunt nullam contradictionem dari actu a parte rei formaliter, sed tantum dari fundamentum contradictionis, quia contradictio consistit in affirmatione, & negatione, quæ solum habentur per intellectum alterum de altero affirmantem, & negantem, ita præsertim Pasqualig. disp. 59. & 60.

77 Sed neutra responsio satisfacit; non prima, quia definitio exprimit naturam rei, prout est, & res diversimode definiuntur, quia diversas habent naturas in seipsis, & non quia diversimode ab intellectu concipiuntur; & per definitionem exprimitur esse rei quidditativum, & formale, non autem esse, quod accipit per apprehensionem intellectus, ergo falsum est per definitionem non explicari esse subjectivum rei, quod habet extra, sed tantum objectivum, quod habet in intellectu; & licet definitio fiat per actum intellectus, non propterea sequitur, quod explicet formaliter aliquid intentionale, sed vere explicat aliquid a parte rei, sicut licet hæc propositio, *Sol est lucidus*, fiat per intellectum enunciante lucem de Sole, tamen exprimit rem, sicut se habet a parte rei actualiter etiam nullo intellectu cogitante; sic autem universaliter contingit, quotiescumque definitio rem exprimit per conceptum adequatum, cui, scilicet, correspondet totum id, quod est in re exprimentum, possunt autem sic exprimi omnes formalitates, quæ actu pluraliter reperiuntur in una, & eadem re physica, ut intellectus, & voluntas in anima, animalitas, & rationalitas in homine, bonitas, & sapientia in Deo; formalitates vero, quæ solum virtute in aliqua re continentur ob eam eminentiam, non possunt exprimi, nisi inadæquate, quia a parte rei nulla in suo ordine correspondet realitas adæquate explicabilis, unde hoc genere definitionum, quæ solum per conceptum inadæquatos traduntur, verum est non exprimi rem, nisi ut apprehenditur cum fundamento in re, quæ de causa non fallitur.

78 Ideo Pasqual. disp. 60. sect. 1. num. 3. & Complut. disp. 3. Log. quæst. 4. num. 38. distinguuntur de duplici definitione, alia est physica, ut si homo definiatur, quod constat ex corpore, & anima rationali, & hæc utique cum explicet totum esse rei adæquatum, infert distinctionem a parte rei actualem inter ea, quæ diversas habent ejus generis definitiones, sed talis distinctio est essentialis, unde coincidit cum distinctione reali naturarum; alia est definitio metaphysica, & falsum est, quæ habent diversas hujus generis definitiones, distingui a parte rei actualiter, quia per has non exprimitur objectum secundum totum esse adæquatum, quod habet a parte rei, sed secundum esse objectivum metaphysicum, quod habet in intellectu: hoc autem esse, ut subijctio definitioni, semper supponit aliquam distinctionem rationis, nam supponit aliquam præcisionem, formalitates enim Metaphysicæ per abstractionem, & præcisionem constituuntur. Hæc solutio magis caute procedit, sed quamvis, quod ait de definitione physica, totum sit verum, non tamen omnino verum est, quod ait de metaphysica, quia quando in aliqua re physica plures actu continentur formalitates, quæ sunt aliquid ejus per identitatem, tunc potest assignari definitio metaphysica illas exprimens adæquate in suo ordine, sic possumus exprimere adæquate animalitatem in homine, & hoc utique fiet per præcisionem animalitatis a rationalitate, cum qua identificatur in homine, sed talis præcisio erit adæquata; quando vero in re physica pluralitas formalitatum non est, nisi virtualis, & per æquivalentiam, tunc verum est, definitionem metaphysicam illas non exprimere, nisi inadæquate, & præcisionem earum abinvicem non esse, nisi inadæquatam, quia nulla realitas eis correspondet adæquate manifestabilis in suo ordine.

79 Altera quoque solutio ad argumentum de contradictione nulla est, quia a parte rei multa contradictoria actu verificantur nullo prorsus cogitante intellectu, ut v. g. quod homo ratione corporis convenit cum rebus materialibus, ratione animæ non convenit, & plane hæc convenientia, & disconvenientia est formalis, & in actu & non

fundamentalis tantum, unde jure merito Cajet. 1. p. q. 39. art. 1. hanc solutionem, ut prorsus falsam refellit, quamvis enim contradictoria enunciantur tantum per intellectum, non inde sequitur, eorum veritatem formalem, & actualem ab intellectu pendere, alioquin nulla propositio, quantumvis necessaria, esset formaliter vera citra opus intellectus, quia materialis illa connexio prædicati cum subiecto etiam ab intellectu conficitur; sicut ergo a parte rei verum est actualiter hominem esse ex corpore, & anima constitutum, quia hæc partes actu continentur in ipso, ita hæc contradictoria sunt actu vera de ipso, quod per animam differt a rebus materialibus, & per corpus non differt; & sicut verum est actu a parte rei formaliter, quod paries est albus, si albedo ei formaliter inhaeret, nam subiectum esse formaliter tale est habere talem formam, ita verum erit formaliter, & actu, quod per albedinem est similis Cygno, & dissimilis Corvo; verum ramen est, quod quædam reperiuntur contradictoria, quæ de rebus actualiter verificari non possunt, sed tantum virtualiter, & fundamentaliter, ut patet in exemplo superius allato de Sole, sed non ita est in omnibus; Ideo cum Cajet. cit. concedunt alii contradictoria actu a parte rei verificari, v. g. quod homo per animalitatem formaliter, & actu convenit cum asino, & non convenit per rationalitatem, sed hinc ajunt non inferri distinctionem formalem actualem inter animalitatem, & rationalitatem, sed tantum virtualem; hæc enim sufficit ad tollendam contradictionem. Sed neque ista responsio satisfacit, quia causa in actu, & effectus in actu simul sunt, & non sunt 2. Phys. & 5. Met. sed causa contradictionis est distinctio, nam quælibet contradictio semper aliquam arguit distinctionem, ergo quando contradictio est formaliter, & actualiter vera, arguere debet distinctionem formalem actualem, & non sufficit sola virtualis, de quo vide disp. 9. quæst. 1. art. 2.

80 At respondet Cajet. ibid. negando, quod sola actualis distinctio sit causa actualis contradictionis, nam iste effectus potest esse a distinctione, ut a causa quasi univoca, & a virtualiter continente distinctionem, qualis est eminentia rei, ut a causa æquivoca, itaque iste effectus in actu habebit causam in actu, non tamen necessario univocam, nam etiam sufficit æquivoca, nempe eminentia rei, quæ continet virtualiter distinctionem, hæc enim sola sufficit ad tollendam contradictionem, quia opposita enunciantur de eadem re eminenti, non quatenus una, sed ut virtualiter multiplici. Contra, eminentia rei non tollit contradictionem actualem, ergo non æquivaleret distinctioni actuali, ut inquit Cajet. Probatur assumptum, tum quia contradictio actualis tollitur per multiplicitatem rei actualem, & non virtualem tantum, alioquin de eodem secundum idem a parte rei actualiter contradictoria verificarentur, tum quia contradictio semper arguit distinctionem inter ea, de quibus verificatur, & quidem talem, qualis ipsa est, ut diximus, si est contradictio rationis, infert solum distinctionem rationis, si realis realem, ergo contradictio actualis arguet actualem distinctionem, & non tantum virtualem.

Omnino igitur admittenda est distinctio ex natura rei formalis actualis, quæ sit minor reali actuali, & major formali virtuali, & hæc distinctio, ut bene ait Bonet. non habuit ortum in Scotia, nec in Francia, sed in Græcia apud Athenas in Scola Arist. qui verbo, & scriptis eam docuit, ut bene probat Bonet. ibid. Et ad hanc distinctionem debet reduci distinctio, quæ versatur inter rem, & modum ejus intrinsecum, ut inter essentiam, & existentiam, ut docet Tat. cit. nam ut supra insinuatum est, dantur modi rerum ultimo eas determinantes in suo esse, quidam sunt intrinseci, quia nimirum intrinsece rem determinant, ut existentia essentiam, infinitas Deum, finitas creaturam: quidam determinat res extrinsece solum, & accidentaliter, & ideo dicuntur modi extrinseci, ita se habet sessio respectu sedentis, figura respectu quantitatis, &c. Sicur autem isti non appellantur in recto res, & entia, quia seipsis existere nequeunt in rerum natura, sed semper petunt esse rebus affixi, ita modi intrinseci proprie non dicuntur formalitates, quia nequeunt seipsis concipi, sed petunt concipi cum re, quam modificant, atque ideo sicut distinctio rei, & modi ejus extrinseci ponebatur distinctio realis, licet quasi imperfecta ratione alterius extremi deficientis a ratione rei, ita in proposito distinctio rei, & modi ejus intrinseci poni debet formalis, licet quasi imperfecta ratione alterius extremi deficientis a ratione formalitatis, & petita denominatione a modo poterit illa dici realis modalis, hæc formalis, ne confundantur communi nomine distinctionis modalis distinctio rei a suo modo extrinseco, & distinctio ejusdem a suo modo intrinseco.

81 Contra prædicta obijciunt. Primo, quod distinctio formalis actualis sit superflua. Tum quia nulla est necessitas eam ponendi, cum ea omnia æque bene salventur per solum distinctionem virtualem, propter quæ inventa est a Scotistis distinctio formalis actualis. Tum secundo, quia Doctor ipse in 1. d. 1. q. 7. §. Sed hic refut. distinctionem formalem, quam astruit inter essentiam, & relationem ori-

originis, vocat virtualem, & ait melius esse uti ista negativa, quod inter essentiam, & relationes sit non identitas formalis ex natura rei; ex quo colligitur talem distinctionem formalem secundum Scotum non esse positivam, sed negativam, & proinde non esse actualem, sed virtualem, quibus verbis motus Hurt. in Metaph. disp. 6. sect. 3. putat firmiter Scotum per distinctionem ex natura rei formalem nullam intellexisse distinctionem actualem, sed solum virtualem, quod etiam ex nostris tenet Herr. 1. disp. 14. q. 1. concl. 2. Tum tertio, quia omne ens actu, aut est reale, aut rationis, ergo omnis distinctio actualis, aut est realis, aut rationis, quia proprietates omnes sequitur conditionem sui subiecti, ergo non est admittenda distinctio media actualis inter distinctionem realem, & rationis, sed sola virtualis. Tum quarto, quia ut arguit Joan. de S. Th. 2. p. Log. q. 2. a. 3. extrema per distinctionem formalem non manent ita distincta, quod possunt fundare inter se veram relationem distinctionis, ut patet in attributis divinis, quæ Scotus ponit hoc modo distingui, & tamen inter unum, & aliud non versatur relatio realis, sed sola negatio identitatis, seu connexionis formalis, ergo distinctio formalis non est positiva, & actualis distinctio ex natura rei, sed potius negativa, & virtualis. Tum quinto, ut arguit idem quæst. 3. ar. 6. distinctio formalis non tollit identitatem in ipsa entitate rei, sic enim esset realis, sed solum identitatem conceptus, seu formalis rationis, ita quod unum non sit de conceptu formali alterius, ad hoc autem non requiritur distinctio actualis, sed sufficit virtualis, & fundamentalis, quia scilicet præbet fundamentum, ut unum sub distinctione ab altero concipiatur, & sine illo representetur, & sic ibi actu reluceat distinctio, ubi actu est ablata identitas; cæterum in re solum invenitur, quod unum non sit formale constitutum alterius, atque adeo non habet connexionem essentialem cum alio modo formali, seu constitutivo, licet habeat modo identico.

82 Resp. ad 1. negando assumptum, quia distinctio virtualis non sufficit ad tollendam contradictionem ex natura rei actualem, quæ de eadem renuciari solet, ut quod anima per intellectum operatur naturaliter, non per voluntatem, Deus per justitiam punit, non per misericordiam, homo per animalitatem convenit cum asino, non per rationalitatem, & sic de aliis. Ad 2. Doctor ibi docet distinctionem inter essentiam, & relationes ex natura rei reperiri posse vocari virtualem, non tamen id afferit cum præcisione, quasi sit virtualis tantum, nam postea infra ait, *Præterit igitur dico omitto illa verba de distinctione rationis, & de distinctione virtuali, quod in essentia divina ante actum intellectus est entitas A, & est entitas B, & hæc non est formaliter illa, & paulo superius dixerat, quod essentia, & relatio habent aliquam distinctionem præcedentem omnem actum intellectus creati, & increati*, ergo cum hæc distinctio ex natura rei, de qua ibi loquitur Doctor, & ponit inter essentiam, & relationes, præcedat secundum rationem distinctionis omnem actum intellectus, non potest esse sola virtualis, seu rationis ratiocinatus, quia hæc licet præcedat secundum fundamentum, non tamen præcedit secundum rationem distinctionis; unde valde decipitur Hurtad. ut bene notavit Pasqualig. disp. 60. sect. 1. num. 4. ubi maturus in hoc ponderat Scoti mentem, quam fecerunt Hurrad. & Herr. Hanc vero distinctionem ex natura rei voluit ibi appellare non identitatem, quia ex communi usu loquendi præsertim tunc temporis distinctio ex natura rei pro vera distinctione reali usurpari solebat, ut ibidem Doct. insinuat veris. *Sed numquid hæc distinctio dicitur realis?* & etiam quia talis distinctio non importat veram relationem, ut ibi Tatar. & Vigerius advertunt. Ad 3. hæc distinctio dici potest realis actualis, & ens reale consequi, si ample sumatur pro omni eo, quod est extra nihil, sive secundum se, & immediate, sive quia per identitatem est aliquid alterius, quod secundum se, & in recto est extra nihil, & sic non est distinctio media; sed membrum distinctionis ex natura rei in communi, ut contradistinguitur a distinctione rationis, si tamen ens reale minus ample sumatur, pro eo nimirum, quod est ens, & res, ut a realitate, seu aliquidate distinguitur, & distinctio realis pro ea, quæ versatur inter duo taliter entia, sic utique distinctio realis dici non potest, sed media inter realem, & rationis, minor illa, & major ista. Ad 4. Vallon. p. 2. formalit. art. 2. in fine concedit distinctionem formalem ex natura rei præferre in re relationem positivam actualem, sed hoc est falsum, quia ut docet Doct. 1. dist. 31. relatio realis versatur inter extrema realia, & realiter distincta: non ergo distinctio formalis censenda est actualis ratione relationis formaliter importatæ per distinctionem, sed solum materialiter ratione extremorum, quæ sic a parte rei distincta ita habent in eadem re proprium esse actuale extra nihil, ut esse formale unius non sit esse formale alterius, ita Bassol. 2. dist. 22. quæst. 4. art. 2. Tatar. & Vig. cit. & sequitur Vulpes loc. cit. Ad 5. negatur minor, quando definitio explicat formalitatem conceptu adæquato, imo si in virtute hujus distinctionis in re invenitur, quod unum non habeat connexionem essentialem cum alio modo formali, sed tantum identico, ut fatetur hic Auctor, jam manifeste concedit hanc di-

Mastrii, & Bellusi Tom. I. Logica.

distinctionem esse actualem, quia actualiter unum non habet in re connexionem cum alio modo formali.

83 Secundo obijciunt cum Pasqualig. cit. quod hæc distinctio formalis coincidat cum reali, si ponatur actualis, ante opus intellectus. Tum quia quod est extra aliud a parte rei, est extra illud secundum illud esse, quod natum est esse a parte rei, sed solum esse entitativum physicum natum est esse a parte rei; itant formalitates non sint aptæ ad essendum a parte rei, nisi prout sunt in entitatibus physicis, ergo si hujusmodi formalitates essent inter se distinctæ, itant una esset extra aliam a parte rei, jam deberent esse tot entitates, cum debeat una esse extra aliam secundum esse, quod aptum est esse a parte rei. Tum 2. extrema hujus distinctionis involvunt rationem entis, ita ut in unaquaque sit propria ratio entis, quia hujusmodi formalitates vere sunt aliquid positivum, ergo si distinguuntur ante opus intellectus actualiter, distinguuntur tamquam entitates actuales extra nihil, atque ideo realiter. Consequentia probatur, quia quotiescumque aliqua non communicant in esse, quod habent a parte rei, distinguuntur secundum illud esse, quod habent a parte rei, cum ergo esse, quod res habet a parte rei, sit esse physicum, & entitativum, jam entitativo modo distinguuntur, & consequenter reali distinctione. Tum 3. definitio explicat essentiam rei, ergo si illa censetur formaliter distincta, quæ habent diversas definitiones, habebunt etiam essentias diversas, ac etiam consequenter existentias, quia quamlibet essentiam sequitur propria existentia, atque ita erunt vere realiter distincta. Tum 4. contradictio actualis de aliquibus infert distinctionem realem inter ea, quia de eadem re nequeunt actu a parte rei contradictoria verificari, ergo cum distinctio formalis actualis ex actuali contradictione ex natura rei colligatur, signum est coincidere cum reali; Nec valer dicere, ad verificandam contradictionem de eadem re sufficere, si in ea plures reperiuntur formalitates ex natura rei distinctæ. Quia ita dicendo nunquam ex contradictione distinctionem realem colligere possemus, quia diceretur, sufficere distinctionem formalem inter aliqua, ut de ipsis contradictoria verificentur. Deum ex Arriag. disp. 5. sect. 1. cum Hurt. cit. esse aliquid a parte rei ante actum intellectus est esse quid reale, hæc enim est definitio entis realis, sed distinctio formalis est a parte rei, ergo realis.

84 Resp. ad 1. aliquid esse potest a parte rei, & extra nihil dupliciter, vel ratione sui, & in recto, vel in obliquo, & ratione alterius, cujus est aliquid per identitatem, primo modo sunt extra nihil res physice, secundo modo formalitates metaphysicæ; concessa igitur majori, dicitur ad minorem, quod utique solum esse entitativum physicum natum est esse a parte rei primo modo, at secundo modo etiam formalitates metaphysicæ natæ sunt esse a parte rei, præsertim illa, quæ sunt prædicamentales, & veram faciunt compositionem metaphysicam a parte rei, & inde negatur Conseq. ut enim essent tot entitates, deberet una esse extra aliam primo modo. Ad 2. esse quædam formalitates metaphysicæ includant formaliter rationem entis transcendentis, adhuc tamen proprie, & absolute non dicuntur entia, aut entitates, sed gradus entis, & aliquiditates, quia juxta communem loquendi modum per ens extra nihil intelligitur res, quæ est terminus causalitatis physice, juxta superius dicta, unde in hoc sensu nequeunt formalitates metaphysicæ dici absolute entia, quia non sunt extra nihil ratione sui, & in recto, sed in obliquo tantum, ratione scilicet illius, cujus sunt aliquid per identitatem, & ad probat. conseq. negandum est, quod esse rerum sit solum esse physicum, & entitativum, quia etiam a parte rei possunt esse Metaphysicum purius, & magis defæctatum a conditionibus materialibus, licet non ab eo realiter distinctum; unde in homine a parte rei non solum datur materia, & forma, sed etiam animalitas, & rationalitas. Ad tertium definitio proprie dicta, ut constat ex genere, & differentia, utique non convenit, nisi rebus propriam essentiam, & existentiam habentibus, unde quæ habent diversas definitiones in hoc sensu, vere distinguuntur realiter distinctione reali naturarum, sed si definitio magis ample sumatur, pro conceptu quidditativo explicante propriam alicujus conceptibilitatem, qualicumque sit, in hoc sensu etiam formalitates poterunt definiri, & ea dicuntur formaliter distingui, quæ habent in hoc sensu diversas definitiones, id est conceptus objectivos; & tunc negatur conseq. quia definitio in hoc sensu non exprimit essentiam rei proprie dictam, quæ scilicet constat ex genere, & differentia, & datur in ordine ad existentiam, sed propriam conceptibilitatem, qualicumque ea sit. Ad 4. negatur assumptum, quia interdum sola distinctio formalis ex natura rei sufficit ad enunciandam contradictoria cum veritate de eadem re, sic de subiecto, & passione ob talem distinctionem verificantur contradictoria actu a parte rei, & falsum est hac ratione præcludi viam contradictionem realem; ut enim notat Bonet. cap. de distinct. ex natura rei, licet omnia contradictoria æque repugnent quoad veritatem in eodem respectu ejusdem, tamen quoad distinctionem inferendam non

aque repugnant, nam quedam inferunt distinctionem realem, quedam formalem tantum; sunt enim aliqua predicata, quae competunt ipsi rei per se primo existenti sicut sunt esse, & non esse secundum adiacens, existere, & non existere, & contradictoria de talibus predicatis concludunt distinctionem realem, cuius ratio est, quia alia predicata, quibus insunt, insunt ratione rei, & non ratione realitatis in ea inclusa: sunt etiam alia predicata, quae proxime competunt realitati, & rei non competunt, nisi ratione illius realitatis in ea inclusa, ut velere, & intelligere in anima, nam intelligit per intellectum, & vult per voluntatem, & talia contradictoria non concludunt distinctionem realem illorum, quibus applicatur, sed tantum formalem ex natura rei. Ad 5. talis distinctio, ut saepe dictum est, potest dici realis, ut ens reale distinguitur ab ente rationis.

85 Tertio obicitur, quod haec distinctio non sit recte assignata, neque quantum ad quid nominis, neque quantum ad quid rei. Non primo quantum ad quid nominis, quia nomen distinctionis formalis est nomen valde aequivo- cum, & accommodari potest tam distinctioni reali, quam rationis, quatenus distincta realiter essentialiter habent diversas essentias, & unitates formales, & distincta ratione feceruntur per rationes formales, & praecise ab intellectu. Neque quantum ad quid rei, quia Scotus 1. d. 2. quaest. 7. §. cit. illam vocat *identitatem formalem, ubi illud, quod dicitur sic idem, includit illud, cui sic est idem, in sua ratione formali, & per consequens per se primo modo, ex quo Mauris. Sirect. Val. & alii formaliter deducunt inferius esse idem formaliter suo superiori, quia illud includit in sua ratione formali, non e contra; ergo ex opposito per Scotum illa erit distinctio formalis, per quam illud, quod sic distinguitur, non includit aliud in primo modo dicendi per se; non vero illa, quae est inter duas formalitates, quarum una praecise, & adaequate non est alia.*

86 Resp. ad 1. ex Scot. 4. d. 1. quaest. 2. significata nominum probari non posse, sed standum esse communi usui loquentium; cum igitur illa, quae sunt res diversae, & diversas habent essentias, secundum communem usum loquentium dicantur realiter, & essentialiter distingui, quae vero tantum per intellectum, dicantur distingui ratione, plane velle his distinctionibus applicare nomen distinctionis formalis est velle vocabulis abuti, nam ut testatur Joan. de S. Th. cit. qu. 2. art. 3. concl. 1. secundum communem loquentium modum vocamus identitatem formalem illam, quae proprio, & formali conceptu exprimitur, seu quo formaliter aliquid constituitur, unde dicuntur differre formaliter, quae differunt definitione, seu ratione propria; identitatem materialem, seu in sensu identico vocamus, quando aliqua sunt idem in ipsa entitate physica, non autem in ipsa ratione, quae per se primo significatur. Ad 2. dicendum apud Scotum, & formalem identitatem, & distinctionem formalem tribus praesertim modis usurpari solere, primo in eo sensu, ut aliquid dicatur formaliter idem alicui, cum illud includit in sua ratione formali, & sic inferius est idem formaliter suo superiori, unde e contra illud erit formaliter distinctum ab alio, quando illud non includit in sua ratione formali, & in hoc sensu, (qui tamen est minus frequens, & proprius) locutus est Doctor de identitate, & distinctione formali 1. d. 2. q. 7. Hh. Alio modo magis proprio aliquid dicitur formaliter idem alicui, cum est de ratione formali illius, quo sensu superior est idem formaliter inferiori, & e contra illud non est idem formaliter alicui, quod non pertinet ad rationem ejus formalem, quo sensu de identitate, & distinctione formali locutus est Doct. in 4. d. 12. q. 1. & coincidit cum identitate, & distinctione essentiali, de qua loquitur Doct. quol. 1. D. & nos in Phys. disp. 5. q. 13. art. 1. concl. 4. Alius demum sensus magis frequens, & proprius distinctionis formalis est, quando ratio objectiva unius formalitatis est alia a ratione objectiva alterius, quo sensu superior, & inferior sunt formaliter ex natura rei distincta, quia ratio humanitatis alia est a ratione animalitatis, quia aliquid addit super illam, & sic de distinctione formali loquitur Doct. 1. d. 8. quaest. 4. cum ait divina attributa abinvicem formaliter distingui, quia ratio bonitatis non est ratio sapientiae, & sic juxta hunc sensum identitas formalis est illa, qua plures rationes solum per intellectum distinctas communicant in eadem conceptibilitate, & ratione objectiva, & ita se habent secundum Scotum generativitas, generatio, & paternitas in eadem relatione constitutiva primae personae in divinis quol. 4. & de identitate formali in hoc sensu loquitur in 2. d. 1. q. 5. §. Ad questionem istam, ubi circa finem ait, relationem non esse eandem formaliter fundamento, quia per se ratio respectus non includit formaliter rationem absoluti, nec absolutum per se includit formalem rationem respectus, quibus verbis insinuat, ut notavit Meuriss. identitatem formalem non esse solum inclusionem alicujus gradus superioris, sed inclusionem mutuum, qua plures rationes solum per intellectum distinctas in eadem ratione objectiva conveniunt; atque ita cessat inutilis contentio hucusque tam acriter agitata apud nostros Formalistas, quam veluti prorsus inanem bene spernit P. Faber cit. c. 8. quem sequitur Meurisse; verus enim, & proprius

modus identitatis, & distinctionis formalis est hic ultimus, nam si omnis identitatis fundamentum est unitas, & distinctionis pluralitas, sequitur, quod quaecumque unam, & eandem formalitatem habent, sint formaliter eadem, quae vero aliam, & aliam, sint formaliter diversa.

Distinctio rationis elucidatur.

87 Distinctio rationis est, quae non inest rebus, quae distinguuntur, prout sunt in se, sed tantum prout subsistant conceptibus nostris, & haec duplex est. Una, quae non habet fundamentum in re ipsa, & dicitur distinctio rationis ratiocinantis, & fit, quando ei, quod est a parte rei unum, & idem realiter, & formaliter, assignantur diversae relationes rationis diversimode illud concipiendo, itaut tota diversitas sit ex parte modi concipiendi, non ex parte rationis conceptibilis, & ideo dicitur distinctio rationis ratiocinantis, quia nimirum solum ex ipso intelligente, seu ratiocinante originatur, talis est ver. grat. distinctio, quae reperitur inter Petrum a parte subjecti, & seipsum a parte praedicati in propositione identica, *Petrus est Petrus*, & univocaliter contingit, cum diverso modo concipitur idem omnino objectum, sive diverso modo Grammaticae, ut homo hominis, sive etiam logice, ut homo, & humanitas, etenim abstractum aliter concipitur a concreto, cum illud concipitur per modum naturae praecise, hoc vero per modum subsistentis, ita Scot. 1. d. 2. q. 7. §. cit. & d. 8. q. 4. §. Ad questionem. Altera distinctio rationis est, quae habet fundamentum in re ipsa, quae distinguitur & dicitur distinctio rationis ratiocinatae; dicitur *ratiocinatae*, quia formaliter, & actu non est in rebus, sed fit, & actualiter per rationem; dicitur vero rationis ratiocinatae, quia est quasi inchoata a parte rei, & si complementum ab intellectu recipiat, quatenus res, circa quam versatur ratio, seu intellectus, praebet occasionem, seu fundamentum talis distinctionis propter eminentiam suae naturae, de qua intellectus format conceptus inadaequatos, id est, quibus non exprimitur totum id, quod est in re, nam licet singuli attingant aliquid, quod est in re, nullus tamen seorsim sumptus adaequat totam naturam, & rationem objectivam rei: sic Thomista distinguunt in Deo omnia attributa, sapientiam, misericordiam, iustitiam, &c. quia enim creatus intellectus non potest ob suam imperfectionem unico conceptu adaequare totam divinam naturam ob ejus infinitam perfectionem, eam conceptibiliter partitur ex ordine quodam ad diversos effectus, quos potest producere, vel per habitudinem quandam ad virtutes, vel attributa, quae in homine videmus abinvicem realiter distincta, hoc etiam genere distinctionis distinguunt Thomista in creatis gradus metaphysicos, id est, praedicata superiora, & inferiora, ut esse animal, esse vivens, esse rationale in homine, nam conceptibiliter partiantur eandem humanitatem ex ordine ad diversos effectus vegetandi, sentiendi, & intelligendi, quos potest se sola producere ob suam eminentiam; licet haec omnia nos Scotista ponamus formaliter ex natura rei distincta, ut suo loco probabitur.

88 Hinc orta est contentio de fundamento hujus distinctionis ratiocinatae, an semper debeat intrinsece reperiri in objecto, nimirum quod aliquam habeat eminentiam unientem diversas perfectiones, seu formalitates, quod vocatur virtualis distinctio, quia eadem forma virtute facit sola, quicquid facerent diversae: an potius sola extrinseca connotata absque intrinseco fundamento distinctionis in objecto sufficiant ad constituendam inter aliquam distinctionem ratiocinatae, quatenus intellectus ex illis motus supposita sua imperfectione eandem omnino rem, in qua nulla est actualis, aut virtualis distinctio intrinseca, concipit plures conceptibus inadaequatis eam dividendo in plures rationes conceptas; Hanc secundam sententiam citat, & sequitur ut communem Pasqualig. disp. 57. sect. 2. quod tenuit Vasq. 1. p. disp. 117. c. 3. & Torrejon tr. 2. disp. 1. quaest. 1. Verum magis placet prior dicendi modus, quod sola extrinseca connotata non sufficiant absque fundamento intrinseco distinctionis in objecto ad constituendam distinctionem rationis ratiocinatae, sed solum constituant distinctionem rationis ratiocinantis, & ita videtur sensisse Scotus loc. cit. dum docuit, concretum, & abstractum non differre, nisi ratione ratiocinante, nimirum penes diversum modum concipiendi idem formale objectum; certum autem est concretum, & abstractum non differre, nisi per connotatum extrinsecum, nimirum subjectum, quod connotatur a forma in concreto sumpta, non in abstracto. Et plane id convincit manifesta ratio, quia vel in ipso objecto, quod distinguitur, est aliqua proportio, seu fundamentum, ut ad instar connotatorum extrinsecorum realiter distinctorum concipiatur, vel non; si primum, ergo praecedit fundamentum intrinsecum distinctionis in objecto, & jam tota ratio distinguendi non sumitur ex parte connotatorum extrinsecorum; si secundum, cum sine ullo fundamento ex parte rei ipsius, quam distinguimus, eam concipiamus in ordine ad ea, quae sunt distincta, sequitur nos eam ad libitum nostrum, & sine fundamento distinguere, quod est facere distinctionem rationis ratiocinantis, sicut si idem a seipso distinguas concipiendo in ordine ad res diver-

diversas & hac ratione Jo. de S. Th. q. 2. ar. 3. tener hunc dicendi modum, juxta quem distinctio rationis ratiocinatae prorsus coincidit cum distinctione ex natura rei virtuali superius explicata, quia semper petit fundamentum intrinsecum distinctionis in objecto; nam juxta alterum dicendi modum non omnino coincideret, quia posset assignari distinctio rationis ratiocinatae in objecto, in quo nulla praecederet virtualis distinctio, ex solo ordine ad diversa connotata extrinseca.

89 Fundamentum igitur, quod requirit distinctio rationis ratiocinatae ex parte objecti, est virtualis aliqua distinctio, seu eminentia rei, quae unica existens plures rationes, seu perfectiones continet in aliquo esse; & ratio est, quia res aliqua quanto superior est, & eminentior, plures perfectiones unit, quam inferior, unde in superioribus simplicioribus modis inveniuntur perfectiones, quam in inferioribus, ubi sunt diversae res, ac entitates, si in re superiori advenitur, & contineantur secundum suas proprias uniuscujusque rationes formales, in ea re superiori erunt realiter idem ac entitative, sed quia in ea continentur secundum proprias formalitates, remanebunt adhuc formaliter actu ex natura rei distinctas, sed si contineantur tantum virtualiter in ea, & eminenter, ut virtus calefactiva, & desiccativa in sole, & secundum multos sensitiva, & vegetativa in rationali, tunc inter eas virtutes, & perfectiones nulla erit a parte rei actualis distinctio, nec realis, nec formalis, quia in ea non extant, nec secundum proprias entitates, nec formalitates, sed tantum aderit fundamentum cogitandi illas actu distinctas; unde intellectus manifestando illas plures conceptibus, hanc attingendo uno conceptu, & aliam alio, distinguit illas in esse objecti, cum tamen in esse rei, & realitatis distincta non sint, sed unum; itaque fundamentum hujus distinctionis consistit in eminentia, seu unitate rei virtualiter continente plures rationes, simul cum intellectu inadaequate attingente illam, & sic plures conceptibus dividente, & abstractante unam rationem ab alia, unde ex parte intellectus requiritur etiam ad hanc distinctionem constituendam imperfectus modus intelligendi, itaut non unico actu, sed pluribus attingat totam rei eminentiam, & quidem singulis inadaequate.

In oppositum obicitur, 1. Vasq. cit. Suarez in Met. disp. 7. sect. 1. quos sequitur Blanc. disp. 2. univers. sect. 4. probando, quod distinctio rationis ratiocinantis non sit proprie distinctio, sed potius ejusdem formalis conceptus repetitio circa idem omnino objectum, ut cum in propositione identica dicitur, quod Petrus est Petrus, hic nulla prorsus oritur distinctio Petri a seipso per intellectum, imo potius e contra per hanc praedicationem intellectus concipit Petrum cum seipso identificatum, ergo haec est potius ejusdem nominis, vel conceptus repetitio, non distinctio. Si dicas; eo ipso quod intellectus identificat realiter, & formaliter Petrum cum seipso in illa enunciatione, distinguere eundem a seipso ratione, quatenus eundem Petrum quasi duplicat, semel ipsum accipiendo a parte subjecti, & iterum a parte praedicati. Contra, iniquant, quia id solum probat cadere distinctionem inter conceptus ipsos formales, quibus Petrum in eadem propositione subicimus, & praedicamus, aut inter ipsas secundas intentiones praedicati, & subjecti, quas eidem Petro tribuimus, non autem inter Petrum, & seipsum, quia distinctio non cadit in Petro, sed super extrinseca Petro super Petrum autem cadit solum repetitio.

90 Resp. negando distinctionem rationis ratiocinantis esse solum ejusdem conceptus repetitionem, repetitio enim proprie est, cum idem objectum, & eodem modo semel, atque iterum concipimus, & nominamus, ut si dicatur Petrus, atque iterum Petrus, tertio denique Petrus; at in distinctione rationis idem utique objectum concipimus, sed non eodem modo, quia dicendo Petrus est Petrus, primo, concipitur ut subjectum, deinde ut praedicatum, unde non solum pluries concipitur Petrus, sed etiam ut plures, quia intentionaliter geminatur, ut subsistat diversis intentionibus subjecti, & praedicati, hinc ut intellectus faciat in objecto distinctionem rationis ratiocinantis, opus est, ut idem comparet ad seipsum, vel respectum apprehendat in ipso objecto, quo accipiat ipsum, quasi duo, non quidem secundum diversas rationes in ipso objecto intrinsecas, & ex parte ejus fundatas, sed ex illa comparatione extrinseca resultantes. Ad replicam contra hoc in argumento allatam dicimus, distinctionem, quae fit per actum collativum, non cadere supra conceptus formales, quia tunc effectus distinctio realis, non rationis, nec proprie supra secundas intentiones ipsas, sed supra rem ipsam conceptam, quatenus habet esse objectivum in intellectu, itaut proprie idem dicatur a seipso distingui, non secundum esse reale, sed objectivum, & intentionale, quia idem prorsus objectum a parte rei realiter, & formaliter, dum intellectus facit propositionem identicam, ipsum quasi geminat intentionaliter; ita Tromb. tr. Formal. art. 2. §. Pro intelligentia prima concl. ubi docet, quod distinctio rationis ratiocinantis fundatur super pluralitatem esse objectivi, & cogniti, quod intellectus per actum collativum derivat in idem objectum reale, & e contra, quod identitas rationis fundatur super unitatem ejusdem esse cogniti, quando nimirum objectum non subsistat pluribus secundis intentionibus, sed uni tantum, namque ita consistit.

deratum ut uni, & eidem subsistat secundae intentioni, dicitur esse idem ratione cum seipso, sequitur, & fute declarat Pasqualig. disp. 54. sect. 2.

91 Secundo arguitur contra distinctionem rationis ratiocinatae, quod non detur veluti membrum a distinctione formali natura rei conditum; Tum quia Scotus nullibi hanc distinctionem assignavit veluti conditum a distinctione ex natura rei, & ideo omnes Scotista tum veteres, tum Recentiores semper tenuerunt hanc distinctionem rationis ratiocinatae, seu, ut ipsi ajunt, rationis ratiocinabilis, cum distinctione ex natura rei prorsus coincidere, ut videre est apud Formal. ar. 2. & omnem distinctionem rationis concludi docent intra genus illius distinctionis, quae fit per actum collativum, & pro hac sententia citatur ab omnibus Auctoribus, unde prorsus novum videtur hanc distinctionem rationis ratiocinatae in Scotistarum scholam invehere, cum prorsus sapiat doctrinam Thomisticam. Tum quia in schola Scotistarum est prorsus superflua, nam Thomista eam admittunt propter divina attributa, & gradus metaphysicos, haec enim omnia inter se faciunt distincta tali genere distinctionis; cum igitur Scotista haec faciant actu formaliter distincta, sane eorum schola hoc genere distinctionis non indiget. Tum demum distinctio rationis ratiocinatae de illa tantum re potest haberi, de qua intellectus venari potest multos conceptus, sed nullum objectum potest plures de se conceptus causare in intellectu, nisi in ipso sit aliqua distinctio plurium formalitatum ex natura rei praecedens omnem actum intellectus, ergo distinctio rationis ratiocinatae coincidit omnino cum distinctione formali ex natura rei. Probat minor, quia unum objectum naturaliter agens ad ejus intellectionem non causat nisi unum conceptum, quia cum agat secundum ultimum virtutis suae, causat omnem conceptum, quem potest causare, ergo si est unicum, tam realiter, quam formaliter, unicum tantum causabit de se conceptum. Nec respondere juvat unicum tantum causare conceptum adaequatum, sed plures causare posse inadaequatos in intellectu praestertim imperfecte rem concipiente. Non valet, quia una res unum tantum nata est de se causare conceptum, & hunc adaequatum, quia alias non esset unum cognoscibile, nec unico actu cognoscibile, & istum conceptum formando immutat intellectum, quantum potest, ergo non formabit intellectus de tali objecto alium, & alium conceptum, nisi per actum collativum intellectus, ita arguit Tromb. loc. cit.

92 Resp. ad 1. Doctorem non semel meminisse hujus distinctionis, & eam admisisse, veluti membrum a distinctione formali natura rei conditum, ut mirum sit, quare Scotista tam unanimiter oppositum doceant; eam igitur in primis admittit 1. d. 2. q. 7. §. saepe cit. sub nomine distinctio virtualis superius explicata; deinde in eodem 1. d. 8. q. 4. §. Ad questionem, ait inter divina attributa non esse tantum differentia rationis, hoc est diversorum modorum concipiendi idem objectum formale, talis enim distinctio est inter sapientem, & sapientiam, nec est ibi tantum distinctio objectivum formalium in intellectu, quia ut argumentatur est prius, illa nunquam est in cognitione intuitiva, ergo est ibi distinctio tertia praecedens intellectum omni modo, ubi, ut patet, per primum gradum distinctionis rationis intelligit distinctionem rationis ratiocinantis, per secundum actualiter distinctioem rationis ratiocinatae, quae quando actualiter fit ab intellectu, ex conceptibus intellectus resultant diversi conceptus objectivi non in esse rei, sed in esse objecti, & representati, & ideo ait esse distinctionem objectivum formalium in intellectu; & quidem etiam hoc modo ab ipsis Thomistis explicatur; per tertium tandem gradum intelligit distinctionem formalem actualem ex natura rei, & quol. 1. art. 2. duplicem assignat distinctionem rationis, unam mere causatam per actum intellectus, & haec est rationis ratiocinantis, alteram sumptam, seu occasionatam ex parte rei, & haec est rationis ratiocinatae, ex quibus patet Doctorem vere agnovisse distinctionem rationis ratiocinatae, ut genus conditum a distinctione, ex natura rei actuali, atque ita sentit P. Vulpes tom. 1. d. 6. art. 7. & loc. initio art. cit. ac omnes illi Scotista, qui docent gradus transcendentis non praeferre realitates, sed conceptus inadaequatos; meminit etiam hujus duplicis distinctionis rationis Doctor 1. d. 8. qu. 4. §. Ista tamen potest, ut ibi Bargius advertit.

93 Ad 2. negatur assumptum, quamvis enim Scotista, nec propter divina attributa, nec ob gradus metaphysicos praedicamentales hoc genere distinctionis egeant, quia haec omnia apud Scotum sunt abinvicem ex natura rei formaliter actualiter distincta, illo tamen indigent ob distinctionem ponendam inter praedicata quidditativa Dei, & gradus omnes transcendentis, cum enim illa non inter se differant, & ab essentia tantum distinctione rationis, & ex alia parte majori distinctione ex natura rei ab essentia distinguantur attributa, quam praedicata quidditativa, ut spiritus, & vita intellectualis, & docet Doct. quol. 1. sub litt. I. plane sequitur, quod cum attributa distinguantur actualiter ex natura rei, praedicata quidditativa distinguantur tantum virtualiter, seu ratione ratiocinatae, ut declarat Vulpes cit. disp. 6. art. 7. Et cum gradus metaphysici transcendentis non dicant realitates, sed solum conceptus

inadequatos; ut Scotista melioris notæ docent, ut suo loco in Metaphysica dicemus, consequens est; ut cum pro eorum distinctione non sufficiat sola rationis ratiocinantis distinctio, & ex alia parte distinctionem ex natura rei actualem fundare nequeant, quia non dicunt realitates, quod distinctione virtuali, seu rationis ratiocinata distingui debeant, unde ex hoc duplici capite oritur indigentia hujus distinctionis in subtilium Scholæ, quæ plane suppleri nequit per distinctionem ex natura rei actualem, ut propriis locis declarabitur.

94 Ad 3. argumentum Trombet. probat tantum unius rei generari non posse in intellectu, nisi unum conceptum adequatum, si illum immutat quantum potest, & per propriam speciem, at extra has circumstantias nil impedit, quin ejusdem simplicis objecti plures habeantur conceptus inadequati per actum præcivum, & non collativum, quatenus inadequate objectum intelligendo unam rationem præcivum ab alia, unde necessitas formandi hanc distinctionem rationis provenit ex limitatione, & imperfectione nostri intellectus, qui vel unico conceptu totam rei naturam exhaustire nequit ob ejus eminentiam, vel in intelligendo cogitur uti alienis speciebus, quæ cum non repræsentent totum objectum adequate, debet pluribus uti, ut rem adequate intelligat, ex quo fit etiam, quod per plures conceptus eam intelligit, & plures rationes objectivas in ea distinguit, quas alioquin non distingueret, si rem per propriam speciem cognosceret.

95 Ex dictis in hoc articulo concluditur septem illa Formalistarum genera distinctionum, ac identitatum, quia se invicem inferunt, esse prorsus supervacanea, ut ab invicem condistincta; nam distinctio ex natura rei non est membrum condistinctum a distinctione formali, ut bene probat P. Faber cit. cap. 9. nam si illa censetur ex natura rei distincta, de quibus secluso opere intellectus prædicata opposita, & contradictoria verificantur, & illa eadem ex natura rei, de quibus talia prædicata verificari non possunt, plane ex hoc manifeste deducitur hæc non esse diversa distinctionum genera, quia de illis tantum verificari possunt a parte rei aliqua contradictoria prædicata, quæ habent diversas formalitates, & conceptibilitates, quæ in eadem conceptibilitate, & ratione formali conveniunt, contradictoria ex natura rei non patiuntur; & quidem Doctor nunquam distinxit inter distinctionem ex natura rei, & formalem, ut constat ex his, quæ habet 1. d. 2. quæst. 7. & d. 8. quæst. 4. & d. 13. qu. un. & alibi sæpe; exemplum vero, quod adducit ad hanc distinctionem ex natura rei declarandam de definitione, & definito, nihil facefit negotii; constat enim ex dictis supra quæst. 4. art. 2. quo sensu definitio, & definitum dici queant differre ex natura rei. Distinctio essentialis quoque non conditit genus peculiare distinctionis condistinctum ab aliis; quia apud Formalistas duas habet acceptiones hæc distinctio; nam in uno sensu illa dicuntur essentialiter distincta, quæ habent diversas essentias, & e contra illa dicuntur eadem, quæ in eadem essentia communicant; in alio sensu illa dicuntur essentialiter distingui, quorum unum est de essentia alterius, nec ejus conceptum formalem ingreditur, & e contra illud dicitur idem essentialiter alteri, quod constituit ejus essentiam, & ejus conceptum formalem ingreditur. Patet autem, quod identitas, & distinctio essentialis in primo sensu coincidit cum distinctione reali; nam quæcumque habent diversas essentias, sunt etiam diversa res, in altero autem sensu accepta coincidit cum identitate, & distinctione formali capta secundo modo ex illis tribus, quos supra insinuavimus declarando hanc distinctionem in solut. 3. objecti. Sic etiam distinctio se totis objective, qua distingui, & ajunt, quæ in nullo conceptu quiddativo conveniunt, ut passionis entis, & ultimæ rerum differentia, & distinctio se totis subjective, qua distingui, ajunt, quæ non conveniunt in aliqua realitate potentiali ad ipsa contrahibili, ut Deus, & creatura, non constituunt duo genera distinctionum a cæteris condistincta, sed coincidunt cum reali, & formali, ut bene notavit Tatar. cit. quia quæ distinguuntur se totis objective, aliquando distinguuntur tantum formaliter, ut bonitas, & veritas in Deo, & interdum etiam realiter distinguuntur, ut duæ ultimæ differentia; pariter quæ distinguuntur se totis objective, quandoque realiter distinguuntur, ut Deus, & creatura; interdum tantum formaliter, ut bonitas, & veritas in Deo, vel creatura; & hæc dicta sufficiant pro dignoscendis variis distinctionum generibus, quantum ad logicam spectat, relicta ambagibus Formalistarum, a quibus non tantum Tyrones, verum etiam provectos abstinerent consilium, nam in illis multa continentur tum logica, tum philosophica, tum metaphysica, & theologica, ita confuse, & promiscue tradita, ut potius more Gallico pulmentum quoddam confecerint Formalista, quam novam quandam scientiam, cujus subjectum sit formalitas, ut ipsi prætendunt, aptissimum ad obruendum quodcumque quantumvis perspicax ingenium; nec dubitavimus asserere tractatum hunc formalitatum plures alumnos e subtilium Scholæ indolis excellentis perdidisse, & quotidie perdere, ut mirum sit, cur adhuc in nostra Scholâ tolleretur, imo ut omnino necessarius Tyronibus a quibusdam prædicetur.

QUESTIO VI.

De ordine, & Methodo procedendi in facultatibus tradendis.

96 DE Methodis quamplures scripsere Philosophi magni nominis, tum veteres, tum Recentiores (& forte plusquam peteret necessitas, ac materiae utilitas) & nuperime non minus, quam doctissime scripsit Scipio Claramontius vir omnigenæ literaturæ libros quatuor; notant autem Methodum posse dupliciter accipi, uno modo pro regula; & canone procedendi in scientia, & ordinandi res in ipsa tractandas, ut de hac prius, & de illa posterior agatur; alio modo pro ordine ipso, veluti in actu exercitio, seu pro ipso progressu; sumi etiam solet interdum pro omni instrumento sciendi, sed quia hæc est fusa nimirum acceptio, proprie, & peculiariter nomen Methodi restringitur ad relatas duas significationes. Dubitant autem primo, sub qua ex relatis significationibus Methodus ad Logicam pertineat, ac ab ipso definiti debeat, an scilicet, acceptæ pro regula, & norma procedendi in scientia, vel pro ipso progressu; Eustatius, & Joan. Grammat. ex antiquioribus, & Pandasius, ac Zabar. ex recentioribus apud Claramont. cit. lib. 1. c. 2. arbitrantur Methodum considerandum esse, ac definiendum a Logico pro regula, & canone procedendi; ac Claramont. opinatur potius definiendum esse pro progressu ipso, quia Methodus ex vi nominis significat viam, & progressum ipsum, & hoc est ejus formalem significatum, res autem, inquit, definiti debet in sua formali significatione.

Hæc est fere quæstio de nomine, adeo ut mirum sit, doctissimos viros tot verba in re parvi, vel nullius momenti consumere; nam certum esse debet, Methodum sub utraque acceptione ad Logicam pertinere, sub prima quidem acceptione ad Logicam docentem, cujus murus est tradere regulas, & instrumenta sciendi, & ordinate sciendi, sub secunda autem acceptione spectat potius ad Logicam utentem, quam docentem; nam Logica utens, ut in quæst. proem. dictum est, talis appellatur, quia ponit in usum regulas, & præcepta logicæ docentis, cum ergo ordinate, ac distincte proceditur in aliqua facultate tradenda, talis progressus est actus logicæ utentis; ergo sub utraque acceptione Methodus ad logicam pertinet, & ab ipso sub utroque sensu considerari debet. Confirm. quia ut dictum est, non sumitur hic Methodus pro quocumque instrumento sciendi, sed peculiariter pro ipso ordine, qui in scientiis observari solet, ut rite, ac sine confusione tradantur, qua ratione ex communi sententia definiti solet, quod est habitus instrumentalis, seu instrumentum intellectuale, quo docetur cujusque discipline partes convenienter disponere, ut refert Zabar. l. 1. de Method. cap. 4. spectat autem ad logicam tradere methodum, & ordinem procedendi in scientiis: sicut enim ipsa tradit modum sciendi, ita etiam tradere debet modum ordinate sciendi, & procedendi in scientiis tradendo regulas, & præcepta ipsius ordinis; nedum ergo ad logicam spectat, ac ab ipsa definiti debet methodus sumpta pro ipso progressu, sed etiam sumpta pro ipsa regula, & norma procedendi in scientia, ac ordinis servandi; Et falsum est, quod dicebatur, methodum ex vi nominis significare præcise progressum ipsum, nam in quæstionibus de nomine, ut sæpe dictum est, communis, ac frequentior loquendi modus semper præferri debet; Methodus autem apud Philosophos nedum accipitur pro ipso progressu, sed etiam pro regula, & norma ordinate procedendi.

Secundo dubitatur, an de ratione methodi, ut hic sumitur, pro ipso ordine servando in scientia, ut de hoc prius agatur, quam de illo, sic quod prius ad cognitionem sequentis dirigatur. Negat Claram. l. 1. de Method. cap. 8. quod probat explicando notionem ordinis sensibili exemplo, nam si numeranda sint loca littoris Tyrreni, cujus ab Occidente principium est Monæci portus, ab Oriente est Leucopetra, potest numeratio ab alterutro termino exordiri, & esse ordinata, dum tamen caput ordo retineatur; v. g. si post Monæci, portum Albinium, inde Albiganum, postea Genuam memoraverit, atque ita subinde semper quæ succedunt in Orientem loca numeret; unde deducit ad rationem ordinis requiri quidem, quod de hoc prius, quam de illo agatur, nequaquam autem, quod prius ad sequentis cognitionem dirigatur, neque enim ad cognitionem Genuæ Albiganum pertinet.

Dicendum tamen est de ratione ordinis, ut hic de eo loquimur, ut nimirum est ordo doctrinæ, & præcipua species methodi, vel potius methodus ipsa servanda in facultate tradenda, esse quod prius ad cognitionem sequentis dirigatur. Probatur: quia licet de ratione ordinis, ut sic, sit esse dispositionem plurium secundum prius, & posterius, ut bene ostendit exemplum allatum, tamen ut ex mox dictis patet, de ratione ordinis doctrinæ est, ut ab iis incipiat, quæ sunt facilliora capta, & conferre possunt ad notitiam sequentium, & sic observari videmus ab Au-

ab Aucoribus ipsi, quæ in facultatibus tradendis non temere, & casu prius hanc dispositionem institunt, quam illam, sed quia hæc prior confert ad cognitionem sequentis. Conf. quia commune proloquium est, quod lectio lectionem aperit, ut per id ostendatur rectum doctrinæ ordinem tunc servari, quando non solum prius hæc lectio instituitur, quam illa, sed ita ut prior lectio conferat ad notitiam sequentis. Conf. tandem ex dictis ipsius, nam cap. 4. definit methodum sumptam pro ipso progressu, quod fit via ad cognitionem promovens absque errore, & hinc c. 6. deducit ordinem esse speciem methodi, quoniam & ipse est progressus a priori ad posterius, & ad cognitionem promovet, juvat enim ordo ad rerum cognitionem assequendam, sicut confusio impedit, ac perturbat, ergo de ratione ordinis doctrinæ est, ut prius ad cognitionem sequentis dirigatur, idque expresse docet Zabarel. loc. c. At respondet Claramont. ordinem in disciplinis tradendis utique nostram juvare cognitionem, non tamen in eo sensu, quod priora conferant ad cognitionem eorum, quæ posterius dicuntur, hoc enim convenit methodo specialiter dictæ, quam ponit speciem ab ipso ordine condistinctam; sed quatenus per ordinem tollitur confusio, quæ tum intelligentiam retardat, tum memoriam impedit, reminisceniamque penitus tollit, & hæc est utilitas ordinis per se, & præcise sumpti. Sed jam dictum est hic, sermonem non esse de ordine præcise sub ratione ordinis, sed de ordine doctrinæ servando in disciplinis tradendis, & dicimus hunc expostulare, ut quæ prius dicuntur, conferant aliquo modo ad posteriorem notitiam. Tum quia superfluum videtur ponere methodum specialem; veluti speciem per se ab ordine condistinctam, & cujus ratione fit, ut superius conferat ad cognitionem posterioris, nam ut dictum est, hic non est sermo de methodo pro quocumque instrumento sciendi, sed præcise pro ipso ordine doctrinæ, qui in scientiis observari solet, ut rite, ac sine confusione tradantur, quod præcipue contingit, quando priora conferunt ad posteriorem notitiam.

Tertio dubitatur, quænam sit norma ordinis doctrinæ, quam in scientiis tradendis observare debemus; Aliqui docuerunt ipsummet naturalem rerum ordinem esse regulam, & normam ordinis doctrinæ, ita ut ordo doctrinæ tunc rectus est, quando conformis est ordini naturali ipsarum rerum, id est quando in scientiis res illa prius cognoscitur, & consideratur, quæ etiam in essendo est prior, ita opinatus est Piccolomineus in sua Morali introductione cap. 14. & 15. & sequitur Averfa quæst. 30. Log. sect. 2. licet addat interdum etiam licere ob urgentem aliquam rationem facilitatis, & commoditatis, ordinem naturæ immutare. Alii ex opposito docuerunt normam ordinis doctrinæ universaliter loquendo esse faciliorem methodum nostræ cognitionis, ita quod cum in scientia primo tractamus res cognitui faciliores, & paulatim ad difficiliore ascendimus, rectum ordinem doctrinæ servamus, licet non servetur ordo naturalis rerum in essendo, quam opinionem late defendit Zab. lib. 1. de Met. a cap. 6. & lib. 1. Apolog. Mercenarius in suis dilucid. Faber. Theor. 18. Complur. disp. proem. Log. in append. q. ult. & alii quamplures, in quam etiam incidit Averfa cit. dum fatetur ipsum ordinem naturæ non semper solvere esse faciliorem, & commodiorem ad perfectam rerum notitiam assequendam, ac etiam Claramont. loc. cit.

97 Dicendum est cum secunda sententia, veteram normam ordinis doctrinæ esse faciliorem modum nostræ cognitionis, sive servetur ordo naturæ, sive non, quod addimus, quia ad hanc facilitatem interdum etiam juvat ipsemet ordo naturæ, ut nimirum res omnes eo ordine disponantur, quo ex natura sua sunt inter se connectæ, & ordinatæ; unde ordo doctrinæ non est adequate condistinctus ab ordine naturæ, sed interdum coincidit cum eo. Conclusio deducitur ex Scoto 1. d. 3. q. 2. ut bene Faber advertit, nam ibi ait Doctor Metaph. esse ultimam scientiam ordine doctrinæ, etiam si agat de principiis aliarum scientiarum, Philosophiam vero naturalem esse priorem; & plane ratio, cur Arist. has scientias sic ordinavit, non est, quia ordo naturalis rerum sic peteret, quia potius hic ordo oppositum postulabat, ut nimirum Metaph. præmitteretur, veluti quæ agit de principiis primis omnium rerum communissimis, non autem Physica, quæ agit de particulari ente; ordinavit ergo Philosophus has scientias hoc modo, & Physicam præmisit Metaphysicæ, quia illa est faciliior, utpote quæ est de rebus sensibilibus, quæ sunt cognitui faciliores.

Probatur autem conclusio manifestis Arist. auctoritatibus, & in primis 5. Met. tex. 1. adest auctoritas, quæ nullam patitur glossam, nam ibi distinguens inter principium essendi, & cognoscendi ait, principium doctrinæ non semper est principium rei, sed unde quis facile addicere potest, inquit enim, ut doctrina non a primo, ac rei principio aliquando inchoandum est, sed unde quis facilius discat. Nec valet solutio Piccol. quod ibi Arist. loquitur de via doctrinæ, id est de Methodo, & demonstratione, quæ est propria via sciendi, non autem de ordine doctrinæ. Hoc enim manifeste repugnat textui, ubi ponit varias acceptiones principii, & postquam locutus

est de principio doctrinæ, inferius in eodem capite loquitur de principio pro medio demonstrationis illis verbis, præterea cum cognoscibilis res est, principium hoc quoque dicitur, ut demonstrationum suppositiones, non ergo in priori loco loquitur de methodo, & via doctrinæ, sed de ordine. Item 1. Phys. tex. 4. assignans ordinem procedendi in scientia naturali ait, ab universaliore esse incipiendum, & rationem adducens inquit, quia sunt nobis notiora, quod etiam repetit 1. Ethic. cap. 4. ergo norma ordinis doctrinæ est faciliior nostra cognitio. Nec juvat respondere cum Piccol. quod illa non est sufficiens ratio, neque primaria, quia scilicet ex universalium cognitione facilius habemus cognitionem aliarum rerum naturalium, sed primaria ratio est, quia sunt priora, ideo illis cognitui facilius alia res cognoscuntur, nam ipse ordo naturæ faciliior, & commodior est ad perfectam rerum notitiam assequendam. Non valet; tum quia nimirum derogatur Philosopho dicendo statim in ingressu Philosophiæ defecisse non assignando primariam rationem, & sufficientem ordinis, quem servaturus erat in progressu; tum quia falsum est, universalia, de quibus ibi loquitur Arist. esse priora secundum ordinem naturæ, quia non loquitur de universalibus in prædicando, sed in continendo, ut dicimus in Phys. in expositione textus ex Scoto 1. d. 3. q. 2. O. Tum quia etiam si per universalia intelligeret ibi communiora, quæ sunt priora secundum naturam particularibus, adhuc tamen universaliter verum non est (& si interdum ita fit) quod ipse ordo naturæ faciliior sit; & commodior ad nostram cognitionem, atque ideo illa adhuc esse non posset primaria ratio, quia sunt priora; tum tandem quia etiam ipse ordo naturæ semper faciliior esset, hinc non sequitur, primariam rationem, cur velit Arist. ab universalioribus procedere, esse, quia ista sunt priora, imo potius sequitur oppositum, quia adhuc non conquiescit intellectus; sed adhuc querendum manet, quare vult agere prius de prioribus secundum ordinem naturæ? & respondere debemus, quia faciliorem cognitionem habemus servando hunc ordinem; cum ergo hæc sola causa, faciliior nempe modus nostræ cognitionis quietet nostram intellectum, ipsa sola erit primaria.

98 Præterea videmus Arist. pluries ordinem naturalem rerum prætermisisse, & ordinem nostræ faciliores cognitionis secutum esse; hinc prius egit de animalibus, quam de plantis, non alia ratione, nisi quia sunt nobis notiora, ut ipse dicit de log. & brevit. vitæ, & lib. 1. hist. animal. cap. 6. dicit prius se agere velle de differentiis, & accidentibus, quæ circa animalia contingunt, postea ad causas inquirendas ascendere, ait enim rationem congruam nostro naturali cognoscendi modo esse, ut a faciliores, & propinquioribus nobis ad difficiliora, & remotiora procedamus, & ibidem de partibus animal. cap. 20. reddens rationem, cur prius de homine agere velit, subdit, quia exteriorum partium ejus forma notissima est. Nec valet, quod ait Piccol. hoc ab Arist. factum fuisse ex accidenti; Quia Arist. ipse testatur se ita agere, quia ratio docendi expostulat, ut a faciliores nobis ad difficiliora procedamus; non ergo id fecit ex accidenti, sed consulto, & data opera. Et hæc sententia non solum fuit Arist. sed etiam Platon. lib. 2. de Rep. Galen. lib. 9. de decretis Hippoc. & Plat. cap. 2. & Avicen. in princ. lib. de Anim. quibus in locis unanimiter docent in rerum tractatione, & facultatibus tradendis a faciliores, & clarioribus nos exordiri debere. Demum huic sententiæ manifesta ratio suffragatur, nam et si pluries juvet res addicere eo modo, quo sunt a natura dispositæ, nam valde confert tractatum de communioribus præmittere tractatibus de particularibus, unde Arist. in lib. Phys. agit de principis, & proprietatibus corporis naturalis in communi, deinceps in aliis lib. de variis speciebus corporis naturalis; sæpe tamen etiam contingit rem aliquam, quamvis in essendo priorem, esse adeo reconditam, ut non aliter possit bene cognosci, quam ex prævia cognitione alicujus rei posterioris sensibus obviæ, atque ideo a nobis cognitu facillimæ, sic Arist. in Met. acturus de substantiis separatis prius agit de materialibus; & ideo non ordo naturalis rerum universaliter esse potest norma ordinis doctrinæ, sed faciliior modus cognitionis nostræ, unde semper debemus incipere a notioribus nobis.

99 Hic tamen advertendum est cum Fabro estat. cap. 2. in fine, quod cum dicimus ordinem doctrinæ postulare, ut a notioribus nobis exordium sumatur, per notiora nobis non intelligimus, quæ solent contradistingui a notis natura, sed per notiora nobis intelligimus illa, quæ facilius aliis initio scientiæ addiscimus, & ex quorum cognitione facilius in cognitionem aliorum in illa scientia devenimus; ex quo fit, ut etiam pluries in scientiis ordo doctrinæ sequatur ordinem naturæ, & priora natura declarantur, deinde posteriora; hoc autem non ideo fit, quia ordo naturalis sit norma veri ordinis doctrinæ; ut Piccol. arbitratus est, sed quia hic, & nunc ille ipse ordo naturæ est faciliior, & commodior ad assequendam notitiam aliorum in scientia contentorum, nec posteriora poterunt rite percipi, nisi supposita notitia priorum

secundum naturam, hac ratione Arist. prius egit de elementis, quam de mixtis, quia rite mixti naturam percipere non possumus, nisi prius elementa cognoscamus; Et per hoc facile conciliantur omnes Arist. auctoritates, quibus ipse testatur se ideo prius agere de quibusdam rebus, quia secundum naturam priora sunt, ita 1. Elench. cap. 1. & 3. Rhetor. cap. 1. lib. de sensu, & sensato in principio, 2. de gen. animal. cap. 4. 1. Phys. 57. 2. de Anim. 64. 2. de partibus animal. cap. 10. & in Phys. primo loco agit de principis rerum naturalium, quia secundum naturam priora sunt, quamvis alioqui sint difficiliora. Conciliantur autem omnes istae auctoritates, & consimiles dicendo Arist. saepe saepius conformasse ordinem doctrinae cum ordine naturae, non quia ordo ille naturalis sit norma veri ordinis doctrinae, sed quia facilius nostra cognitio tunc illum ordinem exoptulabat, & ordo ipse naturalis conducebat ad faciliorem captum aliarum rerum in scientia, unde & quod Arist. a prioribus secundum naturam incipit servando ordinem naturae, & quando eundem ordinem omittit, id semper facit ob faciliorem nostram cognitionem, ita quod modus facilius nostrae cognitionis sit semper norma ordinis doctrinae, sive incipiendo a prioribus, sive a posterioribus secundum naturam. Neque huic resolutioni adversatur, quod res sicut se habent adesse, ita ad cognosci, atque ideo ordinem in cognoscendo sequi debere ordinem in essendo, & ordinem scientificum conformem esse debere ordini naturali. Non sequitur, debet enim utrique scientia docere res, & modum, quo inter se sunt a natura dispositae secundum prius, & posterius, sed in docendo necessarium non est, quod illum modum imitetur, debet v. g. docere, quid sit Deus, quid creatura, & quod Deus est prior creatura, sed hinc non sequitur, quod pro declaranda Dei natura incipere non possit a creatura, quae est minor, juxta praecipuum D. Pauli ad Rom. 1. *invisibilia enim ipsius a creatura mundi, per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur.*

100 Quarto dubitatur in hac quaestione, an in facultatibus tradendis utendum sit methodo resolutiva, vel potius compositiva, ita enim dividi solet methodus, seu ordo scientificus in compositivum, & resolutivum, & quamvis Carpentar. disp. de Method. & Masius quaest. ult. proem. log. addant, & defendant tertiam speciem methodi, quam appellant definitivam, ex Gal. lib. de arte medic. a principio; communis tamen divisio methodi in compositivam, & resolutivam sufficiens est, & immediata, nec methodus definitiva est ab illis condistincta, ut Zab. ostendit lib. 2. de Method. & lib. 2. Apolog. & ita colligitur ex Arist. Ethic. cap. 4. ubi non nisi duplicis ordinis scientifici meminit in disputationibus servandi, unus est, qui est a principiis ad principia, qui proinde dicitur compositivus, nam partes componunt totum, & principia principiatum, alter est a principiatu ad principia, qui proinde dicitur resolutivus, quia totum in suas partes resolvitur, & principiatum in sua principia; Zab. loc. cit. docet ordinem compositivum esse proprium scientiis speculativis, nam cum istae non referantur ad finem aliquis operis faciendi, non possunt aliter ordinari, quam a principiis inchoando, & hoc esse de mente Arist. 1. Phys. capit. 1. Ordinem vero resolutivum docet esse proprium scientiis practicis, & artibus, nam ex notione finis, ad quem referuntur, artes sunt adinventae, & sic Arist. ipse docet 7. Meth. 23. in quavis arte prius considerari finem, deinde media, & in scientia morali ita observat, quia prius agit de felicitate, quae est finis, deinde de virtutibus, quae sunt media, itaque concludit in tradendis speculativis methodo compositiva utendum esse, sed in tradendis practicis resolutiva, quam opinionem sequuntur Complut. cit.

101 Dicendum tamen est, necessarium non esse speculativas procedere ordine compositivo, & practicas resolutivo, sed utrumque ordinem his, & illis intervenire posse juxta exigentiam nostrae facilioris cognitionis; ita P. Faber. cit. cap. 3. & tenet Averfa cit. & sequitur ex proxime dictis; jam enim conclusum est, ordinem doctrinae respicere nostram faciliorem cognitionem, sed multoties contingit, quod facilius addiscimus incipiendo a compositis, & principiatu ad prima usque principia procedendo, & ab effectibus nobis notioribus ad causas etiam in scientiis speculativis, ut supra probatum est, & multoties contingit oppositum etiam in practicis, ergo in utrisque facultatibus juxta exigentiam facilioris nostrae cognitionis arripere possumus unam methodum, vel alteram. Imo ut notat Averfa, contingere potest, ut plures partes ejusdem scientiae totalis, ita sint dispositae, ut una procedat ordine compositivo, alia resolutivo, v. g. pars illa Philosophiae, quae prius considerat mundum quantum ad compositionem, & structuram suam, unitatem, originem, & alia, deinde distincte considerat singulas mundi partes, procedit methodo resolutiva; alia vero pars, quae prius considerat elementa, deinde mixtum, procedit ordine compositivo.

Sed cum Zab. obiciat, quod ordo debet tradere cognitionem distinctam rei, ergo debemus incipere a communioribus, & a principiis, & causis, quae sunt nobis notio-

ra cognitione distincta. Conf. ex Aristot. qui 1. Phys. 57. & lib. 3. text. 2. & 1. de part. animal. cap. 1. & 4. docet prius de communibus agendum esse, deinde de particularibus; & ratio est, quia scientiae intendunt tradere explicitam, & distinctam rerum notitiam, sed notitia universalium requiritur ad explicitam cognitionem inferiorum, & particularium, ergo ab universalibus incipiendum est. Respond. cum Faber cit. negando assumptum, quia non spectat ad ordinem tradere cognitionem distinctam, vel confusam rei, id enim munus est instrumentorum sciendi, sed ordo proprie inservit solum facilitati scientiae; unde saepe venit, quod priori loco quaedam praemittimus, de quibus habemus solum cognitionem quandam rudem, & per rationes parum efficaces, non alia ratione, nisi quia hac rudis ipsa cognitio nos adjuvat ad acquirendam claram aliarum rerum cognitionem. Ad Conf. dicimus, ea probare tantum ordinem compositivum longe prestare resolutivo, & in disciplinis tradendis eo utendum esse, quantum fieri potest; non tamen probat, quod si necessitas, & commoditas addiscendum id exoptulet, non possumus interdum illum praetermittere utendo ordine resolutivo, praemittendo nimirum cognitionem rudem, & confusam effectuum, & compositivum, ut inde procedentes ad cognitionem causarum, & principiorum in hunc modum acquiramus cognitionem quoque distinctam eorumdem.

102 Quinto dubitatur, an quilibet scientia melius tradatur ordine expositionis, vel potius tractationis, an utrumque permiscendo; & ut sensus dubitationis pateat, tunc scientia traditur per modum expositionis, cum quis assumendo certum Auctorem, a quo scientia antea est tradita, ut Aristotelem in Philosophia, Magistrum Sententiarum in Theologia, fatagit illum explicare, & reconditis illius sensus aperire; & qui scientias in hunc modum tradunt per modum Commentarii non alio ordine procedere tenentur ab illo, quem servat Auctor principalis. Tunc vero scientia traditur per modum tractationis, cum quis aliquam scientiam tradit res tractandas in ea disponendo ordine quodam distincto, & exquisito prout veluti Martine adinvento, non autem cujusdam Auctoris textui innitendo. Tunc tandem mixto modo traditur, cum quis postquam certum Auctorem sibi exponendum assumpsit, occasione quorumcumque verborum, quae ab Auctore textus interponuntur, ex professo suas insinuat quaestiones, sic enim hucusque Auctores utrumque ordinem miscuerunt.

Antiquiores primo modo tam Philosophiam, quam Theologiam tradiderunt, nam Aver. Alexander, Themistius, Simplicius, Philop. & alii illam docuerunt Aristotelem commentando, istam vero Egidius, Scotus, Riccardus, D. Bon. & alii quamplures exponendo Magistrum. Secundo modo omnium primus Theologiam tradidit noster Aletis novo ordine contextendo summam theologicam jussu Innocent. IV. quem postea summa cum laude Sanctus Thomas est imitatus; & quidem immerito Averfa quaest. 30. sect. 1. & 7. hoc praconium subripit Aletis, ut tribuat Aquinati, qui aliis mille titulis cumulatus meritis hac laude non eget, nam id aperte testantur Abbas Tritam. in Catalog. scriptor. Ecclesiastic. Bartholom. de Pisis libro 1. Confirmat Firmament. trium ordin. parte prima, Sixtus Senen. libro 4. Bibliot. sanc. quorum testimonia extant affixa in principio Summae Aletis, & affirmant etiam primam scripsisse supra Magistrum; hoc etiam secundo modo nunc passim Recentiores Philosophiam tradunt, proprias namque, relicto Aristot. textu in angulo, contextunt quaestiones, ac disputationes, quasi nil referat scire Arist. mentem in rebus philosophicis, in quibus tamen veluti Magistrum, & oraculum antiquitas est venerata. Tertio tandem modo philosophiam tradiderunt Auctores quidam inferioris notae, qui occasione arrepta alicujus verbi, quod incidenter habet Auctor in textu, quaestiones intrudunt ad illum locum, & etiam interdum ad eam scientiam prorsus impertinentes, veluti sunt illi qui 1. Phys. ubi de principiis rerum naturalium agendum est, disputant de entis univocatione, quae spectat ad Metaphysicam, & de primo cognito quod attinet ad libros de Anima.

103 Dicendum breviter est, quod licet in Sacra Theologia conscribenda, in qua alium textum non habemus, quam Scripturam Sacram, & Sanctos Patres, ordo tractationis sit admodum accommodatus, ita ut apte disponantur materiae, & tractatus pro rei exigentia; Philosophia tamen, in qua habemus Arist. ut oraculum, & Magistrum, non bene traditur per modum purae tractationis textum prorsus omnittendo, quia Arist. textus vera est totius Philosophiae basis, & fundamentum; nec bene traditur per modum purae expositionis nullam prorsus contextendo quaestionem, quia ut ait Aristot. ipse in praedicamento ad aliquid, dubitare de singulis non est inutile, & quaestiones sunt, quae acunt, & exercent ingenia, & ad veritatem indagandam maxime juvant, utpote, quae efficaciores rationes pro alterutra parte producant ponderandas. Sed mixto quodam modo tradenda est, non quidem tali, qualis est ille jam relatus, quo hucusque Auctores quamplures usi sunt; imo hic ut penitus ineptus, & noxius est e scholis eliminandus, sed alio quodam sic accommodato, ut ab initio totus praemittatur Arist. text. in summam redactus, & deinde quaestiones, ac disputationes contextantur illi respondentibus vel eo ordine dispositae, quo textum Arist. ordinavit, vel alio noviter adinvento, ut introducti possint quaestiones, quae de novo pertractantur; sic nos logicam modo contextimus, quia Summas praemissimus, & Arist. textus breve compendium, & nunc disputationes subnectimus illis respondentibus, eundemque ordinem servabimus in Physicis, & in aliis libris tenebimus.

commodato, ut ab initio totus praemittatur Arist. text. in summam redactus, & deinde quaestiones, ac disputationes contextantur illi respondentibus vel eo ordine dispositae, quo textum Arist. ordinavit, vel alio noviter adinvento, ut introducti possint quaestiones, quae de novo pertractantur; sic nos logicam modo contextimus, quia Summas praemissimus, & Arist. textus breve compendium, & nunc disputationes subnectimus illis respondentibus, eundemque ordinem servabimus in Physicis, & in aliis libris tenebimus.

104 Dubitatur tandem, quis ordo servandus sit in quilibet quaestione disponenda, praesertim quando circa illam variae, ac inter se repugnantes extant Auctorum sententiae; & quidem cum tota quaestio in his duobus vertatur cardinibus, in alienis nimirum impugnantibus, & propriis confirmantibus, hoc tribus modis fieri potest; primo ut aliena referantur, & rejiciantur, propriae deinde introducendo sententiam, & confirmando, quem ordinem observavit Arist. 1. Phys. agens de rerum principiis, & 1. Coeli agens de origine mundi, & 1. ac 2. lib. de Anima agens de natura ipsius animae, & 1. Ethic. agens de humana felicitate; secundo ut prius propria aperiantur, & solidetur sententia, postea aliena referantur, & confutentur, quam methodum servavit 3. Phys. agens de motu, ubi prius suam tradit definitionem de motu, deinde Antiquorum; tertio demum, ut prius quidem aliena referantur sententiae, & minus probabiles, & postea propria, & magis probabilis, sed illae non rejiciantur, nisi dum propria fulcitur sententia, ita quod simul, & semel propria probetur sententia, & oppositae referantur, & proprie confirmatio sit alienae confutatio, ac e contra; & sane hic ordo magis expeditus est, & brevitas adaptatus, nam sic non oportebit in plures articulos quaestionem dividere, in quorum uno aliorum sententiae referantur, & in alio propria introducatur, atque probetur, sed in uno, & eodem articulo ambae partes commode exequi poterunt simul, & semel propria confirmando, & contrariam evertendo, & hunc ordinem nos fere semper observabimus in quaestionibus disponendis, nisi interdum magna

sententiarum copia circa eandem quaestionem peteret hunc ordinem aliquantulum immutari.

105 Sed quamvis hac methodus in quaestionibus disponendis modo sit familiaris, & consueta, tamen in referendis, & dissolvendis alienae sententiae argumentis non eodem modo procedunt omnes; quamplures enim dum ab initio quaestiois aliorum proponunt opiniones, illas adducunt cum suis fundamentis, quae postea dissolvunt in fine quaestiois ex declaratione propriae sententiae, quam posuerunt in corpore quaestiois, & hac methodo usi sunt univ ersaliter omnes antiqui Scholastici, quam etiam Arist. ipse commendat 3. Met. text. 1. nam visis aliorum rationibus maturius fertur de veritate iudicium, inquit Philosophus. Verum, ut advertit Averfa cit. quamvis hac methodus sit valde illi commoda, qui propria industria, & exercitatione veritatem indagare contendit, ille tamen Auctor, qui veritatem inventam aliis tradere, & persuadere contendit, consultius utique procedet, si ab initio quaestiois referendo aliorum sententias, illarum fundamenta non referet, sed differet ad finem quaestiois, postquam suam stabiliverit sententiam, ea simul referendo, & dissolvendo, & ratio est, quia si in quaestiois vestibulo referantur non solum sententiae aliorum, sed etiam eorum fundamenta, cum tunc intellectus addiscit sententiam sit nudus, & tanquam tabula rasa, imbutur quodammodo primo illis falsis fundamentis, unde minus facile postea disponitur ad assentiendum rationibus propriae sententiae, cum semper anxius maneat de solutione argumentorum oppositae sententiae, melius igitur est, ut intellectus primo imbuatur fundamentis verae sententiae, neque tali anxietate laboret. Accedit ulterius experientiam ipsam docere, quantum afferat incommodi Tyronibus conferre solutiones in fine quaestiois positas cum argumentis ab initio praemissis, magnum plane est incommodum; & praesertim quando quaestio est prolixia, quod si post argumentum Adversarii relatum statim sua immediata subdatur solutio, confestim gaudet addiscit ingenium, nec manet anxius, aut perplexus, & melius solutionem memoriae mandat.

DISPUTATIO SECUNDA.

De vocibus, & communibus earum affectionibus.

Scientia quaecumque, ut more humano tradatur, vocibus indiget, quae sunt manifestativae conceptuum; quia igitur logica est instrumentum generale omnium scientiarum, tenetur hac ratione, quatenus nempe sunt signa conceptuum, tradere de vocibus, ut colligitur ex Arist. lib. 1. Perhier. cap. 1. & ibi docet S. Thom. lect. 2. & quibusdam earum communibus affectionibus, aquivocatione nimirum, univocatione, analogia, &c. a quibus proinde consulto Arist. suam inchoavit Logicam, & non ex abrupto, ut putavit Averfa quaest. 2. sect. 4. quasi tractatus aliquis ex Arist. Logica sit amissus injuria temporum, qui illum precedebat; Et Isagoge Porphyrii hanc tractationem precedere non debet, sed sequi, cum Arist. ipse de praedicabilibus agat cap. 2. antepredic. quantum satis illi videbatur ad librum praedicam. unde male disputatio de Univocalibus communiter praemittitur disputationi de Univocis, & Aquivocis, cum re vera pertineat ad cap. 2. antepredic.

QUESTIO PRIMA.

Quid voces significant, & quomodo, hoc est, an res, vel conceptus, & unum naturaliter, vel ad placitum.



ertum est, cum externo sermone aliquid significare intendimus, duo in mente loquentis praesupponi, rem, scilicet, cognitam, de qua loquitur, & illius rei cognitionem, quae conceptus formalis appellari solet, sicut res ipsa cognita, ut sic conceptus objectivus; difficultas igitur est, quidnam horum voce significetur principaliter, & immediate. Afferunt quamplures voces immediate significare conceptus ipsos formales, & res ipsas mediantibus illis, ita D. Thom. 1. p. quaest. 13. art. 1. & q. 9. de potentia art. 5. & 1. Perhier. lect. 1. & videtur fuisse communis opinio expositorum Arist. Ammonii Alex. Averrois, Boet. Porphy. & aliorum; addunt tamen nonnulli hujus opinionis Auctores, quod licet voces immediatius significant conceptus, quam res, principalis tamen significant res, quam conceptus, quia ipse conceptus ordinatur ultimae, & principaliter ad representandum ipsam rem, cujus est similitudo intentionalis, ita Jo. de S. Thom. 1. p. Log. quaest. 1. art. 5. quae fuit opinio Bassolii 1. d. 22. quaest. 1. art. 1.

Alii vero absolute dicunt; per voces significari res ipsas non solum primario, & principaliter, verum etiam directe, proxime, & immediate, & haec est communior opinio, quam sequuntur Nominales omnes Ocham, & Gabr.

1. d. 22. quaest. un. & passim Recentiores Fonsec. 2. Met. cap. 1. quaest. 2. sect. 4. Valsq. 1. p. disp. 57. num. 8. & disp. 75. c. 3. Suar. 1. p. tr. 1. l. 2. c. 31. num. 6. Hurt. disp. 8. Log. sect. 3. Arriag. disp. 13. sect. 2. Ruvius qu. 1. Murcia disp. 2. quaest. 1. Amic. tr. 31. disp. 1. quaest. 1. dub. 4. Averf. quaest. 6. Log. sect. 4. Ovyed. contr. 8. Log. num. 7. Ponc. disp. 9. Log. quaest. 2. & fuit sententia Scoti, quamvis enim 1. Perhier. quaest. 2. problematice procedat, & dicat, quod attendendo auctoritatem prima opinio est probabilior, sed attendendo rationem secunda, postea tamen in 1. d. 27. quaest. 1. ad 2. princ. resolute docet res ipsas, non vero earum conceptus per voces immediate, & principaliter significari, imo disertis verbis declarat ibi res tantum proprie loquendo significari per voces, & nullo modo conceptus, nec mediate, nec immediate, quia litterae, voces, & conceptus sunt signa immediata unius tantum significati, scilicet, rei, nec unum proprie est signum alterius, sed pro tanto dici solet signum, quatenus dat illud intelligere, nec signum posterius significaret, & nisi signum idem significatum immediatius manifestaret; unde concludit Doctor, litteras, voces, & conceptus adinvicem subordinari in ratione signi prioris, & posterioris, veluti subordinantur plures effectus ab eadem causa immediate producti; non autem in ratione signi, & significati, quia proprie loquendo litterae non significant voces, nec voces conceptus, sed haec omnia sunt immediata signa ejusdem significati, scilicet, rei, & hunc dicendi modum passim Scotista docent 1. d. 22. & 1. Perhier. quaest. 1. ut Tat. Jo. de Mag. & alii.

Circa alteram quaestiois partem de modo significandi vocum non est difficultas inter Peripatheticos, omnes namque unanimi consensu docuerunt voces articulatas (ex his enim

enim constituitur humanus sermo, de quo hic loquimur) non significare naturaliter, sed ad placitum, hoc est voces ex sua naturali virtute nullam vim habere significandi, sed ex sola hominum impositione. Oppositum docuerunt veteres quidam Cratylus, & Heraclitus apud Ammonium 1. Periher. c. 2. & Pythagorici apud Dixippum ibidem cap. 6. ex quo inferebant sapientis munus non esse rebus nomina imponere, sed nomina rebus imposita a natura ipsa admittere.

2 Dicendum est pro solutione quaestri quoad utramque partem, per voces significari res ipsas non solum primario, & principaliter, sed etiam proxime, & immediate, imo proprie loquendo solas res significari per voces, & nullo modo conceptus, non quidem naturaliter, sed ad placitum. Conclusio est fere communis, & probatur quoad omnes, & singulas partes, & Primo quidem, quod significant res ipsas, principaliter Auctores ipsi primae opinionis libenter admittunt; tum quia id manifeste docuit Arist. 1. Elench. cap. 1. ubi ait, quod in disputatione pro rebus utimur nominibus, quia res ad disputationem afferre non possumus, sicut in ludo utimur fabis pro nummis, & 4. Met. 28. ratio, inquit, quam significat nomen, est definitio, at definitio indicat veram essentiam rei, tum quia id principaliter significatur, ad quod significandum primario nomen imponitur, & quod repraesentatur intellectui audientis ad prolationem nominis; sed intentio imponentis nomen principaliter est, ut significetur res, unde Genes. cap. 2. nomina dicuntur imposita rebus, & statim audito nomine ferimur in res, & constituitur intellectus rei, non autem speciei, vel conceptus; tum etiam si voces primario conceptus significant, omnes propositiones de secundo adjacente essent verae, ut istae, Antichristus est, Chymera est, quia intellectio Antichristi tunc est, & pariter intellectio Chymerae, & e contra omnes de tercio adjacente, in qua unum enunciat de alio, essent falsae, nam dum dicitur, homo est animal, sensus esset, quod intellectio hominis est intellectio animalis; tum demum, quia ipse conceptus ordinatur ultimate, & principaliter ad repraesentandam ipsam rem, cujus est similitudo intentionalis, ergo vox, quae substituitur solum loco conceptus, ad eandem repraesentandam principaliter ordinabitur, quae rationes tanguntur a Scoto 1. Periher. quaest. 2.

3 Secundo, quod non solum principaliter, sed etiam directe, & immediate res ipsas significant, probatur eisdem rationibus, & adhuc ulterius, quia significare est deducere audientem in notitiam rei significatae, at nomina immediate deducunt in rerum notitiam, quia quod prius obicitur intellectui audientis per nomen, est res ipsa, nam audito nomine lapidis statim lapidem ipsum concipimus, non autem cognitionem, quam de lapide habet loquens, immo illa non nisi per reflexionem attingitur, quia prius concipimus lapidem audito ejus nomine, & deinde fit reflexio, quod loquens talem rem intelligit. Accedit ex Tat. cit. quod potest res audientem repraesentari nihil cogitanti de cognitione loquentis, ut experientia constat, ergo per vocem res immediate repraesentatur, & non ejus cognitio. Demum conceptus non significatur, ut id, ad quod sit impositum nomen, ergo non potest immediate significari nomine, quia nominis immediata significatio est ab imponente nomen. Quod autem diximus de vocibus in ordine ad conceptus, idem dicendum est de littera, & scriptura in ordine ad voces, litteras nempe scriptas principaliter, & immediate significare res ipsas, non autem voces ut contendit Averfa cit. in fine sect. & Arriaga n. 36. quia Arist. 1. Periher. c. 1. eandem paritatem affirmant inter litteras, & voces, ac inter voces, & conceptus, & Scotus cit. ait haec tria, litteras, voces, & conceptus esse immediata signa ejusdem rei significatae; & tandem quia urget eadem ratio, quia si scriptura immediate significat vocem, haec propositio scripta, homo est animal, esset falsa, sensus enim esset, quod haec vox homo, est ista vox, animal, qua ratione Arriaga convictus fatetur sub num. 38. scripturam immediate supponere pro rebus, esto eas non ita significet. Posset tamen in hoc sensu dici voces proxime, & immediate significare conceptus, & litteras voces; quatenus cum nequeamus immediate causare notitiam rei in intellectu audientis Angelorum instar ratione impedimenti corporis, loco conceptuum subrogamus, & immediate substituiamus voces, quae excitando mentem audientis ingerunt illi notitiam rei significatae, & cum non possunt absentem alloqui ratione distantiae, loco vocum immediate litteras, & epistolas substituiamus, atque ita voces gerunt immediate vices conceptuum, & litterarum vocum; unde hac ratione possumus dicere litteras immediate significare voces, & voces conceptus in animo; neque quid amplius probant Auctores modo cit.

4 Tertio probatur hinc tercia pars conclusionis, quod scilicet voces, & conceptus subordinentur invicem in ratione signi prioris, & posterioris, non autem proprie in ratione signi, & signati, quia ut notat Joan. de S. Thoma cit. unum significare mediante alio potest intelligi tripliciter; primo mediante alio, tanquam ratione formali, non tanquam re repraesentata, & sic vox dicitur significare media impositione, conceptus media similitudine intentionalis; secundo mediante alio, ut re repraesentata, tanquam prima-

rio, & immediato significato, & sic homo dicitur significare immediate hominem in communi, & mediate Retrum; tertio mediante alio, non ut re significata, sed ut principali significante, cujus vox est substituitur, & quasi instrumentum, & hoc modo vox significat conceptum, ita Auctor relatus, & est quod Scotus docet vocem dare intelligere, & insinuare conceptum in ratione signi prioris, & principalis, non autem in ratione rei significatae; ex quo patet hanc controversiam, si bene sensus Auctorum utriusque sententiae perpendatur, esse de solo nomine. Sic tamen advertendum est cum Bargo in 1. d. 27. ad secundum 1. quaest. & Tatar. cit. non eodem modo litteras subordinari vocibus, ac voces conceptibus, quia voces sunt ita per se conceptibus subordinatae in significando, quod res nullatenus significant, nisi earum cognitio praecederet in mente loquentis, non enim narrare possumus, quae ignoramus, & non cogitamus, sed non ita litterae sunt vocibus subordinatae, quia vocibus non existentibus adhuc litterae, & scripturae significant, & sua significata ostenderent, & hic mos scribendi apud Aegyptios fuit in usu, qui figuris quibusdam, quae Hieroglyphica dicebantur, non voces aliquas, sed immediate res ipsas denotabant, qui mos scribendi adhuc apud Japonios viget, ut referunt Historici, qua ratione Valles. cap. 3. de sacra Philosoph. ait scripturam per se significare independentem a vocibus; & idem constat apud nos de figuris numeros significantibus, quod ultro concedit etiam Arriaga citat. licet neger de aliis vocibus.

5 Quarto probatur quoad ultimam partem, voces nempe significare res ex voluntaria hominum impositione, non vero ex earum naturali virtute, quia ita docuit Arist. 1. Periher. cap. 2. & 4. & Plato in Cratyllo, ut refert Alcinous capit. 5. Scotus 1. Periher. quaest. 4. & 2. d. 42. quaest. 2. ad 2. & 4. d. 1. quaest. 5. tum quia aliqui ad omnibus nationibus omnes linguae intelligerentur, sicut alia signa, quae naturaliter significant, & eadem voces apud omnes significant; & fandi a nativitate loqui possent, si a natura voces nobis inessent, sicut naturaliter formantur gemitus, & suspiria emittunt; tum etiam signum naturale non patitur mutationem ex usu, vel consuetudine, sed est independentens ab hominum voluntate, voces autem mutantur in dies; item signum naturale significat tantum rem aliquam determinatam, sed eadem vox saepe multa significat, & interdum opposita, ergo. Demum, quod magis urget, Sacra Scriptura 2. Gen. docet Adam imposuisse nomina rebus. Id autem, quod de vocibus dictum est, de litteris etiam intelligendum est, quia non est aliqua naturalis vis insita characteri sic, vel aliter efformato ad unam, vel aliam litteram denotandam, sed hominum placito factum est, ut haec, & illa littera sic, vel sic effingeretur, unde sicut non apud omnes extant eadem voces, ita nec litterae eadem.

6 In oppositum obicitur primo auctoritate probando voces primo, & immediate significare conceptus, id namque manifeste docuit Arist. 1. Periher. cap. 1. dum dixit, Voces esse signa earum, quae sunt in animo passionum, & Aug. 15. de Trinit. cap. 11. ubi ait Verbum, quod foris sonat, esse signum verbi, quod intus later, & omnes denique ajunt, res significari per voces, quatenus cognita, quia non potest quis externo sermone quidpiam significare, nisi prius actu interno intellectus illud cognoverit, ergo voces primo, & immediate significant conceptus, & illis mediantibus res extra manifestant. Resp. dictum Arist. diversimode explicari solere, ac magis recepta expositio est, quam tradit Doctor cit. 1. d. 27. quod voces significant conceptus, non ut rem significatam directe, sed ut principale significativum, ita quod subordinantur non in ratione signi, & signati, sed in ratione signi prioris, & posterioris, nam intellectus prius per cognitionem res apprehendit, deinde illas immediate per nomina significat, & in hoc sensu explicat Scot. cit. dictum Aug. & in eodem dicuntur res significari, quatenus cognita, & mediis conceptibus, non quidem reduplicative, quasi cognitio mediet, ut objectum ad quod significandum sunt voces impositae, sed specificative, ita ut solum mediet, veluti conditio, necessario praerequisita ad rem extra significandam, quia ut ait Doct. cit. 1. Periher. significare praesupponit intelligere, sicut illud, sine quo non, quia non prius res ore profertur, quin mente concipiatur.

7 Secundo arguitur ad idem rationibus. Tum quia voces sunt inventae, ut homines suos expriment conceptus, ergo sunt immediata signa illorum. Tum 2. per voces saepe significamus res in eodem statu, quem habent in nostro intellectu, ut cum significamus albedinem, vel aliud accidens in abstracto, quod tamen in re non est abstractum. Tum 3. tam haec voces incomplexae intellectio, cognitio, quam haec complexae intelligo, cognosco, significant immediate conceptus nostros. Tum 4. gemitus animalis significat immediate dolorem ejus internum, ergo patet, voces hominis immediate passiones ejus multas significare debere. Tum 5. quia de facto multa syncategorematica solos conceptus significant, ut si forte, & similia dubitationem significant. Tum 6. voces sunt mentis nostrae interpretes, sed interpretes prius verba referre debet,

debet, quam rem ipsam interpretetur, ergo voces prius, & immediatus significant conceptus, quam res. Tum 7. quando unum signum substituitur loco alterius, necesse est, quod prius indicet signum, pro quo substituitur, quam rem ab illo significatam, quia tendit in rem beneficio illius, sed voces substituantur pro conceptibus, ergo immediatus significant conceptus. Tum demum, quia alioquin non daretur mendacium, nam mentiri est contra mentem ire ex D. Thom. 2. 2. quaest. 110. art. 3.

8 Resp. ad 1. inventas esse voces, ut homines suos expriment conceptus objectivos, non formales, & hoc loquendo regulariter, quia interdum etiam accidere potest, ut principalis intentio loquentis sit alteri exprimere non res, sed quid ipse sentiat de rebus ipsis, an bene concipiat; unde verum est aliquando ex intentione loquentis principaliter primitate finis significari conceptus. Ad 2. in eo etiam casu voces ita significant albedinem, vel aliud accidens in abstracto, ut immediate non significant abstractionem ipsam loquentis, quare etiam in eo casu voces sunt immediata signa rerum. Ad 3. illae etiam voces attingentes actus mentis significant illos, ut sunt res quaedam cognita, & objecta, non ut puri actus, vel conceptus intellectus. Ad 4. negatur paritas, quia gemitus est vox inarticulata naturaliter significans, non ita humanus sermo. Ad 5. talia syncategoremata si per se proferantur, nullam rem significant, ut dictum est 1. p. inst. Log. tract. 1. quod si dubitationem significant, illam certe significant, ut rem quandam sub objecto intellectus cadentem, non ut actum, & purum mentis conceptum. Ad 6. paritas tantum in hoc valet, quod voces interpretantur mentem, quae dicuntur interpretes, sicut interpretes interpretantur verba ejus, cujus dicitur interpres, modus tamen interpretandi utriusque est diversus, quia interpres prius exprimit verba, deinde res, voces vero prius exprimit res, deinde conceptus. Ad 7. probat tantum voces prius indicare conceptum, quam rem, in ratione signi prioris, & principalis, cui subordinantur, ut signum minus principale, quod libenter admittimus, non autem probat prius indicare conceptum in ratione rei significatae. Ad 8. sufficit ad mendacium, quod teneamus per voces exprimere nostros conceptus objectivos, & quid in mente habemus.

9 Tertio obicitur probando, quod voces significant naturaliter, nam dantur quaedam nomina, quae tantam affinitatem habent cum rebus significatis, ut quaedam proportio naturalis, & particularis efficacia videatur illis indita a natura ad hujusmodi res significandas; sunt enim quaedam voces rigidae, & asperae, quae similibus rebus significantibus sunt idoneae, v. g. ferrum, conturbatio, contritio; similiter bombus, sibilus, tinnitus videntur naturaliter significare sonum illum, ad quem significandum illis utimur. Accedit, quod in idiomatum varietate periti testantur vocem hanc *saccus* idem repraesentare apud omnes nationes, signum evidens dari sermonem, a natura hominibus inditum, quo uteretur infans (juxta quorundam placitum) in filvis enutritus, & ab omni hominum loquentium consortio segregatus naturalis instinctu. Item si omnis vox significaret ad placitum, haec quoque propositiones essent verae, homo est asinus, Deus est diabolus, quia quilibet terminus istarum institui potest ad quolibet significandum. Tandem in Genes. loc. cit. nomina ab Adamo rebus imposita dicuntur propria illarum, quo manifeste indicatur, non fuisse imposita omnino ad placitum, alioquin male dicerentur propria rerum.

10 Resp. ad 1. probare solum quaedam esse voces, quae non temere, ac mere sortuito fuerint rebus impositae, sed rationabili occasione, & spectatis earum proprietatibus, ut Doctor advertit 1. d. 22. quaest. un. §. potest dici breviter, hinc autem deduci non potest, quod talem significationem habeant a natura, quod ex eo patet, quod multi istas voces non intelligunt, & voces valde affines aliud significant. Ad 2. illa vox tantum dicitur naturaliter significare, quae apud omnes nationes idem repraesentare nata est, etiam si circa ipsam nulla fuerit facta impositio; ex quo sequitur, quod si illa vox *saccus* per totum orbem idem significet, non ob id dicenda est significare naturaliter, sed ex hominum impositione, qua praecisa nihil significaret; unde contendunt aliqui esse vocem origine Hebraea, & habere vim significandi ex instituto saltem Hebraeo, a quo prima illa lingua instituta est, & retentam fuisse in dispersione aedificantium turrim Babylonis, cum enim discendum esset, singuli saccos suos querebant, in quibus res suae continebantur, eodem utendo vocabulo, quae tamen existimatio nullum habet fundamentum; sed adhuc magis vana est existimatio illa de infante in filvis enutrito, si namque talis loquela daretur a natura hominibus indita, si namque talis eam retineret, etiam si alium sermonem addiceret, ut notat Averfa cit. sect. 2. sicut sermonem patrum semper retinemus, etiam si alium quemcumque extraneum apprehendamus; igitur infans enutritus in filvis nullo idiomate loqueretur, ut liquet ex celebri illa historia, quam refert Herodotus lib. 20. de infantibus enutritis in filvis cum pecoribus, qui post biennium demissi emittebant solum hanc vocem *becor*, quam a capris, cum quibus erant enu-

triti, didicerant. Ad 3. vox non dicitur significativa ad placitum, quia significat ad placitum hujus, vel illius, sed quia significat ad placitum alicujus totius communitatis, vel alicujus auctoritatem in ea, unde non licet cuique fingere significata vocabulorum, sed standum est usui communiter loquentium; ut docet Scot. 4. d. 1. quaest. 5. juxta quem propositiones illae *homo est asinus*, &c. verificari non possunt. Ad 4. nomina rebus ab Adamo imposita dicebantur propria rerum, quia ex ejus institutione omnes deinceps illis uti sunt, eo modo, quo nunc *homo* dicitur nomen proprium animalis rationalis, & Franciscus nomen proprium cujusdam individui, quia omnes illis utimur ad has res significandas.

Q U A E S T I O II.

Quid importet vocis significatio, & quomodo exercentur.

11 Quid sit significare, quidve signum, a quo verbum significare derivatum est 1. p. Inst. dialect. tr. 1. cap. 2. obiter declaravimus; nunc ex professo examinandum est, quid importet vocis significatio; & ut quae sit sensus magis eluceat, hic per significationem intelligimus vim, quam habet vox in actu primo per impositionem ad hanc, vel illam rem significandam, & quae sit, quid dicat, quidve ponat in ipsa voce, & loquimur de vocibus articulatis ad placitum significantibus, non vero de inarticulatis, & naturaliter significantibus, in his enim clarum est vim significativam aliquid reale importare, potentiam nempe, & aptitudinem talis vocis ad talem rem significandam, ut gemitus ad denotandum dolorem, visus gaudium; loquimur ergo de vocibus articulatis, quae vim significandi habent ex hominum impositione, quid dicat significatio in his vocibus, & quomodo exercentur, id est quomodo ingerat audienti notitiam rei significatae.

D. Thom. 3. p. quaest. 62. art. 4. ad 1. sensisse videtur, hanc significationem esse formam realem, & intrinsecam ipsi voci, veluti vim quandam, & virtutem inexistentem illi signandi notitiam rei significatae in mente alterius, ita ut contineat in se virtualiter conceptum rei, quem causat in animo audientis, sic enim loquitur, *In ipsa voce sensibili est quaedam vis spiritualis ad excitandum intellectum hominis*, & hinc consequenter voluisse videtur, quod exercitium significationis vocis, cum actu generat notitiam rei significatae, fiat per aliquam casualitatem physicam, qua vox producat cognitionem; quam opinionem refert, & refellit Doctor in 2. d. 42. ad 2. quaest. & in 4. d. 1. qu. 5. B. ubi de hac re suam explicavit sententiam, quae est communiter recepta, & sequentibus conclusionibus declaratur.

12 Dicendum in primis ad significationem in actu primo nullam formam realem, & intrinsecam ipsi voci dicere, absolutam, aut respectivam, sed solum denominationem realem extrinsecam derivatam in ipsa a voluntate primi instituentis. Conclusio quoad utramque partem est Scot. loc. cit. quam tenent Recentiores, omnes Hurtad. disp. 8. Log. sec. 2. Arriaga num. 20. & 21. disp. 13. Averfa qu. 6. Log. sec. 3. & alii passim; Quoad primam partem probatur a Doctore; tum quia si vox haberet talem virtutem, ut ait S. Thom. tunc movere posset intellectum audientis secundum illam intentionem, in quantum, scilicet, est vox significativa, & sic vox Latina, v. g. lapis moveret intellectum Graeci audientis eam causando in eo conceptum lapidis, quem in se continet, probatur consequentia, quia conceptus significat idem apud omnes; tum quia talis virtus per modum qualitaris spiritualis, ut ponebatur a S. Thom. non potest inesse voci, quae materialis est, & corporea, nequit enim accidens spirituale recipi in subjecto corporeo praesertim naturaliter, tum tandem quia in voce imposita ad significandum nulla talis forma reperitur ex natura rei; ut patet de voce, *blivvi*, ergo neque post impositionem recipit aliquam talem formam, sive absolutam, sive relativam, sicut neque in ramo apposito ad vendendum vinum ex tali impositione ulla qualitas de novo, vel realis relatio imprimitur.

Forte dices, ex tali impositione derelinqui saltem in signo relationem realem ad signatum. Sed neque hoc dici potest, quia idem proffus signum simul, & *semel* a diversis imponi potest ad opposita significanda, at relationes reales oppositae eidem simul convenire non possunt. Si dicas convenire posse ex diversis impositionibus, veluti ex diversis rationibus fundandi. Contra est, quia impositio nihil reale, & physicum importat in signo, cum ab imponentis voluntate nihil reale producat, nec in re voluta, nec in voce imposita, nec in re significata, ergo nequit esse ratio fundandi relationem realem.

13 Ex hoc probata manet altera conclusionis pars, si enim haec vis significativa in vocibus non est aliqua qualitas impressa in voce a voluntate imponentis, neque relatio realis in voce derelicta, sequitur aliud non esse, quam de-

nominationem realem extrinsecam derelictam ab actu voluntatis primi imponentis, quæ explicari potest per relationem rationis, ut Scot. docet loc. cit. in 4. Et probatur, quia nucem, vel ficum significare hunc, vel illum fructum, aliud non est, quam hoc vocabulum institutum fuisse ab hominibus, ut proferatur a quocunque, qui talem fructum intendat significare, id autem in tali voce non dicit, nisi denominationem realem extrinsecam. Accedit, quod esse cognitum; esse volitum in objecto non dicit, nisi denominationem extrinsecam ex Doct. cit. in fine qu. sed hominem v. g. significare animal rationale aliud non est, quam hoc vocabulum *homo* fuisse assumptum a voluntate primi instituentis ad id significandum, quod non est, nisi terminatæ voluntatis primi instituentis. Denique hæc significatio potest in vocibus mutari ex usu, vel consuetudine, ut experientia constat, ergo significare non est quid reale vocibus intrinsecum, sed penitus extrinsecum, ex voluntate hominum pendens; id tamen explicari potest per relationem rationis, quatenus hæc significatio in voce concipitur quasi virtus quædam intrinseca fundans relationem ad notitiam signandam in mente audientis; absolute tamen loquendo ita explicari non debet, quia ita non explicaretur, quid dicat a parte rei.

Sed dices, licet significatio in potentia proxima, id est vis, quam habet vox per impositionem ad significandum, non dicat quid reale in voce, significatio tamen in potentia remota, quatenus, scilicet, potest vox assumi ad hoc, vel illud significandum, videtur dicere aliquid reale. Resp. hæc etiam potentiam remotam, vel non dicere, nisi denominationem extrinsecam derivatam a voluntate potente imponere, vel ad summum capacitatem, & potentiam quasi obedientialem ad agens intellectuale, ut illa utatur, veluti signo, ad quicquid velit significandum.

14 Dicendum secundo exercitium significationis vocis, cum scilicet, ingerit audienti notitiam rei significatæ, non fieri per aliquam causalitatem physicam, quia vox producat cognitionem, seu conceptum rei in mente, sed fit per quandam excitationem, & causalitatem veluti moralem, qua vox moraliter excitat mentem auditoris, ut ad prolationem vocis, cuius significationem scit, statim eliciat rei significatæ conceptum merito speciei impressæ illius, quam præhabet. Conclusio quoad utramque partem est Scoti loc. cit. & prima pars patet ex conclusione præcedenti, cum enim vox sit accidens materiale, non potest habere vim producendi cognitionem intellectus, quæ spiritualis est. Alteram partem vero probat Doctor declarando modum, quo vox ingerit notitiam rei significatæ in audiente, modus autem est hic, quod vox tantum immutat sensum auditus, nec habet causam in sensu, vel in phantasia, vel in intellectu, nisi conceptum vocis ex se, auditu tamen immutato a voce significatæ immutatur phantasia, & memoria, & rememoratur rei, cui tale nomen fuit impositum, & sic excitat intellectum ad considerationem illius rei, cuius prius habuit notitiam, non enim moveret, & excitaret, nisi res, cui imponitur, prius fuerit sibi nota, & quoad ad rem illam significandam imponebatur, & si hæc conditiones sunt in audiente, tunc vox reducit præfato modo intellectum ad actualem intellectionem illius rei prius notæ habitusliter per speciem prius habitam, ita loquitur Doctor in duobus locis jam cit.

15 Ex hoc colligitur, quod ut vox significatæ suum munus exerceat, deat, scilicet, mentem audientis in cognitionem rei significatæ, triplex notitia requiritur, tum ex parte loquentis, tum audientis, notitia, scilicet, ipsius vocis, significationis eius, & rei significatæ per ipsam, requiritur hæc triplex notitia ex parte loquentis, nam qui verba proferat, debet prius in mente illa habere: debet etiam significationem vocis callere, qui enim nesciret vocem, vel significationem eius, certe uti non posset tali voce ad aliud significandum, tandem debet habere notitiam rei significatæ, quia per voces non significamus, nisi res a nobis cognitæ; triplex ergo notitia prædicta prærequiritur in loquente, cum hoc tamen discrimine, quod notitia de voce in se, & re significatæ per vocem esse debet actualis, quia qui de aliqua re loquitur, actu cogitat in mente & vocem, & rem significatam per vocem, sed notitia significationis vocis sufficit, quod sit habitualis, non enim opus est, ut loquens illius actu recordetur. Sed dices interdum accidere, ut quis vocem proferat, cuius significationem ignorat, & consequenter rem significatam, ut si Italus proferat verbum Gallicum, vel Hispanum illorum idioma ignarus. Resp. quod in tali casu non proferitur vox formaliter, & quatenus significatæ sed solum materialiter, tanquam sonus quidam ad modum vocis non significatæ, quo pacto Picæ, & Pittaci voces quasdam articulatas efformare solent.

16 Quod autem ex parte auditoris pariter necessaria sit illa triplex notitia de voce, de significatione vocis, & re per vocem significatæ, clarissime docetur a Scot. loc. cit. & probatur ab eo, quia si ab audiente vox ignoraretur, vel res significatæ per vocem, vel quod ad talem rem significandam fuerit imposita, nullus plane conceptus (ait Doctor) causaretur in eo de illa re, ergo debet audiens sci-

re, quid vox significet, debet percipere ipsius vocis sonum, & tandem speciem habere rei prolata, unde subdit Doctor in 4. citat. quod per voces non intelligimus, nisi res, quarum habemus speciem, qua ratione in 2. inquit, vocem significatam esse signum rememorativum ad placitum. Cum hoc tamen discrimine, prærequiritur in audiente triplex præfata notitia, quod notitia vocis necessario debet esse actualis, nisi enim audiens interna cogitatione percipiat loquentis vocem, nullatenus poterit rem percipere ex vi vocis prolata; cognitio vero significationis vocis non debet esse necessario actualis, sed sufficit habitualis, ut de loquente dicebamus; notitia vero rei significatæ nullo modo potest esse actualis, necessario tamen esse debet habitualis: nequit esse actualis, quia cum vox a loquente proferatur, ut ingerat audienti notitiam rei significatæ, utique talis notitia non præexistit in audiente, sed potius de novo gignitur in ipso ad prolationem vocis: immo actualis cogitatio rei impedit actum significationis, quia rem significare alicui est rem illi notificare; si igitur ille rem actu cognoscit, vox significatæ suum munus exercere non potest, cum sit præventa eo modo, quo ait Doctor de intellectu agente in Angelis, & Christo Domino, supposito, quod ab infanti suæ creationis omnium species receperit. Debet tamen necessario esse habitualis, quia quantumcumque sermo proferatur, si audiens non habet in se speciem rei prolata, nullus conceptus causaretur in eo de illa re, quia conceptus rei, v. g. coloris, causatur in intellectu per propriam speciem illius, nec ullo modo species soni, qualis est species vocis, potest causare in intellectu conceptum coloris, ergo necessario prærequiritur in intellectu auditoris species illius rei, de qua fit sermo, ad quam se convertat intellectus excitatus per vocem, & mediante illa actualiter rem consideret.

17 Sed Averfa cit. cum totam hanc Scoti doctrinam tum de vocis significatione, tum ejus exercitio transcribat (licet eum non memoret grati animi gratia, ut moris est Recentiorum) hoc tamen quod postremo diximus, non recipit, nam conclus. 3. contendit notitiam rei significatæ per vocem non necessario debere esse habitualem, quia sæpe unus ex locutione, & doctrina alterius addidit quæ nunquam sciverat, & ad hoc se extendit etiam significatio vocis, ut non solum possit in mentem reducere illa, quæ audiens aliquando cognovit, sed etiam possit de novo manifestare illa, quæ nunquam sibi fuerunt nota. Fallitur tamen Averfa, quia si audiens acquirit per voces cognitionem alicujus complexi de novo, siue incomplexi, quam nunquam habuit, hoc tamen semper fit per voces earum rerum significatæ, quarum species in mente habebat, & illarum virtute acquirit cognitionem novam illius complexi, vel incomplexi, quod de novo sibi a loquente notificatur; ut si quis per voces insinuare velit avem, quæ solum in India nascitur, hoc utique explicabit per voces nobis notas, quod nempe sit avis talis coloris, magnitudinis, &c. quarum rerum species jam pridem habemus in mente, & ex earum concursu devenimus in notitiam illius avis; ita etiam contingit, cum nobis manifestatur aliquid complexum, id enim fit per voces earum rerum significatæ, quarum species apud nos habemus. Verum est hanc rem esse penitus animaticam, sed cum voces quatenus significatæ logico considerandæ proponantur, non fuit abs re quæsitum hoc de vocis significatione, quantum ad præfens spectat, resolutum.

Q U Æ S T I O III.

De perfectione, & imperfectione vocum in significando.

18 Duplex attendi potest perfectio, vel imperfectio in significatione vocum, veritas scilicet, & falsitas, distinctio, & confusio, sicut enim cognitio habet repræsentare objectum vere, vel falsè, distincte, vel confuse; ita vox in sua significatione debet significare vere, vel falsè, distincte, vel indistincte, & sicut in cognitione veritas, claritas, & distinctio perfectionem importat, imperfectio vero falsitas, & confusio, ita pariter in significatione vocis, veritas, & claritas dicit perfectionem, falsitas, & confusio imperfectionem. Dubitatur igitur in præfenti de perfectione, & imperfectione utriusque generis; de veritate, & falsitate dubitatur, quid importent in vocibus, an scilicet quid reale, necne, & unde sumi debeant, an ex conformitate, vel difformitate ad res significatas per voces, num potius ex ipsamet cognitione vera, vel falsa in intellectu præcedenti, ut arbitratur Averfa cit. sect. 7. ubi docet voces denominari veras, vel falsas per participationem veritatis, vel falsitatis, quæ intrinsece in cognitione reperitur, adeo ut propositio vocalis sit vera, quando subordinatur iudicio vero, seu substituitur loco iudicii veri; tunc vero sit falsa, quando subordinatur iudicio falso, seu loco illius substituitur.

19 De perfectione vero, & imperfectione secundi generis puta distinctio, & confusione, majus adhuc extat dubium,

Quæst. III. De perfect. & imperfect. vocum signif. 109

dubium, an distinctio significationis vocis, ac indistinctio proportionem sequatur distinctio, & confusione conceptus mentalis in repræsentando, itaut res extra taliter præcipue per vocem significetur, qualiter interior per mentem concipitur, an potius interdum contingere possit, ut res distinctus per nomen, & magis proprie, ac quidditative significetur, quam per mentem concepta fuerit a loquente. D. Tom. cum suis 1. p. qu. 13. art. 1. tenet mensuram significationis sumendam esse ex conceptu loquentis, & ideo non posse aliquem perfectius rem significare alicui, quam ipse cognoscat: sequuntur Recentiores quamplures, Zumei 1. p. qu. 13. art. 1. Valentia punct. 1. Fonsec. 2. Met. cap. 1. q. 2. sect. 4. Suarez disput. 30. Met. sect. 13. nu. 8. & 9. & 1. p. tract. 1. lib. 2. c. 31. num. 13. Hurtad. disp. 8. Log. §. 24. Amic. tract. 31. Log. disput. 1. quæst. 1. dub. 7. art. 2. & alii. Oppositum docuit Scotus 1. d. 22. quæst. un. quem sequuntur etiam Scotista ibidem, Faber in 1. disp. 48. Vulpes tom. 1. p. 1. disp. 22. art. 2. Smifing. de Deo uno tract. 2. disp. 7. qu. 2. Posnan. 1. d. 22. verum etiam Nominales omnes Ocham, & Gab. 1. d. 22. & ex Recentioribus Molina 1. p. quæst. 13. art. 1. disp. 2. & Vasquez ex professo disp. 57. At quidam alii Recentiores, & Averfa cit. sect. 6. mediant inter utramque sententiam, & inquit, voces non posse perfectius rem significare audienti, quam nota sit loquenti, si audiens nullam unquam notitiam habuerit de illa re sed omnino de novo acquirat illam, si vero talem notitiam aliquando habuit, & species impressa rei in ipso remansit, tunc voces possunt perfectius significare rem audienti, quam nota sit loquenti excitando in audiente notitiam virtute illius speciei perfectioris: quod claris exemplis infra manifestabitur, atque in hunc modum utramque conciliant opinionem, dicentes, D. Th. in primo sensu loqui, & Scotum in secundo, ut clare deducitur ex exemplo, quod adducit de ignorante linguam Hebraicam, & characteribus illius linguæ nomina imponente, & quidem in hoc sensu intelligit Vasq. & sequitur sententiam Doctoris, pro resolutione quæstii quoad utramque partem.

20 Dicendum est primo, quod veritas, & falsitas in vocibus est mera denominatio extrinseca, proprie, & per se procedens non ex cognitione intellectus vera, vel falsa, cui subordinatur vocalis sermo, vel cuius locus substituitur, ut ajebat Averfa, sed ex objectis a parte rei ita se habentibus, vel non habentibus, sicut per voces significantur. Conclusio quoad primam partem colligitur ex Doct. supra cit. in 2. d. 42. ad 2. qu. 2. & probatur, quia voces intrantum sunt veræ, vel falsæ, inquantum significant, adeo ut significatio ipsa sit unica ratio fundandi veritatem, & falsitatem; sed significatio vocum formaliter est sola denominatio extrinseca ex voluntate primi instituentis in voces derivata, ergo etiam veritas, & falsitas super ipsam fundata erit sola denominatio extrinseca.

At iniquis, veritas cognitionis dicit formaliter relationem realem in cognitione ad rem extra, ut docet Scot. 4. d. 8. qu. 2. sub V. ergo idem dicendum de veritate in vocibus, immo Doct. ibi loquitur non solum de veritate orationis mentalis, sed etiam vocalis, vel si veritas in vocibus salvatur per solam connotationem ipsarum rerum significatarum ita se habentium, ut voces declarant, poterit eodem modo salvari in conceptibus mentis. Resp. Doct. loc. cit. non explicare, an relatio, quam dicit cognitio ad objectum extra, sit realis, vel rationis, sed admissio pro nunc, quod fit realis (nam de hoc infra disput. 10.) neganda est paritas de conceptibus, & vocibus in significando; conceptus enim mentales sunt signa naturalia rerum, & proinde fundare possunt relationem realem repræsentantis ad repræsentatum, ad voces sunt signa ad placitum repræsentantes hoc, vel illud non ex intrinseca sua natura, sed ex merito hominum libito, & ideo veritas, & falsitas in ipsis a parte rei non nisi solam denominationem extrinsecam importare potest.

21 Quod vero hæc denominatio extrinseca sumenda sit ex objecto a parte rei ita se habente, vel non, ut per vocem exprimitur (quæ erat altera pars conclusionis) non autem ex cognitione vera, vel falsa præcedente in intellectu, colligitur ex Doct. cit. 1. d. 27. ad 2. qu. 2. & 4. d. 8. qu. 2. infra V. & probatur, tum auctoritate Arist. in prædic. subst. quam Scotus ibi adducit, ab eo, quod res est, vel non est, ovatio dicitur vera, vel falsa, & quidem Arist. ibi nedum loquitur de oratione mentali, sed etiam vocali; tum quia veritas signi consistit in conformitate ejus ad signatum; sed voces per se, & proprie sunt signa rerum, & non conceptuum ex dictis q. 1. hujus disp. tum tandem, quia sapius sermo vocalis dicitur falsus nulla præcedente falsa cognitione in intellectu, & ita semper evenit, quando habens in mente veram rem cognitionem exterius oppositum asserit, volens audientem decipere, ergo in istis casibus sermo vocalis non potest dici falsus ex falsa cognitione, quæ in intellectu præcedat, cum nulla talis adsit, sed falsus dicitur, quia non est conformis objecto extra, & ita universaliter dicendum est. Hic tamen advertendum est, quod licet veritas locutionis consistat præcipue in conformitate ad rem extra, ut tamen completa

fit ex omni parte, exigit etiam conformitatem ad mentem loquentis; contingere enim potest, quempiam mentiendo verum objective dicere, & non mentiendo dicere falsum, ut cum in mente sua falsam habet existimationem de re, & ita etiam falsum enunciat, putat tamen se verum asserere: ut ergo vox, vel locutio sit complete vera, petit utriusque, menti scilicet, & objecto conformari, quia utrumque significat, licet diversimode, ut dictum est quæst. 1.

22 Dicendum 2. posse voces perfectius significare rem audienti, quam nota sit loquenti, ita Doctor 1. d. 22. & quidem in eo casu, quo res supponatur audienti habitualiter nota, in quo sensu præsertim Scotus ibi loquitur, manifeste probatur exemplo ab ipso ibidem adducto, si quis linguam Hebraicam ignorans, & characteres illius, imponeret ipsis nomina ordine inter ipsos servato, ut primo characteri unum nomen, secundo aliud, tertio aliud tribueret, &c. certe nomina hæc distinctius, & clarior characteres significantes scriptibus literas Hebraicas, quam is, qui ea nomina imposuit, ipsas literas intelligeret. Alia duo exempla addit Vasquez, nimirum si Rex præciperet Duci exercitus, ut insulam primo capiendam vocaret nomine Regis, v. gr. Philippinam, & si cæcus imponeret nomina coloribus, auditio nomine talis insulæ, vel auditus talium colorum nominibus, perfectius conciperet Dux insulam, qui eam vidit, & cepit, quam Rex, qui non vidit, & nomen imposuit, & perfectius conciperet colores, qui illos vidit, quam cæcus, qui non vidit, & nomen imposuit; concludit igitur Vasquez cum Scoto, quod dum quis habens imperfectiorem rei notitiam loquitur alteri, qui aliunde perfectiorem notitiam habuisse supponitur, excitat in illo actum perfectioris notitiæ, ut si sciens loca sancta Romæ ex relatione aliorum narraret alteri, qui ea loca vidisset, audiens distinctius, & melius perciperet, quam narrans. Et hoc suadet ratio a priori, quia voces non solum vim habent ingerendi notitiam audienti rei antea ignotæ, sed etiam excitandi notitiam præcedentem, & habitualitatem permanentem; quando igitur audiens habitualiter habet notitiam perfectiorem de re, quam loquens, hæc utique excitabitur, unde, & in tali casu voces perfectius rem significabunt audienti, quam nota sit loquenti, idem tener Ovvidio controverf. 8. Logic. nu. 6.

Respondent Cajet. Suar. Hurtad. Amic. & alii, in his casibus cognitionem illam perfectiorem in audiente non oriri ex vi vocis, & significationis ejus, sed ex specie impressa, quam de illa re habet audiens perfectiorem, quam habeat loquens, quæ species excitata est ex auditu illius vocis; ideo inquit dicit non debere in his casibus voces perfectius significare, quam loquens concipiat, quia ad significationem attendi debet id, quod per se est effectus significationis, non autem quod per accidens se habet, & aliunde provenit.

23 Sed valde falluntur Adversarii, dum putant, excitationem speciei factam in audiente per vocem per accidens se habere ad vocis significationem, & ejus exercitium, nam quæst. præced. ex professo demonstravimus speciem, quam de se ingerit vox in mentem auditoris, non sufficere cum intellectu ad rem significandam, de qua fit sermo, sed necessario præquiri in intellectu auditoris speciem illius rei, quam vox significat, quæ species per vocem excitata concurrat postea cum intellectu ad pariendam notitiam significati, ad quam occasionaliter tantum, & per modum excitantis vox habet concursum; cum igitur talis excitatio speciei in audiente per se spectet ad significationem vocis, & ejus exercitium, nec alio modo perficiatur, ac exerceatur significatio, quam per præfatum excitationem ex dictis qu. præced. conclus. 2. ruit allata responsio. Accedit, ut bene notat Averfa citat. contra hanc solutionem, quod voces possunt significare, seu causare cognitionem in mente audientis, vel per modum notitiæ novæ, rei scilicet antea ignotæ, vel per modum rememorationis excitando audientem ad actualiter cogitandum de re alias sibi nota ex dictis qu. præced. licet ergo in præfatis casibus talis perfectior notitia in audiente non oriatur ex vi vocis, & significationis, quæ refertur ad causandam notitiam de novo rei alias ignotæ, oritur tamen ex vi vocis, & significationis, quæ refertur ad exercendam, & renovandam antiquam notitiam rei prius notæ.

24 Sed major est difficultas casu, quo res, de qua fit sermo, non supponatur audienti aliunde habitualiter nota, an etiam tunc possit res distinctius significari audienti, quam nota sit loquenti; & quidem quamvis Doctor loc. citat. id non exprimat, ratio tamen, quam adducit, id etiam ostendit esse possibile, quia interdum (ait Scot.) alia est ratio, ex qua desumitur nomen, & alia, ad quam significandam assumitur, interdum enim, qui nomen imponit, certam aliquam rationem in re nominata consideravit, ex qua motivum accepit nomen imponendi secundum aliquam ethymologiam, tamen non ad illam præcedentem rationem significandam nomen impositum est, sed ad absolute significandam rem ipsam secundum omnem rationem ejus; sic homo dictus est ab humo, lapis a læssione pedis, & tamen hæc nomina non significant has præcipue rationes, sed absolute, & adæquate ipsas res, quæ doctrina est

est etiam D. Thomæ 1. p. q. 13. ar. 8. Imo ita est, ut plurimum, inquit Doctor, de nominibus substantiarum, quia imponens nomen substantiæ non concipit de illa, nisi aliquam proprietatem, vel accidens quoddam, quod est sibi ratio imponendi nomen, ut dicebamus de substantia hominis, lapidis, & tamen nomen in se non significat solam læsionem pedis, quam solam concipiebat impositor nominis, cum nomen imposuit, sed significat substantiam illam terram, & auditor hoc nomen audiens plus intelligit, quam solam læsionem pedis, ergo nomen simpliciter, & absolute loquendo plus significat, vel significare potest, quam sit cognitio imponentis, vel quam ostendat impositor nominis habuisse in impositione illius.

25 Respondent Adversarii res a nobis significari, quomodo intelliguntur, unde si substantias in seipsis non intelligimus, non possumus imponere nomen, quod significet illas in se, sed tantum ex aliqua proprietate nobis cognita, quare sicut ex hac proprietate lædendi pedem cognoscimus naturam lapidis confuse, ita significamus confuse. Contra est, quia si per nomina substantia a nobis imposita non significarem, quidditates substantiarum in se, sed præcise sub velamine proprietatis in concreto, unde de sumptum est nomen, plane non aliud erit significatum subiecti, & aliud prædicati, cum de substantia aliquam enunciamus proprietatem, vel operationem, unde sensus huius propositionis *lapis lædit pedem*; esset, lædens pedem lædit pedem, ne igitur nugatoria sit propositio, lapis significare debet quidditatem lapidis in se, & non præcise, ut insinuat per læsionem pedis. Accedit, quod voces illud significant, cujus conceptum ingerunt audienti, ingerunt autem audienti conceptum rei, non autem modum, quo loquens rem ipsam concipit, nam modus, quo audiens concipit rem auditam, non solum ex illo signo, & vi nominis, sed ex aliis etiam principiis cognoscendi ortum ducit, puta ex perfectione intellectus, qui excitatus a significatione nominis, sua vi rem significatam distinctius attingit penetrando illius prædicatam; cum igitur perfectio significationis non tantum ex cognitione loquentis, sed etiam audientis pensanda sit, ut experientia constat, nam auditio uno, & eodem nomine unus concipit rem significatam perfectius, quam alter audiens, bene esse potest, quod imponens nomen lapidi læsionem tantum pedis tunc conceperit, & audientes illud nomen non eodem modo concipiant, sed aliquid amplius, quia modus concipiendi auditoris non necessario arctatur ad modum concipiendi loquentis.

26 In oppositum obijcit Averfarij, præsertim Sparloc. cit. primo, quia nomina eo modo significant, quo possunt vi sua causare in audiente notitiam rei significatæ, hæc est enim communis ratio signi ex Aug. 1. 2. de doct. Crist. capit. 1. quod præter se aliquid aliud faciat in mentem venire, sed vis significandi in nomine oritur a cognitione imponentis, & ei commensuratur, unde Genes. 2. dicitur Deus adduxisse animalia ad Adam, ut videret, quid vocaret ea, ergo non possunt perfectius significare, quam loquens eorum significatum noverit. Conf. quia si audito nomine aliquo unus concipit perfectius alio rem significatam, id non est ex vi nominis, sed ex aliis principiis cognoscendi, quæ suppetunt uni, & non alteri audienti, sed significatio vocum est ea, quam habent vi sua ex imponentis intentione, adeoque etiam ex cognitione, quomodo enim potest intendi significatio, quæ non cognoscitur? Conf. adhuc, si quis nullo modo rem cognosceret, illi certe nomen imponere non posset, ergo cum illam imperfecte cognoscit, non potest imponere nomen eam perfectius significans. Conseq. patet ex proportione inter ignorare rem simpliciter, eamque confuse cognoscere in ordine ad posse vel non posse illam nominibus significare. Rursus vox non significat rem, nisi quatenus conceptam, ergo nequit nomen distincte rem significare, cum distincte per conceptum non representatur. Tandem commune est axioma, facilius esse rem concipere, quam verbis explicare, ergo non potest quis melius rem significare, quam ipse concipiat.

27 Resp. ad primum negando majorem, falsum enim est nomina solum eo modo posse significare, quo vi sua possunt causare in audiente notitiam rei significatæ, neque id habetur in definitione signi, sed solum, quod seipsum, & præter se aliud faciat in mentem venire, sive hoc faciat sola vi sua, sive adjunctis aliis cognoscendi principiis; minor etiam deficit, falsum enim est, mensuram significationis solum sumendam esse ex conceptu loquentis, quia eius perfectio non solum ex loquente, sed etiam ex audiente per se pensanda est. Ad 2. patet per idem, quia modus, quo audiens rem concipit auditam, non solum ex vi nominis attenditur, sed ex aliis etiam principiis, quæ aliunde audienti suppetunt, & quia loquens non intendit sum concipiendi modum, sed præcise rem conceptam significare, ut audiens eandem concipiat, modo tamen accomodato suis principiis cognoscendi aliunde acceptis, ideo significatio, quam intendit, semper censetur illi nota saltem confuso modo. Ad 3. negatur consequentia, nam utique cognitio requiritur ex parte imponentis, ut possit nomen imponere, sed quia perfectio significationis non ex ea sola pender, ve-

rum etiam ex cognitione audientis, ideo non tenet allata paritas, & ille modus arguendi valet tantum in causis præcis, & in proposito causa præcisa perfectionis in significatione non est cognitio imponentis, quia ad id concurrunt etiam cognitio audientis. Ad 4. verum est assumptum, quatenus in loquente supponitur semper cognitio rei significatæ per vocem, sed quia loquens per vocem solum obiectum cognitum intendit exprimere audienti, non modum, quo concipit, distinctum, vel confusum, ideo sequela negatur. Ad 5. argumentum plus probat, quam velint Adversarii, nedum enim concludit non posse rem perfectius significari, quam concipiatur, sed quod nec etiam æque perfecte; dictum igitur illud intelligendum præsertim est in explicacione illarum rerum, quas loquens vidit, ac intuitive novit, quia virtute suæ locutionis nunquam potest audienti impartiri notitiam intuitivam illius rei, quam vidit.

28 Secundo arguit Amic. cit. probans perfectionem significationis nullo modo per se pendere ex cognitione audientis, sed tantum loquentis, & imponentis, & ideo nunquam excedere posse perfectionem ejus; vel enim loquimur de significatione, quam vox habet in actu primo, & veluti habitualiter, & plane perfectio significationis in hoc sensu non pendet ex audiente, quia convenit voci, priusquam audiens actu audiat; vel loquimur de illa in actu secundo, & ita nec etiam pendere potest ejus perfectio ex cognitione audientis, cum potius ipsamet actualis significatione sit causa cognitionis in audiente. Confirm. quia si perfecte significationis entia ex audiente pensanda est, sequitur nullum nomen habere determinatam significationem, sicut non est determinata dispositio audientium quoad cognitionem rei significatæ, nam alius alio perfectius cognoscit, at negare determinatam significationem vocis esset omnia nomina facere æquivoca.

Resp. perfectionem significationis in actu secundo, & veluti exercito nedum per se pendere ex cognitione loquentis, sed etiam ex aliis principiis intelligendi, quæ suppetunt audienti aliunde, quam ex vi nominis, ut ex præterita cognitione, quam habuit de re, vel ex perfectione intellectus, qui excitatus a significatione nominis sua vi rem distinctius attingit, quæ cognoscendi principia præcedunt in audiente significationem actualem, licet notitia de re per vocem parte sequatur, & in hoc sensu dicimus perfectionem significationis in actu exercito pendere ex cognitione audientis, ut reote notat Smising. cit. Ad confirm. gratis concedimus nullum nomen habere determinatam significationem quod modum significandi perfecte, vel imperfecte, & ad talem, seu tam perfectam notitiam causandam, esse prorsus indifferens ad excitandam quamcumque juxta perfectionem intellectus audientis; neque hinc sequitur omnia nomina esse æquivoca, quia cum indeterminatione in modo significandi retinet semper determinationem in re significata, quod sufficit ad univocationem.

29 Tertio arguit Averfa cit. concl. 2. nomina substituitur loco conceptuum, & in tantum habent vim significandi, inquantum sic substituitur; loco igitur conceptus imperfecti ponitur vox eodem modo imperfecte significans, & loco conceptus perfecti vox perfecte significans; nec fieri potest, ut loco conceptus imperfecti substituitur vox perfecte significans. Conf. si quis naturaliter loqueretur manifestando alteri immediate conceptum suum, utique conceptus rem exprimeret juxta suam perfectionem taliter, quod si est confusus, non poterit rem manifestare distincte, ergo tanto magis idem dicendum de voce, cui non competit intrinsece ex natura sua rem significare, sed extrinsece, & ex libera hominum impositione. Demum si voces, quæ proferuntur haberent vim signendi notitiam perfectiorem, deberent etiam illam signere ipso loquente.

Resp. ad 1. concessio antecedente negando consequentiam, quia sicut potest loquens loco conceptus perfecti ponere vocem imperfectius significantem, ut quando habens perfectum rei conceptum profert voces minus perfecte significantes, ita potest loco conceptus imperfecti substituire vocem perfectius significantem; immo si arctatur loquens ad substituendas voces perfectas juxta mensuram perfectionis conceptuum, nunquam possent res perfectius concipi, quam verbis explicari, sed eodem prorsus modo exprimerentur, quo concipiuntur; cujus oppositum experientia docet, & ipse Averfa concl. 3. Ad conf. concessio antecedente negatur consequentia, enim vero quia conceptus sunt signa naturalia rerum, ideo nequeunt illas manifestare ultra suam perfectionem innatam, at quia voces sunt signa ad placitum, potest imponens habita notitia consueta rei, vel quoad unam ejus proprietatem tantum, ex tali proprietate nomen assumere, & velle, quod talis vox, non tantum illam proprietatem significet, sed totam rem adequate, ut dicebamus de nomine lapidis, & hominis. Ad ultimum voces signant illam perfectiorem notitiam in audiente, non in loquente, tum quia voces per se significant audienti, non loquenti; tum quia audienti suppetunt aliunde meliora principia cognoscendi, quam habeat loquens, quæ concurrunt ad perfectionem significationis in actu secundo.

QUESTIO IV.

De nominibus æquivocis, & univocis, ac eorum significatis.

30 Possunt res, ut patet ex dictis, nedum conceptibus, sed etiam nominibus significari, cum hoc discrimine, quod conceptus, velut naturalis imago rei, illam naturaliter significat, nomen vero ad placitum primi imponentis; ex quo fit, ut quoad unitatem, & diversitatem, conceptus proportionetur rebus, ita quod unus rei unicus sit conceptus formaliter, & specificè (plures enim numero esse possunt etiam in eodem numero intellectu successive eandem rem cognoscente) & plurium rerum plures, cum enim naturalis imago rei, ejus naturam, quantum fieri potest, imitari debeat: secus autem est de nominibus, res enim plures, ac specie diversa unico nomine significari possunt, ut patet de voce *canis*, quæ eadem imposita est ad significandum canem terrestrem, piscem marinum, & caeleste fidus, & hæc nomina res adeo diversas una voce significantia dici solent *æquivoca*, quasi plures res appellentur eadem voce; fieri etiam potest e contra, ut unus rei plura sint nomina, ut gladius, & ensis, quæ eandem prorsus rem significant, & proinde dici solent *synonima*, vel *multivoca*; fieri item potest, ut res plures conceptibus diversis significatæ diversis etiam vocibus significentur, ut homo, & equus, & dicuntur *diversivoca*; Tandem fieri potest, ut plures res eodem conceptu quidditativo explicabiles etiam eodem nomine significentur, & dicuntur *univoca*, ut homo, & equus inquantum animalia. Itaque, quæ in nomine, & in conceptu per illud nomen significato conveniunt, *univoca* dicuntur; quæ in utroque differunt, *diversivoca*, quæ in conceptu conveniunt, & in nomine differunt, *synonima*, aut *multivoca*, quæ demum conveniunt in nomine, sed in conceptibus differunt, dicuntur *æquivoca*.

31 Dum vero hæc nominum unitas, vel diversitas rebus conveniat ex sola hominum institutione, res ipsæ non sunt univocæ, vel æquivocæ ex se, sed tales dicuntur, inquantum a nobis his, vel illis nominibus significantur, & ideo æquivocatio, & univocatio (de quibus præsertim in præfati sermo) tam rebus, quam vocibus conveniunt per intellectum, primario tamen vocibus, & secundario rebus, quia istæ non dicuntur tales, nisi in ordine ad voces univocas, aut æquivocas. Hinc distingui communiter solent æquivoca, & univoca in activa, & passiva; illa sunt nomina ipsa univoca, vel æquivoca significantia, ista sunt res ipsæ illis nominibus significatæ.

Arist. in prædicament. c. 1. multivocis, & diversivocis relictis, ut suo proposito inutilibus, agit de univocis, & æquivocis, definit æquivoca, *quorum nomen est commune, ratio vero substantiæ importata per nomen est diversa*; e contra univoca definit; *quorum nomen est commune, & ratio substantiæ importata per nomen est eadem*. In utraque definitione ponitur *nomen*, ubi *nomen* non sumitur in rigore, ut a verbo constitutum, sed late, ut comprehendit etiam verbum, participium, & quamlibet aliam orationis partem, nam in his omnibus univocatio, & æquivocatio cadere potest, ut *lego* est æquivocum ad legere, & legare, *diligo* univocum ad actus dilectionis, *est commune*, ponitur ad insinuandum nomen esse debere omnino unum; & idem non solum per eandem litteras, sed etiam per eandem pronunciationem, & syllabarum quantitatem, sic enim proprie erit commune, unde quælibet diversitas, vel solius accentus, tollit æquivocationem, *ratio* sumitur pro conceptu objectivo, sive sit propria definitio, sive non, ut notat Ant. And. hic *substantia*, ubi non sumitur in rigore pro substantia ab accidente constituta, quia etiam in accidentibus inveniuntur univoca, & æquivoca, sed sumitur pro essentia, & quidditate, quam substantiæ acceptionem docuit Arist. 5. Met. 15. Additur *importata per nomen*, quia ratio substantiæ ad illud idem nomen referri debet, in quo res univocantur, vel æquivocantur, alioqui æquivoci in uno nomine possunt univocari in aliqua ratione communi per aliud nomen importata, ut *Canis* terrestris, marinus, & caelestis in ratione corporis, & substantiæ. Demum hæc ratio substantiæ secundum idem nomen in univocis est eadem, in æquivocis diversa, quia hæc non possunt, sicut illa sub uno nomine una definitione ipsis adæquata definiti, & in hoc formaliter consistit eorum differentia, ita passim exponunt Auctores has definitiones, & præsertim nostrates in Antepredic. capit. 1. & Scotus qu. 5. & 6. prædicam. & Bonet. in sua Met. c. 2. l. 1.

32 Ex quibus constat, Arist. definire æquivoca, & univoca passiva, non activa, idest æquivoca æquivocata, & univoca univocata, hoc est res ipsas, non quidem nude inspectas, sed prout nominibus significantur, & ut sub sunt secundis intentionibus univocationis, & æquivocationis, quæ immediate fundatur in vocibus, propter quod eas definiens non dixit *æquivoca sunt, univoca sunt*, &c. sed *æquivoca dicuntur, univoca dicuntur*, &c. quare definitum in his definitionibus est secunda intentio constitutiva æquivocorum, & univocorum significata in concreto, quomodo supponit

pro ipsis rebus æquivocatis, & univocatis, & in esse signato, ut docent Scotistæ omnes cum Doctore citat. & etiam Thomistæ, Sanchez libro 4. quæst. 1. concl. 4. Complut. in prædicament. capit. 1. contra Toletum, Comimbriæ. & alios contententes hic definiti pro rebus ipsis, quem definiendi modum logico confuetum, qui per se secundas intentiones contemplantur, res vero, non nisi ut illis substant, fufus infra declarabimus disp. de Univerf. Quamvis autem hic Arist. ex intentione definit univoca, & æquivoca passiva, adhuc tamen ex his definitionibus facile est definire activa, nomina scilicet univocantia, & æquivocantia; æquivocum enim est, quod commune pluribus est secundum diversas rationes. Univocum vero, quod est commune pluribus secundum unam, & eandem, unde nomina æquivoca sunt *Gallus*, quod dicitur de homine Franco, & gallo gallinaceo, *Canis*, quod dicitur de cane terrestris, de pifce quodam marino, & caelestis *fydere*, nomina univoca sunt *homo*, *animal*, *substantia*, *quantitas*, & similia, quibus habet natura univocalis, quæ per se primo significatur per talia nomina, & est communis pluribus.

33 In oppositum obijcit Primo contra definitionem æquivocorum, quod non recte assignetur; tum quia omne definibile debet esse univocum; tum quia debet esse quiddam, sed æquivoca sunt essentialiter multa 7. Met. 32. tum demum, quia æquivoca nullam habent rationem communem, in qua conveniant. Resp. Doct. cit. qu. 5. ad 6. quod licet æquivoca sint essentialiter multa, accidentaliter tamen univocari possunt, quatenus fundare nata sunt secundam intentionem ejusdem rationis in una ratione communi, quæ omnia denominat æquivoca, & in hoc sensu sunt univocæ definitionis capacia, in quo casu essentialiter æquivoca, & ut quid evadunt univoca accidentaliter, & ut modus, quam responfionem cæteri omnes recipiunt, & nos sæpius adhibemus, & magis declaramus infra disp. Univerf. Sed urges, ergo non definiuntur ab Arist. æquivoca, ut sic, sed potius quatenus rationem univocorum induunt. Resp. si *ly quatenus* reduplicat rationem definitam, negatur sequela, quia hic revera definiuntur æquivoca pro secunda intentione, in qua accidentaliter univocantur, & eorum natura explicatur, velut in esse signato, si reduplicet conditionem definiti, conceditur, quia conditio rei definibilis est, quod fit univocum quid, vel essentialiter, vel saltem accidentaliter, ut est in proposito.

34 Secundo obijcit contra definitionem univocorum, quia videtur etiam æquivocis competere, nam æquivoca omnia, ut sic, habent nomen æquivocationis commune, & rationem eandem secundum illud nomen videtur etiam convenire denominativis, quia album secundum idem nomen, & secundum eandem rationem dicitur de nive, & Cygno; non enim hæc solum alba dicuntur, sed res vera talia sunt, unde non solum nomen, sed etiam rationem, & naturam albi participant, esto accidentaliter. Resp. quod sicut æquivoca, ut quid, & in esse exercito, dicuntur univoca, ut modus, & velut in esse signato ob intentionem æquivocationis, quam fundare possunt, ita etiam accidentaliter, & in esse signato participare possunt definitionem univocorum; Nec valet dicere univoca, & æquivoca esse opposita, & ideo unum de alio prædicari non posse etiam accidentaliter. Opponuntur utique si ambo sumantur eodem modo, ut sumendo unum, ut quid, & in esse exercito, alterum ut modus, & in esse signato, ita non opponuntur, quin potius unum, ut modus, dici potest de altero ut quid, quo sensu genus dicitur species univocalis, ut infra. Nec minus allata definitio denominativis competit, si *ly* ratio substantiæ sumatur, ut dicat relationem essentialiter essentialiter univocatis convenientem, ut videtur Arist. intentio, de quo statim dicemus; verum tamen est denominativis posse applicari materialiter, quatenus idem prædicatum potest esse simul denominativum, & univocum, ut infra.

Tertio obijcit, quod præfata definitiones rebus competunt non intentionibus, tum quia habere nomen commune competit rebus, & non intentionibus, tum quia Arist. ipse exemplificavit in rebus. Resp. sensum illarum definitionum esse materiale, nempe *æquivoca*, vel *univoca dicuntur illa*, idest sunt secundæ intentiones applicabiles conceptibus, seu rebus conceptis, & exemplificavit in rebus, quia familiare est logicis, & Arist. prædicaciones signatas, quæ sunt per verbum *dicitur, prædicatur*, explicare per exercitum, quæ sunt per verbum *est*, ut fufus dicemus disp. de Univerf. Verum, ut æquivocorum, & univocorum natura magis adhuc eluceat, licet subdere duos articulos ad hanc q. attententes, in quibus singillarum horum, & illorum conditio explicetur.

ARTICULUS I.

Examinatur peculiariter natura æquivocorum.

35 AD majorem nominum æquivocorum intelligentiam nonnulla dubia, quæ de illis moveri solent, sunt breviter resolvenda. Primo igitur dubitari solet, quomodo nomen æquivocum plura significet, an plura actu significet, vel aptitudine, & an sub distinctione, vel potius sub co-

pulatione omnia sua significata simul contineat. Aliqui, ut Averfa q. 15. Log. lect. i. dicunt nomen æquivocum ex vi sua nuda prolato actu non gignere in mente audientis, nisi conceptum non ultimum sui ipsius; & quantum vero ad rem significatam, dubium, & suspensum relinquere audientem, quidam loquens significare velit, aptum tamen esse, ut per appositionem alterius nominis determinate significet aliquam rem ex his, quibus nomen competit. Hæc opinio rejicitur a Scoto quæst. 11. Elench. tum quia vis significativa vocis exercetur, cum actu profertur; in ordine ad res, quibus imposta est, ut etiam ipse Averfa concedit q. 6. de Vocibus sect. 3. ergo cum hæc vox *Canis* profertur, actu debet aliquid significare præter seipsum, tum quia hoc sermone prolato *Canis movetur*, possunt plura actu concipi, quia unus accipere potest Canem pro animali terrestri, alter pro marino, alius pro fidere; tum quia licet auditor ambiguus remaneat de intentione loquentis ad quid significandum determinate illam vocem profertur, non sequitur, quod ipse aliquid concipere nequeat actu ex nuda prolatoe illius vocis; esto non ad intentionem loquentis; tum denique si actu non significaret vox æquivoca, nisi determinata per appositionem alterius nominis, sequitur, quod nunquam actu significabit æquivoca, sed semper univoce, quia semper determinate ex vilibus appositionis.

Alii proinde dicere, quod nomen æquivocum plura actu significat sub disjunctione, itaut dicendo *Canis movetur*, sit sensus, vel terrestri, vel marino, vel cælestis. Hunc etiam dicendi modum refellit Scot. ibidem q. 9. quia tunc respondendum non esset ad terminum æquivocum per distinctionem, si prædicatum uni significatorum conveniret; imo concedendum esset, quod talis propositio sit simpliciter vera, nam ad veritatem disjunctivæ sufficit, quod altera pars ejus sit vera. Alii tandem dicunt, quod plura actu significat sub copulatione: sed ait Doctor quæst. 10. quod potest hoc bifariam intelligi, vel ita, quod copulatio cadat inter ipsas res significatas, quod nempe *Canis significet, & terrestrem, & marinum, & cælestem copulatum, & ita non significat plura actu sub copulatione*, tum quia id potius est significare unum, quam plura, quia totum hoc copulatum potest habere unam rationem intelligendi, cum sit extremum orationis, atque ita etiam habebit unam rationem significandi, sicut & hoc aliud copulatum in ista oratione *duo, & tria sunt quinque*, tum etiam quia tunc ad terminum æquivocum non esset respondendum per distinctionem, sed concedendum esset, quod propositio, vel est simpliciter vera, vel simpliciter falsa; vera, si prædicatum omnibus significationibus conveniret; falsa, si uni soli non conveniret, nam ad copulativæ falsitatem sufficit, quod altera ejus sit falsa; alio modo potest id intelligi, itaut copulatio cadat non super res significatas, sed super ipsos actus significandi, & sic verum est nomen æquivocum plura actu indeterminare significare, nam *Canis significat latrabile animal, & significat marinam belluam & significat cælestem fidus*.

36 Secundo dubitatur, an absolute loquendo nomen æquivocum dici debeat unum, vel plura nomina, & ratio dubitandi est, quia nomen formaliter constituitur per significationem, ergo cum nomen æquivocum multas habeat significationes, non unum, sed utique plura nomina dici debent: ex alia parte certe una vox est *Canis, & Gallus*, quamvis plura significant, & Arist. ait, æquivoca habere unum nomen commune; quamobrem Doctor quæst. 8. Elench. ait nomen æquivocum posse dici unum multiplex, quasi unum complicans multa, unum scilicet, materialiter, quatenus est unus sonus, una vox, & multiplex formaliter, quia plures habet significationes. Quantum tamen spectat ad modum loquendi, potius debet dici unum nomen, quam multiplex, ob rationem, quam ibi Doctor assignat, quia concreta, aut composita accidentalia non multiplicentur pro diversitate formarum, si unum sit omnium subiectum, sic enim dicitur unus artifex, quamvis plures habeat artes; cum igitur in proposito nomen æquivocum sit compositum quoddam accidentale, & artificiale ex nomine, & voce pro materiali, ex significatione pro formali, quamvis multiplicetur formale, nimirum significatio, tamen non multiplicatur accidentale compositum, quia materiale, scilicet vox, & nomen est unum, quæ doctrina consonat his, quæ habet quol. 11. artic. 2. & 3. d. 8. qu. un. & ex professo q. seq. explicabitur, quia ratione e contra nomina synonyma absolute dicuntur plura nomina, non unum, esto unam, & eandem habeant significationem.

37 Tertio dubitatur, an in mente, seu in conceptu reperiri possit æquivocatio, sicut in voce, & communis fere sententia est, quod licet in conceptu non ultimo, qui est conceptus ipsius vocis significativæ, possit contingere aliquo modo æquivocatio, ut bene declarat Tat. in prædicam. quæst. 1. dub. 1. in fine, tamen in conceptu ultimo, qui est conceptus rei significatæ per vocem, contingere non potest, ut Scotus docet q. 1. prædicam. ad 2. Ratio fundamentalis est, quia ut diximus ab initio q. cum conceptus sit naturalis imago rei, quoad unitatem, & diversitatem, proportionatur rebus ipsis, itant ejusdem rei unicus sit

conceptus, & plurium rerum plures, cum ergo in mente non sit idem conceptus rerum diversarum, quæ appellantur unico nomine, consequenter nec poterit esse æquivocatio, non igitur est eadem ratio de voce, & conceptu; quia enim vox non est intrinsece significativa, sed ex impositione, non repugnat eidem voci diversas convenire impositiones, sicut repugnat conceptui diversas convenire naturales representationes. Quod adhuc magis declaratur, quia æquivocum est, quod significat plura inquantum diversa, si enim plura significaret inquantum in aliquo convenientia, non esset pura æquivocatio, sed univocatio saltem imperfecta: conceptus naturalis imago rei, non potest esse unus, si objecta sunt plura, & nullo modo unum, quia unitas ejus in ratione representationis, & similitudinis sumitur ex aliqua unitate rei representatæ, ut Doctor solide probat 2. d. 3. qu. 10. ab objecto enim fumit unitatem specificam, nec uno, & eodem actu possunt plura objecta disparata, ut sic, intelligi, ut docet Barthelemy 1. d. 1. q. 4. ex Scoto modis in locis, ergo in mente æquivocatio cadere non potest, ita quod possit rerum disparatarum, & diversarum esse conceptus idem, sicut est eadem vox, quod etiam in mente divina suo modo asserendum est; nam licet unus realiter, & materialiter sit actus, quo omnia concipit, tamen ille idem conceptus ratione distinguitur, ut concipit unam rem, & aliam, & dicitur virtualiter multiplex.

38 Quarto tandem dubitatur, quot sint æquivocorum species, & communis opinio est esse duas, quarum Prima est eorum, quæ dicuntur pure æquivoca, quæ scilicet, sicut omni probris habitudine, & convenientia adinvicem eodem nomine sunt appellata, unde etiam dici solent æquivoca a casu, vel a fortuna, ut v. g. gallus homo, & gallus avis dicuntur æquivoca pura, & a casu, quia mere fortuito evenit, ut homo, & avis nulla habita inter illos convenientiæ ratione eodem nomine appellarentur. Altera æquivocorum species est eorum, quæ dicuntur æquivoca analogia, quia scilicet, participant idem nomen ob aliquam convenientiam, & proportionem inter ipsa repertam, ita ridere dicitur de homine, & de prato, pratum namque florens ridere dicitur, quia assimilatur homini lato, & ridenti, homo dicitur de vero, & de pecto, quia conveniunt in externa figura, & sic de multis aliis, quæ ratione solent etiam appellari æquivoca a consilio, quia non temere, sed consilio unum, & idem nomen extensum est ad plura significanda. Consuevit tamen æquivoca a consilio etiam dici, non solum quando idem nomen de pluribus dicitur ob habitudinem aliquam, vel proportionem inter illa repertam, sed etiam quando, vel ex devotione ammonentis in aliquem sanctum, vel ex affectu ad aliquem sanctum ejusdem cognationis, vel memoria alicujus viri insignis, vel alia rationabili de causa idem nomen alicui imponitur puello.

ARTICULUS II.

Examinatur peculiariter natura univocorum.

39 AD ampliorem quoque Univocorum intelligentiam dubia quadam de illis incidentia resolvere juvabit. Primo igitur dubitari solet, an ad univocationem sufficiat unitas conceptus formalis, mediante quo omnia inferiora immediate concipiuntur, num potius requiratur, quod terminus talis conceptionis importet aliquid commune pluribus, scilicet conceptum objectivum. Dixerunt aliqui ad univocationem sufficere solum unitatem conceptus formalis, quo nimirum plura immediate concipiuntur, velut familia: talis videtur opinio Nominalium Ocham. 1. d. 2. q. 5. 6. & 7. Rubio 1. d. 3. q. 3. & aliorum, ubicumque loquuntur de conceptu naturarum univocalium. Sed ut docet Tatar. q. 2. prædicam. §. 2. sciendum ex doctrina Scot. 1. d. 2. q. 3. & d. 8. q. 3. & Bonet. in Met. loc. cit. præter unitatem conceptus formalis ad univocationem requiritur etiam unitas conceptus objectivi, id est, quod vox univoca significet primario aliquid commune illis, sicut homo significat primo, & immediate humanitatem, quæ est communis suis inferioribus; Est communis omnium sententia contra Nominales, & probatur, tum quia cum inquit Arist. univoca participare non solum commune nomen, sed etiam communem substantiæ rationem in eis essentialiter imbibitam, utique per rationem substantiæ non intelligit conceptum formalem illis communem, sed objectivum, hic enim est, qui in eis essentialiter includitur, non illa: tum quia quando dicuntur æquivoca, ut ab univocis fecerantur, carere unitate rationis, & conceptus, præsertim si sermo est de unitate conceptus objectivi, quia ad prolotionem ipsius nominis æquivoci experitur intellectum nostrum non uniri concipiendo aliquid unum commune illo nomine significatum, sed ad diversa immediata objecta distrahi, v. gr. ad prolotionem *Canis* non unitur intellectus aliquo modo, sed potius distrahitur ad diversa immediate concipienda, scilicet canem marinum, terrestrem, & cælestem, e contra igitur univoca dicuntur habere unam, & eandem rationem objectivam, & in prolotione vocis univocæ debet intellectus colligi ad

ad unum, in quo inferiora conveniant: tum tandem quia unitati conceptus formalis debet necessario respondere unitas objectivi, ergo si habent univoca unitatem conceptus formalis, unitas objectivi eis denegari non poterit; patet assumptum, quia unitas conceptus formalis attenditur penes unitatem objectivi; hæc est sententia communis, quam fuisse probat Pasqualig. p. 2. Metaph. dispa. 28. lect. 3.

40 Secundo dubitatur, an unitas istius conceptus objectivi necessario debeat esse realis, ita quod respondeat ei a parte rei aliqua res vel realitas, & natura communis per ipsum adæquate concepta, & explicata, ratione cuius intercedat distinctio ex natura rei formalis inter prædicatum commune, & inferiora, an potius sufficiat unitas rationis, & præcisionis per intellectum immediate plura inadæquate concipientem, quatenus familia, ratione cuius inter prædicatum commune, & inferiora intercedat sola distinctio virtualis, ac rationis ratiocinate. Primum dicendi modum sequi videntur Scotista illi omnes, qui non solum gradus communes prædicamentales, ut hominem, & animal, sed etiam transcendentes, ut ens, & substantiam proprias realitates adæquate conceptibiles, & inferioribus univoce communes (est cum analogia mixta) præferre dicunt, ut Canon. 1. Phys. q. 3. Faber Theor. 94. Meurisse 1. lib. suæ Met. q. 7. & Bonet. c. sequuntur etiam Recentes quidam, ut Amic. in Log. tr. 12. q. 6. dub. 4. qui per hoc distinguunt prædicatum univocum ab analogo, quod illud dicit unitatem, & communitatem realem præfatio modo, sed analogum per solum præcisionem intellectus plura immediate concipientis inadæquate, ut familia. Alterum dicendi modum sequuntur alii Scotista, qui solum gradus communes prædicamentales asserunt importare realitates, & naturas vere communes adæquate conceptibiles, gradus, vero transcendentes Deo, & creatura communes, inquit, importare solum conceptus inadæquatos, non autem realitates, ut Lich. Viger. Tromb. Barg. Herrera, & alii. Verum quicquid sit de prædicatis transcendentibus, an præferantur realitates, vel solos conceptus inadæquatos, de quo in Metaph. dicendum est in proposito ad univocationem perfectam, & puram necessario requiri unitatem conceptus objectivi ita esse realem, ut a parte rei respondeat ei realitas, & natura communis per ipsum adæquate conceptibiles, ita Doctor in 1. d. 3. q. 1. & 6. ostendit ex professo, ut ibi est videre; ad univocationem vero imperfectam, & cum analogia mixtam (de qua duplici univocatione statim dicemus) qualis est univocatio omnium transcendentium, non necessario requiritur unitas conceptus realis præfatio modo, sed sufficit unitas rationis, quæ non ideo talis dicitur, quia sit merum opus intellectus, ut purum ens rationis, sed quia fit per abstractionem, & præcisionem intellectus plura immediate concipientis inadæquate, ut familia, ob fundamentum similitudinis, quod reperit inter ea a parte rei, unde in hoc sensu poterit dici unitas realis fundamentaliter, in quo sensu asserit Doct. 2. d. 26. lit. Y. a relationibus divinis conceptum communem realem abstrahi posse, cum tamen relationibus divinis nulla sit realitas communis, & aliqui Scotista etiam ab ultimis differentis conceptum communem hæccitatis, cum tamen in realitate sint primo diversæ ex Doctore in 1. d. 3. quæst. 3. §. *Ad questionem igitur*.

41 Tertio dubitatur, an conceptus univocus debeat necessario perfecte præcindere tum a suis inferioribus, tum a differentis, vel modis contrahentibus, ita ut in oratione inferiorum, vel contrahentium nullo modo involvantur, nec explicite, nec implicite. Negat Averfa cit. q. 15. lect. 1. ubi ait sufficere imperfectam præcisionem, unde q. 13. se 1. statuit genus non semper præcindere perfecte a differentis sed in eo sæpius involvi rationes illarum implicite, & in tali casu non præcindit genus, nisi ab explicite, & expresso conceptu differentiarum. Verum opposita opinio communis est præsertim apud eos, qui per præcisionem perfectam, & imperfectam ab inferioribus, & contrahentibus distinguunt prædicata transcendentia a non transcendentibus, & univoca ab analogis, imo Scotus ita huic sententiæ adhæsit, ut non solum gradus communes prædicamentales perfecte præcindere sit arbitratus ab inferioribus, & contrahentibus, ut genus a differentis, sed etiam idem affirmaverit de ipso conceptu entis tum respectu inferiorum, tum modorum contrahentium 1. d. 3. quæst. 2. quem sequuntur fere Recentes omnes, & multi ex Thomis. Ratio autem, cur conceptus univocus debeat perfecte præcindere ab inferioribus, & contrahentibus, est, quia in eo univocata conveniunt, & perfecte assimilantur, si est perfecta univocatio, ergo excludere debet rationes peculiarias inferiorum, & contrahentium, quia si illas aliquo modo includeret, non esset tantum ratio assimilandi, sed etiam distinguendi. Non esset quod genus assumilandi, sed etiam distinguendi. Accedit, quod ratio, ut dicemus inferius, nullo modo actu continet species, & differentias nec determinate, nec indeterminate, nec explicite, nec implicite, sed potentia tantum, ergo perfecte præcindit ab eis.

42 Quarto dubitatur, num oporteat rationem significativam per nomen univocum essentialiter convenire univocatis, an sufficiat, quod eis conveniat accidentaliter, & sub allata definitione tam univoca essentialia, quam accidentalia, & Belli Tom. I. Logica.

alia comprehendantur. Et dicendum est cum communi (quicquid dicat Pasqual. p. 2. Met. disp. 27. lect. 2. n. 4.) nomen univocationis posse sumi dupliciter, primo modo magis proprie, quo sensu significat eandem rationem essentialem pluribus communem, ac in eis essentialiter includam, & talia prædicata dicuntur univoca essentialia, & hæc sola videtur Arist. voluisse comprehendere sub univocorum definitione, ut Scotus docet quæst. 6. Prædicam. in corpore, & in 3. dist. 7. quæst. 1. quod probat ex illis verbis, *& ratio substantiæ eadem*, &c. per hæc enim satis exprimit (inquit Doctor) talem rationem debere esse essentialem univocatis, quod adhuc magis liquet ex exemplis, quæ adducit de univocis essentialibus; tum quia c. de subit. docet accidentia prædicari non posse de subiectis nomine, & ratione, quod utique falsum esset, si sub hac definitione etiam univoca accidentalia comprehendere vellet; tum demum, quia Arist. divisit tanquam in membra opposita, nedum formaliter, sed etiam materialiter æquivoca, univoca, & denominativa, sed si sub allata definitione comprehenderet etiam univoca accidentalia, confunderet utique univoca cum denominativis, univoca namque accidentalia sunt denominativa, ut postea dicemus. Alio modo magis late, ut significet rationem pluribus communem, sive essentialem, sive accidentalem, nam ut inferius dicemus, non solum dantur universalis essentialia, ut genus, & species, sed etiam accidentalia, ut proprium, & accidens; & certum est de ratione universalis esse, quod sit univocum, ergo non solum admitti debent univoca essentialia, sed etiam accidentalia, & quidem Scot. quoque hæc distinctionem sæpius inculcavit ponens differentiam inter prædicatum univocum, & univocæ prædicari 1. dist. 3. quæst. 3. & dist. 8. quæst. 3. P. & 3. distinct. 7. quæst. 1. D. & cum eo Formalistæ omnes artic. 1. formalit. ubi per prædicatum univocum intelligunt univocum accidentale, quod de suis prædicatur subiectis secundum idem nomen, ac eandem rationem accidentalem, ut album de cygno, & nive; per prædicatum vero univocæ intelligunt univocum essentialia, quod de suis prædicatur inferioribus secundum eandem rationem essentialem, ut animal de homine, & equo; Quamvis autem intentio Arist. fuerit definire univoca tantum essentialia, ut dictum est, certum tamen est absolute loquendo posse sub hac definitione comprehendere utraque univoca, ita enim prædicatur animal secundum idem nomen, & rationem de homine, & equo, sicut album de nive, & cygno, ut docet Scot. cit. nec refert ad rationem univocationis, quod ratio sit una, & eadem essentialiter, vel accidentaliter, atque ita *ratio substantiæ* explicari debet, quod denotet unitatem conceptus objectivi, qualiscumque ille sit, essentialis, vel accidentalis, & de factis ita intelligunt, & exponunt Sanch. qu. 1. prædicam. Cajet. Hurtad. & alii.

43 Quinto dubitatur, an oporteat rationem significativam per nomen æque primo, & principaliter convenire omnibus univocatis, vel possit convenire uni principaliter, & primario, alii minus principaliter, & secundario, sive uni originaliter, & independenter, alii participative, & dependenter ab illo. Et quidem Recentes multi cum Suar. disp. 2. Met. sect. 2. nu. 6. primum affirmant, ita ut si addit non unitas conceptus, sed inaequalitas in participatione ipsius, inquit, hæc sufficere etiam si minimam, ut ille conceptus cadat a ratione univocationis, & fiat analogus. At potius cum Scoto quæst. ult. Prolog. in calce de duplici univocatione distinguendum est, altera perfecta, & completa, altera diminuta, & incompleta; prior est, cum inter aliqua est similitudo in forma, & in modo habendi, seu essendi formæ, sicut cum forma non tantum ejusdem rationis continetur in illis, sed etiam secundum eandem essendi modum, secundum eundem ordinem essentialem, & secundum eundem perfectionis gradum, quæ univocatio physica solet appellari, & tantum in specie infima reperitur 7. Phys. 31. sic enim tantum natura specifica individuis communicatur, & constituit primum, & supremum gradum univocationis, ex quo colligitur quatuor conditiones ad univocationem puram, & perfectam requiri; Prima est unitas conceptus; Secunda, quod eodem modo essendi sit in omnibus; Tertia, quod descendat in illa eodem ordine; Quarta quod univocata sint ejusdem perfectionis essentialis, & ad hanc univocationem utique requiritur, quod communis ratio æqualiter participet ab omnibus, & cum tota perfectione essentiali, secundum quam concipitur esse in uno, concipiatur etiam esse in alio. Univocatio vero incompleta, & diminuta, est, cum inter aliqua reperitur solum similitudo in forma, quatenus secundum eandem rationem imbibitur in illis, quæ est prima conditio simpliciter necessaria ad univocationem, deficiunt tamen cæteræ, quæ non sunt simpliciter necessaria, ut in conceptu entis respectu Dei, & creaturæ, substantiæ, & accidentis, & hic est minimus gradus univocationis, vel saltem aliqua, quatenus illa eadem ratio, licet reperitur in illis secundum eundem essendi modum, non tamen secundum eundem ordinem descendit in illa, ut numerus respectu binarii, & ternarii, vel si eodem ordine in illa descendit, non tamen secundum eundem perfectionis

essentialis gradum reperitur in illis, quemadmodum se habet genus respectu specierum, quia una species est perfectior essentialiter alia ratione differentie nobilioris, & hi sunt duo gradus medii inter supremum, & infimum, & hæc univocatio incompleta appellari solet metaphysica, & logica, quæ non differunt, nisi quia prima fit in terminis primæ intentionis, altera in terminis secundæ, & ad univocationem hujus secundi generis plane non requiritur æqualitas, & uniformitas in participanda eadem communi ratione, ut patet ex ejus declaratione.

44 Ex quibus constat ad Univocationem absolute, & in tota latitudine sumptam, quo sensu univoca definit Aristoteli conditionem illam æqualitatis, & uniformitatis in participanda eadem communi ratione non requiri, quia nihil tale ponitur ab Aristotele in definitione univocorum, unde Doctor 1. d. 3. quæst. 2. B. loquens de univocatione in tota sua universalitate inquit, *ne fiat contentio de nomine univocationis, conceptum univocum dico, qui ita est unus, quod ejus unitas sufficit ad contradictionem affirmando, & negando ipsum de eodem, & sufficit pro medio syllogistico, ut extrema unita in medio sic uno sine fallacia equivocationis concludantur inter se unum*; talis igitur unitas conceptus requiritur ad univocationem absolute sumptam, & abstrahit ab æqualitate, vel inæqualitate in participanda communi ratione. Hinc demum inferitur, univocorum in hac amplitudine duas esse species. Altera est eorum, quæ habent eandem rationem, & eodem omnino modo distributam inferioribus, & sic univoco communicantur species infimæ individuis ratione differentiarum individualium æqualis omnino perfectionis essentialis, & hæc dicuntur pure univoca. Altera est eorum, quorum est eadem ratio, non tamen eodem modo, sed inæqualiter inferioribus communicata, & ordine quodam: talia sunt genera, in quibus hæc ratione ait Aristoteli 7. Phys. 21. latere equivocationes, & in univocum prædicata transcendentia, & ista dicuntur univoca analogia.

Q U Æ S T I O V.

De Analogis, ac nominum Analogia.

45 **V**eteres Scholastici de Analogis pauca scripserunt, & Aristoteles ipse in Antepred. agens de Univocis, Æquivocis, & Denominativis, nec verbum quidem fecit de Analogis, signum evidens materiam hanc in se non multum continere difficultatis; at postquam Cajetanus edidit opusculum illud (quod aureum Complut. appellant disp. 10. Log.) de nominum Analogia, tot sunt exorta difficultates, ut nullus in logica, vel metaph. exter tractatus difficilior, adeo ut Auctores non solum in re ipsa non conveniant, verum nec etiam in usu nominum ad ipsam explicandam. Nos igitur in tanta hujus rei ambiguitate, & prolixitate breviter, quantum fieri potest, tribus articulis quæstionem hanc absolvemus, inquirendo quid, & quoruplex sit analogia, an habeant analogia conceptum unum commune objectivum præcise, & quomodo inter univoca, & æquivoca mediare dicantur.

A R T I C U L U S I.

Quid sit Analogum, & Analogia, & quoruplex.

46 **A**nalogia vox Græca est, & idem sonat, quod Latine *proportio, comparatio, seu proportionalitas*, ut habetur ex Quintil. lib. 1. cap. 6. & Cicero lib. 1. de Univocis. quæ omnia alicuius convenientiam simul cum differentia, aut inæqualitate important, unde Analogia ex vi nominis significat diversitatem cum aliqua similitudine mixtam; quare sicut ea proprie dicimus esse adinvicem proportionata, aut proportionalia, quæ non ita sunt diversa, ut non in aliquo etiam sint similia, ita illa dicuntur analogia, quorum nomen commune est, & ratio significata per illud nomen partim est eadem, partim diversa, quæ analogorum explicatio communiter ab omnibus recipitur, & ex ipsa deducitur analogia in nominibus debere dicere aliquam rationem, quæ subter alicui nomini, quæ tamen ratio objectiva aliquam unitatem, & aliquam simul diversitatem importet, quæ ratione Scotus 1. d. 8. quæst. 2. sub E. ait, unitatem analogiæ, (quam ibi attributionis appellat) esse majorem unitate æquivocationis, & minorem unitate univocationis, atque ideo communiter censentur analogia vere mediare inter univoca, & æquivoca, quod in quo sensu sit verum, postea explicabimus. Vera igitur ratio analogiæ consistit in proportionem plurium rerum, quam habent adinvicem secundum diversas rationes, quod merito additur, quia proportio, quæ est secundum eandem rationem, non est vera proportio, sed unitas, quæ constituit univocationem, ut Petrus, & Paulus in humanitate non dicuntur proportionari, quia non comparantur invicem secundum diversas rationes, sed penitus assimilari, & hinc patet, quomodo Analogia dicat conceptum objectivum partim eandem, partim diversum; est enim diversus, quatenus dicit diversas rationes objectivas, est idem nempe se-

cundum proportionem, quia proportio, cum ex intrinseca sua ratione ponat aliquam similitudinem, dicit etiam aliquam unitatem esse imperfectam. Patet etiam quomodo Analogia discernantur ab univocis, & æquivocis, dicunt enim univoca convenire secundum unitatem simpliciter, quia assimilantur in aliqua natura, analogia vero dicuntur convenire secundum unitatem proportionalem, quatenus non sunt res habentes paritatem, seu similitudinem in aliqua natura, sed dicuntur esse idem proportionaliter, non æqualiter, quasi scilicet in sua mensura, & proportionem, unde univoca habent rationes absolute similes, & absolute conveniunt in natura, at analogia habent solum convenientiam relativam, idest juxta proportionem, & commensurationem, neutram habent æquivoca, sed in sola voce conveniunt.

47 Quot autem modis analogia contingat, proutque sint ejus species, major est difficultas, nam in primis in ipsis assignandis valde discrepant Auctores, aliqui enim unam tantum speciem analogiæ propriæ agnoscunt, sed non omnes eandem assignant; Cajet. opusc. cit. c. 1. vi nominis analogiæ insistent, quod proportionem significat, ut diximus, solum analogiam proportionis vocat veram analogiam, reliquis abusive; sic etiam loquitur Scot. c. de æquivoc. ar. 2. Corollar. 1. Pasqualig. p. 2. Met. disp. 30. ubi analogiam attributionis negat esse veram analogiam. Scotus e contra hanc solum videtur agnoscere, nam ubicunque de analogia loquitur, semper de attributionis analogia fermocinat, ut in 1. d. 3. q. 3. Q. & d. 8. q. 3. E. & in 2. d. 12. q. 2. G. & in 4. d. 12. q. 1. H. & q. 13. univ. Arriaga quoque disp. 11. Log. sect. 4. sola admittit analogia attributionis, metaphorica tamen, in quibus ratio significata non reperitur proprie in omnibus analogatis, in quo differt a Scoto, ut videbimus postea. Alii vero analogiæ nomen extendentes, ut dicat non solum proportionem, & similitudinem inter aliqua, sed etiam habitudinem per modum ordinis; seu dependentiæ, duas agnoscunt species, unam, quæ dicitur proportionis, seu proportionalitatis, alteram attributionis, ita Scotista quamplures, Faber in Philof. Theor. 95. c. 1. & in Met. lib. 4. disp. 1. c. 21. Menzies lib. 1. fuz Met. q. 8. not. 3. Fuentes in Log. q. 12. diff. 2. ar. 1. & passim Recentiores Thomista Compl. in Log. dif. 10. q. 2. Jo. de S. Thom. p. 3. Log. q. 13. art. 3. Morifan. disput. 3. Log. q. 2. art. 1. Alii ultra has duas species tertiam addunt, quæ est inæqualitatis, unde præter analogia attributionis, & proportionalitatis, assignant analogia inæqualitatis; ita videtur sentire Suar. dum in Metaph. disput. 2. sect. 2. num. 6. & alibi sæpe docet esse de ratione univocationis, quod ratio significata per nomen æqualiter competat inferioribus, & non uni dependentem ab alio, aliquoquin ex tali inæqualitate statim emergit analogia, & sequitur Averfa qu. 15. Log. sect. 3. Alii demum quartam addunt speciem analogiæ, scilicet transcendentiam, ita ex Recentioribus quamplures, qui contendunt solum transcendentiam, quia ita ratio aliqua transcendit per interiora, ut imbibatur in ipsorum differentis, constituere analogiam etiam seclusa omni dependentia unius analogati ab alio, Hurtad. in Log. disp. 9. sect. 4. subsec. 5. Didacus a Jesu disp. 11. qu. 4. Blanc. disp. 4. sect. 6. & alii, &c. Verum non tantum discrepant Auctores in assignatione specierum analogiæ, sed etiam in earum appellatione, quidam enim vocant analogiam proportionis, quam alii dicunt attributionis, unde distinguunt analogiam proportionis ab analogia proportionalitatis, alii e contra confundunt analogiam proportionis cum analogia proportionalitatis, ut eandem.

48 Pro resolutione quantum spectat ad litem de nomine, ne de verbis contendamus, vocabulum *proportionis* deseremus, de quo est contentio, retinendo vocabula, *attributionis*, & *proportionalitatis*; quantum vero spectat ad litem de re, advertendum est, quod dum laborant Auctores inquirere veras, & proprias analogiæ species, si per propriam analogiam intelligant eam (ut velle videntur) quæ omnem prorsus excludat univocationem, vel æquivocationem a prædicato, quod in esse analogi constituit, vanus est eorum labor, quia nullum tale prædicatum reperiri potest, quod sit pure analogum, sed analogia semper reperitur mixta cum univocatione, vel æquivocatione, ut infra, illa igitur erit vera, & propria analogia, quæ excludit puram univocationem, & puram æquivocationem, & juxta majorem, vel minorem exclusionem hujusmodi puritatis varie poterunt, & debent assignari analogiæ species, unde juxta hanc doctrinam, quæ frequentissima est in Schola Scotistarum assignantium diversos gradus univocationis, & æquivocationis, loquemur.

Explicatur Analogia attributionis.

49 **D**icendum est primo, Analogiam attributionis non solum esse veram, sed primam quoque & principalem analogiæ speciem, & hujus speciei analogia dicuntur illa, quæ cum communi nomine significantur, unum tamen ad aliud ordinem, & attributionem habet in participanda communi ratione, vel ambo ad tertium, merito cujus dependentiæ, ac subordinatiōis vocantur hæc analogia ab Aristotele ab uno, & ad unum 1. Ethic. cap. 6. 4. Met. 2. 7. Met.

Met. 15. & alibi sæpe, nam quatenus omnia denominantur ab una forma, dicuntur ab uno; & quatenus minus principalia analogata dicuntur talia per ordinem ad unum terminum, dicuntur ad unum. Conclusio ab omnibus recipitur paucis quibusdam exceptis, & quod sit vera species analogiæ, manifeste colligitur ex Aristotele 4. Met. cap. 1. & lib. 5. cap. 6. & lib. 7. cap. 4. quibus in locis differte docet ens dici de substantia, & accidente analogice, ut sanum dicitur de animali, cibo, & pulvis, & inter ea constituit analogiam attributionis; probatur etiam ex ratione Analogiæ attributionis, quam omnes definiunt esse illam, secundum quam aliquid habent nomen commune, variationem vero substantiæ secundum illud nomen, eandem secundum terminum, & diversam secundum habitudines; sicut sanum dicitur analogum attributionis, quia convenit medicina, & pulvis, respectu ejusdem termini, scilicet sanitatis in animali, at habitudines sunt diversæ, nam pulvis habet habitudinem signi, & medicina habet habitudinem efficientis, ut bene Doctor explicat loc. cit. cum igitur ista præter communitatem nominis habeant quoque rationem substantiæ, partim eandem, partim diversam, plane analogia erunt, quæ ita describuntur, & hæc unitas attributionis, & ordinis vera analogica erit; Tandem ut ait Jo. de S. Thom. cit. usus invaluit in omnibus Scholis, ut analogia sumantur generaliter pro his, quæ nec pure æquivoca sunt, nec pure univoca ex quacunque habitudine id procedat, frustra ergo conatur Pasqualig. cit. disp. 33. sect. 3. negare analogia attributionis, quæ nec sunt pure univoca, quia attributio tollit æqualitatem in participando communi nomine, & ratione, nec pure æquivoca, quia unitas attributionis est major unitate æquivocationis.

50 Quod vero sit prima, & principalis species analogiæ probatur; tum quia Aristoteles 5. Met. 12. docens, quæ dicuntur unum secundum analogiam, explicat hanc unitatem per habitudinem, quæ constituit analogiam attributionis, dicens secundum analogiam vero, quæcumque se habent ut ad aliud, quæsi nulla alia detur species analogiæ præter istam; tum quia est dicitur alia species analogiæ, in omnibus tamen, & singulis aliquo semper modo involuta invenitur attributio, & ordo ad unum principale analogatum; quod prius, & perfectius commune rationem participat, quæ ratione D. Th. 1. p. quæst. 13. art. 6. & q. 16. ar. 6. docet in omnibus analogis necesse esse, quod omnia dicantur per respectum ad unum, & Scotus nullam aliam videtur speciem analogiæ admittere præter istam, ut Faber cit. adnotavit 4. Met. & Ruvius in Log. tr. de analog. ita de facto tenet cum multis aliis. Tum demum, quia hæc analogiæ species tam cæteris præstat, ut per ejus rationem explicetur analogia in communi, hæc enim ab omnibus explicari solet per habitudinem, & ordinem prioris, & posterioris in participanda communi ratione, in qua fit analogia, quod tantum verum est, ut dixerit Cajet. cap. 1. de nom. analog. in fine quasi synonyma esse aliquid dici analogice, & dici per prius, & posterius, & Pasqualig. disp. 30. sec. 2. testatur esse omnium tam commune sententiam, ut potius supponatur, quam probetur, sed hic ordo prioris, & posterioris adinventi nequit, nisi cum attributione posterioris ad prius, ergo, &c.

51 Cæterum, ut Doctor advertit 2. d. 12. qu. 2. G. 4. d. 12. q. 1. sub H. & Alensis 7. Met. tex. 5. quos præter Scotistas jam cit. sequuntur Suar. in Met. dif. 28. sect. 3. n. 14. Ruvius, & Morifan. loc. cit. Avverfa q. 15. sect. 4. & etiam ex Thomistis quamplures Capreol. 1. d. 2. qu. 1. ar. 1. concl. 9. Ferrara 1. contra Gentes c. 34. § Ad primum, & § Ad advertendum, Bannes p. 1. q. 13. art. 6. hæc analogia dupliciter contingere potest, vel ita, quod analogata sic se habeant, ut primum tantum analogatum proprie, & intrinsece tale denominetur per formam sibi existentem, reliqua vero extrinsece ratione solum illius habitudinis, quam habent ad illud primum, ac velut improprie: vel ita, quod omnia analogata formam illam proprie, ac intrinsece includant, sicut adhuc cum subordinatione, & dependentia unius ad aliud, vel amborum ad tertium, primo modo analogice dicitur sanitas de animali, cibo, medicina, & urina, quia ratio formalis sanitatis, quæ est debita humorum temperies, intrinsece, & formaliter est in solo animali, in medicina vero, cibo, & urina, tantum extrinsece, tanquam in terminis habitudinibus, quam dicunt ad sanitatem animalis, scilicet in medicina, tanquam in causa effectiva, in cibo tanquam in conservativa, & in urina tanquam in signo; alio modo analogice dicitur ens de Deo, & creatura, substantia, & accidente, ut Aristoteles docet 4. Met. c. 1. & lib. 5. c. 6. & lib. 7. c. 4. quibus in locis constituit analogiam accidentium ad substantiam, quam certum est talem esse, ut ratio entis proprie, & intrinsece omnibus conveniat; & hæc analogia multis inter se differunt, ut notat Suar. & clare colligitur ex Scot. citat. primo, quia in analogis prioris generis, & præcisa, cur talia dicuntur, non sic in analogis secundi generis, ut patet in exemplis allatis. Secundo, quia si analogia primi generis definiuntur, per ordinem ad primum definiuntur, quia est ratio præcisa, cur talia dicantur, in analogis secundi id necesse non est cum om-

nia a propria forma talia dicantur. Tertio in prioribus generis nomen proprie tribuitur solum primo analogato, cæteris improprie, in posteriori proprie omnibus. Quarto in priori genere non datur unus conceptus communis omnibus; quia forma, unde sumitur analogia est in uno tantum intrinsece, in aliis extrinsece solum, at secundo datur conceptus communis omnibus, quia omnibus inest intrinsece forma, unde desumitur, tandem nomen analogum prioris generis nequit esse medium in demonstratione, quia deficit ei unitas rationis, secus nomine analogo posterioris generis.

52 Adhuc autem analogia attributionis utriusque generis subdistinguantur, si enim loquamur de analogis prioris generis, sunt quadruplicia, sicut quadruplex nata est esse dependentia cæterorum analogatorum ad primum juxta quatuor causarum genera, unde alia erunt analogia attributionis ex efficiente, ut medicum instrumentum, & præceptum medicum, quatenus in hoc communi nomine conveniunt cum medico, ad quem dicunt ordinem, ut ad causam efficientem illis utentem, alia ex fine, ut medicina sana, sana dieta, quatenus conveniunt in communi nomine sani propter dependentiam, quam habent ad sanitatem animalis, ut ad suum finem; alia ex forma, ut homo vivus, & homo pictus, vel sculpsus, quatenus conveniunt in nomine hominis propter ordinem ad formam, & effigiem hominis vivi, quam imitantur; alia demum ex materia, ut aureum vas ex auro confectum, & aureum vas pictum, quod vas ex auro confectum imitatur. Si vero loquamur de analogis posterioris generis, sunt triplicia, prout ordo in eis, quæ eandem formam, & rationem participant, ex triplici capite oriri potest, nam internum oritur talis ordo præcise ex varietate graduum perfectionis essentialis eorum, in quibus reperitur, sicut perfectior alia essentialiter ratione differentia ex Aristotele decimo Metaphysicorum secundo. Aliquando etiam oritur propter ordinem essentialem, quem servat illa ratio communis in inferiora descendens, sic accidit in numero (ut communi Scotistarum exemplo utamur) qui in binarium prius, quam in ternarium descendit. Aliquando nedum propter ista, sed etiam ob diversitatem modorum rationem, ut accidit de ente respectu Dei, & creaturae, substantiæ, & accidentis, quia in Deo est a se, & per essentiam, in creatura ab alio, & per participationem, in substantia per se, & in se, in accidente per inalienatam, & dependentiam ab ea, & in hoc sensu attributio sumitur in omni rigore pro dependentia nimirum essentiali unius analogati ab alio, vel plurium analogatorum ab uno tertio.

53 Contra hanc conclusionem Primo obiicit Pasqual. cit. probans hæc analogia attributionis non esse vere analogia, sed ab uno, vel ad unum. Tum quia ita ubique loquitur Aristoteles præsertim 1. Ethic. 6. contradistinguit analogia ab his, quæ ab uno, vel ad unum dicuntur. Tum 2. quia analogia constituitur per proportionem, ut patet ex vi nominis analogiæ ab initio articuli, ergo cum hæc attributio nullam importat proportionem, neque etiam importat veram analogiam. Tum demum quia hæc attributio importat præsertim dependentiam aliorum analogatorum ad principale analogatum, sed dependentia præcisa proportionis analogiam non inducit, alioquin ubicunque reperiretur, etiam adesset analogia, quod tamen constat esse falsum, nam effectus univocis est talis dependentem a causa univoca.

Resp. esto ab Aristotele vocentur hæc analogia ab uno, & ad unum ex vi attributionis, quam important, non idcirco ea excludit ab analogorum numero, & falsum est 1. Ethic. cap. 6. contra distinguere analogia ab his, quæ ab uno, vel ad unum, immo potius analogia distinguunt in analogia attributionis, quæ appellat ab uno, & ad unum, & in analogia proportionis, seu proportionalitatis, quæ vocat secundum comparationem rationum. Ad 2. licet analogia ex vi Græci vocabuli solum proportionem sonet, tamen apud Latinos analogiæ nomen magis extensum est, ut non solum dicat proportionem, seu similitudinem inter aliqua, sed etiam habitudinem per modum ordinis, seu dependentiæ, & attributionis; imo multi hanc analogiam attributionis vocant proportionem, ut diximus, nam attributionem, quam habet unum ad alterum, vel multa ad unum; volunt esse proportionem, unde sanum appellant analogum proportionis, & attributionis, quia de urina, & medicina dicitur secundum proportionem, quam habent cum sanitate animalis, in quantum urina est signum sanitatis, medicina vero causa, & hoc est dici per attributionem ad illam. Ad 3. præter dependentiam requiritur ad inducendam analogiam prædicatum commune pluribus convenienti uni principaliter quantum ad nominis impositionem, ac independentem, alteri vero minus principaliter, & dependentem, quod in causa, & effectu non cernitur, nam calor v. g. æque primo significat calorem ignis, ubi est independentem & aquæ, ubi est dependentem ab igne, ita insinuat Doctor loc. cit. ubi etiam docet qualemcunque inæqualitatem in participanda communi ratione sufficere ad inducendam analogiam, ut magis mox declarabimus, & ideo consulto plures modos hujus analogiæ

constituimus juxta varios gradus univocationis, quos tel-
lunt, ut quisque videat dependentiam per hanc analogiam
importatam non semper essentiali esse.

54 Deinde quamplures Thomistæ, quibus prævit Cajet.
opus. cit. cap. 2. Complut. Joan. de S. Thom. Pasqualig.
Didacus a Jesu, Cumel 1. p. q. 13. art. 6. q. 2. Serna in
Log. disp. 13. sect. 1. q. 1. ar. 4. Tolet. in antepredic.
c. 1. Amic. tract. 12. Log. q. 4. dub. 2. art. 3. probant
esse contra analogiam attributionis, quod omnia analogi-
za intrinsece participant formam, in qua fit analogia.
Tum quia secundario analogata non dicuntur talia, nisi
per attributionem ad primum, sed attributio non videtur
esse, nisi quadam extrinseca denominatione, ergo, &c. Tum
2. quia si reperiretur in singulis, non esset cur depende-
rent minus principalia analogata ab uno termino & talia
dicerentur per habitudinem ad illud, cum illa forma sit in
omnibus. Tum 3. quia Arist. ipse hæc attributionis analo-
gia explicat exemplo sanitatis in animali, cibo, pulsu, &c.
quæ solum in animali intrinsece reperitur. Tum 4. dici
non potest posse esse in singulis cum dependentia tamen
ab uno, nam in principali analogato est independens, &
in aliis est dependens, at impossibile est eandem formam
esse dependentem, & independentem ex natura sua. Tum
5. si intrinsece participant formam ejusdem rationis, jam
univoce, non vero analogice convenirent in ea. Tum 6.
quia non fieret attributio aliorum analogatorum ad pri-
mum secundum diversas habitudines, ut haberetur in
definitione hujus analogiæ superius allata, sed secundum habi-
tudines ejusdem rationis, quia in omnibus esset eadem ra-
tio fundandi; immo non posset afferri ratio, cur hoc ana-
logatum pendeat ab illo, & non e contra, cum eadem
forma sit in omnibus.

55 Resp. ad 1. ex Scot. in 4. loc. citat. utique in ana-
logis prioris generis habitudinem ad principale analogatum
esse rationem formalem præcise denominandi talia cæ-
tera analogata, & dicere denominationem extrinsecam a
forma illi inexistentem desumptam, & in cætera derivatam,
at secus est in analogis posterioris generis, nam in utro-
que extremo (ait Doctor) est aliquod absolutum, pro-
pter quod formaliter utrumque dicitur tale, licet super
unum absolutum fundetur ordo ad illud, unde denomina-
bitur tale per formam sibi intrinsecam fundantem ordinem
ad aliud. Ad 2. illa forma habetur in omnibus, sed di-
versimode descendit in ea; quia nimirum convenit uni
per aliud, ut est de ente respectu Dei, & creaturæ, &
perfectus in uno reperitur, quam in alio, & hæc diversi-
tas in modo participandi eandem formam etiam intrinsece
sufficit ad inducendam attributionem unius ad aliud, &
consequenter analogiam, ut docet Doct. citat. & lib. Elench.
quæst. 13. §. ad primam ergo questionem. Ad 3. ait Do-
ctor in 2. loc. citat. quod est res ita se habeat in uno
exemplo, scilicet de sano, in centum est contrarium, un-
de adducit ibi alia exempla ad oppositum, scilicet de ente
respectu Dei, & creaturæ, substantiæ, & accidentis, de
gradu generico respectu specierum, in quibus semper est
aliqua attributio ad perfectiorem, quia in unoquoque ge-
nere semper est unum, quod est metrum, & mensura
aliorum ex 10. Metaph. utitur vero Arist. sæpe exemplo
de sano, quia in illo manifestior cernitur attributio, &
analogia. Ad 4. non implicat formam ejusdem rationis,
& eandem non quidem per inexistentiam, sed per indiffe-
rentiam (quo sensu quilibet natura communis dicitur
eandem in suis inferioribus, ut in Metaph. declarabitur)
in uno suorum inferiorum dependere, in alio non depen-
dere, quia id non procedit ex tali identitate, sed ex di-
verso modo defendendi in illa, & quando etiam tota hæc
diversitas prodiret ab extrinseco ex differentiis nimirum
contrahentibus, ut omnes concedunt de gradu generico
respectu specierum, adhuc ista sufficit (inquit Doctor)
ad inducendam analogiam, ut docet Arist. 7. Phys. 31.
ubi ait in genere analogiam latere ex hac sola diversitate
ab extrinseco procedente, & ratio est, quam adducit 3.
Met. 11. quia prius, & posterius (quocumque modo sit)
non fiat cum omnimoda univocatione; per quod diluuntur
omnes objectiones, quas contra hanc resolutionem conge-
xit Pasqual. cit. disputat. 33. sect. 5. Ad 5. gratis conce-
ditur in eo casu illa plurimam univoce convenire in forma,
sed cum tali univocatione fiat etiam analogia, quia sup-
ponitur illa forma participari ab eis non æqualiter, & uni-
formiter, sed per prius, & posterius, perfectiori, & im-
perfectiori modo, quod analogiam inducit. Ad 6. quam-
vis illa definitio, præsertim a Thomistis afferatur, adhuc
nobis non officit, & adhuc secundum diversas habitudines
cætera analogata referuntur ad primum, quia non sola
forma in omnibus intrinsece reperta est ratio fundandi,
vel terminandi habitudinem, sed debet etiam attendi mo-
dus, quo in eis reperitur, nam cum diversimode in ea de-
scendat, in unum prius, independentem, & perfectum, in
aliud posterius, dependentem, & imperfectum, ideo in istis
est ratio fundandi dependentiam, & in illo est ratio ter-
minandi.

Explicatur Analogia proportionalitatis.

56 Dicendum est secundo, alteram speciem analogiæ,
quæ dici solet proportionalitatis, vel melius proportio-
nalitatis, admitti debere, velut aliquo modo, non tamen
profus, condistinctam ab analogia attributionis. Analoga
hujus speciei sunt illa, quæ licet habeant rationes simpli-
citer diversas, quia tamen non sint analogiæ simpliciter
ideo participant commune nomen, quorum plurima so-
lent afferri exempla, nam Arist. 2. Post. 87. attulit exem-
plum spinæ, & ossis, dicens ita se habere spinam in pi-
sce, sicut os in aliis animalibus, & 1. Ethic. cap. 6. af-
fert exemplum visus, quod nomen dicitur de intellectu,
& de oculo, quia dicitur videre corporaliter, & intelle-
ctualiter, & Aver. 5. Metaph. com. 12. attulit exemplum
gubernatoris, quod nomen dicitur de eo, qui regit civita-
tem, & qui regit navem, & qui regit domum, & com-
muniter circumfertur exemplum de risu, qui dicitur de ho-
mine, & de prato florente, & exemplum de pede, qui dicitur
de pede animalis, de base lestuli, & radice montis,
unde tunc semper ista intervenit analogia, cum nuncupa-
mus aliquid eodem nomine a proportionem, quam habet ad
aliam rem. Hæc vero analogia potius dici debet proportio-
nalitatis, quam proportionalitatis, hoc enim interest secun-
dum Mathematicos inter hanc, & illam, ut notat Doct. 4.
d. 6. quæst. 10. quod proportio est habitudo quadam unius
rei ad aliam; ut inter duo, & quatuor est proportio du-
pla, sed proportionalitas est habitudo duarum proportionum
ad invicem convenientium, ut si dicamus, sicut se habet duo
ad quatuor, ita se habent tria ad sex, cum igitur hæc species
analogiæ in tali comparatione consistat, quod v. g. sicut
se habet risus ad hominem, ita florere ad pratum, & sic
de aliis, plane analogia proportionalitatis potius, quæ in-
ter quatuor versatur terminos, quam proportionalitatis, quæ
tantum inter duo, vocari debet.

57 Potest autem hæc quoque analogia dupliciter contingere,
ut de analogia attributionis dicebamus, uno modo,
ita quod unum membrum sit absolute tale per suam for-
mam, aliud vero, ut stat sub comparatione, & proportio-
ne ad illud, ratione cuius per metaphoram significatur
nomen absolute, & proprie primo membro conveniente,
ut patet de risu respectu hominis, & prati, nam proprie
dicitur de homine, de prato vero metaphorice per quan-
dam comparationem, & proportionem; nam sicut risus in
homine provenit ex interiori hilaritate, cum bene se ha-
beret, & aliquo oblectatur objecto, sic pratum videre dici-
mus, quia bene se habeat, & sua amantitate quasi tripsi-
diare, ac luxuriare videatur; altero modo contingere potest
per denominationem intrinsecam omnium analogatorum,
cum nimirum in unoquoque est verum, & intrinsecum fun-
damentum proportionalitatis convenientiæ, & unumquodque
participat commune nomen, quia licet habeant rationes
diversas, tamen cum hæc ipsa diversitate proportionem ali-
quam inter se servant, quæ quia cuiusque est intrinseca,
ideo ex natura rei, & proprie unumquodque partici-
pat illud commune nomen, quod talem indicat propo-
tionem; ita analogice dicitur principium de patre
respectu filii, de fonte respectu rivulorum, de corde respec-
tu vitæ, de fundamento respectu domus, de puncto respec-
tu lineæ, de præmissis respectu demonstrationis, &c. & no-
men gubernatoris de eo, qui regit civitatem, qui regit
navem, & qui regit domum, non enim ita metaphorice
hæc nomina dicuntur de aliquo suo significato, sicut
per metaphoram dicuntur prata ridere, & Christus appel-
latur Agnus, Leo, Petra, &c. sed cum longe majori pro-
prietate.

58 Hunc modum analogiæ proportionalitatis admittunt
tam Thomistæ ex Cajet. loc. cit. cap. 3. quam Scotistæ,
ut est videre apud Fabr. & Meuriss. in Metaph. cit. sed
cum aliquo discrimine; nam in istis analogis Thomistæ nul-
lam admittunt attributionem unius ad aliud, sed volunt
commune nomen omnia æqualiter, & per se significare,
& quidem illa omnia immediate significare non autem ali-
quem conceptum eis communem, ac etiam secundum suas
proprietas rationes, non absolute sumptas, sed ut proportio-
nabiliter se habentes inter se, ut declarant Complur. &
Joann. de S. Thom. cit. Scotistæ e contra volunt hoc no-
mine significari conceptum communem analogatis, & e-
rit ver. gr. conceptus principii, ut sic, gubernatoris, ut
sic, & ulterius in istis analogis admittunt attributionem ad
unum prius, & Fabr. , quamvis hanc negaverit in Phi-
losoph. tamen postea concedit in Met. loc. cit. juxta quam
explicationem nullatenus profus differt hic secundus mo-
dus analogiæ proportionalitatis a secundo modo analogiæ
attributionis, unde & hunc modum, sicut & illum ad uni-
voce reducunt. Verum hic modus non est cum illo profus
confundendus, quamvis enim cum eo conveniat, quan-
tum est ex parte attributionis, quam involvit, ut clare
patet in exemplis allatis, nam principium primo, & per se
significat illud, a quo per veram originem procedit aliud se-
cundum esse, & per attributionem ad hoc principium dicitur
de reliquis, gubernator primo dicitur de rectore civitatis,
& per attributionem adhuc dicitur postea de rectore navis,
& do-

& domus, quatenus funguntur isti in domo, & navi e-
odem munere, quo ille in civitate, unde immerito negant
Thomistæ attributionem in his analogis, adhuc tamen in
hoc discriminantur, quod hic nomen commune non signifi-
cat unum commune conceptum, & unam formam, ut
in analogis attributionis, sed immediate plures, non qui-
dem omnino diversas, ut in pure æquivocis, sed propor-
tione similes; alia enim ratio principii est in corde, fon-
te, puncto, &c. cum tamen non sint alia fanitas, a qua
animal dicitur sanum, & medicina sana, nec alius entita-
tis conceptus, a quo substantia, & accidens dicuntur ens,
quare hic modus analogiæ attributionis ad æquivoca redu-
cendus erit, non ad univoca, cum non importet unitatem
conceptus; qua de causa in secunda conclusione diximus
hanc speciem analogiæ proportionalitatis admitti debere,
velut aliquo modo, non tamen profus condistinctam ab
analogia attributionis.

59 Contra hanc conclusionem arguunt Suarez, Ruvius,
Pasqualig. Blanc. loc. cit. probando, quod omnis vera ana-
logia proportionalitatis includit aliquid metaphoræ, &
improprietas, ut patet de risu respectu hominis, & pra-
ri, quorum fundamentum est, quia proportionalitas de se
est insufficientis ad inducendam analogiam, si quidem vera
proportionalitas potest etiam reperiri inter res univocas,
& omnino similes, vere enim dicimus, quod sicut se ha-
bet quatuor ad duo, ita octo ad quatuor, vel quod sicut
homo comparatur ad suos sensus, ita equus ad suos, &
tamen nomen dupli vel animalis non est analogum, sed
univocum, ergo ut proportionalitas analogiam inducat, de-
bet aliquid metaphoræ, & improprietas includere. Dein-
de vel ratio communi nomine significata invenitur per se
primo, & intrinsece, in omnibus analogatis, vel in uno
tantum, in cæteris vero extrinsece, & veluti per metapho-
ram, si primum, ergo erunt univoca, nam omnis ratio
communis pluribus æqualiter ab illis participata est univoca;
si secundum, habetur intentum. Deinde hæc analogia funda-
tur in proportionem duorum, vel plurium ad invicem, ergo
non potest, quod dicit in uno proprie, dicere proprie in
alio, fed tantum metaphorice, alioquin non esset in eo se-
cundum proportionem; proportio enim excludit proprietatem.

60 Resp. ad 1. concedendo posse fieri proportionalitatem
in univocis ad exprimendam omnimodam similitudinem
(esto aliqui contendant hanc non fore proprie proportio-
nalitatem) & talem proportionalitatem utique non suffi-
cere ad analogiam, fed datur alia proportionalitas, quæ
non supponit, nec exprimit, nisi meram unitatem, &
convenientiam proportionalem, & hæc se sola sufficit sine
aliqua metaphoræ, vel improprietas ad analogiam. Ad 2.
hoc nomen analogum non significat rationem unam, sed
immediate significat ipsa analogata secundum suas proprias
rationes, non absolute sumptas, sed ut proportionabiliter
se habentes inter se, in quantum, scilicet, unumquodque
fundat habitudinem ad suum esse similem habitudini, quam
fundat alterum, sine metaphoræ, vel improprietas, quæ
est analogum ad univocationem potius tendens, quam
ad univocationem. Ad 3. proportio excludit proprietatem,
si per hanc intelligatur omnimoda similitudo, nam quæ
sunt proportionaliter similia, utique non sunt omnino si-
milia, at non semper excludit proprietatem; si per hanc
intelligas veritatem, & in hoc sensu dicimus interdum no-
men analogum proprie, idest vere, & non metaphorice
dici de pluribus, vere enim, & non metaphorice, cor est
principium vitæ, fundamentum domus, & utrumque no-
mine principii nominamus, quo utique non significatur
aliqua natura, seu similitudo omnino utrobique parti-
cipata, sed univocumque formæ proportio, ut sicut se
habet cor in animali, ita fundamentum in domo, atque
ideo aliquam unitatem retinet ista duo in ipsa ratione
principii, non quidem unitatem naturarum, sed solum propo-
tionum absque metaphoræ.

Explicatur Analogia inæqualitatis.

61 Dicendum tertio admittendam quoque esse alteram
speciem analogiæ, quæ dicitur inæqualitatis, ut
utilem; non tamen ut condistinctam ab analogia attribu-
tionis. Conclusio est contra Cajet. cit. ubi analogia hujus
speciei definit esse illa, quorum nomen est commune, &
ratio secundum illud nomen est eadem, inæqualiter tamen
participata quoad perfectionem, ut homo, & brutum con-
veniunt in nomine, & ratione animalis, sed homo parti-
cipat naturam animalis contractam per rationalitatem,
quæ est differentia multo perfectior irrationalitate contra-
hente animal ad brutum, unde fit, ut natura animalis in
homine fit multo perfectior, quam in bruto, non quidem
per essentiam ipsius animalis præcise, sed per differentiam
rationalitatis adjunctam; quocirca cum hæc inæqualitas etiam
in gradibus univocis reperitur, scilicet in generibus
respectu specierum, infert Cajet. non inducere veram ana-
logiæ speciem, quam putat esse cum univocatione incom-
possibilem, & ideo concludit hanc speciem analogiæ esse
inutilem, & sequuntur passim Recentiores omnes.

62 Sed apud Scotistas, quos sequitur Averfa cit. admit-
tentes varios gradus, tum univocationis, tum analogiæ,
Maffrii, & Bellari Tom. I. Logica.

& impossibilitatem hujus cum illa in aliquo gradu, ina-
qualitas participandi eandem communem rationem quoad
ordinem, vel perfectionem essentiali sufficit ad inducen-
dam veram analogiam, quia ex vi hujus inæqualitatis illa
ratio communis in inferioribus partim est eadem, partim
diversa, in quo ratio analogiæ consistit; Et hic dendi
modus fundamentum habet in Aristot. qui ratione hujus
inæqualitatis 7. Phys. 31. ait in generibus latere analo-
giam, & 3. Phys. 70. ait naturam infiniti non esse unam,
& eandem, idest univocam in pluribus, quia dicitur se-
cundum prius, & posterius, & 3. Met. 11. infnuat prius,
& posterius non stare cum perfecta univocatione, de cu-
jus ratione est, quod natura participetur ab inferioribus
cum omnimoda æqualitate, ac uniformitate quoad per se
ordinem, & perfectionem essentiali; cum igitur secun-
dum Arist. sufficiat hæc inæqualitas ad tollendam perfe-
ctionem, & puritatem univocationis, sufficiens item erit
ad inducendam veram, & propriam analogiam, nam per
analogia apud omnes intelliguntur illa, quæ nec sunt pure
æquivoca, nec pure univoca.

Respondent aliqui ex Suarez loco cit. non quamlibet
inæqualitatem sufficere ad analogiam, & præsertim illam,
quæ oritur ex differentiis contrahentibus, sufficientem non
esse, quia cum hæc sit extrinseca profus naturæ commu-
ni, nullo modo minuit unitatem rationis ejus, & univo-
cationem, sed ad analogiam inferendam requiritur inæquali-
tatem perfectionis, & ordinis provenientem ex ipsa ratio-
ne communi, quæ ex se postulat prius, & absolute esse in
sua specie, & deinde in aliis per habitudinem ad primam,
& hæc inæqualitas dici potest essentialis dependentia, ut
patet in ente, sano, & similibus, nam ipsa ratio commu-
nis entis ex se postulat, ut determinetur per modos in-
trinsecos cum tali ordine, & habitudine ad unum, & ideo
licet secundum consensum rationem sit eadem ratio entis,
sicut est una, tamen non est omnino eadem, quia non
est ex se omnino uniformis, qualem uniformitatem requi-
runt univoca; Hinc ad Arist. testimonia allata dicentis,
prius & posterius non stare cum univocatione, inquitur,
id intelligi non de quolibet priori, sed de participatione
priori, & posteriori alicujus communis, ut uni conveniat
per aliud, non autem de participatione priori, & poste-
riori secundum proprias rationes dividentes illud commu-
ne, nam ibi non est prioritas constituens dependentiam,
sed tantum dignitatem.

63 Hæc solutio allatis Arist. testimoniis, directe adver-
satur, qui manifeste loquitur de inæqualitate perfectionis,
& ordinis resultante in ipsa natura communi ex membris
dividentibus, & atr, hanc etiam aliquam inducere analo-
giam, quod autem hæc inæqualitas non minuat unitatem
rationis ejus, non obstat, quin analogiam inducat, nam
non ex defectu unitatis dicimus talem naturam esse analo-
giam, sed ex defectu illius æqualitatis, & uniformitatis,
qua solet natura specifica descendere in individua nullo
profus per se ordine servato, qua ratione ipsa sola dicitur
perfecte, & pure univoca ob æqualitatem differentiarum
in perfectione essentiali. Accedit, non esse omnino
certum talem inæqualitatem ex ipsa ratione communi pul-
lulantem possibilem esse, & forte nulla alia inæqualitas in
rationibus communibus, & præcis adinventis potest, nisi
quæ illis supervenit extrinsece, ex differentiis contrahen-
tibus, ut multi urgerent demonstrant, præsertim Pasqual.
cit. & Hurtad. disp. 9. Log. sec. 3. subsec. 4. & Arriaga
disp. 11. Log. sec. 2. quod multo antea de ipso ente do-
cuit Mairon. q. de univoc. entis dub. penult. cum ergo
dicit Arist. inæqualitatem rationis in communibus ad ana-
logiam sufficere, utique de ista intelligi debet, & deni-
que quando illa inæqualitas concedatur, & ut sufficiens
ad analogiam admittatur, non idcirco hæc alia velut in-
sufficiens rei debet, & negare, quod suo modo analo-
giam non inducat. Quod eo magis dicendum est, quia et-
si hæc inæqualitas ex differentia oriatur, adhuc tamen ex
ipsa ratione communi oriri dicitur suapte natura exigente
talem differentiarum inæqualitatem. Ut illic igitur est ista
species inæqualitatis, non tamen est ita constituenda, ut
sit diversa ab analogia attributionis, quia includitur in il-
la, ut bene advertit Fabr. cit. in Met. nam quod est ana-
logum analogia attributionis, per prius dicitur de uno,
per posterius de altero.

Explicatur Analogia Transcendentia.

64 Dicendum 4. Transcendentiam se sola analogiam
inducere non posse, sed tantum ratione inæqua-
litas, qua prædicatum transcendens in inferiora de-
scendit per dependentiam essentiali unius ab alio, at-
que ideo non constituit speciem ab analogia attribu-
tionis distinctam. Conclusio est Scot. loc. cit. ubi docet
ens, & alia prædicata ratione hujus inæqualitatis esse ana-
loga, & probatur, quia in primis inæqualitatis esse ana-
logiæ abutuntur nomine transcendentia, nam per ipsam
intelligunt rationem omnibus rebus communem, ac in eis
essentialiter imbibitam; at multa sunt prædicata transcen-
dentia, quæ non sunt ita communia, ut conceptus volunta-
tis, iustitiæ, scientiæ; & male negat Hurtad. cit. §. 46. esse
tran-

transcendentia, quia cum non includatur in aliquo prædicamento, & sint indifferentia ad finitum, & infinitum, transcendentia dici debent; nam per se primus conceptus transcendentia in tali differentia consistit, & exclusione a prædicamento, ut Scotus docet i. d. 8. quæst. 3. N. & O. quod autem sit commune multis prædicatum transcendentis, hoc ei accidit, inquit Doctor, & sequitur Aversa in Philosoph. q. 3. sect. 12. & substantia in communi ad Deum, & creaturam utique transcendentis dicitur, cum tamen non sit omnibus rebus communis, cum ergo ex suo primo conceptu transcendentia non dicatur partim similitudinem, partim dissimilitudinem (quæ est ratio analogiæ) eorum, quibus commune est prædicatum transcendentis, sed tantum exclusionem a prædicamento, & indifferentiam ad finitum, & infinitum, plane non se sola, sed ex vi inæqualitatis annexæ, qua in inferiora descendit, analogiam inducit. Accedit etiam, falsum esse ipsum ens esse ita transcendentis, ut non solum essentialiter, & quidditative imbibatur in inferioribus suis, verum etiam in ipsorum differentia, ac in suis modis contrahentibus, nam dato, quod ita includatur in quibusdam paucis differentia, quas appellant non ultimas, falsum tamen est includi eodem modo in differentiis ultimis, ac suis modis contrahentibus, ut docet Doct. i. d. 3. quæst. 3. §. Contra istam univocationem, & dicitur in Met. disp. de natura entis; nigitur totum fundamentum huius opinionis, quod erat prædicatum transcendentis ex vi suæ transcendentia formaliter imbibitur in inferioribus, & eorum differentia, & sic esse rationem simul, & semel ea distinguendi, & assimilandi. Rursus dato, quod inferiora, ac eorum differentia ita essentialiter includant transcendentia, tamen transcendentia in suis rationibus non ita includunt inferiora, ac eorum differentia, quia inferiora, & contractiva semper accidunt superioribus, & hoc verum est de gradibus communibus tam prædicamentibus, quam transcendentibus, quia utrobique eadem rationes militant, ergo ratio prædicta transcendentis dicit tantum similitudinem inferiorum, & sic ex vi suæ transcendentia non erit analogia, sed tantum ratione inæqualitatis, qua inferiora descendit. Denique ex eo præcise, quod aliqua ratio sit transcendentis, non sequitur, quod in illa conveniant, & differant formaliter inferiora, etiam si sequi concedatur inclusionem ejus in differentiis eorum, ergo ex simplici transcendentia non sequitur analogia; probatur assumptum, quia fieri potest, quod aliqua differant secundum suas differentias, non vero secundum rationem inclusam in illis, unde non valet sic arguere, differentia differunt se totis, ipsa tota sunt entia, ergo differunt, ut entia, quia quamvis, ut differunt, includeretur ens, non tamen differrent formaliter in ipso ente, sed potius convenirent in hoc, quod utraque differentia est ens.

65 Contra hanc conclusionem insunt Hurt. Blanc. D. d. & alii, tunc aliqua ratio est analogia, quando in ea inferiora aliquo modo conveniunt, & differunt, in hoc enim consistit vera analogia, & per hoc distinguitur a pura univocatione, & æquivocatione, quarum una solum est ratio conveniendi, altera differendi; at sola transcendentia, & inclusio entis v. g. in ultimis differentiis hominis, & leonis, facit ut homo, & leo conveniant in ratione entis prout præcisa, & in eadem prout inclusa in ultimis differentiis ipsorum distinguantur, ergo sola transcendentia analogiam causat. Confir. ratio univoca ideo tantum est principium conveniendi inter sua inferiora, quia in differentiis eorum non includitur, ut constat de ratione animalis respectu hominis, & leonis, ergo cum transcendentia causet talem inclusionem, analogiam quoque causabit. Confir. adhuc, quia sola inæqualitas proveniens ex ipsa ratione superiori, quæ suapte natura petit prius participari ab uno inferiorum, & postea ab aliis dependet ab illo sufficit ad analogiam, non autem illa, quæ præcise provenit ex rationem differentiarum, alioquin nulla ratio communis esset univoca, quia in inferioribus habet diversitatem ratione differentiarum; sed talis inæqualitas oritur præcise ex transcendentia rationis communis, ex vi cuius includitur etiam in differentiis inferiorum, ergo ipsa sola sufficit; major patet, probatur minor, quia eo ipso, quod includitur in differentiis, non potest inæqualitas ex parte differentiarum emergere, quin etiam emergat ex parte ipsius rationis communis, quæ in eis includitur. Demum analogia rei transcendentis participat ab inferioribus cum dependentia unius ab alio non provenit ex dependentia, ergo ex sola transcendentia; probatur assumptum, quia talis dependentia stare potest cum perfectissima univocatione, sicut enim accidens pendet a substantia in genere causæ efficientis, & materialis, ita actus vitalis a potentia, quæ tamen univocè conveniunt in genere qualitatis.

66 Resp. has omnes rationes ex eodem falso fundamento procedere, quod, scilicet, transcendentia importet inclusionem transcendentis etiam in differentiis, ac modis contrahentibus ipsum, quod prorsus falsum est, quo etiam admisso, nec sequitur intentum, ut constat ex dictis in probanda conclusione; ad primam igitur negatur minor; At insunt, si non includitur ens formaliter

in differentiis, & modis contrahentibus, ergo per nihil contraheretur ad constitutum aliquid, quia modi contrahentes essent formaliter nihil. Resp. facilius est Doct. citat. modos entis formaliter loquendo non esse entia, aut aliquid, nec non entia, aut nihil, sed esse entia, & aliquid solum realiter, & identice, formaliter vero sunt facultates entis, quod etiam dicere tenetur Hurtad. & quicumque ex Adversariis concedunt differentias non includere formaliter rationem generis, nam præcise conceptu relationis, vel qualitatis a contrahentibus differentis, vel ista sunt formaliter relative, vel absolute, & currit omnino eadem paritas, ut dicitur in Met. disput. de natura entis. Ad Confir. tunc ratio univoca est perfectum principium conveniendi, quando in inferiora descendit eodem ordine, & per differentias prorsus æquales in perfectione essentiali, quales sunt individuales, quod si differentia non sint æquales, redundat inæqualitas in rationem communem, ob quam desit aliquid ab univocatione, & ad analogiam vergit; potius ergo ex defectu inæqualitatis in contrahentibus, quam inclusionem in eis, procedit, quod ratio univoca sit tantum principium conveniendi; & rursus falsum est, quod assumitur in consequente, transcendentia scilicet, causare huiusmodi inclusionem. Ad aliam Conf. falsa est major, ut enim constat ex 3. concl. etiam inæqualitas ex parte contrahentium præcise emergens sub modo analogiam inducit (sive hæc appelleretur analogia Metaphysica, sive sit solum Physica, ut aliqui contendunt, parum refert) nec inde sequitur nullam rationem fore perfecte univocam, quia etsi quilibet habeat in inferioribus diversitatem ratione differentiarum, non tamen semper hæc diversitas in inferioribus est essentialis; falsa est etiam minor, ut sæpe dictum est, quod transcendentia causet eam inclusionem. Ad ultimum satis patet ex solutione tertie Conf. primi argumenti contra primam conclusionem huius art. qualis dependentia requiratur unius ab alio in participanda communi ratione ad inducendam analogiam, & falsum est potentiam vitalem esse in genere qualitatis, ut notat Doctor 2. d. 16. quæst. un.

ARTICULUS II.

Num Analogum dicere possit conceptum unum ab analogatis præcisum.

67 Quæsitum hoc examinari solet tam de conceptu formali, quam objectivo, nos tamen præsertim de objectivo differemus, nam inde consistit, quid dicendum sit de conceptu formali, quia nullam potest habere unitatem conceptus formalis, quam non accipiat ab objectivo per ipsum representato, unitas siquidem imaginis, qualis est conceptus formalis, non nisi ex unitate rei representatæ qualis est objectivus, potest attendi; unde satis hallucinantur illi, qui analogatis unitatem conceptus objectivi denegantes, concedunt unitatem conceptus formalis.

Prima sententia negat univociter analogis omnibus talem unitatem conceptus, & asserit analogum dicere tantum ipsa analogata in confuso, prout habent inter se aliquam habitudinem, ita Cajet. tract. cit. Complut. & Joan. de S. Thom. loc. cit. Zimara in tabula verbo *Analogia*. Fonseca 4. Met. cap. 2. quæst. 1. & 2. Vasquez 1. p. disp. 114. cap. 2. num. 6. Ruvijs in Log. tract. de analog. Paf. qualig. p. 2. Met. disput. 31. Altera sententia affirmat, posse in analogis saltem quibusdam reperiri conceptum unum præcisum, ita Scotus omnes (uno excepto Fuentes jam citat.) cum Scot. loc. citat. i. d. 3. quæst. 3. in fol. ad 2. & d. 8. quæst. 5. in fol. ad 3. & quicumque cum ipso tenent analogiam esse cum univocatione interdum compossibilem, sequitur Suarez in Metaph. disput. 2. sect. 2. & disp. 27. sect. 3. & disp. 32. sect. 15. Hurtad. in Log. disp. 9. sect. 5. Aversa in Log. quæst. 15. sect. 3. Serna in Log. disput. 3. sect. 1. art. 5. & multi ex insignioribus Thomistis Capreol. i. d. 2. quæst. 1. Javell. 4. Met. quæst. 1. Sotus cap. 4. Antepred. quæst. 1. & quicumque tenent ens esse analogum, & habere conceptum præcisum ab inferioribus.

68 Pro decisione quæsitum recolendum est ex precedenti articulo ex analogis quædam esse, quorum significatio non reperitur formaliter, & intrinsece, nisi in principali analogato, in cæteris autem per denominationem extrinsecam, ita se habere analogia attributionis, & proportionalitatis primi modi, ut patet de sano respectu animalis, & medicinae, & de risu respectu hominis, & prout quædam vero esse, quorum significatio reperitur formaliter, & intrinsece in omnibus analogatis, sed primario, & principaliter in uno, in quo est independenter, in aliis vero dependenter ab illo, & ita se habent analogia attributionis, & proportionalitatis secundi modi, ut patet de ente respectu Dei, & creaturæ (quod supponimus esse analogum attributionis, ut in Metaph.) de principio respectu fontis, cordis, fundamenti, domus, &c. hoc prænotato.

Dicendum 1. analogia attributionis, & proportionalitatis pri-

primi modi non posse habere unum conceptum communem, neque objectivum, neque formalem, sed plures, communitate tamen comparationis, & connotationis, quo solo differunt a pure æquivocis. Conclusio habetur quasi in terminis ex Doctore citat. in 2. d. 12. quæst. 2. in fol. ad 4. pro altera opinione, ubi sic loquitur, non est idem conceptus sanitatis, qui dicitur de urina, de animali, & de dieta, nam non est idem formalis conceptus sanitatis, ut est æqualitas humorum; & ut est quid causativum sanitatis, vel significativum sanitatis, licet in utroque materialiter includatur formalis conceptus sanitatis, & tunc dico, quod huiusmodi conceptus sunt formaliter diversi in illis, de quibus dicuntur, nam causativum sanitatis est formaliter in dieta, vel in tali potione, vel herba; significativum in urina est, & hi conceptus formaliter diversi ordinantur ad istum conceptum sanitatis, qui est æqualitas, vel proportio humorum, quæ ut sic formaliter est solum in animali, per quæ ultima verba insinuat unitatem comparationis, & connotationis, quæ est propria analogiæ, major quidem unitate æquivocationis puræ, quæ est solius nominis, sed minor unitate univocationis, quæ dicit unitatem conceptus communis omnibus, ut ait i. d. 8. qu. 3. infra. Et idem dici debet de risu respectu hominis, & prati, quod est analogum proportionalitatis primi modi, non ergo unitas aliqua naturæ, & conceptus significati debet concedi huiusmodi analogis, sed ad summum habitu quædam, quæ non fit per modum veræ, & absolute unitatis, sed per modum cuiusdam attributionis, & proportionalis, quæ solet dici unitas proportionalis.

69 Probatum autem conclusio, quia unitas horum analogorum non consistit in aliquo, quod intrinsece reperitur in omnibus, sed in ordine unius, vel plurium ad unum terminum, a quo recipiunt denominationem, quia ad illum habent connotationem, vel habitudinem, ergo ista analogia non possunt reduci ad unum conceptum, probatur Consequencia, quia talis unitas, cum sit unitas ordinis, & habitudinis unius, vel plurium ad aliud, necessario plures prout conceptus illi ordini adjunctos, & ad talem connotationem, & habitudinem exercendam necessarios. Confir. quia ei, quod est simpliciter tale, & per intrinsecam denominationem, & quod est secundum quid tale, & per extrinsecam, non est dabilis una ratio communis, ut monet Doct. i. d. 29. quæst. un. sed ita res se habet in his analogis, quia solum principale analogatum dicitur simpliciter, & absolute tale per intrinsecam denominationem, cætera vero talia secundum quid per denominationem ab illo; & rursus si talis ratio communis est abstractibilis, petendum est, an sit intrinsece denominationis, & sic non erit communis omnibus, quia non in omnibus talis forma est intrinseca, vel tantum extrinsece denominationis, & sic non competeret principali analogato. Tandem in his analogis particulariter verificatur commune Dialecticorum axioma, quod analogum per se sumptum stat pro famoso significatione, signum evidens non posse ab his analogis communem abstrahi conceptum, qui, si possibile foret, utique pro hoc communi supponeret analogum absolute luptum; & hinc fit, ut huiusmodi analogum nequeat esse medium in demonstratione, quia significat rationes plures.

70 Dicendum 2. nec etiam omnia analogia denominationis intrinsece habere unum conceptum communem præcisum, sed illa tantum, quæ sunt attributionis secundi modi. Conclusio colligitur ex Scoto cit. & probatur, quia analogia proportionalitatis secundi modi utique sunt analogia per denominationem intrinsecam, quia unumquodque vere dicitur tale, & non metaphoricè tantum, ut constat ex dictis art. præced. concl. 2. & tamen non habent unum conceptum communem, ergo non omnia analogia intrinsece denominationis habent communem conceptum abstractibilem; probatur assumptum, quia ut represententur hæc analogia, quatenus talia sunt, debent representari propriæ rationes ipsorum fundantes diversas proportionem cum aliqua tantum inter se similitudine, quæ proportionalitas appellatur, fundata in illis diversis proportionibus, ergo hæc analogia, ut eadem secundum proportionem, nequeunt representari unico conceptu objectivo, quia licet habeant unitatem, & convenientiam proportionis, hæc tamen convenientia adeo exilis est, ut nequeat illa coadunare in unum conceptum objectivum, sed tantum habet vim connectendi diversos illos conceptus ad invicem, cum enim proportio sit essentialiter ad aliud, non potest aliquid intelligi, ut proportionem habens, nisi cum illo conferatur, unde ex vi conceptus ipsius debet etiam illud concipi. Conf. quia etsi hæc analogia sint talia per intrinsecam denominationem formæ, hæc tamen denominatio non sumitur ab una forma in omnibus intrinsece reperta, sed sumitur a pluribus, & diversis, non quidem ut omnino diversis, sicut contingit in æquivocis, sed ut proportione similibus, ut explicatur est conclus. 2. præced. artic.

71 Ex hoc probatur altera conclusio pars, quod nimirum analogia attributionis secundi generis habeant unum conceptum communem præcisum, quia hæc proprie, ac intrinsece talia dicuntur ab una forma, quæ in omnibus, & singulis est ejusdem rationis, ut quadam natura com-

munis in inferioribus, ac proinde vere, & proprie conveniunt in tali forma, ratione cuius propria convenientia abstractibilis est una ratio communis omnibus, ut patet de ente, & cæteris transcendentibus, quod ex professo in Met. probabimus. Verum quidem est (quod est valde notandum) ut monet Doctor i. d. 8. quæst. 3. talem unitatem conceptus his analogis convenire non ex vi ipsius analogiæ, sed ex vi univocationis annexæ (ut enim dicimus art. sequ. omnia huius generis analogia mixta sunt cum univocatione) nam ex vi simplicis analogiæ nequeunt habere, nisi unitatem attributionis, & ordinis ad primum analogatum, quæ licet sit major unitate æquivocationis, adhuc tamen minor est (ait Doctor) unitate univocationis, utpote, quæ indifferenter compossibilis est cum hac, & illa, ex quo patet analogia, ut analogia, nunquam pervenire posse ad unitatem conceptus abstractibilis quia hæc est propria univocorum.

72 In oppositum obiicitur Primo, probando omnia analogia in universum habere conceptum communem præcisum. Tum quia omnia analogia, quantumvis imperfecta, analogia sunt, non æquivoca, ergo habent aliquid commune, non solum in voce, sed etiam in re significata per illam. Tum 2. certum est analogum de suis analogatis prædicari, vel igitur sola vox communis prædicatur, & sic erunt æquivoca pura, vel aliquid commune significatum per eam, & habetur intentum. Tum 3. quando concipiuntur analogia conceptu representante convenientiam ipsorum, vel concipiuntur secundum rationem aliquam communem, & habetur intentum, vel secundum rationes particulares, & sic non concipiuntur secundum rationem convenientiam. Tum 4. quando plura concipiuntur, ut plura, secundum rationes quidditativas, concipiuntur, ut æquivoca, ergo ut concipiuntur ut analogia, debent concipi secundum aliquam rationem communem, & unam. Tum tandem vel analogia, quando concipiuntur, sunt plura simpliciter vel aliquo pacto unum: si primum; non cognoscuntur, ut analogia, sed ut mere æquivoca, quia analogia sunt aliquo pacto unum: si secundum, ergo habent aliquam rationem objectivam unitatis.

73 Resp. ad 1. analogia ex vi analogiæ non habere communem conceptum, in quo coadunentur objective, habere tamen connexionem rationum particularium secundum esse objectivum, habent etiam inter se, vel ad unum tertium talem habitudinem, seu dependentiam, ex vi cuius unum concipi non potest sine alio, & in hoc feceruntur ab æquivocis, qui ex unitate vocis non habent talem connexionem particularium conceptuum, siquidem ad proportionem vocis *Galli*, aut alterius nominis mere æquivoci potest ad libitum intellectus ita solum concipere gallum gallinaceum, sicut & hominem ex *Gallia* ortum. Ad 2. analogum, ut analogum, dicitur de pluribus, secundum diversas rationes, & secundum aliquam habitudinem, analogia quidem attributionis dicuntur secundum habitudinem, qua unum ordinatur ad aliud, proportionalitatis vero secundum habitudinem, qua unum comparatur, & quodammodo assimilatur alteri; unde ex vi analogiæ nulla habetur unitas, & communitas rationis, sed solius nominis, cui substituantur immediate diversæ rationes objectivæ, non ut absolute diversæ, sed ut habentes proportionem ad invicem, in quo analogia differunt a pure æquivocis, quæ habent commune nomen diversæ significans, & sub rationibus diversis absque ulla prorsus habitudine, vel proportione unius ad alterum. Ad 3. per nomen analogum, ut sic, concipiuntur immediate ipsa analogata secundum suas proprias rationes, non absolute sumptas, sed ut proportionabiliter se habentes inter se, & in hoc sensu dicuntur concipi secundum rationem convenientiam. Ad 4. analogia licet concipiuntur, ut plura, & secundum diversas rationes, non tamen concipiuntur ut æquivoca, quia simul concipiuntur proportio, quam habent ad invicem. Ad 5. concipiuntur, ut plura simpliciter, & unum proportionaliter, quæ unitas attributionis, & proportionalis deficit æquivocis, & minor est unitate univocationis.

Secundo obiicitur probando, quod analogia omnia, saltem intrinsece denominationis, habere debeant conceptum communem præcisum. Tum quia ideo conceditur talis unitas analogis attributionis secundi generis, quia omnia analogata sunt talia per denominationem intrinsecam, cum ergo ita se habeant etiam analogia proportionalitatis secundi generis, ipsis etiam unitas conceptus objectivi neganda non videretur. Tum 2. quia omnino abstractibilis videtur ratio communis principii ad cor respectu vitæ, fontis respectu rivulorum, fundamenti respectu domus, &c. gubernatoris respectu regentis domus, civitatem, & navem, sustentandi carnes respectu ossis, & spinæ quæ communis ratio sustentandi carnes, regendi, & principandi postea contrahatur per rationes particulares, sic sustentandi, sic gubernandi, sic principandi, ergo his, & similibus analogis non est neganda talis unitas rationis. Tum tandem quia ipsa saltem proportionalitas, seu similitudo proportionum potest ab his analogis præcisci, & illa unico conceptu representari, ergo, &c.

74 Resp. ad 1. analogis attributionis secundi generis debe-

deberi, & assignari unitatem conceptus, non præcise quia intrinsece talia denominantur, sed quia sic denominantur ab una, & eadem forma in omnibus, quod non contingit in analogis proportionalitatis secundi generis, ut dictum est in probanda secunda conclusione. Ad 2. in illis analogis sub nomine principii, gubernatoris, &c. re vera non significatur una forma, ut multi etiam ex nostris existimant, quæ simpliciter sit una in ratione, & quidditate formæ, sed solum insinuat convenientiam quædam in singulis in modo habendi suas formas, quod est suo modo, & proportionabiliter esse tale, non simpliciter, unde ratio v. g. principii in fundamento, & in corde non dicit aliquam unam formam constituentem rationem fundamenti, & cordis, sed omnino diversas formas, suo tamen modo habentes rationem principii; & hoc tenetur dicere, ne confundamus unitatem proportionis cum unitate univocationis. Ad 3. concedimus posse præcise conceptum proportionalitatis, at nomen analogum, scilicet principii, gubernatoris, &c. non significat gradum ipsum relationis, in quo conveniunt duæ proportionales, quia hoc significatur per nomen ipsum proportionalitatis, sed significat ipsa extrema, inter quæ versatur proportionalitas, quæ quia in ratione analogorum non consideratur secundum gradum communem, sed secundum proprias rationes, ut tamen proportionabiliter se habentes, ideo ab illis, ut sic, abstrahi nequit ratio aliqua communis, etsi ab ipsis relationibus abstrahi possit.

75. Tertio obiicitur e contra nullum profus analogum posse habere conceptum unum præcise analogatis communem, quia plane implicat, & est repugnantia in terminis, quod sit conceptus analogi, & quod sit unus, quia analogia intrinsece includit vel plures rationes habentes inter se proportionem, vel plures habitudines ad unam formam, ratione quarum conceptus objectivus analogi non potest esse unus. Confirmatur, quia si talis conceptus non attingit plures rationes, sed unam, in qua singula inferiora conveniant, jam erit univocus, nil enim amplius ad univocationem desideratur, quam præfata unitas. Si dicatur cum Suarez, posse analogum præferre conceptum communem, & unum, sed inæqualiter inferioribus communicabilem per differentias dependentiæ, & independentiæ, ita quod intelligatur prius descendere ad unum analogatum, & posterior ad aliud in virtute prioris, ac proinde non esse univocum, de cuius ratione est esse æqualiter communicabilem inferioribus sine essentiali dependentia unius ab alio, & sic adhuc in eo consistere rationem analogiæ, quia in illo uno, & eodem conceptu conveniunt inferiora, & differunt; conveniunt ratione unitatis ejus, differunt ratione illius inæqualitatis. Contra instat Hurad. conceptus communis non est diverso modo, & inæqualiter participabilis, nisi ratione modorum contrahentium, sed hi modi non includuntur in conceptu abstracto, neque igitur includitur illa inæqualitas. Neque dicas, quod licet in conceptu abstracto non includantur hi modi, tamen includitur ordo ad hos modos, quatenus ille conceptus est suprà natura capax, & exigitivus talium differentiarum inæqualium. Nam in conceptu abstracto, vel consideratur hic ordo, & tunc non potest esse abstractus ab his modis, sicut neque ordo potest considerari non consideratis terminis, ad quod est ordo, vel non consideratur, & sic abstrahit ab ipso ordine. Accedit quod admittitur hac inæqualitate ex parte ipsius rationis communis procedente, & non præcise ex parte differentiarum, jam ille conceptus non erit in se unus, sed potius geminatus, & duplex, quia inæqualitas necessario exigit duo.

Si dicatur, hanc inæqualitatem non tollere unitatem conceptus, sed tantum ex parte minore, ita ut non sit tam perfecte unus, quantum ad univocationem requiritur. Contra, instat Pasqualig. citat. non datur imperfecta unitas, quia unitas non potest tolli, nisi per multiplicatam, & hæc ex natura sua perfecte tollit unitatem; ex quo fit, quod unitas, & multiplicitas consistant in indivisibili, unde si altera ab altera tollitur, adæquate tollitur, ergo non potest dari aliquid, quod non sit perfecte unum, aut perfecte multiplex. Accedit, quod omnis ratio metaphysica consistit in indivisibili, nam essentialia rerum sunt sicut numeri 8. Metap. 10. ergo non potest tolli indivisibilitas, nisi ponatur multiplicitas rationum formalium; ex quo rursus sequitur, quod si ratio illa ad inferiora descendit, debet modo indivisibili, & secundum se totam descendere ad omnia, quia non potest aliquid relinquere, secundum quod non descendat, alioquin esset divisibilis, si autem secundum se totam ad omnia descendit, jam descendit æqualiter, nec perfectiori modo est in uno, quam in alio, quantum est ex se, sed tantum ratione contrahentium.

76. Resp. hanc difficultatem illos urgere, qui admittunt possibilem esse conceptum præcise, & unum pure analogum, & talem de facto ponunt conceptum entis, & ejuoque transcendentis, at nos non admittentes purum analogum, leviter premit, quia libenter concedimus analogam ut analogam nunquam pervenire posse ad unitatem conceptus abstrahibilis, quod si interdum talem videantur obtinere unitatem, ut in transcendentibus, hoc utique non est

ex vi ipsius analogiæ, sed ex vi univocationis annexæ, analogia enim secum non deferret nisi unitatem attributionis, vel proportionis, quæ est unitas imperfecta semper involvens, vel plures rationes inter se, proportionem habentes, vel plures habitudines ad unam formam, ut bene concludit argumentum, hæc vero unitas attributionis addita unitati univocationis, cum qua bene compossibilis est sicut unitas minor cum majore proprie non minuit eam, sed tantum reddit inæqualiter participabilem ab inferioribus; & quamvis hæc inæqualitas oriatur ex differentis analogatorum, ut contendit Hurad. tamen adhuc dicitur oriri quoque ex ipsa ratione communi exigente tali modo, & tali genere inæqualitatis participari, quia licet in illo statu abstractionis præcise a differentis, tamen consideratur adhuc, & fundamentaliter esse capax, & exigitiva differentiarum sic inæqualium, non igitur ex defectu unitatis talem conceptum appellamus analogum, sed potius ex defectu æqualitatis, quæ requiritur ad perfectam univocationem; Præterquam quod falsum est, quod Pasqualig. addebat, non posse dari unitatem, nisi sit perfecta unitas, nec multiplicatam, nisi sit perfecta multiplicitas, nam quis non videt in utraque dari latitudinem? sane Arist. 5. Met. 12. plures gradus unitatis distinguit, dum dixit *alia numero, alia genere, alia specie, alia analogia unum sunt*, & de facto videmus cum unitate specificæ naturæ stare multiplicatam ejus numeralem, & cum unitate generica stare specificam, non ergo qualibet multiplicitas statim ex integro quamlibet destruit unitatem, nec qualibet unitas dici potest perfecta, sed tantum illa, quæ nullam secum compatitur multiplicatam.

ARTICULUS TERTIUS.

An, & quomodo analogum mediet inter univocum, & æquivocum.

77. A. Pud Thomistas omnes ita certum est analogum mediare inter univocum, & æquivocum, ut id potius supponant, quam disputent, unde pauci tractant hoc quæsitum in terminis. Scitote e contra ita pro comperto habent oppositum, ut absolute pronuncient analogum inter univocum & æquivocum nullatenus mediare posse, ita Formalistæ omnes artic. 1. Formul. Siref. Vallon. Trombet. Faber. 4. Met. loc. cit. Menrille in sua Met. lib. 1. qu. 2. not. 3. & alii passim. Pro resolutione quæsti notandum est, analogum sumi posse dupliciter, formaliter scilicet, & materialiter: analogum materialiter est ipsum prædicatum, quod denominatur analogum, formaliter vero est ipsamet ratio analogiæ, quæ ipsum tale denominat; quare cum quæritur, an, & quomodo analogum mediet inter univocum, & æquivocum, potest quæsitum intelligi de analogo formaliter, & materialiter sumptum, & juxta diversam analogi acceptionem quæstio erit diversimodè resolvenda.

78. Dicendum igitur est juxta allatam distinctionem, quod analogum formaliter sumptum ita mediet inter univocum, & æquivocum, ut nunquam cum alterutro coincidat, at materialiter sumptum semper cum alterutro coincidit, & sensus est reperiri non posse prædicatum analogum, quod simul non sit, vel univocum, vel æquivocum, ita quod ratio analogiæ in aliquo prædicato sola reperiri non potest, sed semper mixta cum univocatione, vel æquivocatione, sed quatenus analogum semper sit materialiter mixtum cum univocis, & æquivocis, formaliter tamen semper remanet impermixtum, quatenus ratio formalis analogiæ nunquam coincidit cum ratione formalis univocationis, & æquivocationis, unitas analogiæ est formaliter diversa ab unitate univocationis, & æquivocationis, siquidem est major ista, & minor illa. Conclusio aperte traditur a Scoto 1. d. 8. quæst. 3. in sol. ad 3. E. ubi docet unitatem analogiæ, quam ibi vocat attributionis, esse utique majorem unitate univocationis, sed minorem unitate æquivocationis, ac proinde esse cum illa compossibilem, quia non repugnat minor unitas cum majore, sicut quæ sunt unum genere, sunt unum specie, licet unitas generis sit minor, quam unitas speciei, ita, inquit Doctor, licet unitas attributionis non ponat unitatem univocationis, potest tamen stare cum illa, licet hæc non sit formaliter illa; hæc Scotus, quibus verbis Doctor duo manifeste insinuat (quæ sunt duæ partes nostræ conclusionis) unum est, analogiam stare posse cum univocatione, vel æquivocatione in eodem prædicato, quod est coincidere materialiter cum univocis, vel æquivocis: alterum, quod esto ita coincidat, adhuc tamen semper est formaliter diversa unitas analogiæ ab unitate tam æquivocationis, quam univocationis, cum quibus conjuncta reperitur, & est quodammodo media, quia est minor ista, & major illa; & quidem hanc veritatem attigit P. Faber in sua Philof. Theor. 95. cap. 1. in fine, ubi etiam solvit aliorum Scotistarum in oppositum, quamvis postea in Met. loc. cit. eadem ratione sultus absolute pronunciet analogum nullo modo inter univocum, & æquivocum mediare, & quod licet unitas analogiæ sit formaliter diversa ab unitate univocæ, & minor illa, ta-

ramen non est media inter unitatem univocam, & æquivocam.

79. Probatur itaque in primis contra Thomistas omnes analogum materialiter semper coincidere cum univoco, & æquivoco, ac proinde dari non posse prædicatum, quod sit pure analogum medianis inter univocum, & æquivocum. Unitas analogiæ quædam unitas proportionis, vel potius unitas cujusdam ordinis, & attributionis unius ad aliud, vel plurium ad tertium in participanda ratione, in qua fit analogia, secundum prius, seu posterius, sed hæc unitas ordinis, & attributionis ita cum unitate æquivocationis, & univocationis, ergo frustra medius ei assignatur locus: major patet ex dictis hucusque de ratione analogiæ, probatur minor, quod enim talis unitas attributionis stet cum unitate æquivocationis, quæ est solius nominis, patet de risu respectu hominis latè, & prati ridens, quibus utique est commune æquivocum, tamen prius dicitur de homine, posterius de prato dependente ab eo, & alia mille exempla adduci possunt de his æquivocis a consilio, in quibus ob talem ordinem, & attributionem ab omnibus admittitur analogia, quod etiam eadem unitas attributionis stet cum unitate univocationis, probat Doct. loco citato 1. disp. 8. quæst. 3. & disp. 3. quæst. 3. Q. nam Aristot. 10. Met. tex. 2. & inde concedit ordinem essentialem, seu attributionem specierum ejusdem generis ad unum primum illo genere, quod est metrum, & mensura omnium aliorum, & tamen cum hoc fiat unitas univocationis rationis generis in ipsis speciebus; quod adhuc ulterius ostendit Doctor, quia nunquam aliqua comparantur, ut mensurata ad mensuram, nisi in aliquo non conveniant, sicut enim comparatio simpliciter est in simpliciter univoco 7. Phys. tex. 24. & inde, ita omnis comparatio est in æqualiter univoco; quando enim dicitur, hoc est perfectius illo, si quæritur, quid perfectius? oportet ibi assignare aliquid commune utrique, ita quod omnis comparativè determinabile commune est utrique extremo comparationis, non enim homo est perfectior homo quam asinus, sed perfectius animal, cum ergo aliqua possint comparari in ente, quod omnes fatentur esse analogum, ut quod Deus est perfectius ens creatura, oportet entitatem esse utriusque communem, in qua, cum sit attributio unius ad aliud, clare patet, quomodo cum unitate attributionis stet unitas univocationis.

Rursus tunc aliquod prædicatum censetur analogum, cum pluribus convenit, sed inæqualiter, & uni dependenter ab alio, analogia namque semper aliquam secum deferret inæqualitatem, & attributionem unius ad aliud, ob quam in omnibus analogis verum semper est suo modo (quia sane in uno analogorum genere magis verificatur, quam in alio) Dialecticorum axioma, *analogum absolute sumptum stare pro famulori significato*; potest autem prædicatum hujusmodi habere ad illa plura cum tali ordinis unitate communitatem solius nominis, ut est de risu respectu hominis, & prati, aut etiam rationis, ut est de ente respectu Dei, & creaturæ, nec medium videtur excogitari posse, si primum, erit analogum æquivocum, si secundum, erit analogum univocum; & hæc est potissima ratio, cur Aristot. in antepredicam. cum egisset de æquivocis, & univocis, nullum deinceps instituit de analogis sermonem, quia addito ordine prioris, & posterioris habent eundem modum prædicandi cum univocis, & æquivocis, & cum eis coincidunt.

So. Postremo probari potest a sufficienti divisione; analogia enim omnia, aut sunt attributionis, aut proportionalitatis, ut patet ex 1. artic. nam alia duæ species, inæqualitatis, scilicet, & transcendentis non sunt a primis duabus distinctæ, sed hæc omnia coincidunt cum univocis, vel æquivocis, ergo &c. Probatur minor, nam analogia attributionis, & proportionis primi generis sane cum æquivocis coincidunt, quia illis secundum nomen commune correspondent rationes diversæ, ut patet ex eorum natura jam explicata, quia primum analogum inter ea proprie est tale, secundum improprie, & per metaphoram, primum absolute est tale, alterum per quandam similitudinem, & proportionem, primum est tale per formam sibi intrinsecam, alterum extrinsece tantum, & per simplicem habitudinem ad illud, ut patet de sano respectu medicinæ, & diætæ, de risu respectu hominis, & prati, unde non satis consulto P. Faber in Met. loc. cit. ait sanum in ordine ad illa esse prædicatum univocum, plane hoc est contra rationem, & Scotum ipsum, qui in 2. d. 12. q. 2. ad 4. & clarius 4. d. 12. q. 1. sub H. docet esse prædicatum omnino æquivocum verbis ita expressis, ut nullam admittant glossam. Item analogia proportionalitatis secundi generis esto talia dicantur per intrinsecam denominationem, adhuc tamen quia talis denominatio non sumitur ab una forma ejusdem rationis in omnibus, sed a diversis in singulis illorum existentibus, licet non ut omnino diversis, sed ut proportionem similibus, ut satis supra explicatum est, ideo adhuc ad æquivocam pertinet, quia non est abstrahibilis ab eis una communis ratio, unde neque satis consulto hæc analogia reducit Meur. loc. cit. ad univocam. Analogia tandem attributionis secundi generis, quia intrinsece denominantur ab una forma ejusdem rationis existente in

singulis, quæ de re abstrahibilis est ab eis communis conceptus, spectant ad univocam, ut patet ex dictis, ergo analogia omnia, cujuscumque sint generis, ad univocam reducuntur, vel ad æquivocam juxta varietatem analogiæ, nec dari potest parum analogum, quod nec univocum sit, nec æquivocum, sed medium.

Respondent quampures Recentiores cum Suarez sup. cit. quod licet analogia attributionis secundi generis habeant unitatem conceptus, & inferioribus suis conveniant non solum secundum idem nomen, sed etiam secundum eandem rationem, adhuc tamen univocæ non sunt, quia præter unitatem nominis, & rationis ad univocationem adhuc requiritur, quod illa ratio communis æqualiter participetur a suis inferioribus, atque ideo defectu talis æqualitatis præfata analogia, quæ comprehendunt omnia transcendentia, nec posse, nec debere dici univocæ; quia inæqualiter descendunt in Deum, & creaturam, substantiam, & accidens, quæ etiam fuit opinio quorundam veterum Thomistarum, unde Javell. 4. Met. q. 4. existimat rationem analogi consistere in hoc, quod participetur secundum prius, & posterius, in hoc vero, quod participetur æqualiter, ideoque analogum mediare inter univocum, & æquivocum, quia æquivocum nullo modo participatur secundum rationem, univocum participatur æqualiter, analogum vero inæqualiter secundum prius, & posterius.

81. Sed hæc responsio ex dictis corrumpit, tum quia Ar. in definitione univocorum hujus æqualitatis, quam dicunt formalissime constituere univocationem, nec verbum quidem facit, signum evidens ad univocationem simpliciter, & absolute sumptam non esse necessariam, sed tantum ad univocationem perfectissimam, & in primo gradu ex supra assignatis, quam physicam appellant, tum quia si talis æqualitas esset necessaria, sequeretur (ait Doctor) quod nullum genus esset univocum, quia inter species cujuscumque generis datur inæqualitas essentialis ob differentias contrahentes, quarum una est essentialiter perfectior alia. At respondent, quod aliqua ratio communis potest inæqualiter participari a suis inferioribus dupliciter, vel intrinsece, & ratione sui, ita ut secundum se sit perfectiori modo in uno, quam in alio, & in uno cum essentiali dependentia ab alio, vel extrinsece tantum, & ratione contrahentium, & talis est inæqualis participatio naturæ genericæ a speciebus, quæ non tollit univocationem, nec analogiam constituit, cum mere ab extrinseco proveniat, sed inæqualitas primi generis proprie univocationem tollit, & analogiam ponit, quia provenit ab intrinseca ratione ipsius naturæ participatæ, quæ intrinsece petit contrahi per differentias inæquales, & prius descendere ad unum analogatum, & posterius ad aliud in virtute prioris, & ita se habet ens cum ceteris transcendentibus ad Deum, & creaturam, substantiam, & accidens, quantumvis enim abstracte concipiatur ratio entis, adhuc in tali statu est exigitiva differentiarum inæqualium, & intrinsece petit hunc ordinem, ut per se primo competat Deo, & dependenter ab eo in creaturas descendat.

82. At hæc solutio, etsi apud multos plausibilis, ex dictis multipliciter rejicitur, quia in primis Ar. in univocorum definitione nullam profus æqualitatem memorat, quæ necessaria sit ad constituendum univocum simpliciter, & absolute sumptum, sed solam nominis, & rationis unitatem requirit. Tum quia ista inæqualitas analogiam constituit, quæ nimirum proveniat ex ipsa ratione communi, & non potius solum ratione contrahentium, multis implicare videtur doctissimos viros, non enim potest ratio communis inæqualiter descendere, nisi aliquid de se dicat in uno, quod non dicat in alio, alioquin si æqualiter, quod in uno dicit, etiam dicit in altero, æqualiter descendit, sed hoc stare non potest cum ejus unitate, & indivisibilitate, nam diminuta tunc erit, ubi de se imperfectius existit, & distincta, prout est in isto, a seipsa, prout est in alio ratione illius majoris perfectionis, & quidem intrinsece, cum talis inæqualitas ex ejus natura pullulare dicatur; vel si est una, & quantum est de se, ejusdem rationis in omnibus, plane quicquid perfectionis intrinsece ponit in uno, etiam ponit in alio. Tum etiam quia si talis inæqualitas dependentiæ, & independentiæ sufficit ad inducendam analogiam, eo quia oritur ex ipsa ratione communi, & antecederet cogitatur in ea ante actualem contradictionem per differentias, quia ex sua natura petit talem differentiarum inæqualitatem; hoc totum dici poterit, & debet de qualibet natura generica, cum enim qualibet talis sit per differentias inæquales in perfectione essentiali contrahibilis, talis inæqualitas cogitari poterit in ea antecederet ad contractionem, & dici poterit oriri ex ipsa ratione communi generica, quatenus, & ipsa suprà natura, quantumvis abstracta, exigitiva pro sui contractione differentiarum sic inæqualium. Tum deinde, quia si dicatur, nec etiam quamlibet inæqualitatem ex parte rationis communis pullularem sufficere ad analogiam, sed præcise esse debere inæqualitatem per differentias dependentiæ, & independentiæ, & non sufficere inæqualitatem per differentias perfectiores, & imperfectiores essentialiter sine dependentia, qualis est inæqualitas. Hoc plane videtur voluntarie dictum, quia nec ratio, nec auctoritas ad id suppetit: imo Arist. 7. Phys.

Phyl. 31. & 10. Metaph. 26. ob hanc solam inaequalitatem inquit in natura genericam analogiam subesse, & ratio fuadet, quod qualibet inaequalitas in communicatione naturae, dummodo sit per differentias essentialia, sufficit ad inducendam analogiam majorem, vel minorem juxta majoritatem, vel minoritatem ejusdem, cum univocatione tamen compossibilem; qua de causa supra assignavimus varios gradus univocationis, & analogiae.

83 Altera vero pars conclusionis, quod nimirum analogia non coincidat formaliter cum aequivocis, vel univocis, sed in hoc sensu mediant inter illa, conceditur ab omnibus, forte etiam a Scoticis relatis, qui quando negabant analogia esse media inter univoca, & aequivoca, verisimile est, quod in priori sensu loquerentur, esto eorum rationes quid amplius probare videantur, & ideo infra solentur in ea parte, qua nobis videntur officere; & facile probatur, quia ut inquit Doctor, unitas analogiae, etiam si reperitur cum univocatione, aut aequivocatione in eodem praedicatione, non tamen formaliter confundi debet cum hac, & illa, sed semper manet formaliter ab utraque distincta, & est major una, & minor alia, unde formaliter inspecta mediat inter eas; est major unitate aequivocationis; quia haec est unitas solius nominis, supra quam analogia addit unitatem attributionis, vel proportionis, est autem minor unitate univocationis, quia quae sunt unum per habitudinem attributionis, vel proportionis, non est necesse, quod talem habeant habitudinem secundum eandem rationem omnibus intrinsece participatam, sed sufficit quocumque modo illam fundent, ut patet in exemplis de sano, & risu sapientis allatis, ergo unitas analogiae vere mediat inter utrumque, licet cum utraque sit compossibilis. Accedit, quod licet analogia semper in re coincidat cum univocis, & aequivocis, alia tamen semper est ratio univocationis, aequivocationis, & analogiae, nam si analogum coincidit materialiter cum aequivoco, ratio aequivocationis consistit in illa communitate nominis, cui rationes diversae correspondent, ratio vero analogiae consistit in illa quocumque unitate proportionis, aut attributionis unius ad aliud, quatenus illo communi nomine participant; si vero analogum coincidat cum univoco, ratio univocationis consistit in illa unitate nominis, & rationis, analogia vero in illa unitate ordinis, & attributionis unius ad aliud, vel plurium ad tertium, quae semper est minor unitate univocationis, ergo analogum formaliter sumptum vere mediat inter univocum, & aequivocum, nec unquam coincidere, vel permisceri possunt, aut confundi secundum suas rationes formales.

84 In oppositum objicitur i. pro Thomistis probando analogiam proprie mediat inter univocum, & aequivocum, nam analogia dicuntur illa, quorum nomen commune est, & ratio illi nomini subsistens partim est eadem, partim diversa, quae analogorum definitio ab omnibus recipitur, ut patet ex ar. 1. ab initio, ergo vere mediant inter univoca, quorum ratio importata per nomen est omnino diversa, & inter univoca, quorum ratio est prorsus eadem. Tum 2. aequivoca habent solam unitatem nominis, univoca praeter unitatem nominis habent etiam unitatem rationis, & naturae communicabilis, quae unitas analogis, ut sic, convenire non potest, sed ultra nominis unitatem eis solum competit habitudo quaedam, quae non fit per modum unitatis, sed vel per modum attributionis, vel per modum proportionis juxta varias analogiae species. Tum 3. analogum ut sic, plura immediate significat secundum rationes diversas, non absolute sumptas, sed ut proportionabiliter se habentes, ergo in nullo sensu potest cum aequivoco coincidere, quod significat plura sub diversis rationibus, ut sic, absque aliqua habitudine, & proportione, & cum univoco, quod significat plura sub una, & eadem ratione. Tum 4. univocum ut sic, dicit convenientiam plurimum sub eadem ratione praescindendo a diversitate, aequivocum & contra dicit unitatem in rationibus praescindendo a convenientia, ergo praedicatum analogum, quod simul dicit utrumque, nec etiam materialiter potest cum istis coincidere, alioquin idem praedicatum simul, & semel praescinderet, & non praescinderet a convenientia in communi ratione, aut a diversitate. Tum 5. quia Aristot. 4. Met. 2. ubi & Aver. analogia, quae dicuntur ab uno, & ad unum, aperte constituit media inter univoca, & aequivoca.

Resp. haec, & similia argumenta probare solum, quod nequeant analogia coincidere formaliter cum univocis, & aequivocis, non vero quod nec etiam materialiter coinciderent possint; quare ad primum concedimus Consequens cum consequentia in praedato sensu, negatur, si quid amplius probare contendant; sicut etiam negatur, quod univocum absolute sumptum dicat rationem ita prorsus eandem, ut nunquam possit habere annexam diversitatem ex analogia causatam, quia unitas analogiae compossibilis est cum unitate univocationis absolute sumptae; solumque repugnat cum unitate univocationis pura. Ad 2. & 3. patet per idem. Ad 4. utique ipsamet ratio univocationis a diversitate praescindit, at non ipsum praedicatum univocum (nisi ut purum) quia potest esse simul analogum, nec implicat unum, & idem praedicatum importare convenientiam, & diversitatem sub diversis rationibus, analogiae nimirum, &

univocationis in ipso conjunctae. Ad 5. si ita docent [Aver. & Aver. loquuntur de analogis formaliter, non materialiter.

85 Secundo e contra probatur cum Scoticis analogum in nullo sensu mediat inter univocum, & aequivocum, quorum unicum fundamentum est; inter contradictoria nullum datur medium, univoca, & aequivoca sunt hujusmodi, ergo & co. major pater, probatur minor, quia univoca dicuntur, quorum nomen est commune, & ratio substantiae non est eadem, at habere eandem rationem, & non habere eandem rationem contradicunt. Et confirm. quia inter idem, & diversum, idem, & non idem non est dare medium, idem enim, & diversum sunt immediate opposita circa ens 10. Met. 12. sed definitiones univocorum, & aequivocorum dantur per ista immediata ergo & c.

Respond. si Scoticis hac ratione solum probare contentundum analogum materialiter sumptum non mediat inter univocum, & aequivocum, eam libenter admittimus; at si quid amplius probare intendunt, nimirum, quod neque formaliter possit mediat, eis non assentimur; quia re vera a Scoto recedunt, qui loc. cit. manifeste docet unitatem analogiae formaliter mediat inter unitatem univocationis, & aequivocationis, ut minorem ista, & majorem illa, & eorum ratio de hoc probandum ingenue aliud non convincit, quam reperiri non posse praedicatum, quod sit pure analogum, & vere medium inter univocum, & aequivocum, sed omne analogum, vel esse simul aequivocum, vel univocum, quia haec immediata sunt, cum quo tamen adhuc stat, quod ratio analogiae reperta cum univocatione, aut cum aequivocatione in eodem praedicatione sit adhuc formaliter ab eis distincta, sicut & ejus unitas, neque id asserere est medium constituere inter univocum, & aequivocum quatenus contradictoria, unde haec ratio bene concludit contra Thomistas, qui admittentes analogum purum re vera medium constituunt inter contradictoria. At de univocis, aequivocis, & analogis rursus redibit sermo disp. 2. Met. q. 5. art. 1.

Q U E S T I O VI.

Explicatur natura Denominativorum.

86 Cum ex dictis i. p. Instit. tract. 1. cap. 3. in fine terminus denominativus ille sit, qui formam significat per modum alteri adjacentis, informantis, & denominantis, seu qualificantis, & tale sit omne concretum accidentale, substantiale vero tunc solum, quando nomine significatur adjectivo, sequitur, omnia concreta accidentalia esse denominativa, substantia vero non nisi quando significantur nomine adjectivo, & sicut praedicatione denominativa, licet distingui solet in essentialia, & accidentalia, in quibus, scilicet, praedicatione dicitur de subiecto, vel in quale essentialia, vel accidentale, ut notat Doctor quol. 3. O. tamen proprie importat praedicationem accidentalem, & non nisi extensive essentialia, sic etiam denominativa proprie importantur concreta accidentalia, & solum extensive essentialia in quale quid praedicationis, ut notat Mayron. super praedicam. passu 3. & Brasavol. in qu. 16. Universal. ad primum.

Denominativa igitur proprie dicta nempe concreta accidentalia definit Arist. in antepred. quod sunt illa, quaecumque ab aliquo solo differentia casu secundum nomen habent appellationem, ut a Grammatica Grammaticus, a fortitudine fortis, cujus definitio intelligitur est apud expositores passim, quod denominativa, quae semper sunt concreta, cum forma denominante, quae semper est abstracta, conveniant in principio nominis, quod insinuat per ly, secundum nomen habent appellationem, & differant in fine, & terminatione, seu desinentia ejusdem, quod innuitur per ly solo casu, id est cadentia nominis, unde postea ad solvendas difficultates hinc emergentes distinguunt tria denominativorum genera, voce tantum, ut studiosus a studio, re tantum, ut studiosus a virtute, re, & voce simul, ut ea, de quibus exemplificat Arist. & haec tantum, inquit, Philosophum definire, quorum etiam plures assignant conditiones.

87 Dicendum tamen est, hanc denominativorum definitionem non ita mere grammaticaliter intelligi debere, ut etiam fateretur Arriaga disp. 10. Log. sec. 2. sed logice explicandam esse, & quod licet Arist. denominativa solum accidentalia definire intendat, ut ex ejus constat exemplis, potest tamen tota definitio intelligi de denominativis etiam essentialibus; ita docet Scotus q. 8. praedicam. & qu. 28. praedicab. ad tertium, & in 2. dif. 12. quest. 1. ad 1. & quoad primam partem probatur conclusio, quia si ita intelligi deberet haec definitio, ut communiter explicatur, multae denominativae praedicationes de medio tollerentur, ut a musica mulier musica, & a virtute homo studiosus, nam in priori praedicatione est convenientia in principio, & sine vocis, in posteriori differentia in principio, & sine. Nec responderi valet tales praedicationes non esse denominativas rei, & vocis, sed rei tantum. Quia est de homine studioso a virtute sic dicto id amitteretur, de muliere tamen musica sic dicta ab arte musica id nequit admitti, quia secundum Grammaticos genus nominis non variat nomen

nomen, unde aliqui fatentur, has, & similes praedicationes vere esse denominativas, & convenientiam illam in fine vocis non esse necessariam. Deinde non solum nomina adjectiva a substantivis abstractis derivata dicuntur denominativa, sed etiam casus obliqui nominum, ac etiam plura adverbialia a nominibus derivata, illi enim cum recto conveniunt in principio vocis, & differunt in fine, ut Doctor Doctoris, tempus temporis, & pariter ista cum hominibus, a quibus derivantur, ut a copula copulatum, ab ostio ostiarum. Tandem si accipienda est ista definitio in sensu, quo passim explicatur, sane concretis etiam substantiis nomine quoque substantivo significatis conveniret, nec videretur, per quam particulam debeat accidentalibus coadiari, animal enim ita convenit cum animalitate, & homo cum humanitate in principio, & sine vocis, sicut albus cum albedine; & quidem prorsus vanum est, quod ajunt aliqui, per particulam illam ab aliquo, significari formam denominantem non debere esse de essentia rei denominatae, nam quod de essentia rei est, proprie non dicitur aliud aliud ab ipsa, & propterea homo non esse denominativum ab humanitate, neque animal ab animalitate. Hoc parum valet; tum quia exponere ly aliquo pro alio est mere voluntarium; tum quia data hac expositione humanitas est alia ab hoc termino homo, quantum sufficit ad formam denominantem, alietas enim requisita inter formam denominantem, & terminum denominativum est alietas abstracta a concreto, quae in proposito versatur utique inter illos terminos, quare magis consequenter ad praefatum definitionis sensum loquitur Mayr. cit. quem sequitur Hurt. disp. 9. Log. sec. 2. qui concedunt haec esse denominativa ex vi illius definitionis sic intellectae.

88 Alio igitur modo magis digno, & in sensu magis logico explicari debet praefata definitio cum Scoto loc. c. quem imitantur Ant. And. & Nicol. de Orbellis, & alii Scoticis in expositione hujus definitionis in antepredicam. & est, quod cum concreto formae, & naturae alicujus possit esse duplex, ut Doctor advertit q. 16. univers. ad 1. & 1. d. 5. q. 1. B. alia ad suppositum ejusdem naturae, ut homo, alia ad suppositum alterius naturae, vel subiectum, ut album, ita casus, seu cadentia formae ad aliud potest esse, vel sicut accidentis ad subiectum, vel sicut formae ad suppositum ejusdem naturae, ut Scoto docet l. c. in 2. d. 12. q. 1. I. atque ita per casum, in praefata definitione debemus intelligere non definitionem nominis, sed cadentiam formae ad subiectum, seu suppositum alterius naturae, non autem propriae, quia sic esset denominativum essentialia, & potius pertinere ad praedicationem univoca, cum tamen hic Arist. agat de denominativis, ut ab univocis distinguuntur ex dictis q. 4. artic. 2. dub. 4. ita exponit Doctor hanc praefata definitionis particulam qu. 16. citat. univers. ad 1. & q. 18. ad 3. & Mauritius q. 13. Quod autem secundum nomen habeant appellationem, non debet intelligi quasi per nominis derivationem ab alio, sed potius quia praedicatione secundum nomen tantum de re denominata, appellare enim quandoque accipitur pro praedicatione ex 2. Topic. c. 2. & ita explicavit hanc particulam ipsemet Philosophus c. de substantia, dum dicit differentias essentialia non praedicatione denominative, bene tamen accidentia de suis subiectis, quia praedicatione de illis secundum nomen tantum, & non secundum rationem, id est accidentaliter, & non essentialiter; ubi tantum advertendum est, quod quando hic dicimus formam denominantem debere esse quod accidentale, nomine accidentis intelligimus quicquid non est de essentia subiecti, etiam si materialiter, & entitative habeat rationem substantiae, non enim minus denominativa est praedicatione ista Corona est aurea; quam homo est albus, ut ex professo probatur infra, cum de accidente praedicatione dicemus ita quod sensus definitio sit iste, ut notat Joan. de Magistris, quod denominativa dicuntur ea nomina concreta, quae a suis abstractis differunt in modo significandi, qui est significare per modum adjacentem, & secundum illud nomen adjectivum habent virtutem denominandi, id est denominative praedicatione de subiecto, & haec etiam fuit Averrois opinio in epitom. in l. Log. cujus verba refert Brasavol. c.

89 Ex his vero duo deducuntur, unum est, facile posse praedictam definitionem de denominativis essentialibus applicari, ut facit Doctor 2. d. 12. qu. 1. cit. ad 1. (quae erat altera conclusionis pars) quia etiam hujusmodi denominativa, ut a suis abstractis distinguuntur, cadunt ad aliud, & aliud concernunt, scilicet, proprium suppositum, unde a suis abstractis dici possunt solo differentia casu discernimari, possunt etiam dici ab eis appellationem habere secundum nomen, si hujusmodi appellatio significet, vel solum nominis derivationem, vel modum praedicationis in quale. Alterum est, duas condiciones ad denominativa requiri, prima est, ut conveniant cum forma denominante in principali significatione; secunda, quod differant in modo significandi, nam cum omnis forma accidentalis, quae in subiecto est, dupliciter sumi possit; uno modo sub propria consideratione, contemplando nimirum ea tantum, quae sunt ejus, & abstrahendo ab omni eo, quod non est ipsa, sic utique in abstracto significabitur per seipsam; altero modo, ut informat subiectum, & sic in concreto sumitur,

ac denominative dans nobis intelligere subiectum, non quod sit per se de intellectu ipsius, sed tanquam ad quod intellectus ejus dependet sub tali modo concipiendi, quare ipsa in abstracto, & denominativum ab ea in concreto eandem formam significabant, sed sub diverso modo considerandi; & haec duae condiciones ex ipsamet. Denominativorum definitione colliguntur, prima ex eo; quod secundum nomen habent appellationem, hoc enim insinuat, quod conveniunt in principali significatione formae, quae praedicatione; & ex eo, quod solo casu differunt, insinuat diversus significandi modus, scilicet, concernendo subiectum, vel abstrahendo.

90 Sed quia Denominativa sunt duplicis generis, alia per intrinsecam denominationem, quae sumitur a forma intrinseca, seu inhærente subiecto, quo modo paries dicitur albus ab albedine et realiter inhærente, alia per extrinsecam, quae sumitur a forma in alio subiecto, quo modo paries dicitur visus a visione, non in ipso, sed in oculo existente, quae distinctio indicatur a Scoto 1. d. 30. q. 2. & quol. 18. R. & Bonet. in suis Formalit. Hic definiuntur solum denominativa primi generis, quicquid dicat Arriaga cit. cum Cajetano; tum quia considerantur per cadentiam formae ad subiectum, quod intrinsece denominat, non vero per ordinem ad aliud, quod solum respiciat, in ratione termini, ac proinde tantum extrinsece denominat, tum quia denominatio extrinseca, est vera sit a parte rei, nihil tamen reale, & physicum ponit in termino, quem denominat, quia extrinsece tantum illum attingit per simplicem respicientiam, atque ideo denominativa hujus secundi generis nequeunt convenire cum forma denominante in principali significatione, cum eam realiter non impotent, vel participant, sed potius ejus terminationem ad aliud, ut ad terminum, haec autem erat una ex conditionibus requisitis ad denominativa, quae hic definiuntur. Verum tamen est hanc definitionem illis etiam applicari posse, si vel pure grammaticae explicetur cum communi, vel per casum intelligamus nedom inhætionem ad subiectum, sed respicientiam quoque ad terminum. Sed adhuc ad majorem denominativorum intelligentiam duos subjungimus articulos ad hanc quaestionem attinentes.

ARTICULUS I.

An denominativa univocae praedicantur, & num mediant inter univoca, & aequivoca.

91 Quoad primum Scotus 1. d. 8. qu. 3. §. Ad argumenta opin. opposit. in fine, & 3. d. 7. q. 1. D. & 1. d. 3. q. 3. §. Contra istam univocationem, & alibi saepe negat praedicationem univocae denominativa de subiectis, & vult esse tantum univoca praedicatione (quod autem interfit inter univocum praedicationem, & univocae praedicationem, explicatur est q. 4. art. 2. dub. 4.) asserit esse univocae praedicationem, quia praedicatione secundum unitatem nominis, & orationis, ut album de nive, & Cygno negat univocae praedicationem, quia ratio praedicationis non est de ratione subiecti. Ex alia parte Cajet. Soto, Sanchez, & alii recentiores docent univocae praedicationem de subiectis, non quidem essentialiter, sed accidentaliter tantum, inquit, univocae praedicationem, qui praedicatione de illis secundum idem nomen & rationem, de nive enim, & Cygno aequae praedicationem nomen albi, & ejus definitio, praedicatione tamen accidentaliter, quia albedo utriusque accidit. Controversia est de solo nomine, etenim re conveniunt album praedicationem de nive, & Cygno secundum unitatem nominis, & rationis, & quod Scotus appellat praedicationem univocum dumtaxat, ipsi vocant praedicationem etiam univocae dictum, accidentaliter tamen, unde praedicationem univocae sumunt in latiori significatione, quam sumat Scotus, Doctor tamen magis peripatetice loquitur, nam Arist. c. de subst. dicit, secundas substantias univocae praedicationem de primis, id est secundum nomen, & rationem, accidentia vero ait non praedicationem univocae, quia praedicatione de illis tantum secundum nomen, ergo juxta phrasim Aristotel. praedicationem univocae de pluribus est praedicationem de illis essentialiter secundum unitatem nominis, & rationis, quare melius loquitur Scotus, & in rigore negari debet denominativa praedicationem univocae de subiectis denominatis, & asseri esse praedicationem dumtaxat univocae.

92 Quoad 2. dubium, an denominativa re vera mediant inter univoca, & aequivoca, an potius coincidunt cum eis Certum est formaliter non coincidere, sunt enim diversae intentiones, & diversae rationes formales singularium; an vero materialiter etiam mediat dicantur, ita quod dari possit praedicationem pure denominativam, quod nec univocum, nec aequivocum sit, ait Doctor cit. 1. d. 8. qu. 3. quod de praedicatione univocae possumus dupliciter loqui, vel intelligendo praedicationem de pluribus essentialiter dictum, & in quid, quo sensu illud definitur Arist. ut supra dictum est, quest. 4. vel intelligendo praedicationem de pluribus dictum secundum unitatem nominis, & rationis, non tamen essentialiter, & in quid; si primo modo sumatur, denominativum mediat inter univocum, & aequivocum, non solum formaliter, sed etiam materialiter, quia sic non est aequi-

est æquivocum, cum de pluribus prædicatur secundum unitatem nominis, & conceptus, neque univocum, cum de illis prædicatur, non essentialiter; sed accidentaliter. At si sumatur secundo modo, denominativum non est medium inter æquivocum, & univocum, sed cum altero illorum semper materialiter coincidit, cum univoco quidem; si dicitur de pluribus cum unitate nominis, & conceptus, ut album de Cygno, & nive; cum æquivoco autem, si de illis dicatur cum unitate nominis, sed non conceptus, ut viride dictum de herba, & Iride, aut collo Columba, in quibus re vera non extat talis color, sed tantum apparenter secundum communem opin. Hinc habes, ut docet Joan. de Magist. cap. de Denomin. quod licet omne prædicatum sit univocum, vel æquivocum, & non detur medium, modi tamen prædicandi ab invicem essentialiter distincti sunt tres, quia omne prædicatum vel habet eandem rationem respectu eorum, de quibus prædicatur, vel non; si secundum, habetur modus prædicandi æquivoco, si primum, hoc contingit dupliciter, nam vel ita prædicatur, ut illa ratio sit essentialis subjecto, & sic habetur modus prædicandi univoco, vel est extranea, & accidentalis subjecto, & sic habetur modus prædicandi denominative, medius inter univoco, & æquivoco prædicari, ut Delphin. cap. de univ. Et hæc est ratio, ut notat Maurin. in Margine aricol. 1. Formal. cur Arist. posuit denominativa alia ab univocis, & æquivocis, quia nimirum illa consideravit in habitudine ad subjecta juxta diversos prædicandi modos.

ARTICULUS II.

De principali significato concreti accidentalis, & radice unitatis, aut pluralitatis ejus.

93 **P**Ræcipuum est dubium, an denominativa, quæ sunt concreta accidentalia, principalis significant formam, vel subjectum, quod etiam de concreto substantiali queri solet in ordine ad suppositum proprie naturæ. Certum est apud omnes in hoc dubio, & colligitur clare ex Aristot. 7. Met. 21. concretum accidentale significare simul aliquo modo formam, & subjectum ad differentiam abstracti, & etiam concretum ipsum substantiale substantivum; ut homo, lapis, simul cum natura significare suppositum, sed difficultas est, an utrumque importet æque principaliter, an potius unum primario, alterum secundario, & quodnam ex illis sit significatum primarium, quodve connotatum. Et quamvis Averfa quæstio 23. Log. sect. 3. cum Fonseca 5. Met. cap. 7. quæst. 5. sect. 5. velit concretum nedum substantiale, sed etiam accidentale utrumque significare per se directe, & intrinsece; id tamen omnino dici non potest de concreto præsertim accidentali, quod ex rebus diversorum prædicamentorum coalescit, ex quibus conceptus per se unus fieri nequit, ut docet Scot. quol. 13. §. De tertio principali 4. disput. 1. quæst. 2. & quæst. 8. univ. & prædicam. & alibi sæpe, quia genus, & differentia ad idem debent spectare prædicamentum. Accedit, quod ita dicendo concretum accidentale semper erit ens per accidens, illud enim proprie dicitur aggregatum per accidens ex Doct. ibidem, quod dicitur plura diversa rationis, ut plura sunt, id est æque principaliter, cum ergo concretum accidentale vere definitur, in prædicamento ponatur, & de ipso scientia instituitur, ac passionis demonstrantur, ut inferius videbitur, dicendum est, quod unam naturam principaliter importet, & aliam connotet, hoc enim non præjudicat naturæ entis per se unius.

94 Et quidem si de concreto loqueremur, ut propositionem ingredientur, facile est cognoscere, quid per illud significetur, quidve connotetur, nam positum a parte subjecti regulariter significat subjectum, & connotat formam, e contra vero, si ponatur a parte prædicati, quod ita probatur; primas significati in nomine non attenditur ex primitate secundum rem, sed ex primitate impositionis ipsius nominis, ut docet Doct. cit. 4. disp. 1. quæst. 2. G. & quæst. 8. prædicam. ad 1. ubi ait, quod significare est aliquid repræsentare ex impositione nominis, itaut nomen ex intentione primi intuentis ad illud significandum fuerit impositum, connotare vero est aliud dare intelligere ex modo significandi principalis significati; sed sic est, quod quando concretum se tenet ex parte prædicati in propositione, ut cum dicimus, homo est doctus, aqua est calida, paries est albus, maxime intendimus prædicare formam de subjecto, & non subjectum de seipso, alioquin ut notat Doct. cit. quæst. 8. prædicam. sensus illorum propositionum esset negatorius, quia ponendo rationem concreti loco nominis, idem subjectum bis diceretur, sensus enim esset, aqua est aqua calida, vel si explicaretur, est res, aut ens calorem habens, propositio non esset mere per accidens, quia non solum calor, sed etiam entitas enunciaretur de aqua; e contra vero cum ea tenet a parte subjecti, ut cum dicimus, album est frigidum, musca edificat, utique actum edificandi, & frigus intendimus prædicare de subjectis frigidis, & musca, & non de ipsis formis. Verum tamen est concretum tam substantiale, quam accidentale etiam a parte subjecti positum interdum ex vi alicujus particulæ, aut prædicati adjuncti determinari ad significandam formam,

sic cum dicimus, album est per se disjunctivum visus, ex vi particulæ per se significatur forma, quia illi, & non subjecto per se competit proprietas illa, & cum dicimus Homo est visibilis, tale prædicatum determinat subjectum ad supponendum pro forma, & natura, non pro supposito, quia hæc proprietas est naturæ, non suppositi, unde ut habeamus regulam generalem, dicere debemus concretum in propositione significare juxta exigentiam alterius extremi, cum quo conjungitur.

95 Difficultas igitur præcipua est de concreto in se, & absolute sumpto; & Avic. 1. p. Log. c. de proprio, quem sequitur Hurt. disput. 9. Log. sect. 3. Arriag. disput. 1. in Summul. sect. 9. docuit significare subjectum, & connotare formam, ad opposita sententia, nempe significare formam, & connotare subjectum, est communis, quam docent Averroes 5. Met. com. 14. Alensis 7. Met. tex. 3. quæst. 2. & tex. 14. Aureol. 1. disp. 4. 1. p. art. 1. Scot. quæst. 8. circa prædicam. & 1. disp. 8. quæst. 1. in fine, & disp. 12. quæst. 1. §. Ad questionem. Zerbis 5. Met. quæst. 9. Tatar. quæst. 2. antepæd. §. Dubitatur 1. Ant. And. c. de Denomin. D. Th. 5. Mer. lect. 9. tex. 3. & 1. Perier. lect. 4. & 1. p. quæst. 3. art. 3. & quæst. 16. art. 5. Sor. Cajet. Sanchez. & alii in Logica, & manifeste docuit Aristot. in prædic. c. 1. ubi ait denominativa, sive concreta ab abstractis differre solo casu, id non differunt in significato principali, & cap. de subst. post medium ait significare solum qualitatem, hoc est, principaliter importare, quod repetit 5. Met. c. 4. & 1. Post. 35. ait hanc, album est lignum, esse per accidens, quod non esset, si album primario significaret subjectum, & 7. Met. a. text. 12. ostendit concreta accidentium definiri per substantiam per additamentum, id est tanquam per aliquid extrinsecum non per se, & directe spectans ad eorum intellectum, & cap. de qualitate ponit in prædicamento qualitatis concretum ejus, cum potius in prædicam. subst. reponendum fuisset, si subjectum esset principale significatum; & tandem urget manifesta ratio, nam significare est intellectum constituere in dicente, & audiente 1. Perier. cap. 3. ergo id principaliter significatur, quod principaliter obicitur intellectui audientis, at denominativa principaliter obicitur intellectui formam, cum illam explicite dicant, & in propria specie, nam non differunt a forma, nisi casu, seu in-hærentia ad subjectum logicaliter, & terminatione vocis grammaticaliter.

Contra hanc resolutionem obicitur. Tum quia id principaliter significatur, quod dicitur in recto, cum explicatur, sed concretum explicatur, & definitur per subjectum in recto, & formam in obliquo, ut album est res habens albedinem. Tum 2. eadem sunt principia constituendi, & distinguendi, & differentia est pars præcipua rei, at concretum differt ab abstracto præsertim per subjectum, ergo &c. Tum 3. concretum dici formam, & subjectum, ergo quod principaliter est, principaliter significatur, sed subjectum principaliter est, cum sit substantia, &c. Tum 4. concretum supponit pro subjecto, ut inquit Summulista, & nos 1. p. in init. tr. 1. c. 10. ergo significat subjectum, quia id supponit, quod significat. Tum demum ait Hurt. si album verb. grat. formam per se significat, hæc propositio pomum est album, sic exponi deberet, pomum est albedo habens subjectum, vel unita subjecto, quæ expositio falsa est, & insolens, cum potius sic habeat exponi, est pomum unitum albedini, vel habens albedinem.

96 Resp. 1. ad 1. quod est unicum fundamentum Adversariorum Tatar. cit. ex Scoto 1. d. 4. quæst. 1. in fine, cum dicitur, albus est res habens albedinem, non esse per significati expressionem, sed potius quandam nominis explanationem, qua vulgus utitur, unde magis proprie diceretur, quod album est albedo existens in subjecto, hinc consulto ait Amic. in Log. tract. 12. qu. 7. dub. 3. art. 4. illam non esse bonam regulam cognoscendi principale significatum in concretis, & connotativis, quia universaliter concreta omnia, etiam quando expresse dant pro forma, petunt ex eorum naturali constitutione definiri per subjectum in recto; quare vera regula colligendi significatum principale erit attendere, quid concretum repræsentet ex impositione nominis: Summulista vero inquit ex hoc, quod concretum explicetur, & resolvatur per subjectum in recto, non bene deduci ipsum principaliter significari, sed tantum quod concretum pro ipso supponat, & non pro forma, pro illo enim dicitur nomen supponere apud logicum, quod importatur in recto, id est si resolvatur illud nomen, importetur in nominativo. Vel demum concessio, quod concretum dicat subjectum in recto, id est in nominativo casu, & formam in obliquo, tunc negandum est esse idem dicere aliquid in recto, & dicere aliquid formaliter, vel de principali significato, & rursus esse idem dicere aliquid in obliquo, & directe aliquid materialiter, seu pro connotato; immo contingere potest, quod aliquid dicatur in recto, & sit connotatum aliquid in obliquo, & sit principale significatum, unde hæc videtur controversia de nomine. Ad 2. potius est ad oppositum, nam unum concretum differt ab alio, ut album a nigro per formam, non per subjectum, & ex eo, quod concretum a suo abstracto differat per subjectum, non bene deducitur subjectum prin-

principalis significari, quia ut dictum est ex Arist. concretum, & abstractum non differunt in re significata, sed tantum in modo significandi; concretum enim, non quidem ex ipsa nominis impositione, sed ex modo significandi principalis significati dat intelligere subjectum. Ad 3. negatur consequentia, quia primas significati non attenditur ex primitate secundum rem, sed ex primitate impositionis, sicut enim significatum nominis non pendet ex natura rei, sed ex imponentis intentione, ita & primum significatum ex eadem intentione pendet. Ad 4. quicquid sit de antecedente negatur consequentia ex Scot. quæst. 8. prædicam. cit. ad 2. princ. differunt enim supponere, & significare ex dictis 1. part. Infit. loc. cit. unde terminus supponit utique, quod significat, sed non semper supponit pro eo, quod significat, sed interdum pro eo, quod connotat, & dat intelligere secundario, ut patet in suppositione personali, in qua terminus communis supponit pro supposito, quod tamen non significat, sed tantum dat intelligere secundario. Ad 5. neutro illorum modorum exponi debet illa propositio, non primo, quia albedo importata in concreto prædicari debet de subjecto per modum adjacentis, & informantis, quod non habet, dum in abstracto profertur, & effertur de subjecto, neque secundo, quia dicendo pomum est unitum albedini, aut habens albedinem, vel sensus est pomum est id, quod est album, significando per ly id in genere, aut determinate ipsum subjectum, & tunc propositio est negatoria, vel non mere per accidens, ut dicebamus, vel sensus est, pomum est unitum albedini, aut habens albedinem, id est pomo inhæret albedo, & hic est verus sensus in rigore logico, sed sic per album non importatur subjectum in recto, sed ipsa forma albedinis, non quidem in se, sed per modum adjacentis, & informantis, de modo definiendi concreta, vide disp. 9. art. 1. q. 1.

97 Sed adhuc majus extat dubium; unde sumatur unitas, vel pluralitas concreti, an ex parte formæ, vel subjecti, vel utriusque simul? De concretis accidentalibus, & adjectivis non est gravis difficultas, omnes enim in hoc convenire videntur, huiusmodi concreta unitatem sumere, & pluralitatem ex parte subjecti, unde si eadem albedo esset in pluribus subjectis absolute dicerentur plura alba, & e contra, si plures albedines forent in eodem subjecto, unum dumtaxat diceretur album, ita inter alios docet Scot. 3. d. 6. q. 1. & d. 8. q. unic. & quol. 11. H. cuius ratio communiter reddi solet, quia cum nomen adjectivum dicat formam per modum adjacentis subjecto, maxime determinatur per ipsum subjectum, quod magis, & profundius declarat Doct. 1. d. 12. quæst. 1. §. juxta questionem istam ait, quod nomen adjectivum primo, & per se afficit substantivum, cui adjacet, & non alterum adjectivum, quia solum substantivum naturæ est terminare dependentiam adjectivi, non autem adjectivum, nisi substantive sumatur; cum autem accidens non tribuat effectum suum formalem, nisi subjecto, quod afficit, sequitur, quod terminus numeralis duo, tria, sex &c. tribuit effectum formalem numerationis substantivo, ad quod terminatur, non adjectivo utpote impotenti ad terminandum ejus dependentiam, unde si una albedo esset in tribus subjectis, tria alba dicerentur, quia tam nomen numerale tria, quam album sunt adjectiva, & ideo ambo terminantur ad tertium, scilicet ad subjectum, & illi tribuunt suum effectum formalem, quod cum in casu sit triplex, tria etiam erunt alba de rigore sermonis, qua etiam ratione, si plures personæ divinæ eandem assumerent humanitatem, dicerentur plures humanati, & incarnati; e contra vero si plures albedines essent in eodem subjecto, unum dumtaxat diceretur album, sicut de facto unus habens multas scientias est unus sciens, ait Doct. quol. cit. & si una persona divina plures assumeret humanitates, diceretur unus dumtaxat humanatus, unus incarnatus, non plures, quæ doctrina communis est omnibus Scottis, & probatur a Molin. 1. par. quæst. 36. art. 4. disp. 2. Casil. lib. 1. Introduct. tract. 1. c. 3. & multis aliis.

98 De concretis vero substantialibus, & substantivis est major difficultas, & quidem aliqui totum oppositum docent ejus, quod de accidentalibus, & adjectivis dicebamus; volunt enim unitatem eorum, & pluralitatem ex parte formæ sumi debere ob eandem rationem, quia cum nomen substantivum dicat formam ad modum per se stantis, maxime determinatur adjectivum numerale per ipsam formam, unde si eadem divina persona plures assumeret humanitates, dici deberet plures homines, ita Vasquez 1. p. disp. 155. cap. 4. & alii quamplures, quæ videtur fuisse opinio Doctoris 3. d. 1. quæst. 3. ubi resolutionem illius quæstionis, an illa persona dici deberet plures, vel unus homo, remittit ad ea, quæ dixerat de pluralitate, & unitate concreti in 1. d. 12. qu. 1. ex regula autem ibi tradita de termino numerali, quod semper tribuit effectum formalem illi, quod terminat ejus dependentiam, manifeste deducitur, quod ad multiplicationem concreti substantialis sufficit sola formæ pluralitas, quia hæc est apta terminare dependentiam termini numeralis; qua ratione omnes fere Scottis veteres Licher. Bargius, Bassolius, & alii, concedunt in casu posito personam illam esse plures homines,

quia ly plures non determinat suppositum, sed substantivum, cui immediate adjungitur, quod in proposito est ly homines, & sic solum multiplicat humanitates, non supposita.

99 Sed licet prima regula de concretis accidentalibus, & adjectivis data sit universaliter vera ob rationem allatam, & etiam altera de concretis substantialibus, & substantivis quantum ad unitatem, verum enim est solum unitatem formæ inferre unitatem concreti substantialis, etiam si supposita sint multa, unde tres personæ Divinæ unus tantum Deus dicuntur ob unitatem formæ, & naturæ; Falsa tamen est quoad alteram partem, quod, scilicet, sola formæ pluralitas sufficiat ad pluralitatem concreti substantialis sine suppositorum pluralitate, quia universaliter vera est illa Scoti regula de concretorum multiplicatione tradita 1. c. in 3. d. 6. q. 1. ad 1. & d. 8. q. u. F. quol. 11. H. & alibi sæpe, quod ad multiplicationem concretorum non sufficit sola multiplicatio formarum, sed requiritur multiplicatio suppositorum, qua ratione negat 1. d. 12. q. 1. ad 3. Patrem in divinis esse plura principia, licet habeat duo principia productiva, & 3. d. 6. q. 2. Christum esse duo neutraliter, & masculinè, & quovis modo, unde licet habeat duas naturas substantiales, & viventes, dicitur una substantia, & unus vivens ob unitatem suppositi, qua etiam ratione dicendum est, quod si Verbum plures assumeret naturas humanas, non esset plures homines, sed unus homo, & ita docent quamplures Scottis recentiores, ut P. Faber in 1. disp. 41. c. 4. in fine, & Aretinus in 3. d. 1. q. 3. art. 2. Nec respondere valet cum Bargio 1. d. 12. q. 1. ad 3. prædictam regulam a Scoto traditam de concretorum multiplicatione valere solum de accidentalibus, non de substantialibus. Quia Doct. in 3. d. 8. q. u. illam tradit de concretis quidem accidentalibus, sed substantivè sumptis, sicut sunt pater, filius, causa, principium artifex, opifex, &c. hæc enim concreta accidentalia, quia substantivè dicuntur, æquivalent substantialibus, & terminare possunt dependentiam cujuscumque adjectivi, & tamen Doct. ait, quod homo habens plures paternitates, vel filiationes dici nequit plures Patres, vel plures Filii ob unitatem suppositi, ergo regula illa de mente Doctoris tenet etiam in concretis substantialibus, & substantivis, nam si de solis accidentalibus teneret, ut ait Bargius, posset dici Pater æternus duo principia, duo productores, & Christus duo viventes, duo entia, quod tamen negat Doct.

100 Cum vero alii Scottis dicebant ex regula Doctoris tradita de termino numerali in 1. d. 12. q. 1. necessario deduci, quod eadem persona plures assumens humanitates plures diceretur homines, quia cum ly homines sit substantivum, terminare potest dependentiam adjectivi numeralis, & ita secundum illud numerale, occurrendum est, & dicendum utique terminare posse, sed non ultimare, sicut quantitas terminare potest dependentiam alterius accidentis; sed non ultimare, quia adhuc ipsa dependet ad substantiam, sic etiam in proposito concretum naturæ, ut homo, utique terminare potest dependentiam adjectivi numeralis, sed quia adhuc ipsum dependet ad suppositum, quod concernit vage, ut omnes fatentur, etiam Doct. 3. d. 6. q. 2. D. & de Spiratore in 1. loc. cit. ideo terminare nequit absolute, & ultimare, sed tantum cum ultiori dependentia ad suppositum; ex quo fit, ut etiam in concretis substantialibus, & substantivis recte plurificatio fieri nequeat, nisi adit plurificatio suppositorum, & hæc est ratio a priori, quam optime insinuat Franciscus a Christo in 3. d. 1. q. 9. quando dixit, quod nomina concreta etiam substantia, ut homo, dicunt in plurali pluralitatem tam formæ, quam suppositi, quia significant formam cum habitudine ad suppositum, unde ad hoc, quod sint plures homines, requiruntur & plures humanitates, & plura supposita.

Solvuntur Objectiones.

101 **C**ontra prædictas regulas obicitur 1. si ad multiplicationem concretorum accidentalium, & adjectivorum sola sufficit subjectorum pluralitas, ergo in divinis rite dici possent tres æterni, tres immensi, tres omnipotentes, quia sunt tria supposita, & si ad unitatem eorumdem concretorum sufficit sola subjecti unitas, etiam si formæ sint plures, tunc omnia accidentia, quæ sunt in eodem subjecto, haberent eandem unitatem, & facerent idem concretum, ver. grat. in lacte album, dulce, frigidum, essent unum, & idem concretum ob unitatem subjecti; at istæ Consequentia sunt falsæ, quia, & D. Athan. in Sym. negat dici posse tres æternos, tres immensos, & est communis omnium sensus album, dulce, frigidum in lacte esse diversa concreta ob solam formarum diversitatem in eodem subjecto.

Resp. de rigore sermonis dici posse in divinis tres æternos, tres immensos, &c. negatur tamen hic modus loquendi ab Athanasio esse rectus, quia cum careamus propriis concretis substantivis, qualia forent immensor, sapientior, quæ non sunt in usu, concreta ipsa adjectiva summis substantivè, & ideo cum una sit æternitas in tribus, una immensitas, unum dicimus æternum, non tres æternos, &c.

Ad aliud, dum hic loquimur de unitate, & pluralitate concretorum, sermo est de concessione secundum significationem eisdem formæ, nam istam non multiplicat formæ, nisi multiplicentur subjecta, quibus inhaerent, quia ipse formæ ex se concretionem non faciunt, sed ratione subjecti, & ideo esto lac sit dulce, album, frigidum, non tamen dicitur plura qualia, sed unum quale; esto homo sit logicus, Geometra, Theologus, non tamen dicitur plures scientes, sed unus sciens.

Secundo, si ad pluralitatem concretorum substantialium, & substantivorum non sufficit sola formæ pluralitas, quia concretum substantiale adhuc dependet ad suppositum, & cum tali dependentia terminare debet adjectivum pluralitatis, eadem ratione sola formæ unitas ad unitatem concretum substantiale non sufficit, quia cum dependentia ad suppositum terminare debet tam adjectivum multitudinis, quam unitatis, & ideo si sunt plura supposita, & natura una, non poterit cum veritate unum dici concretum, sicut cum veritate dici plura nequeunt, si suppositum est unum & naturæ plures.

102 Resp. negando paritatem, nam utique potest concretum substantiale determinare ab adjectivo unitatis præcendendo ab ulteriori tendentia, & dependentia ad suppositum, non autem sic ab adjectivo multitudinis, sed ratio disparitatis non eadem assertur ab omnibus; Averſa q. 23. Log. sect. 3. in fine inquit, potissimam rationem huius rei esse ipsum utrum loquendi, quo factum est, ut huiusmodi concreta singulariter dicta significant, vel unitatem formæ, vel substantiam, & suppositi pluraliter dicta significant pluralitatem utriusque simul; At hæc ratio non satisfaciunt, quia negare quis posset talem usum loquendi apud omnes acceptum, quo etiam admisso tenemur reddere rationem huius usus, quare non sit abusus. Ideo Suar. 3. p. disp. 13. sect. 2. hanc reddit rationem disparitatis; ad hoc ut aliud sint unum, sufficit, quod in aliqua ratione uniantur, ut puta in illa ratione, per quam sunt unum; ad hoc vero ut sint plura, in nulla unitate absolute debent convenire, quia multitudo, cum sit idem, quod divisio, opponitur unitati, ut ergo concretum multiplicetur, necesse est, quod omnino, & simpliciter omnino plurificetur, & nulla una ratio remaneat. Sed neque hoc satisfaciunt, tum quia potius res opposito modo se habet, quod plus ad unum, seu unitatem requiritur, quam ad divisionem, & multitudinem, unde homo, & equus simpliciter plura dicuntur, etiam si habeant unitatem genericam, & unitas velut perfectio, & simpliciter bona procedit ex integra causa; divisio autem, & multitudo, quæ vergit ad malum, procedit ex quocunque defectu, tum quia hoc non est verum in concretis accidentalibus, quæ plurificantur sine pluralitate formæ. Quod si dicat Suarez esse verum in substantialibus, sane principium petit, hoc enim est, quod queritur, cur sola unitas formæ sufficiat ad unitatem concreti in substantialibus, & non sola pluralitas eisdem ad pluralitatem, curque concretum substantiale terminare possit cum veritate adjectivum unitatis stante suppositorum pluralitate, non autem adjectivum pluralitatis stante unitate suppositi cum sola multitudinis formæ.

Itaque præstabit dicere rationem discriminis, cur possit concretum substantiale determinari ab adjectivo unitatis sine ulteriori dependentia ad supposita, non sic ab adjectivo multitudinis, esse, quia unitas pertinet ad naturam, multitudo ad supposita, hæc enim in natura uniantur, & natura in illis multiplicatur, quæ etiam ratione adjectivum multitudinis tribuitur concreto naturæ, ut supponit per-

naliter, adjectivum vero unitatis, ut supponit simpliciter, & ideo dixit Porphyrius plures homines ratione naturæ dici unum hominem; hinc igitur est, quod concretum substantiale determinari potest ab adjectivo unitatis præcendendo ab ulteriori dependentia eius ad suppositum, non vero ab adjectivo multitudinis, quia sub hoc adjectivo præsertim respicitur supposita.

103 Sed dices, si ita est, ergo Pater, & Filius in divinis poterunt dici duo spiratores, quia concretum hoc dependet etiam ad suppositum; jam duo sunt supposita, quæ spirant. Resp. negando consequentiam, quia licet ex ea parte, quia concernit suppositum, possunt dici duo spiratores, tamen ex alio capite, quia etiam in se immediate naturam est terminare dependentiam termini numeralis adjectivi, quia est substantivum, & vis spirativa tantum una est in Patre, & Filio, ut docet Theologus, ideo cum veritate non potest suscipere effectum formalem adjectivi numeralis; sicut ex alio capite Pater, etiam si habeat duo principia productiva, non potest dici duo productores, quia etiam ad pluralitatem formæ, deest tamen pluralitas suppositorum, & hæc est ratio, cur ad pluralitatem concretorum accidentalium, & adjectivorum sufficit sola pluralitas subjectorum, & ad pluralitatem substantivorum utraque requiritur, quia ibi solum subjectum terminat dependentiam adjectivi numeralis, cum adjectivum nullo modo terminare queat, hic vero duo forma nempe, & suppositum, hoc ultimate, illa non ultimate.

Tertio arguit Arriaga cit. veritatem prædicationum, & multiplicationem terminorum concretorum non ex formali significato eorum attendi debere, sed ex eo, quod importatur in recto, & in hac ratione ait concreta accidentalia unitatem sumere, & multiplicationem ex parte subjecti præcise, quod importat in recto, non ex parte formæ, etiam si illam significant de formali, cum ergo concreta substantia ex natura, & substantia dicantur in recto naturam, & in obliquo substantiam, sequitur necessario ex prædicta regula, quod si in eodem supposito duæ subsisterent naturæ, v. g. humanitates, illud dici deberet plures homines, quia plures naturas importaret in recto. Et n. 62. ait falsam esse regulam a nobis traditam quod nomina numeralia conjuncta concretis substantivis multiplicent formale, & materiale, quia nomen persona est concretum substantivum, & tamen nomen materiale illi adjunctum non multiplicat formale, & materiale illius significatum, alias dum dicuntur tres divine persone, etiam multiplicaretur divinitas, quæ est materiale illius significati.

104 Resp. concreta accidentalia numerari ad numerationem subjectorum præcise, quia ipsa sola subjecta terminant dependentiam adjectivi numeralis, & hæc est ratio propria, & a priori, quia in concretis substantivis tam forma, quam suppositum terminant, ideo ad eorum requiritur multiplicationem utriusque multiplicatio. Neque ex hac regula sequitur, cum dicimus tres divine persone, etiam divinitatem multiplicari debere, quia cum ly divine nomen sit adjectivum, nequit terminare dependentiam adjectivi numeralis; sed terminatur ad nomen persona, cujus significatum, nimirum substantiam multiplicat. Regula vero ab ipso tradita, vel non est ad rem, vel pro nobis contra ipsum conclusit, quod si in eodem supposito plures subsisterent naturæ, illud dici deberet unus homo, & non plures, quia concretum quoque substantiale, sicut accidentale, explicatur per suppositum in recto, nam homo est habens humanitatem, sicut album est habens albedinem.

DISPUTATIO TERTIA.

De Ente rationis, & secundis Intentionibus.

Plane ad Metaphysicam spectat tractare de ente rationis per reductionem ad ens reale, quod est proprium ejus obiectum; usus tamen apud multos invaluit, ut iste tractatus Logice demandetur, & quidem rationabiliter, tum quia cognitio entis rationis, & secundarum intentionum valde inseruit Logice in se, utpote quæ multum juvat directionem operationum intellectus, res enim sub his denominationibus rationis melius percipiuntur, & commodius applicantur definitionibus, divisionibus, & argumentationibus, ut constat ex dictis q. proæm. tum quia adhuc patet de servitio Logice ab Arist. tradita, quæ tota sub terminis secundarum intentionum est instituta, ut magis patebit ex dicendis: his igitur de causis communem usum sequentes hic de ente rationis agemus, & secundis intentionibus.

QUESTIO I.

An detur Ens rationis, & quale esse habeat.



Omne ens rationis in tota sua latitudine intelligitur, quicquid habet esse aliquo modo dependente a ratione, esse quidem potest tripliciter contingere, ut docent Formalistæ nostri ar. 1. Formalit. & colligitur ex Scoto 4. d. 1. q. 2. S. hic primo videndum est. Primo effective, seu causaliter, quia nimirum per verum, & physicum influxum causatur, & producitur ab intellectu, quales sunt actus intelligendi, qui efficiuntur ab eo. Secundo subjective, quia subjectatur, & recipitur in intellectu, eique adheret, quales sunt itidem actus intellectus, & omnes habitus scientiarum, quatenus recipiuntur in intellectu, eique tanquam subjecto adherent. Tertio objective, quia obicitur intellectui, seu ab intellectu cognoscitur, quales sunt omnia, quæ ab intellectu percipiuntur, ut sic; Sed adhuc dupliciter in hoc ultimo sensu potest aliquid dependere in suo esse a ratione, vel ita quod haberet illud esse, etiam si intellectui non objiceretur, ut ignis, qui est calidus, licet a nobis non cognosceretur, ut calidus; vel ita quod non haberet illud esse, nisi objiceretur intellectui, sed in tantum illud habet, in quantum ab intellectu cognoscitur, cujus cognitione cessante statim evanescit, ut Angelus, qui non est pulcher juvenis, nisi quatenus tali modo apprehenditur ab intellectu; & hoc est illud ens rationis, quod dicitur habere esse tantum objective in intellectu, quod dicitur ens fictum a ratione, & de quo queritur in præfati, an debeat admitti, quo etiam admisso dubitatur deinde quale esse sit ei tribuendum.

2 Circa primam quaestit partem entis rationis, ac secundas intentiones videntur negasse Mayron. quodlib. 7. Joan. Gandav. lib. 2. Met. in fine, & lib. 4. q. 6. licet non sibi consistet 6. Met. q. 5. Bernardus quidam Mirandulanus in exposit. prædicam. & Vallesius contr. 10. Physicæ. Opposita tamen sententia est communis omnium sensus, qui admittunt, & passim supponunt entia rationis; sed adhuc non omnes conveniunt in altera quaestit parte, qualenam esse sit eis tribuendum; Quidam enim quibusdam entibus rationis tantum deferunt, ut eis concedant esse formale, & actuale antecedenter ad omnem operationem intellectus, ita loquitur Medina 3. p. q. 35. art. 5. dub. 1. ad 1. de illis entibus rationis, quæ habent fundamentum in rebus, & Fonseca 4. Met. c. 2. q. 7. sect. 9. & lib. 5. c. 15. q. 4. sect. 4. de illis relationibus rationis, quæ ex denominationibus extrinsecis resultare videntur, ut sunt relationes Creatoris, prioris, & posterioris, ac aliarum consimilium; Alii vero etiam fateantur, omne ens rationis quantum ad existentiam ab intellectu prorsus pendere, adhuc tamen asserunt habere suam essentiam independentem ab ejus operatione, secundum quam revera dicitur possibile esse in intellectu, sicut ens reale per suam essentiam dicitur possibile esse extra intellectum; Alii demum statuunt ens rationis penitus ab intellectu dependens quoad omne suum esse, non solum existentia sed etiam essentia.

3 Dicendum est pro resolutione quaestit quoad utramque partem ens rationis omnino concedendum esse, non tamen in eo sensu, ut ante opus intellectus aliquid esse formale, & actuale habeat, sed ita quod omne suum esse actuale accipiat a ratione. Conclusio quoad primam partem est communis Græcorum, Arabum, & Latinorum, ut testatur Cartarius de primis princ. univers. Log. lect. 7. nam Avicen. 1. suæ Met. c. 2. & 3. Averroes 4. Met. comm. 2. & in Epitom. Log. cap. ult. docent logicam esse de secundis intentionibus, hoc idem asserit Ammonius in lib. prædicab. & Porphyrius in lib. prædicam. interrog. 3. & subscribunt Latini famosiore, D. Thom. Scot. Egid. Albert. Alensis, & alii passim, ita quod sola Antiquitas sufficere potest ad ostendendam huius conclusionis veritatem; hanc Suarez probare conatur disp. ult. Met. sect. 1. nonnullis Arist. testimoniis, quæ ad rem non facere ostendit P. Faber. 4. Met. disp. 4. c. 1. sed Arist. pro hac sententia manifesta demonstrat famosa illa divisio entis in animam, & extra animam, quam sæpius ipse tradidit, præsertim vero 6.

Met. in fine & lib. 11. sum. 3. c. 2. ubi per ens in anima expositores intelligunt ens rationis, præcipue Scotus in 1. d. 36. q. un. F. Et Mayr. ipse non absolute negat entia rationis, sed tantum disputandi gratia, ut protestatur in fine quol. 6.

4 Probatur etiam ratione multipliciter; Tum quia multa sæpe cogitamus, ac si essent, quæ tamen nec sunt, nec esse possunt, ut patet de Chymera, Hircocervo, & similibus, ergo cum aliud esse non habeant, quam cogitari, & tandiu sint, quamdiu cogitantur, vere sunt entia rationis. Tum quia cum intellectus concipit negationes, privationes, ac extrinsecas denominationes, eas utique concipit ad modum entium, cum enim ejus obiectum adæquatum sit ens reale, nihil concipere potest, nisi ad modum veri entis, unde tenebram in aere, cæcitate in oculo concipit per modum quarundam formarum luci, ac potentia vivæ contrarium, hoc autem est efformare ens rationis. Tum etiam quia experimur aliquos actus, quorum obiecta non sunt a parte rei, ut cum equum rationalem concipimus, & Angelum corporeum, nam hæc obiecta, equus nempe identificatus cum rationali, & Angelus cum corporeo, non sunt a parte rei, nec esse possunt, sed mere objective existunt in intellectu fingente equum rationalem, & Angelum corporeum. Tum denique quia tota Arist. Logica plena est his terminis, genus, species, subjectum, prædicatum, singulare, univertale, & similibus, quæ omnia sunt entia rationis.

Respondent negantes entia rationis, cum intellectu equum rationalem, Angelum corporeum, & similia concipit, non utique per talem actum concipere quid fictum, & apprens, quod dicatur ens rationis, sed concipit veram, & realem rationalitatem, veram, & realem corporeitatem, quam in aliis rebus cognoscit, & eas intentionaliter connectit cum equo, & Angelo, atque ideo nunquam dari tale ens rationis, quod ex parte obiecti actui fingenti correspondeat. Sed hanc solutionem optime confutat Arriaga disp. 6. Met. sect. 2. num. 10. nam quando intellectus asserit equum rationalem, Angelum corporeum, planè non prædicat rationalitatem, quæ convenire solet individuis humanæ naturæ, neque corporeitatem, convenientem rebus materialibus, sed aliam consimilem, quam supra numerum earum, quæ sunt possibiles, fingit intellectus, sicut si Thomista tenens sub specie Gabrielis unicum tantum individuum esse possibile, conciperet ultra illud adhuc aliud esse possibile, tunc utique hoc aliud, quod conciperet, non esset individuum ipsum Gabrielis, sed aliud fictum, & repugnans in ejus sententia; ita igitur in proposito cum alia rationalitas distincte ab omnibus rationalitatibus humanorum individuum, illis tamen consimilis, non sit realis, sed ficta, & chymerica, quando concipitur equus rationalis, & Angelus corporeus, vere efficitur ens rationis. Accedit, quod etiam admittit ea solutione adhuc non evitatur ens rationis, licet enim rationalitas equo applicata esset realis, adhuc unio rationalitatis cum equo esset omnino ficta, & rationis. Quod si instes, intellectum illis extremis etiam applicare veram unionem, quas inter alias res experitur, non adhuc evitatur ens rationis, quia saltem applicatio illa objectiva ipsius unionis erit rationis, & ficta, quia applicatur rebus inutilibus.

5 Quo etiam ad alteram partem conclusio est communis, & est præsertim Scoti quol. 3. A. ubi docet, ens rationis habere præcise esse in intellectu considerante, & 1. d. 36. q. un. F. & G. appellat illud ens in anima, ut contra distinguitur ab ente extra animam tam in esse actuali, quam in esse possibili, tam quoad esse existentia, quam essentia; ita quod omnem prorsus realitatem, & existentiam, & essentiam, & actualem, & possibilem negat Doctor enti rationis, & ei dumtaxat tribuit esse objective, secundum quid, & diminutum, quod non habetur, nisi beneficio intellectus; & iterum in 2. d. 1. q. 1. art. 2. disterte docet entia rationis non habere esse actuale, & formale, nisi cum intelliguntur, & manifeste deducitur ex ipso conceptu entis rationis, id enim intelligimus per ens rationis, quod omnino contradistinguitur ab ente reali, ergo nullum esse formale, & actuale habet ante opus intellectus, nam si aliquid tale haberet, profecto ab ente reali non esset prorsus condistinctum. Per quod excluditur Medinæ responsio, & aliorum dicen-

dicentium hanc rationem solum concludere, quod ens rationis in actu perfecto, & completo pendet ab opere intellectus, quod tamen procedere potest in actu imperfecto, & incompleto. Exploditur hæc solutio, quia si aliquam realem actualitatem, quantumvis imperfectam antecederet ad opus intellectus haberet ens rationis, sane non esset ab ente reali inæquaque distinctum, nec proprie esset ens rationis, quod ideo dicitur rationis, quia nullo modo potest esse in actu, nisi per opus intellectus. Et hæc ratio nedum probat de esse existentia (ut nonnulli respondent) sed etiam de esse essentia; tum quia existentia proportionatur essentia, ut modus ejus, unde ex conditione existentia arguimus essentia conditionem a posteriori, ergo si existentia entis rationis profus ab intellectu pendet, idem de essentia dicendum erit; & profus irrationabile est alicui assignare essentiam realem, & deinde existentiam rationis, tum quia existentia aliud non est, quam ipsius essentia actualitas, ergo si entia rationis habent existentiam solum ab intellectu, idem erit de essentia dicendum; Tum tandem, quia hæc ipsa est essentia entis rationis, quod nec sit, nec esse possit citra operationem intellectus, & hac de causa dicitur ens rationis, ino si haberet essentiam realem, jam quidditative, & formaliter ens reale foret, & non rationis.

6 In oppositum objicitur. Primo probando ens rationis admitti non debere. Tum quia nulla potest illius assignari causa, hæc enim præsertim deberet esse intellectus, at hic est causa realis, & causat media actione reali, ac proinde effectum semper attingit realem. Tum 2. quod est impossibile, non potest concipi, nec mente intelligi, quia intelligi sequitur esse, & solum ens reale est objectum adæquatum intellectus, sed ens rationis est impossibile realiter, ergo etiam mentaliter. Tum 3. implicat objectum in intellectu, quod non prius sit intelligibile, quam intellectum, quia quod intelligitur in actu secundo, sane supponitur intelligibile in actu primo, at tale foret ens rationis ex dictis, si daretur. Tum 4. implicat dicere illud habere esse proprium, quod tantum fingitur esse, cum revera nec sit, nec esse possit, quia quod tantum fingitur, nec est, nec datur. Tum 5. si actu affirmanti Angelum esse corporeum corresponderet ex parte objecti unio ficta, esset actus verus, quia affirmaret, quod verè non daretur, nam inter Angelum, & corporeum datur unio ficta, ergo ut sit falsus, debet inter ea concipi unio realis. Tum 6. non potest dari medium inter ens reale, & purum nihil, quia contradictorie opponuntur, sed si daretur ens rationis, inter illa duo medieret, non enim esset ens reale, ut patet, neque purum nihil, quia aliquod esse haberet per intellectum. Tum denique quia horum entium nulla videretur necessitas, vel saltem utilitas ad res veras declarandas, & doctrinas capiendas; ergo &c.

7 Resp. perfectam harum difficultatum solutionem pendere ex dicendis, quantum ad præsens spectat, ad 1. dicendum est intellectum esse causam efficientem entis rationis, non tamen proprie, & in rigore dictam, quæ scilicet vere, & physice influat in effectum, sicut enim ens rationis non habet esse verum, & reale, ita etiam nequit esse effectus causæ vere, & realiter influentis, nec ab intellectu pendere per realem, & physicam actionem, sed sicut est ens secundum quid, & veluti umbra, & similitudo entis realis, ita etiam secundum quid, dicitur fieri, & produci, ut Scot. docuit 1. d. 36. q. un. & 2. d. 1. q. 1. & fufius explicabitur infra. Ad 2. negatur assumptum, quia in plus fe habet intelligibile, quam possibile, nam omne possibile est intelligibile, non e contra, cum possit intellectus fingere, & cogitare, quod nec est, nec esse potest; ex eo autem quod ens reale sit adæquatum intellectus objectum, colligitur solum ens rationis non esse per se, & absolute intelligibile, sed tantum in ejus virtute, quatenus nequit intelligi, nisi ad modum ejus percipiatur, & hæc est propria ejus intelligibilitas, ut infra dicemus. Ad 3. verum est formaliter, & actualiter ens rationis non prius habere esse intelligibile, quam intellectum, ut notat Scot. 2. d. 1. q. 1. art. 2. G. quem sequuntur Complut. hic, sed hoc non dicitur, quia absolute loquendo nullo modo sit cognoscibile, antequam cognoscatur, nec possit actus secundus ullo modo a primo discerni, quia saltem virtualiter in suis causis potest dici prius intelligibile, quam intellectum, imo etiam, & in aliquo sensu formaliter, & actualiter, sed hoc dicitur ad denotandum, quod non sit prius in se cognoscibile, idest secundum suum esse formale, & actuale, quam cognoscatur, quia actu cognosci est de essentia entis rationis, & quando actus est de alicujus essentia, vel saltem identice, tunc in illo potentia non antecedit actum, qua ratione in Deo potentia ad existendum non absolute dicitur præcedere actum existendi; quomodo autem saltem virtualiter in suis causis possit dici prius intelligibile, quam intellectum, imo etiam, & in aliquo sensu formaliter, & actualiter mox dicemus; quæ vero contra id objicit Poncius disp. 1. Log. q. 2. vide diluta disp. 2. Met. qu. 2. art. 1. Ad 4. concludit de esse simpliciter, quod est proprium entium realium, non de esse secundum quid, diminuto, & abusivo. Ad 5. quod aliqui magnificunt, ut notat Arriaga cit. redargutionem involvit, nam in antecedente concedit illi actui unionem fictam correspondere, quam deinde negat in consequente,

unde ibi bene retorquet argumentum; correspondet igitur illi actui unio ficta, sed qua fingitur, & concipitur, ac si realis esset, ideo actus est falsus, quando vero intellectus denuo reflectitur attingendo illam unionem, ut fictam, tunc actus ille verus est.

Ad 6. negatur minor, nam ut docet Doct. quol. 3. ar. 1. vel nomen entis sumitur in rigore pro eo, quod vere, & proprie est, idest realiter, vel saltem sic existere potest, & nihil, prout opponitur enti hoc modo sumpto, & sic ens rationis est purum nihil, quia nec realiter est, neque sic esse potest; vel nomen entis sumitur magis ample pro eo, quod est vel in re, vel saltem in apprehensione, nihil vero, prout opponitur enti in ista amplitudine, & in hoc sensu ens rationis non est purum nihil, sed aliquo modo ens; vel demum sumitur ens proprie, & in rigore, & nihil sumitur ample pro eo, quod negat quodcumque esse, sive in re, sive in apprehensione, & sic ens rationis est medium inter ens, & purum nihil, quia ex una parte non est ens reale, ex alia non caret quocumque esse, quia habet esse saltem in intellectu; hinc tamen non sequitur esse medium inter contradictoria, quia ens reale, & nihil hoc tertio modo sumptum non contradicunt, ut bene notat Amic. tr. 3. q. 2. dub. 5. ab initio. Ad 7. necessitas, & utilitas efformandi entia rationis potissimum desumenda est ex nostro imperfecto concipiendi modo, sæpe enim nequit intellectus noster concipere res, ut in se sunt, & ita concipit eas per comparationem ad aliud, fingitque relationem rationis, ubi re vera non est distinctio, ubi non reperitur, & in hunc modum entia rationis multum juvant nostrum imperfectum intelligendi modum, ut bene dicitur Summing. tr. 3. de Deo uno disp. 2. n. 175.

8 Secundo e contra arguitur contra alteram conclusionis partem, probando, vel omnia, vel saltem aliqua entia rationis actu dari citra operationem intellectus. Tum quia nullo operante intellectu dantur a parte rei cæcitas in oculo, privatio in materia, paries visus, Deus creator, & similia, quæ profecto quidpiam reale positivum non important, sed rationis. Tum 2. quia entia rationis prius habent esse intelligibile, quam intellectum, & prius esse possibile, quam actuale, nam antequam ad modum entium concipiuntur, possunt sic concipi, & verum est dicere ante operationem intellectus ens rationis esse possibile, & posse per eum fieri. Tum 3. ens rationis est prius cognitione illa, per quam cognoscitur, ergo non habet esse solum, quatenus cognoscitur. Probatur assumptum ex Arist. 1. de Anim. 33. ubi ait, objectum esse prius actu in ipsam tendente; ac etiam ratione, quia quælibet potentia cognitiva supponit objectum, in quod feratur, & non actu suo illud efficit, ut oculus supponit colorem, non vero illum efficit videndo. Tum 4. ens rationis debet esse alicubi subjective, cum non sit substantia per se subsistens, sed non est subjective in intellectu, cum in eo sit tantum objective, ergo subjective erit in rebus ipsis, de quibus prædicatur; quod etiam Scotus insinuat q. 9. prædicab. & in 4. d. 23. qu. un. vers. contra opin. Tum 5. dantur propositiones essentialia de ente rationis æternæ veritatis ex parte objecti, non minus quam de ente reali, ergo sicut in ente reali arguunt essentiam realem, in qua fundatur talis veritas præcisa existentia, ita & in ente rationis. Tum tandem si esse entis rationis profus in cogitatione consistit, ergo poterit dari gradus genericus sine specifico, quia poterit cogitari ens rationis in communi, & non in particulari, in genere, & non in specie, & eadem ratione poterit dari subjectum sine passione.

9 Resp. ad 1. negando numerata ibi esse entia rationis formaliter, quamvis enim entia realia non sint, non propterea inferendum est esse entia rationis, sed esse negationes, & privationes reales, ut sunt tenebræ, & cæcitas ex Doctore 1. d. 23. q. un. vel denominationes reales extrinsecas, ut Deum esse Creatorem, parietem visum, ut docet idem 1. d. 30. q. 2. ubi in calce optime notat, quod quando aliquam negationem, & denominationem dicimus esse realem, ut tunc realitas determinat tantum compositionem, & tunc nihil aliud est, quam illud, quod vere est, & ita se habet a parte rei, non autem prædicatum, quia esse Creatorem nihil Deo realitatis addit de novo sicut nec esse visum parieti. Ad 2. entia rationis, antequam intelligantur, non sunt intelligibilia formaliter, sed tantum virtualiter, ad hoc autem non est necessarium quod præcedat opus intellectus secundum aliquod esse proprium, sed sufficit, si in re præcedat fundamentum, qualecumque illud sit, & in intellectu potentia, & virtus intelligendi; unde quod ens rationis sit possibile, quod possit fieri, & intelligi, hoc totum verificatur per ordinem ad potentiam intellectivam, seu ad operationem possibilem illius, quare esse intelligibile in entibus rationis non est aliquo intrinsecum, ut in entibus realibus, sed potius est mera denominatio extrinseca a potentia intellectiva procedens, quatenus quæ non sunt, nec esse possunt, concipere ad modum entis potest. Ad 3. negatur assumptum, auctoritas vero Arist. & ratio ad illud probandum adducta, valent tantum de objecto motivo, quod scilicet natum est producere in potentia sui speciei impressam, & cum ea expressam, non autem de simplici terminativo, quale est ens rationis, ut clare Doct. insinuat 4. d. 1.

4. disp. 1. quæst. 1. sub S, & magis infra explicabitur; vel clarius potest intellectus rem dupliciter cognoscere, vel sicut est, vel aliter ac est, cum primo modo cognoscit tunc utique præsupponit objectum esse, sed dum cognoscit secundo modo, tunc efficit objectum suum, & nullo modo supponit, quia tale objectum non habet aliud esse, nisi quod tunc ei tribuit intellectus, ita vero cognoscit, dum efficit ens rationis, nam illud efformat cognoscendo rem aliter, ac sit, & quidem toties intellectus per actum suum sibi efficit objectum, quoties salitur judicando esse id, quod re vera non est, ut ipsa experientia docet.

10 Ad 4. negatur major, si enim ens rationis esset vere in aliquo subjective, tunc esset verum accidens, & per consequens ens reale, sed tantum est objective in intellectu ipso, neque idcirco erit substantia, quia hæc realiter est, & subsistit, potest tamen concipi, ut per se subsistens, & ad modum substantia, potest & concipi, ut in aliquo subjective existens ad instar accidentis, & ita est, quando ab intellectu prædicatur de rebus ipsis, ut cum dicimus animal esse genus, in hac enim, & similibus prædicationibus prædicatum non inest subjecto in se, sed ut cognito, & ita locutus est Doctor cit. cum inquit entia rationis esse subjective in rebus ipsis. Ad 5. negatur veritatem propositionum in entibus realibus fundari in aliquo esse essentia, quod res actualiter habeant ante esse essentia, sed fundatur in eo, quod ipsa essentia rei sit possibilis, ut actu ponatur in esse existentia, & essentia, ut late docet Scotus 1. d. 36. q. un. potius ergo dicendum est, quod sicut veritates entium realium fundantur super possibilitatem eorum ut actu sit, & actu ponantur in esse extra intellectum, eo quia istæ propositiones æternæ vere sunt, quatenus ab omni actuali existentia prædicantur, ita etiam veritas propositionum essentialium de entibus rationis fundatur in eo, quod ipsa essentia entis rationis possibilis sit, ut actu sit, & actu ponatur in esse per intellectum. Ad 6. conceditur sequela, sicut enim objective cogitari potest natura universalis abstracta a singularibus, & natura generica a speciebus, ita fieri potest ens rationis in communi non factio in particulari, ens rationis subjectum, non factio ente rationis, quod est passio: neque id convenit in iis, quæ aliud fieri, & existere non habent, nisi in mente, & objective. Dices ergo inter gradum genericum, & specificum, subjectum, & passionem in entibus rationis dabitur suo modo distinctio realis. Negatur conseq. quia licet possit cogitari gradus genericus non cogitatur specifico, & subjectum non cogitatur passione, præcise tamen cogitari nequit divisive, quod requireretur ad distinctionem realem. Accedit, quia harum intentionum esse consistit in cognosci non repugnare unam actu esse sine altera in ipso intellectu cognoscere, nam connexio harum intentionum non attenditur quoad existentiam actualem, ita quod una sequatur ad aliam in esse, cum esse non conveniat eis per consecutionem, sed per cognitionem: connexio igitur attenditur in eis ratione fundamenti, quatenus fundamentum illa fundat unam, quod ex vi illius potest etiam fundare aliam.

Q U Æ S T I O II.

Quid sit formaliter ens rationis, & in quo ejus essentia consistat.

11 Quamvis ut monet Doctor 4. d. 1. q. 2. I. ens rationis proprie definiri non possit restringendo definitionem ad quid proprie dictum extra animam, tamen quia definiri potest eo modo, quo definitio exprimit unum conceptum per se in intellectu, sive conceptus ille sit rei extra, sive rationis, & ideo in hoc sensu quaeritur in præfati, quid sit ens rationis, & quantum ejus definitio, & licet communis sententia ens rationis admittens concedat illud nullum habere esse extra animam, & subjectivum, sed tantum in anima, & objectivum, ut ex præc. quæst. liquet; adhuc tamen discrepant auctores in explicando, quid sit illud, quod habet esse tantum objective in intellectu, & solum tandiu est, quandiu consideratur, quod est proprium esse entis rationis, quia in re plures extant opiniones, quæ præsertim ad quatuor reducuntur.

Prima satis famosa constituit formalitatem entis rationis in denominatione extrinseca, quam aliqui sine ulla limitatione amplectentes affirmant quamlibet denominationem extrinsecam a quacunque forma provenientem esse ens rationis, unde juxta hunc dicendi modum non solum denominatio, qua res denominatur cognita, sed etiam ea, qua denominatur volita, visa, &c. imo qua res insensibilis, ut columna, dicitur dextra, vel sinistra ex vario animalis situ, & similes, sunt formaliter entia rationis, ita sensisse videtur Fonseca 5. Met. c. 7. q. 6. sect. 3. & Vasq. 1. p. disp. 115. n. 2. & p. 2. disp. 95. c. 10. ubi denominationem extrinsecam inquit esse aliquid rationis. Alii vero ejusdem sententia Auctores eam coarctant ad solam denominationem in objectum derivatam ab actu rationis, qualis est denominatio cogniti, & intellecti, ita Dur. 1. d. 19. q. 5. n. 7. Scorio q. 2. univ. Onna ibidem, & probabilissimam censet Did. a Jesu d. 3. Log. q. 1. Alii demum Recentiores adferunt eandem sententiam magis coarctantes dixerunt, non omnem

denominationem extrinsecam ab actu intellectus provenientem appellandam esse ens rationis formaliter, sed illam dumtaxat, quæ provenit ab actu intellectus concipientis objectum aliter, ac sit. Et in hanc sententiam de extrinsecis denominationibus trahi solet Scotus, quia in 1. d. 36. q. un. docet intellectum divinum producere ab æterno creaturas in esse cognito, quod ibi appellat ens rationis, & contradistinguit ab esse reali, & in eodem 1. d. 45. q. un. pariter esse volitum in objecto appellat ens rationis a voluntate factum, & ita sentit Tromb. tr. Formal. art. 2. §. Pro intelligentia prima concl.

12 Secunda sententia negat ens rationis esse formaliter ipsam denominationem extrinsecam, sed air esse relationem rationis ex ipsa denominatione extrinseca, seu ex forma rem extrinsece denominante resultantem; quam opinionem aliqui sine limitatione amplectentes affirmant ens rationis esse relationem resultantem per actum cujuscumque potentia attingentis objectum, & per omnem formam extrinsece denominantem aliquod subjectum, ita indicavit Vigner. in insit. de Anim. rationali §. 2. vers. 4. & alii in materia morali. Alii vero coarctant hanc sententiam ad solas denominationes ex actibus vitalibus desumptas, & volunt relationem ex illis resultantem esse formaliter ens rationis, imo aliqui specificant hanc relationem, in qua consistit ens rationis, esse illam præcise, quæ resultat per actum rationis; quo cognoscitur objectum: hanc autem resultantiam ita intelligere videntur, ut relatio insurgat in objecto statim, ac terminat actum potentia vitalis absque alia operatione reflexa supra præcedentem operationem, non factis autem explicant terminum hujus relationis resultantis, an scilicet sit objecti cogniti, ut sic, ad potentiam cognoscen-tem, an ad actum ipsum cognitionis, ex quo derelinquitur, an potius ad aliud objectum, cui comparatur, sed varie loquuntur, & in hac sententia fuisse videntur quamplures Thomistæ veteres, ut Soncin. 6. Met. q. 18. & Scotistæ, qui proinde frequentius describunt ens rationis, quod habeat esse per actum collativum intellectus, vel alterius potentia collativæ, ut est videre apud Form. art. de ident. & distinct. rationis, ubi solum ens rationis respectivum agnoscere videntur ex actu collativo confurgens, quibus plurimum favet Doctor 4. d. 1. q. 2. art. 1. ubi ait ens in anima (idest ens rationis) in summa non esse, nisi relationem rationis, quod etiam insinuat 1. d. 35. q. un. §. Potest dici, & q. 4. d. 16. q. 2. E. & in eod. 4. d. 1. q. 5. in fine, & alibi sæpe.

13 Tertia sententia inter Recentiores receptissima, quibus prævit Suar. disp. ult. Met. sect. 2. docet ens rationis esse illud, quod solum habet esse objective in intellectu, sic enim definitivè ens rationis Commentator 6. Met. com. 3. id autem ita explicat, ut ens rationis sit illud, quod cum a parte rei nihil sit, ab intellectu tamen percipitur per modum entis, quasi aliquid esset; cæcitas enim, & quævis alia privatio, ac etiam extrinseca denominatio, quæ a parte rei non sunt reale aliquid, concipiuntur ab intellectu per modum cujusdam formæ existentis in oculo, vel in alio subjecto, cui objecto denominato, & ideo cum entitatem non habeant, nisi beneficio intellectus concipientis in illis rationem entis, merito dicuntur entia rationis cum ita concipiuntur; quæ explicatio desumitur ex S. Th. 1. p. q. 16. art. 3. dum ad 2. respondens ait, ens rationis esse, quod cum non sit in rerum natura, accipitur ut ens in ratione, quod etiam docuit opuscul. 42. c. 1. At quoniam juxta hanc sententiam ad ens rationis duo spectare videntur, nihilitas nimirum, quæ ab ente reali distinguitur, & entitas facta ab intellectu ad modum veri entis, quæ ab omnino nihil distinguitur, quod scilicet non habet esse neque realiter, neque mentaliter, unde quodammodo mediat inter ens reale, & purum nihil, hinc variæ dubitationes, & varii modi dicendi exoriantur in explicanda hac sententia. Nam dubitatur primo, an illa nihilitas intret formalitatem entis rationis, an potius materialiter ad eam se habeat; quidam primum asserunt, eo quia per nihilitatem ens rationis intrinsece, & formaliter distinguitur ab ente reali: alii negant, quia cum includat in suo conceptu entitatem illam fictam, quæ habet modum positivi, tunc conceptus entis rationis ex positivo, & negativo conflatus esset, quod repugnat. Sed quocumque modo nihilitas se habeat ad ens rationis, dubitatur rursus, qualis esse debeat, an scilicet, talis esse debeat, ut non solum excludat actualem existentiam objecti in rerum natura, verum etiam possibilitatem ad sic existendum, an potius sufficiat, ut solum excludat actualem existentiam, idest non sit actu a parte rei, & tamen esse concipiatur, etiam si alias sit possibile in rerum natura, ut tenet Hurtad. d. 19. Met. sect. 1. §. 14. & Arriaga disp. 6. Met. sect. 3. subsec. 1. Deinde dubitatur insuper de illa entitate facta per modum veri entis, cum talis non sit, an ita constituat formalitatem entis rationis, ut sit de conceptu entis rationis, quod quando efformatur ab intellectu concipiatur aliter, quam est, ut communis velle fit videtur, an potius sit ejus proprietas, quidditas vero sit objectiva existentia in intellectu, ut tenet Coelestin. par. prior. disp. Log. disp. 2. sect. 1. vel an id contingat mere per accidens, ut tenet Didac. disp. 3. qu. 1. ubi defendit ens rationis efformari posse ab intellectu etiam cognoscente rem,

rem, sicuti est, & ideo asserit de ratione entis se solum esse, quod objective tantum habeat esse in intellectu.

14 Quarta demum sententia est Recentiorum quorundam Scotistarum, qui ad concludenda varia dicta Scoti, quibus favere videtur relatis opinionibus, admittunt omnes præfatos modos constituendi ens rationis, & ita late describunt ens rationis, ut ejus formalitas convenire possit tum denominationibus extrinsecis, tum relationibus ex illis resultantibus, tum entibus confectis per operationem reflexam intellectus ad modum veri entis, ita Meurisse l. r. suæ Met. q. 3. & Smifing. tr. 3. de Deo uno disp. 2. n. 180. & sequi possit etiam quinta sententia referri non proflus improbabilis, quæ statuit ens rationis in applicatione unius entitatis realis cum alia incompossibili, de qua erit sermo art. 2. hujus quæst. in fol. ad 2.

ARTICULUS I.

Ens rationis formaliter non consistere in extrinseca denominatione, neque in aliqua relatione ex ea resultante in rebus.

15 Dicendum est Primo ens rationis formaliter non consistere in extrinseca denominatione proveniente ab aliqua forma reali, neque ab actu rationis, sive expressim rem, sicuti est, sive aliter. Conclusio est contra Auctores primæ sententiæ, & singulos ejus dicendi modos, & Scoti l. d. 30. q. 2. ad ult. ubi docet, denominationes extrinsecas a formis rebus desumptas esse reales, non quia sint entia realia, sed quia vere dantur a parte rei eo modo, quo in eodem l. d. 23. q. un. docet dari negationes, & privationes reales, etiam si non sint entia realia; sequuntur Scotistæ quæplures, & ex recentioribus P. Faber 4. Met. d. 4. & Vulpes t. r. p. part. disp. 17. ar. 8. n. 6. & d. 28. art. ult. n. 7. Fuentes q. 2. Log. diff. 2. ar. 4. Thomistæ, ac Neoterici fere omnes, Suarez in Met. l. c. Compl. disp. 2. Log. q. 2. Aversa q. 5. sect. 2. Blanc. disp. 1. sect. 2. Did. c. q. 2. Amic. tr. 3. q. 2. dub. 2. art. 2. Hurt. Ruvius, & alii passim in hoc tract. Sed ut verus hujus conclusionis intellectus habeatur, est advertendum, hic nos non loqui de denominatione formaliter, ut nimirum est ipsamet actualis appellatio, nominalique impositio, sic enim, cum non pertinet ad ordinem rerum, sed nomen (nam res, non ut res sunt, sed ut nominibus significantur, denominari, vel denominare dicuntur) est ens rationis, siquidem est ipsa significatio, vel impositio nominis, & est opus rationis, quia intellectus est, qui imponit nomina rebus; sed loquimur de denominatione quasi pro materiali, & prout spectat ad ordinem rerum, nempe secundum quod forma tribuendo suum effectum formalem subiecto, & aliud respiciendo pro termino, dicitur hoc quidem extrinsece, illud vero intrinsece denominare, & in hoc sensu asserimus, quando forma denominans est realis, denominationem tam intrinsecam, quam extrinsecam, ab ipsa procedentem, esse realem, id est vere dari a parte rei nullo cogitante intellectu, paries enim v. g. dicitur a parte rei albus ab albedine sibi inexistente, & visus a visione existente in animali.

16 Probatur igitur in hoc sensu intellecta Conclusio, quia ens rationis formaliter habet esse præcise per opus intellectus, at denominationes extrinsecæ dantur a parte rei citra quodcumque opus intellectus, sicut vere a parte rei dantur terminationes realium habitudinum, quas res quadam ad alias præferunt, sic enim vere Deus dicitur a parte rei creator per extrinsecam terminationem essentialis dependentiæ, quam habet creatura ad ipsum ex Doctore l. c. & in 3. d. 8. q. un. ad 4. & quol. 12. & paries visus a visione existente in animali. Neque Auctores hanc defendentes sentent. cum Durand. in secundo sensu possunt viam rationis evadere asserentes discrimen inter denominationes provenientes ab actibus intellectus, & alias provenientes ab actibus aliarum potentiarum, & aliis formis extrinsecis. Quamvis enim hujusmodi denominationes possent aliqua peculiari ratione dici denominationes rationis, quia scilicet proveniunt ab actibus rationis, attamen non possunt dici entia rationis, & denominationes rationis in sensu, quo hic sumitur ens rationis, sicut enim non minus actus intellectus, quam aliarum potentiarum vitalium, & cæteræ formæ sunt reales, & realem dicuntur habitudinem ad objectum, ita denominationes ab omnibus provenientes pari modo reales erunt. Et hac ratione neque Auctores eandem sentent. tinentes in tertio sensu possunt rationis robur subterfugere, licet enim per denominationem illam extrinsecam, qua Angelus concipitur, ut Juvenis alatus, exprimitur res aliter, quam sit, attamen in se realis est, & a forma reali desumitur, non minus, quam alie denominationes extrinsecæ, per quas res cognitæ dicuntur, sicut sunt.

Respondet Smifing. c. n. 184. denominationem extrinsecam non esse realem, quia ad realitatem denominationis præter formam denominantem, & rem denominatam, requiritur vera unio formæ denominantis cum re denominata, & ideo cum forma extrinsece denominans non habeat veram unionem cum subiecto denominato, denominatio extrinseca non est realis, sed solum ens rationis consistens

in concomitantia plurium entium instar terminantis, & terminati se habentium, idem habet Joan. de S. Thom. pag. 2. Log. quæst. 2. articul. 1. ait enim, quod licet ratione formæ denominantis possit extrinseca denominatio dici realis, ratione tamen unionis, & applicationis ad rem denominatam est rationis, quia nihil reale in ea ponit.

17 Sed proflus falsum est etiam in extrinseca denominatione non reperiri suo modo unionem realem formæ denominantis cum re denominata; sane Doct. quol. 13. articul. 2. talem relationem unionis, & quidem realem, agnoscit in actibus vitalibus ad objecta, cum quibus unit potentias vitales, quam habitudinem ait sub M. specialiori nomine vocari posse relationem attingentiæ alterius, ut termini, vel tendentiæ in alterum, ut in terminum, in quo nihil reale ponit; sed quod viros istos decipit, est, quod omnem unionem constituunt per modum inhesionis, quod falsum est, quia etiam admitti debet unio per modum adhesionis, ex quo unionis modo oriuntur denominationes extrinsecæ, sicut ex priori intrinseca, & ex vi hujus habitudinis, licet nihil a parte rei dicitur esse in termino, vere tamen aliquid dicitur esse ad terminum; unde si ex hac habitudine aliquid velimus in termino constituere per modum in, necessario erit aliquid rationis, ut bene advertit Didac. l. c. ubi erudite satis discurrens de realitate denominationis extrinsecæ.

Respondent proinde alii concedendo denominationes extrinsecas a parte rei utique de rebus verificari non tamen formaliter, sed tantum fundamentaliter, & sic ajunt esse reales fundamentaliter, sed formaliter esse rationis. At neque hoc bene dicitur, quia sicut oculus per visionem dicitur formaliter videns, ita paries per terminationem visionis dicitur formaliter visus, & sicut res per dependentiam essentialem ad Deum dicuntur formaliter creaturæ, ita Deus per terminationem ejusdem dicitur formaliter creator, & non fundamentaliter solum. Nec refert, quod forma denominans non sit in re denominata; id enim solum infert, quod res per eam formam non denominatur talis formaliter intrinsece, sed tantum extrinsece; bene verum est, quod quia, & visio ad parietem terminata, & dependentia creaturæ ad Deum, sunt fundamenta, vel occasionem fingendi mutuas relationes rationis in Deo ad creaturam, in pariete ad oculum, possunt hac ratione antecederent ad talem fictionem paries dici fundamentaliter relatus ad oculum, & Deus ad creaturam, adhuc tamen debet dici paries formaliter visus, & Deus Creator omnium, quia videri a parte rei non est referri, sed terminare visionem, sicut creare est terminare dependentiam rei creatæ.

18 Sed dices, si paries ante quodcumque opus intellectus est realiter visus non solum fundamentaliter, sed etiam formaliter, & Deus Creator, ergo denominatio extrinseca aliquid reale ponit in re denominata, probatur consequentia, quia idem videtur esse, quod paries sit realiter visus, & quod esse visum est aliquid reale in pariete. Respondetur ex Doctore citat. l. disp. 30. quæst. 2. ad ultim. negando consequentiam, cum enim dicimus, paries est realiter visus, Deus est realiter creator, tunc ly realiter non determinat prædicatum, quasi prædicatum aliquid importer reale inhaerens subiecto, de quo enunciat, sed tantum determinat compositionem, & tunc nihil aliud est (inquit Doct.) quam illud, quod vere est, sicut cum dicimus hæc propositio est realiter falsa, sensus est, quod est vere falsa, & sane hic est apertissimus modus declarandi realitatem denominationum extrinsecarum. Neque illa propositiones æquivalent paries est realiter visus, & esse visum est aliquid reale in pariete, quia per hanc significatur, parietem esse materiam, in qua aliquid reale ponatur ex vi visionis, ubi per illam insinuat solum, quod sit materia, circa quam operatur potentia, seu objectum ejus: ex quo colligitur re vera prius esse, quod res sit extrinsece denominata, posterius vero, quod in re sic denominata aliqua relatio rationis concipiatur.

Demum quando etiam concederetur, denominationes extrinsecas præsertim ex actibus rationis provenientes esse fundamentaliter tantum reales, formaliter vero rationis, adhuc tamen non bene per denominationem extrinsecam cogniti explicaretur formalitas entis rationis in communi; vel enim ista denominatio est ipsa forma constituens ens rationis, & hoc non, cum ista denominatio entiam afferere possit entia realia, cum actu cognoscuntur, nec tamen ob id evadunt entia rationis; vel est id, quod suscipit formalitatem entis rationis, cum nimirum apprehenditur, ut forma intrinsece efficiens objectum, quod cadit sub actu cognitionis, & hoc utique verum est, at non tantum denominatio extrinseca ita efformatur in ens rationis, sed etiam alia non entia, ut negationes, privationes, &c.

19 Et quidem immerito trahitur Doct. in hanc sententiam invitus, aut ut ex diversis locis colligitur, in quibus de ente rationis loquitur, aut secunda intentione, in 1. d. 2. q. 7. Gg. ait, *quicquid intellectus causat sine actione objecti circa objectum præcise, hoc est, virtute propria intellectus, & hoc loquendo de objecto, ut habet esse cognitum in intellectu præcise, & de intellectu, ut considerans est, illud est præcise relatio*

relatio rationis, ergo non eo ipso, quod objectum causatur ab intellectu in esse cognitio per actum realem, causatur in eo ens rationis, sed potius objectum supponitur cognitum, tum virtute sui, tum intellectus, ex his enim duobus causis totalis cognitio integratur, & deinceps intellectus se solo operans circa objectum, ut cognitum, apprehendendo nimirum per actum veluti reflexum illud esse cognitum, ut quid intrinsecum objecto, causat in illo ut cognitio ens rationis. Et in 2. d. r. q. 1. ar. 2. §. *quantum ad hoc*, vers. *de hoc quod dicit* (licet signetur pro extra) inquit, quod *intentione secunda sine actu comparativo nunquam erit, esto fiat per intelligentiam in vero esse suo*, quibus verbis, ut advertit P. Vulpes l. c. n. 4. insinuat Doct. per actum comparativum habere secundas intentiones tantum esse derelictum, & per intelligentiam reflexam suscipere postea verum esse rationis fabricatum, ergo secundum Scotum illa denominatio extrinseca comparata in hoc, & illo objecto derelicta ab intellectu comparante non est verum esse entis rationis, & secunda intentionis, in 3. d. 8. q. un. H. ait, quod *ens rationis non est in aliquo, nisi ut tantum habet esse in intellectu, sicut cognitum in cognoscendo*, at per ipsum actum, quo res aliqua denominatur cognita, non cognoscitur istud esse cognitum, & per consequens nondum est objective in intellectu, usque dum per alium actum cognoscatur, & tunc fiet ens rationis; in 4. d. r. q. 2. ar. 1. sub B. inquit, quod *ens rationis est ens in anima, tanquam secundum consideratum, non tanquam primo consideratum, ad quod considerandum movetur primo anima a se extra, sed tanquam ens in primo considerato, in quantum consideratum*, sane clarius insinuat non poterat, quod objectum reale non suscipit esse rationis formaliter, cum primo consideratur, cum tamen tunc suscipiat denominationem extrinsecam cogniti, sed suscipit illud quando secundo consideratur quasi per actum reflexum apprehendendo illud esse cognitum, veluti quid intrinsecum objecto. Tandem quol. 3. ar. 1. ab initio ait *ens rationis esse illud, quod est præcise habens in intellectu considerante, & haud dubie loquitur de consideratione, qua cogitatur ipsum ens rationis, sed cum primo res cognoscitur, tunc denominatio cogniti non cognoscitur, neque consideratur, quia in illo omnino primo signo se habet ut quo, non ut quod, ergo secundum Scotum denominationes extrinsecæ, ut sic, non sunt entia rationis formaliter, sed novus actus intellectus requiritur, per quem tale esse suscipiunt.*

20 Quando autem Doct. l. d. 36. q. un. §. *Concedo*, illud esse cognitum, quod habent creaturæ ab æterno per actum divini intellectus, vocat ens rationis, notat Fuentes l. c. Scotum revera non vocare ens rationis illud esse diminutum creaturam, sed relationem quandam in ipso fundamentam ad Deum cognoscentem, & inquit, Doctorem ita se explicuisse in §. *Ad secundum*, & ita loquitur in 4. d. r. q. 5. in fine; sed quando etiam loqueretur de illo esse diminuto, & denominationis extrinsecæ, dicendum est cum P. Vulpio Doctorem non appellare illud ens rationis formaliter, sed materialiter tantum, quo sensu illud dicitur ens rationis, quod per actum intellectus potest formaliter ens rationis suscipere; hinc communiter distingui solet, & præsertim in schola subtilium, ens rationis in materiale, & formale, seu ut ipsi loquuntur, in ens rationis a ratione fabricatum, & a ratione derelictum. Ens rationis formale, & fabricatum, seu actuale est, quod habet existentiam ab intellectu sciam; ens vero rationis materiale, derelictum, seu potentiale est illud, cui ab intellectu sic concipiente, vel fingente existentia talis non repugnat; denominationes igitur extrinsecæ secundum se sunt entia rationis materialia, quatenus scilicet possunt concipi ut forma intrinseca in objecto, sunt vero entia rationis formalia, cum ita concipiuntur, & finguntur. Itaque Doct. in hoc sensu appellavit illud esse cognitum creaturarum ens rationis, quatenus scilicet fundare potest per opus intellectus aliquid esse, vel relationem rationis, ut ipse expressit ibidem in fol. ad 2. pr. Nec mirum esse debet, quod Scotus ibi denominationes extrinsecas appeller entia rationis; tum quia interdum solet ipse confundere ens rationis materiale, & formale, ut patet in eod. l. d. 30. q. 2. l. ubi ait Deum fieri dominum per relationem rationis ab intellectu creato in ipso conceptam, vel per terminationem alicujus relationis in creatura, tum quia etiam apud alios Doctores frequens est hic loquendi modus, imo si ens rationis dicitur ad differentiam entis realis, non in tota sua latitudine, sed tantum, ut intrinsece, & subjective convenit rebus, de quibus dicitur, sic omnes denominationes extrinsecæ possunt dici entia rationis.

21 Dicendum 2. ens rationis formaliter neque consistere in aliqua relatione, quæ in rebus resultat ex ipsa denominatione extrinseca, seu ex formis res extrinsece denominantibus, sive per has formas intelligatur solum actus intellectuales, seu quæcumque alia formæ res extrinsece denominante valentes. Conclusio est contra Auctores secundæ sentent. in eo præsertim sensu, quo ab eis defenditur, & manifeste colligitur ex Scoto 4. d. r. q. 2. B. & 3. d. 26. q. un. E. quæ loca infra ponderabimus art. seq. in fol. ad 2. Probatur evidenti ratione, quia vel talis relatio resultat in rebus anse operationem intellectus, vel per solam ejus operatio.

Maffii, & Belluti Tom. I. Logica.

nem; si primum, profecto relatio realis erit, & non rationis, sicut sunt alie omnes relationes, quæ dicuntur resultare in suo subiecto, quando ponitur terminus; si secundum, præterquam quod per actus aliarum potentiarum, & alias formas ens rationis in rebus resultat nequibit, quarendum manet, quænam sit hæc intellectus operatio, per quam fit talis relatio, vel enim est actus ille directus, quo primo attingitur objectum in suo esse reali, vel alius reflexus, quo cogitatur objectum esse cognitum, & esse cognitum apprehendit, ut quid intrinsecum objecto, per quod referatur ad cognitionem, actus prior esse non potest, quia ex vi ipsius in objecto nulla resultat relatio, sed sola denominatio cogniti derelinquitur. Nec dici potest ex eo resultare effectivè, quia sic esset ens reale, nam quod ex vi actus intellectus efficitur, est reale, ut patet de habitu naturali; si vero est actus posterior, bene dicit illa sententia, attamen neque adhuc adæquate assignat, in quo consistat formaliter ens rationis; quia non omne ens rationis est relativum, ut existimasse videntur ex veteribus Scotistis quæplures, & ex modernis Fuentes c. ar. 3. dantur enim etiam entia rationis absoluta, ut infra ostendimus de mente Doct. qui est frequenter ens rationis explicaverit per relationem rationis, non ideo hoc fecit, quia putaverit formaliter, & adæquate illud consistere in relatione rationis, sed quia ut plurimum locutus est, non de ente rationis in sua communitate, sed de illo præcipue, quod dicitur secunda intentio, ut bene advertit P. Faber 4. Met. d. 4. cit. c. 3. & 5. ab initio, quæ utique consistit in relatione rationis, ut postea dicemus.

22 In oppositum objicitur Primo contra primam conclusionem, quia denominatio est opus rationis, ergo non datur ante operationem intellectus, sed est formaliter ens rationis. Tum 2. quia Deus ex tempore dicitur creator, & quidem non per aliquid reale, quod ei de novo adveniat, sed rationis, at sola denominatione extrinseca dicitur creator, ergo &c. Tum 3. quia ea præsertim denominatio extrinseca, qua res denominatur cognita, nullum proflus esse habet, nisi objective in intellectu, & ita pendet in suo esse ab operatione intellectus, ut ipsa cessante penitus evanescat, ergo formaliter est ens rationis, hæc enim conveniunt enti rationis. Tum 4. quia adhuc magis præcipue hoc totum verificatur de illa denominatione, qua res denominatur cognita aliter ac sit; cum enim res ita cognoscitur, profecto nihil aliud habet præter ipsum obiecti, seu cognosci, quod est proprium entis rationis. Tum tandem, quia ens rationis non est, nisi dum cognoscitur, ergo totum esse entis rationis est cognosci, ergo adæquate ens rationis consistit in ipsa denominatione cogniti.

Resp. ad 1. concedendo assumptum, si denominatio sumatur formaliter, & ut pertinet ad ordinem nominum, hoc enim modo etiam denominatio ipsa intrinseca quantum ad impositionem nominis denominativi est opus rationis, ut omnes farentur, sed negatur, si sumatur materialiter, & ut pertinet ad ordinem rerum, quo sensu hic loquimur. Ad 2. patet ex dictis Deum a parte rei dici creatorem a relatione reali creaturarum ad ipsum, & non per aliquam relationem rationis, nisi operante intellectu. Ad 3. dicendum cum Scoto in 4. d. r. q. 1. Q. & r. d. 36. G. quem sequuntur Suarez d. 51. cit. sect. 2. n. 13. Aversa q. 5. sect. 2. in fol. ad 4. Compl. disp. 2. q. 2. n. 13. & alii, illud esse cognitum, quod est denominatio extrinseca, potius formaliter, & subjective esse in intellectu, quam objective, quia ut ait Scot. realiter participat in intellectu illud idem esse, quod habet formaliter ipsa cognitio; realiter enim non est, nisi ipsa cognitio ad objectum terminata, neque est objective, nisi in cognitione reflexa, qua attingitur objectum ut cognitum, & apprehenditur illud esse cognitum, ut quid intrinsecum objecto, unde per ipsum actum, quo res aliqua denominatur cognita, non cognoscitur istud esse cognitum, & per consequens adhuc non est objective in intellectu, sed fit in tali esse per alium actum sequentem, in quo statu utique est ens rationis formaliter, & quamvis denominatio cogniti in objecto pendeat ab actuali opere intellectus, & quidem non in ratione producentis, quo modo pendet ab eo actus ipsius, sed operantis, & considerantis, adhuc tamen non pendet ab eo, nec habet esse ex vi cognitionis, ut habet ens rationis, hoc enim dicitur habere esse ex vi cognitionis, per quam cognoscitur, itaut in tantum sit, & fiat, in quantum cognoscitur, quia totum illius esse est esse in intellectu objective, quod non convenit extrinsecæ denominationi cogniti, nam ex vi cognitionis directæ non est objective in intellectu, sed solum formaliter, & subjective ratione formæ denominantis, quam realiter dicit. Ad 4. cum dicitur totum esse entis rationis consistere in obiecti intellectu, id accipi non debet in sensu formali, quasi illamet passiva attingentiæ, in qua consistit etiam extrinseca denominatio, sit essentialiter ens rationis, talis enim attingentiæ, etiam cum res concipitur aliter, ac sit, vere datur a parte rei; sed potius in sensu causali, ut bene explicat Complut. cit. quatenus sic obiecti, & attingi esse causali, vel occasio essendi enti rationis; nam ex eo, quod res attingitur aliter ac sit, resultat quoddam esse fictum, quod habet rationem obiecti, & termini, & hoc est formaliter ens rationis. Ad quantum patet per idem, ens rationis non esse

denominationem ab ipso actu cognitionis etiam intellectus fingentis provenientem, quia talis denominatio entis rationis applicata realis est, sed esse id, cui convenit talis denominatio, nempe id quod cognoscitur, & cognoscendum fingitur ab intellectu. quare cum dicitur totum esse entis rationis est cognosci, sensus est, quod est illud, quod cognosci solum potest, at realiter esse non potest, non vero, quod sit ipsa denominatio cogniti, quia hæc etiam applicata entis rationis realis est, sicut a parte rei verum est ens rationis ab intellectu concipi.

23 Secundo contra secundam conclusionem, quod relatio rationis refertur ad directam objectum attingentiam absque alia quasi reflexa, nam posito tali actu statim resultat in objecto formalis denominatio rationis, quæ plane provenire non potest, nisi ab ipsa forma, & relatione rationis, quæ in objecto resultat ex sola terminatione actus directi. Prob. assumptum, quia Urbano v. g. convenit formaliter esse Pontificem ex solo actu electionis per Cardinales facta, absque alia fictione, & id passim cernitur in moralibus.

Resp. Joan. de S. Th. q. 2. ar. 4. in relationibus rationis fieri posse formalem denominationem, etiam antequam actu resultent, solum per hoc, quod ponatur fundamentum fictionis earum, quod est actus ille directus, & ratione potentia denominativa, & inquit hoc esse peculiare in relationibus rationis, quæ doctrina fuit Fonseca c. q. 1. quia ajebar relationes rationis in moralibus resultare in objectis ex ipsa terminatione actus directi, non quidem quoad existentiam objectivam, sed subjectivam, id est quoad convenientiam respectu subjecti, vel potius denominant, antequam existant. Sed hæc doctrina prorsus falsa est, quia forma non potest convenire subjecto, nisi existat existentia sibi proportionata, & implicat subjectum denominari ab aliqua forma formaliter, ac intrinsece (nam de tali denominatione loquuntur hi Auctores) quæ nec in ipso, nec in rerum natura existit, cum talis denominatio non fiat, nisi per communicationem formæ subjecto denominato; potius ergo dicendum denominationes in argumentum relatas non esse intrinsecas, sed extrinsecas desumptas ab actibus intellectus, vel voluntatis humanæ actu existentibus, vel saltem moraliter permanentibus in hominum memoria, & talia passim sunt entia moralia; unde negatur esse ut sic denominationes entis rationis; quatenus vero denominantur intrinsece a relatione, ita sunt denominationes rationis, sed non sine cognitione, qua concipiatur ad modum veræ relationis.

ARTICULUS II.

Statuitur, & declaratur Formalitas entis rationis.

24 **M**ulta sunt, quæ in efformando ente rationis interveniunt, quod in causa est, ut ejus natura reddatur difficilis cogniti, nec facile sit discernere quamquam spectent ad formalitatem entis rationis, & qua materialiter tantum ad illam se habeant, plerique namque unum cum altero confundunt, & miscent, per singula igitur discernere juvabit, ut inde puram, & sinceram entis rationis formalitatem colligere valeamus excludendo, quæ prorsus materialiter, & concomitantur ad eam pertinent.

Primo igitur statuendum est ens rationis formaliter sumptum omnino distinguendum ab ente reali sumpto tam pro reali existente, quam pro possibili; probatur tum auctoritate Ari. qui 5. Met. tex. 14. & 6. Met. in fine ens in anima, quod est ens rationis, omnino contradistinguitur ab ente vero, & ratio; tum Scot. qui 1. d. 36. q. un. F. docet ens in anima esse omnino aliud ab ente extra animam, & ens extra animam, ut contradistinguitur ab ente in anima, comprehendere sub se tam ens verbaliter, quod scilicet actus existit, quam ens nominaliter, quod scilicet non existit, bene tamen existere potest, quod iterum docet quol. 3. ab initio, cum ait ens rationis illud esse, quod nec est, nec esse potest extra animam; tum ex communi conceptu, omnes enim communiter concipiunt ens rationis, ut quid distinctum ab ente reali; tum ratione, quia entis rationis nec convenit, nec convenire potest, nisi existentia tantum objectiva, ergo distinguatur ab ente reali tam existente, quam possibili; tum tandem quia quod possibile est in re, licet actu putetur esse, cum actu non sit, ut mons aureus, non est ens rationis, sed vere ens reale, quia ad rationem essentialem entis realis per accidens est actu existere, sed ejus essentia salvatur in hoc, quod sit aptum existere, ut fuse probat Doctor l. c. unde abstrahendo ab omni existentia verum est dicere, quod homo est ens reale, cum ergo ens rationis entis reali opponatur, profecto ab omni eo distinguendum debet, sive existenti, sive possibili, ita quod omnis prorsus ab eo excludatur realitas tam actualis, quam possibilis. Ex quo patet falsum esse, quod ajebar Hurt. & Arriaga supra cit. ad efformandum ens rationis non requiri, ut objectum actus sit impossibile, sed sufficere, ut objectum actu non sit, sicut representatur, etiam si alias sit possibile.

25 Sed Instabis cum eodem, hæc propositio *Petrus currit*, ipso dormiente, aut sedente quid fictum est, & ens.

rationis habens totum suum esse objective in intellectu, & tamen non est impossibile Petrum currere, ergo &c. Resp. negando assumptum, quia ens rationis sic objective tantum in intellectu existit, ut extra illum nec actu existat, neque existere possit, alioquin rosa in hyeme concepta ens rationis esset, quia actu non extat in rerum natura; Vel si concedatur assumptum, dicendum est, ibi poni impossibile, non simpliciter, sed ex suppositione, dum enim Petro dormiente, vel sedente enunciatur Petrus currere, factæ hoc est impossibile in sensu (ut ajunt) composito, quod scilicet currat pro eo tempore, quo non currit, ut notat Fuentes cit. ar. 2. n. 5. Distinctio autem illa, quam affert Arriaga n. 23. ad sedendam hanc litem de duplici ente rationis, uno chymico, & impossibili, & altero possibili, prorsus yana est, quia possibilitas destruit essentiam entis rationis.

Secundo statuendum est ens rationis formaliter sumptum distinguendum etiam a puro nihilo; probatur, quia purum nihil, ut sic, dicit puram negationem cuiuscumque entis sive in re, sive in apprehensione, ut enim diximus q. præc. in sol. ad 1. ad 5. conf. purum nihil dicitur, quod nec habet, nec habere potest ullam existentiam sive realem, sive objectivam, quia si habere posset secundum se existentiam aliquam, jam non esset purum nihil, sed admixtum cum entitate, cum ergo ens rationis existentiam habeat objectivam, & sit ens licet a ratione factum, ut docet Scot. qu. 4. univ. ubi determinat universale esse ens, utique ponendum est a puro nihilo distinctum. Tum quia purum nihil vel duplicem continet negationem, scilicet entis realis, & entis objectivi, vel potius unam negationem totius entis adæquate, & in sua maxima amplitudine, si hoc secundum dicitur, palam est ens rationis non esse purum nihil, sed contineri sub ente in illa amplitudine; si primum dicatur, adhuc idem sequitur, non enim est negatio entis objectivi, cum sit ipsum ens objectivum, nec negatio negatio entis realis, quia tales negationes, & privationes sunt reales; & dantur ante quodcumque opus intellectus, ut infra ex Doctore 1. d. 23. q. un. demonstrabitur, qua ratione Smising. cit. n. 180. ait ens rationis non habere ullum prorsus esse extra intellectum, nec positivum, sicut entia realia, nec negativum, ut privationes, & negationes. Tum etiam quia ens rationis formaliter habet conceptum positivum, ut Doctor indicat 4. d. 16. q. 2. ad 1. in oppositum, esse scilicet objectivum ad instar veri entis, vel saltem multa sunt entia rationis, quæ in formali conceptu intrinseco non dicunt negationem entis, sed potius ens positivum, ut est relatio Dei ad creaturas, generis ad species, & similes, quæ exigunt concipi, tanquam respectus positivi ad aliud. Tum tandem quia hæc ratione dicebamus supra quæst. præc. loc. citato ens rationis esse medium inter ens reale, & purum nihil.

Sed urges, cum ens rationis non sit ens reale, necessario continebitur sub membro opposito, id est sub non ente reali, quia inter duo contradictoria non datur medium, sed non ens reale formaliter idem est, ac purum nihil, quia purum nihil dicitur id, quod est sine admixtione cuiusvis realitatis, ergo &c. Resp. negando minorem, quia purum nihil non solum dicit negationem realitatis, sed etiam existentia objectivæ, concedimus ergo ens rationis non esse ens reale, sed inde non sequitur esse purum nihil, quia est ens mentale, & objectivum.

26 Tertio investigandum est, per quid formaliter, & intrinsece distinguatur ens rationis ab ente reali, & a puro nihilo, inter quæ medium constituitur, hoc enim erit ratio formalis ipsius; & quidem per quid distinguatur a puro nihilo non est difficile assignare, nam ab eo feceruntur per entitatem suam objectivam, quam acquirit intellectus ministerio, ideo enim extra sphaeram puri nihil constituitur, quia habet esse saltem in apprehensione. Sed an solum per hanc eandem objectivam entitatem ens rationis distinguatur ab ente reali, num vero etiam per negationem entis realis, ita quod ista nihilitas inter rationem formalem entis rationis, per quam a reali feceruntur, non est ita facile resolvere, nam ex una parte ita videtur asserendum, quia ens rationis secundum se non est ens reale, ergo talem negationem quidditative includit, & per eam intrinsece ab ente reali distinguatur; sed ex alia parte id minime asserendum videtur, cum enim ens rationis in suo conceptu dicat entitatem objectivam, quæ habet modum positivi, si rursus includit talem negationem, tunc conceptus entis rationis utique per se unus ex positivo, & negativo conflatus esset, quod est inconveniens.

27 Quamobrem dicendum est, ens rationis non includere in sua formalitate illam negationem, sed solum positivum illud, quod actualiter fingitur ab intellectu, illud vero negativum, scilicet non ens reale, præcedit formalitatem entis rationis, ut materiale, & substratum, cui talis formalitas attribuitur, cum concipiatur ad modum veri entis: ex quo sequitur formaliter, & primario ens rationis ab ente reali distinguatur per suam entitatem objectivam, non vero per illam negationem; Hoc asserunt probatur, tum quia ens rationis formaliter, & explicitè dicitur ens, esto a ratione fabricatum, & licet non sit ens reale, illam tamen negationem non dicit formaliter, & explicitè, sed

sed implicite, & concomitantur ad summum seu consequenter; sicut e contra ens reale dicit negationem entis rationis, & tamen certum est non constitui formaliter per talem negationem, sed potius per rationem formalem realitatis, unde sequitur illa negatio, per quod solvitur ratio dubitandi allata in oppositum. Tum quia talis nihilitas realis est, & suo modo datur a parte rei, ergo nequit formalitatem entis rationis constituere, quæ omnino habet esse per intellectum. Tum etiam quia fieri potest ens rationis, etiam si talis nihilitas non concipiatur, ergo ad ejus formalitatem non spectat, sed prorsus materialiter se habet; probatur assumptum, quia experientia docet fieri plerumque entia rationis nihil cogitando an possint esse, vel non esse a parte rei, ut patet, dum concipimus Deum referri ad creaturas, objectum ad cognitionem, nam ad formationem entis rationis sufficit cogitare esse ens, quod vera non est, licet id non cogitetur; Imo adhuc efficaciter ens rationis, etiam si intellectus putaret vere esse ens, cum tale non sit, formatur enim ens rationis eo ipso, quod non ens obijcitur intellectui ut ens, sive intellectus sciat re vera illud non esse, sive nesciat, hoc solum interest, quod si id sciat intellectus, fingit solum, at non decipitur; si nesciat, fingit simul atque decipitur.

28 Quarto statuendum est illud esse imaginarium, quod sibi proprium vindicant ens rationis, necessario pendere ab ea imaginatione, qua concipiatur per modum veri entis: quæ doctrina præterquam quod est communis omnibus Recentioribus, recipitur etiam a Neotericis Scotistis Fuent. citat. ar. 2. & 3. ubi ait ens rationis esse impossibile apprehensum per modum possibili, & existentis, Vulpio disp. 28. citat. art. ult. num. 4. ubi ait ens rationis formale illud esse, quod actu ad modum veri entis concipitur, Fabro 4. Met. disp. 4. cit. cap. 4. ab initio, ubi ait ens rationis fieri per fictionem aliquis rei, quam ad modum entis realis percipit intellectus, licet revera non sit ens reale, ac proinde subdit in hac materia de ente rationis nullam, quantum ad rem spectat, vertere discrepantiam inter Scotum, & D. Thom. imo etiam ex parte recipitur a Meurisse, & Smising. loc. citat. initio quæst. ubi proinde n. 177. hunc dicendi modum inquit esse probabilem in sententia Doctoris; & hæc opinio non est nova, sed vetustissima, quam multi antiquitus tenuerunt apud Mayron. in quodlib. quæst. 6. & credimus fuisse omnium fere veterum Scotistarum, ipsi namque juxta doctrinam traditam a Scoto de relatione reali, & rationis 1. disp. 29. quæst. univ. tenuerunt ens communissime sumptum esse æquivocum ad ens reale, & rationis, non tamen pure æquivocum; sed æquivocum analogum, ut est videre apud Magister. Formalit. art. 1. unde Meurisse l. 1. suæ Met. qu. 2. concl. 3. ait hanc esse communem in nostra schola, at hæc analogia fundari nequit, nisi in aliquo ordine attributionis inter ens reale, & rationis, talis autem ordo non videtur esse, nisi imitabilitatis objectivæ, quæ consistit in cognoscibilitate unius ad similitudinem alterius. Potest etiam dici, quod hæc sit analogia proportionis cum Vallon. artic. 1. Formal. & Meurisse citat. nam quod non potest comparari ad verum ens secundum aliquam habitudinem, vel proportionem, non potest appellari ens, ut patet inductione in aliis æquivocis analogis, quia sanum, quod principialiter, & per se dicitur de animali, non dicitur de urina, & dieta, nisi ob aliquam proportionem, & habitudinem, quam habent ad sanitatem animalis, & ride re dicitur de prato florente ob proportionem, quam habet pratum florens ad hominem hilarem, cum igitur ens reale sit objectum intellectus principalem, & attributionis, ens rationis profecto postulabit concipi ad modum entis realis, quia suum esse habet ex habitudine, & proportionem ad ens reale, & quia in analogis æquivocis ordo, & habitu ad principalem analogatum est ratio formalis, cur cæteris conveniat ratio analogata, ut ordo ad sanitatem animalis est, quo formaliter urina dicitur sana, ut dictum est disp. præc. quæst. 5. ex Scoto 4. disp. 12. quæst. 1. infra H. ideo ad rationem formalem entis rationis non tantum spectat, quod sit objective in intellectu, sed etiam quod ibi sit ad instar veri entis, nam ratione istius habitudinis præcise participat extrinsece, & æquivocè esse, imo id forte intellexerunt præci Scotistæ, cum absolute dixerunt quodcumque ens rationis fieri actu collativo, quia nimirum intercedit aliquis comparatio, qua concipitur ad instar entis realis, ut infra quæst. 4. artic. 2.

29 Et sane hæc etiam fuit perpetua Doctoris sententia, quam postea Recentiores amplexi sunt, nam loc. cit. 1. disp. 29. docet relationi reali, & rationis nihil esse commune univocum, quia ei, quod est secundum quid tale, & ei, quod est simpliciter tale, inquantum tale, non est commune univocum illud, quod accipitur in eis secundum quid, & simpliciter, relatio autem realis est simpliciter relatio, & relatio rationis est secundum quid relatio, quia sicut esse in ratione est esse secundum quid, ita referri secundum rationem, sive comparari a ratione esse referri, vel comparari secundum quid; ita arguit Doctor loc. cit. ex quo colligitur Doctorem velle ens rationis dici ens secundum quid, & omnino per analogiam ad ens reale, at

Meurisse, & Bellui Tom. I. Logica.

30 Quinto tandem ex iis colligitur ens rationis esse illud, quod obijcitur, vel potest obijci intellectui, ac si esset, cum tamen nec existat in verum natura, nec existere possit; unde sequitur totum esse illius esse objectivum, mentale, & fictum, & quia ab intellectu nostro veris entibus assueti fingitur ad instar veri entis, ideo ens rationis dicitur umbra entis realis, & ejus entitas umbrata, quia participat analogice æquivocè rationem entis realis, & quidem semel admisso ens rationis non consistere in aliqua denominatione extrinseca, necessario est asserendum esse aliquod esse fictum resultans in rebus ex operatione intellectus; & plane omnes relationes rationis, & præsertim secundæ intentiones logicæ, si non dicunt solas denominationes extrinsecas, quibus res dicuntur cognitæ, alio modo explicari nequeunt, nisi per istud esse fictum, & umbratum resultans in rebus, ut cognitis, & eas quasi intrinsece denominans. Et per hoc esse explicatur tum essentia, tum existentia entis rationis, nam in illo esse ficto consistit & quidditas, & actualitas ejus cum hoc solo discrimine, quod quatenus actu est, dicitur esse existentia, quatenus vero considerari potest ut possibile, abstrahendo ab actualitate essendi, dicitur esse essentia, unde consulo diximus ens rationis esse illud, quod obijcitur, vel obijci potest intellectui, ac si esset, quod significavit Mayron. quol. 6. ab initio, ubi quadruplicem entis rationis assignans, acceptionem inquit ultimam, quæ est entis rationis modo declarati, esse propriam.

quæ ideo patet concipi per modum veri entis, sicut homo pictus concipitur per modum veri hominis. Accedit, Doctorem ubique docere relationes rationis tunc fabricari, quando per intellectus aut alterius potentia collativa operationem duo aliqua referuntur inter se, vel unum ad alterum, quæ a parte rei non referuntur, nec sunt nata referri, ac ita præsertim docet 1. d. 45. qu. un. C. & quol. 17. C. & 3. d. 26. qu. un. E. sed intellectum referre ad invicem aliqua duo, quæ non sunt nata referri, aliud sane non est, quam concipere non relata inter se, ac si relata essent, & illa omnino concipere ad modum relatorum, ergo universaliter in ejus sententia tunc ens rationis formaliter fit, cum id, quod non est, nec esse potest, concipitur, ac si esset, & per modum entis existentis, sive absoluti, sive respectivi. Rursus cum in 1. disp. 13. quæst. 13. quæst. univ. §. *Aliter dicitur*, verè *contra istud*, & 4. d. 1. qu. 2. & quol. 3. art. 1. & locis omnibus citat. art. præc. inquit ens rationis non habere esse, nisi inquantum cognitum, & consideratum, proculdubio loquitur de ea cognitione, qua per modum entis concipitur, intellectus enim nihil, nisi per modum entis concipere valer, qua ratione quæst. 4. univ. asserit universaliter esse ens, quia sub ratione non entis (ait Doctor) nihil intelligitur, & 5. Met. quæst. 2. ab initio ait, quod non haberet intellectus, unde conciperet relationem rationis, nisi apprehendisset, & in aliquo relationem realem. Et hac ratione ait Arist. 4. Met. ab initio non ens esse dicimus, quia nil intelligitur sub ratione non entis.

Et tandem hic dicendi modus probatur manifesta ratione, quia ens reale, vel est objectum adæquatum, vel saltem primarium intellectus, ut omnes concedunt cum Doctore 1. d. 3. q. 3. ergo ens rationis non potest intelligi, nisi quatenus concipitur, ubi ait ens rationis non potest intelligi, quia objectum potentia secundarium debet aliquo modo participare rationem formalem primi objecti, at ens rationis non potest participare formaliter, & intrinsece entitatem realem, ergo debet participare secundum aliquam similitudinem, & proportionem.

31 **I**n contrarium arguunt Primo Didac. & Smising. cir. I ens rationis fit, & concipitur non solum fingendo illud per modum veritatis, & concipiendo aliter, quid sit, sed etiam concipiendo illud per modum entis rationis, & sicut est, & ita contingit, quando consideratur secundum suam quidditatem, & ibi essentialia, quod enim tunc concipitur, utique ens rationis est, & non reale; imo ita de facto divinus intellectus concipit, & efficit entia rationis. Confirmatur, quia si in cognitione, & formatione entis rationis opus esset illud concipere aliter, ac sit, id est per modum veri entis, plane semper intellectus falleretur, & nunquam cognosci posset, sicut est, ergo &c.

Resp. duplicem esse cognitionem entis rationis, unam directam, alteram quasi reflexam, ut Doctor indicat 2. d. 1. quæst. 1. art. 2. (licet in quibusdam voluminibus signetur pro extra) & adhuc clarius in eodem 2. d. 1. qu. 5. B. prima est, qua fingimus ens rationis, concipiendo quod non est, ac si esset; secunda, qua concipitur ens rationis, sicut vere est, & cognoscimus rem esse cognitam aliter ac sit, unde Scotus 5. Met. q. 2. ab initio ut notat ibi P. Cavellus Schol. 1. quem etiam cit. 4. d. 16. q. 2. n. 7. §. *Contra conclusionem*, docet ens rationis fieri per cognitionem directam, non reflexam, nam per hanc potius recogitur factum, & ut ait Doctor, in hac secunda cognitione habet præcise rationem objecti, non effectus; hinc est, quod prima cognitio vocatur practica, quatenus non tantum est expressiva,

Objectiones enodantur.

32 **I**n contrarium arguunt Primo Didac. & Smising. cir. I ens rationis fit, & concipitur non solum fingendo illud per modum veritatis, & concipiendo aliter, quid sit, sed etiam concipiendo illud per modum entis rationis, & sicut est, & ita contingit, quando consideratur secundum suam quidditatem, & ibi essentialia, quod enim tunc concipitur, utique ens rationis est, & non reale; imo ita de facto divinus intellectus concipit, & efficit entia rationis. Confirmatur, quia si in cognitione, & formatione entis rationis opus esset illud concipere aliter, ac sit, id est per modum veri entis, plane semper intellectus falleretur, & nunquam cognosci posset, sicut est, ergo &c.

Resp. duplicem esse cognitionem entis rationis, unam directam, alteram quasi reflexam, ut Doctor indicat 2. d. 1. quæst. 1. art. 2. (licet in quibusdam voluminibus signetur pro extra) & adhuc clarius in eodem 2. d. 1. qu. 5. B. prima est, qua fingimus ens rationis, concipiendo quod non est, ac si esset; secunda, qua concipitur ens rationis, sicut vere est, & cognoscimus rem esse cognitam aliter ac sit, unde Scotus 5. Met. q. 2. ab initio ut notat ibi P. Cavellus Schol. 1. quem etiam cit. 4. d. 16. q. 2. n. 7. §. *Contra conclusionem*, docet ens rationis fieri per cognitionem directam, non reflexam, nam per hanc potius recogitur factum, & ut ait Doctor, in hac secunda cognitione habet præcise rationem objecti, non effectus; hinc est, quod prima cognitio vocatur practica, quatenus non tantum est expressiva,

sed etiam factiva entis rationis, & in hoc sensu posse dici practicum docuit Scotus 6. Met. qu. 1. ad 1. argum. quia per eam practice, & in actu exercitio versatur intellectus circa ens rationis fingendo, quod non est, ac si esset; secunda vero dicitur speculativa, quia per eam veluti in actu signato consideratur objectum illud factum per priorem cognitionem, atque ideo ab aliis dicitur contemplativa, quæ distinctio in hac materia de ente rationis est valde notanda, & ab omnibus Recentiorum passim recipitur, ut est videre apud Averr. qu. 5. Logic. sect. 5. concl. 3. & Blanc. disp. cit. sect. 5. & alios, etsi de more Scotorum non memoret, potest igitur (ut argumentum solvamus) ens rationis utroque modo cognosci, in prima cognitione attingitur aliter, ac si quia per modum entis realis concipitur, cum tale non sit; in secunda concipitur ut est, quia attingitur ut ens rationis, & factum per primam cognitionem recipit esse, at per secundam non recipit esse, sed supponitur ei, ut unum de genere intelligibilem, ut loquitur Doctor cit. 2. dist. 1. quæst. 5. P. & hoc modo ens rationis cognoscitur a Deo, ut postea dicemus, nec tamen efficitur ab eo. Ad Conf. patet per idem, quia ens rationis cognosci potest sicut est, cognitione reflexa; advertendum tamen est, neque intellectum proprie falli, quando per directum ens rationis efformat, non enim tunc iudicat ens rationis esse ens reale, quia hoc ad secundam spectat operationem, in qua proprie falsitas reperitur, sed dumtaxat simpliciter apprehensione illud ad modum entis realis percipit, sicut quodam rem spirituales ad instar corporeas apprehendimus, tunc proprie non fallimur, quia tunc non iudicamus rem spirituales esse corporeas, de quo fufius infra qu. 5.

32 Secundo arguit Meurisse, quamvis talis modus faciendi per conceptionem, scilicet, ad modum veri entis, potest convenire entibus pure fictis, ac etiam fictis cum fundamento, relationibus tamen rationis neutiquam convenire potest, quæ per meram resultantiam sunt in objectis cognitis, & comparatis, absque eo quod intellectus eas concipiat ad instar realium relationum, formata enim hæc propositione *Petrus est homo*, resultat in illis extremis relatio prædicari, & subiecti, absque eo quod intellectus reflectatur super illa extrema cognita, & apprehendat rationem subiecti, & prædicati per modum entis. Confirmat ex Doctore 4. dist. 1. quæst. 2. ubi dicit relationem rationis nihil aliud esse quam comparationem passivam, qua objectum aliquod consideratur comparatur ad aliud per actum intellectus comparantis, & in 1. dist. 35. ait in eodem instanti, in quo divinus intellectus producit lapidem in esse cogito, resultat relationem rationis in lapide ad divinum intellectum, idem habet 4. dist. 1. quæst. 5. in fine, & dist. 16. quæst. 2. E. & alibi sæpe, ergo ad relationes saltem rationis efficiendas non est opus actione intellectus, qua eas concipiat ad modum relationum realium.

Resp. satis patere ex dictis art. præced. concl. 2. non resultat statim relationem cogniti, & voliti in objecto absque illa fisione intellectus, quia hoc interest inter relationem realem, & rationis, quod illa postis extremis statim datur, quia insurgit ex natura illorum, ut sæpe docet Doctor 5. Met. quæst. 11. loc. cit. & 1. dist. 31. qu. 1. & quol. 6. & alibi, sed relatio rationis ultra extrema indiget operatione intellectus, qua efficiatur, nimirum cogitatione intellectus, ante quam operationem esse cognitum, & yltimum meras denominationes reales important in objectis; & cum Doctor loc. citat. indicat ex illis denominationibus resultat relationes rationis in objectis denominatis, id intelligendum est per aliquam operationem intellectus, & non ex natura rei, quam licet Doctor non exprimat, eam tamen supponere non est dubitandum, quod magis infra constabit agendo de ente rationis relativo; Et plane falsum est Doctorem citat. in 4. disp. 1. qu. 2. velle relationem rationis esse meram denominationem extrinsecam passivæ comparationis derelictam in objectis comparatis ex simplici actu intellectus comparantis, aut relationem ex illis sic comparatis immediate resultantem absque novo actu intellectus accedente, ut intelligit Meurisse cum Valon. pag. apud nos 43. imo ibi directe docet fieri relationem rationis, quando illa objecta primo considerata, & comparata per unum actum, deinde per alium actum sequentem secundo considerantur apprehendendo comparationem passivam illorum, veluti quandam relationem inter ipsa interjacentem, & ideo, inquit, ens rationis esse *ens in anima, tanquam secundo consideratum, non tanquam primo consideratum*. Et quando alibi Doctor insinuat videtur relationem rationis produci per actum comparativum, quo duo objecta comparantur, sic debet intelligi, ut bene exponit Burgius in 1. dist. 23. quæst. un. pro qua expositione citat quoque Lichet 2. dist. 1. quæst. 1. quod non potest produci, nisi præsupposito actu comparativo, quo habito intellectus novo actu producit intentionem in re cognita, & non producit eam ipso actu comparativo, ita Burgius, quod etiam expressis verbis docuit Doct. 3. dist. 26. quæst. 26. qu. un. E. dum ait, *quod omnis potentia collativa potest objectum suum comparare ad aliud, & in eo sic comparato causare respectum rationis, qui non inest, ex natura rei, sed ex potentia*, ergo alium actum sequentem ponit Doctor, per quem resultat relatio rationis.

33 Sed urges, oppositum manifeste indicari a Doctore loc. cit. supra in sol. ad primum; nam 5. Met. quæst. 11. ab initio ait, *falsum est quod actu reflexo intelligendi sit relatio rationis, sit enim primo actu, scilicet directo intellectus comparantis hoc ad illud, quando autem reflectit intelligendo comparationem illam, ut objectum, tunc non causatur relatio rationis, sed consideratur, ergo per primum omnino actum, quo objecta comparantur, statim immediate resultat relatio rationis absque novo actu, idem habet 2. dist. 1. quæst. 5. B. ait enim, *relatio rationis est modus objecti in primo actu intellectus, & tamen non est in se nihil in genere intelligibilem, sed est in se aliquid vere intelligibile, & ita non intelligitur, nisi in actu reflexo*, vult ergo, quod in primo actu fiat, & in secundo tantum intelligatur, ut facta.*

Resp. ad tollendam æquivocationem actus directi, & reflexi, quæ hæc ingerit difficultatem, & Doctorem reddit obscurum, hic distinguendi sunt tres actus, primus est, quo duo objecta realia comparantur ad invicem, ex quo in ipsis aliud non resultat, quam sola extrinseca denominatio passivæ comparationis; secundus, quo intellectus concipit talem comparationem passivam in objectis per modum iustam relationis; tertius tandem, quo relationem ita confictam in objectis intelligit, sicut est, hoc est, esse relationem confictam, & rationis; primus actus est omnino directus, sicut e contra tertius est omnino reflexus; secundus vero potest dici quodammodo reflexus respectu primi, & directus respectu tertii, qua de causa interdum dicitur directus, interdum reflexus, sed certe cum sit prima cognitio, quam directe habemus de ente rationis, in ordine ad ens rationis absolute dici debet actus directus, cum ergo Doctor loc. citat. inquit ens rationis fieri cognitione directa non reflexa, quia in ista habet tantum rationem objecti, non effectus, non loquitur de primo omnino actu, quia per illum attingitur solum ens reale, & nullo modo ens rationis, sed de secundo actu, quo primo, & directe attingitur ens rationis, quia per ipsum accipit esse, & intelligitur, & ideo respectu eius habet rationem tum objecti, tum effectus, ubi in tertio actu, qui vere est reflexus in ordine ad ens rationis, habet præcise rationem objecti, qua de causa supra dicebamus in sol. ad 1. priorem cognitionem entis rationis, quæ sequitur immediate ad cognitionem entis realis, esse practicam, & factivam, posteriori vero esse mere speculativam, & contemplativam.

34 Tertio si ens rationis est id, quod concipitur ad modum veri entis, ergo non fit fingendo aliquam formam, quæ secundum se totam sit mere objectiva, & apparet, sed potius per falsam applicationem unius entitatis realis cum altera impossibilis, unde entitas objecta intellectui erit secundum essentiam realis, & solum secundum existentiam objectivam rationis, quatenus per intellectum est applicata subiecto, cui non est applicabilis; probatur consequentia, quia iuxta hanc sententiam, quando intellectus concipit Deum, ut relatum ad creaturas, concipit ibi relationem realem solitam a se concipi inter causam creatam, & effectum, sed dicitur esse rationis, quia applicatur Deo, cui est inapplicabilis; quando concipit spiritum ad modum corporis, vere ibi concipitur substantia extensa, sed dicitur esse rationis, quia applicatur subiecto impossibili; quando concipit hircoceryum, concipit veram unionem, quæ inter res vere unibiles reperiri solet, inter naturas hirci, & cervi, quæ tamen quia unibiles non sunt ad constituendum per se unum, ideo unio inter illas concepta dicitur rationis.

35 Resp. sententiam illam, quod ens rationis consistat in falsa applicatione unius entitatis realis cum alia impossibili, quam indicavit Mayr. quodlib. 7. punct. 7. quamvis modo paucos habeat affectas, esse tamen satis probabilem, ut testatur Amic. tract. 3. quæst. 2. dub. 5. concl. 6. & nos insinuavimus disp. 7. Physic. quæst. 8. art. 2. Imo fatemur ita intelligi posse, & explicari communem sententiam veterum Scottiarum, cum ajunt entia rationis fieri solum a potentia collativa, & non nisi actu collativo, cum enim quæcunque talis potentia comparando unum objectum ad aliud jungit non unibilia, efficit ens rationis, & quidem ita de facto interpretari videtur Fuentes cit. q. 2. dist. 1. art. 3. communem Scottiarum, quæ forte in alio sensu defendi nequit, ut sit universaliter vera; unde si nostra sententia ita interpretaretur, adhuc sustineri posset. Verum quia non omnia entia rationis sunt per apprehensionem plurium partium cum unione earum, ut constat de multis, quæ concipiuntur ad modum per se subsistentium, & non alteri inhærentium, & cogitur hæc sententia asserere omnia entia rationis fieri per copulam, non autem per prædicata, & subiecta, quod tamen falsum est, quia sæpe ex parte prædicati actu correspondet aliquid factum, non secus ac ex parte unionis, ut cum dicimus *animal est genus*, nam prædicatum ita est forma facta, sicut copula; & demum quia hæc sententia non salvat ens rationis, nisi in concreto, quatenus entitas realis ab intellectu applicatur huic, vel illi subiecto impossibili, in abstracto autem cogitur concedere ens rationis omnino dicere formam realem, & adhuc ipsa quoque tenetur dicere applicationem illam objectivam, sive distinguantur ab unione, sive non, esse omnino ens rationis absque alia rursus falsa applicatione, ut diximus quæst. 1. ideo præstat alio modo nostram interpretari sententiam; unde ad arg. neganda est consequentia, quia re vera valde nostra sententia differt ab illa, ut constat ex loc. proxime cit. alium enim est in formatione entis rationis concipere ens reale falso alteri applicatum, aliud vero concipere, quod non est ens reale ad similitudinem entis realis, ut nostra asserit opinio, quia primum fieri nequit sine actuali conceptione entis realis, ad secundum vero non est necessaria, sed sufficit, quod supponatur cognitio illius entitatis realis, ad cuius similitudinem ipsum ens rationis efformatur, & si interdum in efformando ente rationis accidit ens reale actu cognosci, non tunc intervenit, ut objectum cognitionis, quo formatur ens rationis, sed ut terminus similitudinis, secundum quam effingitur; & sic quando in Deo concipiuntur relationem ad creaturas, hæc relatio a nobis concepta est tota apparet, & objectiva, & solum realis est relatio illa, ad cuius finem effingitur, & sic dicendum de aliis exemplis in argumento relatis, vide quæ diximus quæst. 1. probando primam partem conclusionis.

36 Quarto si ens rationis concipi deberet ad similitudinem entis realis, sequitur concipi non posse sine ente reali, quod est terminus talis similitudinis, at hoc est contra experientiam. Deinde similitudo, cum sit relatio equiparantis secundi modi 5. Met. text. 20. requirit in extremis rationes fundandi ejusdem rationis, sed falsi ratio fundandi in ente rationis reperiri non potest. Demum entitas facta quam præfert ens rationis est formaliter impossibilis, ergo non potest habere similitudinem cum ente realiter possibili, quia opposita non habent similitudinem adinvicem, sed dissimilitudinem.

Resp. similitudinem entis rationis cum reali non esse univocationis, seu communicationis, qualis est albi ad album, sed proportionis, & imitationis tum in existentia, tum in modo existendi, quia sicut ens reale existit a parte rei, ita ens rationis existit objective in intellectu, & sicut dupliciter potest ens reale extare in rerum natura, aut per se stans, aut in alio, ita ens rationis potest concipi dupliciter, habere existentiam, scilicet, per modum per se stans, & per modum inhærentis, ad hoc autem non est necessaria pro illo tunc cognitio entis realis actualis, & explicita, sed sufficit habitualis, & implicita, ut ad præcedens argumentum dicebamus; neque inconveniens foret, si illa interveniret, quia in analogis æquivocis consuetum est, ut secunda analogata definiatur per primum, ut patet de fano. Ad 2. patet per idem, quia similitudo non est univocationis, & communicationis, sed imitationis. Ad 3. opposita in essendo possunt habere aliquam similitudinem in representando, ut patet de specie impressa substantia, quæ illi assimilatur in representando, cum tamen sit opposita in essendo; sic in proposito ens reale, & rationis opponuntur in essendo, sed cum hoc fit veluti umbra illius, assimilatur illi quodammodo in representando, & imitando eo modo, quo umbra imitatur esse corporis. Multa objicit Poncius hic contra doctrinam a nobis traditam de ente rationis, quæ omnia diluta videri possunt disp. 2. Met. qu. 9. art. 1. a. n. 241. ubi etiam n. 243. impugnatur ridicula quedam descriptio entis rationis, quam ipse ex suo penu asserit dicens, ens rationis esse illud, quod nequit aliquid efficere, neque inexistere alicui potenti efficere, nisi per considerationem potentie potentis aliquid considerare; cui bene quadat illud Horat. de arte poet.

Spectatum admissi visum tenentis amici.

QUESTIO III.

Num ens rationis habeat causas sui esse, & quas.

37 Cum loquimur de causalitate entium rationis, ut Tat. advertit 4. d. 1. quæst. 2. quæstionc. 4. eorum, quæ ibi movet de secundis intentionibus, & Burgius 5. d. 13. qu. un. non est sermo de causa proprie dicta, cum enim entia rationis non sint proprie entia, sed solum concipiuntur ad modum entium, profecto habere nequeunt veras causas, implicat enim aliquid habere veras causas, & non habere verum esse; quia igitur ratione dicuntur entia, eadem proportionem modo quæritur, an habeant causas sui esse, & quas. Negarunt aliqui ens rationis habere causas sui esse, citantur Harvens tract. de secundis intentionibus, Mayron. quodlib. 6. Sonc. 6. Met. quæst. 18. Nigler qu. 4. clypei in fine. Suarez vero, quem multi ex Recentioribus sequuntur, disp. 54. Met. sect. 2. concedit quidem ens rationis eo modo, quo est ens, habere causam effectivam sui esse; id tamen de aliis causis, & maxime de finali concedere inficiatur, & seq. Amicus q. 3. dub. 1. art. 2. Concedunt alii ceteras causas præter formalem, ita Complut. disp. 2. q. 1. n. 6. Blanc. disp. 1. sect. 3. Dicendum tamen est, ens rationis eo modo, quo est ens, etiam habere causas sui esse, & quidem in omni genere causæ. Colligitur ex Scoto 1. d. 3. quæst. 7. ubi arguens contra Gottfredum docet entia rationis causalari, & d. 36. qu. un. & 2. d. 1. qu. 1. docet produci, & probatur, *Mastrii, & Bellui Tom. I. Logica.*

38 Primo quidem, quod entia rationis suo modo causentur, quia cujuslibet existentis citra primum ens est aliqua causa proportionata illius existentie, ut patet, alioquin deduceretur de non existente ad existendum per seipsum, sed entia rationis existunt, cum antea non existerent, ergo &c. Confirm. quia non semper habent illud esse objectivum, seu objectum in mente, quod est esse rationis, nisi cum concipiuntur ad modum entium, ergo cum tunc illud esse habeant, non antea, vel post, certe in aliquam causam id referendum est, alioquin nulla ratio sufficiens illius qualiscumque varietatis reddi posset. Et tandem cum ea ad modum entium fingimus, utique concipimus ea ad modum causarum.

Secundo ut singillatim ostendamus habere causam proportionatam in unoquoque genere causæ, probatur in primis, quod habeant saltem intellectum pro causa efficiente (nam in aliqua alia potentia vitali possunt ens rationis efficere, dicemus postea) dicitur enim ab omnibus ens rationis fieri ab intellectu, effici per operationem intellectus, & similia; imo hac potissimum de causa ens rationis dictum est, quia a ratione machinatur, ergo habet intellectum aliquo modo pro causa effectiva. Accedit, quod sicut suo modo dicitur ens, & esse objective in intellectu, pari modo dici debet tale esse accipere ab eodem.

39 Sed contra objici solet, quod causæ reali correspondent effectus realis, & potentie reali objectum reale, ergo a nulla causa, & potentia reali, qualis est intellectus, ens rationis effici potest. Resp. communiter præsertim a nostris, causæ reali primario, & immediate utrique correspondere effectum realem, secundario tamen, & mediate effectum non realem correspondere posse, qui quasi comproducat ad productionem effectus realis, & ita in proposito ens rationis secundum esse objectivum producat ad productionem realis intellectus, quæ est effectus primarius intellectus. Hæc solutio procedit potius de ente rationis pro materiali, qualis est denominatio cogniti, quæ derelinquitur in objecto ex intellectione super illud transeunte, non de ente rationis pro formali, quod immediate producat ab intellectu ea cognitione, qua intelligit rem aliter, quam sit. Quare præstat dicere, verum esse assumptum, quando causa producit per actionem physicam, & realem, quo modo intellectus producit intellectionem per actionem intellectuales, quæ dictio appellatur a Doctore quol. 13. & alibi sæpe, at non quando agit actione metaphorica, & quasi grammaticali, qualis est cognitio, per quam ens rationis producat, siquidem per cognitionem non producit intellectus aliquam entitatem realem, quia non est actus productivus, & vera actio, sed tantum operativus ex Doctore ibidem, ac proinde asserit tantum esse quoddam objectivum, non reale, unde si in objecto, quod intelligitur, nullum aliud esse reperitur præter hoc esse objectivum, quod ab intellectu recipit, erit ens rationis, & productio ejus erit productio secundum quid, & rationis, non realis, ut docet Doct. 1. dist. 36. quæst. univ. & disp. 1. quæst. 1. Pariter potest potentia realis ex Doctore nunc cit. habere ens rationis pro objecto saltem secundario, & terminativo, licet primarium, & motivum debeat esse reale, & præsertim ita contingit, quando rem concipit aliter, ac est, ut accidit in formatione entis rationis ex dictis qu. 1. in sol. ad 2. ad 3. Confirm.

40 Tertio habet etiam suo modo causam finalem, nam sæpe intellectus format entia rationis, ut res recte, & sine errore cognoscat, ac præsertim ad hunc finem ex natura sua ordinantur intentiones logicales, ergo &c. probatur assumptum, sic enim quia privationes, & negationes ex se intelligibiles non sunt, nisi iudicio quodam divisivo, ut v. g. intelligendo in tali organo non esse potentiam videnti, in aere non esse lucem, & e contra, denominationes extrinsecæ non sunt intelligibiles, nisi iudicio quodam compositivo, ut v. g. intelligendo Deum creatorem, parietem visum per hoc, quod relatio existens in creatura terminatur ad Deum, visio existens in oculo terminatur ad parietem, ut eas intellectus apprehendat apprehensione simplici, quæ est entium, & de ipsis prædicet, quæ eis conveniunt, & necessaria sunt ad explicandam earum naturam, data opera fingit illa ad modum entium, ut cœcitatem, veluti quandam pravam dispositionem in oculo, & sic de aliis, ergo entia rationis fieri possunt, imo de facto sunt propter aliquem finem. Sic etiam conficit intentiones logicales, ut certam sibi præscribat regulam, qua in unum plures propositiones cognoscere valeat, nam in primis intentionibus ex cognitione unius propositionis exercitæ non potest devenire in cognitionem alterius, quia exercitæ non continent aliam; hinc fit, quod cum posteaquam plura adinvicem comparaverit, consimilem inveniat modum effendi denominationis extrinsecæ in pluribus, format secundas intentiones, verb. gr. quod animal sit genus, quod homo, leo, bos, sint species, & sic prædicando signate præscribit sibi regulam dicendo *genus prædicatur de speciebus*, sub qua propositione signata continentur omnes exercitæ dicendo, ergo homo est animal, leo est animal, quia una signata plures exercitæ continet. Pariter quia longum esset enumerare omnia, & singula, quæ in propositione affirmari, vel negari possunt, de aliqua re, & valde prolixum singula

recensere, de quibus alia affirmari, vel negari possunt, ut uno nomine hæc omnia complectantur, utimur consilio nomine subiecti, & prædicati; Et quia de conclusione in syllogismo, & de præmissis, de prima, & secunda præmissa forent quamplura dicenda, utimur nomine antecedentis, & consequentis, maioris, & minoris, quæ omnia sunt entia rationis; & propter eum finem intenduntur, ut operationes nostri intellectus bene fiant, immo ut dicebamus quæst. præm. hic est præcipuus logicæ finis, & hac de causa Aristot. eam instituit sub terminis secundarum intentionum.

Respondent aliqui ex Suarez cit. quod licet intellectus aliquando entia rationis effingat ob prædictos fines, isti tamen non sunt proprie fines illorum entium rationis, sed potius eorum actuum, quibus finguntur, & sic in Logica directio operationum intellectus non est finis illius esse rationis, quod ab intellectu recipiunt res logicæ, nam ea omnia, ut esse prædicati, subiecti, antecedentis, consequentis, &c. quasi consequenter insurgunt ex actionibus mentis nostræ, & non a proposito, sed proprie est finis illius cognitionis, qua finguntur illa entia rationis logicalia.

41 Sed hæc solutio nulla est, quia utique concedimus causam illam finalem non esse vere, & proprie causam finalem respectu entis rationis (præsertim si causalitas finis ponatur esse realis, de quo in Phys.) atamen prout in præsentem loquimur de causis, ipsi entia rationis causalitas finalis deneganda non est, nam ad hoc sufficit, ut ad modum causati, & procedentis a tali causa concipi possit. Accedit, quod si cognitio logicalis dicitur a causa finali procedere, quia a proposito intenditur propter eum finem, sic & entia logicalia suo modo ab illo sine dependentia habebunt, quia ad eum finem ipsa præsertim inserviunt, plusquam ipsa cognitio, unde resultant. Denem si entibus rationis suo modo conceditur causa efficiens, a fortiori etiam causa finalis ei concedi debet, tum ob generalem connexionem harum causarum, tum quia causalitas finis maxime deficit a Physico causandi modo, cum metaphorice causet, & ideo talis causalitas magis proportionata est entis rationis, quam causalitas efficientis, sua ex natura.

Dices, a Scottis nostris entia rationis reliquis creta a figulo derelictis, dum vas intendit efformare, assimilari folere ea ratione, quod sicut figulum solum vas per se effingere intendit, reliquæ vero mere per accidens sequuntur præter ejus intentum, ita logicus actus logicæ per se intendit, intentiones autem logicæ ex illis resultantes solum per accidens. Resp. hoc Scottiarum dictum debere intelligi de ente rationis pro materiali, ut sunt denominationes extrinsecæ cogniti, comparati, &c. istæ enim vere, & per se non intenduntur ab intellectu, sed per accidens derelinquantur in objecto, cujus cognitionem per se, & de proposito intellectus querit, dum vero easdem denominationes per alium actum sequentem concipit intellectus, ut quid intrinsecum objecto, hoc certe facit in logica præsertim ob aliquem finem intentum, & dicere secundas intentiones in logica non per se intendi ab intellectu, sed ipsos actus logicæ, est asserere necum logicam in se, sed nec etiam logicam ab Arist. traditam esse per se de secundis intentionibus, quod est falsum ex dictis in quæst. præm.

42 Quarto habent etiam suo modo causam materialem, & formalem, quocunque modo sumantur, si enim fumuntur velut causæ intrinsecæ rem componentes, sic entia rationis suo modo habere poterunt causam materialem, & formalem, & erunt hujusmodi omnia illa entia rationis, quæ fingi possunt ad instar substantiæ materiæ, & corporeæ, veluti sunt hircocervus, chymera, & similia, si vero sumantur causa materialis non pro illa, quæ dicitur ex qua, sed in qua, & pariter causa formalis non pro forma partis, & physica, sed pro forma totius, & metaphysica, sicut est essentia, & quidditas, sic etiam entia rationis habebunt causam materialem in qua, entia nimirum illa, quæ concipiuntur ad modum accidentis, & formæ simplicis absolutæ, vel relativæ alteri inhaerentis. Habebunt denique omnia rationis entia causam quoque formalem in hoc sensu, quatenus habent omnia propriam quidditatem, & essentiam sibi proportionatam.

Quæres, quænam sit causa materialis, in qua entium rationis conceptibilium ad modum alteri inhaerentis, num sit intellectus, an potius res ipsa, de qua enunciatur tale ens rationis. Dicendum est non esse intellectum, sed rem ipsam, quatenus cognitam, & ab intellectu apprehensam, ita Scot. quæst. 9. univ. & in 4. d. 1. qu. 2. B. & in 1. distin. 23. quæst. un. & alibi sæpe, quod probatur, quia hujusmodi entia rationis eadem proportionem dicuntur entia causata, & habere subiectum, sicut ergo dicuntur entia, quia ad modum entis concipiuntur, dicuntur causari, quia ad modum causatorum concipiuntur, ita cum eorum subiectum querimus, sensus est, quodnam est illud, quod a nobis per modum subiecti concipitur, in quo illa sint, & clarum est, quod cum concipimus intentionem generis, illam utique concipimus in animali, non utrumque, sed in ipso, ut cognito, & animal subicitur, ut sic, ergo in animali cognito erit tanquam in subiecto. Tum quia forma non donominant, nisi res, quibus inexistunt, ut de albedine constat in ordine ad parietem, sed ens ratio-

nis denominat rem, & non intellectum, natura enim humana dicitur universalis, dicitur species, non intellectus, ergo &c. Tum tandem, quia illi inexistere concipiuntur, cui applicantur, sed applicantur rebus ut cognitis, juxta illud Boetii, logica est de secundis intentionibus applicatis primis.

43 At contra inflabis; Tum primo quia, si ens rationis esset in rebus subiective, esset accidens, & per consequens ens reale, ut arguit S. Th. opus 48. tract. 2. c. 1. Tum 2. quia hac ratione Scotus ipse docuit 7. Met. quæst. 18. habere esse in intellectu, non solum objective, sed etiam subiective, non autem in rebus extra. Tum 3. quia ens præcipua divisione dividitur in ens in anima, & extra animam, sed per ens in anima intelligitur ens rationis, ergo debet esse in anima, non in rebus ipsis. Tandem Chymera, & hircocervus nequeunt esse subiective in rebus, etiam quatenus cognitis, quia non concipiuntur ad modum entis alteri inhaerentis, sed ad instar substantiæ, & rei per se stantis, ergo debent statui in intellectu subiective.

Resp. ad 1. quod consequentia teneret, si ens rationis poneretur rebus inesse, ut sunt extra intellectum, & ita intelligit S. Th. ar. ex hoc, quod ponitur subiective in rebus ut cognitis, & ut in intellectu jacent, sequitur, solum esse accidens intentionale, seu rationis, quatenus concipitur ad instar alteri inhaerentis. Ad 2. Doctor intelligendus est, ut se explicuit 5. Met. q. 1. quod universale inhaerent rei, non quomodocunque, sed quatenus habet esse cognitum in intellectu, quia cum res possint considerari tripliciter, vel secundum suum esse quidditativum, quomodo eas considerat Metaphysicus, vel secundum suum esse materiale, quomodo eas considerat Physicus, vel secundum illud esse cognitum, & comparatum, quod habent per operationem intellectus, quomodo eas considerat Logicus, universale non inest rebus quomodocunque, sed quomodo eas considerat Logicus, & ideo prout sunt in intellectu, quare ens rationis in intellectu subiective non immediate, sed mediate, mediantibus nimirum rebus ut cognitis: Ad 3. dicitur ens in anima objective, non subiective, & per hoc distinguitur ab ente extra animam, vel si etiam subiective dicitur ens in anima, id debet intelligi mediate modo nunc explicato, non immediate, sicut inest intellectio, alioquin esset accidens reale, ut actus, & habitus intellectuæ. Ad 4. illa entia rationis nullibi sunt subiective, nec habent materiam in qua, quia ad instar substantiæ concipiuntur, sed ex qua, & sunt tantum objective in intellectu.

Q U E S T I O I V.

An solus intellectus efficiat ens rationis, & quibus actibus.

44 Nemo negat ens rationis per intellectum effici, quare hoc supposito queritur, an ejus tantum sit hoc munus, num potius alia etiam potentia vitales illud efficiere possint. Communis opinio asserit hoc esse speciale munus intellectus præsertim Thomistæ Compl. disp. 2. quæst. 3. Jo. de S. Th. p. 2. Log. quæst. 2. art. 3. Cajet. 1. par. quæst. 28. art. 1. Averfa quæst. 5. sect. 4. Blanc. disp. 1. sect. 3. Amic. tract. 3. quæst. 3. dub. 2. & 3. Contendunt alii, ut Scottistæ communiter, etiam per voluntatem, quia potentia collativa est, ens rationis effici posse, ita Formalistæ omnes tract. Formal. Fuentes, Smifing, Meurisse loc. supra cit. nam sic insinuare videtur Doct. 1. dist. 45. quæst. un. §. Ad argumenta, & 3. dist. 26. quæst. un. §. Ad questionem, & 4. dist. 16. quæst. 2. §. Respondeo, & quodl. 17. art. 2. §. posse dici, dum præsertim docet posse voluntatem suo modo causare relationem rationis in objectis, quando, scilicet, ordinat unum objectum ad aliud, ad quod non est ordinabile a parte rei, ut si Deum amat in ordine ad creaturas. Imo ulterius aliqui Scottistæ progressi sunt asserentes etiam Phantasiam, seu Imaginativam posse ens rationis efficere, eo quia inter potentias sensitivas ipsa sola habet virtutem conjungendi, & conferendi objecta adinvicem, ut patet, dum Chymeras, & hircocervos in somnis effingit conjungendo simul species harum naturarum a parte rei impossibilium, ita Faber cit. cap. 5. Fuentes diff. 3. art. 1. Meurisse cit. quæst. 3. in fine, Tallon. pag. nobis 43. Ant. Roccus tract. de secundis intentionibus (quævis isti duo expriment phantasiam, etiam vim habeat collativam, non posse idcirco efficere secundas intentiones) quod etiam tanquam probabile amplectitur Suarez dif. cit. sect. 2. n. 18. & Ruvius quæst. 4. Tandem idipsum alii affirmarunt non tantum de ceteris sensibus internis, verum etiam externis, eo quod ipsi quoque plerumque percipiant, & repræsentent, quod non est ad modum entis, ut cum oculus percipit remum fractum in aqua; Solem exiguae magnitudinis, &c. ita Jandun. insinuat 5. Met. q. 23. & Arriaga ex professo tener disp. cit. sect. 3. subsect. 2. & 3. ubi eo magis id tener de voluntate.

45 Circa alteram quæstionem partem dupliciter dubitatur: Primo generatim, cum enim actus intellectus generaliter loquendo sit, vel absolutus, quo, scilicet, objectum absolute consideratur sine ordine ad aliud, vel collativus, quo consideratur cum tali ordine, & rursus uterque aut directus, quo scilicet, primo, & directe objectum attingitur illis actibus;

aut

aut reflexus quo nimirum reflectitur super objectum, ut absolute, cognitum, vel relative; dubitatur in proposito, qualis in universum esse debeat actus, quo ens rationis efformatur; Scotus 5. Met. quæst. 17. ab initio expresse docet hunc actum esse debere directum, & comparativum, & est communis doctrina præficatorum Scottiarum cum hoc ratiocinationem, quod Doctor loc. cit. loquitur speciatim de relatione rationis, at ipsi loquuntur universaliter, forte quia omne ens rationis putatur esse relativum, quos ex recentibus Scottistis sequitur Fuentes cit. & ex Thomistis Jo. de S. Thom. quæst. 2. art. 4. concl. 3. Vulpes vero disp. cit. 28. art. ult. nu. 4. ait per actum directum comparativum secundas intentiones habere tantum esse derelictum, & per intelligentiam reflexam suscipere verum esse rationis fabricatum: Meurisse cit. concl. 3. declarat diversa entium ratiocinationem generatim diversis actibus resultare, denominationes extrinsecas cogniti (quas putat ad ordinem entium rationis pertinere) ex cognitione directâ, relationes rationis ex comparativo, & entia rationis fictitia fieri per actionem reflexam, qua intellectus apprehendit esse, quod re vera non est. Ex Neoteris Suarez cit. n. 16. quem multi sequuntur, docet, omnem actum, quo fit ens rationis, esse comparativum, non quia omne ens rationis sit relativum, ut præficatorum dicebant, sed quia ens rationis quocunque, five absolutum, five relativum, fit per comparationem non entis ad ens reale, quatenus concipitur ad instar entis realis; hanc vero cognitionem continentur aliqui semper esse directam, ut Blancus cit. sect. 4. Suar. ibidem innuit potius esse debere reflexam, & præsertim in fabricandis secundis intentionibus. Alii demum distinctiones procedentes inquirunt, omne ens rationis absolutum fieri per cognitionem absolutam, & omne relativum per relativam, & rursus illa entia rationis, quæ fundantur in ipsis operationibus intellectus, & habent pro materia denominationes extrinsecas cogniti, &c. fieri per notitiam reflexam, quando nimirum intellectus reflectendo concipit denominationes ortas ex priorum cognitione in objecto ad modum aliorum relationis, seu formæ extrinsecæ, cetera vero fieri per notitiam directam, id est non involventem reflexionem circa aliam præviam cognitionem, ita Averfa cit. sect. 6. Complut. quæst. 3. & alii quamplures sic loqui videntur Hurad. disp. 1. de objecto Log. sect. 3. Amic. tract. 3. quæst. 3. dub. 6. art. 2.

46 Deinde cum tres sint intellectus nostri operationes ex dictis 1. p. Instituit. Log. dubitatur in specie, an per omnes, & singulas fieri possit ens rationis, & per aliquas tantum; de quo tres extant sententiæ. Prima docet fieri solum per primam operationem, quando objectum simpliciter apprehenditur aliter, ac sit, nam quando postea advenit secunda, & tertia operatio, scilicet iudicium, & discussio, inveniunt ens rationis factum per primam. Secunda negat ens rationis fieri per primam, sed asserit solum per secundam, ita Cornell. quæst. 1. prædicab. art. 3. dub. 3. & Hurad. disp. 1. Log. sect. 4. §. 18. & Rufus disp. 19. Metaph. sect. 1. §. 15. eo quia omne ens rationis est quid falsum, & ad modum alterius consideratum dando illi ali-quod esse repugnans, sed veritas, & falsitas ad secundam tantum operationem spectant. Tertia concedit fieri per omnes, & singulas, quia apprehendi potest aliquid esse, vel existere, quod nec existit, & existere implicat, potest item affirmari, quod est impossibile, & negari, quod est necessarium, & possumus tandem cogitare unum sequi ex alio, quod vere non sequitur, quæ omnia sunt non entia ad modum entium ficta per singulas operationes, & est communis inter modernos Fuent. cit. art. 2. & 4. Compl. quæst. 3. concl. 2. Amic. cit. concl. 4. Ruvius tract. de ente rationis quæst. 4. & alii passim, quam aliqui adhuc magis explicantes inquirunt hanc sententiam non ita intelligi debere, quasi quolibet ens rationis possit promiscue fieri per quamlibet intellectus operationem, sed per primam determinate fieri ens rationis genus, species, apprehensum, & familia, quæ conveniunt terminis simplicibus, per secundam fieri ens rationis prædicatum, subiectum, propositionem, & alia hujusmodi, quæ conveniunt integris enuntiationibus; per tertiam tandem fieri ens rationis medium terminum, majus, & minus extremum, antecedens, consequens, & familia, quæ argumentationem concernunt, & in hunc modum hanc declaravit sententiam Durand. 1. d. 19. quæst. 5. & 6.

A R T I C U L U S I.

Resolutio quæstionis de potentia entis rationis effectrice.

47 PRO resolutione quæstionis quoad primam partem, quæ est de potentia entis rationis effectrice, est advertendum, ens rationis dupliciter accipi posse, primo pro eo, quod solum habet esse ex vi rationis, secundo pro ente proportionali, & æquivalente enti, quod fit a ratione in proposito cum quæritur, quæ potentia ens rationis efficere possit, & an hæc solus sit intellectus, non est sermo de ente rationis in primo sensu, nam sic esset repugnantia in terminis, quod alia potentia ab intellectu, qui dicitur ra-

tio, seu potentia ratiocinativa, ens rationis efficere possit; sed est sermo in altero sensu, quare quæstio sensus erit, an sicut datur aliquod ens, quod solum existit objective in intellectu, ita detur, vel dari possit ens, quod solum objective existat in aliqua potentia intentionali alia ab intellectu; & hoc voluit innuere Doctor, cum in 1. d. 45. q. un. C. & quod 17. C. inquit relationem, quam potest voluntas, & qualibet potentia collativa alia ab intellectu causare in objectis ab ipsa invicem comparatis, in quibus ex natura rei non reperitur, non esse rationis loquendo stricte de relatione rationis, quia non semper potentia illa comparans est ratio, five potentia ratiocinativa, sed dici rationis, vel quia illis objectis non convenit ex natura rei absque actu potentia intentionalis, ut ait ibi, vel prout hoc nomen ratio comprehendit intellectum, & voluntatem juxta phrasim Arist. 9. Metaph. ubi eas appellat potentias rationales ut quolib. cit. adnotavit, vel quia hoc nomen ratio extendi etiam solet ad quamcumque potentiam collativam, ut ait Trombet. in Formalit. art. 2. princ. §. notandum ulterius, vel tandem quia relatio, aut denominatio comparati in objecto causata per actum potentia collativæ magis participat rationem entis rationis in primo sensu, quam alia denominationes, visis, cogniti, &c. quia ut docet Scot. 5. Metaph. qu. 11. ab initio nedom esse rationis habet, quatenus a potentia intentionali procedit, sed etiam aliud esse rationis supponit, in quo fundatur, quia denominatio comparati non resultat in objecto, nisi prius absolute cognitum supponatur quoad illud attributum, in quo alteri comparatur.

48 Rursus cum ens rationis ex dictis q. 2. art. 1. duplex sit, aliud materiale, & derelictum, ac potentiale, quia nimirum formalitatem entis rationis actu non participat, sed utique participare potest per actum potentia fingentis, quo sensu negationes, privationes, & omnes extrinsecæ denominationes reales dicuntur entia rationis materialiter, & fundamentaliter, quia possunt intellectui, vel alteri potentia præstare fundamentum fictionis, ut concipiat id, quod non est, ac si esset: aliud vero formale, & actuale, quod nimirum actu participat formalitatem entis rationis, quia scilicet actu fingitur esse ab intellectu, aut alia potentia, & ita objective existit in ea, ut extra illam nec existat, nec existere possit. Non est hic quæstio de ente rationis materiali, & derelicto; sic enim concedunt omnes non tantum intellectum, verum etiam voluntatem, imaginationem, & omnes sensus internos, & externos posse ens rationis efficere, quia in actibus omnium harum potentiarum potest utique ens rationis formaliter fundari, quatenus denominationes extrinsecæ per actus earum in objectis derelictæ concipi possunt, ut formæ illis intrinsecæ, ac inhaerentes; quæstio igitur est de ente rationis formali, & est sensus, an per opus alterius potentia ab intellectu possit fieri ens habens solum esse objective in ea potentia, & ex vi actus illius.

49 Dicendum est, certum esse, nullam potentiam vitalem præter intellectum, & voluntatem posse ens rationis efficere, & ex his duabus certum esse intellectum efficere posse, de voluntate vero non ita certum, satis tamen probabile. Conclusio est Scoti locis omnibus citatis, ac etiam mox citandis, & probatur quoad singulas partes. Et quidem. Primo, quod nulla potentia sensitiva, five interna, five externa possit, ostenditur generali ratione, illa sola potentia vitalis potest entia rationis efformare, quæ ita rei præstare potest esse objectivum in seipsa, ut extra illam nec sit, nec existere possit, at in nullo sensu, five externo, five interno potest aliquid ita objective existere ex vi aliorum actus sensitivi, ergo nullus sensuum ens rationis potest efficere, major pater ex dictis de formalitate entis rationis, quod talis est naturæ, ut illi prorsus repugnet existere extra potentiam, a qua formatur; probatur minor, tum quia universaliter loquendo objectum sensuum est sensibile, sed esse sensibile est esse reale contradistinctum ab esse rationis, tum quia objectum præsertim sensus externi est aliqua qualitas sensibilis, & existens a parte rei, unde communiter dicitur sensationem externam pendere non solum ab objecto existente, sed etiam in se præsentem, ergo sensus externus non potest dare esse objectivum rei non existentis, nam semper terminatur ad esse reale ejus actui præsuppositum etiam in illis casibus, de quibus dubitari solet; nam remus v. g. representatur curvus, vel fractus in aqua ab illa specie, quæ transmittitur ad oculum ex immutatione facta ab aqua, per quam transit antequam remus percipiatur ab oculo, ergo remus ille non habet rationem curvi ex ipso actu visionis, sed antecedenter ad illum, quia species illa sic immutata determinat oculum ad videndum tali modo, & ita suo modo dicendum in aliis casibus, cum nimirum Sol propter distantiam apparet minor, quam sit, & denarius in aqua major, & edificia disjuncta eminens apparent conjuncta, & concavitates in pictura; in his enim, & similibus casibus attingit visus apparentiam illam causatam ex vi speciei, vel sic immutatam, vel aliunde, & hæc apparentia, & representatio vera est, & realis, licet non representetur objectum, sicut est, ob immutationem specierum, aut alia de causa, sed in hoc nullum intervenit ens rationis, alioquin etiam speculum, quando representat remum curvum in aqua, ens rationis efficeret.

50 Et ex eodem capite probatur eadem minor argumenti principalis de sensibus internis, præsertim de imaginativa, aut æstivativa, de qua est dubitatio, quia licet hæc potentia non necessario pendeat ex præsentia objecti in seipso, ut sensus externi, adhuc tamen non respiciunt totam latitudinem entis, ut intellectus, sed determinatum exposcunt objectum, & hoc quidem sensibile, quia non percipiunt essentias, & substantiam rerum, sed tantum qualitates, & accidentia externa, quæ utique sunt entia realia; unde ut docet Scot. 1. d. 3. q. 2. F. contra Henricum, dum agnus fugit lupum, non apprehendit rationem inimicitia, sed accidentia Lupi, ut sibi materialiter disconvenientia; a quorum apprehensione movetur ex instinctu naturæ appetitus ad fugam; sed hæc suffus profectui spectat ad libros de Anima, & ideo rationes, quæ inde sumi possent ad probationem conclusionis dimittimus, hæc solum contenti, quæ ex natura rationis deducitur, quod sensus dare nequit esse objectum rei non existentis; Et quando etiam in allatis casibus contenderetur sensus externos dare esse objectum rebus non existentibus, & præcipue imaginativam id facere, cum montem aureum, vel mare vitreum imaginatur, hoc etiam admisso non sequitur hæc idola esse entia rationis, quia hæc objecta non habent impossibilitatem ad existentiam a parte rei, quod est de essentia entis rationis, quod non solum excludit actualem existentiam objecti, sicut representatur, verum etiam possibilitatem ad existentiam; cum igitur neque per sensus externos, neque internos tale possumus idolum machinari, cui repugnet existere in rerum natura saltem per potentiam Dei absolutam, concludendum est nullum sensum posse tale esse objectum dare rei non existentis, quale requiritur ad ens rationis.

51 Resp. aliqui ex Suar. cit. imaginativam saltem in homine habere hanc virtutem fingendi, quod non est, nec esse potest, ex conjunctione, quam habet cum intellectu, unde inquit Suarez imaginationem in homine participare vim rationis, & forte nunquam fingere, quod non est, nisi cooperante ratione, quod etiam experientia ipsa edocet, non enim imaginativa machinatur solum montem aureum, mare vitreum, & alia, quæ utique possibilia sunt, sed alia quoque, quæ prorsus impossibilia sunt, ut hircocervum, & chymeram, & alia hujus generis repugnantia.

Sed facile evertitur hæc solutio, tum quia propter hanc conjunctionem non potest imaginativa extendi extra suam adequatum objectum, quod est ens sensibile existens vel existere potens, quale non est ens rationis; tum quia etiam ipsa imaginativa humana adhuc continetur infra limites potentia organice, atque ideo respicit objectum, quod continetur infra limites objecti materialis ob proportionem, quæ verari debet inter potentiam, & objectum quoad rationem formalem operandi; tum quia falsum est imaginativam per se participare vim rationis in homine, nam tantum cum ipso intellectu convenit in ratione potentia cognitiva internæ; tum tandem quia, ut ait Averfa, si imaginativa suo proprio actu distincto ab actu intellectus habet efformare ens rationis, frustra assertur consortium intellectus. Neque experientia est in oppositum, dum enim concipimus hircocervum, chymeram, Deum corporeum, & similia, plane, ut passim notant Auctores, non ex vi imaginationis univertur naturæ, aut essentia impossibilis, quia nec imaginatio, nec alius sensus profundat se usque ad substantiam, sed tantum externa accidentia hirci v.g. & cervi, quorum conjunctio certe non repugnat, nam sæpius visa sunt monstra ex diversis animalium figuris constituta, unio autem naturarum impossibilium fit a solo intellectu.

52 Altera etiam pars conclusionis comprobatur, & primo quidem ens rationis ab intellectu fieri ita compertum est inter admittentes entia rationis, ut probatione non egeat, quod vel ex ipso nomine entis rationis inde deducti constare debet, id autem etiam de voluntate posse probabiliter affirmari ostenditur manifesta ratione, quia nihil illi deest ex requisitis ad potentiam formatricem entis rationis, si enim requiritur, quod talis potentia sit collativa, certum est hoc voluntati non deficere, ita enim potest comparare unum objectum alteri, sicut intellectus, non quidem per modum judicii, & cognitionis, sed per modum ipsius ordinis, & acceptationis, ut notat Brasavol. q. quol. 20. ex Doctore cit. ut cum vult media propter finem, immo potest invicem ita duo conferre objecta, quæ a parte rei non sunt referibilia, ut cum perverte agens vult Deum propter creaturam utendo fruendis, & fruendo utendis; Si requiritur quod talis potentia sit reflexiva, ut ulterius exigant aliqui ex Suarez num. 17. ob quod negat sensus ens rationis efficere posse, quia oculus parietem videt, sed reflexe non novit parietem esse visum, nec imaginatio percipit, quid sit esse imaginatum in objecto. Neque id voluntati deficit, quia voluntas aliquid volens sæpius per actum reflexum consentit se velle, ut docet Scot. quol. 16. D. & 1. d. 47. q. un. D. & rationem reddit quol. 17. C. quia hæc munera competunt illis potentiis per rationem ambabus communem, scilicet, ob earum immaterialitatem; Si tandem requiritur (quod principalis est) quod potentia dat esse objectum rei, quæ realiter non est, nec esse potest, adhuc neque hoc deficit voluntati, tum quia potest volun-

tas impossibilia, etiam, ut talia ab intellectu ostensa, appetitu saltem inefficaci appetere, ut docet Scot. 2. d. 6. q. 1. qua ratione tenet Fuentes cit. posse voluntatem ens rationis efficere, tum quia (quod magis urget) potest voluntas ex sua libertate bonitatem in objecto fingere, ubi res vera non reperitur, nec reperiri potest, neque, ut bonum ab intellectu proponitur, ergo potest tale esse objectum bonitati tribuere, quale requiritur ad ens rationis constituentium; consequentia patet, quia in tali casu voluntas est, quæ primo fingit bonitatem in objecto, ubi non est, nec esse potest, non autem intellectus, per quod excluditur communis responsio Recentiorum dicentium, quod licet voluntas interdum tendat in bonum, quod re vera tale non est, tamen ipsa non fingit tale bonum, sed supponit jam constitutum ab intellectu, & propositum per intellectum; assumptum probatur, quia in sententia præsertim Scoti præter finem verum, & apparentem datur etiam finis præfixus, seu præstitutus in 1. d. 1. q. 1. art. 3. & 4. & est quando objectum præcise est a ratione ostensum sub ratione mali, & voluntas ex sua libertate illud sibi præfigit, tamquam finem, non quod voluntas feratur in malitiam per se, quia hæc non est objectum prosecutionis, sed quia ostensa objecto voluntati sub ratione mali, & ex alia parte ostensa ratione boni, vel in se, vel in alio objecto, potest voluntas bonitatem illi objecto affigere, quam tamen non habere prius ostenderit intellectus, & sub illius bonitatis prætextu objectum illud in se malum acceptare, de quo agimus ex professo disp. 7. Physic. q. 8. art. 2. sicut igitur probabile est, dari finem præfixum, & esse sufficientem voluntatis motivum, non tantum bonum verum, & apparens, fed etiam præstitutum, ut ibi probatur, ita probabile est voluntatem ens rationis efficere posse, ut hic de eo loquimur, & hoc est præcipuum hujus assertionis fundamentum; quod frustra nititur impugnare Poncius hic, cui occurrimus disp. 2. Met. q. 9. art. 1. a num. 246.

Solvuntur Objectiones.

53 IN oppositum obiicitur. Primo probando diversis experientis sensus externos ens rationis efficere posse; videmus enim colores in Iride, vitro triangulari, collo columbæ, concavitate in picturis, unum, & idem objectum multiplicatum compresso oculo ex parte superiori, vel inferiori, & alia hujusmodi; quæ a parte rei non existunt in objectis visis, sed tantum in ea cognitione, qua exprimentur. Confirmatur, quia in his casibus, & aliis multis falluntur sensus externi, quis hoc negat? at per omnem actum falsum fit ens rationis, inquit Arriaga cit. quia statim, ac actus est falsus, objectum ejus non est a parte rei, sed tantum in illa ipsa cognitione. Demum oculis videmus non adesse lucem, quod utique fieri nequit, nisi apprehendendo negationem illam per modum formæ positivæ, & sensibilis, quia potentia sensitiva non attingit nisi objectum sensibile, id autem est ens rationis machinari.

Resp. jam ex dictis patere, quomodo in illis, & similibus experientis nihil fingitur ab oculo, quia ipse non habet vim componendi curvitate cum remo, parvitatem cum Sole, colores cum Iride, &c. fed revera exprimeret, quod illi per species obiicitur antecedenter ad actum visionis, hæc igitur omnia non sunt objective tantum in oculo, sed vere a parte rei non quidem secundum esse reale, & subjectum in illis objectis, sed secundum esse representabile, & intentionale, quod variatur juxta variam specierum, vel etiam ipsius organi immutationem, sicut paries, qui a parte rei est albus, postea ante oculos vitro viridi ob immutationem specierum, quæ per tale medium deferuntur ad oculum, est viridis, non quidem realiter, sed secundum esse representabile, & hoc sufficit ad solvendum argumentum ex illis experientis deductum, nam explicare unde in singulis proveniant illæ apparentiæ, ut duplicitas objecti in oculo compresso, colores in collo columbæ, concavitate in pictura, spectat ad libros de anima, videatur Amic. qui tract. 3. Log. q. 3. dub. 2. art. 2. singula explicat. Et quando etiam concederemus, hæc omnia existere tantum in visione, qua exprimentur, adhuc neganda foret consequentia, quia ut sæpe dictum est, ad ens sensibile æquivalens entis rationis non sufficit, quod videatur id, quod non est, sed quod etiam illud sit impossibile, sicut apparet, modo nec colores apparentes in collo columbæ, nec remi curvitas, & alia hujusmodi apparentia sunt impossibilia, qua ratione convictus Arriaga concedit per sensus externos fieri non posse ens rationis impossibile, sed tantum illud, quod actu a parte rei non existit, licet sit possibile. At jam ex dictis constat hanc suam distinctionem de duplici ente rationis penitus implicare, quia realis possibilitas repugnat entis rationis, ut sic.

54 Ad Confirm. in his casibus, & similibus re vera sensus non fallitur, quia apprehendit illa objecta, si non ut sunt, saltem ut a parte rei representantur a speciebus, unde visus apprehendit solum apparentiam illam colorum v. g. in collo columbæ, in quo falsitas nulla, aut fictio intervenit, quia a parte rei ita fit representatio per species; quare si error intervenit, hic potius erit imaginativæ, vel intel-

intellectus, ut constat in exemplo uvarum a Zeusi pictarum, quas aves existimarunt veras, & lintei a Parrhasio depicti, quod Zeus ipse existimavit verum, nam in his casibus visiva non est decepta, quia visio vere ad uvas pictas, & linteam pictam terminatur, fed existimativa tantum, vel intellectiva ob similitudinem accidentia, imo neque intellectus ipse, aut imaginativa falleretur, si ejus judicium feratur non supra objecti existentiam, sed supra solum ejusdem apparentiam, quia tunc judicaret, quod vere a parte rei apparet. Quod si interdum fallatur ipse intellectus cum ipso sensu, adhuc objectum talis sensationis, aut intellectus non erit ens rationis, quia ut sæpe dictum est, objectum sensuum non habet impossibilitatem ad existentiam a parte rei, quæ ad ens rationis requiritur, unde negatur absolute, quod ait Arriaga, per quemcumque actum falsum ens rationis constituitur.

Ad Confirm. ultimam negatur assumptum, nullus siquidem sensus, præsertim externus, percipere potest negationem actu positivam, sed tantum percipere subiectum non cognita forma negata, atque ita non videmus tenebras in aere, sicut neque silentium audimus in solitudine, sed per carentiam actus dumtaxat id dicere solemus abusive.

55 Secundo obiicitur probando fieri posse saltem per sensus internos, & præsertim imaginativam, seu phantasiam. Tum quia etiam ipsa est potentia collativa, ut Scot. docet 1. d. 45. q. un. in fine, & habet virtutem nedum objective conjungendi, quæ compossibilia sunt, ut cum ex connectione specierum montis, & auri fingit montem aureum, sed etiam impossibilia, ut cum ex connectione specierum hirci, & cervi conjungit illas naturas. Nec respondere valet phantasia unire accidentia extra illarum naturarum, non ipsas naturas. Quia phantasia format sibi objectum, ut est cogitatum ab intellectu, quia quod intellectus intelligit, id ipsum phantasia phantasiatur, sed intellectus in eo casu non sola accidentia externa conjungit, sed etiam naturas, ergo &c. Tum 2. quia imaginativa potest concipere lineam quandam infinitam, quæ implicat, & alia hujusmodi, ut spatium reale extra Cœlum, qua ratione Dialectici dicunt ens imaginabile magis ampliari, quam ens possibile. Tum 3. ex Arriaga interdum fallitur canis reputans umbram hominis esse hominem illum, a quo vapulavit, & aufugit imaginando ab eo, quod videt fuisse læsum; ad conjunctionem percussorem cum illa umbra, ut cum causa efficiente profecto impossibilia conjungit, quia cum umbra fit nihil, non potest dare ictus. Tum 4. ex eodem, dum quis videns a longe staturam putat esse hominem, utique habet hanc apprehensionem, quod ille est homo, at impossibile est hominem esse staturam, ergo sæpius phantasia apprehendit unionem, seu identitatem rerum impossibilem.

56 Resp. non esse incertum apud Scotum, phantasiam esse potentiam formaliter collativam, nam loc. cit. 1. disp. 45. & 4. disp. 49. quæst. 1. relinquit sub dubio, quin potius oppositum aperte alibi sæpe docuit 1. disp. 1. quæst. 5. & in 3. disp. 33. & in 4. disp. 43. quæst. 2. ubi Tatar. & disp. 45. quæst. 3. quæ loca ponderat Bargius in 1. disp. 3. quæst. 1. §. Quinto dico, & quol. 17. C. cum innuit vim collativam oriri ex immaterialitate potentia, & cum dicitur, phantasiam conjungendo, species montis, & auri componere montem aureum, & illud attingere, ut quid unum, inquit Bargius cum Tatar. illud tantum attingere velut complexum indistans, id est sine copula, eo modo, quo oculus sine formali complexione attingit Petrum currere, dum actu illum videt currere, non autem velut complexum distans, id est cum copula, quasi attingat formaliter unionem illorum, unde juxta hanc viam, quam sequuntur Complut. disput. 2. quæst. 3. numer. 28. cum alius modernis, & ex professo docet Brasavol. quæst. 13. quol. a quo, ut ejus moris est, Poffnan. 1. d. 35. disp. 1. ubi de hac re agit, totam transcripsit quæstionem suppresso nomine, phantasia non est virtus collativa formaliter, & proprie, nec dicitur componere chymeram, quasi attingat sua cognitione illud aggregatum formaliter, quatenus est quid compositum, & unionem illam in ratione objecti; sed dicitur eam componere materialiter, quatenus simul, & quasi unica apprehensione attingit partes, ex quibus chymera resultat, quas antea seorsim cognovit, & juxta hanc viam omnia illa argumentarunt, utpote quæ supponunt phantasiam esse potentiam formaliter collativam, & attingere formaliter unionem duorum in ratione objecti.

57 Sed quia hoc plenus discurrere spectat ad libros de Anim. admittatur pro nunc phantasiam esse formaliter collativam, quia tamen non egreditur limites potentia sensitivæ, plane componere nequit, nisi species sensatas, ut Scot. docet 1. disp. 3. quæst. 2. §. Quinto dico, quare in compositione chymeræ, & hircocervi solum attingere potest unionem accidentium re, quæ utique possibilis est, non naturarum; ad instantiam illam dicendum est verum esse, quod cum intellectus operatur, etiam phantasia operatur, sed circa unum objectum, quod sensibiliter non transcendit, unde cum intellectus intelligit naturas incompossibiles, phantasia cognoscit figuram, quantitates, & accidentia externa illarum. Ad 2. negatur

assumptum, cum potius experientia constat, cognitionem imaginativæ ferri ad objectum cum aliquo termino, quia ex modo operandi concipere nequit objecta, nisi in determinato loco, figura, & similibus, ut notat Amic. cit. qui etiam ait imaginabile ex vi imaginativæ non latius patere, quam ens possibile, quia dicit quantitatem, figuram, & similia, quæ sunt possibilia, sed in ordine ad intellectum magis late patere, quia comprehendere potest fictitia, & de hoc intelligi dicitur Dialecticorum. Vel dicendum, posse phantasiam concipere lineam, & spatium infinitum syncategorematicum, quod non implicat, non vero categorematicum, ut dicimus in Physicis. Ad 3. supponitur falsum in argumento quod scilicet possit phantasia suffodere species inimicitia, hoc enim negat Doctor supracitatus. loquens de agno respectu lupi, falsum item est canem visione attingere umbram, quæ est mera privatio, & cum ea conjungere percussorem, ut cum efficiente causa, quod igitur in umbra percipit, est lumen ipsum secundum, & ipsius luminis figura, qua terretur ob similitudinem, quam habet cum figura hominis, a quo vapulavit, & cum ea conjungit speciem percussorem, unde nunquam attingit, nisi unionem sensibilium accidentium, quæ possibilis est. Ad 4. intellectus est, qui facit illam complexione, phantasia vero non se profundat ad substantiam, sicut in contemplatione externa figuræ hominis, & statua, & eas ob similitudinem conjungit adinvicem, & earum unionem attingit, non vero naturam.

58 Dices, imaginativam saltem per modum memoria, & reminiscentiæ posse ens rationis efformare, quia reminiscendo percipit rem, quæ non est, sed fuit, & facit reflexionem quandam supra actum suum præteritum, ex qua reflexione resultare solet ens rationis, ita enim formatur ab intellectu. Resp. licet Complut. c. num. 29. probabile censeant cogitativam, & reminiscitivam ob majorem quandam conjunctionem, quam habent cum intellectu in homine supra ceteros sensus posse aliquid ens rationis efficere, tamen quia ob talem conjunctionem non elevantur nisi sensus extra speram sensitivæ potentia, ut supra dictum est contra Suarez, præstat id potius absolute negare; nam quamvis possit imaginativa per modum reminiscentiæ cognoscere objectum, ut antea recognovimus, hæc tamen non est reflexio ejus generis, qua fieri solet ens rationis, quia illud apprehendit solum quoad an est recolendo antecedentem actum cognitionis, non autem recogitando quidnam fuerit tale esse cognitum in objecto.

Tertio obiicitur ex Suarez, quod nequeat voluntas efficere ens rationis. Tum quia etsi sæpe apparet id, quod non est re ipsa bonum, sed tantum apparenter; nihilominus cum non det ipsa illi bono apparenti esse objectum, sed intellectus, non poterit voluntas dici fingere illud bonum, sed potius ferri in illud jam fictum ab intellectu. Tum 2. quia cum voluntas sit potentia cæca, supponit objectum propositum per cognitionem, sive sit bonum, sive apparens, ergo cum non faciat objectum, sed illud supponat, inepta prorsus est ad ens rationis efficiendum. Tum 3. etiam si voluntas possit unum ordinare ad aliud, ad quod non est suapte natura ordinabile, non format novam relationem ordinis in tali medio, quæ sit ens rationis, sed tantum resultat in eo suo modo denominatio extrinseca relativa, ut passim resultat ex actibus aliarum potentialiarum. Tum 4. quia etiam si possit ulterius voluntas reflecti supra suas denominationes extrinsecas in objectis derelictis amati, voliti, ordinati, &c. sicut intellectus supra suas, tamen per talem reflexionem non illis assert novum esse rationis, sicut intellectus, qui illas apprehendit, ut quid existens in objectis. Tum tandem, quia intellectus efficit ens rationis affirmando, quod non est, & negando, quod est, & sic efficit objectum, voluntas autem accedit, vel recedit ab objecto quod non est illud efficere.

59 Resp. ex dictis non tantum bonum verum, aut apparens esse sufficientem voluntatis motivum, sed etiam bonum præfixum, licet ergo quando voluntas tendit in bonum apparens peccando ex ignorantia, fictio se teneat ex parte intellectus, tamen quando tendit in bonum præfixum peccando ex mera malitia, fictio non se tenet ex parte intellectus, quia ipse ostendit objectum malum, & sub ratione mali, sed totaliter se tenet ex parte voluntatis, quæ non obstante intellectus ostensione ex mera sua libertate applicat illi objecto bonitatem, & illud bonitate falso indutum sibi præfigit, tamquam finem, quo casu peccare dicitur ex certa malitia. Ad 2. patet per idem, quia in tali casu præfigit sibi objectum, in quod tendat. Dices, ergo tendit in incognitum, cum talis bonitas non sit ab intellectu in illo objecto ostensa. Negatur sequela, esto namque intellectus non ostendat bonitatem in tali objecto, eam tamen ostendit in alio, vel in se abstracte, quod sufficit, ut voluntas possit eam applicare objecto propositum, ut malo, nec ob id dicatur ferri in incognitum, ut declaramus in Physica disp. cit. Ad 3. verum est actu directo, quo primo unum objectum ordinat, & comparat ad aliud, non resultare ex vi talis comparationis activæ in objecto, nisi extrinsecam denominationem comparati, tamen in eo sic comparato, & denominato potest per alium actum quasi

reflexum causare respectum rationis, ut declarat Doctor 3. d. 26. quæst. un. E. Ad 4. negatur assumptum, nam ut docet idem Doctor quol. 17. C. quemadmodum intellectus suas denominationes extrinsecas apprehendendo ad modum entium dicitur illas efformare in entia rationis, sic & voluntas idipsum facere potest acceptando suas, nam acceptando objectum eo præcisè, quia ab alio, vel etiam a seipsa est amatum, tribuit illi extrinsecas denominationi esse quoddam rationis nimirum quandam rationem boni, & amabilis, ob quam innotet ad illud objectum acceptandum. Ad 5. quæ censetur ratio a priori ex diverso modo tenendi, intellectus, & voluntas desumpta, negatur assumptum esse universaliter verum, quia non solum per iudicium, sed etiam per apprehensionem incomplexam fit ens rationis, ut dicemus art. seq. quando nimirum objectum non habet aliud esse, nisi cognitum in ea, quod autem voluntas operetur accedendo, vel recedendo ab objecto non refert, sufficit enim, quod illud objectum non habeat esse in se, sed tantum in voluntate.

At Dices, id implicare, cum enim non feratur in cognitum, sed ab intellectu propositum, nunquam dare potest primum esse objecto, sed potius feratur in illud jam datum ab intellectu, & consequenter est ens rationis solum in ordine ad intellectum. Resp. jam ostensum esse, in quo casu possit voluntas dare primum esse objecto, & adhuc concessio illo antecedente deberet negari consequentia, licet enim ens rationis non fieret primo a voluntate, adhuc tamen suo modo fieri posset secundo, ut bene advertit Arriaga cit. n. 37. sicut Adversarii concedunt iudicium suo modo facere ens rationis, licet supponatur factum ab apprehensione, ut mox dicemus, & sicut omnes fateri tenentur, per repetitos actus posse ab eodem intellectu idem ens rationis sapientius fieri, Ovid. contriv. 12. Metaph. pun. 6. num. 7. fatetur ingenue rationem allatam, cui quamplures valde fidunt, & præsertim Poncius, non concludere intentum, quia licet ens rationis non fieret primo a voluntate, adhuc tamen suo modo fieri posset secundo, unde ex alio capite probat voluntatem ens rationis efficere non posse, quia nequit præstare rebus esse objectivum, & intentionale, quod fundamentum esse falsum ostendimus disp. 2. Met. quæst. 9. art. 1. num. 248.

A R T I C U L U S II.

Resolutio quæstii de actu, quo ens rationis fit.

Dicimus Primo, ens rationis in universum fieri per illum actum intellectus, quo per modum entis concipitur id, quod in re non habet entitatem, seu (ut etiam actus voluntatis comprehendatur) fieri per illum actum, ex vi cuius ita aliquid existit objective in ea potentia, cuius est actus, ut extra illam nullum prorsus esse habeat, vel habere possit; hic vero esse potest absolutum, vel collativum, directum, vel reflexum juxta exigentiam entium rationis, quæ sunt. Conclusio sequitur ex dictis quæst. 2. art. 2. de formalitate entis rationis, nam si ens rationis illud est, quod habet tantum esse objectivum in potentia, a qua fabricatur, utique per actum illum produceretur, ex vi cuius accipit tale esse objectivum, & cum in intellectu talis actus fit ille, quo per modum entis concipitur, quod non in re nullam prorsus entitatem habet, plane per hunc eundem actum produceretur ab eo, & ita fieri ipsa experientia docet, cum enim actu simplici, & positivo privationes, negationes, & alia impossibilia, item, & extrinsecas denominationes, quæ omnia sunt entia rationis materialia, concipiuntur, & efformantur in entia rationis formalia, utique illa concipiuntur ad instar veri entis, nempe cœcitate, ut pravam organi dispositionem, tenebram, ut quandam aeris dispositionem, creationem activam in Deo, ut relationem quandam ad creaturam, & visionem passivam in pariete, ut aliam relationem activam in oculo correspondentem, & sic de aliis, ut discurrenti constabit.

61 Quod vero hic actus entis rationis formativus possit esse absolutus, vel comparativus directus, vel reflexus, juxta variam conditionem entium rationis, quæ sunt faciendæ; Prob. quia omnis relatio rationis fit per actum conferentem, vel ordinantem unum ad aliud, nec aliter fieri potest, si enim denominationem extrinsecam Creatoris in Deo volumus in ens rationis efformare, necessario conferimus Deum cum creatura, ut relativum cum suo correlativo, e contra ens rationis absolutum (quod infra concedendum esse ostendimus) fit concipiendum aliquid non in ordine ad aliud, dum enim tenebra concipitur, velut forma extensa per aerem, nulla profecto intervenit comparatio tenebræ ad aliud, ut ad terminum. Rursus quia multa sunt entia rationis, quæ fundantur in ipsis operationibus intellectus, ut sunt omnes intentiones logicales, hæc omnia fieri per notitiam reflexam, tunc enim proprie efficiuntur, cum intellectus reflectendo concipit denominationes ortas ex priori cognitione in objecto ad modum alicujus relationis,

seu formæ intrinsecæ; e contra vero alia entia rationis, quæ non habent pro fundamento proximo denominationes extrinsecas cogniti, abstracti, & alias ex actibus intellectus ortas, sed immediate fundat eas intellectus supra ipsam entitatem realem, ut relatio creatoris, & similes, fieri habent per notitiam directam non involventem reflexionem circa aliam præviam cognitionem.

Sed obiicies 1. quod omne ens rationis fieri debeat per notitiam comparativam, quia fit per eum actum, quo concipitur ad instar entis realis, ergo semper concipitur comparative ad aliud, & ex actu collativo confurgit. Secundo, quod semper fiat per actum reflexum, nam actus intellectus, quo fit ens rationis, semper supponit alium actum ejusdem intellectus, ut enim paries cognoscatur visum, supponitur cognitio alicujus visionis terminatæ ad ipsum, Ut fiat hircocervus, supponitur cognitio hirci, & cervi, & cum omne fiat ad instar entis realis, semper supponit cognitionem entis realis. Tandem e contra videtur nunquam fieri posse per actum reflexum, quia actus reflexus non facit ens rationis, sed attingit illud jam factum per priorem cognitionem directam, ut supra docuimus quæst. 2. art. 2. in fol. ad 1. cum Doctore 5. Met. quæst. 11. & disp. 1. quæst. 5. B.

62 Resp. negando assumptum, quamvis enim intercedat aliqualis comparatio in formando ente rationis, non tamen intercedit illa comparatio, qua refertur unum ad aliud, ut ad sumum terminum quæ proprie est comparatio, & per actum collativum fit, ut bene notavit Averfa quæst. 5. lect. 6. sed tantum concipimus unum ad similitudinem alterius, sic dicimus verb. gr. concipere tenebram in aere per comparationem ad lucem, quia eam concipimus extendi per aerem ut solet extendi lux, quæ proprie non est comparatio, sed potius imitatio, quod si conciperemus tenebram in aere velut quandam respectum ad lucem, tunc utique hæc foret vera comparatio, & referentia ad lucem, ut ad terminum, & esset ens rationis proprie factum per notitiam comparativam, ob illam tamen aliqualem comparationem dixit Suar. num. 16. actum formativum entis rationis esse aliquo modo comparativum, & forte etiam in hoc sensu locuti sunt Scotistæ illi, qui dixerunt, ens quodcumque rationis actu collativo fieri. Ad 2. si actum reflexum sumamus pro cognitione quomodocumque aliam priorem supponente, sic dici potest omne ens rationis fieri per actum reflexum, siquidem necessario illi supponitur cognitio entis realis, ad cuius instar efformatur; sed si actus reflexus sumatur proprie, pro eo scilicet quo intellectus se reflectit vel supra se cognoscens, vel supra objectum, ut a se cognitum, vel supra actum ipsum cognitionis (in quo sensu proprie distinguitur ab actu recto, non autem in priori, nam discursus supponit iudicium, & hoc apprehensionem, & tamen tam iudicium, quam discursus actus recti sunt, esto etiam ipsi possint esse reflexi) sic non est opus omne ens rationis per notitiam reflexam fieri. Ad 3. jam ibi quæst. 2. art. 2. in resp. ad instantiam factam contra solutionem secundi principalis plene declaratum est, quo sensu dicat Doctor ens rationis fieri per notitiam directam, non vero reflexam, nam loquitur de notitia reflexa mere speculativa, non autem de reflexa practica, & factiva, quæ in tantum appellatur directæ, & quia per ipsam primo intelligitur ens rationis, ut ibi dictum est.

63 Dicimus secundo, entia rationis spectantia ad materiam propositionis, & discursus fieri posse per tres operationes intellectus distributive, alia nempe per primam, alia per secundam, alia per tertiam, spectantia vero ad formam, ut genus, species, subjectum, predicatum, antecedens, consequens, &c. fiunt per primam dum taxat. Conclusio duas habet partes, & quoad utramque probatur, & explicatur; potest enim intellectus apprehendere terminos repugnantes, ut cum concipit alium Deum a Deo vero distinctum, chimeram, hircocervum, ac alios terminos incomplexos repugnantes; potest item componere compositiones falsas, & repugnantes, affirmando quod impossibile est, & negando, quod necessarium est, ut hominem esse brutum, hominem non esse animal; potest denique pravos efficere discursus ex aliquo antecedente deducendo, quod nullo modo sequi potest ex illo, sic autem apprehendendo, iudicando, & inferendo fingit directe id, quod non est, nec esse potest, qui enim dicit, *equus est rationalis*, non solum concipit equum, & rationale, sed etiam utriusque identitatem realem, quæ nullibi est, nisi in illa cognitione; similiter qui ex uno antecedente deducit consequens, quod ex illo sequi non potest, non solum concipit antecedens, & consequens, sed etiam consequentiam, quæ nullibi est, nisi in illa representatione, idemque dicendum in apprehensione termini simplicis repugnantis, cui nihil correspondet a parte rei, ergo objecta horum actuum vere sunt entia rationis directe fabricata per illas. Et in hoc sensu tantum admitti debet sententia superius relata initio quæstionis, quæ asserbat intantum per secundam, & tertiam operationem entia rationis fieri, quatenus intellectus falso iudicat, & male discurret; alioquin absolute loquendo non bene rem explicat, quia videtur velle, quod propositio, & syllogismus non sint entia rationis, nisi quando propositio est falsa, & syllogismus pravus, quod quidem falsum est; nam si propositio fit ve-

Quæst. VI. An solus intellectus efficiat ens rationis. Art. I. 141

fit vera, sive falsa, sive consequentia sit bona, sive mala, propositio in esse propositionis, & consequentia in esse consequentia sunt entia rationis formaliter, quia sunt nomina secundarum intentionum logicalium, sub qua tamen formalitate rationis non fiunt, nisi per primam operationem, ut mox patebit.

64 Altera vero conclusionis pars; quæ est contra Recentiores omnes afferentes secundas intentiones logicales ad eundem, & tertiam intellectus operationem spectantes, ut sunt predicatum, subjectum, consequens, consequentia, &c. fieri per illas non tantum fundamentaliter sed etiam formaliter. Probatur evidenter, & in primis quod entia rationis logicalia ad terminos simplices attinentia, scilicet, universale, genus, species, fiunt formaliter per primam operationem ex Adversariis concedunt quamplures, & facile probatur, quia cum intellectus cognoscit terminum simplicem, non eo ipso fit ens rationis, sed tantum habetur actus extrinsecus denominans illud objectum cognitum; & si res cognoscitur abstracte, non eo ipso habetur ens rationis, quod dicitur universale, sed tantum habetur denominatio extrinsecus, qua objectum denominatur abstracte cognitum; tunc vero habetur ens rationis formaliter, quod dicitur universale, quando illud esse cognitum abstracte concipitur in objecto per alium actum reflexum per modum alicujus formæ realis in re sic abstracte apprehensa. Eodem etiam modo probatur alia quoque entia rationis logicalia ad secundam, & tertiam operationem intellectus materialiter spectantia, fieri formaliter per primam intellectus operationem, considerando enim iudicium, quo affirmatur hominem esse animal, hoc ipso actu non efficitur ens rationis subjectum, predicatum, aut propositio, sed tantum habentur denominationes extrinsecæ, quibus animal determinatur affirmatum, & predicatum, homo subjectum, copula connectens, quæ denominationes extrinsecæ demum ut ab actu intellectus prædicantibus, subiciuntur, & connectentis duo in aliqua enunciatione, tunc vero entia rationis efformantur, cum intellectus concipit esse subjectum in homine, & prædicatum in animali, & connexionem in copula per modum quarundam relationum realium; sic etiam antecedens, consequens, & consequentia non sunt entia rationis per ipsummet actum illationis, sed solum denominationes extrinsecæ, quibus una propositio denominatur antecedens, vel inferens, alia vero consequens, vel illata; tunc vero fiunt entia rationis, cum esse inferens in propositione concipitur per modum cujusdam relationis ad propositionem illatam, & esse consequens concipitur in propositione illata per modum alterius correlationis; omnes autem istæ fisiones, quibus, scilicet, esse prædicatum fingitur ad modum formæ realis in objecto, esse antecedens, vel consequens in propositione, sunt per primam intellectus operationem, quia universaliter denominationes extrinsecæ non apprehenduntur ad modum entis, nisi per primam operationem, & per conceptus simplices. Cum ergo omnia entia rationis logicalia non solum ad terminos simplices spectantia, sed etiam ad formam enunciationis, & discursus sint extrinsecæ denominationes provenientes a diversis actibus intellectus, & denominationes extrinsecæ concipiuntur per modum entis per solam primam operationem, quia sola apprehensio est entium, ubi iudicium, & discursus sunt etiam non entium, consequenter hæc omnia fiunt entia rationis formaliter per illam.

65 Confirmatur, quia licet relationes rationis, quam important enunciatio, & argumentatio, in concreto, & in actu exercito, quatenus nempe applicantur actibus iudicii, & discursus, quid complexum importent; tamen in abstracto, & velut in actu signato etiam ipsæ sunt quid incomplexum, nam habitu, quam dicit prædicatum ad subjectum, etiam ut actu prædicatur, & consequens ad antecedens, etiam ut actu inferitur, est quid simplex, & incomplexum, cum non sit, nisi quedam relatio rationis, ut etiam concedunt Compl. c. n. 25. ergo non sunt objecta disproportionata primæ operationis.

Adversus hanc conclusionem obiicies 1. probando per primam operationem nullum fieri posse ens rationis; Tum quia in ea nulla datur falsitas, at ens rationis fit per actum falsum, quo nimirum concipitur res aliter, quam sit, qua ratione contendit Hur. cit. fieri solum per secundam operationem. Tum quia tanto magis videtur inepta ad entia rationis concifienda, quæ spectant ad enunciationem, & discursum, quia illa omnia sunt complexa, at prima operatio est incomplexorum, qua ratione videtur, nec efficere posse entia rationis pure ficticia Chymeram, & hircocervum, quia hæc fieri nequeunt, nisi per compositionem plurium naturarum impossibilium, quæ compositio ad secundam spectat operationem. Tum demum quia si per primam operationem fiunt entia rationis etiam spectantia ad secundam, & tertiam, ergo per istas nullo modo efficiuntur, sed potius facta inveniuntur ex vi solius primæ.

66 Resp. negando minorem, quia ad ens rationis præcisè sufficit, ut objectum, quod cognoscitur, non habeat esse, nisi in intellectu, quomodocumque id contingat, & hoc utique fieri potest per primam operationem; dicitur

autem in formatione entis rationis concipi res aliter, quam sit, non quia semper contingat in ea propria, & formalis falsitas, affirmando nimirum de re, quod non est, & negando, quod est, sed quia intervenit potius inadaquatatio quadam, & improprietas apprehendendo rem non per proprios conceptus, sed extraneos, & connotativos, quod est concipere rem aliter, quam sit, quasi præcisive, non divisive, ut diximus quæst. 2. art. 2. in fol. ad 1. & 2. patet ex dictis, quomodo etiam illa ipsa entia rationis in abstracto, & secundum se sint incomplexa, quod eo magis afferendum est de chymera, & hircocervo, quorum partes impossibiles intellectus non componit affirmando unam de alia, quæ compositio spectat ad secundam operationem, sed apprehendendo illa duo, ut unum per simplicem, & incomplexam attingentiam unionis factæ inter illa. Quod si etiam entia rationis spectantia ad formam enunciationis, & discursus secum ab intrinsecis aliquam adferrent complexionem, non adhuc forent porus disproportionata objecta primæ operationis, quia hæc suo modo extenditur etiam ad complexa, datur enim apprehensio non solum terminorum simplicium, sed etiam integræ propositionis absque assensu, vel dissensu, ut docet Scot. 2. d. 6. quæst. 2. & quol. 14. ar. 2. ubi inquit, tunc apprehendi propositionem, ut neutram. Ad 3. etiam ex dictis constat enunciationem, & argumentationem posse dupliciter considerari, vel quoad formam, pro illa, scilicet, ordinatione prædicari, subjecti, & copulæ in enunciatione, & propositionum in argumentatione; vel quoad materiam primam quantum ad veritatem, vel falsitatem connexionis prædicati cum subjecto in propositione, antecedentis, & consequentis in argumentatione: si primo modo considerentur, fiunt per primam operationem, quia illa ordinatio est relatio quedam simplex rationis, & quæ reperitur in omni propositione, & argumentatione, sive vera, sive falsa; at secundo modo fiunt a secunda, vel tertia operatione, quando sunt falsæ, quia in tali casu intellectus connectit plura, quæ inter se connexionem non habent, vel iudicando, vel discurrendo, unde eodem ipso actu directo iudicandi, vel discurrendi fiunt istæ complexiones ficticia, & falsæ.

67 At inflabis, etiam quantum spectat ad materiam propositionis, nihil rationis de novo ex parte objecti fictum additur in secunda operatione, quod non fuerit in prima, ergo ens rationis complexum nullo modo fit per secundam operationem, quia etiam quantum ad materiam reperit illud factum per primam, probatur assumptum quia in hac propositione *homo est brutum*, apprehensio præcedit iudicium, & per apprehensionem attingit intellectus nedum extrema realia, sed etiam unionem eorum, quæ est mere ficta ex modo dictis, cum ergo hæc unio fingatur a prima operatione, nihil rationis remanet addendum objecto per secundam, similiter possumus arguere de tertia. Resp. negando assumptum, sicut enim ex parte actus secunda operatio addit aliquid primæ, nempe determinationem quandam cognitionis per assensum, vel dissensum, ita ex parte objecti additur, quod determinato modo cognoscatur per affirmationem, vel negationem, unde dicitur facere ens rationis quantum ad hunc peculiarem modum determinationis, dum affirmat, quod non est possibile, vel negat quod est necessarium.

68 Secundo obiicies probando fieri entia rationis spectantia ad formam propositionis, & discursus per secundam, & tertiam operationem, quia cum intellectu affirmat unum de alio, & unum ex alio deducit, statim resultat relatio rationis inter subjectum, & prædicatum, inter propositionem inferentem, & illatam, ergo per iudicium fit formaliter ens rationis prædicatum, & subjectum, per discursum antecedens, & consequens; Confirm. quia licet prædicatio, & consequentia in abstracto, & actu signato simplices importent relationes per primam operationem attingibiles, tamen in concreto, & actu exercito sine complexione non fiunt, atque ita non nisi per secundam, & tertiam.

Resp. negando assumptum, sistendo enim præcisè in actibus iudicii, & discursus, non habemus, nisi extrinsecas illas denominationes, sunt autem relationes rationes, cum denominationes illæ cogitantur ad modum realis relationis, quod utique fit per simplicem apprehensionem collativam. Ad Confirm. dicitur per eam solum probari fundamenta illarum relationum, ipsas nimirum complexiones, quibus applicantur, fieri debere per secundam, & tertiam operationem, quod utique verum est, at non probat per istas etiam attingi relationes illas rationis, quæ solum a prima operatione inducuntur super complexiones factas a secunda, & tertia.

Q U Æ S T I O V.

An quilibet intellectus possit ens rationis efficere.

69 **T**ota hujus quæstionis difficultas reducitur ad intellectum divinum, de humano enim, & angelico secundum se, & naturaliter consideratis nullus videretur dubitandi locus, & quidem de humano omnes concedunt, ac et-

ac etiam de angelico concedere debent posse entia rationis efficere, cum enim & ipse discurrat (ut modo supponimus) & multa per conjecturam cognoscat, potest utique circa talia objecta actus falsos elicere, ex quibus resultent entia rationis; imo & per primam operationem potest id, quod non est, cogitare, ac si esset, & in hoc nulla cernitur repugnantia; nec aliquid cum ejus natura impossibile; si enim illi non repugnat peccatum, & error, tanto minus entia rationis effingere, etiam si aliquam involvat imperfectionem, ac intellectus errorem. Itaque de solo intellectu divino remanet difficultas, quæ est Theologica sit, quia tamen ejus intelligentia ad formationem entis rationis multum conducit, & ex principiis logicis ejus solutio dependet, in præfenti non inconulto proponitur; Neque hæc disputatio inquit cum illis Auctoribus, qui supra quæst. 2. constituebant entia rationis formaliter in denominationibus extrinsecis cogniti, & cogitati, sic enim certum est Deum formare entia rationis, quemadmodum indubitatum est seipsum, & alia a se cognoscere, & juxta hanc viam docet Smiling, trac. 3. disp. 2. nu. 197. Divinum intellectum entia rationis fabricare, ut consequenter loquatur; Neque est disputatio cum Auctoribus, qui præced. quæst. asserbant ens rationis formaliter fieri solum per actus falsos, sic enim tam certum est divinum intellectum ens rationis efficere non posse, quam falli non posse, vel decipi. Igitur sola disputatio est cum eis, qui nobiscum conveniunt tam in formalitate, quam in formatione entis rationis, ut supra explicatum est; cum enim juxta hanc viam fiat ens rationis, cum cogitatur, quod non est, ac si esset, idest per quandam comparationem ad ens verum, seu sub quadam similitudine veri entis, prout nos illud imaginamur, concipere autem hoc modo videtur imperfectus concipiendi modus, quia aliqua saltem improprietas, & inadæquatio reperitur in eo, hoc est, quod dubitationem facit in præfenti, & Auctores scindit in diversas opiniones.

70 Prima est eorum, qui hac de causa nedum negant divinum intellectum ens rationis efficere, sed etiam ab alio factum cognoscere, cum enim fieri ens rationis sit cognoscere, profecto si cognoscit, facit, sequuntur Vasquez I. p. disp. 118. c. 2. & 3. Cælest. disp. 2. Log. sec. 1. & alii. Secunda e diametro opposita utrumque affirmat, & cognoscere, & efficere, eo quia tota illa imperfectio potius se tenet ex parte objecti intelligibilis, ita Faber, & Fuentes cit. cum omnibus antiquioribus Scotistis, talis enim videtur fuisse Doctoris sententia I. d. 30. qu. 2. §. Respondeo igitur, & d. 35. qu. un. §. Potest dici ad questionem, & d. 36. & 4. d. 16. qu. 2. & quol. 17. & alibi sæpe, & cum in hunc sensum interpretantur ejus expositores Licher, Tatar, Barg, & alii circa ea loca, & sequuntur Formalistæ omnes, ac etiam multi ex Neotericis, inter quos totus præfertim est Arriaga disp. cit. sec. 4. Tertia sententia media valde communis, (& plausibilis negat divinum intellectum entia rationis efficere, addit tamen cognoscere a nobis facta, vel factibilia, ita Suarez disp. 54. Met. cit. Aversa q. 5. sec. 5. Blanc. disp. 1. sec. 5. Ruvius trac. de ente rationis, Vulpus ex nostris to. 1. p. 1. disp. 28. art. ult. & disp. 29. art. 4. Quarta distinguit de ente rationis facta, ut sunt illa, quæ entia prohibita dicuntur, & figmenta, & fundata, quales sunt intentiones logicæ, & aliæ multæ relationes, concedit entia rationis secundi generis fieri posse ab intellectu divino, quia nulla in eorum formatione intervenit imperfectio, non autem entia primi generis, ita Amic. trac. 3. qu. 3. dub. 5. art. 2. Meurisse cit. qu. 4. ubi negat Deum facere entia rationis fictitia, affirmat facere illa, quæ habent esse per resultantiam, quales sunt relationes rationis; ita etiam loqui videtur Jo. de S. Thom. nam q. 2. art. 5. ait entia rationis, quæ ex sua intrinseca ratione formantur, & cognoscuntur ex imperfecta rei apprehensione. Deum facere non posse, bene tamen quosdam respectus rationis, qui non fundantur super cognitionem imperfectam, re tamen vera potius est tertiarum opinionum, quia addit hos respectus rationis tantum fundamentaliter ab intellectu divino causari, non formaliter. Quinta tandem affirmat posse divinum intellectum ens quocumque rationis efficere, sed ad evitandas difficultates inquit, hoc non posse facere directe, & immediate, ut facit intellectus creatus, sed tantum indirecte, & mediate, quatenus cognoscendo entia rationis a nobis facta dar illis rursus aliud esse objectivum quasi secundarium, ita sentire videtur P. Didacus a Jesu disp. 3. qu. 3. cum quibusdam aliis.

71 Dicimus I. Divinum intellectum cognoscere entia rationis a nobis facta, tamen ex vi illius cognitionis illa non facere. Conclusio est contra primam opinionem, & quoad primam partem est adeo certa, quod Turrianus opul. 7. disp. 4. dub. 8. conatur ostendere Vasquez ipsum ab ea non recedere; manifeste colligitur ex illo Sapientia 8. Scit veritas sermone, & dissolutiones argumentorum, signa, & monstra scit, antequam fiant, & probatur evidenti ratione, quomodo enim diceretur Deus scire cordium cogitationes, nisi objecta cogitata videret, quæ sæpe sapientius impossibilia sunt, & chymica, ut cum affirmamus equum esse rationale, hominem irrationalem &c. Nec valet re-

sponso Vasquez cognitionem illam dicere ordinem transcendentalium solum ad illa extrema realia, non ad unionem fictam inter ea, atque ideo Deum cognoscere solum extrema illa realia, non ens rationis. Non valet, quia ille actus est falsus, & ut talis a Deo cognitus, ergo non tantum extrema illa realia attingit Deus, verum etiam unionem a nobis affirmatam inter ea, quia sola extrema attingere non sufficit ad cognoscendam falsitatem actus, cum illa eadem attingi possint per actum verum, ut si dicatur equum non esse rationale. Nec minus valet, quod ait, ens rationis nostrum non posse habere esse objectivum in mente Dei, quia in mente sua non habet nostrum conceptum formalem, a quo dependet; Alioquin nec intelligere posset objectum reale cognitionis nostræ, eo quod illam cognitionem in mente sua non habet. Non ergo opus est divinum intellectum nostra cognitione informari, ut attingat objectum ejus sive reale, sive rationis, sed sufficit, ut illa sit objective in divina mente, tunc enim non tantum ipsa attingitur a Deo, sed etiam illud ipsum objectum, quod erat ejus terminus in mente nostra. Nec deum valet, quod inquit alii, cognoscere quicquid est in nostro intellectu, & hoc ad divinam spectare perfectionem, non tamen semper eo modo, quo est in ipso, quia cum hic sit imperfectus, attingi non posset sine imperfectioe ex parte Dei, sic dicere solemus Deum nostras cognoscere complexiones, & discursus, sed sine complexione, & discursu. Non valet, quia ad excellentiam divinæ comprehensionis spectat nedum attingere, quæcumque cognoscuntur a nobis, sed etiam modum quantumvis imperfectum, quo cognoscuntur a nobis, quia & hic ipse utique cognoscibilis est, unde & ipsos nostros discursus, licet Deus attingat sine modo discursus ex parte potentia, non tamen ex parte objecti, alioquin cognosceret objectum aliter, ac est; ergo ens rationis a nobis factum debet a Deo cognosci, & etiam ipse modus quo a nobis factum est. Et tota hujus ratio est, quia licet falli, & fingere ens rationis si hoc modo fiat, sit imperfectio, perfectio tamen est cognoscere alios falli, & illorum figmenta, ac proinde talis cognitio non est Deo deneganda.

72 Deinde, quod ex vi talis cognitionis non dicatur Deus formare entia rationis, quod est altera pars conclusionis, & est contra Poncium disp. 1. Log. n. 95. probatur facile ex dictis qu. 2. art. 2. in sol. ad 1. ubi diximus ens rationis non existere, nec formari per illam cognitionem, qua cognoscitur, ut quod, & terminus cognitus, seu in qua habet præcisè rationem objecti, non effectus, sic enim solum redditur cognitum denominative, sicut alia res, quando cognoscuntur, sed quando Deus cognoscit entia rationis a nobis formata, attingit ea tali genere cognitionis, nam supponit illa a nobis efformata per aliam cognitionem, & cognoscit illa, ut quod, ergo solum reddit illa extrinsece cognita, non autem illa format. Nec refert quod ita cognoscendo det illis esse objectivum; quia ut notat Gillius lib. 2. tr. 6. cap. ult. duplex est esse objectivum, alterum entis rationis proprium, & est illud, quod nullum prorsus aliud supponit esse in objecto, sive reale, sive rationis ex vi prioris cognitionis: alterum commune cum aliis rebus, quæ obiciuntur intellectui, per quod non constituitur ens rationis; dum autem Deus cognoscit entia rationis a nobis facta, tribuit illis esse objectivum secundi generis. Tandem suadetur a priori, ens rationis nequit esse extra potentiam formantem illud, immo neque extra illum actum, quo dicitur formari, quia totum esse suum debet habere in illo, & ex vi illius, sed quando Deus cognoscit entia rationis a nobis facta, non solum attingit illa ut existentia extra suum actum, sed etiam extra suum intellectum, nam illa videt in intellectu nostro, ergo ex vi talis cognitionis non format illa.

Forse dices, saltem indirecte illa efficere, quia indirecte, & mediate intelligit aliquid, quod non est ita a parte rei. At neque hoc dici potest, quia Deus cognoscendo creatum intellectum fingere ens rationis, dum concipit rem aliter ac est, eo ipso cognoscit rem sicut est, hoc enim modo concipit intellectus creatus ens rationis, unde ly aliter, ac est, est modus cognitionis humanæ, & objectum divinæ, & declaratur exemplo; si enim quis affirmat Petrum esse mentitum, hic nullo modo mentitur, nec directe, nam ita est a parte rei, sicut affirmat, ergo pariter dum Deus videt creatum intellectum ens rationis efficere, dum concipit rem aliter, ac est, nec directe, nec indirecte concipit rem aliter ac est, nam ita res se habet a parte rei, sicut ipse novit.

73 Major est difficultas, an possit Deus entia rationis in se cognoscere absque ordine ad intellectum nostrum, hoc enim admittendo difficile est evadere, quin format entia rationis, ita enim ex vi divinæ cognitionis recipe-rent esse objectivum omnino primum, quod est proprium entis rationis, & quidem non videret negari posse Deum ita entia rationis cognoscere posse, nam de facto Deus multa impossibilia novit absque ordine ad intellectum nostrum, puta chymeram repugnare, equum rationale non esse possibilem, & utique cognoscit Deus, quod negat, & impossibile reputat; cum igitur hac objecta attingat in se, & non intellectu nostro, formabit entia rationis. Accedit

ex

ex Scoto r. d. 43. qu. un. impossibilitatem in rebus formaliter pendere ex rationibus formalibus earum, principative vero ab intellectu divino, ergo attingit impossibilia independentè ab intellectu nostro, & de facto ita cognovit ab æterno, quando nullus extabat creatus intellectus, qui illa effingeret. Nec sufficit dicere cum communiter tunc cognita fuisse in fictione humana futura, aut possibilia, cum enim ab æterno cognoverit omnes, & singulos actus tam veros, quam falsos a mente humana temporis decursu futuros, vel saltem possibiles, cognovit consequenter objecta horum actuum. Non sufficit, quia etsi hoc modo cognoscit poterit ut objecta nostrorum actuum, tamen adhuc absolute independentè ab eis cognosci poterunt, nam data hypothesi, quod intellectualis creatura repugnaret in rerum natura, adhuc divinus intellectus impossibilia cognosceret, ergo eorum intelligibilitas non habet necessariam connexionem cum actibus nostris futuris, vel possibilibus; si ergo potest dare illis esse objectivum independentè ab eo, quod eis tribuitur, vel tribui potest ab intellectu creato, videtur facere posse ens rationis; itaque pro resolutione hujus difficultatis.

74 Dicimus secundo utrumque esse probabile, quod divinus intellectus facere possit, vel non possit ens rationis. Conclusionem hanc ponimus problematicam, quia Doctorem de hac re omnino certum non habemus, quamvis enim locis citatis pro secunda sententia partem affirmativam problematis asserere videatur, alibi tamen vel negativam insinuat, ut in I. d. 8. qu. 4. N. ubi negat intellectum divinum, eo quia omnia intuitively cognoscit, sicut sunt, posse causare relationem rationis, & concipere ut distincta, quæ a parte rei distincta non sunt, vel saltem dubitative loquitur, ut in I. d. 35. H. ubi quatuor instantia ponit, in quorum primo ait, Deum intelligere essentiam sub ratione mere absoluta, in secundo producere lapidem in esse intelligibili, in tertio comparando intellectum suum ad quocumque intelligibile forte posse causare in se relationem rationis ad lapidem intellectum, in quarto demum reflexione cognoscere illam relationem rationis; Qua de causa etiam Mauritius qu. 8. universi. dub. 5. hanc tangens difficultatem, an possit divinus intellectus causare respectus rationis, problematicè procedit, dicens asseri posse, quod Deus hæc entia rationis cognoscit ut habent esse objectivum in intellectu creato; ut tertia ponebat opinio, vel non esse inconveniens ponere hujusmodi respectus in Deo, ut etiam habent esse cognitum, & objectivum in intellectu ipsius, ut asserbat secunda opinio, quæ consequenter asserat ens rationis ab intellectu divino effici posse.

75 Affirmativa pars problematis diversimode probatur a diversis. Quidam ex eo probant, quia in efficientia entis rationis nulla intervenit falsitas, vel error, præsertim cum sit per simplicem apprehensionem, nam non ens reale, quod tunc obicitur intellectui, non cogitatur esse a parte rei, sed simpliciter cognoscitur existere objective in intellectu, quod non falso, sed vere dicitur, ergo efficere ens rationis non repugnat intellectui divino. Hæc ratio est insufficientis, quia licet non sit falsitas in tali conceptu nostro, cum non affirmet intellectus noster ens rationis esse verum ens, cum sciat contrarium, tamen in eo conceptu improprietas quædam videtur esse, quatenus non ens reale, etsi non apprehendamus esse ens reale, apprehendimus tamen illud ad modum entis realis, & per species alienas, quod est extraneo modo rem attingere, & quasi aliter, quam sit saltem modo præcisivo, si non diviso. Alii probant ex eo, quod non est de ratione entis, ratione ut res cognoscatur aliter, ac sit, sed tantum quod aliud esse non habeat, quam objectivum, potest autem intellectus divinus tale esse tribuere non enti. Neque hæc ratio sufficit, nam dicit sustinens partem negativam problematis repugnare, quod aliquid habeat tantum esse objectivum in intellectu, & non intelligatur aliter, quam est, non quidem, ut sit ens reale, sed quia ad modum entis realis concipiatur, & in illis subjectis concipiatur esse, in quibus vere non est, ut relationem in Deo ad creaturas; ergo eo ipso quod aliquid concipitur esse, quod re vera non est, nec esse potest, non conformatur intellectus objecto a parte rei, atque ideo concipit rem aliter, ac sit. Nec dicas intellectum in concipiendo ente rationis conformari debere objecto, ut est in ipso intellectu, non ut est a parte rei. Quia tunc sequeretur ens rationis fieri non posse, nisi per actum verum, nam talis conformitas semper adest, quod tamen est omnino falsum. Alii probant, quia licet efficere entia rationis, & rem aliter, ac est, cognoscere assentiendo, ut facit intellectus noster, sit maxima imperfectio, quia intervenit deceptio, tamen ea efficere per actum disensus, & cognoscere aliquid aliter, ac est, dummodo cognoscatur, ut est, non infert imperfectioem in cognoscendo, quia per hoc secundum omnia ab eo excluditur imperfectio, ac proinde Deus potest hoc modo ens rationis efficere, ita Ovid. contr. 12. Met. pun. 7. & Poncius disp. 1. Log. nu. 97. Sed plane hoc aliud non est, quam dicere posse Deum habere aliquam imperfectionem, dummodo etiam habeat perfectionem, quod est prorsus ridiculum, etsi enim posterior concipiendi modus deceptionem non inducat in cognoscendo, adhuc tamen arguit imperfectionem in mo-

do cognoscendi rem aliter, ac sit. Accedit, Deum per actum disensus ens rationis facere non posse circa impossibilia, cum enim intelligit Chimeram repugnare, equum esse non posse rationalem, profecto dicit, quod est a parte rei, atque ita non efficit ens rationis.

At instat Ovid. contr. 12. Metaph. punct. 6. concl. 7. ens rationis fieri per disensus chimæ, seu per iudicium, quo dicitur, *chymera est non existens, & repugnans*, quia per hoc iudicium non solum cognoscitur repugnantia chimæ, seu non esse chimæ, sed etiam ipsa chimæ, cujus est negatio, seu de qua prædicatur negatio; ergo hoc iudicium habet duplex objectum, negationem scilicet & chimæram; ergo ex vi hujus iudicii datur aliquod habens esse objective in intellectu, quod nullum esse habet extra intellectum; ergo ex vi hujus iudicii datur ens rationis, quod est id, quod tantum habet esse objective in intellectu. Ad rationem vero nuper adductam, quod totum illud complexum, chimæra non existens, datur a parte rei, & ideo apprehendens chimæram, ut non existentem, non facit ens rationis, respondet chimæram, ut non existentem duo dicere, negationem chimære, & ipsam chimæram, primum habet esse a parte rei, quia a parte rei est negatio chimære, secundum scilicet chimæra non habet esse a parte rei, sed tantum objective in intellectu, ex quo fit cognoscendum hoc complexum, chimæra ut non existens duo cognoscere, negationem scilicet chimære, ex vi cujus præcisè non facit ens rationis, & ipsam chimæram, ex vi cujus facit ens rationis: fundamentum hujus Auctoris, quo contendit per disensus circa impossibilia fieri ens rationis, & hinc solvit rationem allatam, falsum est, nempe quod per illud iudicium, quo dicitur, chimæra est non existens, non solum attingatur repugnantia, seu non existentia chimære, sed etiam ipsa chimæra, nam ut ex professo dicemus disp. 6. de Anim. quæst. 10. art. 2. ac tenet etiam Ovid. ipse contr. 5. de Anim. punct. 2. actus iudicii est una simplex qualitas, cujus proximum, & immediatum, immo, & adæquatum objectum non sunt termini illi incomplexi subjectum, & prædicatum, sed copula illos connectens; termini vero illi attinguntur per actus apprehensionis præcedentes actum iudicii, illique coexistentes, cum advenit; cum ergo extrema illa non attingantur ex vi actus iudicii, sequitur evidenter per iudicium, quo dicitur, chimæra non est existens, non fieri ens rationis; quia per talem actum præcisè attingitur repugnantia, sive non existentia chimære, non autem ipsa chimæra, unde constat tam rationem Ovid. quam ejus solutionem ad nostrum argumentum falso inniti fundamento, quod nec ejus principiis consentaneum est. Alii probant ex eo, quod vis efficiendi ens rationis non oritur ex imperfectioe intellectus, sed potius ex perfectione, nam secundum hanc rationem superat potentias sensitivas, quæ nequeunt sibi formare objectum ad similitudinem proprii objecti. Sed neque hæc ratio urget, alioquin probaret esse perfectionem in intellectu sibi concipere objectum per actum falsum; & quia putatur ratio a priori sumpta ex universalitate objecti intellectus, rursus ponderabitur infra. Alii denique distinguunt de variis generibus entium rationis, & dixerunt unum genus efformari posse ab intellectu divino, non aliud, fundata nimirum, non fictitia, quia in his formandis utique falsitas intervenit, & deceptio, quia nullum correspondet fundamentum a parte rei, at non in illorum formatione, cum intellectus tunc tribuat objecto, quod illi convenit ratione fundamenti, qua de causa nec fingit, nec decipitur. Sed quamvis hæc via facilior videatur ad hanc partem problematis defendendam, tamen solidior ratio pro hac parte universaliter probat de ente rationis tam fundato, quam non fundato, quod possit fieri a Deo. Accedit, quod oppositam partem sustinentes adhuc urgebunt, quod licet cognitio formativa entis rationis fundati veritatem habeat ratione fundamenti, falsa tamen erit ratione objecti immediati, & formalis.

76 Ratio igitur ad hanc partem probandam est, quia potest Deus quocumque ens rationis cognoscere absque ordine ad intellectum creatum, & consequenter dari illi primum esse objectivum, & imperfectio, quæ intervenit in fabricando ente rationis, oritur præcisè ex natura objecti, quod ita petit intelligi, nam cum intrinsece analogiam includat ad ens reale, non nisi ad instar ejus, & per ordinem ad illud intelligi potest, & hic est modus proprius intelligibilitatis ejus, & quando ita intelligitur, dici potest intelligi, sicut est, quia talis est ejus natura, ut intelligatur per imitationem entis realis; cum igitur tota imperfectio se teneat ex parte objecti, poterit divinus intellectus illud attingere etiam ad modum entis realis, quia ad perfectionem ejus spectat, ut unumquodque cognoscat, sicut est; nec absurdum est divinum intellectum concipere objectum cum imperfectioe, quam secum addert ex natura rei, & per hoc solvi possunt omnes rationes partis oppositæ, quæ fundantur in imperfectioe potentia requisita ad faciendum ens rationis.

77 Pars vero problematis opposita, quod nequeat divinus intellectus entia rationis concipere, ex opposito fundamento est probanda, quod nempe imperfectio, quæ intervenit in fabricando ente rationis, non oritur præcisè ex natu-

natura objecti, sed ex nostro praesertim improprio, & inadæquato concipiendi modo, quo saepe sapius concipimus, quæ non sunt distincta, ut distincta, quæ non sunt relata, ut relata, quæ sunt negativa, & privativa, ut positiva, in quibus omnibus apparet res concipi extraneo modo, & non quales sunt, hoc autem repugnat perfectioni divini intellectus, qui res cognoscit ut sunt in seipsis, & ideo cum entia rationis non sunt in rebus ipsis, non potest cognoscere ibi esse v. g. distinctionem, ubi non est, relationem, ubi non est: poterit igitur divinus intellectus attingere in intellectu creato hunc imperfectum cognoscendi modum, sed nequaquam eo uti, poterit etiam attingere entia rationis cognoscendo fisiones ab intellectu nostro futuras, vel possibiles, quarum sunt objecta, non tamen illa attingere in seipso, & hæc pars problematis magis consonat communi modo loquendi de ente rationis.

78 In oppositum arguitur primo, quod Deus non cognoscit entia rationis a nobis facta; Tum quia esto attingat omnes fisiones nostras, non proinde dicendum est cognoscere ens rationis, quod per eas efficiamus, quia vel attingeret idem numero ens rationis per illas machinatum ab intellectu nostro, & hoc non: quia istud ens rationis ita dependet ab actu illo intellectu creato, ut a quavis alia cognitione dependere repugnet, vel attingit aliud ens rationis, quod ipse faciat ad similitudinem illius, & neque hoc, alioquin non attingeret ens rationis a nobis factum, sed aliud ei simile. Tum quia si cognoscendo fisiones nostras attingit etiam figmenta, quæ sunt earum objecta, jam illa cognoscet ad modum entis, quia sic continetur in ea fisione, ergo efficiet ens rationis, quia hoc est cognoscere non ens ad modum entis. Tum tandem, quia etiam illa cognosceret ut a nobis facta, tamen quia recipiunt novum esse objectivum ab intellectu divino, tanquam ab integra causa, nam ad illud, ut sic, non concurrat intellectus creatus, erunt entia rationis ab ipso effecta, non autem ab intellectu creato.

Resp. intellectum divinum cognoscere idem ens rationis a nobis factum, quod licet in esse, & fieri ita pendeat ab actu illo intellectu creato, ut sic nequeat ab alio dependere, potest tamen ab alio actu dependere in cognoscendi modo mere speculativo, & veluti in esse signato & in hoc sensu penderat a cognitione Dei. Ad 2. immediate, & formaliter cognoscit illa sicuti sunt, quia videt esse figmenta, & entia rationis, & videt solum attingit illa per modum entis, quatenus videt sic esse objecta nostrorum actuum. Ad 3. dat. illis esse objectivum extrinsecum, & denominativum, quale est illud, quod convenit etiam entibus realibus, non autem intrinsecum, & formale, quod solum constituit ens rationis ex dictis concl. 1. & ideo licet illud esse objectivum primi generis a solo pendeat intellectu divino, non ideo dicuntur ab eo entia rationis fieri, sed tantum facta, vel factibilia cognosci.

79 Secundo, quod possit facere ens rationis. Tum quia, ut arguitur Amic. cit. vis efficiendi ens rationis pertinet ad perfectionem intellectus creati, ergo non debet denegari divino: probatur assumptum, quia oritur ex latitudine, & universalitate objecti, quæ utique ad perfectionem potentia spectat, nam quo potentia ad plura se extendit, eo est perfectior, & ideo vis effectiva entis rationis negatur potentia sensitiva ob ejus imperfectionem, quia arctatur ad ens determinatum, tanquam ad objectum, puta ad rem sensibilem. Tum quia ut arguitur Fuent. cit. de ratione intellectus comprehendens est, ut objectum omni modo, quo cognoscibile est, penetret; sed privationes, & angeli non solum secundum se, sed ad modum alterius sunt attingibiles, ergo a divino intellectu etiam hoc modo attingi possunt formando entia rationis. Tum tandem, quia Deus cognoscit privationes, & negationes, quæ sunt non entia, & utique per modum entium, quia nihil est per se intelligibile, nisi ens, & ut Doct. ait quæst. 4. univers. nihil intelligitur sub ratione non entis, & hæc necessitas communis est omni intellectui, quia non fundatur in imperfectione intelligentis, sed in ipsa natura objecti intelligibilis, ergo &c.

Resp. negando assumptum cum sua probatione, non enim ita patet objectum adæquatum intellectus, ut etiam sub se directe comprehendat ens rationis; immo ex Doctore 1. d. 3. quæst. 3. solum ens reale est objectum primum primitivæ adæquationis; quare ex latitudine sui objecti non habet, quod ferri possit in ens rationis, nisi in virtute entis realis, & concipiendi ens rationis ad modum ejus, & quia talem collationem non entis ad ens reale nequit sensu facere ob suam materialitatem ex Scoto quol. 17. C. ideo negatur illi vis efficiendi ens rationis, quæ tamen in intellectu non est imperfectio simpliciter, sed perfectio supplens imperfectionem, aut potius imperfectio, & improprietas in concipiendi; neque hoc est mirum, quia etiam vis reflexiva tribuitur intellectui ob ejus spiritualitatem, & negatur sensui ob ejus imperfectionem, & tamen formaliter non reperitur in Deo. Ad 2. valet assumptum de modis non inducentibus imperfectionem in comprehendente, qualis est ille, quo ens rationis efficitur, alioquin probaret etiam res a Deo cognosci debere cum discursu, cum hoc quoque modo sint cognoscibiles. Ad 3.

perfectus modus cognoscendi negationes, & privationes non est illas attingere directe per modum entis, sed indirecte judicio quodam divinis, quo modo attingimus certitatem concipiendi in tali organo non esse potentiam visivam, sic enim cognoscitur sicuti sunt, & per modum non entis, & hoc quidem modo cognoscuntur a Deo, in quo nullum intervenit ens rationis, quia non concipiuntur ad modum entis.

80 Tertio e contra probatur non posse Deum efficere ens rationis. Tum quia vis efficiendi ens rationis non tamen pendet ex imperfectione objecti intelligibilis, quam intellectus, qui non adæquate objectum comprehendens, nec intuitive videns, causas in eo distinctionem rationis, & alias intentiones logicas, quæ sunt per abstractionem. Tum quia tunc concipere potest, quæ non sunt distincta, ut distincta, quæ non sunt relata, ut relata, & privativa, ut positiva, & consequenter res aliter, ac sint. Tum tandem quia entia rationis dicuntur formæ factæ, praesertim quæ nullum habent fundamentum in re, ergo nequeunt a Deo fieri, alioquin fingere diceretur.

Resp. negando assumptum, quamvis enim quædam entia rationis ex sua intrinseca ratione formantur ex imperfecta apprehensione rei, ut forte sunt relationes rationis in argumento tactæ, tamen universaliter loquendo vis efficiendi ens rationis pendet potius ex parte objecti intellectus, quod cum sit ens, intellectus volens concipere nihil, cogitur formare ens rationis, quia nihil concipere potest, nisi sub ratione entis, & ideo non est absolute afferendum Deum nullum profus ens rationis efficere posse; quin etiam intellectus circa objectum intuitive visum potest formare ens rationis, puta relationem visivi, ac intuitive cogniti, de quo vide Lichet. 1. d. 8. quæst. 3. in §. *Præterea intellectus intuitivus*. Ad 3. negatur in efficientia entis rationis semper miseri errorem, & rem concipi aliter, ac sit, quia esse, quod tunc intellectus tribuit non enti, & esse discretum, vel relatum quod tribuit non distinctis, & non relatis, non est reale, sed rationis, & concipit non ens sub illa ratione entis, quæ illi convenit ex vi intellectus; in quo nullus intervenit error, nam concipit non relata realiter, ut relata ratione, non ens realiter, ut ens rationis, & quamvis in hac conceptione cogatur ex natura ipsa entis rationis illud concipere ad instar veri entis, non ob hoc concipit illud, ut verum ens reale, sed ad ejus similitudinem, quæ duo multum differunt; nam in prima conceptione est falsitas, & error, non in secunda; immo eo ipso quod ens rationis concipitur ad instar entis realis, concipitur, ut est, ob intrinsecam analogiam, quam habet ad illud. Ad 3. non omnia entia rationis debent dici facta, nam illa, quibus correspondet a parte rei fundamentum, proprie non sunt figmenta (nisi forte talia dicerentur per comparationem ad entia realia, quorum umbræ, & spectra dicuntur) ut infra ex Scoto dicemus quæst. 4. univers. in fine, & 5. Met. quæst. 11. ab initio; sed quicquid sit de antecedente, negatur Consequentia, tunc enim Deus fingere diceretur quando ita conciperet impossibile, ut illud affirmaret esse, at Deus ita concipit, ut simul neget esse, quod non est fingere, sed potius evertere figmentum, ut bene advertit Arriaga sect. 4. num. 41.

Q U Æ S T I O V I.

An Ens Rationis habeat proprias affectiones, & quæ sint.

81 **N**ON querimus hic, num entia rationis habeant proprietas, quæ ab ipsis vere fluant, sicut enim non sunt proprie entia, ita nequeunt habere veras proprie entia, ita nequeunt habere veras proprietates ab ipsis vere fluentes. Quemadmodum ergo dicuntur entia per solum analogiam ad ens reale, ita querimus proprietates, quæ tales dicantur per analogiam ad veras proprietates, & quatenus ad modum illarum concipi possunt.

Dicimus Primo Ens Rationis habere in suo ordine proprias affectiones. Conclusio est Scoti 4. d. 1. quæst. 2. 1. & quæst. 6. univ. ubi esto in specie loquatur de secundis intentionibus, & universalis logica, doctrina tamen communis est, & probatur, tum quia, ut ait Doct. cit. in entibus rationis non solum invenitur prædicatum in quid, & prædicatum in quale essentialiter, sed etiam in quale accidentale convertibile, quod est priorum, ut inductione probari potest in omnibus; tum quia formari possunt de ipsis propositiones, nedum in primo modo dicendi per se, sed etiam in secundo, in quo propria passio de suo subiecto prædicatur; tum tandem quia si habet suo modo essentiam, ergo etiam & proprietates ab ea fluentes e proportionatas, nam quamcumque essentiam propriæ comitantur passiones.

Contra obiicitur; Tum quia proprietas ita se habet, ergo subiectum, quod ex natura rei distinguitur ab illo, ab ejus quidditate fluit & est minus ens illo, sed nullas affectiones cogitari possunt, quæ ita se habeant erga ens rationis, non enim ex natura rei distingui possent ab ente rationis, cum non existerent a parte rei; nec possent ab ejus

Quæst. VI. Quotuplex sit Ens Rationis.

ejus quidditate fluere, cum ens rationis nullam habeat efficientiam; nec possunt esse minus ens eo, quia quod est minus ens ente rationis est penitus nihil. Tum quia tales passiones non essent reales, ut patet, neque rationis, alias continerentur essentialiter sub ente rationis, & de illis essentialiter prædicaretur, quod repugnat cuilibet essentiali respectu propriarum passionum. Tum tandem, quia dantur quædam entia rationis, quæ nullam habent determinatam naturam, eo quia nullum habeant a parte rei fundamentum, ut sunt chimerica, ergo saltem ista proprias passiones habere non possunt, quia istæ petunt determinatam naturam, a qua fluere concipiuntur.

92 Resp. condiciones propriæ passionis assignatas in majori solum affectionibus realibus simpliciter convenire; at secundum quid possunt etiam convenire affectionibus rationis, nam suo modo concipi possunt, & fluere ab essentia entis rationis, & ab illo ex natura rei distingui, & esse minus ens eo, nec ob id sequitur esse nihil profus (ait Doct. cit. q. 6. univers. ad 4.) quia sicut in entibus realis dantur gradus in essendo, nam accidens est minus ens substantia, non tamen nihil, ita suo modo admitti debent in entibus rationis, cum omnino concipi debeant ad instar eorum. Ad 2. sicut ens reale ob suam transcendentiam prædicatur de suis passionibus, vel quidditative, ut ajunt Thomistæ, vel denominative, ut nos, & ideo essentialiter non continentur sub ipso, cum proprie, & formaliter non sit ens reale, sed tantum aliquid ejus, ita pari modo dicendum de ente rationis. Ad 3. chimera, & similia entia rationis fundamento carere dicuntur, & non habere determinatam naturam, non quia nullum habeant profus fundamentum, & occasionem a parte rei, nec quia non habeant naturam sibi proportionatam, sed quia fundamentum illis correspondens a parte rei non determinat nos ad illa fingenda hoc potius, quam illo modo, & non nos determinat fundamenta, quæ solent correspondere determinatis entibus rationis, & secundis intentionibus generis, speciei, &c. potest igitur ipsis etiam adscribi natura suo modo determinata, & affectiones illis correspondentes; immo hæc ipsa eorum natura, vel affectio necessaria, quod fingi possint quocumque modo ad libitum nostrum, & per hoc essentialiter secerentur ab aliis entibus rationis, quæ non possunt fingi, nisi illo modo, ad quem nos determinat, & impellit fundamentum illis correspondens a parte rei, ut magis explicabitur q. seq.

93 Dicimus 2. ens rationis in communi habere suo modo omnes illas proprietates, quæ conveniunt enti reali in communi, ad cuius instar concipitur, & pariter entia rationis in particulari habere proprietates illorum entium, ad quorum instar concipiuntur. Prima pars conclusionis probatur, & explicatur, ens reale habet proprietates simplices, ut unum, verum, bonum; & disjunctas, ut contingens, necessarium, idem & diversum finitum, & infinitum, sed omnia ista possunt suo modo adaptari entibus rationis, ergo &c. Prob. minor, quodlibet enim ens rationis in se est unum suo modo, quia in se indivisibile, & a quocumque distinctum; unde natum est ad quocumque comparatur idem, vel diversum suo modo esse; est etiam suo modo verum in essendo, si veritas, quæ est passio entis, declaratur per ordinem adæquationis rei ad intellectum; etenim etiam ens rationis natum est terminare conformitatem cognitionis ad ipsum, & hoc præsertim evenit, quod factum per priorem actum recogitur inde per alium posterioriorem, & reflexum, per quem vere attingitur, sicuti, est, ut supra declaravimus, atque ideo propriam habet intelligibilitatem, ut ait Doct. 2. d. 1. q. 5. B. nam sicut habet entitatem ad modum entis realis, ita & intelligibilitatem. Neque hinc inferas ipsum esse tantum per accidens intelligibile; immo sicut ejus essentia consistit in hoc, quod cognoscatur ad modum entis realis, ita hic inferendum est per se convenire illi, quod sit cognoscibile ad modum alterius. Habet etiam bonitatem suo modo, nam saepe videmus voluntatem ferri in bonum apprens, & sicutum. Possunt denique etiam sui modo applicari entis rationis affectiones disjunctæ finitæ, & infinitæ necessarium, & contingens (licet aliqui neget) ut constat, quando Deum concipimus ad modum venerabilis senis semper durantis, & infinitæ virtutis.

Probatur etiam, & explicatur altera pars conclusionis, nam proprietates entium rationis correspondere debent suo modo rebus illis, ad quarum instar concipiuntur, quapropter si concipiuntur ad modum substantiæ, non habebunt proprietates accidentis, sed substantiæ, si ad modum accidentis, e contra, & pariter si concipiuntur ad modum entis relativi, non habebunt proprietates absolutorum, sed relativorum, si ad modum entis absoluti, e contra.

94 Contra obiicitur 1. quod entia rationis non habeant propriam veritatem, & intelligibilitatem. Tum quia hæc est propria, & adæquata passio entis realis, ut docet Doct. 1. d. 3. q. 3. Tum 2. quia objectum concipitur cum potentia ad producendum sui notitiam, at ens rationis nequit partialiter producere sui notitiam, cum hæc sit ens reale. Tum 3. nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu, sed ens rationis sub sensu cadere nequit. Tum 4. vel quia per ipsam accipit esse, quia ratione nec etiam potest esse simul cum ea, vel posterius, & neque hoc, quia co-

gnitio in illo priori ad nihil terminatur. Tum 5. quia de entibus rationis præsertim factis non datur scientia, quia non habent certam naturam, de qua determinata passio sit demonstrabilis, & ideo Scot. quol. 3. ab initio docet entia rationis mere facta, & quæ contradictionem includunt, non esse per se intelligibilia. Tum 6. objectum specificat cognitionem, quæ cum sit realis, debet habere specificativum reale. Tum 7. objectum est mensura cognitionis, cum tota perfectio cognitionis mensuretur ex objecto, at ens rationis nequit esse mensura cognitionis, quæ est ens reale, ut Scotus docet 4. d. 1. q. 1. sub S. quia ex 5. Met. mensura est perfectior mensurato. Tum demum quia cognitio dicitur relationem realem attingentia ad objectum, quod per ipsam attingitur ex Scot. quol. 13. at relatio realis expocit terminum realem.

95 Resp. ad 1. Maur. q. 5. univers. §. *Quantum ad tertium*, quod licet intelligibilitas motiva sit propria passio entis realis, terminativa tamen est communis utrique, quia objectum adæquatum terminativum intellectus non est ens reale, sed communissime sumptum ad reale, & rationis, quæ responsio innuitur a Doct. quol. 3. ab initio; sed quia inferre videtur univocationem entis communissime, quod se vera æquivocum est ad reale, & rationis, ideo aliam subdit responsionem ab omnibus Scot. receptam, quod sicut ens rationis est ens per reductionem ad reale, ita est intelligibile per reductionem ad illud, nam ens reale constituitur objectum adæquatum intellectus per duplicem primitivam, ut docet Scot. cit. 1. d. 3. q. 3. §. *Quantum ad secundum articulum*, communitatis, per quam sub spe continet omnia, de quibus quidditative prædicatur; & virtualitatis, per quam sub se continet omnia, quæ quocummodo in eo virtualiter continentur, & ab eo originem ducunt, quo sensu entia rationis dicuntur in realibus contineri fundamentaliter, & inchoate; & secundæ intentiones dicuntur originari a primis, & hac ratione dicitur ens rationis per se intelligibile, nimirum virtute entis realis, in quo fundatur, quæ solutio esto præsertim interviat pro entibus rationis fundatis, ut declarat Tat. q. 3. præamb. dub. 2. deservire tamen etiam potest pro aliis, quia ut supra diximus in hac q. omne ens rationis habet aliquale fundamentum a parte rei, quod quando tale non est, ut cogat ad sic illud attingendum, tunc ens rationis dicitur non fundatum. Hæc quidem responsio optima est, sed ut advertit Barg. 1. d. 3. q. 3. in illud. §. *Quantum ad 2. art.* procedit tantum de objecto motivo, nam in ratione motivi utique ens rationis reducitur ad reale, non tamen in ratione terminativi, quoniam ratio terminativa non potest suppleri, ut constat de creaturis in divina essentia, ubi licet non moveant, terminant tamen, ideoque erroris notat Lichet. quod ibidem dixerit secundas intentiones reduci ad primas etiam in ratione terminativi, & laudat Vigerium, qui sicut ens rationis statuit esse alterius rationis a reali, ita ponit duas intelligibilitates terminativas correspondentes illis, una erit simpliciter, alia secundum quid, juxta illorum entium conditionem; neque hinc rimendum est inferri univocationem entis communissime sumpti, quia ratio movendi, si foret communis, inferret univocationem, non autem sola ratio terminandi, inquit Barg. vide Brau. q. 3. univers. in fine, & Barg. cit. in §. *Ad quæstionem*, quomodo etiam hinc non cogimur ponere unum objectum terminativum intellectus ex Scot. in 2. disp. 24. ad 2.

96 Ad 2. saepius dictum est assumptum valere de objecto motivo, non determinativo, quale ponitur ens rationis. Ad 3. ait Doct. q. 3. univers. ad 3. assumptum valere de illo, quod est primum intelligibile pro statu isto, quod est quidditas materialis, vel sensibilis, non autem de omnibus per se intelligibilibus, multa enim intelliguntur, non quia speciem faciunt in sensu, sed per reflexionem intellectus, quare non est sensus illius assumpti, quod nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu per se, & immediate, quia res spirituales intelligimus, ut Deum, & Angelos, quæ sub sensu non cadunt, sed ut notat ibi Mauritius ex Ant. And. 1. Met. q. 5. art. 2. quod prius non fuerit in sensu aliquo modo, vel per se, & immediate, ut colores; vel per accidens, ut substantia, quæ cognoscitur mediis accidentibus, vel secundum suas partes, ut hircocervus, mons aureus, vel per effectus, ut Deus, & Angeli, vel per similia, ut cum cognoscimus absentes per ipsorum imagines, vel per opposita, ut aspera per lenia, tenebras per lucem, & in hoc sensu falsum est, quod ens rationis non fuerit in sensu, quia occasione illud fingendi habemus a re sensibilis, neque cognoscitur ab intellectu, nisi ad instar alicujus rei aliquo modo a sensu cognita. Ad 4. est simul cum ea cognitione, per quam fit, esto per nostrum concipiendi modum possit dici posterior ea, quatenus per ipsam accipit esse, est autem prius cognitione reflexa sequenti, per quam attingitur factum. Ad 5. etiam de fictitiis potest haberi scientia, cum habeant passiones de ipsis demonstrabiles, ut patet ex dictis concl. 1. & quando communiter dicitur de illis non haberi scientiam, id non debet absolute intelligi, sed comparative ad alia entia rationis fundata, quatenus de illis non potest scientia institui in tali gradu certitudinis, qualis habetur de istis, & sic debet Doct. intelligi l. c. si ibi loquitur de figmentis, re tamen vera de illis loquitur, quæ ita per se primo contradictionem includunt,

nt nedum esse in rerum natura repugnet, verum etiam ob manifestam implicantiā nequeunt intellectui obici, ut unum intelligibile, quod clare colligitur ex ejus verbis, Ad 6. obiectum specificat cognitionem non intrinsece, sed extrinsece tantum, ut scpe docet Scotus, & ideo hoc munus suo modo potest etiam enti rationis convenire. Ad 7. licet ens rationis nequeat esse mensura suae cognitionis quoad perfectionem, potest tamen esse mensura quoad veritatem, quo sensu de relatione mensurabilis ad mensuram Doctor loqui videtur quol. 13. M. & O. & proprie dici solet relatio conformitatis actus ad obiectum. Ad 8. sicut in notitia abstractiva datur relatio realis attingentia ad obiectum non existens ex Scoto ibidem; ita dicendum erit in notitia entis rationis; nec in relationibus transcendentibus, qualis est illa, convenit esse ad terminum non realem, ut patet disp. de Relat. quia earum realitas potius a fundamento spectanda est, quam a termino.

97. Secundo arguitur, si ens rationis est intelligibile, vel cognoscitur per propriam speciem, vel per speciem entis realis, non primum, quia cum ens rationis non sit obiectum motivum, propriam speciem causare non potest, neque secundum, quia species disparata non potest causare notitiam alicujus obiecti disparati, ut per speciem hominis non possunt venire in cognitionem leonis, ut Scot. docet 2. d. 3. q. 10. & tamen magis assimilantur ad invicem homo, & leo, quam ens reale, & rationis, sed species intantum representat aliquid quia est ejus similitudo; ergo species entis realis nullo modo representare potest ens rationis.

Resp. discrepare Doctores, an ens rationis habeat propriam speciem impressam, an potius cognoscatur solum per speciem, entis realis, in quo fundatur, & ad cujus similitudinem concipitur, utrumque probabile putant Compl. disp. 2. Log. qu. 3. num. 9. At ens rationis non habere propriam speciem impressam manifeste colligitur ex Scot. q. 3. univ. ad 3. ubi innuit entia rationis intelligi per reflexionem intellectus, & non per propriam speciem, quod non est ita intelligendum, ut intellexit Bonetus in praedictam. cap. de relatione, quasi uno actu producuntur, & alio reflexo intelligantur, eodem enim actu, quo producuntur, etiam intelliguntur, cum eorum producti sit cognosci, & est expressa Scoti doctrina in 2. d. 1. q. 1. art. 2. ubi ait non prius habere entia rationis esse intelligibile, quam intellectum, & licet 2. d. 1. q. 5. B. videatur innuere, quod solum in actu reflexo intelligitur ens rationis, & quod in directo producitur, velut modus obiecti, non obiectum, jam superius explicatum est q. 2. art. 2. in sol. ad 1. quod in cognitione reflexa cognoscitur, sicut est, in priori vero, qua formatur, cognoscitur aliter quam sit, quia attingitur ad modum entis realis. Quod autem ens rationis non habeat propriam speciem impressam. Probatur, quia haec species nequit esse producta ex phantasmatis, cum ens rationis non sit sensibile, & consequenter proprium phantasma non habeat, neque etiam educta esse potest ex ipso ente rationis, cum ipsa sit accidens reale, quod non nisi ex reali subiecto est educibile. Accedit, quod materia prima non cognoscitur per propriam speciem, sed per analogiam ad formam 1. Phys. 7. item relationes reales, & omnia transcendentia propriam speciem non habent, ut docet Bargius 1. d. 3. qu. 1. in §. *Quinto dico, quod ista*, ergo tanto minus ens rationis, quod est inferioris conditionis omnibus istis; sicut igitur materia cognoscitur per analogiam ad formam, universalis, & transcendentia per species inferiorum, in quibus continentur, & relationes per species absolutorum, in quibus fundantur, ut ait Barg. sic in proposito entia rationis cognoscuntur per species entium realium, in quibus quomodo fundantur, ut hircocervus per species hirci, & cervi, & omnino per analogiam ad ens reale.

98. Et cum dicitur in argumento speciem unius obiecti disparati causare non posse notitiam alterius, &c. Resp. speciem hominis esse magis disparatam a leone, quam sit species entis realis ab ente rationis, quamvis enim in essendo magis assimilentur homo, & leo, tamen in representando possunt convenire magis ens reale, & rationis, sicut duae substantiae magis in essendo inter se conveniunt, quam cum accidente, & tamen in representando magis convenit accidens cum substantia, quam una substantia cum alia, nam species representativa substantiae accidens est, non substantia; sic igitur in proposito, quia secundae intentiones virtualiter continentur in primis, dicere possumus, quod species entis realis, licet sit representativum formale solius entis realis, ideoque per se primo in ejus notitiam ducat, tamen est representativum virtuale etiam entis rationis, ideoque secundario in ejus notitiam ducere valens. Nec inconvenit species obiecti unius generis esse virtuale representativum obiecti alterius generis, ait Barg. cit. quando haec continentur in illo, quia videmus speciem albedinis esse virtuale representativum similitudinis in ea fundata, quamvis sit alterius generis; Et hoc eo magis in proposito dicendum est, quia dicimus ens rationis, quando in cognitione directa attingitur per speciem entis realis, non cognosci adaequate, & sicut est, quia cognoscitur per speciem alienam; quando vero in cognitione reflexa attingitur, sicut est, tunc dicendum est nullo modo concurrere speciem entis realis ad eam cognitionem, sed

tota activitas tribuenda est virtuti reflexivae intellectus, ut innuit Doct. cit. quae tertia univ. ad tertium, & Mauritius ibidem §. *Sexto dubitatur*, in solutione ad primum.

QUESTIO VII.

Quotuplex sit Ens Rationis.

99. Elebris, ac in Scholis frequens divisio entis rationis est illa in tres species, relationem, negationem, & privationem, quam afferunt, & recipiunt Recentiores omnes, ut traditam a D. Th. q. 21. de verit. art. 1. & 1. d. 2. q. 1. art. 3. & d. 19. q. 1. art. 1. ita Suarez disp. 54. Met. sec. 3. Didacus disp. 3. Log. q. 5. Serna disp. 1. sec. 4. q. 2. art. 3. Blanc. d. 1. q. 6. Averfa q. cit. sec. 7. Amicus fufe tr. 3. q. 5. Ruvius tr. cit. & alii passim. Eandem divisionem ex D. Th. cit. afferunt Complut. disp. 2. q. 4. Jo. de S. Th. q. 2. art. 1. fed bimembrem, scilicet, in negationem, & relationem rationis, quia sub negatione ample sumpta etiam continentur privatio, & hoc modo testantur tradita a D. Th. cit. & q. 3. de malo ar. 7. ubi ens rationis immediate dividit in relationem rationis, & carentiam, & hanc in negationem, & privationem.

Sed quocumque modo tradatur haec divisio, semper graves passa est difficultates. In primis enim non videntur recte assignari, ut species entis rationis, negatio, & privatio, quia esto non sint entia realia, non proinde inter entia rationis formaliter computanda sunt, cum vere dentur a parte rei, non quidem ut entia realia privativa, vel negativa, ut arbitratu Faber 4. Met. disp. 2. & Fuentes 1. Phys. q. 3. diff. un. cum multis aliis (hunc enim dicendi modum, ut valde improprium confutamus disp. 4. Phys. q. 1. art. 1.) sed ut amotiones reales entium, quatenus nullo cogitante intellectu vere aer est tenebrosus, & homo niger, non albus. Quod si dicas cum Suarez & aliis hic non sumi negationem, & privationem, ut sunt amotiones realium entium, sic enim a parte rei reperiuntur, sed quatenus concipiuntur ad modum formae positivae, ut cum intellectus concipit caecitatem in oculo per modum formae positivae tollentis visum, sic enim sunt aliquo modo entia, non realia, sed rationis. Contra est, quia negatio, vel privatio, ut concipitur per modum formae positivae, non est privatio, sed forma positiva ficta; & negatio, vel privatio in se materialiter se habet ad ens rationis, & veluti substratum, quia est id, cui tribuitur esse rationis ex dictis q. 2. art. 2. ergo ut tales nunquam sunt entia rationis, & ratio a priori est, quia intellectus format ens rationis illud fingendo ad modum entis positivi, etiam ipsa non entia, & negationes reales, ergo nullum datur ens rationis negativum, sed omne est positivum, ut innuit Doctor 4. d. 16. q. 2. ad 1. oppositum; Et per hoc rejicitur solutio, quam ad hanc rationem asserit Blanc. cit. ubi vult tantum ens reale, ad cujus instar ens rationis concipitur, esse formam positivam, non autem ipsum ens rationis. Hoc prorsus falsum est, nam si ens rationis formari debet ad instar entis realis, cum hoc sit forma positiva, talis etiam esse debet ens rationis, non quidem vere & realiter, sed ficte & similitudinariae, alioquin non esset ad instar illius.

100. Soler etiam praefata divisio refelli, velut insufficientis, & diminuta; nam praeter enumerata dantur alia entia rationis, quae consueverunt appellari signenta, & entia prohibita, ut chimera, & hircocervus, haec enim neque ad relationem, aut privationem pertinent, quia dum finguntur, non concipiuntur per modum relationis ad aliud, aut per modum carentiae in subiecto apto, ut fingi lolet privatio. Neque pertinent ad simplicem negationem, & veluti extra genus, quae ab omni subiecto praescindit, quia negatio, ut ens rationis statuitur, dicit carentiam formae conceptam ad modum entis extra subiectum, ac chimera non dicit carentiam, sed aliquid positivum, scilicet, animal quoddam per se unum ex homine, & leone compositum. At inquit Suarez cit. sec. 4. n. 10. & sequuntur alii, omnia haec signenta sub negatione comprehendit, quia sunt simpliciter non entia. Contra est, tum quia haec ratione, ut bene notat Averfa, etiam relationes rationis sub negatione continentur, quia simpliciter sunt non entia: tum quia, ut ait Blanc. aliud est concipere negationem animalis, quod simul sit homo, & leo per modum unius compositi, aliud vero concipere animal simul hominem, & leonem, quamvis igitur ens rationis primo modo formatum ad negationem spectare possit, tamen ens rationis secundo modo fictum est prorsus ab ea distinctum.

Ideo alii, ut salvent sufficientiam illius divisionis, inquirunt haec, & similia entia rationis esse ficta sine fundamento, & idcirco in ea non includi, quae solum est entium rationis habentium fundamentum in re; ita Didac. & Complut. cit. ex Suar. cit. n. 2. Quae solutio nihil prorsus valet, tum quia plura sunt entia rationis habentia fundamentum in re, quae excogitari possunt in aliis praedicamentis a relatione, immo illa ipsa, quae finguntur in praedicamento substantiae chimera, & hircocervus non omni prorsus caret fundamento, ut postea dicemus; tum quia e contra inter species divisionis allatae aliquod ens

ens rationis continetur non habens fundamentum in re, ut negatio extra genus, quando concipitur veluti res per se existens.

101. Averf. loc. cit. maluit praefatam divisionem in peregrinos sensus ducere, ut eam faceret sufficientem, quam deserere; inquit enim quod primo concipi potest ens rationis per modum essendi ad aliud, & hoc esse relationem rationis; secundo per modum essendi in alio veluti in subiecto sine ordine ad aliud, ut ad terminum, & hoc esse privationem, de cujus ratione est esse in subiecto; tertio sine respectu ad terminum, & sine modo essendi in subiecto per modum essendi in se, & per se, ut cum concipitur chimera, & hircocervus, & haec est negatio, quae non necessario ad subiectum determinatur, sed aequae bene salvatur extra illud; atque tria statuit genera entium rationis; ens ratio ad aliud, quod est relatio rationis; ens ratio in alio, quod est privatio rationis; & ens ratio in se, quod est negatio rationis, & subdit his ultimis duobus generibus bene applicari nomina privationis, & negationis, quia in universum ens rationis non est ens reale. Sed licet in re bene dicatur Averfa, displicet tamen in modo loquendi; esto enim primum genus entis rationis convenienter appelleretur relatio, nihilominus non recte cetera duo negatio, & privatio vocantur, ea praesertim ratione, quam asserit, quia in universum ens rationis non est ens reale. Quia haec ratio etiam relatio rationis dici deberet negatio, vel privatio, quia non est ens reale, ut ipse ibidem negabat contra comprehendentes signenta sub negatione, quia sunt non entia. Accedit ratio principalis allata initio quaest. ens ratio in universum quid positivum rationis praesertim, ac proinde formaliter consistere non posse in negatione, aut privatione.

102. Dicendum igitur est ens rationis data proportione dividi debere, sicut ens reale, ad modum cujus concipitur. Conclusio colligitur ex Scoto quaest. 6. univ. in fine, ubi docet, quod sicut in ente reali dantur diversi gradus essendi, ita etiam in entibus rationis, & probatur. Primo ex illo generali principio, quod quicquid simpliciter est in entibus realibus, secundum quid invenitur in entibus rationis, ergo qualis est divisio simpliciter entis realis, talis erit secundum quid divisio entis rationis. Deinde quia naturam entis rationis, & quid sit, & quotuplex, omnino investigare debemus per analogiam ad ens reale, sicut ergo intantum habet esse inquantum concipitur ad modum entis realis; ita intantum dividitur quatenus concipitur dividi ad modum entis realis; quare sicut ens reale dividitur in substantiam, & accidens, & hoc in absolutum, & respectivum, & rursus absolutum in quantitatem, & qualitatem, respectivum vero in intrinsecum, & extrinsecum adveniens, sic ens rationis dividitur in substantiam rationis, & accidens rationis, & hoc in absolutum & respectivum rationis, idque rursus in intrinsecum, & extrinsecum adveniens. Demum probatur demonstrando in singulis praedicamentis proportionata entia rationis ab intellectu formari, ut docuit Mayr. quodl. 6. & multi etiam ex Adversariis fatentur Suarez cit. sect. 4. Vafq. 1. p. disp. 114. a. n. 14. Cajet. 1. p. q. 28. ar. 1. & Molina ibidem, Averf. 1. cit. & alii; etenim in substantia concipiuntur chimera, & similia monstra, quae non ut aliis adjacentia, sed ut in se substantia finguntur, in quantitate spatium imaginarium extra Caelum, & ipsam quantitatem molis in chimera imaginatam, in qualitate concipiuntur famam, & honorem, ut dispositiones convenientes personae honoratae, & ipsas denominationes extrinsecas concipiuntur in rebus denominatis per modum correlationis, ut relationem cogniti ad cognitionem; fingimus etiam actionem, & passionem, cum cogitamus ignem animas torquere, & in eas agere actione corporea, easque torqueri passione consimili, & tandem alia quoque fingimus, cum cogitamus Deum repellere hunc mundum ad modum corporis, stare in Caelo, vel sedere, infinito temporis spatio durare, & esse amictum lumine tanquam vestimento. Et quidem quod praeter ens rationis respectivum, quod solum videntur agnovisse veteres Scotistae, etiam absolutum concedi debeat, expresse docuit Scotus 1. d. 36. qu. un. §. *contra istud obijciuntur*, in fol. ad 2. & ex Recentioribus Scotistis quamplures, P. Fab. 4. Met. disp. 4. c. 5. & 1. disp. 51. num. 26. Sarnanus tract. de 2. intent. Smifing. tract. 3. disp. 2. num. 179. & infra, ubi etiam citat. Tat. 4. d. 1. q. 2. Rada 1. p. controv. 29. Nolanus in Pinach. qu. 13. Vulpes 1. p. tom. 1. disp. 28. art. ult. Camerac. qu. 14. Met.

103. Rursus ens rationis in tota sua amplitudine dividi debet in ens rationis fundatum in re, & non fundatum, sed a nobis mere fictum, quod haec ratione sibi vindicavit nomen signenti, ut chimera, & hircocervus. Et quidem per fundamentum entis rationis non debet accipi in praesenti imperfectio nostri intellectus, ac debilis eius concipiendi modus, ut quidam volunt, alioquin omnia entia rationis haberent fundamentum, & illa praesertim, quae dicuntur chimera, & fictitia, ista namque praecipue pendet ex actibus chymericis nostri intellectus ea ad libitum fingentis, unde ista magis dicerentur fundata, quam alia, cum magis nitantur nostro concipiendi modo imperfecto. Neque per fundamentum entis rationis debet accipi illud ens reale, ad

Maffii, & Belluti Tom. I. Logica.

cujus instar concipitur, eadem ratione quia nimirum omnia entia rationis haberent fundamentum in re, etiam chimera, & monstra, ut bene advertit P. Faber in Met. cit. c. 2. in fine, nam intellectus ex apprehensione rerum realium sumit occasionem fingendi illa monstra, non enim ens rationis cogitaret, nisi prius ens reale cognovisset, unde chimera ipsam concipit ad instar animalis, quod ens reale est. Neque per fundamentum entis rationis sumi debet ens reale, quod ab ente rationis denominatur, seu de quo ens rationis praedicatur, ut forma intentionalis de subiecto, sicut existimavit Fonsec. 5. Met. c. 7. q. 1. sect. 5. Quia ens rationis potest alicui subiecto attribui sine fundamento, ut si homini tribueret intellectus intentionem generis, non speciei, coloris relationem auditu, non visu, ergo fundamentum ejus rationis aliquid aliud importat praeter subiectum, cui tribuitur ipsum ens rationis, occasionem nempe illam tribuendi tali subiecto tale ens rationis, & non aliud, non ergo fundamentum entis rationis confundi debet cum ejus subiecto, praesertim quia accidere potest, quod intellectus efformet ens rationis cum fundamento absque subiecto, cui illud tribuat, sic spatium imaginarium ab eo cogitatum per modum cujusdam extensionis censetur ens rationis cum fundamento, nam occasionem habet a parte rei illud ita concipiendi, & non alio modo, & tamen nulli entis reali cogitatur adjunctum, de quo praedicatur.

104. Itaque per fundamentum entis rationis illud intelligimus, quod est specialis quadam occasio, ac veluti motivum urgens intellectum ad excogitanda entia rationis, & tali, vel tali modo fingenda, ita intellectus non temere, & mere gratis, sed ex ipsis rerum proprietatibus occasione desumpta efficitur entia rationis, & haec est communis explicatio Scotistarum Fabri. citat. cap. 3. Sarnani, & Rocci tract. de secund. intent. & aliorum, dum inquirunt secundas intentiones logicales generis, speciei, &c. non posse ad libitum super quascunque res fundari, sed juxta rerum proprietates, ut si aliqua natura sit aliquibus communicabilis, super ipsam fundabitur ratio universalis, si pluribus, magis universalis, si nullis, particularis, &c. quae explicatio expresse traditur a Doctore quaest. 4. univ. in fine, ubi universale ponit esse ens rationis fundatum, quia aliquid ei in re extra correspondet, a quo movetur intellectus ad causandum talem intentionem, & non aliam; signentum vero inquit esse non fundatum, quia nihil tale extra correspondet, unde concludit ens rationis fundatum distingui a signentum, quia originaliter, sive occasionaliter est a proprietate in re, signentum vero minime, ita Doctor ibi, ac ejus Expositores Mauri. Brasavol. & alii. Juxta quam doctrinam a pluribus Recentioribus receptam, & praesertim ab Averfa quaest. 5. sect. 3. entia rationis cum fundamento illa sunt, quae ex aliqua necessitate, vel occasione sic finguntur, & non alio modo; ac sine fundamento illa dicuntur, quae fingimus prout volumus, cum nulla sit necessitas, vel occasio, quae nos determinet ad hoc potius, quam illo modo fingendum, ut dum fingimus chimera, vel aliud monstrum, in quo non determinatur ad hoc potius, quam illo modo fingendum; Quem dicendi modum optime suadet Averfa cit. ex consueto loquendi modo, illud enim, quod est nobis motivum, & occasio aliquid opinandi, dicitur fundamentum nostrae opinionis, & indicia, ac signa, quae movent ad aliquid judicandum, dicuntur talis iudicii fundamentum, sicut e contra cum quis sine ratione opinatur, & sine talibus iudiciis judicat, dicitur sine fundamento gratis, & temere opinari, & quia chimera, & similia monstra ita formantur, ideo antonomastice nomen signenti sibi usurparunt.

105. Ex hoc veteres quidam Scotistae, & Thomistae dederunt sola entia rationis fundata vere, & proprie esse entia rationis; quorum proinde cognitio doctrinalis est, & ad scientias deservire potest; alia vero minime, sed potius dici debere entia fictitia, & prohibita, quia eorum cognitio doctrinalis non est, potestque in infinitum multiplicari nulla habita ratione rerum, & naturarum realium, sed pro intellectu cerebro, ut ait Didacus, juxta quam doctrinam praefata divisio esset aequivoca in aequivocata. Verum immemero hujusmodi entia fictitia excluduntur a serie entium rationis, nam si ens rationis illud est, quod esse repugnat a parte rei, & solum habet esse objective in intellectu, ut supra sancitum est ex communi omnium sensu, plane fictitia quoque erunt entia rationis, cum non habeant esse nisi per opus intellectus; immo ut ait Averfa; haec videntur quodammodo magis participare de ente rationis, utpote quae magis pendunt a virtute fictitia intellectus, & minus nituntur rebus ipsis, & consequenter magis distant ab ente reali. Neque huic obstat, quod nequeant ita scientiis deservire, sicut entia rationis fundata.

In oppositum obijciunt 1. ad probandum negationem, & privationem esse entia rationis. Tum quia Arist. ea connumerat inter entia 4. Met. 2. & lib. 5. tex. 14. & plane non nisi inter entia rationis connumerare potuit. Tum 2. quia non solum dantur negationes reales, quales sunt omnes, quae vere sunt a parte rei, sed etiam negationes rationis, quales sunt omnes, quae sunt falsae a parte rei. Tum 3. quia non tantum concipiuntur id, quod non est, ac si esset,

verum etiam id, quod est, ac si non esset, & non solum affirmamus, quod impossibile est, sed negamus, quod necessarium est, ergo non omne ens rationis formaliter est positivum, sed dari etiam debet negativum. Tum tandem, quia estio negativum, & privatio, ut sunt a parte rei, non sunt entia rationis, tamen quando a nobis concipiuntur, ut formae positivae, participant rationem entis, non realis, ergo rationis.

106 Resp. negationem, & privationem in se esse entia rationis fundamentaliter tantum, quatenus intellectui praebeant occasionem efformandi illa in entia rationis illis tribuendo esse positivum, ut bene notat Hurt. disp. 19. Met. §. 87. & in hoc sensu Arist. illas enumeravit inter entia rationis; vel potius enumeravit inter non entia, ait enim *quare & ipsum non ens esse non ens dicimus*, ut advertit Fuentes. Ad 2. ipsa quoque negatio rationis a nobis apprehenditur per modum formae positivae; ut magis constabit ex responsione sequenti. Ad 3. negatur sequela, sive enim affirmemus, quod impossibile est, sive negemus, quod necessarium est, hoc semper fit fingendo, quod non est, ac si esset, unde sum judicamus hominem non esse animal rationale, cogitamus id, ac si ita esset a parte rei, & fingimus veritatem in ista propositione, in qua tamen nulla est veritas, & veritas ista ficta quid positivum est, sicut veritas realis in propositione quid positivum dicitur. Ad 4. cum concipiuntur a nobis per modum formae positivae, sequitur solum, quod illud esse positivum, quod illis ab intellectu tribuitur, esse entia rationis formaliter, non autem ut sunt negativum, & privatio.

107 Secundo obicitur solum in praedicamento relationis, non autem per alia posse ens rationis proportione distribui, ratione D. Thom. 1. p. q. 28. art. 1. quia praedicamentum relationis constituitur per esse ad, cetera vero accidentium genera per esse in, & inherere, at hoc interest inter esse ad, & esse in, seu inherere, quod esse ad abstrahit a reali, & rationis, sed inherere ex proprio conceptu dicit ali- quid reale, ergo solum in genere relationis potest inveniri ens rationis, non in aliis, ita hanc rationem declarant ibi Cajet. & alii Expositores D. Th. Confirmatur, & declaratur ab aliis in hunc modum, potest intellectus referre unum alteri, ad quod re vera non refertur, ac non potest facere inherere, quod re vera non inheret, & tanto minus subsistere, quod a parte rei non subsistit, ergo inter omnia praedicamenta sola relatio potest in sua coordinatione entia rationis admittit. Rursus etiam in communi modo loquendi non admittitur substantia rationis, & quantitas rationis, ut notat Doct. 5. Met. q. 11. ab initio, sed sola relatio rationis. Demum licet aliquid possit fingi ad instar substantiae, ut chimera, & quantitas, ut vacuum, non ob id sequitur dari posse substantiam rationis, vel quantitatem rationis, quia non est substantia, vel quantitas id, quod per rationem formatur ad instar entis realis, sed negationes substantiae, vel quantitatis ad instar substantiae, vel quantitatis concipiuntur; non dicitur autem ens rationis id, ad cuius instar aliquid concipitur, sed id, quod concipitur ad instar entis, cum sit non ens.

108 Resp. rationem illam D. Th. parum valere, ut enim constabit ex inferius dicendis de Relatione; falsa est major, quia relatio ex proprio conceptu intrinseco non solum dicit ad, sed etiam in; falsa est etiam minor, quia esse ad vere, ac proprie sumptum, quo sensu constituit praedicamentum relationis, quippiam reale est, quare sicut hoc non obstante potest dari esse ad rationis, ita & esse in, & quidem inherere diminue sumptum convenit etiam entibus rationis, cum suo modo habeant causam materialem ex supraddictis. Ad Confir. sicut intellectus vim habet concipiendi respectum inter aliqua, quae non referuntur, ita plane vim habet apprehendendi accidentis in aliquo subiecto, cui inesse nequit, ac etiam aliquid in rerum natura subsistere, quod implicet; & quamvis nequeat intellectus virtute sua facere inherere, quod non inheret, cogitare tamen potest illud ut inherens, sicut quando irreferibilia adinvicem refert, utique non facit illa referri a parte rei, sed illa apprehendit ut relata: idem dicatur de subsistere. Ad aliam Conf. frequentius nominatur relatio rationis, quam substantia rationis, & quantitas, &c. quia illa magis in scientiis deservit, & aptior est ad nostros conceptus explicandos. Doct. autem l. c. ait quantitatem rationis non resultare intellectu ex vi actus collativi, ut ibi est videre. Ad ultimam, si valerent, concluderet etiam non dari relationem rationis, ut constat, si de ipsa argumentum formetur, sicut igitur in formatione relationis rationis, neque relatio realis, ad cuius instar efficitur, nec negatio relationis est relatio rationis, sed forma relativa ficta, ita in formatione substantiae, & quantitatis rationis, nec ipsa realis substantia, vel quantitas, ad cuius instar efficitur, nec eorum negatio est substantia rationis, vel quantitas rationis, sed praecise forma absoluta ficta ad eorum similitudinem, haec enim est, quae habet praecise esse obiectivum in intellectu, & nullo alio modo existit.

Tertio arguitur ad idem. Tum quia non debemus ponere tantam distinctionem inter ea, quae finguntur ad modum entium, quanta est inter entia ipsa simpliciter, ergo non debent distribui per omnia praedicamenta. Tum 2. substantia,

quantitas, &c. differunt genere generalissimo, & habent decem modos essendi primo diversos, sed omnia entia rationis habent unum, & eundem essendi modum, scilicet, sicut per rationem, & diminutum. Tum 3. quia hac ratione Doct. q. 11. praedicam. constituit peculiare praedicamentum entium rationis, quod postea Scotista omnes amplexati sunt, & appellarunt undecimum praedicamentum. Tum tandem quia divisio entis rationis in sua inferiora non est univoca analogi in sua analogata, ergo non potest esse alicujus transcendentis in plura genera, qualis est divisio entis realis: probatur assumptum, quia unum ens rationis non dicitur tale per analogiam ad aliud ens rationis, sed omnia dicuntur talia per analogiam ad ens reale.

109 Resp. non debere poni tantam distinctionem simpliciter, & absolute, sed tantam secundum quid, & proportionaliter, sicut inter hominem, & leonem pictos utique simpliciter non tanta distinctio reperitur, quanta est inter illa animalia vera, reperitur tamen tanta secundum quid, & proportionaliter illa vera. Ad 2. jam superius dictum est ex Scoto q. 6. universi in fine, quod sicut intra latitudinem entis realis dantur varii gradus essendi, ita proportione dicendum est de ente rationis, ita quod substantia rationis sit perfectius ens accidentis rationis, quia nimirum concipitur ad instar perfectioris entis, & cum dicitur, quod omnia habent unum, & eundem essendi modum, scilicet fictum per rationem, verum est de communissimo, & transcendentia, non autem de specifico, sicut etiam entia realia dicuntur habere unum, & eundem essendi modum, quatenus omnia praeter opus intellectus existunt, vel existere possunt. Ad 3. Doct. ibi movet dubium, an entia rationis reducuntur ad praedicamenta realia, num potius proprium constituant praedicamentum, nec aliquid resolvit, sed pro utraque parte disputat, & quamvis Scot. passim peculiari illis assignet praedicam. tamen ne praedicamenta multiplicentur sine necessitate, reduci possunt ad illa praedicamenta realia, ad quorum instar concipiuntur, sicut umbra reducitur ad corpus. Potest tamen quoque constitui unum praedic. pro omnibus entibus rationis sub eodem genere generalissimo, quod sit ens rationis in tota sua amplitudine, in quantum constituit etiam potest unum praedicamentum pro omnibus entibus realibus sub uno, & eodem genere generalissimo, quod sit ens reale finitum; sed five hoc, five alio modo entia realia distribuuntur, de quo inferius suo loco, idest five in uno, five in pluribus praedicamentis, certe entia rationis eodem modo distribui, ac dividi debent, sicut illa servata proportione; de hoc vide Fabrum cit. c. 6. & Vallonum in Formalit. 1. pag. nobis 93. & Zerb. 5. Met. q. 8. Ad 4. negatur assumptum cum sua probatione, sicut enim accidens reale habet attributionem ad substantiam realem, sic accidens rationis habet attributionem ad substantiam rationis secundum quid, & proportionaliter, esto deinde verum sit ista omnia ultimare attributionem habere ad ens reale, & ex tali attributione ultimare dici entia rationis, neque haec ultimata attributio impedit illam; sic dicere solemus qualitatem dependere proxime a quantitate, utrumque vero ultimare a substantia.

110 Quarto obicitur, quod omnia entia rationis sunt fundamenta, quia semper ad illa effingenda occasionem intellectus sumit a rebus, quod etiam in ipsis chimeris experimur, non enim eas ex incompossibilibus partibus constituas fingere possemus, nisi partes illas se junctim, & in diversis repertas intelligeremus.

Resp. negando assumptum, esto enim per fundamentum entis rationis intelligamus occasionem, unde movetur intellectus ad fingendum, non tamen quantumcumque, sed occasionem proximam, & urgentem, nam si levis sit, & remota, proprie, & ex communi modo loquendi non censetur fundamentum, sicut in moralibus, qui iudicat aliquid de proximo suo, etsi id non faciat absque motivo, si tamen motivum non est urgens, sed parvi momenti, iudicium illud vocamus temerarium, & sine fundamento; talis autem est occasio, unde movetur intellectus ad fabricandas chimeras, levis nimirum, & remota, sicut remore tamen fundatur in rebus, scilicet ratione suarum partium, non ratione totius. Imo P. Brasavola q. 4. universi. in fine exponens dictum Doctoris dicentis figmento nihil extra correspondere, inquit Doctorem loqui de figmento ea ratione, quae est figmentum, & quod per ly nihil intendit excludere omnia. Quod si obiciat partes correspondere figmento inquit Doct. loqui ea ratione, quae tale est, quia ratione partium non est figmentum, sed tantum ratione unionis earum, cui unioni nulla penitus possibilitas correspondet a parte rei, & ideo concludit figmentum, ut tale, nullam prorsus occasionem habere in rebus, nec remotam.

Q U A E S T I O VIII.

De praecipua specie Entis Rationis, quae dicitur secunda Intentio.

111 IN hac materia de secundis intentionibus Auctores extremi sunt, quidam enim Thomistarum, & Scotistarum integros edidit tractatus de secundis intentionibus,

nibus, ut Hervaeus Mengus, Sarnanus, Roccus, Billeus, & alii. Neoterici vero, vel nihil, vel parum de illis tractant, ut est videre apud Suarez, Ruvium, Hurt. Did. Blanc. Complut. Arriag. & alios. Nos mediam tenentes viam superflua omittimus, & illa solum trademus, quae necessaria videbuntur ad cognoscendam naturam, & affectiones secundarum intentionum, quas non adeo aspernari debemus, ut Neoterici, cum circa ipsas versetur Logica, ut est ab Arist. contexta; omnia vero duobus articulis complectemur, in quorum primo naturam, & quidditatem earum, affectiones in altero explicabimus. Et ut a nominis explicatione exordiamur, advertendum est non sumi hic intentionem praese pro tendentia voluntatis in suum finem, sed late pro tendentia intellectus in rem cognitam, seu pro conceptu intellectus; sed quia conceptus intellectus est duplex, formalis, & obiectivus, sic etiam duplex erit intentio, formalis, & obiectiva; formalis est actus ipse intellectus tendens in obiectum, obiectiva est ipsa res, in quam tendit intellectus, & utraque duplex est, prima & secunda; dum instituitur questio in praesenti de secunda intentione, non instituitur de formali, hanc enim fatentur omnes esse ens reale, quia est actus ipse intellectus, quo secundario tendit in rem, sed instituitur de secunda intentione obiectiva.

At circa hanc communem loquendi modum, & accipiendi intentionem primam, vel secundam, oritur difficultas, quia res ex eo dicitur prima, vel secunda intentio, quia terminat primariam, vel secundariam tendentiam intellectus ad ipsam, sed res ut intellecta dicitur intenta in concreto, non intentio in abstracto, ergo communis hic loquendi modus non videtur rectus, quia praedicatio in abstracto semper est per se, & essentialis. Varias ad hoc responsiones afferunt Hervaeus, & Mengus tract. cit. Sed breviter dici potest ex Scoto q. 14. universi. in corpore etiam hoc nomen intentio esse concretum, intentio enim in quantum intentio, est applicabilis rei, inquit Doctor, atque ideo significat quidditatem intentionis in conceptu ad rem ipsam, ut ibi Brasavola exponit; vel saltem omnes eo nomine utuntur, ac si concretum esset, in adhibendis autem vocabulis communi loquentium usui standum est, ut monuit Doct. 4. d. 1. quaest. 2. explicato quaestione titulo, & quid nominis intentionis secundae, nunc explicandum est quid res.

A R T I C U L U S I.

Quid sit secunda intentio, quomodo fiat, & a prima differat.

112 IN explicanda natura, & quidditate secundarum intentionum varii sunt dicendi modi. Mayr. in primis l. d. 23. q. 1. & 2. & quol. 7. ait primas intentiones esse rerum quidditates, secundas vero esse earundem aptitudines, ut v. g. ratio speciei in homine non est, nisi aptitudo communicabilitatis pluribus individuis naturaliter humanitati inexistens, & ratio differentiae in rationali est virtus quaedam, qua natum est animal dividere, & hominem constituere; unde censere videtur secundas intentiones esse potius entia realia, quam rationis; quia universalitas, quae ab omnibus ponitur secunda intentio, in homine, & animali aliud non importat, quam harum naturarum aptitudinem, ut pluribus communicentur, & haec aptitudo utique illis naturis convenit citra opus intellectus.

Verum haec opinio reicitur ex sola terminorum declaratione ab omnibus recepta primae, & secundae intentionis, tam formalis, quam obiectivae; nam cum intellectus, tendens in obiectum exprimit illud in suo ordine, idest cognoscit in illo ea attributa, quae ipsi conveniunt ex natura rei citra omnem intellectus negotiationem, adeo ut si nulla daretur fictio intellectus, adhuc illa attributa ipsi obiecto convenirent, talis cognitio dicitur prima intentio formalis, & obiectum illud sic cognitum dicitur prima intentio obiectiva, ut v. g. quando intellectus cognoscit naturam humanam participari a Petro, & Paulo; natura humana cognita cum hoc attributo dicitur prima intentio obiectiva, & cognitio, qua intellectus tendit in naturam humanam sub ea ratione, dicitur prima intentio formalis. Cum vero hac occasione motus intellectus, quia scilicet videt naturam humanam communem Petro, & Paulo, concipit illam universalem, & illam veluti speciem actu de illis praedicat, haec universalitas concepta in ipsa est secunda intentio obiectiva, & cognitio eam exprimens sub tali formalitate est secunda intentio formalis, quae licet sit realis, id tamen, quod ei correspondet ex parte obiecti, reale non est, quia universalitas non datur a parte rei, sed fit per opus intellectus, ut dicemus disp. seq. & inconsulto prorsus confundit Mayron. fundamenta, & occasiones secundarum intentionum cum ipsis intentionibus, nam aptitudines illae naturarum, ut pluribus communicentur, sunt radices, & occasiones fundandi secundas intentiones; non ipsae secundae intentiones, ut ex eadem disp. constabit. Cum igitur secundae intentiones terminent secundarias animi conceptiones, consequenter entia rationis erunt, & non realia, nam ut colligitur ex discrimine posito; prima inten-

Mastrii, & Bellini Tom. 1. Logica.

tio ideo dicitur prima, & alia secunda, quia cum obiectum considerari possit in duplici statu, primo secundum quod est in se, & secundum attributa ei convenientia ex natura rei; secundo ut est in apprehensione, & secundum attributa ei convenientia ex intellectu operatione, qui status, ut liquet, posterior est illo; merito cognitio, quae exprimit obiectum sub primo statu, dicitur prima intentio, & quae illud exprimit sub posteriori, dicitur secunda, & consequenter quae talem conceptionem terminant, entia rationis erunt.

113 Secundo Zabar. lib. 1. de natura Logicae c. 3. inquit primas intentiones esse nomina res ipsas significantia mediis animae conceptibus, ut nomen homo, animal, seu esse conceptus ipsos quorum haec nomina signa sunt. Secundas vero intentiones ait esse alia nomina his nominibus imposita, ut genus, & species, quae sunt nomina imposita animali, & homini, seu esse conceptus ipsos, qui per haec nomina significantur, & subdit primas intentiones ideo non esse animi nostri figmenta, quia significant res prout sunt, ut homo; & animal naturam hominis, & animalis in se, ac secundae intentiones res significant, prout a nobis mente concipiuntur, non prout extra mentem sunt, unde potius conceptus conceptuum significant, quam rerum, & ideo jure merito secundae intentiones appellantur, atque animi nostri opera, & figmenta, quae sunt opinio Nominalium, ut refert Tatar. q. 3. praemb. Logicae dub. 2. ac Boetii, ut refert Dudovet. lib. 1. Formalit. c. 16.

Sed neque hic modus dicendi est admittendus; nam ut docet Mauritius q. 3. universi. aliud est loqui de primis, & secundis intentionibus, aliud de terminis primarum, & secundarum intentionum, nam prima, & secunda intentio, ut constat ex ipsis vocabulis importat conceptus mentis, & quae conceptibus illis exprimuntur, termini vero, seu nomina earum ut homo, animal, genus, species solas voces important significantes illas ad placitum; confundit ergo Zabarel. cum Nominalibus nomina secundarum intentionum, & primarum cum intentionibus ipsis, quod est cavendum.

114 Tertio, alii explicant secundam intentionem omnino, ut ens rationis, putant enim haec duo esse adaequate idem, ita Zerb. 5. Met. q. 8. ad 2. Aretin. art. 1. Formal. com. 4. Mengus, & Roccus tract. de secund. intent. quod probant; nam ipsum ens rationis, quodcumque sit, secundario intelligitur, nunquam enim circa ipsum potest intellectus operari, nisi prius realibus intellectus, ergo universa ipsa entia realia sunt primae intentiones, & entia rationis secundae. Alii ita explicant, ut secunda intentio latius pateat, quam ens rationis; ita Didac. citat. q. ult. quem sequitur Fuent. q. 2. diff. 2. art. 2. & probat, quia secunda intentio obiectiva includit omnia illa, quae rebus non conveniunt ante operationem intellectus, unde etiam includit denominationem extrinsecam ab actu rationis provenientem, ut esse cognitum, quia haec licet ens rationis non sit formaliter, non tamen convenit rei ante opus intellectus, & consequenter est secunda intentio.

At utriusque modi dicendi Auctores valde decipiuntur, quia tantum abest, quod intentio secunda aequae pateat, vel magis, ac ens rationis, quod potius e contra se habet, ut bene notat Dudovet lib. 2. Formal. c. 6. nam secunda intentio semper est ens rationis relativum, cum fiat per collationem rerum adinvicem in attributo rationis, ut mox dicemus, ens vero rationis, ut sic, abstrahit ab absoluto, & respectivo, ut constat ex dictis, atque ideo consulto in titulo quaestione diximus secundam intentionem esse speciem entis rationis. Ratio vero primorum probat tantum quodcumque ens rationis posse dici secundam intentionem, quatenus in omni invenitur secunda intentio supponens priorem cognitionem de ente reali, ad cuius instar concipitur, quae secunda intentionis acceptio valde fusa est, & impropria, ut notat Complut. q. 5. n. 44. & Suar. sec. 6. n. 10. ad secundam vero intentionem proprie dictam hoc non sufficit, sed ulterius requiritur, quod fundetur super rem, secundum quod cognita est, & comparata cum alia in attributo rationis, quod non reperitur in omni ente rationis, & ideo non quodcumque est secunda intentio. Ratio etiam aliorum parum roboris habet, nam q. 2. ar. 1. satis aperte demonstravimus denominationem extrinsecam etiam ex actu cognitionis desumptam pertinere ad illa, quae rebus conveniunt ante operationem intellectus, non quidem illa, ex qua desumitur (sic enim & actus, & habitus ipsi intellectus secundae intentiones dici deberent, cum non habeant esse opus intellectus) sed illam, quae sunt entia rationis, & a Recentioribus dicitur fictio, ab antiquis autem negotiatio intellectus. Accedit, quod secundae intentiones supponunt pro fundamento esse cognitum, sicut genus supponit rem esse ab inferioribus abstractam, ergo formaliter non sunt ipsae denominationes cogniti, & cogitati, sed aliquid aliud super illas fundatum.

115 Quarto, concedunt alii secundam intentionem esse speciem entis rationis, illam nimirum, quae constituit ens rationis relativum, unde afferunt consequenter omnem relationem rationis esse secundam intentionem, & e contra, inquit enim omne ens rationis ex actu collativo resultans esse secundam intentionem, sed tale est omne ens relativum rationis, ergo &c. ita Scottista quamplures. Neque

iste modus dicendi recipiendus est, duo enim præsertim manifeste falsa continet; primum est, quod omnis relatio rationis sit secunda intentio, docet utriusque Scotus in 1. d. 23. quæst. un. §. *Contra istud*, omnem secundam intentionem esse relationem rationis, sed non quamcumque, signum evidens relationem rationis magis patere secundam intentionem, ut ibi notat Bargius, & in 1. d. 8. quæst. 3. in §. *Utriusque proba*, Brasavol. qu. quol. 19. & sequuntur Recentiores omnes Suarez, & Complut. cit. cum aliis, & manifeste probatur, quia secunda intentio est talis relatio rationis, quæ denominat rem, ut cognitam, & illam exprimit in aliquo attributo rationis, ut genus, & species, quæ naturam denominant, ut ab inferioribus abstractam, & illis collatam in ratione superioris, unde esse sic cognitum præcedit in re velut ratio proxima fundandi secundam intentionem, quæ ideo dicitur exprimere rem extra suum ordinem, & in statu secundo, qualis est esse cognitum; sed multæ relationes rationis, licet ex cognitione resultent, tamen non supponunt esse cognitum, velut rationem fundandi, sed potius ut meram conditionem sine qua non; & immediate fundatur supra esse reale rei, & ideo rem exprimit in suo ordine, non autem in aliquo attributo rationis, quod ei competat, quatenus cognita est; ergo non omnis relatio rationis est secunda intentio; major patet ex communi conceptu, quem omnes habent de relatione, probatur minor de relatione creatoris in Deo, dextri in columna, & aliis, quia licet relatio creatoris in Deo fiat effective a cognitione, ipsum tamen esse cognitum in objecto non se tenet ex parte fundamenti, ut ratio recipiendi talem relationem, non enim ideo Deus fundat relationem creatoris, quia cognitus est, sed quia est omnipotens; vel creaturas produxit, & ideo exprimit Deum secundum id, quod est a parte rei, id est secundum habitudinem realem, quam dicit creatura ad ipsum, ac proinde non est secunda intentio, de cuius ratione est exprimere rem extra suum ordinem, hoc est, in secundo statu, qui ei competit, quatenus cognita est. Rursus secunda intentio est relatio rationis in utroque extremo ex Scot. cit. quia derelinquitur per rationem in objectis comparatis adinvicem in attributo rationis, ut patet de secundis intentionibus logicis, sed relatio Dei ad creaturam, licet sit rationis, tamen relatio sibi correspondens in alio extremo est realis, ergo non quamcumque relatio rationis est secunda intentio.

116 Alterum, quod falsum assumebatur ab illa opinione, est ex quocumque actu collativo duorum objectorum cognitum resultare relationem rationis, quæ sit secunda intentio, nam ut docet Scot. 1. d. 3. qu. 7. infra E. arguens contra Gottfried. intellectus conferens unum objectum ad aliud secundum talem habitudinem, qualis est ipsorum ex natura rei, non causat relationes rationis, quæ sunt secundæ intentiones (de his enim ibi loquitur) sed tantum quando comparat in habitu, quæ non sequitur illa ex natura rei, sed tantum eis convenit ex negatione intellectus, ut per multas relationes rationis solet explicari res in suo ordine, id est in habitu, quam una ex natura rei dicit ad aliam, ut modo dicebamus de relatione creatoris in Deo, quæ licet sit rationis, adhibetur tamen ad exprimendam realem habitudinem creaturæ ad Deum, ergo non quodlibet ens rationis ex actu collativo resultans est secunda intentio; ex quo etiam collatur non semper primam intentionem esse ens reale, sed interdum esse rationis, ut recte notavit Amic. tract. 3. q. 1. art. 3. in fine, & ita evenit, quotiescunque per ens rationis res exprimitur in suo ordine, hoc enim spectat ad conceptum rei primarium, & per consequens limites non egreditur primæ intentionis.

117 Quinto hac de causa Recentiores communiter ponunt secundam intentionem esse utique relationem rationis, non tamen omnem, sed illam solum, quæ supponit aliquam priorem cognitionem, & intentionem, in qua fundatur, quæ proinde non solum in fieri ab intellectu dependet, ut est relatio rationis in Deo, sed etiam in fundari, fundatur enim specialiter in priori cognitione, vel in objecto, prout denominato a priori cognitione, atque ita cum concipitur esse cognitum, esse prædicatum, esse subiectum per modum relationis fundatæ in objecto prius cognitum, dicunt fieri secundas intentiones; ita Suarez, Aversa, Compl. Jo. de S. Thom. & alii passim, & ratio eorum potissima est, quia secundæ intentiones illæ dicuntur, quæ secundæ notioni, seu intentioni formali obiciuntur, appellantur enim secundæ intentiones, quasi resultantes ex secunda attentione, vel consideratione intellectus, sed non solum esse prædicatum, esse subiectum, &c. sed etiam esse cognitum, esse apprehensum, cum reflexe concipiatur per modum relationis, obiciuntur secundæ notioni formali intellectus, ergo proprie erunt secundæ intentiones, & tales universaliter erunt omnes relationes rationis, quæ fundantur in priori cognitione, vel in objecto resultant, prout denominato a priori cognitione.

118 Quamvis iste modus dicendi multum habeat probabilitatis, & propius aliis accedat ad veritatem, tamen nec ipse attingit formalitatem secundæ intentionis, nam de ratione secundæ intentionis est, ut per eam exprimat res extra suum ordinem, id est quoad attributa rationis, quæ

ei competunt in secundo statu, in quo non ponitur, nisi ab intellectu negociante; sed per relationes rationis etiam fundatas in priori cognitione, seu in objecto, quatenus prius cognitio sæpe exprimitur res in suo ordine, & secundum quod sunt a parte rei, ergo non omnes huiusmodi relationes sunt secundæ intentiones; major patet, quia quamdiu res exprimitur in suo ordine, & secundum quod est a parte rei, illa expressio pertinet ad conceptum rei primarium, non secundarium. Probatur minor, quia sicut per relationem creationis in Deo exprimitur, quod est a parte rei, licet sit relatio rationis, nam exprimitur habitudinem realem creaturæ ad ipsum, ita per relationem cognitivam in objecto ad potentiam cognoscentem exprimitur id, quod est a parte rei, scilicet habitudinem cognitionis ad objectum, & objectum a parte rei terminare actum mentis; ergo sicut hac ratione exclusimus a numero secundarum intentionum relationem creatoris in Deo, sic in proposito excludere debemus relationem conceptam in objecto cognitum ad potentiam cognoscentem; & ratio est, quia omnes istæ intentiones non egrediuntur limites conceptus primarii rei, cum explicit rem in suo ordine. Rursus ideo relationem creationis in Deo diximus non esse secundam intentionem, quia non est rationis in utroque extremo, cum in creatura sit realis; secunda vero intentio est relatio rationis mutua in utroque extremo, quod clare innuit Doct. 1. d. 23. q. un. cum inquit, quod est relatio rationis pertinens ad extrema, & suadet manifesta ratio, quia cum resultet in extremis per mutuam comparationem in attributo rationis; sequitur debere esse mutuam in ambobus, sed sic est, quod in proposito relatio cognitivam in objecto ad potentiam cognoscentem non est rationis in utroque extremo, quia habitu intellectus ad objectum est realis, ergo &c. Neque Recentiorum ratio convincit oppositum, quia per secundam intentionem formalem, seu secundariam conceptionem intellectus non debemus intelligere quamcumque cognitionem reflexam, quæ cadit in aliam cognitionem, vel in objectum, prout denominatum in priori cognitione, ut ipsi putant, constat enim non solum objectum, quatenus cognitum, sed etiam ipsam intellectionem realem posse reflexe cognosci, & in hoc sensu obici secundæ intentioni formali; sed per secundam intentionem formalem intelligi debet actus res exprimens extra suum ordinem, quod sit per actum collativum illarum in aliquo attributo rationis; in hoc autem sensu esse cognitum, & esse apprehensum non obiciuntur secundæ intentioni formali, sed primæ; nam sicut pertinet ad illa, quæ rebus conveniunt ex natura rei, hoc est, ante negationem intellectus ex dictis q. 2. art. 1. ita non terminant, nisi primarias animi notiones.

119 Obiciunt, cum objectum cognitum re cogitatur esse cognitum, concipitur extra suum ordinem, & ponitur in secundo statu, quia intelligitur sub aliquo attributo, quod non est aliquid ejus ex natura rei, nempe sub relatione rationis ad potentiam cognoscentem, ergo conceptus reflexus, quem terminat, est secundarius, & esse cognitum huic conceptui objectum erit secunda intentio objectiva. Negatur assumptum; quia per eam ipsam relationem rationis objecti cognitum ad potentiam cognoscentem aliud exprimit non intendimus, quam objectum terminare actum intellectus, quod totum est a parte rei, & per consequens attinet ad conceptum rei primarium; ad secundam autem intentionem non sufficit, quod sit relatio rationis, sed ulterius requiritur, ut per eam res exprimat extra suum ordinem, & in statu secundo.

Sexto tandem hac de causa Scotistæ non omnes relationes rationis etiam fundatas in priori cognitione, vel objecto, quatenus cognitum, agnoscunt pro secundis intentionibus, sed illas tantum, quæ derelinquantur in objectis comparatis, ut comparatæ sunt in aliquo attributo rationis, quod aperte colligitur ex Doctore 1. d. 3. q. 7. infra E. & d. 23. q. un. & 4. d. 1. q. 2. & 5. Met. q. 11. & alibi sæpe, quæ sententia ita intelligitur ab Auctore Formal. & Tromb. in Formalit. & aliis Scotistis, quos sequitur P. Fuent. cit. ut secunda intentio formaliter sit ipsa passiva comparatio derelicta in objectis ex actu intellectus comparatis, ita enim loqui videtur Scot. 4. d. 1. q. 2. Sed non assentimur, quia vel per comparationem passivam intelligitur ipsa denominatio extrinseca derelicta in objectis ex terminatione actus comparatis, vel quædam relatio rationis, quæ resultare concipitur in objecto, vel objectis comparatis ad intellectum comparantem, sed quocumque modo accipitur, pertinet ad conceptum rei primarium, ergo non bene ponitur secunda intentio objectiva. Probatur minor, quia si primo modo sumatur pro denominatione extrinseca, clare liquet ex loco sæpe cit. q. 2. art. 1. huius disp. pertinere ad ea, quæ rebus conveniunt nullo fingente intellectu, cum aliud realiter non sit, quam ipsemet actus collationis ad illa objecta terminatus, quod quidem verum est de extrinseca denominatione a quocumque actu vitali derelicta, ut ibi ostenditur: si sumatur secundo modo, adhuc non egreditur limites conceptus primarii, quia licet si relatio rationis, cum non assumatur, nisi ad exprimendam realem terminationem, quæ objectum terminat actum realem mentis collativum, plane exprimit rem, sicut est in suo ordine, & ita est prima dumtaxat intentio.

120 De-

120 Debet igitur hac sententia sic intelligi, quod comparatio passiva duorum objectorum in aliquo attributo rationis concepta ab intellectu inter illa ad instar respectu inter illa duo versantis sit secunda intentio, & quatenus per illam objecta comparata referuntur adinvicem, non autem ad intellectum conferentem; aliud enim est esse comparatum, quod habent in ordine ad intellectum comparantem, & aliud illud esse comparatum, quod inter se habent ex negatione intellectus, & aliud est concipere illud esse comparatum, & hoc; concipientes enim illud esse comparatum in ordine ad intellectum comparantem non egredimur limites conceptus primarii, ut nuper dicebamus, conceptum vero secundarium formamus, cum illud esse comparatum concipimus, quod objecta inter se habent ex negatione intellectus; quare magnum discrimen est inter conceptum, quo concipitur homo, v. g. habere esse cognitum, vel comparatum in ordine ad intellectum concipientem, & comparatum, & alium conceptum, quo comparatur cum Petro, & Paulo intelligitur habere rationem prædicabilis, quia hic ultimus, ex quo nec rem, nec habitudinem realem ejus ad aliud exprimit, aut alterius ad ipsam, est conceptus omnino secundarius exprimens hominem, & Petrum, non sicut sunt in suo ordine, sed secundum illud additum ab intellectu ea comparante in attributo rationis; ille vero prior conceptus est primarius, quia ex quo exprimit realem terminationem, quæ objectum terminat actum realem mentis collativum, exprimit rem, sicut est in suo ordine. Hinc Scotus 5. Metaph. q. 2. ait, quod secunda intentio inest rei, in quantum consideratur, & per considerationem alteri comparatur, quæ consideratio est collativa unius ad aliud, quasi dicere velit secundam intentionem inesse rei, ut consideratur alteri comparata, seu in ordine ad aliud, cui comparatur, non in ordine ad intellectum comparantem, quia talis consideratio collativa solum est, quæ dat rebus esse omnino rationis, & invicem referri relatione rationis, quod etiam manifeste docuit 1. d. 23. dum dicit, secundam intentionem esse relationem rationis pertinentem ad extrema (nempe inter quæ versatur) actus intellectus comparantis, & in 4. d. 1. q. 2. sub B. quando ait, quod secunda intentio est relatio rationis, seu comparatio, quia consideratum comparatur ad aliud per actum considerantis, & ita intelligitur hanc sententiam Mauritijs q. 3. univers. §. *Sed quia*, Brasavol. qu. quol. 19. Bargius 1. d. 23. qui citat Lichet. & alios. Qui tamen in hoc defecere videntur, quia putant secundas intentiones necessario aliquam proprietatem a parte rei exigere, unde moveatur intellectus ad illas causandas, quod nobis omnino non probatur, quia comparatio passiva inter duo objecta, qualis modo explicata est, potest omnino fingi ab intellectu sine ullo fundamento in re. Verum est utique intentiones logicales non formari sine fundamento; formatur enim universale v. g. stante reali convenientia plurium in eadem natura, formatur prædicatum unius de alio stante reali identitate utrorumque adinvicem, formatur illatio, vel consequentia stante reali emanatione unius ab alio, vel saltem concomitantia, & sic de aliis. At hoc non impedit, quin possint alia excogitari secundæ intentiones omnino phantasticæ, quibus intellectus comparat ad libitum objecta cognita in attributis, rationis, unde non est de ratione secundæ intentionis, ut sic, habere fundamentum in re.

Ex dictis inferitur definitio primæ, & secundæ intentionis, & discrimen inter illas. Nam prima intentio est objectum actu cognitum, vel absolute per actum rectum, aut reflexum, vel in ordine ad aliud per actum collativum secundum aliquod attributum conveniens illi ex natura rei ante intellectus negotiationem. Ratio huius definitionis est, quia per actum rectum, & reflexum res concipi solet in suo ordine, & hoc etiam fieri potest actu collativo, si res conferantur adinvicem secundum aliquod attributum reale; si quis enim hominem, & animal concipiat actibus absolutis, & rectis intelligendo quid sint, ac etiam reflexis intelligendo se illa intelligere, vel illata ut a se cognita, adhuc, & actu collativo intelligendo hominem essentialiter participare naturam animalis, animal autem non includere naturam hominis, nihil tale concipiet, quod homini, & animali in suo ordine non conveniat. Verum si actu collativo alterius generis concipiat animal dictum de homine esse genus hominis, eo quod intellectus cognoscens hominem participare naturam animalis, sumpsit occasionem prædicandi animal, & subiciendi hominem dicendo homo est animal, tunc utique in objectis sic comparatis diversæ comparationes passivæ per talem actum collativum derelinquantur, quæ ex parte extremorum secundum diversas eorum proprietates diversissime nominantur; & intentiones secundæ dicuntur prædicati subiecti, generis, speciei &c. Specificavimus autem primam intentionem esse objectum actu cognitum, ut contra quamplures Scotistas doceamus non sufficere, quod sit cognoscibile, ut prima intentio dicatur, & ratio est, quia sicut objectum non dicitur cognitum, & intellectum, nisi quando actualiter terminat actum intellectus, sic non habet esse primo intentionem, sed primam intentionem, nisi quatenus primo terminat actum intellectus, unde objectum, ut cognoscibile, *Maffrii, & Bellurii Tom. I. Logica.*

dici nequit prima intentio, nisi remote, actu vero constituitur talis, cum terminat actualiter primam intentionem formalem intellectus, ut bene notavit Tromb. 7. Met. q. 9. Sarnanus, & Fuentes cit. *Secunda vero intentio est comparatio passiva, quæ reperitur inter duo, vel plura objecta adinvicem comparata in aliquo attributo rationis fito ab intellectu per modum relationis mutua inter illa, quæ definitio colligitur ex Scoto 1. d. 23. qu. un. cuius intelligentia ex dictis facile deducitur quoad omnes ejus particulas. Maxime autem ad hunc dicendi modum accedit Aureol. 1. d. 23. par. 1. art. 2. in fine, ubi ait, intentiones primas esse conceptus objectivos primi ordinis, quos intellectus immediate format circa res; intentiones vero secundas esse conceptus secundi ordinis, quos intellectus fabricat reflectendo, & redeundo circa primos conceptus, ut sunt universalitates, prædicabiles, & huiusmodi quantum ad actum componentem, & dividendum, & connexio extremorum in medio quantum ad actum discursivum, & inquit omnes istas intentiones pertinere ad prædicamentum relationis.*

122 Quomodo autem, ac per quem actum fiant secundæ intentiones, facile deducitur ex dictis q. 4. art. 2. nam juxta principia ibi tradita de formatione entis rationis dicere debemus, secundam intentionem materialiter fieri, hoc est derelinqui per actum collativum intellectus, non quidem omnem, sed illum dumtaxat, quo res comparantur in aliquo attributo rationis, formaliter vero fit per actum reflexum, quo talis comparatio passiva concipitur in objectis comparatis ad modum veræ relationis, & mutua inter illa. Ita insinuat Doct. 2. d. 1. qu. 1. art. 2. dum loquens de secundis intentionibus ait non habere esse sine actu comparativo; esto fiant per intelligentiam in vero esse suo, his enim, verbis ut P. Vulpes c. disp. art. ult. adnotavit, significat secundas intentiones per actum comparativum habere tantum esse materiale, & derelictum, & per intelligentiam reflexam suscipere postea esse verum rationis fabricatum, & formale. Et probatur breviter, quia talis comparatio passiva ante actum reflexum, quo concipitur ad modum relationis, est tantum denominatio extrinseca in objectis comparatis derelicta ex terminatione actus collativi, ergo ante talem actum non habet esse actuale, & formale rationis; sed tantum materiale, & fundamentale, cum vero tali actu concipitur ad instar veræ relationis inter illa objecta, tunc suscipit formale esse rationis, ita sentit Bargius cit. 1. d. 23. ubi notat, quod si interdum, inquit Doctor, secundas intentiones produci per actum comparativum, id debet intelligi non formaliter, sed præsuppositivo, in quantum produci non potest secunda intentio, nisi præsupposito actu comparativo; quo habito intellectus novo actu producit intentionem in re cognita, & non producit eam ipso actu comparativo, hæc Bargius ibi, pro quo modo dicendi citat etiam Lich. 2. d. 1. q. 1. idem habet Maur. cit. qu. 3. univers. ubi in formatione entis rationis ponit multa signa, & cum in decimo signo dicat, intellectum habere actum comparativum plurium objectorum in attributo rationis, postea subdit in undecimo habere actum productivum secundæ intentionis consequentem ex comparatione prædicta, & idem docet Brasavol. 9. quol. 19. Et quia hic actus apprehendendi illam comparationem per modum veræ relationis spectat ad primam operationem, ideo per hanc solam operationem fiant secundæ intentiones in suo esse formali. Quia vero actus collativus omnibus, & singulis operationibus convenire potest, ideo poterit per omnes fieri materialiter, & derelinqui peculiaris secunda intentio, sic per primam operationem intellectus conferendo animal rationale in ratione definitionis ad hominem in ratione definiti, & e contra abque aliqua affirmatione, quæ non est de essentia definitionis, derelinquitur in his objectis secunda intentio definitionis, ac definiti; per secundam operationem conferentem animal, & hominem in ratione superioris, & inferioris, generis, & speciei, prædicati, & subiecti, prædicando, s. animal de homine, derelinquantur in huiusmodi objectis comparationes illæ passivæ prædicati, & subiecti, copulæ, propositionis, &c. & tandem per tertiam operationem conferendo unam propositionem in ratione antecedentis ad aliam in ratione consequentis derelinquantur in illis propositionibus comparationes passivæ pertinentes ad argumentationem, majoris, minoris, sequelæ, &c. quæ omnia fati liquet ex dictis qu. 3. art. 2. & in hoc sensu dixit Zerbuis 5. Met. qu. 8. ad 3. secundam intentionem non tantum reperiri in prima operatione, quando est comparativa; quod utique potest illi convenire, ut docet Scot. 2. d. 6. q. 2. sed etiam in secunda, & tertia, quando per eas unum alteri comparatur in attributo rationis.

123 Quæres, an solus intellectus efficere possit secundas intentiones; num potius etiam voluntas, & dubium pertinet solum ad Scotistas concedentes ens rationis etiam a voluntate fieri posse. Bargius cit. negat, & est doctrina communis apud Recentiores, idque non probat, sed velut manifestum supponit, imo hac de causa, inquit non omnes relationes rationis esse secundas intentiones; quia multæ relationes rationis sunt a voluntate, quæ tamen non sunt intentiones secundæ. Sed alii Scotistæ concedunt, unde passim definiunt secundam intentionem, quod

K 4

fit respectus causatus ex actu collativo intellectus, vel alterius potentiae collativae, ut comprehendant respectus rationis a voluntate causatos, & Tatar. praesertim lib. 1. Elench. q. 1. §. *Quarto sciendum*, inquit, quod significatio, quae in vocabis est relatio rationis vocis significativae ad rem significatam, est secunda intentio facta per voluntatem, quia haec comparatio vocis ratione signi ad rem in ratione signati fit a voluntate, non ab intellectu, & tales videntur esse omnes relationes rationis, quae in utroque extremo fundantur ratione denominationis extrinsecae ab actu voluntatis procedente, ut sunt relationes dominii, & servitutis, ementis, & vendentis, &c. quae omnes oriuntur ex contractibus, & voluntatibus humanis; neque in hoc dubio videtur esse major difficultas, quam in illo, an possit efficere ens rationis, quare si defendatur posse ens rationis efficere, facile etiam defendi poterit posse formare secundas intentiones.

ARTICULUS II.

Ubi conservantur secundae intentiones cum primis, & ad se invicem.

124 **C**onferri solent intentiones secundae tum cum primis, quibus innituntur, & applicantur, tum ad se invicem, quatenus se invicem denominant, ex qua collatione variæ dignoscuntur affectiones earum.

Primo itaque conferuntur secundae intentiones cum primis, sicut imagines cum rebus imaginatis, inventae enim sunt ad representandas res ipsas secundum methodum, & brevitate, eo modo, quo declaravimus q. 3. huius disp. explicando causam finalem entium rationis, & q. Proem. Log. art. 5. & hac potissimum ratione dicuntur directrices nostrae cognitionis, ut ibi explicatum est; & notavit Averfa q. 5. sect. 8. Ex tali vero collatione oritur, quod quicquid secundis tribuitur intentionibus, etiam de rebus ipsis verificetur, sicut quicquid tribuitur imagini, de re, cuius est imago, verificatur, cum haec sit facta ad instar illius, illis dumtaxat praedicatis exceptis, ut bene Roccus advertit tract. secund. intent. quae ponunt differentiam inter ipsas secundas intentiones, & primas, non enim valet dicere, genus est ens rationis, seu secunda intentio, animal est ens, ergo animal est ens rationis; vel secunda intentio, quia ejusmodi praedicata sunt illa ipsa, quae discernunt genus, speciem, & alias intentiones secundas a primis; sicut si diceremus de imagine esse figuram, vel picturam, utique haec praedicata de re, cuius est imago, verificari non possent, quia sunt illa ipsa, quae discernunt imaginem ab imaginato, & conveniunt imagini ratione sui, non ratione imaginati.

125 Dupliciter autem hoc contingere potest, sicut bifariam possunt intentiones secundae primis applicari, uno modo mediante praedicatione exercita, alio modo mediante signata, quam duplicem praedicationem ita declarat Doct. qu. 14. univ. in corpore quaest. 1. & omnes ejus expositores ibi, quod exercita sit illa, quae fit in rebus, vel intentionibus per verbum *sum, es, est*, ut homo est animal; signata vero sit illa, quae fit per terminos secundarum intentionum per verba *dici, & praedicari*, ut genus praedicatur de pluribus specie differentibus, ex quo inferit Mauritiu qu. cit. hanc posteriorem non tam esse praedicationem, quam signum praedicationis, cuius indicium est, quia quod deberet poni a parte praedicati, in ea ponitur a parte subjecti, ut patet in allata praedicatione signata, at talis non est proprie praedicatione, quia non praedicatur, quod natum est praedicari, & non subsistit, quod natum est subici, quam doctrinam non recipit Brasavol. illa eadem quaest. contendit enim etiam signatam praedicationem esse in suo genere veram, & propriam praedicationem; quae lis est parvi momenti, concedi enim potest esse veram praedicationem in suo genere, absolute tamen loquendo negari nequit, quod praedicatione exercita non sit magis propria praedicatione, utpote illa, quae primo intuitu ante oculos ponit identificationem praedicati cum subjecto, quod non facit praedicatione signata; sed rursus de hac duplici praedicatione redibit sermo inferius disp. 5. q. 1. art. 1.

126 Ad propositum redeundo, si secundae intentiones applicentur primis mediante exercita praedicatione, praedicari nequeunt nisi accidentaliter, & denominative, nam non sunt nisi relationes quaedam rationis, quas intellectus veluti accidentia quaedam intentionalia attribuit primis intentionibus, ac proinde non nisi denominative de illis praedicari possunt, hic enim est proprius modus praedicandi accidentium de suis subjectis, ita docet Doct. quaest. 10. univ. & sicut accidentia realia de suis subjectis praedicantur in concreto, non in abstracto, dicimus enim, quod homo est albus, non albedo, ita dicendum est de his praedicationibus secundarum intentionum respectu primarum; unde animal dicitur genus, non generitas, & sic de aliis, quia hic etiam est proprius modus praedicandi accidentalium de suis subjectis, ut concreta praedicantur de concretis. Possunt autem similes praedicationes, animal est genus, homo est species, sumi in sensu formali, aut tantum fundamentaliter, & quidem si fundamentaliter sumantur, sunt ve-

rae a parte rei, sensus enim est, quod animal est fundamentum idoneum, ut ad plures species referri possit in ratione universalis, quod utique verum est nullo cogitante intellectu; at si sumantur in sensu formali, non sunt verae, nisi intellectu actu illis fundamentis affigente tales relationes rationis, & per eas referentur ad plures species, vel individua in ratione universalis.

127 Si vero huiusmodi applicatio secundarum intentionum ad primas fiat media praedicatione signata, potest fieri etiam praedicatione essentialis, ut constat, cum dicimus genus praedicari in quid de pluribus speciebus, speciem de pluribus individuis; verum tamen est hanc non exerceri, nisi in terminis primarum (potest tamen exerceri etiam in secundis,) quando intentiones se habent, ut superius, & inferius, ut notat Tatar. q. 1. de genere dub. 1. unde valet dicere Universale praedicatur de genere, ergo genus est universale, ut docet Scot. q. 14. cit. unde ista praedicatione signata in secundis species praedicatur in quid de pluribus individuis, ita exercetur, & praedicatur in primis, Petrus est homo, Paulus est homo, & ratio est, inquit Doct. quia secunda intentiones, maxime quando copulantur per verbum *praedicari*, supponunt pro fundamentis, & ideo tales praedicationes verificari debent per terminos primarum. Ad cognoscendum autem, quomodo fieri debeat huiusmodi applicatio secundarum intentionum ad primas praesertim per exercitam praedicationem, attendi debet fundamentum, quod est in primis intentionibus, nam si inferiora, de quibus natura apta est praedicari, differant essentialiter, illi naturae applicari debet intentio speciei, & sic de illis.

128 Deinde conferendo secundas intentiones ad invicem, videmus unam secundam intentionem alteri applicari, & de illa praedicari tam exercite, quam signate, ut genus est species universalis, universale praedicatur de genere. Ratio est, quia ut docet Scot. q. 6. univ. ubi omnes ejus expositores, & q. 3. antepredic. ad 3. & q. 2. postpredic. ad ult. & 4. d. 13. q. 1. infra T. & quol. 6. infra X. & alibi saepe, potest ab intellectu una secunda intentio fundari super aliam, & sic de aliis praedicari, quod praesertim pendet ex virtute reflexiva, quam habet intellectus supra suos actus, hinc enim potest ipsam secundam intentionem reflexe cognoscere, & ipsam alteri comparate in attributo rationis, atque ita cognoscendo, & comparando super ipsam fundare aliam secundam intentionem, sicut intentio generis, quae tribuitur animali, fundat intentionem speciei, eo ipso, quod ab intellectu comparantur universali, ut inferius suo superiori, & tunc secunda intentio fundata denominat priorem fundantem, & sic in praefato exemplo dicitur, quod genus formaliter est genus, & denominative species, & ideo inquit Doct. quod in his casibus intentio fundans sumitur, ut *quid*, fundata vero, ut *modus*; hos autem terminos ita explicant Expositores q. 6. c. ex verbis ipsius Doct. praesertim quaest. 8. §. *propter hoc*, ut sumere intentionem fundantem, ut *quid*, sit illam accipere secundum suam quidditatem, & naturam, seu ut est id, quod intelligitur: sumere intentionem fundatam, ut *modum*, sit illam accipere, ut determinationem, & modum considerandi alterius, & sic cum in praefato exemplo dicimus, quod genus est species, genus sumitur, ut id, quod intelligitur, species ut modus, sub quo intelligitur, & hoc modo non inconvenient, quod una secunda intentio praedicetur de alia, & signate, & exercite; imo eadem de seipso, ut cum dicimus, *species est species*, in quo casu non est imaginandum, quod eademmet intentio numero sit illa, quae intelligitur, & sub qua intelligatur, quasi eadem intentio numero sit modus sui ipsius, ut putavit Mauritiu, sed est intelligendum eandem intentionem specie esse modum sui ipsius, ita quod cum dicimus, species est species, tunc species, quae accipitur ut modus, & ponitur a parte praedicari, non est illa eadem numero, quae sumitur ut *quid*, & ponitur a parte subiecti, quia idem numero non potest applicari sibi ipsi, ut additum, quilibet autem modus est *quid* additum, quod bene notavit Brasavola contra Mauritiu q. 6.

129 Hoc autem interest inter applicationem, quae fit secundarum intentionum ad primas, & ad se invicem, quod primis semper applicantur, ut modi accidentales, quia semper applicantur, ut accidentia subjectis, & ideo constituunt praedicationes exercitas accidentales tantum, ac denominativas; verum cum una intentio secunda alteri applicatur, potest illi applicari tam ut modus accidentalis, quam essentialis, nam si intentio, quae alteri applicatur, ut modus, sit illi superior, ut cum dicimus, genus est universale, est secunda intentio, est ens rationis, tunc applicatur ut modus, & determinatio essentialis, & constituit praedicationem quidditativam superioris de inferiori; si vero intentio alteri applicata sit inferior, ut cum dicimus universale est genus, vel disparata, ut genus est species, tunc applicatur, ut modus, & determinatio accidentalis, quia inferiora accidunt superioribus, & unum disparatum alteri disparato; quod valde norandum est; quia Scotistae communiter, & alii universaliter docent absque ulla limitatione, cum una secunda intentio fundatur in alia, & illi appli-

applicatur, ut modus, eam denominare, seu praedicationem accidentalem, & denominativam constituere, quod universaliter verum non est, ut constat in allatis exemplis, in quibus intentio superior praedicatur de inferiori, an vero praesertim in hoc casu, cum superior intentio de inferiori praedicatur, possit, nedum in concreto, sed etiam in abstracto fieri praedicatione, ut genus, vel generitas est universalitas, infra suo loco dicemus, quia est difficultas communis etiam ad alias praedicationes.

Contra praedicata obicitur 1. probando secundas intentiones de primis praedicari non posse, quia oppositum nequit praedicari de opposito, sed ens reale, & rationis sunt huiusmodi, quia habent contradictoria praedicata, ergo &c. Nec dicas interdum posse oppositum praedicari de opposito, saltem per accidens, & ita esse in proposito. Nam contra probatur secundas intentiones nec etiam accidentaliter posse praedicari de primis, in accidentibus enim experimur, quae vere praedicantur de inferioribus, vere etiam praedicari de superioribus, & si vera praedicantur de superioribus, vere etiam praedicantur de aliquo inferiori, ut si de Petro praedicatur curfus, necesse est etiam praedicari de homine, & animali, & si praedicatur de homine, necesse est etiam praedicari de aliquo homine singulari; sed nec secundae intentiones, quae praedicantur de inferioribus, possunt praedicari de superioribus, nam secunda intentio individuali praedicatur de Petro, non tamen de homine, & animali, nec quae praedicatur de superioribus, possunt praedicari de inferioribus, nam species dicitur de homine, non de Petro, ergo &c.

130 Resp. ens, & non ens esse proprie opposita contradictorie, non autem ens reale, & rationis, unde potius dici debent disparata, vel substantia, & accidens, & ideo sicut tali disparatione, vel qualicumque oppositione non obstant, adhuc accidens praedicatur de substantia denominative, ita a pari poterit eodem modo ens rationis de ente reali praedicari, & secunda intentio de prima, sed concessa minori, adhuc sufficienter solvitur argumentum per responsionem inter arguendum allatum, quia ut notat Doct. 1. d. 2. q. 3. C. & 4. d. 13. q. 1. infra T. bene potest oppositum praedicari de opposito saltem denominative, & ut modus. Ad impugnationem, quod neque per accidens possunt secundae intentiones praedicari de primis, neganda est paritas de accidentibus realibus, & rationis, quia ut notavit Ruviu tract. de praed. secund. intent. ex doctrina Mauritiu pluribus in locis, accidentia realia conveniunt subjectis absolute, ut sunt a parte rei, sed secundae intentiones conveniunt naturis, ut tali modo concipiuntur ab intellectu; hinc est, quod secunda intentio individuali, quae Petro convenit, non dicitur de homine, & animali, quia illi convenit, ut concipitur indivisibilis in partes subjectivas, quae conceptio repugnat homini, & animali, & e contra species dicitur de homine, non de Petro, genus de animali, non de homine, quia tales intentiones conveniunt illis naturis, ut sunt divisibiles in tales partes subjectivas, quae prorsus repugnant individuo, & etiam speciei, si plura numero sint diversa.

131 Secundo obicitur e contra probando secundas intentiones praedicari de primis, nedum accidentaliter, sed etiam essentialiter, quia homo per se praedicatur de pluribus differentibus numero, ergo per se est species, consequentia tenet per locum topicum a definitione ad definitum. Si negetur assumptum, quia praedicari convenit per se intentionibus, rebus vero tantum per accidens, ut docet Scot. q. 14. univ. in corpore quaest. 1. Contra est, quia si homo per accidens tantum, & non per se de inferioribus praedicatur; ergo Petrus per accidens tantum, & non per se est homo, consequentia patet, quia ideo Petrus est homo, quia homo praedicatur de suis inferioribus, & eo modo est homo, quo homo de inferioribus praedicatur, valet enim consequentia a signata praedicatione ad exercitam, unde si praedicatione signata non est per se, nec exercita, talis erit.

Resp. Doct. q. 11. negando assumptum, si ly per se determinat inhærentiam ob rationem assignatam in solutione inter arguendum data, sed verum dumtaxat, si ly per se determinat inhærentiam; pro cuius declaratione nota, quod per inhærentiam intelligit unionem praedicati cum subjecto, per inhærens vero ipsummet praedicatum in quo fundatur illa unio; quando igitur aliqua determinatio, vel syncategorema instruitur cum copula verbali, determinat inhærentiam, ut si dicatur, accidens per se est ens, nam sensus est, quod ens convenit per se accidenti; quando vero constituitur cum praedicatione, tunc determinat inhærens; ut si dicatur, accidens est ens per se, quae est propositio falsa, quia est sensus, quod fit ens non alteri inhærens; ita igitur in proposito inquit Doct. assumptum esse falsum, si ly per se determinat inhærentiam, quia sicut species per accidens inest homini, ita & praedicari de pluribus numero differentibus; concedi tamen potest, si ly per se determinat inhærens, scilicet ly praedicari, & tunc

sensus est, quod praedicari per se de differentibus numero inest homini non quidem per se, sed solum per accidens; unde patet solutionem inter arguendum datam esse sufficientem si bene intelligatur. Ad impugnationem ibi factam negatur Consequentia, ad probationem dicimus, valere utique consequentiam a signata ad exercitam, quotiescumque illa fit in terminis secundae intentionis, quomodo proprie est praedicatione signata, & virtualiter continet exercitam, non autem quando fit in terminis primae intentionis, ut est in argumento allato; quod si interdum in similibus praedicationibus tenet Consequentia a signata ad exercitam, hoc plane est gratia materiae, non gratia formae, ita Mauritiu quaest. 8. in fine, clarius Brasavol. quaest. 11. quam doctrinam habet Doct. q. 14. & omnes ejus Expositores ibidem.

132 Tertio obicitur non posse unam secundam intentionem alteri, velut modum applicari, & in ea fundari. Tum quia implicat dari modum modi, non enim datur actionis actio, nec unionis unio, & sic de aliis modis, cum ergo secunda intentio, ut sic, sit modus intelligendi primae intentionis, non poterit per aliam supervenientem intentionem modificari, & denominari. Tum 2. quia secunda intentio dicitur talis, quia primae supervenit, & in ea fundatur, ergo si intentio una potest alteri supervenire, & huic alia, dabitur non solum prima, & secunda intentio, sed tertia, quarta, quinta, &c. juxta carenam fabricatam secundarum intentionum. Tum 3. quia fundamentum est majus ens fundato, quia hoc sustentatur in illo, sed una secunda intentio non est majus ens alia, nam omnes aequae pendunt ex intellectu operatione, ergo &c. Tum tandem, quia daretur processus in infinitum, qui evitandus est, quantum fieri potest.

133 Resp. ad 1. quicquid sit de modis essendi, si modi tamen intelligendi, ut sunt intentiones secundae, non implicare dari modum modi, dummodo alter sumatur, ut quid, & determinabile, alter ut modus, & determinans; & sic contingit in casu nostro, cum una secunda intentio super aliam fundatur, tunc enim secunda intentio fundans sumitur ut quid, & induit quasi conditionem intentionis primae respectu alterius fundatae, non quia sit simpliciter prima, sed quia est prior illa, quam fundat, & determinatur per eam, ut modum intelligendi ejus. Ad 2. negatur assumptum, non enim secunda intentio dicitur fundata, quia superveniat primae, sed quia explicat res in esse secundo, & attributo rationis, ut a. r. declaratum est, unde licet una secunda intentio fundetur super aliam, & fundantes dicantur secundum quid primae respectu supervenientium, simpliciter tamen, & absolute omnes dicuntur secundae, non autem tertia, vel quarta, quia omnes conveniunt objecto, ut cognito, & comparato in attributo rationis, quod esse cognitum, & comparatum est status rei secundus. Ad 3. negant aliqui majorem, ut Masius sect. 3. de rebus univ. quaest. 8. sed quicquid sit de hoc, vera est major, quando fundatio exigit sustentationem, & influxum fundamenti, quod non requiritur in proposito de secundis intentionibus, quae sunt merae relationes rationis, & nullum verum influxum exigunt ex parte fundamenti, sed qualicumque exigitur ad dandum illis existentiam objectivam, totus attenditur ex parte intellectus; & adhuc concessa majori deberet negari minor, quia ut constat ex qu. 6. infra sphaeram entis rationis invenitur suo modo gradualis latitudo, ut in ente reali ex Doctore quo. 6. univ. in fine, & ibi notant Mauritiu Anglicus, & alii. Ad 4. Negant aliqui Scotistae processum in infinitum, nam tres tantum assignant gradus in secundis intentionibus, in primo gradu ponunt secundas intentiones fundatas in primis, in secundo passiones fluentes ab ipsis, & in 3. modos, sub quibus concipiuntur, & hic datur status, quare usque ad istum tertium gradum dumtaxat admittunt progressum in fabricanda carena secundarum intentionum, & hoc putant esse de mente Doct. q. 6. cit. in fol. ad 4. ubi expresse admittit ultimum gradum in secundis intentionibus, qui est tertius jam assignatus.

Verum solutio haec non est idonea, nam etiam in ordine entium realium processus in infinitum esset vitandus, tamen non inconvenient in relationibus rationis, ut expresse docet Scot. 4. d. 6. q. 10. sub. E. & alibi saepe, id enim aliud non significat, quam intellectum posse successive in infinitum intelligendo reflectere se supra objecta cognita, & illa comparare in attributo rationis, cum autem l. c. admittit Doct. ultimum gradum in entibus rationis, loquitur ex suppositione, ut ibi notavit Mauritiu, quae tamen suppositio est absolute falsa. Vel dicendum, quod etiam tribus illis dumtaxat gradibus admittis in secundis intentionibus, hoc non obstat, quia adhuc una secunda intentio possit super aliam fundari in infinitum, quia in illo tertio gradu potest intrinsece latitudo infinita secundarum intentionum, quarum una super aliam fundari possit, & omnes spectabant ad illum tertium gradum, quia quatenus una secunda intentio super aliam fundatur, habet rationem modi.

Explicata natura Entis Rationis, & secundæ Intentionis, ut sic in genere, nunc ad explicandas in specie descendimus intentiones Logicales, & ab eis incipimus; quæ Universalis, seu Prædicabilia dicuntur, eo quia eorum cognitio multum deservit ad ordinanda prædicamenta; agemus autem de ipsis primo in communi, postea in particulari. Hæc dici solent Universalis in prædicando ad differentiam Universalis, tum in causando, cuiusmodi est Deus, & quæcumque; alia causa concurrens ad plures effectus; tum in significando, qualis est vox plura significans, ut hoc nomen animal, quod omnia significat animalia; tum in representando, qualis est homini imago, aut etiam ejus cognitio, quæ aliquo modo omnes homines representat; tum denique ad differentiam Universalis in essendo, quod nempe cum aliquali sua unitate est, vel esse potest in multis, ut natura animalis in omnibus animalibus, & hominis in omnibus hominibus. Igitur Universalis in prædicando, de quo hic agere intendimus, nullum horum, sed tantum est secunda quadam intentio applicata illi naturæ communi, quæ dicitur Universalis in essendo, per quam relationem rationis illa natura communis constituitur proximè potens prædicari de multis. Ex quo patet Universalis in essendo esse fundamentum Universalis in prædicando, ex eo enim quod natura humana est in Petro, & Paulo, prædicatur de illis. Hinc Universalis in essendo consuevit appellari Universalis materiale, & fundamentale, & pro prima intentione, item Universalis Metaphysicum, quatenus Metaphysicus considerat naturas rerum secundum se, Universalis vero in prædicando dicitur Universalis formale in actu; & pro secunda intentione, quia nimirum importat ipsam intentionem Universalitatis, quæ est forma rationis, quæ aliquid denominatur Universalis in actu, dicitur etiam Universalis Logicum, quia Logicus per se considerat secundas intentiones, naturas vero rerum non, nisi quatenus inserviunt pro fundamentis illarum, quia agit de secundis intentionibus, ut fundantur in primis. Cum igitur Universalis in essendo proprie ad Metaphysicum spectet, ad Metaphysicum tractationem ejus ex professo remittimus, ut Metaphysica a Logicis, quantum fieri potest, discernamus, quia tamen fundatur in eo Universalis Logicum, ne fundamentum ejus sit yronibus proorsus ignotum, aliqua obiter initio hujus disp. de ipso Universalis in essendo ex Metaphysica supponimus.

QUESTIO PRIMA.

An detur Universalis a parte rei.



Movetur quæsitum tam de Universalis in essendo, quam in prædicando, & quoad utramque partem hic resolvitur, obiter tamen de Universalis in essendo. Hæc de re duæ extant extremæ opiniones & una media, quæ est vera, ac tenenda. Prima est quorundam Philosophorum antiquorum, quam refert Arist. i. Met. c. 6. & 4. Met. c. 5. de Heraclito, & Cratillo, qui in rerum natura singularia solum agnoscebant, & Universalis profus negabant; ab hac opinione non multum distat Nominalium planctum, qui rationem Universalis reponunt solum in vocibus, & conceptibus concedendo tantum Universalis in significando, & representando, negando profus in essendo, unde & Nominales cognominati sunt, ita Ocham. i. Log. c. 14. & i. d. 2. q. 4. & quol. 5. q. 12. & 13. Gabr. i. d. 2. q. 7. Greg. i. d. 3. Rubion. ib. q. 7. & ex Recentioribus quamplures ex Patribus Societatis præsertim Hurt. disp. 5. Met. sect. 10. Arriaga. d. 6. Log. sect. 4. Altera opinio ex diametro opposita concedit Universalis in actu a parte rei, non tamen in eodem modo. Plato namque hoc admittebat separatim a singularibus, ut ei impingit Arist. i. Met. c. 6. & l. 7. cap. 8. ita quod daretur homo, seu humanitas in communi, de qua singuli homines participant, & equus in communi, de quo omnes equi, eo fere modo, quo plures lucernæ ex eodem lumine accenduntur. Alii vero admittunt Universalis a parte rei, non tamen a singularibus separatim, sed in eis realiter inclusum, imo & cum eis realiter identificatum; vocant autem illud Universalis in actu, quia naturam communem in pluribus individuis repertam, inquitur, vere, ac proprie debere dici Universalis, nec est aliquid deficere ad actualem Universalitatem requisitum, ita Paul. Venet. q. 1. univ. & lib. 2. Metaph. & mordicus tenet Monlorius disp. de univ. c. 6. & solet quoque Scotus impingi, eo quia in 2. d. 3. q. 1. docet naturam a parte rei de se pluribus communicabilem esse. Tertia demum sententia concedit a parte rei Universalis in essendo, scilicet naturas communes in singularibus existentes, non quidem quasi sit completum, & in actu, sed inchoate solum, & remote, quatenus fundare potest secundam intentionem Universalis Logici, quod solum fateatur esse Universalis completum, & in actu, at non habere esse, nisi per intellectus operationem, quæ est vera sententia in omnibus scholis recepta.

ARTICULUS PRIMUS.

Resolutio quæstionis de Universalis in essendo.

Dicendum est Universalis in essendo reperiri in rerum natura, non quidem a singularibus separata, sed in eis inclusa, & cum eis realiter identificata. Conclusio est Arist. l. c. ubi acriter invehitur in eos, qui tantum singularia agnoscebant in toto entium ordine 7. Met. ait definitionem, per quam explicatur rerum quidditas, dari de rebus Universalibus, & i. Post. c. 5. & 12. scientiam esse de Universalibus, quæ in singularibus existunt, & cum scientiæ plurimæ sint reales, plane Universalis eorum objecta erant aliquo modo a parte rei, & i. Peribet. ejus alias poait Universalis, & alias singulares, & i. Post. c. 2. & 2. de Anim. c. 5. ait Universalis intellectu, singularia sensu cognosci; cer-

tum autem est objectum, præsertim motivum, antecedere actum potentia cognoscens aliquo modo, ergo hæc conclusio est peripatetica, quam proinde recipiunt unanimiter Thomista, & Scotista contra Nominales cum D. Tho. de Ente, & essentia c. 4. & opusc. 35. & 56. Scotus 3. d. 3. q. 1. & 7. Met. q. 13. Probatur quoque evidenti ratione ipsam declarando. Nam per Universalis in essendo hic intelligimus solum naturas communes, per quas individua a parte rei conveniunt, & affimulantur, sed tales naturas reperiri ipsa experientia docet, nam per humanitatem Petrus convenit cum Paulo, non cum Bucephalo, per animalitatem convenit cum Bucephalo, non cum lapide, ergo &c. Item per Universalis in essendo secundum communem loquendi modum non intelligitur Universalis completum, & in actu, sed natura communis, quæ possit esse fundamentum intentionis Universalitatis, & ob suam communitatem præbere occasionem intellectui, ut ipsam concipiat vere, & positive unam in multis, & de multis prædicetur, at dimittere Universalis a parte rei in hoc sensu, inchoatum nimirum dumtaxat, & incompletum non solum absurdum non est, sed maxime necessarium, ne dicamus intellectum temere, & absque sufficienti fundamento cogitare naturas Universalis, ergo &c. vide Tromb. 7. Met. q. 9. & Ant. And. ibidem & initio prædicab.

4. Secundo probatur eadem Conclusio contra Nominales, nempe non solum dari voces, aut conceptus formales communes, sed illis vere correspondere naturas communes pro conceptibus objectivis, idque probatur in primis ex veritate prædicationis, in qua natura communis enunciat de aliquo singulari, ut cum dicimus Petrus est homo, hic plane Universalis quoddam enunciamus de singulari, & ostendimus habere cum eo essentiali connexionem, & quidem non indicatur connexio inter illas voces Petrus, & homo, neque inter conceptus formales illarum, quia prædicatio esset omnino falsa, sed inter res per illas voces, & conceptus significatas, ergo cum enunciatio sit Universalis de particulari, plane præter singularia, & Universalis in significando admittendæ sunt naturæ communes, quæ dicuntur Universalis in essendo, & conceptibus formalibus communibus correspondent pro conceptibus objectivis.

5. Respondent Nominales neg. conseq. conceptus namque formalis hominis, ut sic, non significat immediate aliquam naturam communem individuis humanis, sed immediate omnia ipsa singularia confuse cognita sine distinctione inter illa. Contra, vel significat illa copulative, aut copulativum sumpta, vel disjunctive, seu disjunctum; non primum, quia cum totum quod concipitur ex parte prædicati, debeat affirmari de subiecto, si per illud prædicatum homo copulative significantur individua omnia, & singula naturæ humanæ, omnia quoque, & singula de Petro affirmarentur, & sic esset propositio falsa. Nec valet quorundam responsio, quod licet videantur omnes naturas singularium de Petro affirmari, re tamen vera non affirmatur, nisi propria ejus natura, quia in hoc differt actus copulativus confusus, per quem sit prædicta propositio, a copulativo claro, quod ubi iste de subiecto affirmat totum id, quod ex parte prædicati attingit, confusus non affirmat, nisi partem sui subiecti. Non valet, quia ad veritatem propositionis copulativæ absolute sumptæ, sive nimirum sit copulativa clara, sive confusa, indispensabiliter requiritur, ut totum prædicatum, & quælibet ejus pars verificetur de subiecto; nec sufficit, quod aliqua pars tantum illi conveniat, & in hoc præsertim a disjunctiva fecerunt ut

con-

constat ex Summis. Si vero alterum asseratur cum Hurt. §. 79. quod scilicet homo in allata propositione significat omnia humana individua disjunctive; tunc illa propositio Petrus est homo, sic resolvetur, Petrus est hic, vel ille homo, sed ista non est prædicatio Universalis de singulari, sed individui vagi, ut cum dicimus Petrus est aliquis homo, ita enim resolvitur, ejus ut sensus sit, quod est hic, vel ille homo; tum quia Universalis debet de pluribus prædicari per modum unius, hæc enim ratione dicitur unum in multis, & de multis, ergo in prædicatione non potest significare plura disjunctim. Si tandem dicatur, ut ait Ariaga c. l. 6. n. 31. naturam humanam confuse conceptam esse prædicabilem de quolibet individuo inadæquate, id est unam de uno, & aliam de alio, quod sufficit, ut absolute illa sit prædicabilis de pluribus, ut ad Universalis requiritur. Contra, quia tunc in qualibet propositione propria natura prædicabitur de proprio individuo, & ita cum dicimus Petrus est homo, non erit prædicatio superioris de inferiori, & Universalis de singulari, sed eisdem de seipso; ut bene urget Licher. contra Ocham 2. d. 3. q. 1. §. Ad responsum quem nodum ut solvat Ariaga c. mirabilia dicit, & incredibilia, quæ confutatio non egerit.

6. Deinde principaliter, cognitio Universalis non immediate terminatur ad omnia singularia contenta sub illo, ergo objectum immediatum talis actus erit aliqua una natura ita communis a parte rei omnibus illis, ut in ipsa omnino conveniant, & affimulentur. Probatur assumptum, quia ille actus omnino præscindit a singularitatibus, cum ex vi ipsius individua conveniant, & non distinguantur, ergo non immediate terminatur ad illa, alioquin etiam singularitates attinguntur. Resp. Hurt. c. §. 162. per illum actum concipi immediate omnia individua, ut similia, & ideo præscindere a singularitatibus, quæ ipsa reddunt dissimilia, unde §. 147. inquit immediatum fundamentum Universalitatis esse plura singularia, ut similia. Hæc solutio tam infirma est, ut neque Ariaga, esto sit eisdem opinionis, eam recipiat, & quia est quorundam veterum Thomistarum præsertim Hervæi, eam refert, & optime impugnat Zerbis §. Met. q. 17. §. Propter secundum, nam quæritur, quid sit illud, in quo individua v. g. humana sunt similia, sane ens rationis esse nequit, quia similitudo supponitur esse realis, si est quod reale, plane id esse nequit aliqua natura singularis pluribus communicabilis, quia id tantum Divinis personis reservatur, ergo communis. Neque immediatum fundamentum talis similitudinis possunt poni ipsa omnia singularia, ut conformia, ut dicebat Hurt. nam hoc, quod est omnia singularia, ut conformia, vel dicit aliquid propter ea absolute considerata, vel non; si non, cum omnia singularia absolute considerata sint plura, ut plura, tunc omnia singularia, ut similia, erunt plura, ut plura, & sic ratio pluralitatis, in quantum talis, esset ratio formalis conformitatis, & unitatis, quod est impossibile, si primum, certe id esse nequit, nisi aliquid reale ipsis commune, in quo conveniant, quod est intentum.

7. Resp. Ariaga c. per actum illum confusum plura cognosci ex parte objecti, etiam ex parte modi attinguntur, ut unum, quatenus per confusionem non distinguuntur illa plura. Contra, ille actus ob sui confusionem non attingit singularitates omnium individuum, ergo non attingit plura, ut plura ex parte objecti, quia individualis pluralitas ex illis solum provenit, ergo nedum ex parte modi, sed etiam ex parte objecti plura attingit, ut unum; Prob. conseq. quia cognitio id tantum representat, quod se tenet ex parte objecti, si igitur non representat pluralitatem, & distinctionem, certe neque objectum, prout est terminus illius cognitionis, distinctionem habebit. Confr. quia si ex parte objecti plura attingit ut plura, ergo non representabit illa ut indistincta, & per modum unius, nam totum id representat, quod attingit, cum ergo non repræsentet plura, sed unum, signum est, non attingere plura, sed unum. Tandem in l. de An. ostendimus objectum non accipere unitatem a conceptu, sed potius e contra conceptum ab objecto, quia potentia specificantur per actus, & actus per objecta ex 2. de An. ergo falsum est naturam humanam v. g. aliam unitatem non habere, nisi quam accipit a conceptu formali intellectus confuso; sed contra hoc Nominalium status agemus in Met. Vide Tatar. qu. 1. Prædicab. dub. 2. Fabrum 4. Met. disp. 9.

8. Tertio, quod hæc Universalis in essendo, seu naturæ communes poni non debeat a suis singularibus separata, sed in eis inclusa, & cum eis realiter identificata, est etiam communis Peripateticorum sensus, & expressa Arist. sententia contra Platonem, unde 7. Met. ait, quod nullum Universalis existit præter singularia separatim, & 10. Met. Universalis non sunt præter multa, & i. Post. domus non est præter has domos, & lateres præter hos lateres, & in præd. substantia habet, corruptis primis substantiis impossibile esse aliquid aliorum remanere, hoc est, destructis ibi tradunt; & probatur manifesta ratione ex ipso Ar. de dicantur de suis singularibus, quia Universalis vere prædicari vere de alio præsupponit esse in illo, de quo prædicatur, ergo Universalis est in individuis, non autem sepa-

ratum ab eis. Imo Universalis essentialia, ut sunt genera, & species, non solum debent esse in individuis, de quibus prædicantur, inclusa, sed etiam realiter identificata, cum sint essentia, vel pars essentia illorum. Accedit, implicare in terminis Universalis existens solitarie a singularibus separatim, quia omnis res, quæ solitarie existit, & immediate in universo, singularis est, ac individua, juxta illud Boetii axioma: *Omne, quod est, ideo est, quia unum numero est*, quod in hoc sensu ab omnibus intelligitur. Verum an talis fuerit sententia Platonis, qualem ei imposuit Ar. valde dubium est, & quod suspicionem auget, est, quod testatur D. Th. (testis plane fide dignissimus, & omni exceptione maj.) l. 4. de regim. Princ. c. 4. Ar. nempe non plane referre aliorum sententias, maxime Socratis, & Platonis, & quidem gravissimi Patres, & Philosophi, præsertim vero Contra. Aug. l. 83. q. q. 46. & l. 7. de Civ. Dei c. 28. Seneca l. 8. & Eugubinus de perenni Ph. c. 10. Platonem ab hac vindicant impossura, & inquit fuisse locutum de Ideis in mente divina, quibus subscribit Scot. i. d. 35. q. un. §. Ad ista, affirmans Ar. male retulisse Platonis sententiam, subdit Mayron. i. d. 47. q. 3. id fecisse invidia motum, sed videantur Averfa q. 8. Log. sect. 2. & Pasqual. part. 2. sue Met. d. 11. sect. 3. de mente Platonis optime discurreres, & Mayron. l. c. pro Platone contra Ar. strenue decertans. De Universalis Platonico etiam diffuse differit Bonet. 7. sue Met. c. 2. & 3. & postea l. 8. c. 1. agit de eisdem Universalibus juxta mentem Arist. & Contaren. t. 3. quæst. perip. q. 1.

9. Hæc igitur est communis sententia Realium contra Nominales de Universalis in essendo, ut notat Menriste l. 2. Met. c. 3. q. 3. & quidem Scot. illa admittit a parte rei modo jam declarato patet ex l. c. d. 3. q. 1. ubi totis viribus id probare contendit, quia vero S. Th. loc. supra cit. ita aperte non loquitur, unde non desunt, qui eum trahere locum in Nominalium, ut Hurt. & Ariaga. cit. ideo locum alium adducere libet, quem refert Zerbis, ex tractatu de sensu respectu singularium, & intellectu respectu Universalium, ubi in fine inquit, *ipse nature, quibus accidit intentio Universalitatis, sunt in rebus, & propter hoc nomina communia significantia naturas ipsas prædicantur de individuis, non autem nomina significantia intentiones, Sortes enim est homo, sed non species, hunc, & alia loca S. Th. ex tr. de Universal. & de natura generis, & ex i. sent. d. 18. q. 5. art. 1. in corp. adducit Zerbis, ex quibus manifeste deducitur Doct. Ang. non a Nominalibus, sed a Realib. stare. Verum tamen est, Reales postea etiam inter se discrepare in modo ponendi Universalis in essendo; Scotista namque docent, naturam ita existere in singulari, ut quamvis sit illi realiter identificata, manet adhuc tamen ex natura rei formaliter distincta a singularitate ob differentiam suarum rationum, quas etiam in tali identitate reali servant impermixtas: natura enim ex sua ratione formali semper est pluribus communicabilis, singularitas incommunicabilis, adeo quod natura ex contractione per singularitatem facta, non nisi extrinsece, & denominative manet singularizata, quam distinctionem etiam agnoscent inter gradus metaphysicos, id est inter prædicata essentialia naturæ superiora, & inferiora lineæ prædicamentalis eadem fere ratione, ut v. g. animal, & rationale ita distinguuntur, quia important diversas formalitates, quarum una est potentialis, altera actualis, una est ratio, qua homo, & brutum conveniunt, altera est ratio, qua differunt citra quodcumque opus intellectus; cum ergo de eodem secundum idem contradictoria a parte rei verificari non possint, necesse est, quod important distinctas ex natura rei formalitates, ita videtur est apud Scot. 7. Met. q. 13. & 16. ubi Tromb. q. 4. & Ant. And. q. 14. & in l. d. 8. q. 3. & 2. d. 3. q. 1. ubi Tat. Licher. & alii Scotista circa eadem loca. Thomista vero concedunt quidem naturam communem habere esse reale singularibus, sed nullo pacto ab esse singularium, & differentia individuali ex natura rei actualiter distinctum, sed tantum virtualiter, & per intellectum concipientem cum fundamento in re naturam communem a singularitate abstractam, & ita consequenter loquuntur de cæteris gradibus metaphysicis; unde ad argumentum illud de contradictoriis respondent ad tollendam contradictionem sufficere distinctionem virtuales, ratione cujus aliqua non sunt omnino idem, & adæquate, & ita sit contradictio circa idem, non sub eadem ratione, nec sub eodem modo. At hæc solutio parum valet, ut constat ex dictis d. 1. q. 5. art. 2. loquendo de distinctione formali, & ex dicendis d. 9. q. 1. art. 2. esto enim sufficiat ad evitandam contradictionem supposita intellectus operatione, & diversa eisdem rei apprehensione, quia tunc opposita prædicata non verificantur de re secundum adæquatam ipsius rationem, sed inadæquatam, & aliquid convenit ipsi conceptui, quod repugnat alteri, tamen præciso opere intellectus non sufficit, quia ibi non est alia, & alia ratio, unde absolute quicquid prædicatur de uno, prædicatur etiam de altero, ut sunt a parte rei; sed de distinctione graduum prædicamentalis, & compositione metaphysica, quam faciunt, quatenus una est realis actualis, & contractiva, altera potentialis, & contrahibilis, ex professo in Met. agendum est, quamvis de compositione aliqua dicemus d. seq. q. 3.*

10. Præterea neque ipsi Scotista fati inter se conveniunt de communitate reali naturarum; quidam enim contendunt esse

esse communes per inexistentiam, ita quod una, & eadem humanitas realiter reperitur in omnibus hominibus, v. g. humanitas Petri, & humanitas Pauli non differunt, nisi extrinsece, ratione scilicet, differentiarum adjunctarum, quando autem afferunt unam esse naturam in omnibus singularibus, sane non intelligunt esse unam numericam, id enim divinis tantum personis reservatum est, in quibus una, & eadem numero prorsus indivisa natura reperitur; sed loquuntur de illa unitate propria naturæ, quæ importat individuationem per principia essentialia, unde dici solet unitas formalis, & essentialis, quæ ideo est minor unitate numerali; & ponere in creatis eandem naturam sic unam in pluribus singularibus, nedum non arbitrantur absurdum, sed summe necessarium, ita defendunt Canon. 1. Phys. q. 6. Bon. 1. 1. Met. c. 2. rationibus sane non spernendis, Meurisse l. c. q. 4. & fufe Pasqual. tom. 2. Met. d. 15. & etiam ita loqui videtur Faber. in Met. l. c. & in Philosoph. theor. 93. cum aliis quibusdam; Ceteri vero Scotistæ admittunt naturas communes solum per indifferentiam, non autem per inexistentiam unde consequenter volunt quodlibet suppositum habere propriam naturam cum sua unitate formali, & aliam esse humanitatem Petri, aliam Pauli, etiam antea dicitur ad differentias individuales; dicitur tamen unaquaque natura communis, quia quantumvis sit extrinsece contracta per differentiam ad hoc, vel illud individuum, iurisdictione tamen semper indifferens manet, ut sit in hoc, vel in illo, sicut enim constituit modo Petrum, ita quantum est de se, poterat constituere Paulum, si illi a generante communicata fuisset, & ideo dicitur communis per indifferentiam, ita defendunt Tat. q. 1. prædic. dub. 3. Vallo. in Formalit. in explicatione divisionis entis rationis, & egregie Licher. cit. ubi tamen bene notant, quod licet sint tot humanitates, quot homines; adhuc tamen una tantum est species humana, quia unaquaque non est nata fundare, nisi secundam intentionem ejusdem speciei, utpote entitates ejusdem rationis, idem tenet Rada 2. p. contr. 3. art. 1.

11 Et sane hæc fuisse videtur mens Doctoris, ut patet ex toto processu usque ad finem q. apertissime docet communitatem naturæ esse per indifferentiam, non per inexistentiam, & q. 6. ejusdem dist. sub D. respondens ad illud quæstionem, an unitas naturæ communis sit alicujus entitatis in uno tantum individuo existentis, an vero alicujus, quod simul est in duobus, inquit, *Concedo ergo, quod hæc unitas formalis non est alicujus entitatis existentis in duobus individuis, sed in uno*; & in 3. d. 8. q. unica in fine ait aliam esse unitatem formalem humanitatis Christi, & aliam humanitatis Mariæ, & 2. d. 3. q. 7. D. inquit esse distinctas humanitates in pluribus hominibus, etiam ut præcedunt singularitates; hinc tamen inferri non debere, quod differant in humanitate; aliud enim est, alicujus distinguere, & aliud ipsum esse primam rationem distinguendi, vel distinctionis, quia cum hoc, quod ipsum sit distinctum, stat, quod ipsum non sit ratio distinguendi; concedit ergo Doctor humanitatem Petri esse entitativè distinctam ab humanitate Pauli, non tamen esse rationem distinguendi Petrum a Paulo, quia quantum est de se, est etiam communicabilis Paulo, & ideo cum sit entitas communis per indifferentiam, non potest esse prima, & per se ratio distinguendi, hæc ergo est genuina mens Doctoris, unde Canon. ipse citat. quamvis probabiliter oppositam tueatur sententiam, subdit tamen hæc secundam esse magis subtilem, & opinioni Scoti consonam.

12 Et quidem sustinendo dari naturas communes per inexistentiam, vitari nequeunt absurda illa, quæ contra naturæ communitatem urgebant Aureolus, & Ocham, nimirum quod una, & eadem natura erit simul, & semel misera, & beata, quia in Christo existens est beata, & in Juda damnata; & quod Petrus nequit annihilari a Deo, quia semper aliqua ejus entitas remaneret, nempe illa, quæ communis est illi cum cæteris individuis remanentibus; neque novus homo creari, quia creatio petit esse ex nihilo, & in hac sententia præxisteret ejus natura in individuis jam existentibus; daretur insuper de facto universale in actu a parte rei, ex una enim parte natura est realiter una, & ex alia cum tali unitate reperiretur in multis, quæ duo constituunt universale in actu, ut patet art. seq. Conantur quidem Auctores alterius opinionis Doctorum explicare, & hæc inconvenientia evitare, unde ad primam auctoritatem ait Meurisse q. 4. Scotum intelligere unitatem naturæ non esse alicujus entitatis existentis in duobus individuis cum sui divisione ætherogenea, id est per differentias alterius rationis, quales sunt specificæ, bene tamen cum sui divisione homogenea, id est per differentias ejusdem rationis, quales sunt individuales. Ad 1. inconveniens ait Faber, quod natura Christi est numero diversa a natura Judæ, & solum eadem specie, non inconvenit autem aliam naturam ejusdem speciei cum natura Christi esse miseram. Ad alterum inconveniens, inquit Canon. sufficere ad annihilationem, si nihil remaneat singulare, & ad creationem, si nihil præxistat singulare.

13 Sed sunt vani conatus, nam cum ait Doctor unitatem formalem naturæ non esse alicujus entitatis existentis in duobus individuis, sed in uno, esto exemplificet de na-

tura specifica, tradidi tamen illam doctrinam generatim de unitate naturæ tam specificæ, quam genericæ, de quibus loquitur promiscue in illis qu. imo si verum est, quod ibi docet Meurisse, naturam humanam esse totum homogeneum Metaphys. & individua naturæ humane esse partes subjectivas illius totius, atque ideo naturam contractam habere solum unitatem negantem divisionem ætherogeneam, non homogeneam (in quo melius loqui non poterat) certe non amplius defendere potest communitatem naturæ per inexistentiam, quia nulla eadem entitas est in duobus individuis, alia enim est entitas humanitatis Petri, alia Pauli, esto omnes sint homogeneæ, sed tantum per indifferentiam, quatenus quæ constituit Petrum, poterat etiam constituere Paulum. Neque etiam Faber primum subterfugit absurdum, quia argumentum urget inconveniens esse, quod una, & eadem entitas, quomodocumque ponatur una, sive numero, sive specie, dummodo sit unitas realis, qualis ponitur esse unitas naturæ, sit simul, & semel misera, & beata, nam in illa opinione humanitas Christi, & Judæ antecedenter ad singularitates non sunt distinctæ res, vel entitates, ergo licet non eadem singularitas sit misera, & beata, simul, & semel, bene tamen eadem natura, quod adeo absurdum est etiam in hoc sensu asserere, ut merito Tatar. c. hanc imaginationem appellat meram fatuitatem. Nec etiam candide Canon. alterum subterfugit absurdum, quia secundum communem, & sanum sensum ad annihilationem requiritur, ut nihil remaneat in rerum natura entitatis actualis, quæ intrinsece componebat rem annihilatam, sicut ad creationem, ut nihil præxistat entitatis intrinsece componentis rem creatam, sed de hoc ex professo agemus in Metaphysica.

Solvuntur Objectiones.

14 IN oppositum objicitur 1. pro opinione Heracliti, & Cratilli, quia quicquid est in rerum natura, vel est Deus, vel creatura; sed unumquodque horum singulare est, de Deo patet, ac etiam de creatura, quia hæc existit ex vi alicujus actionis realis, actiones vero sunt circa singularia 1. Met. text. 1. Tum 2. existentia est actus rei singularis, ergo quicquid existit, singulare est. Tum 3. quia omne, quod est, ideo est, quia singulare est ex Boet. Tum 4. si darentur universalia, id potissimum esset propter scientias, sed istæ possunt esse de singularibus, ut constat de Theologia, quæ est de Deo singularissimo. Tum 5. ad universale duo necessario requiruntur, unitas, & multitudo, unde definitur, quod sit unum in multis, quia si esset unum, & non respiceret multa, tunc deesset fundamentum, si vero respiceret multa, & non esset unum, tunc esset mere simpliciter plura, sed unitas, & multitudo inter se repugnant, ergo, &c. Tum tandem quia Arist. ipse 1. Post. 149. loquens de universalibus ait, *Species valeant; signum enim sunt*, & 1. de Anim. c. 3. ait, universale aut nihil est, aut posterius, est scilicet per solam operationem intellectus.

Resp. neg. minorem de creatura qualibet universum, licet enim omnes illæ creaturæ, quæ primario, & immediate terminant actionem productivam, sint singulares, non tamen quicquid producitur concomitanter ad earum productionem, necesse est esse intrinsece singulare, & in hoc sensu possunt actiones esse etiam circa universalia, ut ait Doctor 3. d. 22. q. un. G. Ad 2. verum est assumptum de existentia perfecta, & ultimata, qualis est existentia rei immediate existentis, talis non est existentia naturæ, quæ existit solum mediantibus singularibus. Ad 3. ideo sic loquitur Boet. quia etiam naturæ communes ideo existunt, quia sunt in singularibus, qua ratione, & ipsæ singulares dicuntur, non per se, & intrinsece, sed per accidens, & denominative ratione differentie individualis adjunctæ, ut declarat Doctor 2. d. 3. q. 6. T. Ad 4. data ma. neg. min. ut enim dicitur ad 1. Post. scientia proprie non est de singularibus, Deus autem esto sit singularis, adhuc tamen est summe necessarius, & ideo de ipso scientia datur. Ad 5. unitas, & multitudo non repugnant, nisi eodem modo fundantur, nempe unitas numeralis, & pariter numeralis multitudo, quando autem dicimus ad universale in essendo etiam suo modo requiri unitatem, & multitudinem, loquimur de unitate formali, & multitudine numerali, quæ invicem non repugnant, quia unitas formalis est minor numerali; bene tamen verum est non requiri tantam unitatem ad universale in essendo, quanta requiritur ad universale in prædicando, ut patet ex dicendis. Ad 6. ut omnes Expositores advertunt, ibi loquitur Ar. de Universalibus Platonice; & l. c. 1. de Anim. loquitur de Universalibus Logice, quod utique aut nihil est, cum solum sit ens rationis, aut posterius est, cum abstrahatur a rebus per operationem intellectus.

15 Secundo arguitur pro Nominalibus, quod denuntur sola universalia in significando, quia Ar. 6. Met. 13. & l. 10. 6. inquit genera, & species substantiarum non esse substantias; in prædicam. c. de sub. ait. secundas substantias qualescunque significare, sed significare proprium est nomen, & conceptum, ergo hæc omnia sunt voces dumtaxat, & conceptus. Et 4. Polit. cap. 2. ait de optimo statu Reipub. disse-

Resolutio quæstionis de universalibus in prædicando.

18 Dicendum est universale in prædicando, quod solum proprie est universale, non dari a parte rei, sed tantum per operationem intellectus. Hæc conclusio est communis, quam ita manifeste docuit Scotus, ut immerito prorsus citetur in oppositum, quamvis enim 2. disp. 3. quæst. 1. & seq. tribuat naturæ a parte rei quandam unitatem minorem unitate numerali, & quandam aptitudinem ad essendo in multis disjunctim, ibi tamen aperte se declarat hoc non sufficere ad rationem universalis in actu, unde sub I. sic loquitur, *est ergo in re commune, quod non est de se hoc, sed tale commune non est universale in actu*, cujus dicti rationem reddit ibidem; immo §. Ad quæstionem discrete docet naturam de se nec esse universale, neque particularem, sed ad utrumque indifferentem, & in fine quæst. ait, quod communitas convenit naturæ ex se, non tamen universalitas, & ideo querenda est causa universalitatis, non tamen querenda est causa communitatis alia ab ipsa natura, & 1. disp. 23. quæst. un. versus finem, inquit, universalitatem non convenit homini, nisi per actum intellectus operantis, & negotiantis, & 1. Met. quæst. 6. num. 6. item 7. Met. quæst. 13. num. 19. sic loquitur: *Intelligendum, quod universale completum est, quod est in pluribus, & de pluribus, non actu sed potentia propinqua, & tale nihil est, nisi ex consideratione intellectus*, sic etiam loquuntur ejus discipuli circa eadem loca; unde Tromb. 7. Met. quæst. 9. esto universale Metaphysice sumptum ponat a parte rei, ut fundamentum universalitatis Logica, ipsum tamen universale Logicum, inquit, esse tantum in intellectu, & nullo modo extra intellectum, de mente igitur Scoti, & Scotistarum nullus remanet ambigendi locus.

19 Probatur itaque conclusio auctoritate Arist. qui loquens 1. de anim. tex. 8. de universali logico, ait, aut nihil esse in rebus, aut posterius esse, quia nimirum opere intellectus sit per abstractionem ab eis; & Averroes ipse dixit ibidem intellectum facere universalitatem in rebus, & Phil. 1. Post. c. 20. dicentis universale in sola intelligentia habere esse, & omnium denique Græcorum, & Latinorum. Ratio a priori hujus conclusionis est, quam Scotus adducit 2. disp. 3. quæst. 1. H. universale in actu illud est, quod habet unitatem indifferentem, secundum quam ipsum idem est in potentia proxima, ut dicatur de quolibet supposito prædicatione dicente, hoc est hoc, quia universale 1. Post. 25. est, quod est unum in multis, & de multis, sed nihil secundum quamlibet unitatem in re est tale, quod secundum ipsam unitatem præcificam sit in potentia proxima ad talem prædicationem, ergo nulla natura a parte rei dici potest universalis proprie, & in rigore; prob. min. quia licet alicui existenti in re non repugnet esse in alia singularitate ab illa, in qua est, non tamen illud verè dici potest de quolibet inferiori, quod quodlibet sit ipsum, quia actu non reperitur, nisi in uno individuo, & a parte rei non constituit, nisi illud, quare de illo solo poterit affirmari.

20 Pro intelligentia hujus rationis notandum est, quod in Schola subtilium duplex distingui solet communitas, seu indifferentia, aut aptitudo naturæ ad essendo in multis (quæ distinctio esto a quibusdam Scotistis solet paulo aliter explicari, a nobis tamen explicabitur magis ad præfatum Doctoris cit. disp. 3. quæst. 1. ubi illam insinuavit) altera positiva, altera privativa, vel negativa; positiva est illa, secundum quam natura concipitur in se indivisa, & ab omnibus differentiis individualibus abstracta æqualiter omnes respiciens, qua ratione appellari etiam solet indifferentia, seu indeterminatio contraria, quatenus positive contrariatur determinationi actuali per differentiam, & eam penitus excludit, si enim illa secum admittet, jam non esset ab omnibus singularibus abstracta, nec æqualiter omnia respiceret; privativa vero, seu negativa est illa indifferentia, quam adhuc natura in se retinet, quando contracta est, quia enim adhuc contracta distinguitur formaliter a differentia, per quam contrahitur, hinc retinet quandam non repugnantiam ex sua ratione formali procedentem, ut possit esse quantum est de re, sub alia singularitate ab ea, in qua est, & dicitur privativa, vel negativa, quia cum simili indifferentia naturæ stat extrinseca determinatio ejusdem per aliquam differentiam individualem. Quæ distinctio ab aliis adhuc facilius traditur sub nomine aptitudinis, quod duplex sit aptitudo naturæ ad essendo in multis, una proxima, altera remota; proxima est potentia libera, & expedita; remota est potentia impedita, propter quod impedimentum reduci nequit ad actum; sicut materia secundum se dicitur potentiam proximam recipiendi formas quaslibet disjunctim, ita ut habeat similitudinem potentie, non potentiam simultatis, sed affecta aliqua forma est in potentia remota ad recipiendam alteram.

21 Rursus not. est, ut supra insinuavimus, rationem formalem universalis consistere in duobus, scilicet in unitate,

tate, & communicabilitate, idest, ut actu, vel saltem aptitudine pluribus inest, nam utrumque explicat Arist. definiens universale unum in multis, & quidem id intelligendum est de communitate positiva, & aptitudine proxima, ita ut ex æquo omnia interiora respiciat, & non magis unum, quam aliud; sed natura non potest ita se habere a parte rei sed tantum per intellectum illam præscindentem a differentia individuali, sub qua actu reperitur; probatur hoc, quia a parte rei in uno tantum individuo reperitur una, & in multis multiplex, & ab una differentia determinata, ac proinde extrinsece impedita, ut omnia inferiora ex æquo respiciat, & omnibus disjunctim communicari possit, unde a parte rei non est indifferens, nisi negative; per intellectum autem auferitur hujusmodi impedimentum, dum præscinditur a differentia individuali, & redditur communis positive, dum concipitur pluribus actu communicata, vel saltem communicabilis, ut magis mox patebit, ergo solum per intellectum efficitur proprie universalis.

In oppositum arguitur; quod natura communis fit proprie universalis a parte rei, nam habet de se propriam unitatem formalem minorem unitate numerali, item de se habet, quod fit pluribus communicabilis, quæ duo sufficiunt ad constituendum universale. Tum 2. natura universalis est objectum intellectus, unde scientia dicitur esse de universalibus, sed objectum præcedit actum suæ potentia, ergo &c. Tum 3. multa attributa realia de naturis enunciuntur, quatenus universales sunt, quod nempe sunt objecta Scientiarum, definibilia, immutabilia, ergo a parte rei sunt tales. Tum 4. Non potest unitas naturæ universalis attendi ex unitate conceptus mentis, tunc enim sequeretur, quod multiplicatis numero conceptibus naturæ humanæ in pluribus intellectibus, plures quoque essent naturæ humanæ universales, ergo debet attendi ex parte rei. Tum demum a parte rei datur singulare in actu, ergo & universale in actu quia relativa sunt simul natura.

22 Resp. esto natura habeat a parte rei unitatem formalem, & communitatem negativam, hæc tamen non sufficit ad universalitatem proprie dictam, sed debet esse communitas positiva, ut nimirum actu sit in multis, vel saltem in potentia proxima ad sic essendum; immo non tantum major communitas, sed etiam major unitas requiritur ad universale, quam habeat natura a parte rei, ut constabit ex dicendis. Ad 2. natura ut universalis materialiter, & remote ob suam indifferenciam negativam est objectum intellectus, ut notat Doct. cit. 2. disp. 3. quæst. 1. §. Ad questionem, non autem ut universalis formaliter. Instabit Scot. 1. disp. 3. quæst. 6. §. Contra istam opinionem docere universalitatem formalem esse saltem conditionem objecti intelligibilis, sed objectum præcedit actum secundum conditionem, quæ requiritur ad rationem objecti, ergo &c. Resp. etiam ibi Doctorem loqui de universalitate materiali, & remota, ut advertunt Vigerius, & Licher. quod si contendatur loqui de formali, dicemus non esse conditionem prærequisitam, sed tantum concomitantem actum intellectus. Ad 3. patet per idem, illa namque attributa enunciuntur de naturis, quatenus universales sunt materialiter, & remote, quia nimirum non pendent ex conditionibus individuantiibus, sed a ratione formali naturæ. Ad 4. verum est unitatem universalis præsertim attendi debere ex unitate formali, quam habet natura a parte rei, in qua fundatur, tamen adhuc concedendum, naturam universalem ab actu cognitionis suscipere per extrinsecam denominationem unitatem numeralem objecti, ut notat Doct. 2. disp. 3. quæst. 1. H. quatenus est unum de numero intelligibilium. Hinc tamen non sequitur esse diversa numero universalis, quia concretum præsertim accidentale non multiplicatur ex multiplicatione formarum, quando est idem subiectum ex dictis disp. 2. quæst. 6. art. 2. at in casu, natura, quæ est subiectum intentionis universalitatis, est semper una sua unitate formali. Ad ult. tam singulare, quam universale sumi possunt formaliter, & materialiter, nimirum pro intentionibus superioritatis, & inferioritatis, & pro rebus substratis illis intentionibus, uniformiter sumpta sunt relativa, & simul natura; materialiter enim sumpta ambo sunt a parte rei, formaliter vero solum per intellectum prædicantem, & subjicientem illa invicem.

23 Secundo arguitur ad idem. Tum quia prædicamenta sunt entia realia, & extra animam, sed in ipsis continentur naturæ universales, ergo, &c. Tum 2. Constans ex materia, & forma est ens reale, compositum naturale etiam in universalibus est hujusmodi, ergo &c. Tum 3. universale cadit sub sensu, ut ejus objectum, ex 2. Post. in fine, esto enim sensitiva potentia non attingat naturam, nisi sub singularitate, non tamen singularitatem attingit, ut docet Doct. dist. & quæst. cit. sub C. sæpe etiam apprehenditur res distans sine cognitione differentie contrahentis, ut cum cernimus aliquid esse animal, sed non cognoscimus speciem, vel esse hominem, & non cognoscimus individuum, ergo &c. Tum 4. & est argumentum Doctoris ibidem, a parte rei non solum datur diversitas numeralis, sed etiam specifica, & generica, ergo etiam a parte rei dari debent unitas specifica, & generica, quæ sunt universales; patet Conseq. quia unum, & multa, idem, & diversum sunt opposita 10. Met. toties autem dicitur unum oppositorum,

quoties, & reliquum ex 1. Top. Tum 5. intellectus concipit naturam universalem, ergo talis est a parte rei, quia ipse non mutat realiter objectum, nec vere potest illi tribuere, quod a parte rei non convenit.

Resp. prædicamenta esse entia realia non ratione universalitatis, sed ratione naturæ, quæ denominatur universalis, quorum contemplatio, ut sic, spectat ad Metaph. esto quatenus universalis ad logicum pertinent. Ad 2. compositum naturale in universalibus conitatur ex materia, & forma objective, & veluti in esse signato, non autem realiter, & exercite. Ad 3. respectu sensus licet singularitas non fit ratio movendi, est saltem conditio moventis, itaut quod sentitur, semper singulare est, ut in libris de Anim. sic etiam, quod a longe videtur, semper est aliquid singulare, ut docet Scot. 4. d. 8. quæst. 2. §. Has omnes conclusiones, quamvis confuse, & indistincte; constat enim semper attingi sub conditionibus individuantiibus temporis, & loci, ut animal, vel hominem hic, & nunc ambulantem. Ad 4. probat solum dari a parte rei unitatem genericam, & specificam fundamentaliter, & ad hoc inducitur a Doct. loc. c. non autem formaliter, quia sic præferuntur secundas intentiones, merito quarum sunt universales. Ad ult. neg. conseq. quamvis enim intellectus non mutat realiter objectum, immutat tamen objective, nec propterea falsum dicit, quia licet attributum universalitatis non conveniat naturæ a parte rei formaliter, & actualiter, convenit tamen fundamentaliter, & virtualiter, quod sufficit ad falsitatem tollendam.

24 Tertio adhuc fortius arguitur ad idem, natura communis est a parte rei una, & eadem in omnibus singularibus intrinsece, & solum extrinsece multiplicata per differentias contrahivas, ergo vere est universalis a parte rei. Conseq. patet, quia ut dicebamus art. præced. attendendo naturam communem unam in omnibus per inexistenciam unitate illa formali, quæ est minor numerali, tenemur quoque a parte rei admittere universale in actu; assumptum vero fuisse probatur ab Ancloribus, qui unitatem formalem naturæ non multiplicant in inferioribus ad multiplicationem unitatis numeralis, sed prorsus ponunt eandem, & fundamentum esse, quia natura humana, quæ est in Petro, & Paulo, caret divisione formali, & essentiali; ergo a parte rei; ut est in pluribus, est formaliter una, & consequenter unitas formalis naturæ humanæ est una in omnibus, nec multiplicatur ad multiplicationem entitatis numeralis. Conseq. patet, quia unitas est carentia divisionis 5. Met. 11. & quæ divisione caret, eo modo sunt unum, quo caret divisione. Prob. antec. quia Petrus, & Paulus non differunt in natura, & essentia, & in ratione hominis non sunt plura a parte rei, quia si Petrus non esset essentialiter unum cum Paulo a parte rei, non magis differret a Paulo quam a Brunello. Imo unitas formalis naturæ ex hoc capite dicitur minor numerali, quia hæc reperitur tantum in uno, illa vero in pluribus, & est quædam unitas communis importans indivisionem per principia formalia, & essentialia.

25 Resp. solutionem hujus difficultatis prolixam petere disputationem in Met. differendam, pro nunc dicimus, ens dupliciter accipi, primo formaliter, seu nominaliter, & significat essentiam; secundo materialiter, seu participaliter, & significat existentiam, & quidem primo modo abstrahit secundum se ab omnibus conditionibus individuantiibus, alio modo concernit omnes; cum ergo dicitur unam, & eandem naturam, seu entitatem communem esse in omnibus individuis ejusdem speciei, non est intelligendum de entitate in secundo sensu, sic enim nulla prorsus entitas, quæ est in Petro a parte rei, reperitur in Paulo, omnia enim sunt realiter, ac entitative divisa; at in primo sensu entitas communis, quæ est in Petro, etiam in Paulo reperitur, quia una formaliter est utriusque essentia, quia entitas, ut dicit essentiam, nullam dicit determinationem, nec loci, nec temporis, nec individuacionis; unde falluntur imaginatione Adversarii, quia cum hæc feratur ad entitatem singularem concipiunt, particulam aliquam integritatis Petri esse etiam in Paulo: concludimus ergo naturam non habere suam unitatem formalem adæquate in omnibus individuis a parte rei, quasi sit eadem entitas principaliter in omnibus, sed in hoc sensu in quolibet individuo est unitas formalis suam consequens naturam distincta ab unitate numerali ejusdem individui, & ab unitate formali naturæ alterius individui; & licet multiplicetur cum unitate numerali, adhuc tamen dicitur minor ea, quia quantum est de se, potest esse in alio individuo ob intrinsecam ejus communitatem, unde dicit potest stare cum multitudine numerali, saltem aptitudinaliter. Bene tamen verum est, quod dum per intellectum natura, quæ est in omnibus a parte rei solum per indifferenciam, concipitur etiam una in omnibus per inexistenciam (quo actu fit universalis, ut infra dicemus) tunc ejus unitas dicitur minor numerali, quia actu stat cum multitudine numerali, verum hæc unitas non est realis, sed rationis, & dicitur unitas universalis.

26 In fine hujus art. advertendum est Pasqualig. 1. 2. suæ Met. disp. 18. sect. 3. hæc eandem tenere sententiam de universalibus in prædicando ad mentem Doctoris ubi supra,

supra, & ejus verba refert, ac ponderat. Verum in duobus errat, primo in hoc; quod universale in prædicando, putat esse universale Metaphysicum; unde consequenter etiam errat in alio, quia quod Scot. ibi docuit de universalibus in prædicando, putat docuisse de Metaphysico, quia hoc cum illo confundit; hinc postea ad mentem Doctoris ibidem ponit duplex universale, alterum Physicum, alterum Metaphysicum, per illud intelligens naturam a parte rei in statu realis existentia complicatam cum differentis individuantiibus, per istud eandem naturam in statu præcisionis objective, quando nimirum per intellectum exiit differentis individuantiibus, quod subinde ait esse universale in actu, & esse prædicabile de pluribus in potentia proxima. Hic loquendi modus admittendus non est, quia universale Metaphysicum non est universale in actu, & formaliter, sed in potentia tantum, & fundamentaliter, & hoc nedium in Schola Subtilium, ut videre est apud Parisienses, Trombet. 7. Met. quæst. 8. & 9. sed etiam in Schola Thomistarum, ut testantur Complut. disp. 3. Log. quæst. 6. in fine, ubi ajunt aliter loqui esse abuti terminis, & quidem velle universalis metaphysico prædicabilitatem tribuere, est prorsus irrationabile, & contra communem loquendi modum, tum quia apud omnes universale logicum, non autem metaphysicum, est totum potestativum divisibile in plures partes subiectivas, de quibus est prædicabile, universale vero metaphysicum, ut fatetur Pasqualig. num. 4. potius habet rationem partis potentialis per differentiam contrahibilis ad constituendum totum essentialis metaphysicum; tum quia prædicari est proprium secundarum intentionum, ac proinde attingit ad universale logicum, non metaphysicum. Neque Scotus 2. disp. 3. qu. 1. quando sub H. ait universale in actu esse id, quod est in potentia proxima ad prædicari de pluribus, loquitur de universalibus metaphysico, sed logico, superius enim sub E. de illo verba fecerat, quando dixit naturam de se nec universale esse actu, nec particularem, & licet realiter nunquam sit sine aliquo istorum, non tamen est de se aliquid istorum, sed est prius naturaliter omnibus istis, & secundum istam prioritatem naturalis est quodquid est, & per se objectum intellectus, & per se ut sic consideratur a Metaphysico; ita Doctor, quibus verbis aperte significat universale metaphysicum esse naturam secundum se consideratam, ut præscindit a singularitate, & universalitate actuali: non ergo secundum Doctorem universale metaphysicum est unum in actu, sed tantum in potentia.

27 Quantum vero ad illam distinctionem, quam ait esse de mente Doctoris, de universalibus physico, & metaphysico, ut illud constituat universale in potentia, hoc in actu; verum est quampures hanc admittere distinctionem, ut est videre apud Suarez disp. 7. sect. 8. num. 3. per universale physicum intelligentes naturam, dum in esse realis existentia contracta manet per differentiam individualem; per metaphysicum eandem naturam, quando est a conditionibus individuantiibus per abstractionem intellectus omnino immunis, concipiturque solum in ordine ad sua prædicata essentialia, in quo statu præcisionis dicebat Avicena, a Doctore relatus, quod equitatis est tantum equitatis, sed ulterius addunt universale logicum, per quod intelligunt eandem naturam abstractam secunda intentione universalitatis, per quam ad inferiora refertur in ratione superioris, & prædicabilis, & quidem rationaliter consideratur natura in hoc tertio statu, quia in secundo statu re vera non habet rationem universalis in actu, seu prædicabilis, quia tunc vel consideratur ut pars metaphysica potentialis per differentiam contrahibilis, & sic non habet rationem universalis, quia non respicit differentiam, ut inferius, de quo prædicari potest, vel in illo statu concipitur, ut quoddam totum actuale, idest in ordine tantum ad ea attributa; quæ actu continent, non vero in ordine ad inferiora, quæ continent in potentia, & ut sic potius natura illa concipitur, ut subiectiva, quam ut prædicabilis; ergo necessarius addendus est tertius status, ut natura fiat universalis in actu; bene verum est, quod in secundo statu est in potentia proxima ad recipiendam relationem universalitatis, quia tunc intelligitur positive indifferens ad multa, sicut in primo statu; quando est contracta per singularitatem, dicitur in potentia remota, quia non habet indifferenciam ad multa, nisi prius vativam, hinc est quod nostrates passim, ut est videre apud Trombet. cit. qu. 9. non assignant, nisi universale logicum, quod est in actu, & metaphysicum, quod est in potentia, & fundamentum illius, quod rursus dupliciter accipi potest, vel pro fundamento remoto, & est natura ipsa per differentiam contracta, vel pro propinquo, & immediato, & est ipsa natura per intellectum abstracta a conditionibus individuantiibus, & hic modus loquendi est magis consentaneus, quia per universale, seu genus physicum consuevit significari materia prima juxta communem expositionem illius disti Arist. 10. Met. 26. corruptibile, & incorruptibile differunt plusquam genere, ut refert Doctor 4. disp. 6. quæst. 10. Met. id animadvertens dignum judicavimus, ne varietas Auctorum in modo loquendi de Universalibus confusionem pareret.

28 Communis sententia est, essentiam Universalis Logici in relatione consistere, & per respectum rationis naturæ communis ad inferiora constitui; non desuere tamen, qui naturæ universalitatem in ratione absoluta constituebant, unde Suarez disp. 6. Met. sect. 6. num. 3. refert opinionem quorundam afferentium naturam fieri universalem in actu per operationem directam intellectus possibilis, quæ cognoscit naturam communem secundum suam præcisiã rationem formalem, & essentiam, nihil de inferioribus rationibus, vel de individuis considerando, neque etiam formaliter, & quasi in actu signato considerando communitatem ipsius naturæ, quia hæc ei convenit in secundo modo dicendi per se, sed solum essentiam, quæ communis est, quam sententiam deinde etiam ipse Suarez ex parte approbat num. 8. Conimb. quæst. 5. art. 3. & amplectitur Tolet. q. 2. univ. & videtur fuisse Duran. 1. d. 3. p. 2. qu. 5. & in 2. disp. 3. qu. 7. Quamvis autem communis DD. ut dicebamus, constituat formalitatem universalis in actu in respectu rationis ad inferiora, quia tamen duplex constitui potest respectus rationis in natura versus inferiora, nimirum, vel ad essendum in illis, vel ad prædicandum de illis, dubium est quissimam istorum constituat essentiam universalis, cui dubio occasione dederet plures definitiones universalis, quas assignavit Aristot. modo definiens illud per esse in, ut 7. Met. 45. modo per dici de, ut 1. de Interpr. cap. 5. modo per utrumque, ut 1. Post. 25. ubi inquit, esse unum in multis, & de multis; quapropter DD. divisi sunt, alii dicentes, quod ratio universalis consistat in esse in, & dici de sit passio, quæ sententia frequens est in Schola Thomist. alii e contra, quod dici de sit definitio, & esse in sit passio, quæ apud Scotistas receptissima est, ut est videre apud Expositores super quæst. 6. univ. Mauritium, Anglic. Brasavol. & alios esto Doctor ibi expressis verbis se in hac re problematicum ostendat, Auctores vero utriusque sententia adhuc inter se divisi sunt, quidam enim sentiunt essentiam universalis consistere in esse in, vel dici de, ut important aptitudinem, & non actum; alii e contra, ut important actum, & non aptitudinem, cui etiam dubio ansam præbuit Arist. ipse, qui in præfatis definitionibus modo usus est nomine actus, ut 1. Post. 25. modo aptitudinis, ut aliis duobus in locis, quare ad plenam essentia Universalis noticiam tria puncta examinare debemus, an ejus essentia sit absoluta, vel relativa, constituto, quod fit relativa, in quoniam respectu consistat ex prædictis; & an poni debeat actualis, vel sufficient aptitudinalis.

ARTICULUS I.

Universale Logicum intrinsece quid relativum esse.

29 Dicimus universale Logicum formaliter constitui per relationem rationis naturæ communis, velut superioris, ad inferiora, & subiectiva. Conclusio est communis, sed præsertim Scoti, & Scotistarum locis omnib. cit. deduciturque ex ipsa definitione universalis, quod est unum in multis, & de multis, per hoc enim datur intelligi secundam intentionem universalitatis esse relationem rationis ad multa, quod amplius declaratur, quia ad constitutionem universalis duo necessario interveniunt, unitas, & communitas, seu indifferencia, & aptitudo ad plura, & non qualicumque, sed indifferencia positiva, & aptitudo proxima, & expedita, ut dictum est qu. præced. art. 2. & ratio est, quia si natura non est aliquo modo una, sed prorsus multiplex, jam erit multitudo, seu collectio multorum, & non universale; si non sit communicata, vel communicabilis pluribus, jam erit singulare, & non universale, ergo universalitas in natura universalizata ponit necessario hunc ordinem ad plura, quo apta constituitur ad essendum in illis, ac prædicandum de illis. Conf. universalis Logico secundum omnes convenit esse prædicabile de pluribus, vel ut ejus formale constitutivum, vel ut propria passio juxta diversitatem opinionum; si primum, jam habetur inrenum, quod erit essentialiter relativum, quia prædicabilis dicit ordinabilitatem universalis ad plura; si secundum, adhuc habetur intentum, quia talis passio non potest fluere a natura, ut est a parte rei, quia nulla natura a parte rei, ut una, & indivisa est in pluribus, ad esse potest in pluribus ob impedimentum extrinsecum differentie contrahentis, neque a natura ut abstracta a singularitate, quia esto, ut sic sit una, tamen ut sic præscindit potius a singularibus, quam ea concernat; ergo oriri non potest, nisi ab unitate naturæ cum ordine ad essendum in pluribus. Demum universale Logicum in hoc differt a Metaphysico, quod illud est unum in multis, hoc vero unum extra multa, quatenus ab illis abstrahit, neque illa concernit, nisi ut terminum a quo, ergo esto essentia universalis Metaphysici statui possit absoluta sine ullo ordine ad inferiora juxta illud Avicena.

equitas est tantum equitas, essentia tamen universalis Logici poni debet relativa.

30 Sed ut magis dignoscatur hæc secunda intentio universalitatis, consideranda est, ac investiganda in natura communi ratio proxima fundandi ipsam, ait Doctor, ubi supra rationem proximam fundandi esse unitatem naturæ, non illam realem, quam habet natura a parte rei. Ratio est, quia sola unitas formalis, quam habet natura a parte rei in singulis individuis, non sufficit ad universalitatem, nam illa multiplicatur in inferioribus, quod unitati universalis repugnat; tum quia sub ista debent inferiora univ. juxta illud Porph. *participatione speciei plures homines sunt unus homo*, tum quia si unitas universalis multiplicaretur in inferioribus ut formalis, plane tot constituerentur genera, quot sunt species, & tot species, quot individua, quia unitas generica multiplicaretur in singulis speciebus, & specificis in singulis individuis; major ergo unitas assignari debet pro fundamento proximo universalitatis, & majoritas consistit in hoc, quod in hoc statu præcisionis objectivæ concipitur natura habere unitatem indifferentem positive; ubi a parte rei non nisi negative erat indifferens; imo dum fit universalis concipitur habere talem indifferentiam positivam, ut possit esse absque impedimento in omnibus, & singulis inferioribus, non tantum disjunctim, sed simul, & conjunctim, quia de ratione universalis est, ut sic etiam de suis inferioribus possit prædicari, ut docet Scot. loc. cit. & adhuc magis exprimitur in 4. disp. 43. quæst. 2. F. ex quo fit postea, ut quando concipitur natura universalis actu in suis inferioribus, concipitur in eis una per inexistenciam, quamvis enim talis unitas repugnet naturæ, ut existit a parte rei in singularibus, ut dicebamus quæst. præced. art. 1. non tamen illi repugnat, ut concipitur in eis per intellectum per modum universalis. Addit præterea Doctor sub H. debere naturam universalem habere unitatem numeralem objectivam, seu in ratione objecti intellecti, non quasi ipsa natura in se sit una numero, quia hoc ei repugnat, quatenus universalis, sed in hoc sensu, quod sicut conceptus formalis hominis, ut sic, est unus numero, ita objectum ejus in ratione objecti unum numero dici potest per denominationem extrinsecam a conceptu mentis, quia ut sic cum tota sua communitate est unum de numero intelligibilium, & cum tali numerica unitate est communicabile inferioribus per contractionem rationis, & secundum ipsam de omni singulari est prædicabile, prædicatione dicente, hoc & hoc, quod optime declarat Lichet. 2. disp. 3. quæst. 1. §. *Ibi sed contra istud*, & sequitur Suar. cit. sect. 2. num. 12.

31 Ex his patet, quomodo verum sit, quod superius innuimus quæst. 1. art. 2. unitatem, & indifferentiam requisitam ad universalitatem esse majorem unitate, & indifferentiam, quam possidet natura a parte rei; nam unitas, quam habet a parte rei, est unitas per indifferentiam, quæ non stat cum multitudine numerali actuali, quia multiplicatur in individuis secundum propriam cujusque naturam; unitas vero, quam habet per intellectum, quando universalizatur, est per inexistenciam, ita quod ejus unitas stat cum multitudine numerali individuum, eo quia una per inexistenciam concipitur in omnibus, & singulis. Indifferentia quoque, seu aptitudo ad essendum in pluribus major est, quando fit universalis, quam habeat a parte rei, quia a parte rei est indifferentia negativa, & aptitudo remota ad essendum in pluribus disjunctim, at sub universalitate concipitur indifferens positive, & proxime apta ad essendum in multis, nedum disjunctim sed etiam simul, & conjunctim, ex quo rursus patet tam unitatem, quam aptitudinem requisitas ad universalitatem non esse reales, sed rationis, cum tales non habeat a parte rei.

Hinc fallitur Suarez citat. dum ait unitatem universalis logici consistere in divisione alicujus naturæ in plures naturas similes sub eodem nomine, & ratione cum aptitudine, ut in eas dividatur, & hac de causa, inquit, non esse unitatem realem, sed rationis, quia talis divisio non competit naturæ in statu realis existentie, ubi per varias individuales differentias divisa manet, sed solum in statu præcisionis objectivæ, & ut subsistat conceptibus mentis, hoc enim modo omnes homines in ratione speciei dicuntur unus homo, quia in conceptu hominis, ut sic, non dividuntur; facta vero divisione, seu contractione universalis etiam per intellectum, statim ejus unitas corrumpitur, quia jam dividitur in plura ejusdem nominis, & rationis, unde vult unitatem universalis esse solum compossibilem cum aptitudine essendi in multis, non tamen cum actu.

32 Hæc doctrina omnino non placet, arbitramur enim unitatem universalis etiam consistere cum actu essendi in multis, ratio est, quia hoc negare nulla amplius daretur prædicatione universalis de inferiori, dum enim universale actu prædicatur de inferioribus, vel supponitur per intellectum prius contractum ad illa, ut de illis prædicetur, vel saltem sic contrahitur in ipsa actuali prædicatione, ergo nisi exterminare velimus omnes hujusmodi prædicationes, fatemur debemus unitatem, & aptitudinem universalis manere cum ipso actu essendi in multis, & prædicandi de multis. Accedit aptitudinem non dari ad actum cum ipsa repugnantem, imo passim videmus actum perficere aptitudi-

nem, & esse cum ea compossibilem, solumque destrui ordinem prioritatis ad actum, ergo idem suo modo dicendum etiam in aptitudine rationis, qualis ponitur ista natura universalis ad essendum in multis, & prædicandum de multis, igitur fatendum est, universalitatem stare etiam cum actu essendi in multis per rationem, quia tunc natura concipitur habere in omnibus illis adæquate suam unitatem formalem per inexistenciam ratione ejusdem communis entitatis in omnibus conceptæ, ac intrinsece indivisæ. Ultra quidem concedimus in statu præcisionis objectivæ possidere naturam indivisionem in plura ejusdem rationis, & eam amittere dum differentias dividi concipitur. Verum aliud est loqui de universalis, quatenus præcise est quoddam totum potentiale habens partes subiectivas, in quas mente dividi potest, aliud de ipso loqui quatenus etiam totum quoddam actuale est, & secundum hac actualitatem includitur in omnibus illis, ratione cujus inclusionis etiam prædicatur de ipsis prædicatione dicente, hoc est hoc; sane, quando universale v. g. animal dividitur in sua inferiora, ut hominem, & equum, destruitur totalitas potentialis, & per consequens ejus unitas, quæ in illa indivisione consistebat; sed adhuc manet unitas ejus quatenus est totum actuale, secundum quam totalitatem est in singulis, licet non totaliter, & adæquate, & ideo adhuc divisum (ut notat Doctor 2. disp. 3. quæst. 4. sub H. & 3. disp. 2. quæst. 1. §. *Cum arguitur*) potest in ratione universalis prædicari de omnibus illis, & in hoc sensu dicebat Porph. participatione speciei omnes homines esse unum hominem, utique enim quando hoc dixit Porph. loquebatur de homine diviso in plura individua, & ab omnibus participato, assererat tamen adhuc illa omnia dici unum hominem, quatenus natura humana concipitur in omnibus una unitate formali, quæ est minor numerali, sed inexistenciam, & solum extrinsece divisa per differentias.

33 Contra postam Conclusionem objicitur universale logicum quid absolutum esse: natura fit singularis per differentias individuantes, ergo tantum abest, quod fiat universale per respectum ad singularia, quod potius singularizatur, & eo ipso, quod ab omnibus illis præcise dicitur per conceptum abstractum, universalizatur. Tum 2. quia si homo ita in re existeret, sicut illi conceptui absoluto objicitur esse universale in essendo, quale Platoni tribuitur, ergo etiam nunc est universale per denominationem ab intellectu absque aliquo respectu ad inferiora. Tum 3. si intellectus reflectatur supra hominem sic conceptum considerans conditionem, & statum ejus, cognoscit illum non esse aliquid singulare, sed esse quid commune omnibus singularibus, in qua reflexione non tribuitur intellectus homini sic concepto aliquid novam, sed concipit, quod in eo præerat, ergo ante hanc reflexionem jam homo erat universalis per priorem conceptionem directam. Tum 4. quia universale potest concipi per modum absoluti non dicentis respectum ad alterum, sed potentis fundare talem respectum, ut album, & quantum, quæ sunt absoluta, & possunt fundare relationem similitudinis, & æqualitatis. Tum tandem licet universale regulariter loquendo fiat per cognitionem comparativam, ita ut abstrahatur a multis ob similitudinem inter ea repertam, absolute tamen loquendo abstrahi etiam potest natura communis per puram præcisionem naturæ ab uno inferiori absque ulla comparatione, vel superioris conceptus ad aliquem inferiorem, vel ipsorum inferiorum ad invicem, ut quando a solo Petro simpliciter præcise dicitur singularitatem, & finimus in solius humanæ naturæ consideratione, quo casu habemus conceptum universalis absolutum.

34 Resp. per solam abstractionem a conditionibus individuans naturam fieri universalem metaphysicam, non logicam, licet enim sequatur, quod abstracta a propria individuatione se habeat indifferentem positive ad hanc, vel illam individuationem divisam, non tamen fit, quod virtute illius simplicis præcisionis possit una esse in pluribus conjunctim, qualis est unitas, quæ exigitur in natura ad fundandam proximam logicam universalitatem, & quamvis cum unitate præcisionis non cohereret actus essendi in pluribus, bene tamen cohereret aptitudo, & sic non implicat naturam esse præcisam a pluribus, & adhuc retinere aptitudinem essendi in pluribus; imo art. 3. hujus qu. ostendimus actum ipsum essendi in pluribus per rationem, esto repugnet cum unitate præcisionis, non tamen cum ipsa unitate universalis logici, sed actum dumtaxat essendi in multis per realem contractionem. Ad 2. patet per idem, quod tale idolum non transgredieret limites universalis metaphysici. Ad 3. attingeret intellectus in tali reflexione solum universalitatem quandam negativam, quatenus cognosceret hominem, ut sic, non esse aliquid singulare, non autem positivam, quia non cognosceret illum, ut communicabilem pluribus simul. Ad 4. negatur assumptum, quia universale, ut patet ex ejus definitione, dicit formaliter relationem ad multas. Ad ult. Suar. sect. 6. num. 11. velle videtur ab uno solo abstrahi non posse universale logicum, quod est respectivum, sed hoc necessario plura requirere invicem comparata, a quibus abstrahatur ob similitudinem inter ea repertam; vult igitur ab uno solo abstrahi tantum universale, quod appellat absolutum; in quo rejicitur ab omni-

omnibus, quia natura apta ad universalitatem logicam ita abstrahi potest ab uno, sicut a duobus, alioquin natura solaris universalitatem logicam fundare non posset, ratio est, quia natura, postquam est abstracta, etiam abstractio facta fit ab uno solo, non plus est illius, quam aliorum quorumcumque similium, & ad omnia individua manet indifferens positive, alioquin abstracta non esset; ita Averis q. 8. sect. 11. Paq. d. 20. Amic. tr. 4. q. 2. dub. 5. in fine, & alii passim, igitur ad argumentum in se dicimus, quod natura, sive abstrahatur ab uno solo individuo, sive a pluribus quousque non concipitur cum ordine ad inferiora, nempe ut illis communicabilis conjunctim, non transgreditur limites universalis metaphysici.

35 Rursus arguitur ad idem, puta relatio rationis nequit constituere naturam universalem, ac de multis prædicabilem, ergo universale logicum non est formaliter relativum, probatur assumptum tum quia illa relatio rationis est singularis quædam secunda intentio, ergo nequit universale constituere; tum quia nec ipsam relationem universalitatis prædicamus de inferioribus, non enim dicimus, quod Petrus est species, nec ipsam naturam sub tali relatione conceptam, quia sic est ens per accidens, ergo talis relatio mere impertinens est ad constituendum universale logicum.

Resp. negando assumptum, ad primam probationem dicimus, quod sicut species impressa, vel expressa est universalis in representando, esto fit singularis in essendo, sic secunda intentio universalitatis potest naturam denominare universalem, esto entitative fit singularis, unde ipsa non est universalis, ut quod, & in esse exercito, sed solum, ut quo, ac in esse signato; ad secundam pariter dicimus relationem universalitatis non esse prædicatum, sed conditionem prædicati, quod optime Lichet. c. adnotavit, cum ait naturam sub ratione relationis ad inferiora prædicari de illis, non quidem quatenus est ens per accidens ex natura, & relatione constitutum, sed tantum per rationem naturæ, quæ est unum ens per se, quæ tamen prædicari non potest, nisi actu fit sub tali relatione rationis.

Hoc autem probatur evidenti ratione, quia non universalitas, nec aggregatum ex natura, & universaliter, sed natura tantum est in rebus universalis subiectis, ergo natura erit, quæ proprie prædicabitur de illis, illud enim prædicatur de subiecto, quod est in eo, & universalitas erit conditio, quæ facit naturam in potentia proxima de illis prædicabilem. Verum tamen est in prædicatione signata, non proprie naturam, neque aggregatum ex natura, & universalitate, sed universalitatem ipsam, in concreto tamen, id est ut applicatam naturæ prædicari de pluribus, ratio est, quia prædicatione hujusmodi fit per terminos secundæ intentionis, ut applicatur primis.

ARTICULUS II.

Relatio in essendi universale constituit, prædicandi est passio.

36 Hæc conclusio est Scoti in 2. l. toties c. §. *Sed contra*, manerit, dicens, quod si definitio universalis tradita 1. Periher. c. 5. quod est esse prædicabile de pluribus, fit vera definitio, tunc esse unum in multis per quod definitur 1. Post. 25. erit passio; & e contra si ista est vera definitio, tunc prædicabile de multis erit passio, dum postea 2. vent. l. c. ubi majorem habet auctoritatem, acceptat pro vera definitione illam, quæ traditur 1. Post. per esse in, tenendum est in sententia Doctoris potius esse in, quam dici de esse universalis essentiam, & quidem hæc est expressa mens Doctoris ibidem, docet enim, quod universale in actu illud est, quod habet unitatem indifferentem, secundum quam ipsum est in potentia proxima, ut dicatur de quolibet supposito; quod non convenit naturæ a parte rei, quia licet ei non repugnet esse in alio singulari, quantum est de se, tamen quia in uno reperitur, nequit esse simul in aliis, & ideo de illo solo prædicari potest cum veritate, non de omnibus, sed hoc solum est possibile de natura concepta sub indifferentia positiva ad essendum simul in pluribus; quando enim habet unitatem sic indifferentem, tunc statim est in potentia proxima ad prædicandum de pluribus, cum ergo dicat Doctor universale in actu illud esse, quod habet unitatem positive indifferentem ad essendum in multis, & ex tali indifferentia oriri potentiam proximam ad prædicandum, seu prædicabilitatem de multis, palam esse sensisse, quod universale constituitur per esse in & dici de esse passio, idem docuit q. 18. niv. in fine, ubi ait genus non esse aptum dici de multis speciebus, nisi prius ab intellectu concipiantur multæ species, in quibus fit genus, sed in hac re præsertim testimonium Doctoris in q. univ. sive pro una, sive pro altera parte parum debet urgere, quia ibi fuit dubius; præterquam quod etiam assertive locutus esset, stare debemus testimonio scripti sent. dum ibi dicta alibi revocat, juxta regulam datam in quæst. præm. idem denique habet 7. Met. q. 13. n. 19. & in tex. 45. ejusdem lib. Hanc eandem sententiam tradidit Mayron. super univers. passu primo, Lichet. in 2. dist. cit. Tar. tractat. 2. in Petrum Hisp. in princ. Trombet. 7. Met. q. 8. art. 1. ubi postquam docuit duas conditiones ad universale in actu requisitas ita

Mastrui, & Belluti Tom. I. Logica.

concludit, ex his sequitur, quod præmissum est, quod ad rationem universalis in actu requiritur natura ipsa, quæ est actu participata in multis, & ipsa intentio universalitatis attributa naturæ per actum intellectus comparantis talem naturam, ut prædicabilem ad individua, hæc Tromb. ubi vides ad universale in actu prius exigere, quod natura concipiatur una in multis, ut de illis reddatur prædicabilis; sic etiam loquitur Bargius de Universalibus in actu 1. d. 3. q. 6. §. *Ex alio membro sic arguitur*, ex Recentioribus vero tradit hanc sententiam ex professo P. Fuentes q. 6. dist. 3. art. 3. & quidem cum hæc sententia sit expressissima Doctoris in 2. sent., & oppositam sub dubio solum tradiderit q. 6. univ. mirum est, cur Scorsita tam unanimiter hanc arripuerint, ut de mente Doctoris; sed antequam conclusionem probemus, advertendum est, quod cum dicimus universale constitui per esse unum in multis, loquimur de illa unitate indifferenti positive ad esse in multis simul, & conjunctim per intellectum, quam art. præc. declaravimus.

37 Primo itaque Probatur conclusio in hunc modum, quod primo intelligimus de aliquo, dicimus esse essentiam ejus, sed primum, quod intelligitur de universalibus Logico, & in actu, est esse in multis; ergo hoc spectabit ad essentiam ejus; ma. patet, min. prob. tum ex Arist. qui 1. Post. 25. utrumque attribuens universalis logico, prius tribuit esse in, postea dici de, inquitens universale esse unum in multis, & de multis, tum ex Scot. cit. ubi ex hoc, quod universale concipitur unum in multis, vel saltem sic aptum esse in illis ob indifferentiam positivam naturæ, arguit, quod sit in potentia proxima, ut dicatur de multis; tum tandem ratione, quia esse in, est causa dici de, sicut enim quia hoc est in illo realiter; ideo enunciamus hoc de illo realiter, sic quia hoc est in illo per rationem, ideo enunciamus hoc de illo per intellectum.

Respondent Scotista oppositæ opinionis distinguendo de duplici esse in reali, & rationis; & importat communitatem positivam, illud negativam, verum est esse in reale præcedere dici de, & esse causam, cur natura fit prædicabilis de inferioribus, sed est causa remota, & non sufficit ad constitutionem universalis logici, sed tantum metaphysici; sed si de esse in rationis, & per intellectum sermo fiat, falsa est omnino minor; sic enim esse in sequitur dici de, & universale est unum in multis, quia dicitur de multis, vel saltem non præcedit, sed sunt proferus idem dici de, & esse in, in hoc sensu prædicatione enim, quæ fit superioris de inferioribus per intellectum, non est nisi quædam identificatio rationis illius cum multis, & unum prædicari de alio est hoc esse in illo per aliquam identitatem. Hinc ad 1. prob. min. ex Arist. dicitur, quod si loquitur de esse in reali, jam non definit universale logicum, sed metaphysicum, si loquitur de esse in rationis, hoc non distinguitur ab ipso dici de, quia prædicatione non est, nisi identificatio rationis prædicati cum subiecto. Sic etiam ad 2. prob. ex Scoto respondent, & addunt aliqui, Doctorem ibi non loqui de universali completo, sed incompleto, & pro fundamento proximo. Ad 3. ajunt valere in prædicationibus, quæ sunt formaliter veræ a parte rei non in illis, quæ sunt formaliter veræ per intellectum, attributionem alicujus secundæ intentionis, non vero a parte rei nisi fundamentaliter, ut est in proposito, cum superius prædicatur de inferiori.

38 Levissima quidem responsio, & multa falsa continens, nam Ar. c. loquitur de universalibus logico, ac proinde de esse in rationis, imo ne quis suspicaretur ibi definire universale metaphysicum, illud definit per actum essendi in multis, non per aptitudinem; dicere vero, quod esse in rationis, & dici de sunt idem, est proferus ridiculum, tunc enim frustra quæreretur, quodnam sit essentia, & quod passio, quia vel utrumque esset de essentia, vel utrumque passio, certum enim est, quod dum hæc quæstio instituitur, non est altercatio de esse in reali, nam apud omnes est in confesso universale logicum per esse in reale non constitui; fallum etiam est prædicari aliquid de aliquo formaliter esse unum identificari cum alio, vel esse in illo; sed potius est per prædicationem ostendere, quod hoc est in illo, vel identificatum cum illo, ita ut inexistencia, vel identitas unius cum alio semper aliquo modo præsupponatur, ut causa veritatis prædicationis, hoc innuit Doctor sub litt. I. dum ait, indifferentiam positivam esse illam, secundum quam universale aliqua identitate est prædicabile de quolibet individuo, ubi vides secundum Scotum prædicabilitatem in aliqua identitate fundari; & ratio ipsa suadet, quia fundamentum, & radix prædicabilitatis est identitas extremorum prædicabilium, quod enim non est idem cum aliquo, non prædicatur vere, sed removetur ab illo, ergo aptitudo ad identificandum est fundamentum aptitudinis ad prædicandum, & actualis identificatio est causa actualis prædicationis.

39 Facile etiam refellitur expositio allata ad auctoritatem Scoti, qui dubio procul loc. cit. loquitur de universalibus completo, ut patet ex his, quæ habet sub litt. I. ubi ait, quod indifferentiam positivam esse illam, secundum quam universale aliqua identitate est prædicabile de quolibet individuo, ubi vides secundum Scotum prædicabilitatem in aliqua identitate fundari; & ratio ipsa suadet, quia fundamentum, & radix prædicabilitatis est identitas extremorum prædicabilium, quod enim non est idem cum aliquo, non prædicatur vere, sed removetur ab illo, ergo aptitudo ad identificandum est fundamentum aptitudinis ad prædicandum, & actualis identificatio est causa actualis prædicationis.

40 Facile etiam refellitur expositio allata ad auctoritatem Scoti, qui dubio procul loc. cit. loquitur de universalibus completo, ut patet ex his, quæ habet sub litt. I. ubi ait, quod indifferentiam positivam esse illam, secundum quam universale aliqua identitate est prædicabile de quolibet individuo, ubi vides secundum Scotum prædicabilitatem in aliqua identitate fundari; & ratio ipsa suadet, quia fundamentum, & radix prædicabilitatis est identitas extremorum prædicabilium, quod enim non est idem cum aliquo, non prædicatur vere, sed removetur ab illo, ergo aptitudo ad identificandum est fundamentum aptitudinis ad prædicandum, & actualis identificatio est causa actualis prædicationis.

de pluribus, ergo Doctor loquitur de universalis completo, & per consequens de esse in rationis, loquitur enim ibi de unitate in multis, quæ constituit universale in potentia proxima, ut possit dici de illis, unitas autem realis, quam habet natura per indifferentiam negativam, non constituit naturam proxime prædicabilem de multis, sed tantum remote. Accedit, quod si unitas realis in multis est causa remota prædicationis, ut Adversarii concedunt, debent assignare talem unitatem, quæ sit causa proxima, & hæc non est, nisi unitas rationis in multis, ut ibi docet Doct. Confirm. quia ibi ex non repugnantia naturæ ad essendum in multis divisum a parte rei arguit; quod solum remote est prædicabile de multis, & ex aptitudine ad essendum in multis simul per intellectum aut, quod est prædicabile in potentia proxima, quod etiam repetit 4. disp. 43. quæst. 2. F. ergo dici de oritur ab esse in ratione, seu per intellectum.

40. Quod tandem dicebant ad 3. prob. est prolixum falsum, & voluntarie dictum, si enim prædicari accidentis de subiecto præsupponit esse accidentis in subiecto, cur idem non erit de prædicatis per rationem formaliter, quod prius præsupponatur esse in, postea de illis enunciatur, in quibus ab intellectu præconcepta fuerit; hanc plane paritatem convincunt rationes adductæ; & adhuc ulterius probatur, nam simplex apprehensio præcedit compositionem, quia hæc spectat ad secundam, illa ad primam operationem, sed per illam naturam apprehenditur in pluribus; per istam prædicatur de pluribus, ergo esse in præcedit dici de in omni prædicatione. Item in prædicatione formali prædicatum debet aliqua identitate identificari cum subiecto, sed natura secluso opere intellectus non identificatur singulis individuis, sed illi soli, cuius est propria; ergo necesse est, quod intellectus aliquam machinetur unitatem, secundum quam cum singularibus identificetur, ut proxime possit de quolibet prædicari.

Secundo principaliter prob. concl. si daretur natura communis una per inexistenciam a parte rei, sicut datur per indifferentiam negativam, proculdubio daretur universale a parte rei in actu, haberet enim simul, & semel, & unitatem, & communitatem positivam in multis, quæ duo sufficiunt ad constitutionem universalis in actu, sed natura Petri cum sua unitate formali in ipso existens redditur communis positive multis eo ipso, quod consideratur, ut contracta non ad solum Petrum, sed ab omnibus individuis simul, ita quod non sit propria alicuius, sed omnium indifferenter, ergo per hanc simplicem apprehensionem naturæ in pluribus simul haberet universale in actu, absque quod natura affirmetur de hoc, & illo individuo, quia, ut dicebamus, hoc pertinet ad secundam intellectus operationem.

Tertio probatur, quia natura divina est actu communis positive pluribus personis, non potest autem dici universalis, non quia de illis non prædicatur prædicatione dicente, hoc est hoc, sed solum quia est una numerus in illis absque ulla sui divisione, & multiplicatione, ut Scot. notat 1. d. 8. q. 3. in fine cum cæteris Theologis, quod si esset quod esset una in tribus aliqua unitate minori, quam sit numeralis, hæc una in illis tribus cum aliqua sui divisione, saltem numeralis, ita esset universalis in actu, etiam si non conciperetur actu vel potentia prædicari de illis, ergo unitas naturæ in multis per inexistenciam, quæ sit minor unitate numerali, cum communitate positiva sufficit ad constitutionem universalis in actu.

41. Quarto tandem ostenditur evidenti ratione, universale prædicari, vel prædicabile esse de pluribus aliud non est, quam ut superius enunciari, vel enunciabile esse de illis, ut de inferioribus, at inferiora non sunt, nisi per inclusionem superioris in illis, ergo esse in semper præcedit dici de. Dices quod sicut superius in ratione superioris intelligitur eo ipso quod concipitur potens esse in inferioribus, etiam si non sit actu inclusum, sic et contra inferiora intelliguntur esse talia, eo ipso quod concipiuntur includere posse superius, nisi actu non includant; & ideo actualis inclusio superioris non est necessaria ad constituendam formalitatem inferioris. Contra, neque argumentum contendit probare modo esse necessariam actualem inclusionem superioris ad constituendam formalitatem inferioris, sed solum probare intendit esse in semper præcedere dici de, si uniformiter sumantur, unde dato, quod inferiora talia dicantur per solam inclusionem possibilem superioris in eis, & actualis necessaria non sit, adhuc tamen habemus, quod esse in aptitudinale præcedit dici de aptitudinale, sicut actuale, præcedit actuale, quia inferiora non sunt, nisi superius intelligatur posse in eis includi, sed prædicabilitas universalis non est, nisi de inferioribus, ergo dici de semper necessario præsupponit esse in uniformiter sumpta.

42. Restat igitur ex dictis, quod dici de sit passio, nam quando sunt aliqua duo attributa, quæ eidem rei conveniunt, si unum est causa alterius, non potest id, quod est causa, esse passio subsequens illud, cuius est causa, sed potius et contra, sed esse in multis, & prædicari de multis conveniunt universalis, & primum est causa secundi, ut hucusque probatum est, ideo enim homo prædicatur de pluribus, quia est in pluribus; secunda enim operatio, per

quam fit illa prædicatione, supponit primam, qua hoc apprehenditur in illo absque ulla affirmatione, ergo esse in multis erit essentia, & dici de erit passio. Confirm. quod supponit essentiam rei adquatam, sed adhuc necessario sequitur illam, est passio ejus, at posse prædicari de multis supponit adquatam Universalis essentiam jam constitutam per esse in rationis, & adhuc necessario convenit ipsi, ergo est proprietas ejus. Dum vero dicimus passionem universalis esse posse prædicari de pluribus, intelligendum est vere affirmative, & directe, sive essentialiter, sive accidentaliter, sive in quid, sive in quale, sive necessario, sive contingenter. Ratio est, quia omne, quod est in alio, vere, affirmative, & directe potest prædicari de illo, vere quidem, & affirmative, quia reperitur in illo, directe etiam, quia directa prædicatione illa est, in qua prædicatum aliquo modo recipitur in subiecto propositionis, ut hæc, homo est animal, nam animal recipitur in homine, ut pars materialis essentia ipsius, sicut e contra illa dicitur indirecta, in qua potius subiectum includitur in prædicato, ut animal est homo, unde hæc dicitur innaturalis, & illa naturalis, ut declaratum est 2. p. Inf. tr. 1. c. 3. cum ergo universale sit in multis, vere, affirmative, & directe potest, & debet prædicari de illis. Debet autem sic prædicari abstrahendo ab illis determinatis modis prædicandi essentialiter, vel accidentaliter, in quid, vel in quale, necessario, vel contingenter, quia ex quinque universalibus infra enumerandis quadam conveniunt inferioribus necessario, scilicet, genus, species, differentia, & proprium, aliud vero contingenter, scilicet, accidens. Item quadam prædicantur intra essentiam, ut prima tria; quadam extra, ut ultima duo. Rursus quadam prædicantur in quid, nempe non per modum alteri inhærentis, sed per modum per se existentis, & quasi aliud sustentantis, ut genus, & species; alia vero in quale, scilicet, per modum alteri adhærentis, & ex his quoddam prædicatur in quale essentialiter, ut differentia, alia vero in quale accidentale, ut proprium, & accidens. Debet tandem posse de omnibus prædicari, nedum successive, & diffusim, sed etiam simul, & conjunctim, nam homo in ratione universalis potest simul dici de Petro, & Paulo, ac cæteris individuis, unde dicebat Porphyrius, quod participatione speciei plures homines sunt unus homo, non quidem a parte rei, sed per intellectum; ratio hujus est, quia universale habet indifferentiam positivam, secundum quam potest descendere ad plura simul, & consequenter de omnibus pari modo prædicari, quia dici de proportionatur esse in.

43. Contra allatam doctrinam solet obiici. Primo auctoritate Porph. desinentis universalis per prædicari de multis, non autem per esse in, ac etiam Scot. q. 15. univ. §. Dicendum, ubi docet rationem universalis esse dici de, & sufficientiam universalium assignat per dici de, quod etiam probat hac ratione, quia in quid, & in quale sunt differentia essentialia dividentes universale in communi, & constituentes quinque universalis, sed in quid, & in quale dividunt, & contrahunt prædicari de pluribus, ut constat ex definitionibus prædicabilium, ergo prædicabilitas est ratio universalis. Deinde obiicitur ratio. Tum quia tunc universale concipitur in ordine ad multa, cum cognoscitur convenire multis, sed hoc fit per prædicationem, ergo, &c. Tum etiam, quia ut passim Dialectici docent, & ipse Scot. q. 14. univ. hoc interest inter dici de, & esse in, quod dici de per se competit secundis intentionibus, rebus vero per accidens, e contra vero esse in rebus per se competit, & secundis intentionibus per accidens, ergo cum universale sit secunda intentio, ejus ratio erit dici de non esse in. Tum tandem, quia universale Logicum, ut a Metaphysico fecerunt, dicitur universale in prædicando, & metaphysicum in essendo, ergo esse in est ratio illius, & dici de illius.

44. Resp. primo falsum esse omnia universalis definiri per dici de, quia proprium, & accidens definiuntur per esse in, ut videbimus d. seq. Deinde non tantum per dici de, sed per ipsum actum prædicandi definitur genus, & species, & tamen certum est, actualem prædicationem non esse de essentia universalis, imo nec ejus proprietatem, sed accidens commune, sicut actus ridendi in homine, ut art. seq. non igitur quia per dici de solent universalis describi, & eorum sufficientia assignari, inferre debemus esse de essentia, quia, & ipse Scotus non tantum q. 12. & 19. univ. sed etiam q. illa 15. ingenue fatetur in quid, & in quale prædicari non esse per se differentias universalis, sed potius modos, qui intantum important conceptus contrahentes, dicens quale, possunt appellari differentia. Ratio autem, cur ita factum sit, est, quia tractatus de universalibus inventus est, ut rite cognoscens terminos simplices absque errore possemus eos ad invicem conjungere secundum debitam subjectionem, & prædicationem; unde cum universalis deseriant proxime ad bene enunciandum terminos communes de particularibus, hæc de causa per dici de fuerunt a Porphyrio descripta, & per dici de eorum sufficientia tradita, & demum universale logicum hæc ratione consuevit appellari universale in prædicando, ut ideo verum fit universale in Logica potius considerari sub ratione prædicabilis, quam universalis, unde & illæ quinque species universalis solent potius prædicabilia nuncupari, quam universalis.

Ad 1.

Ad 1. rationem neg. min. potest enim universale, ut q. seq. dicemus, cognosci convenire multis etiam per primam operationem, quando nempe per simplicem apprehensionem concipitur in multis actualiter, vel saltem aptitudine. Ad 2. Doctor ibi ait esse convenire per se rei, & per accidens intentioni, non autem loquitur de esse in, & quando etiam de ipso loqueretur, intelligendum esset de esse in reali, hoc enim per accidens convenit intentionibus secundis, quatenus fundantur in primis. Ad 3. universale metaphysicum dicitur universale in essendo, loquendo de esse in reali, per quod non excluditur, quod logicum nequeat dici universale in essendo, loquendo de esse in rationis, tamen ne equivocatio contingeret in vocabulo, & etiam ob rationem nuper adductam universale logicum in communi usu loquendi universale in prædicando appellari consuevit, & per prædicabilitatem a metaphysico distingui.

ARTICULUS III.

Esse in actu, & aptitudine constituit universale. dici de aptitudine tantum est passio.

45. Dicimus, esse in multis spectare ad universalis essentiam, necum ut dicit aptitudinem, sed etiam, ut dicit actum, dici vero de multis esse passionem tantum, ut dicit aptitudinem. Conclusio tres habet partes, & quoad omnes colligitur ex Scoto, & probatur. Et quidem primo, quod aptitudo proxima ad essendum in multis simul, & conjunctim sufficit ad constituendum universale in actu, est communis opinio, & eam manifeste tradidit Doct. 1. sæpe c. dum ait indifferentiam proximam ad essendum in multis simul complere universale, probatur ex Ar. qui 7. Met. 45. definit, universale per aptitudinem dicens esse illud, quod aptum est, ut pluribus in se. Nec valet cum quibusdam respondere, ibi definiti universale metaphysicum, & fundamentale: quia, ut notat Doctor in eum textum, & cæteri Expositores, loquitur de universalis formali, & in actu; Probatur etiam ratione, quia per universale in actu illud intelligitur, quod est commune, vel saltem communicabile multis cum sui divisione, remanente tamen adhuc aliqua ejus unitate, sed aptitudo proxima, & indifferentia positiva constituit naturam in tali statu, quem utique non habet a parte rei, quia licet, ut ait Doct. natura a parte rei sit ita communis, ut ei intrinsece non repugnet esse sub alia singularitate ab ea, sub qua est, diffusim, non tamen est ita communis, ut possit esse in multis simul ergo talis aptitudo sufficit ad constituendum universale in actu. Confirm. quia quousque maner natura conjuncta hæc etiam, nequit dici universalis, quia ut sic non est omnibus communicabilis, at redditur talis eo ipso, quod a differentia individuali per intellectum secernitur, ut indifferenter comparatur ad omnia individua, ut eis communicabilis, ergo &c. Præterea actuali communicationi rationis, qua una per inexistenciam concipitur in multis cum sola divisione numerali, correspondere debet potentia, seu aptitudo proportionata, ergo si actualis communicatio constituit universale in actu secundo, ac velut in exercitio; aptitudo, & potentia illi correspondens constituet universale velut in actu primo.

46. Negat Blanc. d. 2. q. 2. in natura abstracta talem aptitudinem, quia in natura, antequam actu referatur ad inferiora, a quibus est abstracta, solum supponit entitas naturæ, & denominatio extrinseca, a qua denominatur cognitum cum exclusione hæc etiam; atqui neque entitas naturæ est talis potentia, sic enim esset potentia realis, cum entitas naturæ sit realis, neque ipsa denominatio extrinseca, nam ab ea solum cognita denominatur, non vero apta ad essendum in multis, ergo talis aptitudo rationis non est admittenda in natura abstracta, sed ad summum non repugnantia. At ex illis est hæc solutio, nam quando nil aliud suppeteret, dicemus illam non repugnantiam ex intrinseca ratione naturæ procedentem quando non est impedita consortio hæc etiam, quomodo se habet in statu præcisionis objectivæ, concipi a nobis per modum cujusdam aptitudinis proxima, & positivæ indifferentiæ ad essendum in multis simul. Et sane non videtur ullo modo negari posse universale in actu constitutum per solam aptitudinem rationis ad essendum in multis per divisionem differentiarum, nam genus, & species, ut tota quadam potestativa, & per differentias in plures partes subiectivas ejusdem nominis, & rationis divisibilia, præcedunt, & differentias divisivas, & inferiora constituta, quia universalis sunt priora natura particularibus, & proculdubio in illo priori antecedenter ad contractionem, & divisionem sunt universalis in actu, ergo &c.

47. Secundo, quod etiam universalitas consistat cum actuali communicatione ipsius universalis, colligitur ex Scot. 1. c. ubi vult universale in actu dici dum est in potentia proxima, ut prædicetur de multis simul, sed numquam est in potentia magis propinqua ad sic prædicandum, nisi quando actu concipitur unum in multis, tunc enim immediate potest sequi talis prædicatio, nec unquam fieri potest talis prædicatio, nisi prius natura concipiatur, nedum apta, sed etiam actu existens in pluribus, idem expressius habet 4. Messyrii, & Bellari Tom. I. Logica.

d. 43. q. 2. F. dicens universale esse simul dicibile de omnibus singularibus, in quibus salvatur, vult ergo universale in actu etiam salvari in singularibus post actualem communicationem, & quamvis hoc assertum sit contra communem, quæ reponit totam rationem universalis in actu in sola aptitudine ad essendum in multis, tamen viri graves illud recipiunt Blanc. l. c. Cælest. d. 3. univ. sect. 3. ita etiam loqui videntur Fuentes supracit. & Meurisse, dum ait universale in actu fieri per actualem collationem ejus cum suis inferioribus: fulcitur quoque auctoritate expressa Arist. qui 1. Post. 25. & lib. 2. in fine volens universale in actu definire, illud exprimit per actum, non per aptitudinem, ut per hoc indicaret, nedum cum aptitudine, sed etiam cum actu ipso essendi in multis consistere universalitatem; ac etiam solidissimis rationibus, quæ deducuntur ex dictis art. 1. contra Suarez, nam proprium est naturæ universalis esse prædicabilem de multis in ratione universalis, ergo actualis prædicatio de multis, quæ fit, vel fundatur in actuali communicatione naturæ per intellectum ad illa multa simul, non tollit universalitatem; tum quia actus non destruit aptitudinem ad ipsum, ut risus risibilitatem, imo potius perficit, & ponit in actu secundo; tum quia nulla alioqui daretur actualis prædicatio universalis de suis singularibus; & certe in hac prædicatione Petrus est homo, videmus ly homo manere in sua universalitate, quia non supponit suppositionem singulari sed communi, alias esset sensus, Petrus hic est homo, & sic nunquam prædicaretur de Petro aliquid sibi commune cum Paulo in natura, ergo universalitas consistit cum ipso actu essendi, in multis, & non cum aptitudine tantum. Conf. quia naturam esse in pluribus actu communicatam per intellectum sub eadem entitate, ac unitate formali cum sola divisione materiali, seu numerali, est actus secundus naturæ consideratæ secundum esse præcium ab individuo a parte rei; ita quod natura sub tali præcisione, ac indifferentia positiva sit veluti in actu primo respectu actus existendi in pluribus, & per talem postea actum non destruarer, sed potius exerceatur naturæ universalitas.

48. Nec valet consueta Adversariorum responsio, naturam, dum est in inferioribus, definire esse universale, quia amittit unitatem, quam habebat in statu præcisionis objectivæ, eo quod dividatur in plura ejusdem nominis, & rationis. Non valet, quia dividitur solum secundum esse materiale, & numericum, non vero secundum proprium esse formale, quia una & eadem sibi correspondet formalis unitas, ut est in omnibus inferioribus adquate, unde valde diversus est status naturæ, ut extat in individuo a parte rei diffusa, ab eo, quo concipitur in eisdem per intellectum, dum facta est universalis, nam in illo primo statu ita dividitur, ut divisio redundet, etiam in ipsamet formalem naturæ unitatem, ita quod natura in statu realis contractionis esto habeat suam unitatem formalem, non tamen quæ sit eadem in omnibus individuis, sed propria unicuiqueque, quia, scilicet, in ipsis multiplicatur natura, & consequenter etiam unitas naturæ, unde in tali statu Petrus, & Paulus non sunt unus homo, sed plures homines ob pluralitatem humanitatum; at in altero statu contradictionis per intellectum divisio non redundat in unitatem formalem naturæ, sed simpliciter sistit intra latitudinem hæc etiam, & ideo natura in tali statu contractionis remanet una formaliter in omnibus individuis, & solum extrinsece multiplicatur numeraliter, unde, & in tali statu ob eandem naturæ unitatem in omnibus Petrus, & Paulus dici possunt unus homo eo modo, quo Porph. dicebat omnes homines participatione speciei esse unum hominem. Ratio hujus diversitatis est, quia aptitudini respondere debet actus ei proportionatus, cum igitur aptitudo, quam habet natura a parte rei ad essendum in multis, sit remota, & ad plura diffusim, consequenter ita debet ad actum reduci, ut a parte rei sit in uno solo individuo cum sua unitate formali, & non in aliis; cum autem aptitudo, quam habet natura in statu præcisionis objectivæ, ad essendum in multis, sit proxima, & ad plura conjunctim; ut reducat ad actum ei proportionatum, debet assignari una, & eadem natura per inexistenciam in omnibus, & singulari, ita quod unitas formalis ejus illi respondeat, ut est in omnibus individuis adquate.

49. Deinde argumentum nostrum non loquitur de illa unitate importata per indivisionem in plura ejusdem nominis, quam natura acquirit ex vi præcisionis objectivæ, hanc enim utique concedimus dissolvi eo ipso, quod dividitur, & ad inferiora contrahitur, sive realiter, sive per intellectum, ut loc. cit. dicebamus; nam talis unitas est proripio impossibilis cum differentis; cum ex suo conceptu dicat negationem actualis conjunctionis cum eis, sed loquitur de unitate formali, quæ sequitur naturam, ut est totum quoddam actuale, & essentialiter, & de esse, quod essentialiter dicit, & per prædicationem tribuitur individuis, modo idem prædicatum objective sumptum ita intellectus tribuit uni individuo, ut tribuat etiam alteri, ergo licet per divisionem, & contractionem ad inferiora dissolvatur unitas ejus; quæ ipsum sequebatur ante divisionem in ratione totius potentialis, adhuc tamen etiam post divisionem perseverat unitas, quæ ipsum sequebatur in ratione totius essentialis.

70 Tertio tandem, quod dicitur de multis sit passio universalis, tantum ut dicitur aptitudinem, non actum, docet Doct. 7. Met. 4. dum ait actum ipsum predicandi accidere universalis, quod etiam manifesta ratione convincitur, quando homo v. g. de uno solo predicatur dicendo, Petrus est homo, sane predicatur adhuc ut universale, quia non supponit suppositionem singularem, sed communem, ut supra dicebamus, id autem non habet ex vi actualis istius predicationis, imo ex vi illius efraneatur relatio universalis, ut notat Doct. q. 16. universi. in sol. ad 8. quia ex vi illius applicatur uni singulari tantum, non ad plura, sed precise id habet ex vi predicationis aptitudinalis, nam esse ex vi actualis ad unum tantum singulare maneat coarctatum, tamen ex vi aptitudinalis manet adhuc illimitatum ad plura, ergo dicitur de passio universalis, ut dicitur aptitudinem, non actum. Dices saltem actu predicari de pluribus posse poni passionem. Neque hoc bene diceretur, quia ex vi actualis predicationis universale non magis applicatur ad plura, quam ad unum solum, sed ad utrumque manet indifferens, at ex vi aptitudinalis necessario extenditur ad plura. Confirm. id etiam, quia universale in actu aptum est proxime, & immediate predicari de multis, hac autem aptitudo non competit ei in primo modo, ut probatum est, ergo in secundo; atque ita hac aptitudo predicandi, seu predicabilis de multis erit passio universalis, actualis vero predicatio, sive signata, sive exercita erit exercitium illius passionis, ut est ridere risibilitatis.

51 In oppositum obiicitur i. probando esse in constitutivum universale, ut dicitur ipsum actum esse in multis precise, non autem aptitudinem, quia arguit Blanc. cit. universale metaphysicum tunc tale fit, quando actu cognoscitur natura sine indifferentiis inferiorum, ergo universale logicum tunc fiet tale, quando actu comparatur ad inferiora, atque adeo sicut universum metaphysicum non constituitur per aptitudinalem abstractionem, sed per actualem, ita neque logicum per aptitudinalem comparationem, sed per actualem; unde sicut universum metaphysicum, ut optime definitur, debet definiti unum actu a multis abstractum per rationem, ita pariter, ut optime definitur universum logicum, erit definitum unum actu in multis per rationem. Deinde universum logicum constituitur tale per actualem relationem ad multa, non aliter, ac album constituitur tale per actualem albedinem, atqui album definitur subiectum actu affectum albedine, non autem potens illa afficere, ergo pariter universum logicum erit natura actu affecta relatione ad multa, tunc sic non potest concipi natura actu relata, quin concipiatur actu in multis, ergo non potest concipi universa logice, quin concipiatur una actu in multis, & consequenter universum logicum definitur unum actu in multis secundum rationem. Demum opinio Blanc. sic confirmari potest, universalitas est relatio rationis ad plura inferiora, in quibus est natura universalis, & de quibus predicabilis est, necesse est ergo, quod si illa plura non sunt a parte rei, saltem per intellectum accipiunt esse, quia relatio nequit esse, vel concipi sine extremis, unde illa plura quae a parte rei sunt possibilia, dum fit universale, sunt in actu per considerationem, ergo universum logicum essentialiter respicit plura, in quibus actu fit, & non aptitudine tantum.

52 Resp. hac omnia argumenta in aequivoco laborare, concedimus enim universale logicum fieri per actualem comparationem ad inferiora, non autem aptitudinalem; hac tamen actualis comparatio universalis non fit semper ad inferiora, in quibus actu consideretur inclusum, sed interdum in quibus consideratur aptum includi, quare actualiter cadit utique semper supra comparationem, non autem semper supra inclusionem, argumenta autem ita procedunt, ac si negaremus actualitatem etiam in comparatione, & ex actualitate in comparatione contendunt inferre actualitatem etiam in inclusione, quod falso deducitur, nam ante actualem inclusionem ipsa inferiora sunt, ut potentia includere, in quantum inferiora, sicut ipsum superius, ut potens includi, & sic terminant relationem superioris, & universalis antequam consideretur actualis inclusio in multis. Dices; inferiora non esse, nisi per actualem inclusionem superioris; atque ideo non terminare relationem illius in ratione universalis nisi per esse in actu. Negatur assumptum, sicut enim actu est aliquid superius, non tantum quando actu includitur in pluribus, sed etiam quando ei convenit aptitudo, ut fit, & includatur in multis, quia ad formalitatem superioris non est necessaria actualis inclusio in inferioribus, sed sufficit etiam potentialis; ita inferiora sunt actu talia, non tantum quando actu includuntur superius, sed etiam quando considerantur, quod actus ei convenit, posse includere, & contrahere superius, ex quo patet quid dicendum sit ad singula argumenta, & hac doctrina expresse habetur a Doctore qu. 18. universi. in corpore quaest. vers. Item si aliquid.

53 Secundo obiicitur e contra probando esse in constitutivum universale, ut dicitur aptitudinem tantum, non vero actum, quia sic passum Scotista docent ex Doct. cit. ut natura fit universalis, requiritur indeterminatio positiva, seu contraria, sed hanc indeterminacionem non habet natura eo ipso, quod ponitur contracta, sive id fit a parte rei,

sive per intellectum, ergo universalitas repugnat cum actu essendi in multis, quia hic est status contractionis. Tum 2. quia quavis natura de se indifferens fit ad singularitatem, & universalitatem distinctam, conjunctam tamen hac duo in natura repugnant, sed status contradictionis est status singularitatis, ergo repugnat ei universalitas in tali statu. Tum 3. universale formaliter ita habet indeterminacionem ad plura, ut fit incapax determinationis ad unum, at natura in statu contractionis est determinata ad unum per differentiam contrahentem, ergo non est universalis. Tum 4. natura contracta non predicatur, ut indifferens, ad indeterminata, sed ut applicata isti individuo, de quo predicatur, & ut cum illo, alioquin vere non predicaretur, ergo non manet universalis, remota enim indifferencia tota universalitas ruit. Tum tandem natura non habet universalitatem, nisi in suppositione simplici, nam quando dicitur homo est species, homo est universalis, ly homo supponit simpliciter, ita quod non descendit ad supposita sub formalitate speciei, & universalis, sed quando per actualem contractionem predicatur actu de individuo, non habet suppositionem simplicem, sed personalem, verificatur enim de personis, & individuis, ergo in actuali predicatione non habet universalitatem.

54 Resp. hac pariter argumenta in aequivoco laborare, ita enim loquuntur de natura contracta per intellectum, ad actu essendum in multis, ac de natura contracta a parte rei, cum tamen ambo hi status contradictionis sint inter se valde diversi; quando enim natura contrahitur a parte rei, cum una, & eadem nequeat esse simul, & semel in pluribus, determinatur ad unum, & fit illi propria, atque ideo in statu realis contractionis repugnat illi universalitas; quando vero contrahitur per intellectum, cum ut sic objective considerata non repugnet una, & eadem in pluribus cum sola diversitate numerali, tunc non consideratur, ut contracta ab uno solo, sed ab omnibus inferioribus simul, & semel, ita quod licet hoc, & illud constituat, nequit tamen dici ad unum determinata, aut alicuius propria, quia indifferenter omnia respicit, & omnia constituit. & ideo licet per contractionem realem amittat naturam indifferenciam positivam, & indeterminacionem contrariam, non tamen per contractionem rationis, quae fit aequaliter ad omnia inferiora perseverante unitate formali ejusdem naturae in omnibus conceptae: ex quo patet quid dicendum ad singula argumenta, nam ad prima tria vera est minor de natura contracta a parte rei, falsa de ipsam contracta per intellectum. Ad 4. esse ex vi actualis predicationis manere universale applicatum ad unam, adhuc tamen ex vi aptitudinalis remanere ad alia indifferens, & ideo retinet universalitatem, unde dum dicitur, Petrus est homo, ly homo non amittit universalitatem, ut enim eam amitteret, opus esset conceptum communem mutari in singularitatem. Ad ult. falsa est major, quia natura retinet universalitatem etiam in suppositione absoluta, sub qua potest etiam ad individua descendere, & ideo falsa est quoque minor, quod quotiescumque natura de individuis predicatur, fit suppositio personalis, ut constat ex dictis Inst. tr. 1. cap. 10.

55 Tertio tandem obiicitur, ad probandum dicitur de esse passionem universalis, ut dicitur actum, non vero aptitudinem, quia passio proportionata universalis debet esse rationis, non realis, at sola actualis predicatio est relatio rationis, predicabilis vero est realis, cum talis aptitudo competat naturae etiam a parte rei, ergo, &c. Resp. naturam esse predicabilem de multis, posse dupliciter intelligi, vel fundamentaliter, & remote, & sic est quid reale, neque hoc modo est passio universalis; vel formaliter proxime, & immediate, & sic est quid rationis, & passio universalis, vide rationem huius in Doct. cit. H. Dices nulla datur relatio rationis aptitudinalis, sed quaelibet est actualis, cum ambo extrema habeant actualem existentiam objectivam, ergo, &c. Resp. quicquid dicit Brasavol. q. 18. negatur assumptum, nam suo modo dantur aptitudines rationis, possuntque superius, & inferius invicem actu conferri in ratione subiectionis, & predicabilis, non vero in ratione actu subiectionis, & predicati, & in hoc sensu collatio eorum erit actualis, sed relatio aptitudinalis.

56 Explicata Universalis essentia, facile est colligere germanam universalis definitionem, quod scilicet, fit *Unum in multis cum sui multiplicatione, divisione, ac veram ejus intelligentiam, quae talis est, quod per ly unum intelligere debemus unitatem rationis, per quod excluduntur aequivoca habentia solum unitatem nominis, & analogia, quando sunt cum aequivocatione conjuncta, quia de ratione universalis est, ut sic predicatum univocum de suis inferioribus, idest habens rationem in se unam, quomodo cumque hac inferioribus conveniat, sive essentialiter, sive accidentaliter, dantur enim, ut videbimus infra, universalis nedom essentialia, sed etiam accidentalia; & ratio hujus est, quia cum de ratione universalis sit, quod possit esse in multis, nisi dicere rationem unam, secundum quam reperitur in illis, jam non esset in multis, sed una ratio esset in uno, & alia in alio: ly in multis indicat, quod unitas universalis non debet esse numerica, sed communis; tum quia univocatio proprie spectat ad terminum commem, mutum quia*

quia universale directe opponitur singulari: quod adhuc magis declaratur per particulam a nobis additam ad majorem expressionem cum sui multiplicatione, & divisione, per quam significatur naturam universalem debere quidem pluribus communicari, sed cum sui multiplicitate, ac divisione numerali, ita quod esto ratione ejusdem naturae universalis formaliter, & essentialiter individua possint humana individua dici unus homo in communi, ut ajebat Porph. toties cit. ratione tamen divisionis numeralis etiam in ipsam naturam redundans possunt quoque dici non tantum plura individua, sed etiam plures homines. Ex quo sequitur, ut docet Doct. hic sub I, & omnes alii advertunt naturam divinam, esto de facto fit tribus personis communicata, dici non posse universalem, quia non est communicata cum multiplicitate numerali, sed una, & eadem numero est in omnibus tribus suppositis divinis, qua etiam ratione neque forma eadem numero, si poneretur a Deo per replicationem in pluribus subiectis, acquireret universalitatem, quia in eis non esset cui sui multitudine numerali.

57 Facile etiam est ex dictis satisfacere quaestionibus a Porph. excitatis de universalibus in suo proem. Si enim primo queratur, an universalis sint in rebus, vel potius in intellectu, idest an sint entia realia, vel rationis? Resp. si materialiter sumantur, scilicet, pro naturis, quae denominantur universales, sunt in rebus, sive entia realia; si vero formaliter sumantur, sunt entia rationis, & tantum objective in intellectu. Advertendum tamen est universale etiam materialiter sumatum posse interdum esse ens rationis, cum enim una secunda intentio possit super aliam fundari ex dictis d. 3. q. 8. art. 2. poterit universalitas ipsa applicari etiam entibus rationis, & ita evenit, cum etiam rationes ad instar realium a suis inferioribus abstrahuntur, & iterum ad ipsa comparantur, unde universale dicimus esse genus ad quingue universalis, ut infra. Si secundo queratur, an universalis sint corporea, vel incorporea? Resp. formaliter sumpta, nec corporea esse, nec incorporea, cum ita non sint, nisi quaedam secunda intentiones huic, vel illi naturae affixae, materialiter vero, quia ratio universalis non limitatur ad naturas corporeas, vel incorporeas, consequenter & corporea, & incorporea esse possunt, & etiam ab his abstrahentia, quandoque quidem per indifferenciam, quandoque vero etiam per essentiam; quando natura, quae denominatur universalis, est corporea, tunc universale corporeum est, ut homo respectu Petri, & Pauli; quando est spiritualis, tunc est incorporeum, ut angelica natura respectu Gabrielis, & Raphaelis; quando nec est corporea, nec incorporea formaliter, sed utrumque permixtive, ut substantia, quae est apex in primo predicamento, tunc est abstrahens ab utroque per indifferenciam, quia, & hoc, & illud esse potest, esto neutrum sit formaliter; quando tandem natura denominata est ens rationis, quod nec corporeum, nec incorporeum esse potest, cum haec sint indifferencie entis realis, tunc universale dicitur abstrahens ab utroque non per indifferenciam, sed per essentiam, quia ista negationes ei conveniunt essentialiter. Si tandem queratur, an universalis sint in singularibus, vel potius ab eisdem separata? Resp. materialiter sumpta esse in singularibus, formaliter vero accepta possunt alio modo dici ab eis separata, quatenus universalitas est ens rationis habens tantum esse objective in intellectu: adhuc tamen etiam in isto statu dici possunt cum singularibus conjuncta per intellectum, quia constituuntur per esse in illis actu, vel aptitudine.

58 Eodem tandem modo aliis quibusdam quaestis de universalibus potest satisfacere; nam si queratur, an sint substantiae, vel accidentia? Resp. formaliter sumpta, nec esse substantias, nec accidentia realia, dici tamen posse accidentia rationis, quatenus sunt secunda intentiones, quae sunt relationes rationis; materialiter vero accepta, & substantias esse posse, & accidentia, & etiam ab his abstrahentia, intentio enim universalis fundari potest super naturas substantiales, & accidentales, & super formalitates etiam ab his abstrahentes. Si queratur an sint aeterna, vel temporalia? Resp. formaliter sumpta non esse aeterna, tamdiu enim sunt, quamdiu ab intellectu sunt; materialiter vero sumpta, quantum ad existentiam adhuc aeterna non sunt, quia cum hanc habeant in singularibus, ad eorum corruptionem desinunt; dicuntur ergo aeterna quantum ad essentiam; tum quia non sunt in potentia propinqua ad corruptionem, nisi sint in esse existentiae, ut Doct. docet 3. disp. 21. quaest. un. G. tum quia quantum ad esse possibile semper talia fuerunt, & erunt, ut docet 1. disp. 36. quaest. un. & disp. 43. tum quia quantum ad predicata complexa, quae ab existentia non pendent, semper talia fuerunt, & erunt, quia etiam non existerent singularia adhuc talia predicata sibi debita forent, detractis enim omnibus individuis humanis speciebus, verum adhuc esset dicere hominem esse animal rationale, ut docet 1. d. 3. q. 4. I. & K. quia verbum est in his propositionibus non dicit existentiam extremorum, sed necessariam connexionem inter illa. Sed dices, si universalis perpetua sunt, certe alibi permanere debent, at si nullum esset singulare, ubi erunt? Resp. ex Doct. cit. nullibi actu erunt, sed objective solum in intellectu divino actu cognoscente eis esse de Mastris, & Bellari Tom. 1. Logica.

bita hujusmodi predicata, & cum his conjungi debere, quando ad extra producuntur in singularibus.

Q U A E S T I O III.

Per quam operationem intellectus fiat universalis in actu.

59 Libenter abstinemus ab hac quaestione, eo quod tota animalica sit, sed quia multum confert ad notitiam Universalis Logici, eam discutimus non ex professo, sed solum quantum pariter Logicum institutum. Pro intelligentia tituli quaest. supponendum est ex 3. de Anim. duplicem in nobis constitui intellectum, unum agentem, alterum passibilem, seu possibilem (sive formaliter, sive solum ratione distinctos) cum enim cognitio ex potentia, & objecto generetur, ut fuit Doct. 1. d. 3. q. 7. & nequeat objectum materiale immediate recipi in intellectu per suam entitatem, necesse fuit, ut in eo reciperetur per sui speciem, & similitudinem intentionalem, unde dicebat Arist. quod lapis non est in intellectu, sed species lapidis, quae est accidens quoddam generis vicem objecti, & illud representans. Verum licet species sensibiles ab objectis externis totaliter imprimantur in sensibus, tam exterioribus, quam interioribus, quia & ipsae sunt adhuc materiales, & corporeae, ideoque opus non sit aliquo sensu agente, qui cum illis objectis species sensibiles comproducat, tamen quia species istae non sunt intellectui proportionatae, utpote qui est potentia mere spiritualis, ac proinde non receptivus specierum, nisi prorsus immaterialium, ideo ultra intellectum passibilem, qui talis dicitur, quatenus est specierum receptivus, fuit opus aliam constituere intellectivam facultatem, quae ex speciebus sensibilibus spiritualis, ac, ut vocant intelligibilem speciem eliceret, & intellectui passibili imprimeret, a quo munere produci species intellectus agens est appellatus, de quo fuit Doct. 1. d. 3. q. 6. & quol. 15. quia objecta sensibilia non possunt seipsis producere speciem spiritualement saltem totaliter.

60 Rursus ex dictis disp. praeced. qu. 4. art. 2. & qu. 8. art. 1. recolendi sunt varii actus, quos circa idem objectum potest habere intellectus possibilis: potest enim in primis habere actum absolutum, quo supra rem absolute fertur non in ordine ad aliud ipsum considerando, qui etiam subdividitur in rectum, & reflexum, ut ibi dictum est; potest etiam habere actum collativum, quo rem aliquam, non in se, sed in ordine ad aliam considerat, qui rursus subdividitur, nam alter terminatur ad res, ut invicem comparatas in aliquo attributo eis conveniente ex natura rei in suo ordine, alter vero terminatur ad res, ut invicem comparatas in aliquo attributo rationis, & rursus actus collativus tam primi, quam secundi generis duplex est, simplex, & compositus; simplex est, quo concipitur unum in ordine ad aliud sine aliqua affirmatione, & ideo pertinet ad primam operationem, potest enim & ipsa simplex apprehensio esse comparativa, ut docet Scot. 2. d. 6. q. 1. ad 2. & bene declarat P. Cavel. q. 8. de Anim. n. 3. quo modo relationem ipsam semper apprehendimus; compositus vero est, quo intellectus ita unum ad aliud comparat, ut per actualem predicationem unum de alio affirmet.

61 Quaestio igitur supponit ad intellectum dumtaxat spectare universalis effectorem, sensus enim, quia est corpori affixus, nequit naturam attingere, nisi sub conditionibus individuans temporis, loci, &c. ut dictum est quaest. 1. art. 2. in sol. ad 2. ideoque universale efficere nequit, quod abstrahit omnino ab his conditionibus. Nec alias potest efficere saltem tale universale, nempe sensibile, abstrahendo quidditatem rerum sensibilibus. Quia & ipsa natura rerum sensibilibus, si secundum se consideretur, non amplius est sensibilibus, licet sit quidditas rei sensibilibus, ratio est, quia sensibilibus nedom oritur ex tali quidditate, sed etiam ex eo, quod sit immerfa caeteris conditionibus individuans, ut recte advertit Pasq. cit. disp. 19. sect. 2. ubi de hac re agit ex professo, supponit igitur quaestio (ut dicebamus) solum intellectum efficere universale, & querit, cujus intellectus sit hoc munus, num agentis, vel potius possibilis, quod si ad possibilem pertinere dicatur, quarit ulterius ex multis actibus, quibus se potest exercere circa aliquod objectum, quem adhibeat ad universale concipiendum.

62 Hinc variae sunt exortae opiniones; Quidam enim asserunt hoc esse munus intellectus agentis, quia putant ipsum cum phantasmate nedom speciem intelligibilem singularis producere, verum etiam species magis, & minus universalium, in quibus proinde natura relucet denudata a conditionibus individuans, ita Aver. 1. de Anim. com. 8. D. Th. 1. p. q. 85. art. 1. Cajet. ibidem, & de ente, & essentia c. 4. q. 6. Scot. q. 2. univ. Zamel. 1. p. q. 13. ar. 7. Masius sec. 2. q. 5. Flandria 3. Met. q. 3. ar. 2. & alii Thomista quamplures, & ex nostris Orbellus initio predicabilium, Faber. 4. Met. q. 9. c. 4. citans Doct. 1. d. 3. q. 6. Alii e contra volunt, hoc esse munus intellectus possibilis, sed adhuc inter se discrepant, nam asserunt multi fieri ab intellectu possibili per actum absolutum, quo naturam praecindendo a suis inferioribus concipit quoad sua predicata quidditativa, quem proinde vocant actum abstractivum, seu praecivum intellectus possibilis, unde hac secunda opinio parum differt a prima, quia utraque contentit

sentit universale fieri per abstractionem ab inferioribus, & solum discrepant de potentia abstrahente, hæc vult esse intellectum agentem, illa possibilem; ita defendunt Auctores cit. quæst. præced. qui statuebant formalitatem universalis in absoluto, & Capreol. 1. disp. 8. quæst. 2. art. 3. Haru c. 1. de secund. intent. Conimb. quæst. 4. Vallius de univ. in communi quæst. 4. c. 9. Petronus lib. 4. qu. 1. art. 6. Serna disp. 1. sec. 4. qu. 5. art. 6. & alii. Tertia sententia docet universale fieri per actum collativum; quo natura facta una per abstractionem, & positive indifferens cognoscitur pluribus inesse cum tali unitate, vel saltem, sic apta ad intendendum, ita communiter Scotista cum Doctore 5. Met. q. 11. & lib. 7. qu. 13. & in 1. d. 3. qu. 7. & 4. d. 1. qu. 2. & ex professio 2. d. 3. qu. 1. ubi ejus expositores præsertim Licher. §. *Secundo principaliter*, Ant. And. 5. Met. q. 6. Tromb. 7. Met. q. 8. & 9. Zerb. 7. Met. q. 17. Bargius 1. d. 3. q. 6. §. *Ex alio membro*. Fuentes, q. 6. diff. 3. art. 2. Meurisse loc. cit. Merin. d. 2. de Univ. q. 1. Item ex Thomista Complut. d. 3. q. 6. Joan. de S. Th. p. 2. Log. q. 4. art. 2. Sanch. qu. 38. Univ. Soncin. 9. Met. 27. faver S. Th. opus. 55. & 1. p. q. 28. art. 1. q. 7. de pot. ar. 1. 4. Met. lect. 4. & 2. Perher. lect. 10. Item Recentiores ex Societate, Ruvius q. 5. & 6. Univer. Amic. tract. 4. qu. 4. dub. 6. concl. 6. qui alios citant. Moric. d. 1. Log. q. 8. & Blanc. supracit. Verum neque adhuc Auctores cit. omnino inter se conveniunt, significant enim aliqui hunc actum collativum esse primi generis, alii insinuant esse secundi generis (nam re vera in hoc puncto non se satis explicant) Rursus plures volunt hunc actum collativum esse simplicem spectantem ad primam operationem, alii inquirunt esse compositum spectantem ad secundam, & ita defendunt quicumque contendunt essentiam universalis consistere in actuali prædicatione de multis.

63 Demum nonnulli Moderniores volentes relatas sententias concordare, distinguunt, aliud esse universale fieri ab intellectu, & aliud cognosci, ut universale; fit enim per simplicem abstractionem absque aliqua comparatione, non tamen cognosci potest, ut universale, nisi per cognitionem comparativam, quia debet cognosci cum ordine ad inferiora. Sed hæc concordia parum valet, quia ens rationis, quale est universale, ut hic de eo loquimur, non habet, nisi esse objectivum in intellectu, non habet autem tale esse, nisi ex vi alicujus cognitionis, ergo tunc fit universale, quando cognoscitur; tum quia generatim loquendo fieri entis rationis est cognosci, & intantum fiunt, inquantum cognoscuntur, ut dictum est d. 3. qu. 4. art. 2. ergo profus inepta est hæc concordia, ac proinde ipsa relicta.

64 Dicendum est universale in actu non fieri per actum intellectus agentis, sed possibilem, non quidem absolutum, sed collativum, non compositum, sed simplicem, & hunc non primi, sed secundi generis. Conclusio est Scoti, & Scotistarum loc. cit. quoad omnes partes, & quoad singulas probatur. Primo non fieri per actum intellectus agentis, sed possibilem, ut alia loca mittamus, docet Scot. l. 1. d. 3. q. 1. sub H. ibi enim ex professio impugnat illud dictum, quod intellectus agens faciat universale illis verbis; *Ex hoc apparet improbatio illius dicti, quod intellectus agens facit universalitatem in rebus per hoc, quod denudat ipsum quodquid est in phantasmate existens, de quo statim infra concludit, quod in intellectu agente nunquam est tale, cui potentia proxima convenit dici de quolibet, sed tantum est in potentia proxima, ut est in intellectu possibili, & probatur efficaciter, quia opinio adversa ideo statuit universale fieri per intellectum agentem, quatenus arbitratur ipsum ita abstrahere species intelligibiles ex phantasmate, ut naturam depuret, non tantum a materialitate, sed etiam a conditionibus individuantiis, ita quod in specie sola natura communis representetur, at hoc fundamentum est satis dubium, quia ut dicemus in lib. de Anim. probabilius est speciem productam ab intellectu agente representare naturam adhuc cum conditionibus individuantiis, quæ in phantasmate relucebant, & intellectus possibilis fit ille, qui eam ulterius abstrahat a conditionibus illis, ita quod species, & phantasma non distinguantur ex objecto representato, sed ex propria entitate, quod phantasma fit ens corporale, & species intelligibilis, spirituale, unde in tantum intellectus agens dicatur abstrahere a concrecione materia, inquantum producit species spirituales; hæc enim est magis recepta doctrina de intellectu agente, quam docuit Scot. 4. d. 45. quæst. 3. Tromb. 7. Met. qu. 7. & 8. Bargius cit. & alii Scotista, qui passim cum ipso dicunt intellectum agentem utique transferre objecta de ordine in ordinem, id est ex ordine materialium ad ordinem immaterialium, non tamen ex ordine singularium ad ordinem universalium, & idem cum Scoto docent alii communiter Amic. cit. art. 3. Pasq. sec. 3. Averfa q. 8. Blanc. cit. cum cæteris. Accedit, ut advertunt omnes hi Auctores, quod etiam dato intellectum agentem ita abstrahere speciem, ut etiam depuret naturam a conditionibus individuantiis, adhuc tamen non dicitur efficere universale in actu, quia tota ejus efficientia terminatur ad illam speciem, quæ est quid singulare, poterit igitur ad summum dici intellectus agens efficere universale in representando, quatenus producit speciem, quæ ex hy-*

pothesi est representativa universalis, aut universale in habitu, quatenus præparat medium, quo universale in actu fiat ab intellectu possibili, dum illi per speciem objicitur, ut docet Bargius cit. & in hunc sensum interpretatur S. Thomam, & Cajet. cit. pro prima opinione Complut. Joan. de S. Thom. & alii Recentiores Thomista.

65 Secundo, quod non fiat per actum absolutum, & præcivum intellectus possibilis, sed collativum, est Scot. cit. dum ait *universale in actu esse illud, quod habet unitatem indifferentem, secundum quam ipsum idem est in potentia proxima, ut dicatur de quolibet supposito*, ergo secundum mentem Doctoris tunc fit natura actu universalis, quando jam facta una, & indifferens positive per abstractionem, postea comparatur ad inferiora in ratione participabilis simul ab omnibus, & de omnibus prædicabilis, quod adeo clarum est, ut nesciamus, quo verbo Doctoris ibidem motus dixerit Pasqual. cit. ipsum inibi sentire, quod universale fiat per cognitionem pure abstractivam: plane si Doctor ibi vult universale in actu esse prædicabile de multis, & non poterit hoc fieri per cognitionem pure abstractivam, quia a natura sic abstracta non est de alio prædicabilis, non enim dicimus *Petrus est humanitas*, oportet igitur, ut natura per actum absolutum abstracta ab individuatione, quæ ipsam ad unum determinabat, fiat concreta per respectum ad inferiora, quod fieri nequit sine supervenienti actu collativo. Neque dicas posita tali abstractione naturæ statim in ea resultare respectum ad inferiora absque interventu novi actus, qui collativus dicitur: Hoc enim prorsus voluntarie diceretur; tum quia ex vi actus abstractivi potius tollitur a natura quilibet respectus ad inferiora, quam ponatur; tum quia relatio rationis, & secunda intentio, qualis est universalitas, non habet esse per resultantiam ex vi positionis extremorum, sed ex vi cognitionis, & negotiationis. intellectus ex dictis disp. 3. quæst. 4. artic. 2. Ratio autem a priori hujus asserti est, quia universale definitur unum in multis, ergo nequit natura hanc universalitatem recipere, nisi concipiatur in ordine ad multa, sed hoc fieri nequit per abstractionem, quando enim intellectus naturam abstrahit, potius illam segregat ab inferioribus, quam concipiat illis communem, ergo id fit per comparisonem; prob. min. aliud enim est concipere aliquid in alio, aliud vero concipere aliquid sine illo, vel non cum illo, per abstractionem intellectus concipit naturam non concepto aliquo inferiori, ergo per abstractionem nequit natura universalis fieri, & hæc ratio urget tam de abstractione facta ab intellectu possibili, quam ab agente.

66 Tertio, quod fiat per actum collativum simplicem, non compositum, sequitur ex dictis quæst. art. 2. & 3. ibi enim dicimus ex sent. Doct. actum prædicandi supponere naturam prædicabilem, quia ipse est veluti exercitium prædicabilitatis, & ut ajunt Comp. potius facit prædicatum, quam prædicabile; prædicabile vero supponit universale jam actu constitutum, quia est ejus passio, ergo actualis prædicatio, quæ fit per comparisonem compositam, supponit jam pridem universale formale constitutum. Accedit quod esto per actualem prædicationem confargat aliqua relatio rationis, hæc tamen ad universalitatem sufficiens non est, quia universalitas refert naturam ad multa necessario, alioquin universalitas non esset, at prædicatio actualis ex dictis ibi art. 3. indifferenter refert universale ad unum, & ad plura, loquendo præsertim de prædicatione exercita, ergo non est sufficiens ad constituendum universale, imo ait Doctor q. 16. univ. per hanc prædicationem actualem potius extraneari a natura relationem universalis, quam constitui, ob rationem allaram.

Quarto tandem, quod universale fiat per actum collativum secundi generis, non primi, constat ex dictis disp. 3. quæst. 8. artic. 1. ubi diximus secundas intentiones, de quarum numero est universale logicum, per talem actum collativum fieri; Et sicut ibi diximus secundam intentionem per actum collativum accipere tantum esse materiale, & derelictum ex illo eodem actu in objecto comparato, esse autem rationis formale, & actuale recipere per alium actum reflexum, quo illa extrinseca denominatio comparati concipitur in objecto comparato per modum cujusdam relationis ad aliud objectum, cui comparatur; sic in proposito cum dicimus universale accipere esse per actum collativum, id est intelligendum de esse materiali, ac derelicto rationis, quia esse formale non habet, nisi cum intellectu reflectens se supra naturam comparatam in attributo rationis ad inferiora, concipit talem comparisonem in natura ad modum cujusdam vero relationis ad inferiora terminatam.

67 In oppositum objicitur 1. universale in actu fieri ab intellectu agente; tum quia ut ait Faber cit. est expressa Scoti sententia 1. disp. 3. quæst. 6. §. *Contra istam opinionem*, ubi verf. *Non arguitur hic habet Doctor*, quod in specie relucet actu universale, & 7. Met. q. 16. manifeste declinat ad hanc partem; Tum quia id suadet ratio, nam universale est objectum intellectus possibilis, sed tale objectum præparatur ei ab intellectu agente, dum species abstrahit a phantasmatis, & præcedit quemcumque actum intellectus possibilis, ergo &c. Resp. textum a Fabro citatum signari pro

extra

extra, & quando etiam concederemus intellectum agentem tales abstrahere species, non sequitur ipsum ob id proprie facere universale, sed quod formet speciem, qua mediante possibili intellectu naturam intelligens sine individuatione formet universale, ut supra deductum est, & in hoc sensu dici potest in specie relucere actu universale, quatenus nimirum in ipsa objectum est actu inspectum ab intellectu possibili, non autem antecederet, nisi in habitu. Ad locum ex Met. ait Bargius cit. primo, quod Doct. in Met. communem tunc temporis secutus est opinionem, sed in 2. disp. 3. qu. 1. suam docuit; deinde, quod in Met. loquitur secundum tenentes, quod intellectus agens causat cognitionem, quod communiter in sua Schola non tenetur, & in 2. loquitur secundum aliam viam probabiliorum, demum ait, quod in Met. loquitur de universali habituali, quod est species intelligibilis, & in 2. de universali actuali. Ad rationem jam diximus quæst. 1. art. 2. in fol. ad 1. universale fundamentaliter tantum esse objectum intellectus, id est naturam, ut a singularitate præcindit, vel præcivione negativa, quomodo præcindit a parte rei, quatenus formalitas naturæ non est formalitas hæcæitatis, vel præcivione positiva, quomodo præcindit, cum per intellectum singularitatem denudatur, qua etiam responsione ununtur Complut. hoc tamen non est intelligendum cum præcivione, quasi intellectus nequeat cognoscere etiam singulare, ut in lib. de Anim. dicimus.

68 Secundo, quod universale fiat per actum abstractivum intellectus possibilis, non comparativum, quia universale debet esse unum; sed tale non est, cum concipitur in multis; quia sic est multiplicatum, & divisum, sed solum quando abstrahitur ab illis, ergo fit per actum abstractivum, non comparativum. Tum 2. quia nisi natura non præcinderetur a differentiis, nunquam eam unitatem, & indifferentiam acquireret, quæ ad universale desideratur, ergo actus abstractionis est necessarius ad universalitatem. Tum 3. universale est unum apertum in multis; at natura habet utrumque ex vi solius abstractionis, habet unitatem, ut patet, habet etiam aptitudinem sine interventu alterius actus, quia hanc habebat a parte rei, sed remotam, & impeditam a differentia individuali, tale autem impedimentum tollitur per solam abstractionem, & aptitudo, quæ erat remotam, fit proxima. Tum 4. natura fit singularis ex vi differentie contrahentis, ergo fiet universalis ex vi actus præcivientis illam a tali differentia. Tum 5. & 1. Post. & 1. de Anim. universale dicitur posterius singularibus, quia fit per abstractionem ab eis, ut omnes exponunt.

69 Resp. non solum debere esse unum, sed unum in multis, quod non habet natura, cum præcivie intelligitur a singularibus abstracta, quomodo autem talis unitas universalis consistat, nedum cum aptitudine ad essendum in multis, verum etiam cum ipso actu, satis explicatum est quæst. art. 3. præsertim in fol. ad 2. Ad 2. verum est actum abstractionis naturæ a statu existentia, & contrahitionis realis necessarium esse, ut præviam dispositionem ad universalitatem inducendam, ut nimirum natura, quæ a parte rei erat una omnium per solam indifferentiam, post abstractionem factam concipi possit in omnibus una per existentiam actu, vel aptitudine saltem, per quem actum proprie natura fit universalis; unitas enim naturæ, ut est universalis, non est unitas absoluta, sed relativa, non ergo negamus abstractionem suo modo concurrere ad universale, sed dicimus per ipsam non compleri, sed potius per comparisonem. Ad 3. ajunt Recentiores naturam a differentia abstractam non esse communem & aptam ad essendum in multis positive, sed tantum negative, quatenus non est conjuncta cum singularitate; atque ideo non esse universale, quia ad hoc requiritur communis positiva. Nos concedere debemus etiam positive esse communem, hanc enim aptitudinem adscribimus naturæ etiam in statu realis existentia licet remotam, & impeditam a differentia individuali; adhuc tamen actu universalis dicenda non est, quia nondum concipitur apta ad essendum in pluribus simul, sed tantum disjunctim, concipitur autem sic apta per novam relationem rationis, (qualis talis aptitudo nequit esse realis) & tunc dici potest universalis in actu, unde ad universalitatem requiritur, vel quod fit actu in multis, vel saltem apta ad essendum in illis conjunctim, quæ aptitudo non habetur ex vi solius abstractionis, sed novi actus comparativi supervenientis, per quod patet ad Poncium, qui ob prædictam rationem disp. 3. Log. n. 74. probabile indicat naturam fieri posse Logice universalem per solam ejus abstractionem a differentia individuali, quia eo ipso censetur in potentia proxima, ut possit prædicari de pluribus, cum in tali statu sit libera ab impedimento singularitatis. Ad 4. patet ex dictis q. præc. ar. 1. in fol. ad 1. quomodo natura ex vi præcivionis a differentia contrahente non fit universalis, nisi fundamentaliter, quod non transcendit limites universalis metaphysici. Ad 5. patet ex dictis abstractionem concurrere ad constitutionem universalis, ut excludit concrecionem realem naturæ cum singularibus, quia talis concrecio, & contractio utique tollit unitatem naturæ, qualis exigitur ad universalitatem, non autem concrecionem factam per intellectum, & sic loquuntur Expositores in eum locum Arist. dum ajunt universale

Maffrii, & Bellii Tom. I. Logica.

fieri per abstractionem; alia argumenta ad hoc facientia vid. quæst. art. 1. cum solutionibus.

70 Tertio tandem, quod non fiat per actum collativum simplicem, sed compositum; Probatur, quia nequit intellectus comparare naturam ad individua, nisi cognoscat in eis esse, & eis convenire; sed non cognoscitur eis convenire, nisi quatenus prædicatur de illis, ergo fit universalis per comparisonem compositam, non autem simplicem, cum hæc non detur, quia nulla ratione fieri potest naturam concipi, ut convenienter multis, quia eam de illis multis prædicemus, & unum alteri convenire, nisi per affirmationem. Conf. quia iste actus comparativus, vel attingit naturam esse in multis actu, vel aptitudine tantum, non secundum, quia talis aptitudo ponitur in natura per solum actum abstractionis, quæ virtualiter est comparatio, hoc ipso, quod naturam relinquit aptam ad sua inferiora, ergo primum, sed non intelligitur natura actu in multis, nisi per actualem prædicationem de illis, ergo &c. Tandem per actum collativum natura comparatur ad singularia, ut superius ad inferiora, sed inferiora constituuntur talia per actualem inclusionem superioris, quæ fit prædicando hoc de illis, ergo &c.

71 Resp. comparisonem simplicem spectantem ad primam operationem distinctam a composita, quæ spectat ad secundam, plane negari non posse, ut diximus ex Scot. 2. d. 6. q. 1. ad 2. cujus doctrinam recipiunt omnes suprac. Auctores, tum quia simplex apprehensio non solum est terminorum, sed etiam propositionum, ut patet, cum intellectus ad prolationem alicujus propositionis dubia concipit utique prædicatum in ordine ad subiectum, sed non progreditur ulterius, quia dubius est, an debeat affirmare, vel negare, & hæc vocatur comparatio simplex, vel cognitio unius in ordine ad aliud absque affirmatione, vel negatione, tum etiam quia in sensu non est operatio enunciativa, & tamen oculus cernit per simplicem intuitum albedinem in pariete, æstivativa ovis cognoscit inimicitiam in lupo, & sensus communis discernit inter objecta sensuum externorum; at hæc non possunt cognosci sine aliqua saltem virtuali comparatione; tum demum, quia intellectus attingit similitudinem duorum alborum per simplicem intuitum extremorum relatorum absque aliqua affirmatione, ergo simplex apprehensio comparativa negari nequit: An vero in hac simplici comparatione plurium ad invicem attingatur convenientia, vel disconvenientia eorum adinvicem, quidam negant, unde in proposito cum intellectu efficit universale comparando naturam ad inferiora, concedunt intellectum non attingere convenientiam superioris ad inferiora; putant enim id fieri non posse sine comparatione composita, ac enunciatione. Sed adhuc dicendum est in simplici comparatione plurium etiam convenientiam, vel disconvenientiam eorum attingi posse, nam in exemplis allatis ovis attingit disconvenientiam cum lupo, & intellectus convenientiam inter duo alba per simplicem intuitum; igitur ad argumentum neg. min. potest enim natura abstracta concipi pluribus convenire conjunctim, & aptitudinaliter, & actualiter, & utraque conceptio sufficit ad universale, & si cum multis teneremus universale constitui per solam convenientiam aptitudinalem, sane argumentum nullam vim haberet; constat enim dari talem convenientiam superioris cum inferioribus absque actuali prædicatione.

72 Ad 2. dicimus per actum comparativum simplicem utroque modo factum resultare universale, & falsum est, cum attingitur natura actu in multis, id necessario fieri debere per actualem prædicationem, ut patet ex modo dictis, sicut etiam falsum est, ut attingatur apta esse in multis simul, & conjunctim, (qualis est aptitudo ad universale requisita) sufficere solum actu abstractionis, quia licet ex tali actu aptitudo remotam, quam a parte rei habebat natura ad multas disjunctim, fiat proxima ex remotione hæcæitatis facta per abstractionem, & in hoc sensu aptitudo proxima ad multa disjunctim dici possit resultare in natura ex vi solius abstractionis, tamen aptitudo proxima ad multa conjunctim non habetur, nisi per supervenientem actum comparativum, ut in præc. argumento ad 3. dicebamus; nec abstractio dici potest virtualis comparatio naturæ ad multa hoc secundo modo, nempe ad multa conjunctim, quia ea, quæ per cognitionem habent esse, non sufficit virtualiter cognosci, dicantur actu habere esse, sed solum habebunt esse virtualiter, & in potentia. Ad 3. patet ex dictis art. 3. q. præc. in fol. ad 1. ad formalitatem inferioris non necessario requiri actualem inclusionem superioris, vel sufficere aptitudinalem, & quando etiam actualis necessaria foret, falsum est, hanc fieri per actum prædicandi, sufficeret enim solus actus in essendi.

73 Ex dictis colligi potest, quomodo fiat natura universalis formaliter; primo enim apprehendit intellectus singularia, ac realem eorum convenientiam; deinde abstrahit naturam illam, quæ erat ratio convenientia inter illa, quæ abstractio, licet in hunc modum regulariter fiat, absolute tamen fieri etiam potest ab uno solo singulari, considerando nempe naturam absque expressa consideratione talis individui, ut diximus art. 1. quæst. præc. in fol. ad 1. ad ultim. conf. Tertio comparat naturam sic præcisam ad

L. 4

ind.

individua in aliquo attributo reali, quatenus illam novit æqualiter participabilem ab omnibus disjunctim? talis enim aptitudo in natura ad essendum in multis disjunctim realis est, quia erat etiam in natura ante præcisionem, licet non proxima, & expedita ob impedimentum differentie individualis, & talis est actus collativus primi generis. Quarto ulterius progreditur eam comparando individuis, velut omnibus communicabilem conjunctim, & sic constituitur universale formale in actu primo, & hic est actus collativus secundi generis, quia talis aptitudo proxima ad essendum in multis conjunctim non est realis, sed rationis. Quinto rursus comparat naturam ad individua comparatione simplici concipiendo illam, ut unam formaliter in omnibus per inexistentiã, & solum numerice divisam, & sic constituitur universale formale in actu secundo, & hic etiam actu est collativus secundi generis, quia talis actus inessendi naturæ in omnibus per inexistentiã non est a parte rei, sed omnino per intellectum. Sexto tandem, quia in tali statu est proxime prædicabilis de omnibus, quibus concipitur, exercet talem universalitatem comparatione composita, dum illam unam naturam mente conceptam enunciât de singulis prædicatione disente, hoc est hoc.

Q U Æ S T I O I V.

Quibus Naturis possit applicari intentio universalitatis.

74 AD resolutionem hujus quæstionis duo dubia sunt hic discutienda. Primum est, an universalitas convenire possit naturæ omnino immultiplicabili a parte rei, sicut Thomistæ quamplures ponunt esse naturas Angelicas, quas judicant immultiplicabiles secundum numerum. Cajet. 1. p. quæst. 13. art. 9. de ente, & essentia c. 4. qu. 7. & in Log. c. de specie, ut adhuc stante hac opinione defenderet substantias angelicas varias species constituere, ait ad fundandum universale logicum non esse necessarium, quod natura possit multiplicari naturaliter, vel supernaturaliter, sed sufficere, quod obijciatur intellectui non particularizata, quia tunc habet non repugnantiam ad essendum in multis, unde postea concludit, opus non esse, quod communicabilitas, per quam constituitur universale, habeat fundamentum ex parte objecti, sed sufficit, quod habeat ex parte nostri, quatenus intellectus, demando naturam ad individuationem, illam concipit cum quadam communicabilitate, & hoc modo defendit naturam cujusque Angeli, etsi a parte rei numeraliter immultiplicabilem, fieri posse universale, si concipiatur sine individuatione; cui opinioni adherent etiam illi Thomistæ, qui concedunt, Angelos posse de potentia Dei absoluta in eadem specie multiplicari, quia dicunt facta etiam suppositione, quod nequeant multiplicari, posse adhuc naturam Angelicam fieri universale modo explicato a Cajet.

Communis sententia oppositum docet, sed non eadem via, nonnulli significant naturam, ut sit idoneum fundamentum universalitatis logicæ, esse debere actu multiplicatam, quod specialiter affirmant de genere respectu specierum, ut disp. seq. videbimus; alii fatentur quidem actuale multiplicationem necessariam non esse, contendunt tamen debere esse physice multiplicabile, id est per potentiam naturalem, ita Pavestius disp. 2. Met. c. 29. & Zimar. in annotationibus contra Jand. 3. Met. qu. 12. qui proinde negant incorruptibilia posse fieri universalis, quia non possunt multiplicari potentia physica. Alii demum docent sufficere, quod sit multiplicabilis per potentiam saltem supernaturalem, ita quod illi naturæ multiplicabilitas non repugnet, quia ratione dicunt naturam Solis universale fieri posse etiam si non existant, neque sint futuri plures Soles, ad hoc enim sufficit quod sint mere possibili, ita Themist. 1. Post. cap. 13. Philop. ibidem com. 22. & 23. Simpli. 1. Cæli com. 92. Algazel in Log. c. 3. Avic. 5. Met. c. 1. & in Log. c. de specie, Avenis 7. Met. 43. D. Th. lib. 1. de interpr. lect. 10. & opusc. 56. post medium, Scotus in 2. d. 3. qu. 7. & qu. 18. univers. Ant. And. cap. de genere, & sequuntur Recentiores passim Molin. 1. p. q. 50. ar. 4. Vasq. p. 1. disp. 181. c. 3. Suar. disp. 5. Met. lect. 2. n. 28. Amic. tr. 4. q. 2. dub. 5. Pasqual. in Met. disp. 12. tom. 2. Blanc. disp. 2. lect. 11. & alii.

75 Dicendum igitur est cum hac communi sententia ad fundandum universalitatem logicam, non quidem requiri, quod natura sit actu multiplicata in multis, imo nec necessarium esse, quod sit multiplicabilis naturaliter, sed bene necesse esse, quod sit multiplicabilis supernaturaliter saltem, ita quod nulla natura a parte rei imultiplicabilis potest esse universalis universalitate habente fundamentum in re, qualis est logica universalitas. Conclusio tres habet partes, & quoad omnes probatur, & quidem non esse necessariam actualem multiplicationem, omnes fere fatentur, & ex eo patet, quia alioquin natura Solis, Lunæ, Phœnicis &c. non posset concipi, ut universalis, quod est falsum, nam uno tantum existente individuo adhuc natura potest concipi ut indifferens ad plura; imo absolute loquendo neque unus individui necessaria est existentia, ut natura universalis dicatur, nam nullo homine existente, adhuc natura humana posset ab Angelo, ut universalis concipi, & ra-

tio est, quia quatuor saltem universalis, ut videbimus, non indigent existentia subjecti ad hoc, ut prædicentur.

76 Sed neque necessarium est, ut sit plurificabilis per potentiam physicam, & naturalem; tum quia eodem modo se habet natura quoad universalitatem, si multiplicetur in pluribus per unam potentiam verb. gr. naturalem, ac si per aliam scilicet supernaturalem, ut fuisse Pasqual. 1. cit. sec. 3. tum quia adhuc etiam natura Solis, & Lunæ non posset concipi, ut universalis, quia ab agente naturali plures Soles, & Lunæ produci queunt, unde halucinantur valde Pavest. & Zimar. dum hac ratione dixerunt incorruptibilia non posse fieri universalis, nam 1. Post. 12. ait Arist. errorem esse circa demonstrationem universalis, quando passio alicujus speciei, cujus est unum tantum singulare, de illo solo demonstratur, & omnes exponunt de Sole, & Luna. Tum quia assignari debet fundamentum adequatum omnibus naturis, quæ universalis fieri possunt, hæc autem esse nequit plurificabilis physica, quia ab agente naturali nec Sol, nec Luna multiplicari possunt, ergo tale fundamentum potius erit potentia logica, seu non repugnantia, ut a parte rei multiplicentur; & hinc colligi potest ratio a priori istius asserti; simplex non repugnantia ex natura rei orta ad plurificari est fundamentum universalitatis, quia eo ipso potest concipi sine contradictione, ut in pluribus existens, vel existere potens, sed huic non repugnantia, vel aptitudini non est opus, quod correspondeat potentia physica, sed sufficit quod saltem a Deo possit ad actum reduci, ergo &c. hoc innuit Doctor qu. 18. univers. in corpore, cum ait ad naturam genericam sufficere aptitudinem ad plurificari essentialiter; esto non habeat potentiam, quia hæc dicit ordinem ad actum ex viribus naturæ.

77 Hinc probatur ultima pars contra Cajet. & est ratio deducta ex Scot. cit. 2. disp. 3. quæst. 7. sub A. non repugnantia ad plurificari, & communicari est fundamentum universalitatis, sed natura de se immultiplicabilis talem non repugnantiam, vel aptitudinem habere nequit, nec etiam ab intellectu, ut excludatur responsio Cajet. ergo, &c. Prob. min. quia si a parte rei comperit natura talis repugnantia, ut sit in pluribus, certe ex sola cognitione intellectus non potest tolli talis repugnantia, & tribui aptitudo, alioquin & individuo, & naturæ divinæ posset applicari ratio universalis, ut ait Doct. cit. unde concludit hujusmodi conceptionem esse implicatorem, quia ratio intelligendi repugnat omnino suo objecto intellecto. Confr. quia universale debet esse unum in multis, ergo si datur natura, cujus unicuique tantum individuum sit possibile, implicat posse concipi, ut universalis, quia implicat posse concipi, ut una in multis. Quod adhuc magis declaratur, quia vel illa natura ut sic concipitur cum repugnantia ad esse in pluribus, vel sine tali repugnantia, sed potius cum aptitudine; sed utrumque implicat, primum quidem, quia tunc conciperetur universalitas simul cum repugnantia ad esse in pluribus, alterum vero, quia tunc natura in se repugnans ad pluralitatem conciperetur non repugnans, & apta ad talem pluralitatem, quod prorsus implicat, quia intellectus nequit tribuere rei, quod ejus essentia directe repugnat, non enim potest concipere hominem rudibilem, quia hoc attributum rationalitati repugnat, & si homini tribueret rudibilitatem, non amplius hominem, sed asinum conciperet; cum ergo natura Gabrielis sit essentialiter singularis, secundum Thomistam si intellectus tribuit ei universalitatem, quæ singularitati repugnat, non amplius Gabrielis naturam, sed aliud quiddam conciperet, & hæc rationes sunt ita convincentes, ut nullus quem viderimus, vel paucissimi, extra familiam Dominicanam hanc sententiam sustineant; & qui sunt ex familia S. Th. non eadem via gradiuntur, ut ostendant non repugnantiam.

Ferrar. 4. contra gentes c. 35. ait, naturam angelicam posse sine contradictione concipi, ut universale, quia licet illi repugnet esse in pluribus, ut talis species est, non tamen ei repugnat, ut species est, alioquin repugnarer omni speciei, & naturæ. Ridicula plane solutio, ut ait Didac. disp. 7. quæst. 5. quia eadem ratione homo dici posset irrationalis, quia licet hoc repugnet illi, in quantum tale animal, non tamen ei repugnat, in quantum animal absolute.

78 Complut. disp. 6. qu. 4. inquit ex nostro intelligendi modo procedere quod natura angelica possit sine contradictione concipi, ut universalis, cognoscimus enim pro statu isto angelicas naturas per species corporum, quæ non sunt actu intelligibilia, quousque intellectus agens denudet phantasmata a conditionibus individuandis, ex quo fit angelicas naturas non intelligi a nobis, secundum quod in se sunt intelligibiles, & secundum principia individualia earum, sed secundum nostrum intelligendi modum, qui est cognoscere naturam specificam præciam a conditionibus individuandis, quod si cognosceremus angelicam naturam, ut in se est, concedunt non posse tunc suscipere rationem universalis; & in hoc sensu intelligunt distinctionem illam Cajet. quod duplex est universale, aliud ex parte intellectus tantum, aliud ex parte rei, & intellectus simul, & inquit naturam imultiplicabilem fieri universale ex parte intellectus tantum, dum concipitur sine individuatione.

Sed

Sed hæc responsio passim rejicitur ad omnibus evidentem; tum quia licet intellectus naturas angelicas intelligat per similitudinem ad corporalia, adhuc tamen intelligit secundum prædicata, quæ eis non repugnant; tum quia alioquin non vere, sed falso eas intelligeremus, imo nec illa, sed alia quadam a nobis confecta cognosceremus; tum quia eadem ratione natura divina posset concipi, ut universalis, quia & ipsa pro statu isto intelligitur per species corporum. Nec sufficit ad hoc evitandum afferre discrimen, quod natura angelica componatur ex genere, & differentia, non sic divina. Quia universalitas, & prædicabilitas non oriuntur ex hujusmodi compositione, sed ex ordine ad plura inferiora, nam species subalterna, etiam si componatur ex genere, & differentia, non tamen, ut sic, est universalis, quia ut sic non comparatur ad inferiora, unde sola compositio ex genere, & differentia efficit quidem speciem subjicibilem, non tamen prædicabilem. Tum tandem quia ex hoc, quod ex nostro concipiendi modo apprehendatur, ut quid commune, & ab individuatione abstractum, non sequitur esse vere, & proprie universale, sed ita concipi, ac si esset universalis, quæ duo valde differunt, ut bene notat Arriag. disp. 7. nu. 45. Si dicas universale fieri per intellectum, & ideo si natura angelica concipitur ad modum universalis, vere, & proprie universalis erit. Contra, falsum est universale fieri adæquate per intellectum, quia suppositum in natura universalizata multiplicabilitatem a parte rei, velut fundamentum.

79 Respondent alii, quod licet in angelis non sit aliud, a quo fumatur species, & aliud a quo fumatur individuatione, quia per eandem entitatem simplicem habet angelus esse specificum, & individuale, hoc tamen non obest, quin eandem simplicem entitatem uno conceptu consideremus, ut constituit angelum in sua specie, & habet rationem differentie essentialis, & alio conceptu, ut individuat, habet rationem differentie numericæ; qua solutione etiam utuntur Complut. cit. Contra, quia licet Thomistæ possint hanc solutionem adhibere in naturis materialibus, ubi distinctionem saltem virtualem agnoscunt inter naturam, & differentiam individualem, non tamen in spiritualibus habet locum, quæ per eundem gradum secundum ipsos in utroque esse constituntur, vel si talis objectiva partitio per intellectum fieri potest in Angelis, sane etiam in ipsi natura non erit de se hæc, sed de se communicabilis, & a singularitate distincta, sicut decimus de aliis naturis creatis. Confr. quia ut docet S. Th. de ente, & essentia c. 4. ideo natura cum veritate concipitur universalis, & a singularitate præcinditur, quia non est de se singularis, sed aliquo modo saltem virtualem a singularitate distincta, ergo nisi talis distinctio etiam intercedat inter naturam angelicam, & individuationem, nunquam fieri poterit abstractio naturæ a singularitate, & sub universalitate concipi; vel eodem modo poterit quoque divina natura concipi sub universalitate: Hinc bene probat Hurt. disp. 5. sect. 3. non posse in hac sententia fieri talem naturæ abstractionem, quia hæc supponit distinctionem ejus ab hæcitate.

80 Respondent alii Thomistæ, quod licet natura angelica sit ex se determinata ad unum individuum reale, tamen adhuc manet indifferens ad plura ficta, & ideo concipi potest ut potentialis ad differentias individuales, & ut universalis, & in hoc sensu explicat Cajet. cum dicebat, talem naturam fore universale ex parte intellectus tantum. Sed hoc effugium etiam ab ipsi Thomistis rejicitur, ut inutile prorsus, quia species prædicatur essentialiter de suis inferioribus, sed natura angelica nequit essentialiter prædicari de Angelis confectis, quia natura realis nequit de entibus rationis quidditative prædicari; tum quia respicere plura ficta non est respicere plura, in quibus possit esse, sed potius in quibus repugnet esse, quia repugnat naturam realem constituere individua rationis; tum tandem quia eodem modo posset natura divina fieri universalis.

Respondent alii, tale universale non esse omnino fictum, quia esto non habeat fundamentum in re, & indifferens natura, fundatur saltem in nostro concipiendi modo, quo immaterialia per modum materialium concipimus, cum autem materialia plurificari possint per divisionem materiæ, quæ est principium individuationis; hinc fit, quod eo ipso, quod Angelus concipitur a nobis ad modum rei materialis, eo ipso ejus natura concipi potest, ut plurificabilis. Rejicitur etiam hoc effugium, tum ex confutatione secundæ solutionis; tum quia falso innitur fundamento, quod multiplicatio numerica proveniat ex divisione materiæ, quod diserte refutat Doctor 2. d. 3. q. 6. & 7. & nos in Met. tum quia ipso admisso, non sequitur intentum, quia etsi res spirituales concipiuntur ut materiales, non tamen est necesse, quod in omnibus assimilentur illis; tum tandem, quia etiam hæc via posset natura divina fieri universalis, quia & ipsam ex nostro imperfecto concipiendi modo intelligimus ad instar rei materialis.

81 Respondet tandem Jo: de S. Th. q. 8. a. 3. tale universale adhuc esse cum fundamento in re, quia licet re vera sub natura angelica nequeant esse plura individua, adhuc tamen concipi potest indifferens natura, & potentialitas ad unum individuum, talis, quod ex se sufficeret ad plura, si aliunde in re ponerentur, quia, ut ibi fusc explicat, re-

pugnantia ad pluralitatem non est ex principiis intrinsicis ipsius naturæ angelicæ, sed ex modo, quo ipsa individuatur, quia nimirum non individuatur per designationem materiæ, sed per carentiam illius, unde in resp. ad 1. princ. concedit, quod ex vi conceptus naturæ non sunt impossibilia plura individua in eadem specie Angelica; quare concludit, quod si concipiatur natura inadæquate, id est quantum ad rationem speciei, & non modus ipse individuandi naturam, non accipitur natura, ut repugnans multiplicationi individuo- rum, & consequenter ut habens plura individua possibiliter, licet positive non respiciat multa, non defectu sui, sed quia illa multa non sunt. Hæc solutio licet eidem falso innitatur fundamento, quod divisio materiæ sit origo multiplicationis numeralis, tamen concedit totum, quod in hac quæstione contendimus, quia concedit naturam angelicam non esse de se essentialiter singularem, & immultiplicabilem, sed ab extrinseco provenire, eo modo, quo dicit Philosophus, ut refert Scot. cit. q. 7. in fine, & qu. 18. univers. in sol. ad 3. de corporibus cælestibus, quod in una specie est unum tantum corpus, unus Sol, una Luna, non quia natura illa solaris sit ab intrinseco immultiplicabilis, sed ex defectu materiæ, quia tale corpus singulare fuit ex tota materia illius speciei compactum, non tantum actuali, sed etiam potenciali, quare sicut hæc ratio adhuc defenditur in sententia Philosophi corpora cælestia fieri posse universalis; sic etiam hæc via idem defendi potest de naturis angelicis; & hic dicendi modus fuit Soncin. cap. de specie, ubi ait species non necessario habere plura individua actu, quia natura dividitur in individua per materiam, possibile autem est totam materiam actuari per unam formam, ut patet de natura Solis, sed sufficit esse plura in potentia, vel aptitudine, ut species Angelorum, in quibus non possunt esse plura individua, cum careant materia, sunt tamen plura aptitudine, quia forma de se est apta pluribus communicari, licet contingat, quod non possit, quia tota perfectio ejus continetur in uno individuo; quod etiam significavit D. Thom. opusc. 48. de prædic. cap. 3.

82 In oppositum obiicitur 1. probando ad fundandum universalitatem logicam opus non esse, quod natura sit a parte rei multiplicabilis. Quia universalitas est relatio rationis, ergo illi sufficunt inferiora plura solum apprehensa per intellectum, etiam si alias sint impossibilia, nam relationi rationis sufficit pro termino aliquid rationis. Tum quia aptitudo essendi in multis conjunctim, ut est de ratione universalis, ac etiam prædicabilitas, non convenit naturæ a parte rei, sed ut est in intellectu, ergo non est attendenda conditio naturæ in se, sed quæ habet in intellectu. Tum 3. quia Arist. dicit corpora cælestia fieri posse universalis, & tamen in ejus sententia sunt per quamcumque potentiam immultiplicabilia, eo quia judicavit unumquodque illorum constare ex tota materia nedum actuali, sed etiam possibili in sua specie. Tum tandem, quia in entibus rationis, & chimeris, quæ omnino repugnant a parte rei, concipimus rationem universalis logicæ, nempe generis, & species, ergo, &c.

83 Resp. quod licet universalitas formaliter sumpta sit relatio rationis, tamen debet habere fundamentum in re; quia non potest intellectus vere applicare alicui intentionem universalitatis, nisi supposito in re fundamento, alias ita bene posset intentio speciei applicari naturæ genericæ, sicut specificæ, & intentio generis individuo, sicut naturæ genericæ, ut bene Rada notavit loc. cit. & universale respiciens plura ficta, ut supra dicebamus, non est proprie universale logicum, sed abusive, quia sic non est respicere plura; in quibus possit esse, & de quibus possit prædicari, sed potius in quibus esse non possit, de pluribus enim fictis non nisi fide prædicatur, at prædicationes universalis logicæ sunt veræ. Ad 2. esto aptitudo proxima ad essendum in multis conjunctim conveniat naturæ per intellectum, hæc tamen habet fundamentum in re, quod est non repugnantia, aut aptitudo remota ad essendum in multis disjunctim. Ad 3. poluit illa corpora immultiplicabilia, non ab intrinseco, sed ab extrinseco tantum, id est non quia forma, & natura eorum non sit alteri communicabilis, sed quia non est alia materia susceptiva talis formæ. Ad 4. sicut ens rationis dicitur ens in quantum concipitur ad modum veri entis, sic & in entibus rationis admittitur universale, quia sicut intellectus potest naturas reales ab inferioribus præscindere, & iterum ad inferiora comparare in ratione universalis logicæ, ita potest entia rationis, servata proportionem, præscindere a suis inferioribus; & sicut universale logicum fundatum in naturis realibus, dicitur proprie universale, quia respicit inferiora, saltem possibile a parte rei, sic universale fundatum in entibus rationis proportionaliter dici debet verum universale logicum, quia illa, de quibus ponitur prædicabile, sunt possibilis sub ipso in suo ordine, scilicet, per opus intellectus, & ideo non fictæ, sed vere prædicatur de illis; vide Fuent. q. 7. diff. 3. art. 2. ubi D. Th. & Cajet. interpretatur esse locutus de universali logico ficto, non autem proprie dicto, sed an sit affectus mentem illorum, judicent Thomistæ, ad quos attinet, alia argumenta Thomistarum ad hoc spectantia; vide disp. seq. q. 2. art. 3. contr. 1. Concl. 2.

84 Secundo obicitur e contra probando ad fundandam universalitatem opus esse multiplicatione actuali naturæ, & non sufficere possibilem; quia ut natura universalis fiat, indiget abstractione, at si individua a parte rei non existant, non esse in, ergo si natura a parte rei non est in multis, non poterit præcise prædicari de multis, nec consequenter fieri universalis. Tandem non quia natura aliqua est potens existere, ideo actu existit, ergo a simili, non quia aliqua natura est potens existere in pluribus, debet dici universalis in actu, sed tunc tantum, quando existit in illis.

Resp. ex dictis q. 2. a. 1. in fol. ad 1. ad ult. Conf. naturam abstrahi posse ab uno solo individuo existente, quod etiam non existeret, posset adhuc abstrahi a possibilibus, saltem ab intellectu angelico, qui a sensu non dependet in cognoscendo, & ideo neg. min. Ad 2. neg. Conf. quia universale ex dictis non constituitur per actum essendi in multis a parte rei, vel prædicandi de multis, sed per esse, aut saltem posse esse in multis per intellectum, quæ tamen multa a parte rei sint possibilis. Ad 3. negatur paritas, quia ut natura dicatur actu existens, utique non sufficit, quod sit possibilis intra causas, sed actu debet poni extra illa, sed ut actu universalis dicatur, non necessario requiritur existentia in multis, sed quod in illis existere possit.

85 Tertio obicitur probando ad fundandam universalitatem opus esse, quod natura sit physice, & naturaliter multiplicabilis, & non sufficere potentiam logicam. Tum ex definitione universalis; non enim dicitur, cui non repugnat, sed quod aptum est esse in multis, ergo non sufficit non repugnantia, sed requiritur potentia positiva naturalis. Tum 2. quia Arist. definit universale secundum illam potentiam naturæ, quam ipse cognovit, sed non cognovit nisi potentiam physicam, ergo, &c. Tum 3. quia secundum Arist. omni potentia passiva naturali correspondet activa naturalis, alioquin videretur potentia passiva esse frustra in natura, si per nihil in natura posset reduci ad actum, ut colligitur ex 3. de Anim. text. 18.

Resp. ly *aptum naturæ* significare, quod natura ex principiis suis intrinsicis esse potest in multis, sive id explicite positive per aptitudinem, sive negative tantum per non repugnantiam, at quocumque modo explicite, certum est hoc non significare tantum potentiam physicam, sed logicam quoque, quia contingere potest, ut aliqua natura possit esse in pluribus ex se, sed aliunde sit impedimentum, ut constat de naturis colorum in sententia Arist. Ad 2. definitur Arist. universale secundum utramque potentiam, quas promissive significavit in verbo *aptum naturæ*, & falsum est, Philosophum non agnovisse potentiam logicam in rebus, multa enim cognovit non implicare, quæ tamen videbat virtute agentium naturalium fieri non posse, quod aperte colligitur ex 2. de Anim. 41. ubi ait ignem habere augmentum in infinitum, quoadvisque fuerit combustibile, hoc autem non est impossibile virtute naturalium agentium, quia naturaliter non est combustibile in infinitum; & etiam 6. Phys. docet continuum esse in infinitum divisibile, & tamen continui divisio non potest per agens naturale in infinitum protrahi. Ad 3. Doct. quæst. 1. Prolog. §. *ad argumenta*, & 4. disp. 43. quæst. 3. ad 1. & disp. 49. qu. 11. Resp. negat illam proportionem esse universaliter veram etiam secundum Arist. quia in corpore datur potentia passiva naturalis ad animam recipiendam, & tamen tota natura creata non potest eam inducere; ne igitur illa potentia passiva naturalis dicatur frustra, sufficit, ut respondeat activa in natura, id est in tota coordinatione entium, ait Doctor, puta agens supernaturale, per quod possit reduci ad actum.

86 Alterum dubium dissolvendum ad hoc quæsitum pertinens est, Num omnes adhuc naturæ præfate modo multiplicabiles possint fundare intentionem universalitatis? Negant Albert. tract. 2. prædic. cap. 8. Sonc. 7. Met. q. 39. Cajet. in Log. cap. de genere. Tolet. quæst. de specie ad 3. contententes solas naturas directe in prædicamento reponibiles posse fieri universale, unde consequenter excludunt omnia prædicata transcendentia, quæ sunt super ipsa prædicamenta, & quidem Arist. 1. Ethic. c. 6. & 4. Met. 6. ita significat, dum ait, ens, unum, & bonum non esse universalis, quod etiam sensit Tatar. quæst. ult. prædicab. dub. 1. & Doctor ipse sentire videtur quæst. 11. univers. in fine. Excludunt etiam naturas incompletas, & partiales, ut materiam, formam, & similes, quæ non directa per se, sed tantum per reductionem ad totum in prædicamento reponuntur, & Scot. favere videtur 2. disp. 1. q. 6. §. *Dico zunc*, dum inquit, quod Angelus, & anima distinguuntur specie, non quidem sicut due species, sed sicut species, & pars speciei, quia anima non est proprie species, sed pars speciei.

87 Verum opposita sententia, quod in quocumque genere ex enumeratis entibus possit reperiri universale est communior, & probabilior, proculdubio est de mente Doctoris; nam quoad transcendentia quamvis in 1. disp. 3. q. 3. §. *Contra istam univocationem*, & d. 8. q. 3. S. & T. negat ens esse genus, non tamen negat esse universale, imo cum ibi omnibus transcendentibus univocationem tribuat, & univoce inferioribus convenire affirmet, clare significavit esse prædicata universalis; quod etiam clare significavit

Arist. 3. Met. tex. 10. dum ait ens, & unum esse maxime universalis. Quo autem ad partes physicas, & entia incompleta id ipsum clarius significavit 2. disp. 3. q. 6. §. *Ad questionem quintam præcedentem*, dum inquit, *quicquid est natura in quocumque genere totalis, vel partialis, non est de se hoc*, omnis autem natura, quæ non est de se hoc, potest fundare universalitatem, unde etiam qu. 7. sub A. ait in universum, quod, *quælibet quidditas creatura potest intelligi sub ratione universalis absque contradictione*, & probatur evidenti ratione, nam formalitas universalis in eo consistit, quod sit unum, & ordinetur ad plura, in quibus esse possit per multiplicationem, & de ipsis prædicari, ergo naturæ omnes etiam incompletæ, & transcendentibus possunt fundare universalitatem, ratio est, quia singulæ istæ naturæ habent unitatem essentia, & reperiuntur in pluribus, vel saltem reperiri possunt cum tali unitate, & de illis prædicari, ut superius de inferiori, ergo &c. Conf. quia ens, materia, & forma, si secundum propriam naturam considerentur, non sunt quid singulare, sed sunt multiplicabilia, imo multiplicata secundum numerum, servando unitatem naturæ in singulis inferioribus, ergo &c. Tandem plures formæ, plures materiæ, & plura entia, si invicem conferantur, non minus conveniunt in ratione formæ, materiæ, ac entis, ut Doct. ostendit loc. c. quam plures homines in ratione humanitatis, & equi in ratione equitatis, nec minus feceruntur propriis differentiis, ergo ratio formalis universalis servari potest in omnibus naturis plurificabilibus tam completis, quam incompletis, tam limitatis, quam transcendentibus, quia quod aliqua natura sit apta fundare universalitatem, non oritur ex ejus complemento, neque ex ejus limitatione, sed præcise ex ejus multiplicabilitate in plura ejusdem rationis; omnes autem præfate naturæ sunt hoc modo æque plurificabiles, ut homo in plures homines, ens in plura entia, materia in plures individuas materias, de quibus prædicatur, anima in vegetativam, sensitivam, & rationalem, & hæc rursus in plures numeraliter differentes, dicuntur autem hæc universalis incompleta, non quidem formaliter, quia habent omnia ad universalitatem requisita, & eodem modo respicit inferiora ens incompletum, ac completum, sed materialiter tantum, quatenus naturæ fundantes universalitatem sunt partiales, & incompletæ.

88 Quamvis autem in his omnibus fundari possit vera ratio universalis, adhuc tamen poterit universale distinguere, & variari juxta diversitatem naturarum, in quibus fundatur, ita sane distinxerunt Mayr. pars. 1. sup. univ. Meur. q. 6. uni. art. 2. Ant. And. fin. prædicab. & alii quamplures ex nostris universale in transcendentale, & prædicamentale, & inquit Ant. And. Porph. non enumerasse omnia universalis, sed limitata tantum, & prædicamentalia, quia agit de illis in ordine ad categorias, ubi ponuntur solum naturæ limitata, & ideo loquitur de illis universalibus, quæ aliquo modo inveniuntur in ordine prædicamentali, quæ sunt illa quinque, sed præter ista (ait Ant. And.) est aliquod universale transcendentis, imo multa transcendentia; ex quo patet, quomodo intelligendus sit Arist. & Scot. dum inveniunt, ens unum, & bonum non esse universalis, negant enim esse universalis, sicut sunt ista quinque, non autem absolute. Sic etiam ex parte fundamenti distinguendum erit universale in completum, & incompletum juxta diversitatem naturarum, in quibus fundatur; & quando Scotus negat loc. cit. animam non esse proprie speciem, loquitur comparative, quia natura incompleta, & partialis deteriori modo fundat rationem universalis, quam completa, atque ita deficit a ratione speciei propriæ, non ratione universalitatis formalis, quæ æque bene servatur in natura tam completa, quam incompleta, sed ratione fundamenti; quem dicendi modum sequuntur Averfa qu. 8. sect. 4. Pasqual. cit. disp. 13. & alii quamplures.

89 Adhuc autem pro universali prædicamentali, de quo deinceps locuturi sumus, notandum est ex Tromb. 7. Met. q. 8. ar. 1. quod universalitas non attribuitur naturæ limitatæ uniformiter, nam intra limitationem ipsam naturæ est quædam latitudo, nam secundum majorem, & minorem convenientiam in rationibus formalibus contentis in individuis repertam, intellectus attribuit aliam, & aliam rationem universalis ipsis naturis, unde quia intellectus non percipit tantam convenientiam individuorum, vel specierum ejusdem generis, quantum percipit in individuis ejusdem speciei, ideo naturæ animalis, v. g. attribuit secundum intentionem universalitatis, quæ est genus, & quia majorem reperit in individuis ejusdem speciei, attribuit naturæ, verb. gr. humanæ intentionem universalitatis, quæ est species, & sic gradatim procedendum in tota linea prædicamentali.

Quæres, an etiam privationes, & negationes valeant fundare universalitatem. Negant Conimbr. hic q. 2. ar. 1. ex D. Th. 1. 2. q. 72. ar. 6. ubi negat peccatum ex parte averfionis non habere speciem, & quidem Arist. 4. Top. 67. ait non entis nullas omnino esse species, unde colligunt ad rationem universalis requiri pro fundamento entitatem positivam, quæ per differentiam sit contrahibilis ad constituendam naturam inferiorem, Scotus tamen quolib. 18. §. *Ex isto sequuntur*, concedit negationes, & privationes posse suo modo denominari a notionibus generis, & speciei, & ideo

& ideo peccata etiam ex parte averfionis specie distinguuntur, & 1. d. 23. G. ait posse ab hac, & illa negatione abstrahi conceptum commune negationis in communi, non mere analogum, aut ajunt Conimbr. sed vere univocum, cum ab inferioribus secundum eandem rationem participetur, ut constat de conceptu privationis in communi ad cæcitatem, & surditatem, & notio generis afficiens negationem in communi erit ejusdem speciei cum illa, quæ denominat naturam realem positivam, quia eundem specie habet effectum formalem; & hoc totum fundatur in eo, quod nos denegationibus, & privationibus discurrimus cum proportionem ad formas, quibus opponuntur. Verum tamen est, non ita proprie fundare universalitatem, ut entia positiva, & hoc voluit Arist. & D. Thom. cit. ut Blanc. notavit disp. 3. sect. 16.

Q U Æ S T I O V.

An universale recte, ac sufficienter in quinque universalibus dividatur, seu prædicabilia.

90 Divisit Porph. in sua Isagoge Universale in genus, speciem, differentiam, proprium, & accidens, & quidem ut constat ex dictis in fine q. præc. certum est, non divisisse universale in tota sua amplitudine inspectum, sed tantum universale limitatum, & prædicamentale; verum tamen est, sub hac divisione universalis prædicamentalis comprehendisse non tantum illa, quæ directe in prædicamento reponuntur, sed etiam quæ per reductionem, & a latere, differentia enim non ponuntur in recto; sed a latere, & proprium reductive ponitur in prædicamento sui subiecti, sicut & nonnulla accidentia communia imperfecta. Quaritur ergo, an hæc divisio universalis prædicamentalis sit recte, & sufficienter tradita, & supponitur contra nonnullos prædicabile de pluribus, & universale æque late patere, cum unam sit proprietatem alterius, sicut æque patentibile, & rationale, quod est adeo certum ex dictis, ut probatione non indigeat, unde miramur, quod Pasqualig. disp. 12. id concedat, postea disp. 25. asserat quinque quidem esse prædicabilia, sed universalis tantum duo, scilicet genus, & speciem, quod tenet quoque Camer. d. 7. Logica.

91 Quamvis autem hæc divisio famosa sit, & passim recepta a classicis Auctoribus, & Expositoribus, Arabibus, & Latinis, Avicen. 1. p. sup. Log. c. 6. Albert. tr. 2. prædicab. c. 9. D. Th. opusc. 48. c. 1. Scot. q. 12. univers. & 1. d. 8. q. 3. sub S. item Alex. & Suesan. 1. Topic. c. 3. & 4. Buridan. in intro. tr. prædicab. ubi Egid. & alii Latini, quibus subscribit Recentiorum torrens. Non desuere tamen, & quidem magni nominis Auctores, qui ab hac divisione recesserunt, alii augendo, alii e contra minuendo præfatum numerum. Græci namque potiores tantum universalis, quæ de rebus essentialiter prædicantur, & inter hæc ea præferunt, quæ prædicantur in quid, ut genus, & speciem, agnovisse videntur, pro qua sententia citantur Dexippus in prædicam. c. 24. Boetius ibidem com. 6. Simplic. ibidem com. 9. & Porph. ipse ibi interrog. 35. Ammon. in antepædic. c. 3. & ex Arab. Averr. ibi; postremo adducunt Arist. quem ajunt nullibi omnia illa tanquam universalis enumerasse, quin potius sub hoc nomine universalium non nisi genera, & species proposuisse, ut constat ex frequenti disputatione, quam instituit contra Platonis Ideas, & 1. de partib. anim. c. 5. Fundamentum vero præcipuum hujus opinionis est, quia ut constat ex dictis hinc inde potissima conditio universalis est, ut sit prædicatum univocum, at univoca essentialiter dicuntur de suis subiectibus, ut constat ex eorum definitione in antepædic. data c. 1. & 2. Topic. c. 2. unde consequenter c. de substant. negat Arist. accidentia de subiecto univoce dici, quia non prædicantur essentialiter, & in antepædic. c. 2. distinguit esse in subiecto, & dici de subiecto, atque de subiecto dici hominem de hoc homine, in subiecto autem esse, scientiam in anima, albedinem in corpore, solum ergo prædicata essentialia proprie dicuntur de subiecto, & consequenter ipsa sola sunt universalis. Suffragatur etiam huic sententiæ communis modus loquendi de universalibus, quando enim universale dicitur contrahi per differentias, quæ do dicitur potestatem continere sua inferiora, quando universale dicitur superius respectu inferiorum, non nisi de naturis, quæ essentialiter dicuntur, scilicet generibus, & speciebus, proferuntur, his rationibus convictis Averfa q. 8. sect. 6. quamvis non rejiciat prorsus divisionem, & acceptionem universalis a Porph. allatam, ait tamen non esse ex Arist. desumptam, sed noviter excogitatam, ac proinde aliam acceptionem universalis pro eo, quod prædicatur in quid, & essentialiter, esse magis periphrasticam, & etiam magis utilem. Hanc opinionem sequitur etiam Pasqualig. cit. sed ne a communi recedere videatur, distinguit universale a prædicabili, quinque concedens prædicabilia, sed duo universalis, & sequitur Camer. cit.

92 Alii vero Recentiores ex adverso numerum prædicabilium auxerunt, unde Cajet. c. de specie addidit indivitro, & Paulo, & cæteris, addidit etiam definitionem, ut animal rationale, quia pariter, & ipsa potest dici de plu-

ribus. Quidam etiam Theologi addunt ex mysterio Incarnationis textum prædicabile, quo natura substantialis assumpta dicitur de persona affumante, qua ratione vocatur hoc prædicabile assumptivum, vere enim dicimus, Deus est homo, Filius Dei est homo, & postea etiam hoc prædicatum dici de pluribus, si Pater, & Spiritus Sanctus aliam, & aliam humanitatem assumerent. Neque videtur hic prædicandi modus ad aliquem illorum quinque posse reduci; non enim hæc prædicatio est in quid, & essentialis, quia non est superioris de inferiori, & prædicatum ita convenit subiecto, ut possit adesse, & abesse præter ejus corruptionem; neque est accidentaliter, quia prædicatum dicitur substantivum de subiecto, & humanitas constituit unum substantiale cum persona affumante, & hac ratione rursus Averfa cit. convictus inquit, quod si quantum prædicabile accipiatur pro eo, quod dicitur in quale, & mere accidentaliter, addendum esse sextum prædicabile, non ex Philofofia, sed ex doctrina fidei cognitum, & hunc dicendi modum jam pridem significavit Bassol. 3. d. 7. q. 1. imo Doctor ipse ibidem §. *Quarto videndum*.

93 Dicendum tamen est cum communi, præfatum divisionem exactam esse, & adæquatam, utpote, quæ exhaustit omnem rationem prædicabilitatis; ut hanc conclusionem probemus, supponendum est hic non dividi universale pro materiali, nempe ratione naturæ, quæ universalitati subternitur, sic enim utique non foret adæquata divisio, quis enim non videt, quanta sit copia, & varietas naturarum, quæ universalitatem fundare possunt? Sed dividitur universale pro formali, scilicet, ratione universalitatis, & prædicabilitatis, unde ad probandam sufficientiam illius divisionis sumenda est sufficientia cum Doctore cit. q. 12. univers. ex parte universalitatis, & prædicabilitatis, ut quot sunt modi diversi universalitatis, & prædicabilitatis, totidem sint universalis, & prædicabilia.

Primo igitur ex parte universalitatis sic sumitur, natura universalis vel est in multis essentialiter, vel accidentaliter: si essentialiter; vel tanquam tota essentia, & hæc est species, quæ proinde dicitur tota quidditas individuorum, ut docet Doct. 2. d. 3. q. 6. §. *Ad argumenta*, quia hæc accidentes pertinent ad esse materiale, & integritatem individui, non ad esse formale, & quidditatem, vel tanquam pars essentia, & hoc dupliciter, vel tanquam pars materialis, & contrahibilis, & hoc est genus, vel tanquam pars formalis, & contractiva, & hæc est differentia, quæ respicit genus, velut forma actiua, ac determinans illud; si vero natura universalis pluribus inest accidentaliter, vel oritur, & promanat ab essentia rei, & sic est proprium, vel provenit mere ab extrinseco absque necessaria connexionem, vel dependentiam ab essentia, & hoc est accidens. Quia vero ex universalitate oritur prædicabilitas, & eo ipso, quod unum est in multis, est prædicabile de illis, ideo ex sufficientia jam assignata ex parte universalitatis sumitur sufficientia ex parte prædicabilitatis, quam præcipue assignat Doct. cit. quia ut diximus q. 2. art. 2. in solut. ad arg. Porph. hic considerat universale præsertim sub ratione prædicabilis, sumitur autem sic, ut innuimus q. 1. Infit. tr. 1. c. 5. omne, quod prædicatur, vel prædicatur in quid, vel in quale; si in quid, vel dicit totam essentiam, & sic est species, si partem, & sic est genus, si prædicatur in quale, vel prædicatur in quale essentialiter, & sic est differentia, vel in quale accidentale, & hoc dupliciter, quia vel prædicatur accidens convertibile egrediens a principis subiecti, & sic est proprium, vel accidens commune, & sic est ultimum universale; hæc est sufficientia divisio universalium, quam asserit Scotus loc. c. aliis quibusdam refutatis, & amplectuntur communi consensu Recentiores, ubi etiam explicat, quod prædicari in quid est prædicari essentialiter per modum substantis, prædicari autem in quale est prædicari per modum denominantis.

94 Hac eadem sufficientia desumpta ex parte prædicabilitatis utuntur ex nostris quamplures, sed inepte, eo quia in quibusdam combinationibus deficiunt; colligunt enim sic, omne, quod prædicatur, vel prædicatur in quid, vel in quale; si in quid, vel de pluribus differentibus specie, & est genus, vel de pluribus differentibus numero, & est species: si in quale, vel essentialiter, & est differentia, vel accidentaliter, & hoc dupliciter, vel convertibiliter, & sic est proprium, vel inconvertibiliter, & sic est accidens. Hic colligendi modus in duplici combinatione deficit, primo in ea, quæ distinguit genus a specie præcise per prædicari de pluribus differentibus specie, vel numero, si enim hæc sola differentia sufficeret ad ita distinguendum genus a specie, ut duo universalis constituerent, eadem ratione differentia generica, & specifica, proprium genericum, & specificum distincta prædicabilia constituerent, ut bene deducit Tatar. q. de differ. dub. 1. deficit etiam in ea combinatione, qua distinguit proprium ab accidentali essentialiter in ratione universalium per prædicari convertibiliter, & inconvertibiliter, quia ut innuimus 1. p. Infit. loc. cit. prorsus repugnat universalis sub ratione universalis prædicari de inferioribus convertibiliter; ratio est, quia apud omnes est in confesso universale esse prius suo inferiori ea prioritate, a qua non convertitur subsistendi consequentia, ex post prædic. c. de priori. Et quidem Doctor loc. cit. licet proprium appellat

accidens convertibile, non tamen illud distinguit ab accidentibus communi in ratione universalis per prædicari convertibiliter, sed per hoc, quod est prædicatum proveniens ex propriis principis, subiecti, ac proinde habens necessariam connexionem cum eo, accidens vero commune ex extraneis, & communibus, ut constat intuitu textum, in quo puncto Scotiæ quamplures hallucinati sunt. At respondet nonnullis universalis ad inferiora posse dupliciter comparari, vel ad omnia collectivè sumpta, vel ad singula seorsim, licet secundo modo universale magis pateat, & majoris longe amplitudinis sit singularibus, primo tamen modo non est magis commune, & hoc sensu potest de illis convertibiliter prædicari; Hæc solutio i. p. Inst. loc. cit. rejecta est, quia terminus communis, & universalis est ille, qui de inferioribus prædicari debet non tantum collectivè, sed etiam divisim, hoc est de omnibus, & singulis, esto igitur, quod ex ea parte, qua de omnibus simul est prædicabile, posset convertibiliter prædicari, repugnat tamen sic prædicari ex ea parte, qua est de illis divisim prædicabile.

95 Sed in hanc communem sufficientiam invehitur Averfa q. 10. sect. 1. & Torrejon disp. un. de comp. prædic. qu. 1. Species non est tota essentia individuum, & vere se habet in individuo per modum partis materialis respectu differentia individualis, sicut realitas generis in specie, ergo non bene distinguuntur prima duo prædicabilia per hoc, quod species dicit totam essentiam suorum inferiorum, genus vero partem: probatur assumptum, quia etiam species contrahitur ad individua per differentias individuales, & differentia individualis est gradus essentialis, & intrinsecus individuo. Confr. si species ideo complete prædicatur in quid de suis inferioribus, quia dicit totam naturam communem illorum, ergo eadem ratione genus complete prædicabitur in quid de suis speciebus, quia dicit totam naturam communem earum. Rursus ratio universalis sumi debet in ordine ad illa plura, respectu quorum est universalis, & ex modo essendi naturæ in ipsis multis, sed esto differentia respectu generis, quod contrahit, sive respectu speciei, quam cum genere constituit, se habeat tanquam pars formalis, & contrahens, tum si comparatur ad inferiora, respectu quorum est universalis, se habeat tanquam pars materialis, non minus, quam ipsum genus, ergo non bene distinguitur genus a differentia, quod hoc prædicatur in quid, & per modum partis materialis, differentia vero in quale, & per modum partis formalis; major patet, min. Prob. tum quia differentia superior se habeat veluti pars determinabilis per superiores differentias; tum quia quando genus subalternum contrahitur per differentias inferiores, totum, quod est in ipso genere, etiam differentia constitutiva ejus, subit talem determinationem, & contractionem per modum partis materialis.

96 Mirum est sane, quomodo præsertim Averfa audeat hanc sufficientiam recitare, cum eam libenter receperit, quatenus sumi solet ex parte universalitatis, q. 8. sect. 16. ubi etiam cum communi pleno ore fatetur, speciem dicere totam individuum essentiam. Ad primum verum est, naturam specificam contrahi per gradum individualem, hic tamen gradus, licet spectet ad integritatem entitatis individui, non tamen spectare dicitur ad ejus quidditatem, alioquin, ut ait Doctor hic, individua inter se essentialiter differunt. Ratio hujus est, quia essentia, & quidditas est illa, per quam respondetur ad quæstionem *quid est*, & ad hanc de individuis motam respondetur per naturam specificam, si enim quærat quid est Petrus respondetur est homo; at per differentiam individualem respondetur solum ad quæstionem *quis est*, nam si quærat, quis est ille? respondetur est Petrus, in quomodo species dicit totam scientiam individui, licet non totam entitatem, genus autem non ita se habeat respectu specierum, si enim quærat, quod est homo? non sufficit dicere, est animal, sed addere debemus *rationale*, ut adequate illius essentia explicetur, & ideo negatur paritas in argumento assumpta de genere, & specie respectu suorum inferiorum. Ad Conf. patet per idem, ideo speciem prædicari complete in quid de suis inferioribus, quia per eam fatissit quæsitio in quid factio de illis adæquate seclusa differentia individuali, quo quidem modo per genus non fatissit quæsitio factio in quid de speciebus seclusa differentia specifica. Ad ult. neg. min. quia differentia formaliter non dicitur, nisi divisiva generis, & constitutiva speciei, nec formaliter dici potest contrahibilis per differentias ultiores, quia de sua ratione formali est quidam actus simplex, & perfectivus, non perfectibilis, ut notant Complut. disp. 4. q. 6. n. 54. sed tantum in sensu identico, & materialiter, quatenus scilicet genus, cui identificatur, contrahitur, & determinatur per illas, & in hoc sensu dicitur differentia generica, sicut igitur risibile v. g. eundem modum prædicandi, quem exercet in ordine ad subiectum immediatum scilicet hominem, exercet etiam in ordine ad subiecta mediata, scilicet hunc & illum hominem; sic etiam de differentia dicendum est, quod eundem modum prædicandi, quem exercet in ordine ad subiectum immediatum, scilicet speciem, quam constituit, exercet etiam in ordine ad subiecta mediata, scilicet ad inferiora illius speciei, ita ut sicut de specie prædicatur per modum partis for-

malis immediate, sic etiam de inferioribus illius speciei mediate, ut dicemus dif. seq. q. 3. art. ult.

97 Secundo principaliter probatur sufficientia illius divisionis excludendo alias opiniones eam minuentes, vel augentes, & in primis excluditur, quæ illam minuebat, non nisi universalis essentialia agnoscendo, quia ut diximus ex Scoto, & communi Scotistarum disp. 2. q. 4. art. 2. & q. 6. art. 3. multum interest esse prædicatum univocum, & univoce prædicari, seu quidditative, nam ad prædicationem univocam sufficit, si prædicetur una ratio præcisa, sive essentialis sit, sive accidentaria illis, de quibus prædicatur, quæ acceptio univoce prædicationis non est voluntaria, quia ut testatur Simpli. in reg. *quando alterum de altero prædicatur*, fuit Andronici, & aliorum antiquorum; quamvis ergo sit de ratione universalis, ut prædicetur secundum unam rationem præcisam, ut ex ejus definitione colligitur, ubi dicitur esse id, quod prædicatur, ut unum, non tamen opus est, quod etiam prædicetur essentialiter, & quidditative, quia cum nihil tale explicetur in ea, & prædicatio univoce abstrahat ab essentiali, & denominativa, plane in hoc sensu præcise stabit, *prædicari ut unum*, in definitione universalis, quia quando datur ratio aliqua communis pluribus, nomen significans illa, ut conveniunt in illo communi, primo significat illud commune. Conf. ut aliqua natura sit de pluribus prædicabilis, non est opus, quod prædicetur essentialiter de illis, ergo neque ut sit universalis. Conseq. patet, quia esse commune tale, quod sit prædicabile de illis multis, quibus est commune, est esse universale, nec ulterius requiritur, quod prædicetur in quid, ut constat ex ejus definitione: probatur assumptum, quia etiam si natura sit accidens, tamen si consideratur, ut ab intellectu abstrahitur, & comparatur ad plura subiecta in concreto, est prædicabilis de illis subiectis. An vero opinio illa fuerit re vera Græcorum supra relatorum, Amic. tr. 10. q. 1. art. 4. negat, & eorum testimonia partim explicat, partim ait non esse fideliter relata, aut non inveniri, sed quicquid sit de Græcis, certum est Arist. ejus opinionis non fuisse, quia Porp. in præc. Magoges proponit tractare de illis quinque secundum Arist. sententiam, & Arist. ipse 2. Post. text. 8. sic loquitur, *universale namque est prædicatum id, quod monstratur*, sed quod monstratur, est proprium, ergo & c. in antepædicam. vero, dum c. 1. definit univoca, quod essentialiter dicantur de inferioribus, accipit univoca preste, ut distinguat contra denominativa, ut loc. cit. advertimus, esto illa definitio absolute loquendo, etiam prædicatis accidentalibus possit applicari, ut ibi diximus; cap. autem 2. non est mirum, si excludit accidens, & proprium a dici de subiecto, cum etiam excludat differentiam, quam tamen univoce prædicari postea docet cap. de sub. hæc igitur universalis excludit a dici de, quia accipit ibi universale pro eo, quod dicitur de proprie inferioribus, & penitur in recta linea prædicamentali; quia ut ibi Expositores advertunt, hæc erat ejus intentio, investigare nimirum naturas, quæ in recta linea poni debebant, hæc autem sunt genera, & species; præsertim vero dum disputat contra Platonem, specierum, & generum solummodo meminit, quia Plato non nisi illa agnoscebat, volebat enim universalis esse de essentia particularium, unde Arist. disp. de illis juxta subiectam materiam; Denique communis loquendi modus frequentius memorat universalis essentialia genera, & species, quia hæc dicuntur de proprie inferioribus, alia vero de subiectis, aut quasi subiectis, unde factum est, ut universale in communi principaliter dicatur de illis quam de istis, unde quia analogatum stat semper pro principali, hinc est, quod per universalis absolute intelliguntur universalis respectu inferiorum scilicet genera, & species; ex hoc tamen non sequitur, quin etiam dari debeant universalis respectu subiectorum; cum talis universalis formaliter sit diversa ab illa, tantum quia hæc insunt accidentaliter illis, de quibus prædicantur, illa essentialiter; tum quia si variatur prædicabilitas ex ordine ad inferiora, & subiecta, variari quoque debet universalitas, cum illa sit illius passio. Nec valet, quod ait Pasqual. non quancunque prædicabilitatem esse passionem, sed illam tantum, quæ est de inferioribus. Nam prædicabilitas de multis absolute est passio, sive illa sint inferiora, sive subiecta naturæ prædicabilis.

98 Tertio, neque debet e contra augeri numerus, universalium ratione definitionis, quasi sit aliud universale diversum, non quia sit terminus complexus, ideoque universale esse non posse, ut multi respondent; tum quia potest dici terminus incomplexus, si extra propositionem sumatur, ut dictum est d. 1. q. 2. art. 1. tum quia non videtur necesse terminum complexum a ratione universalis excludere, quia prædicabilia designare possumus tam per incomplexos, quam per complexos terminos, ita enim dicere possumus, quod homo est discursivus, vel risibilis, ac quod est aptus ridere, aptus discurre, quia idem profus prædicatum important, tam sub complexione, quam sub incomplexione; Ait igitur Doctor q. 12. univ. ad 1. & qu. 21. ad 5. definitionem non constituere distinctum prædicabile ab aliis, quia non habet unum prædicandi modum, scilicet in quid, vel in quale, sed ob genus, & differentiam, quas continet, duplici quasi modo prædicatur. Nec dicas ita quoque de spe-

de specie fore dicendum, quia & ipsa constat ex genere, & differentia. Nam species non dicit genus, & speciem separata, & singillatim sumpta, aut definitio, quæ singula dividit i. Phys. text. 5. sed totum metaphysicum ex illis resultans, quod sicut formaliter distinctum est a suis partibus, ita distinctum habet modum prædicandi ab illis. Vide Brasavol. q. 12. ubi bene recitat solutionem Maurrii ad hanc instantiam, & declarat quomodo nostra solutio valeat, etiam si teneatur definitionem dicere tertiam entitatem, ut definitum. Vel demum, inquit Scotus, si definitio constituit universale, sane distinctum non erit a prædicabili, quod constituit definitum, quia habebit eundem modum prædicandi, quod habet definitum respectu inferiorum; quas solutiones amplectitur Pasq. disp. 24. to. 2. Met. sect. 4. n. 4.

99 Quarto hæc eadem ratione negant quamplures individuum vagum numerum augere prædicabilem, quia non habet unum simplicem modum prædicandi, sed prædicatur in quid, & in quale; in quid, quatenus dicit naturam; in quale, quatenus dicit modum individuationis, qui extra conceptum naturæ est, & a conditionibus accidentalibus dependet, quæ pertinent ad hic, & nunc, & ita non reducitur ad unum tantum prædicabile, sed ad plura, scilicet accidentale, & essentialia, quæ responso non profus displicet; Sed ut homo dubium tollatur, dicendum est; ly *quidam* aut *aliquis* homo posse dupliciter sumi, vel pro conceptu communi individui absolute sumpti, quod dicitur de hoc, & illo individuo, & de individuo sic absolute sumpto differens inferius disp. seq. non enim certum est ab individuo, ut talia sunt, posse abstrahi unum talem communem conceptum, qui sit univocus, cum in ratione individuationis sint primo diversa, vel sumi potest, & importat aliud particulare, & non commune omnibus individuis, indeterminatum tamen, qua ratione dicitur individuum vagum, ut fecerat a certo, ac determinato; & sic non est aliud universale, quia non importat quid unum commune pluribus, sed immediate singularia ipsa sub disjunctione, unde tantum valet *Petrus est aliquis homo*, quantum si diceret, *Petrus est hic, vel ille homo, &c.* Hujus rei signum est, inquit Summulistæ, quod individuum vago nullum apponi potest signum particularitatis, aut universalitatis, non enim dicimus *omnis quidam homo, aliquis quidam homo*, quæ tamen signa passim opponuntur termino communi, dicendo *omnis homo, nullum animal, aliquod individuum, ergo individuum vagum non est terminus communis, sed potius particularis sub disjunctione sumptus*, ut diximus i. p. Inst. tr. 1. c. 2. ratione cujus indeterminatio potest per prædicationem applicari ad hoc, vel illud individuum, & in hoc sensu dicitur prædicabile de pluribus; Quod confirm. etiam ex Arist. qui cap. de subit. exemplificando de prima substantia, inquit, ut aliquis homo, aliquis equus; signum evidens, individuum vagum non importare aliud commune, & universale; alioquin illud posuisset secundam, & non primam substantiam, & hæc solutio, quæ cæteris præstat, est Scoti quæst. 12. prædicam. & 1. d. 25. q. un. §. *Respondet*, quam multi amplectuntur, præsertim Averfa cit. quæst. 8. sect. 16. & Pasqual. loc. cit. sect. 3. ubi ex professo omnes alias refutat solutiones, quæ soleat ad hoc dubium afferri.

100 Quinto tandem neque ex Mysterio Incarnationis introducendum est a Theologis sextum prædicabile, quia in Christo Domino prædicatio naturæ humane de Deo spectat ad quantum prædicabile, quia prædicatum illi contingenter competit; quod autem prædicatur substantive, dicendo *Deus est homo*, non impedit, quin hæc prædicatio sit quinti prædicabilis, quia cum dicimus, *Petrus est suppositum, Petrus est persona*, talis prædicatio sit substantive, & tamen pertinet ad quantum prædicabile, quia est extra illius essentiam, & potest abesse per Dei potentiam præter ejus corruptionem. Accedit quod illa prædicatio *Deus est homo, Verbum est homo*, potest etiam fieri aliquo modo objective dicendo *Deus est humanatus*, quomodo fieri nequit prædicatio superioris de inferiori; signum evidens quod illa prædicationes in rigore logico non sunt essentialia. Et tandem, quod accidens prædicabile ita conveniat accidentaliter subiecto, ut non constituat cum eo unum substantialiter, ubi natura assumpta constituit unum substantiale cum persona assumente, non obstat; tum quia absolute falsum est hoc assumptum, nam modi substantiales, qui satis familiares sunt Recentioribus, constitunt unum substantialiter cum re cujus sunt modi, & tamen pertinet ad quantum prædicabile eorum prædicatio etiam secundum ipsos; tum quia esto materia, & forma unum per se constituant, quod substantialiter uniantur; tamen quancunque prædicatio formæ de materia ad quantum spectat prædicabile eo præcise, quia forma contingenter se habet ad materiam secundum se consideratam; tum demum quia concedimus, quod in hoc sensu hæc prædicatio sit substantialis, *Verbum est homo*, quatenus natura humana constituit unum substantiale cum persona assumente scilicet Christum, non tamen ex hoc sequitur, quod sit per se, & essentialis in rigore logico, quia prædicatum illi advenit contingenter; & hæc responso est Doctoris in 3. d. 7. q. 1. C. & D. ubi ex professo tangit hanc difficultatem, quam postea

solutionem amplexi sunt Vasquez 3. p. disp. 68. c. 4. & Pasqual. loc. cit. ubi bene advertit, quod in distinguendis prædicabilibus non debet attendi res, quæ prædicatur, neque unio ipsius cum subiecto, de quo prædicatur, sed modus, quo prædicatum se habet ad subiectum, quia si accidentaliter est, hoc est, si facit, quod prædicatum conveniat subiecto contingenter, pertinet hoc etiam prædicatum ad quantum prædicabile, quia hic est modus proprius prædicandi illius, quæ de causa notat Doctor ibid. quod habitu quinti prædicabilis potest fundari in re, quæ sit substantia, quando hæc accidit subiecto, & illi contingenter unitur, ut ex professo dicemus disp. seq. q. 5.

Non omnino tamen abs re appellavit hoc Bassol. novum prædicabile, quia ita etiam Doctor ipse innuit ibid. dum ait, quod cum nulla unio sit similis isti, propterquam prædicatio dicatur vera, nullum est prædicatum dictum de subiecto, sicut in proposito, quantum enim est ex parte ejus, quod prædicatur, est species, sed quantum est ex parte modi prædicandi, est accidens, ita Doctor. Quia tamen, ut sæpe dictum est, numerus prædicabilium aspicari non debet ex varietate rerum prædicatarum, sed modorum prædicandi, ideo cum in proposito *homo* dictus de Deo, esto in se sit species, tamen respectu Dei habet modum prædicandi accidentis, non debet constituere novum prædicabile, sed ad quantum reduci.

Solvuntur Objectiones.

101 IN oppositum sunt adhuc alia quædam argumenta solvenda augentia, vel minuentia numerum quinarium universalium. Primo itaque obicit quod sint plura quinque, quia prædicamenta sunt decem, ergo, & prædicabilia, nam divisio quoque prædicamentorum data est penes diversitatem modorum prædicandi. Tum 2. quia existentia, substantia, personalitas, unio substantialis, & similes modi non prædicantur, ut genus, species, & differentia, quia non constitunt rei essentiam, nec ut proprium, quia non fluunt necessario ab essentia, cum sine illis esse possit, nec ut accidens, cum sint modi substantiales, ergo dabitur sextum prædicabile nempe modus substantialis. Tum 3. quia genus dividi potest in generalissimum, & subalternum; item differentia in genericam, & specificam, similiter proprium, & accidens. Tum tandem quia tot modis dicitur unum oppositorum, quot reliquum 1. Top. c. 12. sed universale, & singulare sunt opposita, & singularia sunt infinita, ergo & c.

102 Resp. neg. paritatem, concessio enim quod numerus prædicamentorum sumatur etiam aliquatenus ex diversitate modi prædicandi de prima substantia, de quo inferius, non adhuc tamen sumitur eo modo, quo numerus prædicabilium, hic enim numerus sumitur penes modum prædicandi essentialiter, vel accidentaliter, non attendendo rem, quæ prædicatur, an sit substantia, vel accidens, sed attendendo solam connexionem essentialiam, vel accidentalem, quam res habet cum subiecto, quæ eadem esse potest in diversis prædicamentis, nam ita in genere accidentis connectitur color cum albedine, scilicet ut pars materialis, sicut animal cum homine in genere substantia, & sic de aliis, at in divisione prædicamentorum assignatur numerus, non solum attendendo modum prædicandi, sed præsertim rem ipsam, quæ prædicatur; ex quo factum est, ut numerus prædicamentorum superet in duplo numerum prædicabilium, quia res, & naturæ prædicabiles in se sunt decem, modi vero prædicandi sunt quinque, sicut connectio earum cum subiectis quinque tantum modis fieri potest. Ad 2. in nostra Schola non ita liberales sumus modorum substantiarum, ut Recentiores, unde in Phys. disp. 4. qu. 9. dicimus unionem materiæ cum forma esse relationem prædicamentalem, & in Met. substantiam consistere in duplici negatione; admittis tamen his modis substantiis, non idcirco addendum est sextum prædicabile, cum eorum modus prædicandi possit reduci ad aliquod istorum; si enim sumantur, ut dicunt aptitudinem, possunt deduci ad quartum, si ut dicunt actum, ad quintum prædicabile, quia abesse possunt absque præjudicio, & destructione essentia, idest conceptus quidditativi subiecti, de quo prædicatur; neque id impedit, quod sint modi substantiales, & non accidentia, ut Recentioribus placet, quia aliud est esse accidentis prædicamentale, aliud prædicabile; accidens prædicamentale dicitur illud, quod non est substantia, ut quantitas, & qualitas, & dici solet accidens nominaliter, quia illud per nomen accidentis explicatur; accidens vero prædicabile est quodcunque prædicatum accidentarium, non pertiuit ad essentiam rei, sive in se sit accidens, sive substantia, sic vestis, respectu vestiti, homo respectu animalis dicuntur accidens, non nominaliter, quia in se sunt substantia, sed verbaliter, quatenus vestis dicitur accidere vestito, & homo animali; unde dicebat Scotus loco supracito, quod habitu quinti prædicabilis potest fundari in re, quæ sit substantia, quando hæc contingenter unitur alteri, de quo prædicatur, sic de facto esse bipedem dicitur accidens commune quantum prædicabile, & tamen res, unde sumitur, est substantia. Ad 3. illæ divisiones non multiplicat prædicabilia, quia tam genus generalissimum, quam

quam subalternum ex una parte, tam differentia generica, quam specifica ex alia retinet eundem prædicandi modum, illa per modum partis potentialis, & ista partis actualis, unde in ratione universalis formaliter non differunt inter se genus supremum, & subalternum, differentia infima, & subalterna, sed tantum materialiter penes majorem, vel minorem multitudinem subiectibilium. Ad 4. ait Doctor in hac qu. sensum illius propositionis esse, quot sunt significata unius oppositi, tot & alterius esse, nam quot modis accipitur unum, tot accipitur & reliquum, ut v. g. tot modis dicitur unum, quot multa, tot modis idem, quot diversum, genere, specie, numero, non autem est vera, quoad numerum suppositorum, quia album, & nigrum, iustus, & iniustus sunt opposita, non est tamen opus, ut quot sunt individua nigredinis, tot sint & albedinis, quot sunt iusti, tot sint iniusti.

103 Secundo obiicitur e contra probando, quod sint pauciora quinque. Tum quia quot sunt prædicata, tot sunt prædicabilia, sed 1. Top. c. 3. prædicata sunt quatuor, definitio, genus, proprium, & accidens. Tum 2. genus, & differentia continentur in specie, quam componunt, ergo nec divisio bona, quia membra coincidunt, nec prædicabilia quinque. Tum 3. omne accidens, vel est genus, vel est species, cum habeat propria inferiora, de quibus essentialiter prædicatur: ut constat de colore respectu albedinis, & nigredinis, ergo superfluit quintum prædicabile. Tum 4. quia hæc divisio potest ad bimbrem reduci, si nimirum tradatur per capita generalia, ad quæ cætera reductantur, quod scilicet aliud est prædicabile essentialiter, aliud accidentaliter; ergo ita fieri debet, ut regula servetur bonæ divisionis, quæ debet esse bimbrem. Nec dicas fuisse datam per singula illa quinque membra ad majorem rei declarationem. Quia potuissent, & debuissent hac ratione plura alia membra assignari, nam dividi poterat differentia in genericam, & specificam, sic etiam proprium, & accidens, genus in supremum, & subalternum; & rursus sicut dividitur prædicabile penes prædicationem in quid, & in quale, essentialiter, & accidentale, poterat etiam dividi penes prædicari separabiliter, & inseparabiliter; intrinsicè, & extrinsecè; possibiliter, & impossibiliter, & alios similes modos, qui diversas species prædicabilitatis constituent.

104 Resp. quod licet idem sit secundum rem prædicabile, & prædicatum, tamen differunt secundum rationem, prædicabile enim dicitur, quod potest prædicari de pluribus, prædicatum vero dicitur illud, per quod terminari potest, ac solvi quæstio dubitabilis, seu problema. Arist. autem in Top. docet modum solvendi huiusmodi dubitationes, unde ibi ostendit de aliquo, quomodo potest sciri, quod est genus, & sic de aliis, & ponit ibi quatuor prædicata, duo in quid, quæ sunt genus, & definitio, & duo in quale, scilicet proprium, & accidens, quia omnis quæstio solvi potest, respondendo per aliquod istorum, vel per aliquod reductum ad illa: quia autem non sit quæstio de individuis, cum de illis non sit scientia, sed de speciebus; ideo species non numeratur inter prædicata, cum in talibus quæstionibus sit subiectum. Nec in differentia specifica sit sermo ibi, quia idem iudicium est de illa, sicut de specie, differentiam autem genericam reducit Arist. ad genus, cum in ipso formaliter includatur, ita respondet Orbellus initio prædicab. & colligitur ex Scoto 1. d. 1. qu. 3. sub S. vide tamen aliam responsionem apud Doctorem q. 12. univ. Ad 2. ex eodem verum est assumptum de genere, & differentia fundamentaliter sumptis, sic enim sunt gradus metaphysici speciem componentes in ratione totius essentialis, sed falsum est, si hæc omnia formaliter sumantur, sic enim singula sunt intentiones distinctæ, & constituunt universalialia diversa, nec unum spectat ad formalitatem alterius, quatenus est totum universale. Ad 3. potest accidens comparari, vel ad propria inferiora, de quibus essentialiter prædicatur, ut color ad albedinem, vel ad subiecta, quæ accidentaliter denominat, ut ad lignum, vel parietem, licet primo modo inspectum spectet ad primum, vel secundum prædicabile, altero tamen modo consideratum constituit quintum prædicabile, ut notat Orbel. ib. & Mairon. passu 2. Ad 4. verum est, illam divisionem posse ad bimbrem reduci, si tradatur per rationes generales, & posse amplius plurificari, quam in quinque membra, si tradatur per speciales, ita quod fatendum est divisionem illam a Porph. traditam non esse ita ex natura rei, ut non potuerit alio modo fieri; ordo tamen doctrinæ poscebat, ut dum hunc prædicabilem tractatum ad prædicamenta coordinanda dirigebat, non nisi illo determinato modo universale divideret, cuius rei rationem satis congruam assignamus q. seq. & plenam solutionem huius argumenti tradimus.

Q U Æ S T I O VI.

An hæc divisio sit generis in species, & immediata.

105 **N**Egant Boet. & Ammon. in definit. generis. Avic. in Log. c. 7. Simpl. in prædic. in definit. æquiv. Albert. tr. 2. prædicab. c. 9. Niger 2. p. Clymp. q. 16. Bru-

xel. q. 2. prædicab. Vallius q. 7. de univ. c. 12. quia hi omnes negant universale esse verum genus ad illa quinque; atque ideo asserunt hanc esse divisionem analogam, licet diversimode explicent talem analogiam. Affirmat Scot. qu. 8. univ. quem sequuntur cæteri omnes Latini tam veteres, quam Recentiores Scotistæ, ac Thomistæ, Maur. Anglic. & Sarnan. ib. Tat. qu. 2. Ant. And. ib. Ocham 1. p. Log. c. 18. Conim. Lovan. Comp. Tol. Ruvius, Hurt. Averfa, Serna, Blanc. Pasq. & cæteri passim. Quoad alteram quæstionem sentiunt aliqui, ut referunt Compl. disp. 4. q. 6. hanc divisionem esse immediatam; alii communiter ajunt esse mediatam, præsertim vero Scotistæ nostri q. 12. univ. Tandem Jo. a S. Th. q. 6. ar. 2. utrumque ait esse probabile.

106 Pro decisione quæstii quoad utramque partem, dicendum est, universale esse genus ad illa quinque, ac proinde divisionem ejus in ea esse generis in species, non immediatam, sed mediatam. Probatur, quia genus ad illa quinque comparatum prædicatur de illis secundum idem nomen, & rationem, & de pluribus specie differentibus, ergo se habet ut genus ad illa, ut in ea dividitur ut in species; Conseq. patet ex definitione ipsius generis, probatur assumptum, quia ex una parte definitio universalis in communi verificatur essentialiter de singulis quinque prædicabilibus, ut quod sit unum aptum esse in multis, vel dici de multis, & hæc particula, ut videbimus, in definitione singulorum, stat loco generis, ex alia vero parte intentiones prædicabilium adinvicem non accidentaliter, & numerice, sed essentialiter, & specificè distinguuntur, alia enim species universalitatis est generitas, alia specificitas, & sic de aliis. Imo addunt alii esse genus ita univocum, ut nullam prorsus habeat analogiam admixtam, quia singula illa prædicabilia intentiones primario, & equaliter participant rationem universalitatis, omnibus enim vere, & proprie convenit esse relationes rationis, quibus naturæ abstractæ referuntur ad plura, nec hanc rationem participat una istorum intentionum dependenter ab alia, siquidem unaquæque earum esset vera universalitas, etiam si alia intentiones essent impossibiles. Cæterum, ut docet Doctor q. 8. cit. §. Ad istam, necesse non est omnem prorsus negare analogiam in universali respectu illorum quinque specierum; tum quia analogia bene cum univocatione est compossibilis, unde asserendo universale esse analogum ad illa quinque, non eo ipso excluditur univocatio, ut constat ex dictis disp. 2. q. 5. ar. 1. tum quia & in ipso genere aliquis analogia reperiri solet, quatenus perfectius in una specie reperitur; quam in alia, etiam si hæc inæqualitas profus proveniat ab extrinsecò, ex inæqualitate, scilicet, differentiarum contrahentium, ut patet ex dictis ibidem; qua ratione ajebat Arist. 7. Phys. 31. multas in genere latere æquivocationes, ubi æquivocationem vocat analogiam ex inæqualitate differentiarum desumptam; tum tandem quia in proposito in participanda ratione universalitatis videtur inter illas intentiones intercedere illa dependentia, quæ solet inferre veram analogiam, quia medium universalitas perfectius reperitur in universalibus essentialibus, quam in accidentalibus, quia illa prædicantur in quid, ista in quale, illa essentialiter, ista accidentaliter; sed etiam in istis reperitur quodammodo dependenter ab illis, quia ista prædicantur de suis subiectibilibus mediantibus illis, rationalitas namque, & risibilitas prius conveniunt homini in communi, deinde huic, & illi; Non ergo neganda est qualiscunque analogia in conceptu universalis ad illa quinque, sed concedenda, non tamen talis, quæ univocationem excludat.

107 Quod autem hæc divisio non sit immediata, sed mediatam, evidens est ex sufficientia huius divisionis q. præd. ut enim ex ea liquet, universale descendit immediate ad hæc quinque, neque est genus proximum illorum, quia prius dividitur in illud, quod dicitur essentialiter, & quod dicitur accidentaliter, quæ duo iterum subdividuntur, ergo cum universale dividatur prius per illas duas differentias, constituit duo genera intermedia, quæ postea subdividuntur per alias differentias; deveniunt tandem ad istas quinque species, quod aperte colligitur ex Porph. c. de communi.

Cur autem in præd. universale statim dividerit in has quinque species, nec illam tradiderit per rationes magis generales, vel magis speciales, ut posse fieri dicebamus in fine præc. quæst. Ratio est, quia universalialia se habent tanquam forma respectu subiecti, de quo prædicantur, atque ideo explicare debent aliquem formalem effectum, & determinatum respectu ejus, sed si universale divisum fuisset per rationes generales, scilicet, in essentialiter, & accidentale, nimis adhuc indeterminatus, & confusus fuisset effectus, quem universale præfertur subiecto, nec ita sensim docuisset Porph. modum applicandi secundas intentiones primis, qui tamen est totalis, & unicus Logicæ scopus, ut ipse facere fatagebat, quia illæ primæ species subalternæ sunt remotæ nimis a tali applicatione; si vero ex alia parte divisum fuisset per rationes adhuc magis speciales, plane divisio fuisset superflua prorsus ultra hunc quinarium numerum, nec ad rationes magis speciales erat opus descendere, ut doceretur exactus modus applicandi secundas inten-

intentiones primis, quia facta quacunque alia subdivisione ultra hæc quinque, adhuc membra subdividentia servarent respectu subiecti eandem formæ habitudinem, & eundem prædicandi modum, quem servat totum divisum; unde si dividatur genus in generalissimum, & subalternum, differentia in genericam, & specificam, tamen in ordine ad subiectibilia eundem semper servant prædicandi modum, quem totum divisum, nam utrumque genus semper prædicatur essentialiter per modum partis potentialis, differentia per modum partis actualis; sic dicendum de proprio ac etiam accidente, quod sive sit separabile, sive inseparabile, semper tamen contingenter unitur subiecto, nec attrinet ad ejus essentiam in primo, aut secundo modo, quia non omnes modi variant per se rationem prædicabilis, sed illi tantum, essentialiter, & accidentaliter se habere, per modum quid, vel qualis, ad quos alii modi reducuntur, per quam doctrinam plene satisfieri potest ad ultimum argumentum quæst. præc.

108 Ex hoc colligitur has quinque species universalis esse infimas, quia hæc, & illa generitas v. g. quantitatis, & substantiæ, ut docet Scot. quol. 6. sub X. non differunt a se invicem, nisi numero, esto natura substrata differant genere generalissimo, sic etiam hæc, & illa specificitas v. g. hominis, & equi differunt tantum numero, quia licet naturæ, quas denominant, specie inter se differant, intentiones tamen denominantes sunt ejusdem rationis; & sic patitur dicendum de intentionibus aliorum universalium; tum quia etiam esto genus dividatur in supremum, & subalternum, differentia in genericam, & specificam, proprium similiter, & accidens; hæc tamen membra non inter se differunt ex parte modi prædicandi, & in ratione universalis, sed materialiter tantum penes majorem, vel minorem multitudinem eorum, de quibus prædicantur: oppositum tenet Poncius disp. 3. Log. n. 111. cui fit satis infra disp. 5. num. 60. & 108. Ex quo tandem deducitur hanc Porph. divisionem universalis in genus, speciem, &c. esse rite traditam, quia divisio alicujus generis etiam subalterni potest fieri assignando omnes species infimas, quando illa possunt certo numero comprehendi, ut notavit Scoto l. 2. Summul. c. 4. sect. 2.

109 In oppositum obiicitur 1. probando universale non esse genus ad illa quinque. Tum quia tunc aliqua species directe prædicaretur de suo genere, quod est impossibile; Prob. conseq. quia tunc esset verum dicere, quod universale est genus ad illa quinque, inter quæ numeratur genus primum prædicabile, velut una species universalis in communi. Tum 2. quia tunc una species disparata prædicaretur de alia, quia tunc esset vera prædicatio, quod genus est una species universalis, differentia alia species, & sic de aliis. Tum 3. non tantum disparatum de disparato, sed etiam oppositum de opposito prædicaretur, nempe species de genere, cui saltim relative opponitur. Tum 4. quia tunc inferius constitueretur supra superius, dicendo enim quod universale est genus, tunc universale, quod est superius, ponitur infra genus, quod est ejus inferius; ne igitur hæc inconvenientia sequantur, negandum est universale esse genus ad illa quinque.

Respondet Doctor q. cit. omnes allatas propositiones posse concedi, non quidem essentialiter, sed denominative, potest enim una secunda intentio fundari super aliam ac-

ceptam, ut quid, ac eam denominare, seu de illa prædicari, ut modus, hoc enim est commune omnibus secundis intentionibus (ait Doctor) quod qualiter potest accipi, ut quid, velut modus, quando enim est illud, quod intelligitur, tunc est quid, quando est ratio, sub qua aliquid intelligitur, tunc accipitur, ut modus, quam doctrinam ex professo declaravimus supra disp. 3. quæst. 8. art. 2. & docet idem Scotus 1. d. 2. q. 3. C. & 4. d. 13. q. 1. sub T. Ad 1. igitur vera est illa propositio denominative, *Universale est genus*, quia universale sumitur ut quid, genus ut modus, quatenus est ratio, sub qua universale consideratur, dum ad sua inferiora confertur. Ad 2. pariter non inconvenit, quod genus, differentia, proprium, & accidens sint species denominative, & accidentaliter. Ad 3. ait Doctor loc. cit. quod intentiones non opponuntur, nisi utraque accipiat, ut quid, vel utraque ut modus, dum vero dicimus genus est species, intentio generis sumitur ut quid, intentio speciei ut modus, & ideo, ut sic, non prædicatur oppositum de opposito. Ad 4. universale continet sub se genus essentialiter, tamen neque in convenit, quod vicissim universale accidentaliter continetur sub genere, quatenus affici potest modo generitatis, unde genus ut quid est inferius ad universale, ut modus esse potest superius; & hæc est communis doctrina Scotistarum, quam omnes alia Scholæ recipiunt, esto sub diversis terminis.

110 Dices, nullum genus potest accidentaliter de suis speciebus prædicari, sed universale prædicatur accidentaliter de illis quinque, ergo &c. Prob. min. nam quando una intentio applicatur alteri ut modus, tunc efficit prædicationem denominativam, & accidentalem, at quando dicimus, genus est universale, tunc universalitas applicatur generi, ut modus, quia est ratio sub qua consideratur genus, ergo &c. Resp. negando min. ad prob. patet ex dictis disp. 3. cit. q. 8. ar. majorem esse veram duntaxat, quando intentio alteri applicata, ut modus, est inferior, vel disparata, non autem quando est superior, ut est in allata propositione, genus est universale. Vide ad hoc alia argumenta apud Fuent. q. 6. diff. 6. minoris momenti.

Deinde obiicitur contra alteram concl. partem; quod divisio generis in illa quinque non sit mediatam, sed immediata, quia dividendo per duas differentias magis generales constituerentur duo genera intermedia, quæ postea subdividerentur per alias differentias, atque ita darentur alia universalialia, quæ inter ista quinque, & universale ipsum in communi intermediant, unde ita dividendo perveniremus ad octo, vel decem universalialia, ut deducit Brasav. q. 12. univ. cum Maur. q. 9. §. Quinto dubitatur.

Respondetur ex Brasav. ibid. dimissis Maur. ambagibus, quod cum proprie loquendo superius non ponat in numerum cum inferiori, quia inferiora in superiori ununtur, non dividuntur, ideo genus, & species, & prædicabile in quid non dicuntur tria universalialia, nam prædicabile in quid, seu essentialiter est superius ad genus, & speciem, & in illis includitur, atque ideo cum eis non facit numerum; & sic etiam dicendum est de prædicabili accidentali in ordine ad proprium, & accidens; Vel dicas, quod cum hic asserimus universalialia esse quinque, non plura, nec pauciora, loquimur de speciebus infimis prædicabilium, nam dari alias subalternas sane negari non potest.

DISPUTATIO QUINTA.

De Universalibus in particulari.

Post translationem de Universalibus in communi ad singula in speciali descendimus, de singulis quaestiones instituendo juxta ordinem servatum a Porphyrio in suo tractatu de cuius objecto non est magna discussio, siquidem fere omnes pro adequato eius objecto agnoscunt cum Doctore nostro quaest. 7. Universalis, seu Prædicabile commune ad illa quinque, ita Barleus in principio prædic. Conimb. in præm. qu. 7. Massius sect. 5. qu. 3. Toller. quaest. 1. Ruvinus quaest. 8. & alii passim; promiscue autem assignamus pro objecto Universalis, vel Prædicabilis, quia pro eodem utrumque sumimus, nam per prædicabile intelligimus, quod aptum est prædicari de pluribus, tale enim est prædicabile, de quo Porphyrio agit in hoc tractatu. nam cap. de gen. facta divisione eorum, quæ prædicantur, aliud de uno solo, aliud de pluribus prædicari, prosequitur deinceps translationem eorum, quæ de pluribus prædicantur, dividens illam in quinque species, & cap. ult. colligit, & protestatur se de illis egisse. Et adhuc potius sub ratione Prædicabilis, quam Universalis, debet hic universale subiectum poni, quia & ipsa quinque universalis potius sub ratione prædicabilium, quam universalium consideravit, cuius rationem reddidimus disp. præc. quaest. 2. art. 2. in solut. ad arg. Universale igitur hoc modo consideratum est hic obiectum attributionis, quia habet omnes conditiones ad tale obiectum desideratas a nobis assignandas inferius disp. 12. ex Doctore quaest. 2. univers. quæ ad tres reducuntur, quod de eo supponatur quod est, & quid est, quod de eo proprie demonstrantur passiones in scientia, & tandem quod omnia ibi considerata habeant attributionem ad ipsam, & in eius gratiam considerentur, has autem omnes habet Universalis in presenti tractatu, nam dum initio tractat. movet illas quaest. a quarum solutione abstinere ob arduitatem, an universalis sint in rebus, vel in intellectu, an sint corpora, vel incorporea, &c. sane supponit universalis esse, & quaerit ubi sint, & quomodo, & dum in fine tract. cap. ult. de communitatibus inquit, singula universalis convenire in ratione communi universalis, quia singula prædicantur de pluribus, plane supponit hanc esse eius definitionem in ratione prædicabilis, & sic habet primam conditionem, dum demonstrat genus, speciem, &c. differre ab individuo per prædicari de pluribus, utique eandem passionem demonstrat de universali implicite, tanquam de primo, & adequato subiecto, & sic habet secundam, tum tandem cap. ult. docet esse omnibus commune prædicari de pluribus, manifeste insinuat illa omnia esse species, & universale esse commune genus, ad quod reducuntur. Et quamvis ultra illa quinque universalis agatur in hoc tractatu de individuo, & specie subiectibili, quæ tamen universalis non sunt; adhuc tamen, & ipsa reducuntur ad ipsum universale; non quidem ut eius species, sed ut termini specierum eius, individua nimirum, ut subiectibilia speciei, & species subiectibiles, ut termini generis, & sic tandem habet tertiam conditionem.

Aversa quaest. 7. Log. sect. 3. adhaerens opinioni quorundam antiquorum Expositorum ait non universale in communi, sed partes eius subiectivas genus, speciem &c. solute, & singillatim sumptas esse hic obiectum adequatum, ratio eius præcipua est, quia Porphyrio non egit de illis quinque sub conceptu universalis, vel prædicabilis, sed statim aggressus est distinde, & solute illa singula explicare. Imo neque de singulis egit, quatenus universalis sunt, nimirum per ordinem ad plura, sic enim solum genus, speciem, & differentiam consideravit, proprium vero, & accidens non explicavit in ordine ad plura, quod est de ratione universalis, sed potius per ordinem ad subiectum, cui conveniunt. Sed fallitur Aversa, quod Porphyrio non egerit de illis quinque sub aliquo conceptu communi, & de singulis sub ratione universalis in ordine ad plura, nam cum cap. ult. agit de communitatibus prædicabilium, agit aliquo conceptu communi, in quo conveniunt, & omnia definit in ordine ad plura, ut infra constabit; & certe tollit Aversa unitatem huius tractatus, dum illa quinque soluta hic accipit pro obiecto contra Arist. monitum, qui 1. Post. 25. dixit scientiam debere esse unius generis subiecti.

Quam vero utilis sit hic tractatus ad directionem operationum intellectus, qui est finis Logice, ipse Porphyrio expressit in præm. cum inquit, juvare primo ad definiendum, quia definitio essentialis constat ex genere, & differentia, accidentalis datur per proprium, vel combinationem accidentium communium, & sola species definitur. Secundo ad divisionem, quia in divisionibus essentialibus dividitur genus in species per differentias, in accidentalibus subiectum per accidentia propria, vel communia. Tertio demum ad demonstrandum, quia medium in demonstratione est definitio, quæ constat ex genere, & differentia, & quod demonstratur, est passio, ad cæteras etiam argumentationes inseruit, in quibus vel accidentalia prædicata per essentialia comprobantur, vel e converso.

QUESTIO PRIMA.

De Genere.

Porph. cap. 2. definit genus logicum illud esse quod prædicatur de pluribus specie differentibus in eo quod quid, circa quam occurrunt difficultates quamplures intantum, ut nonnulli eam abjecerint, & aliam ex proprio capite adinvenirent, quod etiam fecerunt de cæteris universalibus; sed quia hæc definitio est ipsius Arist. 1. Top. c. 4. & libr. 4. c. 1. & 2. & 5. Met. c. 8. & ut legitima recipitur a Scot. q. 15. univ. & in celebrioribus Scholis, ideo retinenda est, præsertim quia si recte explicetur, nullam patitur difficultatem. Cæterum quia exacta eius intelligentia multorum exigit solutionem incidentium dubiorum, quaestionem hanc in plures distribuimus Articulus.

ARTICULUS PRIMUS.

An Genus defini possit, & quo sensu hic definiatur.

PRO intelligentia quaestio quoad primam partem recolendum est ex dictis disp. 1. q. 4. art. 1. definitionem sumi posse dupliciter, uno modo preste pro definitione explicante quidditatem rei per genus, & differentiam, vel saltem aliqua, quæ genus, & differentiam circumscribat, & sic definitio est tantum illius rei, quæ habet genus, & differentiam, alio modo fufe pro conceptu quidditativo, & essentiali rei, quo sensu etiam ens dicitur posse defini, licet non habeat genus, & differentiam, &

hoc modo defini potest omne id, quod est ens per se intelligibile, sive habeat genus, & differentiam, sive non. Quando hic quaeritur, an genus defini possit, non est quaestio de definitione secundo modo sumpta, nam in hoc sensu negari nequit genus esse definibile, sed tantum primo modo, nam in hoc sensu negatur Ammon. & Boet. c. de genere. Albert. tract. 1. prædicab. c. 3. quos sequitur Vilalpan. c. de gen. cum aliis quibusdam genus esse definibile.

Dicendum tamen est cum communi genus defini posse etiam definitione preste sumpta. Ita Doctor loc. cit. quem cæteri omnes sequuntur. Probatur, quia illud dicitur sic definibile, in cuius integro conceptu assignari potest conceptus genericus, & differentialis, quorum scilicet unus sit alterius determinativus, sed de genere primo prædicabili potest talis conceptus assignari, ergo potest preste, & quidditative defini; Prob. min. quia ut docet Doctor in 4. d. 1. q. 2. I. etiam in intentionibus logicis habentibus conceptum per se unum invenitur suo modo genus, & differentia, & in proposito in genere imbitur ratio communis universalis, velut generica scilicet esse in pluribus, vel dici de pluribus, & præter hoc imbitur ratio peculiaris contractiva illius, esse nimirum in pluribus specie diversis, velut differentialis, ergo &c. Accedit, quod genus, ut hic de eo loquimur, est unum ens per se intelligibile, ut mox patebit, quia non loquimur de ipso pro aggregato ex prima, & secunda intentione, quasi in recto utrumque includat, sed vel pro prima intentione ut connotat secundam, cui substat, vel pro secunda, ut connotat primam, cui est applicata, juxta diversitatem opinionum, hoc autem modo genus est ens per se unum, & intelligibile, ergo est proprie definibile.

Sed instabis, tum quia definitio proprie dicta constare debet ex genere, & differentia, sed generis non datur genus, alioquin esset processus in infinitum, ergo. Tum etiam quia

Quaest. I. An genus bene definiatur. Art. I.

quia solius speciei est propria definitio 7. Met. 4. at genus nequit esse species, ergo &c. Tum demum quia genus primum prædicabile est omnibus generibus commune, ergo non habet supra se genus, quod eius definitionem ingredi possit.

Resp. definitionem generis constare genere, non tamen essentialiter genere, sed accidentaliter, quia universale commune ad illa quinque non est essentialiter genus, sed tantum accidentaliter a quadam superaddita notione ex dictis q. ul. præc. disp. nec sequitur processus in infinitum; tum quia genus prædicabile, non quatenus genus, sed quatenus species subiectibilis respicit universale in communi, ut suum genus; tum quia semper sistimus in secunda intentione generis, a qua velut essentialiter tali, cætera omnes naturæ, sive reales, sive intentionales illius universalitatis capaces denominantur tales. Ad 2. Neg. min. quia genus est species subiectibilis in ordine ad universale, non quidem essentialiter, & ut quid, sed accidentaliter, & ut modus. Ad 3. verum est genus primum prædicabile non habere aliud supra se, quod sit essentialiter genus, potest tamen habere aliud, i. universale, quod sit accidentaliter tale; & etiam verum est universale vicissim accidentaliter contineri sub genere, quatenus est affectum tali secunda intentione, ut dictum est q. ul. præc. d. in sol. ad r. ad 4. Con. unde genus ut quid est inferius ad universale, ut modus potest esse superius. Et hæc doctrina, quæ valde familiaris est in scola Scotistarum, solvenda sunt prædictæ difficultates tangentes definitionem generis, quæ etiam passim utuntur Recentiores, ut videri potest apud Orvied. controv. 4. Log. punc. 1. quia quia noluit uti Poncius disp. 4. de genere q. 2. multa dicit inutilia, & minime necessaria pro solutione harum difficultatum, quæ tamen ex alia doctrina facillime sedantur.

4. Circa alteram quaestio partem pro intelligentia eius sciendum est, quod nomen concretum, ut in proposito est genus, & quodlibet aliud universale postea definiendum, de quo eadem quaestio institui potest, dicit in omnium sententia formam simul, & subiectum; vel utrumque ex æquo, & in recto, vel unum connotando aliud, idest formam connotando subiectum, aut e contra, juxta varias de hoc opiniones a nobis relatas disp. 2. q. 6. art. 2. Cum igitur genus ut a Porphyrio definitur, importet generalitatem, ut formam attendentem aliquam naturam, atque ideo in concreto non in abstracto definiatur, conveniunt omnes nec defini secundam intentionem solum, neque nudam naturam capacem illius intentionis, sed vel utrumque ex æquo, vel unum in ordine ad aliud, nimirum vel secundam intentionem in ordine ad naturam substratam, vel e contra, uo excepto Pasq. qui 1. p. suæ Met. disp. 49. tenet nudam naturam defini, & intentionem non esse necessariam ad prædicari.

5. Hinc tres exorta sunt opinioniones, duæ extremæ, & alia media. Prima extrema asserit in recto, & principaliter defini naturam, ut tamen connotat secundam intentionem, cui substat, unde ait, ut Quod defini naturam, ut Quo secundam intentionem, quia præfata definitio non convenit naturæ secundum se, quia ut sic nequit prædicari de pluribus, cum secundum suam essentialitatem non sit universalis, neque intentioni, quia nec ipsa secundum se potest prædicari de pluribus sed naturæ, ut denominatur genus, & cum ordine ad intentionem generis, a qua formaliter habet a natura esse universale; ita Javell. in Log. tit. 4. c. 2. Paul. Venet. c. de genere; Amic. tract. 5. q. 1. dub. 5. Tolet. q. 1. Moris disp. 2. art. 2. Aversa q. 10. sect. 2. & alii. Secunda extrema docet hic directe defini secundam intentionem in concreto, ut scilicet connotat naturam, quam afficit, ita ut ipsa secunda intentio sit res definita, natura vero connotetur ex modo definiendi, ita Scot. q. 14. univ. ubi Maur. Anglicus, Sarna. Bravol. Ant. And. c. de gen. Tatar. ibid. art. 2. dub. 1. Joan. de Mag. Fuentes q. 6. diff. 4. art. 3. Roccus c. de gen. q. 1. & alii Scotistæ passim, & cuncti fere Thomistæ Cajet. in hoc c. de ente, & essentia c. 9. Sanchez l. 3. q. 3. Galleg. controv. 12. Araz. l. 3. Met. q. 4. art. 2. Massius hic sect. 1. q. 3. Complut. disp. 5. q. 3. Joan. de S. Th. q. 7. art. 2. & alii quamplures, quibus subscribunt Didac. disp. 6. q. 1. & Blanc. disp. 3. sect. 3. Tertia tandem opinio media asserit hic defini aggregatum, seu compositum ex natura, & secunda intentione, ita ut utrumque directe definiatur, natura ut materiale, intentio ut formale, ex quibus unum per se confurgit hic definitum, ita ex Recentioribus quamplures, Ruvinus q. 2. Mauricia q. 3. Hurt. disp. 4. sect. 1. Amic. hic tr. 3. disp. 2. dub. 1. & alii; dicit autem hæc duo conficere unum ens per se, quia natura animalis v. g. ut capax generis, dicit ordinem ad illam tanquam potentia ad suum actum, quod autem sit ex duobus sic ordinatis, est unum per se, ex actu enim, & potentia fit unum per se. De opinione autem Pasqualig. nil dicendum occurrit, satis enim constat ex dictis naturam non constitui in statu universalitatis, nisi per secundam intentionem.

6. Dicendum est, hic non defini aggregatum ex utroque, scilicet ex re, & intentione, sed vel defini rem, ut subest intentioni, vel intentionem, ut applicatam rei, ita quod unum eorum sit directe, & principaliter definitum, aliud autem veluti connotatum, & intrans definitionem per additamentum. Conclusio duas habet partes, quarum una datur tertiam opinionem, ut profus improbableem, altera vero primam, & secundam amplectitur; ut probabiles. Quod

Massius, & Belluti Tom. I. Logica.

aggregatum ex utroque non definiatur, docet Doct. q. 14. cit. quia hoc est illud ens per accidens ex rebus diversorum prædicamentorum, quod cum non sit ens per se unum, sed simpliciter plura, nec etiam una definitione exprimi potest, ut docet Arist. 6. Met. 4. & 5. & l. 7. 11. & 43. & l. 8. 13. & 14. concretum enim accidentale dupliciter sumi potest, uno modo, ut significat æque primo subiectum, & formam, & hoc proprie dicitur ens per accidens, alio modo, ut non utrumque ex æquo principaliter significat, sed unum primario, alterum secundario, & hoc dicitur ens connotativum, quod utique defini potest definitione quidditativa per additamentum data, de qua diximus disp. 1. q. 4. art. 1. quia id, quod concernit principale significatum, non cadit in intellectu eius, veluti pars, sed ut terminans respectum illius, & ideo non destruit unitatem eius, ut docet Scot. q. 8. univ. pro finem, & 4. d. 1. q. 2. cit. Quamvis igitur genus, quod est accidentale concretum, possit defini proprie ut ens connotativum, ut docet prima, & secunda opinio, nullatenus tamen defini potest, ut aggregatum importans utrumque ex æquo principaliter, ut ait tertia.

7. Respondet Murcia cit. negando hoc concretum esse ens per accidens, quia licet non sit unum per se substantiale, est tamen unum per se accidentale per physicam unionem, eo modo, quo faciunt unum per se subiectum, & forma accidentalis. Sed valde vir iste decipitur, dum putat ens unio accidentalis, eo quia est vera, & physica unio, resultare ens per se unum, ad hoc enim non solum requiritur vera, & physica unio inter subiectum, & formam, sed etiam substantialis ex per se actu, & per se potentia, quæ quia non reperitur inter subiectum, & formam accidentalem, ideo negat Arist. loc. cit. ex illis ens per se unum resultare. Et quando etiam concederemus qualemcumque physicam unionem sufficere inter formam, & subiectum, ut ex illis fieret per se unum, cum talis non sit inter naturam, & generalitatem, quia est solum unio facta per rationem, dum intellectus affigit naturæ illam intentionem, consequenter nequit inferre illud aggregatum esse per se unum.

Respondent alii concedendo, aggregatum illud esse ens per accidens, sed negant id definibile non esse, unde Blanc. cit. quamvis nobiscum sentiat, inquit tamen, hanc rationem ex ente per accidens deductam facile dissolvi. Cæterum ens per accidens nec esse definibile, neque scibile monstramus ex professo inf. disp. 13. q. 2. art. 3. unde ratio inde deducta est efficacissima. Sed adhuc concedendo, quod sit definibile, evidenter ostenditur non hic defini aggregatum illud, nam illud hic definitur, quod de pluribus prædicatur, & ad inferiora descendit, at constatur ex re, & intentione non descendit ad inferiora, neque de illis prædicatur exercite, aut signate, quia prædicatio exercita est propria primarum intentionum, signata secundarum, ergo nullo genere prædicationis potest illud aggregatum prædicari de pluribus.

8. Ut vero probemus alteram quædam partem, quæ ambas extremas opiniones facit probabiles, & ostendamus esse de mente Doctoris, recolendum est ex dictis disp. 3. q. 8. art. 2. duplicem esse prædicationem exercitam, & signatam, illa pertinet ad primas, hæc ad secundas intentiones, nam ut inquit Doct. in hac qu. omne, quod signatur in secundis intentionibus per prædicationem signatam, exercetur in primis per exercitam, unde ea, quæ rebus exercite conveniunt, etiam intentionibus, quæ illis sunt applicabiles, attribuantur signate; tunc autem aliquid convenit alicui exercite, ut colligitur ex Doct. 4. d. 1. q. 2. quod a parte rei vere inest illi, ut si dicamus, quod homo est rationalis, hoc attributum convenit homini exercite, quia realis in ipso est; signate vero aliquid alicui convenire est, cum illi convenit tantum, ut signo, per quod significatur attributum illud vere, & exercite convenire rei, cuius est signum, v. g. si in pictura representetur nobis aliquis equus, dicere solemus illum equum esse ferocem, dum autem sic loquimur, certe significare nolumus ferocitatem equo picto exercite convenire, sed signate, quatenus dat nobis intelligere, quod equus verus, & vivus, cuius signum est, exercite habet ferocitatem; in hoc igitur sensu multa tribuuntur secundis intentionibus, nam dicimus speciem prædicari de individuis, propositionem constare ex terminis, non quod species, ut secunda intentio, vere, & exercite dicatur de individuo per verbum est, quasi verum sit dicere, individuum est species, vel secunda intentio propositionis constat ex terminis, sed signate, quia sunt signa, quod illæ res, quibus tales intentiones applicantur vere, & exercite prædicatur de individuo, & constat ex terminis. Et adhuc Doctor ipse optime declarat discrimen inter actum signatum, & exercitum, in duobus præsertim similibus, per non enim exercetur negatio (inquit ipse) per nego vero signatur; per tantum similiter exercetur exclusio, per excludo signatur, & vult dicere, quod si quis diceret negatio negat, iste ita dicendo exercite affirmat, quia propositio est affirmativa, & tantum signate negat, unde hoc prædicatum negat, tribuitur secundæ intentioni negationis tantum signate, exercitum vero negationis fit per non, dicendo, homo non est asinus, unde negatio in actu signato negat, non vero negat in actu exercito, & hæc doctrina est valde notanda in his rebus logicis.

9 Cum hac doctrina itaque possumus utraque extremas opiniones concordare, & etiam de mente Scoti defendere, nam si sermo fiat de prædicatione exercita, verum est hanc prædicationem convenire naturæ, non intentioni, neque ut *Quod*, ne non dicimus homo est genus, sed homo est animal, quæ ut *Quo*, ut aliqui respondere solent, quasi secunda intentio sit ratio formalis prædicandi naturæ, quia quod prædicatur de pluribus inferioribus quidditative, ita prædicatur, ut ex vi prædicationis descendat ad essendum in illis non solum secundum id, quod prædicatur, sed etiam secundum rationem formalem, unde habet, ut prædicetur, genericitas autem non ita descendit ad inferiora, ergo in hoc sensu nequit esse ratio formalis, cur genus prædicetur. Accedit, genus definiti, esse id, quod prædicatur, non *quo*, ergo etiam concedatur genericitas esse, *quo*, vel *qua* natura prædicatur, non ideo Auctores secundæ sententiæ sic respondendo defendunt definitionem generis principaliter convenire intentioni, sed naturæ. Si igitur de prædicatione exercita definitionem Porphyri intelligamus, tenemur dicere, quod sicut talis prædicatio convenit naturæ, non intentioni, ita illa definitio convenit naturæ, non intentioni, & hunc dicendi modum esse de mente Doctoris in 2. d. 3. q. 1. notat Licher. ibidem, §. *ibi sed contra*, ubi docet universale prædicari de pluribus in quibus non quidem quatenus est ens per accidens constitutum ex natura, & relatione, sed tantum per rationem naturæ, quæ est ens per se unum, & in inferioribus essentialiter inclusum, subdit tamen naturam non esse sic proxime prædicabilem, nisi actu sit sub relatione universalitatis, & in determinatione positiva ad plura, quia non est in potentia proxima, ut actu dicitur de illis, nisi per talem relationem, & indeterminationem, quæ ipsam facit actu universalem, & in hoc sensu loquendo de ista prædicatione intelligendum est, quod hic definiatur natura, ut substat intentioni, non quod principaliter totum constitutum, nec natura principaliter, & ut *Quod*, intentio autem, ut *quo*, quasi sit ratio formalis, cur prædicetur natura, sed solum quod definiatur, ut substat intentioni, veluti conditioni eam ponenti in statu universalitatis, in quo sensu non sequitur ipsam esse prædicabilem nec ut *Quod*, nec ut *quo*, quia est simplex conditio, sicut etiam abstractio ab inferioribus, quia requiritur, ut simplex conditio prævia ad constituendam naturam proxime prædicabilem de multis, ideo non prædicatur ipsa, nec ut *Quod*, nec ut *quo*, & hoc totum consonat ei, quod docuimus q. 2. præc. d. ar. 1. in fol. ad 2. ubi diximus, relationem universalitatis in prædicatione exercita non esse prædicatum, sed conditionem prædicati. Si tamen velis intentionem appellare rationem formalem, quatenus est forma denominans naturam proxime prædicabilem, ita tamen quod natura ex se habet modum essentialiter prædicandi, ut contendit Averfa, qui non vult intentionem appellare simplicem conditionem; non repugnans; hanc eandem sententiam tenet de mente Doctoris Meurisi. lib. 2. sup. Met. c. 3. q. 5. & Orbellus c. de gen. ait esse satis probabilem.

10 Si vero loquamur de prædicatione signata, & de hac definitionem generis intelligere velimus; tunc dicendum est ibi proprie, & per se intentionem generis definiti, quia talis prædicatio est propria secundarum intentionum, & illis convenit ut *Quod*, genus enim pro secunda intentione illud est, quod tali genere prædicationis de pluribus specie differentiibus prædicatur. Quia tamen signum respicit signatum, & secundis intentionibus utitur logicus, ut signis primarum, ideo dicendum ita intellectam; quod secunda intentio sit ratio formalis, per quam natura constituitur de pluribus prædicabilibus, tunc enim bene concluditur argumentum, quod sicut talis intentio accidit naturæ, ita etiam & prædicabilitas, & definitio generis per accidens tantum, & denominative convenire naturæ, sicut definitio albi ideo per accidens convenit parietis, quia accidit ei albedo. At jam docuimus cum Licher. universale prædicari de pluribus essentialiter ratione naturæ in illis inclusæ, intentionem vero esse dumtaxat conditionem, quæ eam in actu proximo constituit ad exercitium talis prædicabilitatis, & ideo falsum est, definitionem generis convenire naturæ ratione ipsius intentionis in eo sensu: sic dicimus ignem de se esse potentem ad plura calefacienda, approximationem tamen esse necessariam, ut fiat in actu proximo ad exercitium virtutis calefactivæ; nec tamen licet hinc inferre, quod approximatio sit ratio formalis calefaciendi in igne, quia concurrunt tantum ut conditio, quam doctrinam etiam recipit Amic. cit.

Ad quintum major non est universaliter vera, quia concretum accidentale non solum definiti potest ratione formæ, ut cum definitur album esse diffragativum visus, sed etiam ratione subjecti, ut si definitur album esse substantiam habentem albedinem; quo casu certum est, albedinem non definiti, etiam nomine albi principaliter significatur albedo, sic igitur in proposito genus est utique nomen concretum principaliter importans genericitatem, hanc tamen ejus definitio, si de prædicatione exercita intelligatur, non convenit huic concreto ratione formæ, & intentionis, sed ratione naturæ, ut intentioni substantis, veluti conditioni, per quod etiam patet ad Confirm.

vocum est ad omnia, quæ possunt denominari genera, sive sit ens reale, sive rationis, sive substantia, sive accidens, sed nihil reale ad hæc omnia datur univocum, ergo non res, sed intentio definitur. Tum 4. si res sub intentione definitur, tunc res per accidens definitur, quia per hoc, quod intentio sibi accidit, & tunc enim sequitur, quod si per accidens definitur, absolute dici debet non definiti, quia definitio convenit definito per se, non per accidens. Tum tandem formale definitum debet esse, quod ipso nomine formaliter, & per se importat, sed nomen concretum, ut in proposito est genus, non significat formaliter, & per se subjectum, sed tantum pro connotato, ut diximus d. 2. q. 6. ar. 2. ergo genericitas, non natura hic definitur aliquod concretum accidentale, definitio ita cadit supra formam concreti, ut explicat tantum esse formæ, subjectum vero pure denominative se habet, & solum denominatur definiti, ergo ita erit in proposito. Probatur assumptum, cum enim dicimus, album esse diffragativum visus, nullo modo explicatur natura subjecti, sed solum accidentis, & ideo definitio quidditative cadit tantum supra formam; & hoc est præcipuum fundamentum secundæ sententiæ.

12 Resp. ad 1. & 2. quod hic non definitur sola res, sed res sub intentione sensu jam explicato, adducit Doctor hanc solutionem, nec ipsam rejicit, quia vidit sufficienter satisfacere; nam revera parum refert dicere, quod logica sit de secundis intentionibus applicaris primis, vel de primis, ut substantis secundis, quia quocumque modo dicatur, semper salvatur, quod logica sit scientia rationalis, & per se consideret secundas intentiones; ratio est, quia uno, vel altero modo dicendo, nunquam asseritur, quod res solas, & nudas consideret, sic enim esset artifex realis, sed ut denominatas, & affectas secundis intentionibus, sub quæ formalitate consideratæ non sunt materia idonea facultatis realis, sed rationalis, ut est logica.

Ad 3. dicimus argumentum illud urgere in omni opinione; nam etiam secunda asserit non definiti intentionem formalem, sed connotandam subjectum, unde adhuc in illa opinione quaeri potest de unitate illius connotati, vel enim est aliqua res particularis, & hoc non, quia subjectum non esset proportionatum formæ, quæ sibi applicatur, quia secunda intentio generis hic definita non est genericitas hac, vel illa, sed genericitas in communi; ergo pariter res connotata per hanc secundam intentionem erit communis omnibus, quæ possunt a tali intentione denominari. Ait igitur Doctor, quod res illa, quæ hic definitur, non est una unitate univocationis, sed tantum habet unitatem proportionis, modus tamen, quo hic definitur, est univocus omnibus genericibus, quia omnes natura eodem modo conveniunt in modo prædicandi de suis inferioribus. quam responsionem non improbat Doctor, sed sequitur; ut notat ibi Maur. & amplectuntur Recentiores omnes, quos valde exercuit hoc argumentum, ut est videre apud Hurta. Arriag. & alios hic, qualis autem sit unitas proportionis, declaratum est d. 2. q. 5. a. 1. Quod si urgeatur hanc unitatem non sufficere, ut aliquid sit definibile, quia definitio postulat in definito unitatem univocationis, si enim definitio est una, definitum quoque esse debet unum, ut sit cum ea convertibile. Dicimus cum Doctore ibidem, saltem adesse unitatem univocationis ex parte modi, quo natura diversæ sunt capaces intentionis logicæ, & hanc sufficere, ut definitio generis sit una, eique unum correspondeat definitum.

13 Ad quartum valet illud argumentum contra primam opinionem, ut dicebamus ita intellectam; quod secunda intentio sit ratio formalis, per quam natura constituitur de pluribus prædicabilibus, tunc enim bene concluditur argumentum, quod sicut talis intentio accidit naturæ, ita etiam & prædicabilitas, & definitio generis per accidens tantum, & denominative convenire naturæ, sicut definitio albi ideo per accidens convenit parietis, quia accidit ei albedo. At jam docuimus cum Licher. universale prædicari de pluribus essentialiter ratione naturæ in illis inclusæ, intentionem vero esse dumtaxat conditionem, quæ eam in actu proximo constituit ad exercitium talis prædicabilitatis, & ideo falsum est, definitionem generis convenire naturæ ratione ipsius intentionis in eo sensu: sic dicimus ignem de se esse potentem ad plura calefacienda, approximationem tamen esse necessariam, ut fiat in actu proximo ad exercitium virtutis calefactivæ; nec tamen licet hinc inferre, quod approximatio sit ratio formalis calefaciendi in igne, quia concurrunt tantum ut conditio, quam doctrinam etiam recipit Amic. cit.

Ad quintum major non est universaliter vera, quia concretum accidentale non solum definiti potest ratione formæ, ut cum definitur album esse diffragativum visus, sed etiam ratione subjecti, ut si definitur album esse substantiam habentem albedinem; quo casu certum est, albedinem non definiti, etiam nomine albi principaliter significatur albedo, sic igitur in proposito genus est utique nomen concretum principaliter importans genericitatem, hanc tamen ejus definitio, si de prædicatione exercita intelligatur, non convenit huic concreto ratione formæ, & intentionis, sed ratione naturæ, ut intentioni substantis, veluti conditioni, per quod etiam patet ad Confirm.

ARTI-

ARTICULUS II.

An definitio generis sit recte assignata.

14 Pro recta definitionis generis intelligentia not. est quod concreta accidentalia, ut in proposito est genus, soleant definiti, per subjectum, ut cum dicimus, quod album est res habens albedinem, adhuc tamen etiam definiti possunt per proprium genus, & differentiam, ut bene notavit Didacus disp. 6. quæst. 2. inimo hæc definitio est perfectior illa. Ratio est, quia ut notat Tatar. qu. 1. antepæd. dub. 2. ex Scoto 1. disp. 3. quæst. 4. in fine, cum definitur concretum accidentale per subjectum, ut cum dicimus, album est res habens albedinem, talis descriptio non est, nisi quadam nominis explicatio, & non per se expressio significati, quia nomen concretum de per se significato subjectum non importat, sed tantum de connotato, & de modo significandi; perfectius igitur definitur concretum, si definiatur per rationem ejus accidentalem superiorem etiam in concreto, dicendo v. g. album est coloratum diffragativum visus, unde definiendo concreta in hunc modum, imitandum semper est modus, quo ipsa forma definitur in abstracto (servata tamen connotatione) ut v. g. si in abstracto definitur albedo per colorem, non per corpus, album etiam definiti debet per coloratum, quod est connotativum genericum, & superius ad album, quod totum innuimus disp. 2. qu. 6. art. 2.

At inquit Thomista Sonc. 7. Met. qu. 6. Zanard. ibidem qu. 3. Ruvius in Log. qu. 3. Comput. cit. quæst. 2. Masius hic, & alii ex D. Thom. de interpret. lect. 4. & de ente, & essentia cap. 7. concreta accidentalia definiti per subjectum tanquam per proprium genus, & ideo in definitione concretorum aliud genus ab isto non esse querendum. Sed hæc doctrina non est recipienda, quia est concretum accidentale possit, ac debeat definiti per subjectum, tanquam per extrinsecum additum, ut docet Arist. 7. Met. cap. 13. non tamen tanquam per genus, quia genus definitiois est attributum intrinsecum, & essentiale rei definitæ, at subjectum non est intrinsecum formæ. Si dicat, saltem intrinsecum esse tunc constituto accidentali. Contra est, quod tale constitutum est ens per accidens, cui definitio non competit; & adhuc subjectum sic consideratum nequit dici genus logicum illius constituti v. g. albi, hoc enim est coloratum, unde ad summum nequit dici nisi genus physicum, quatenus est subjectum informatum, & denominatum a forma accidentali; unde d. 1. Phyl. q. 2. art. 1. ubi rursus hæc Thomistica doctrina refellitur.

15 Sed instant Complut. cit. dub. append. nullatenus potest accidens in concreto definiti per concretum superius loco generis, quia tunc idem esset modus significandi, & definiti concreti, & abstracti, & utriusque definitio esset æque perfecta in ratione definitionis, & utrumque æque proprie collocaretur in prædicamento. Resp. neg. sequelam, quia etiam concretum superius ingreditur definitionem inferioris servata connotatione; ex quo fit, definitionem concretæ semper imperfectiorem esse, quia est data per additamentum; & gratis concedimus accidentia in concreto in prædicamentis posse disponi, ut dicemus disp. seq. & in virtute illius dispositionis tenet famosa illa regula arguendi Summulistarum, quæ Scotus utitur quæst. 8. Univers. & quæst. 16. & quol. 13. & alibi sæpe, quod a concretis ad abstracta tenet consequentia, ubi est prædicatio per se idest superioris de inferiori, ut album est coloratum, ergo albedo est color, ex qua regula deducitur evidenter, concretum superius esse vere genus respectu inferioris, alioquin regula illa non valeret. Sed adhuc urget Complut. connotativum, quando prædicatur ut tale, prædicatur in quale, non in quid, ergo implicat ponere concretum superius connotativo modo in definitione inferioris per modum generis, de cuius ratione est prædicari in quid, non in quale. Resp. tale concretum superius in definitione inferioris prædicari in quid de suo inferiori, quia est ejus genus, & prædicari in quale de subjecto implicite connotato, unde quando dicimus, album est coloratum, ly coloratum respectu corporis, sive subjecti adjective tenetur, sed respectu albi pro formali tenetur substantivè, & sic respectu subjecti ejus prædicatio est denominativa, & adjectiva, respectu tamen albi, quod est suum inferius, est prædicatio quidditative ratione formæ importatæ.

16 Hac ergo supposita doctrina de duplici modo definiendi concreta accidentalia, cum artic. præced. conclusum sit posse definitionem generis intelligi de re quantum ad exercitiam prædicationem, & de intentione quantum ad signatam, modo consequenter dicendum est, quod si in primo sensu velimus definitionem intelligere, tunc definitio generis debet explicari, ut tradita per subjectum, ita ut per ly quod infinuatur natura generica, non quidem quatenus coincidit cum definito, sed prout importat materia definiti, definitum enim est natura; quatenus substat secundæ intentioni, pars vero materialis hujus concreti est ipsa natura in se. Si vero definitio generis intelligatur in secundo sensu, ita quod non res, sed intentio definiatur, tunc vel accipi potest in sensu materiali, ut facit Or-

Maffrii, & Belluti Tom. I. Logica.

bellus cap. de genere cum aliis quibusdam, vel in sensu formali; si primo modo accipiatur, adhuc ceteri debet tradita per subjectum, itaut per ly quod infinuatur fundamentum relationis genericitatis, scilicet natura generica, ut sensus sit, *genus est id, quod prædicatur*, idest intentio, quæ fundatur in illo, quod prædicatur, &c. quæ quidem per suum fundamentum notificatur; nec inconvenienti relationes præsertim rationis (ait Orb.) definiti per sua fundamenta, cum Arist. 5. Met. distinguat modos, seu species relationum realium per ipsarum fundamenta.

17 Si vero definitio accipiatur in sensu formali, tunc inveniendum est aliquod concretum superius ad genus, quod ejus definitionem ingrediatur per modum generis; Id autem poni potest prædicabile de pluribus, tale namque concretum ait Scotus q. 15. Univ. infinuatur per illa verba in definitione posita, *Quod prædicatur de pluribus*, hæc enim est definitio ipsius prædicabilis in communi, & bene licet loco generis, quod deberet in definitione poni, ponere integram definitionem ejus, ut Aristot. docet 6. Top. c. 3. cum definitio, & definitum quoad rem significatam sint profus idem; & hic dicendi modus fuit Avic. c. 6. suæ Log. quem sequuti sunt Cajet. c. de gen. Tolet. q. 3. Villalpan. q. 3. Conimb. q. 1. ar. 1. Hurt. d. 4. Log. sect. 1. Nec obstat, quod prædicabile sit passio universalis, ac proinde in definitione allata locum generis obtinere non possit, cum non prædicetur in quid de quinque universalibus. Nam huic objectioni sæpius dictum est Porphy. hic definire genus, speciem, &c. potius in ratione prædicabilis, quam universalis; & ut omnis tollatur altercandi occasio, dicemus nos accipere prædicabile radicaliter, non formaliter, quo sensu nemo negat prædicari in quid. Nec obstat, quod Porphy. per illam particulam, *prædicari de pluribus* distinguat genus ab individuo, ac proinde tenere locum differentia, non generis. Quia ut notat Doct. 1. d. 11. q. 2. sub C. bene potest etiam genus proximum præsertim distinguere definitum ab his, quæ non sub eodem genere continentur cum definito, animal enim distinguit hominem a lapide, unde per *prædicari de pluribus*, velut per genus, poterunt omnia prædicabilia ab individuo distingui, quod manifeste colligitur ex ipsis Porphy. verbis, dum inquit *ab his igitur, quæ de uno solo prædicantur, differunt genere, eo quod hæc de pluribus prædicantur*, declarat igitur se Porphy. potuisse illam particulam *prædicari de pluribus* loco generis.

18 Adhuc etiam probabile est, genus in hac definitione esse universale, præsertim si dicamus Porphy. illa quinque nedom sub ratione prædicabilis, sed etiam sub ratione universalis considerasse, & tunc sensus definitionis *genus est id, quod prædicatur*, erit, genus est id universale, quod prædicatur, &c. Neque ob id superflua esset illa particula *prædicatur de pluribus*, ut quidam objiciunt, veluti jam contenta in ly *universale*, quia tunc poneretur ad determinandam propriam rationem generis, per ultimam particulam *differentibus specie*, quæ sine illis mediis collocari, & cum ly *universali* connecti non potest, ut notavit Averfa quæst. 10. sect. 3. ubi hunc dicendum modum amplectitur, quem docuit Tatar. tract. 2. in Petr. Hisp. Joann. de Lapide quæst. 2. Albert. tract. 3. prædic. c. 3. Scoto quæst. unic. de gen. ad 5. Titelman. c. 7. de prædicab. Lovan. cap. de gen. Mercat. cap. de proprio. Didacus disp. 6. qu. 2. & alii. Verum tamen est, hunc dicendi modum non esse de mente Porphy. quia ut constat ex textu, illam particulam *prædicari de pluribus* ad alium finem posuit, ut, scilicet, per eam distingueret genus ab individuo, sic autem posita illa particula, non amplius dici potest relationem quod referri ad universale, tanquam ad genus, ut perperam Tatar. citat. est arbitratus, quia tunc per *universale*, intelligeretur genus ab individuo sufficientissime distinctum.

19 Ceterum alia duæ particule *differentibus specie in quid*, stant loco differentia; per illas enim distinguitur genus ab aliis prædicabilibus, cum quibus convenit in prædicari de pluribus, per ly enim *differentibus specie*, distinguitur a secundo prædicabili, quod prædicatur solum de pluribus differentiibus numero, hæc enim particula dat intelligere, quod genus non dicit totam essentiam, sed partem essentia, nam id, quod prædicatur de pluribus speciebus, non potest esse tota illorum essentia, quia species habent diversas essentias totales, quare una totalis non potest de omnibus illis prædicari. Unde genus differre a specie per hoc, quod prædicatur de pluribus specie differentiibus, species autem de pluribus differentiibus numero, non ita debet intelligi, quod sufficiat sola diversitas specifica, vel numerica inferiorum ad distinguenda universalia, ita quod constituantur distincta universalia penes majorem, vel minorem multitudinem subiectibilium præcise, ut contendit Averfa q. 10. sect. 1. & q. 11. sect. 1. hoc enim est falsum, quia differentia etiam generica, & specifica respiciunt talem diversam multitudinem subiectibilium, & tamen distincta universalia non constitunt, & ex alia parte differentia generica, & proprium genericum, differentia specifica, & proprium specificum eandem respiciunt multitudinem subiectibilium, & tamen distincta constituant prædicabilia; sed ita debet intelligi, ut universalia constituantur quidem in ordine ad multa, sed attentata qualitate prædicationis,

M 2

& com-

& communicationis ad illa multa, itant non sola diversitas illorum multorum, sed diversitas præsertim communicationis naturæ eisdem in illis absolutis variet formaliter universalis; & quidem manifeste videmus universalis essentialia, scilicet genus, speciem, & differentiam distingui a proprio, & accidente, non præcise per ordinem ad multa, quibus communicantur, quia potest assignari similis multitudo hinc inde, sed per diversum modum communicationis, & pariter illa duo ultima distinguuntur inter se; ea igitur ratione distinguitur genus a specie, quia species communicatur inferioribus suis, ut tota essentia, & prædicatur complete, genus autem veluti pars, & prædicatur incomplete.

20 Sed instat Averſa cit. hunc distinguendi modum genus a specie vel nihil valere, vel coincidere cum eo dicendi modo, qui genus, & speciem distinguit præcise per ordinem ad multa, in quibus sunt, quia scilicet, genus est in multis speciebus, species in multis individuis, nam in tantum species dicitur tota essentia suorum inferiorum, non quia non datur in individuis differentie individuales præter naturam specificam intrinsecam ipsi individuis, sicut sunt differentie specificæ speciebus, sed solum quia tales differentie individuales sunt infimi gradus non amplius communicabiles, naturæ vero genericæ additur differentia specificæ adhuc communicabilis, hoc autem non est aliud, quam dicere, genus per hoc a specie differre, quod illud potest esse in pluribus speciebus, species vero solum in pluribus individuis, & ita non ex modo inessendi, sed præcise ex parte eorum, quibus sunt, genus, & species distinguuntur.

Resp. neg. assumptum, si quidem universale logicum habet pro formali termino in suis inferioribus diversitatem essentiali, hoc est, diversas essentias, & per hoc a specifico contradistinguitur, quod autem differentia; per quas contrahitur, sint ulterius communicabiles, & multiplicationis individualis capaces, est per accidens, & materialiter se habet ad rationem formalem termini prædicationis ipsius generis; hoc declarari potest in sententia Thomistarum facturæ naturas angelicas incommunicabiles, & inter se specie differentes, & adhuc tamen agnoscunt naturam intellectualem, ut genus ad eas, non ergo ex sola communicabilitate ad plura, vel pauciora hæc duo universalis distinguuntur, sed ex modo, quo communicantur per modum partis, vel totius essentia; alia, quæ contra hunc distinguendi modum genus a differentia obiicit Averſa ibidem, soluta sunt q. 5. præced. disp.

21 Poncius quoque disp. 4. Log. n. 28. hanc doctrinam labefactare nititur, quia (inquit) si genus habet diversum modum prædicandi a specie, quia genus prædicatur incomplete, & dicitur partem essentia, ita etiam genus superius habere videtur diversum modum prædicandi a genere inferiori, quia prædicatur per modum magis incompleti, & magis potentialis, ut est evidens, quia est in potentia, & ad genus inferius quocunque suaque inferiora, v. g. substantia, ut sic, est potentialis respectu corporeæ substantiæ, & omnium quæ sub ipsa continentur, & præterea ad substantiam incorpoream, contentaque sub ipsa, substantia autem corporea non est tam potentialis, quia solum est potentialis respectu corporearum substantiarum, & non respectu incorporatarum; & hæc de causa, inquit, posse probabiliter dici, quod genera superiora distinguantur etiam in ratione generis ab inferioribus. At hanc rationem non esse sufficientem, ut genus inferius, & superius specie distinguantur in ratione genericæ constabit infra in fine q. huius art. 4. cum enim utrumque prædicatur incomplete, & dicat partem essentia materialem, censeri debent habere eundem prædicandi modum; ad quod parum refert quod genus superius prædicetur per modum magis incompleti, & potentialis, quam inferius, quia, ut ajunt Philosophi, magis & minus in eadem linea non variant speciem, ut constat de magis, & minus albo; non ergo ex hoc modo discernendi genus a specie sequitur genera superiora, & inferiora ab invicem specie distingui, ut infert hic Auctor.

22 Hic autem advertendum est, cum genus definitur per prædicari de pluribus specie differentibus non esse accipiendam speciem præ-formali, quia prædicari de pluribus differentibus specie pro formali idem est, quod prædicari de pluribus contentis sub genere, atque ita probando aliquam rationem communem esse genus, quia prædicatur de pluribus specie differentibus, hæc autem differre specie, quia continentur sub eodem genere, committeretur manifestus circulus, differre enim specie probaretur ex eo, quod fit sub genere, & esse genus, eo quia fit supra species, debet ergo prædicari de pluribus differentibus specie intelligi fundamentaliter, ac, pro materiali, ut idem sit specie, ac plusquam numero, seu essentialiter, ita quod differentia inferiorum generis attendatur ex diversitate essentialium suarum præcise respectu, quod sint sub eodem genere, ut evitetur circulus in hac definitione; hoc totum notavit Arriag. disp. 7. Log. n. 26. sed superbe nimis, dum ait forte nullum id ignorasse; hoc enim docet Tartar ex professo quæst. de specie art. 1. §. Secundo sciendum, ubi ait genus definitur per speciem, & speciem per genus fundamentaliter tantum, & pro materiali, ut evitetur circulus in his definitionibus.

23 Postremo per aliam particulam in quid separatur genus ab aliis tribus prædicabilibus differentia, proprio, & accidente, nam ultima duo absolute prædicantur in quale, & accidentaliter, differentia vero prædicatur in quale quid, quia dicit partem essentia per modum determinantis, & qualificantis, & per modum termini adjectivi, genus vero dicit essentiam per modum per se stantis, & termini substantivi, & ideo absolute dicitur prædicari in quid, & essentiam per modum essentia, quia differentia quoque prædicatur utriusque essentiam, sed per modum qualitatis, quam expositionem tradit Doctor quæst. 12. Univers. & est communiter ab omnibus accepta. Ratio huius discriminis inter genus, & differentiam indicatur ab Arist. 6. Met. cap. 28. ubi ait, genus esse, quod primum inest, & quod est subiectum, differentiam vero se habere, ut qualitatem eius; quia igitur differentia inus est non præbere primum quidditatis fundamentum, sed advenire generi, illudque determinare, ut constituitur species, inus vero generis est præbere tale fundamentum, ideo ad genus pertinet modus substantivus, ad differentiam vero modus qualificativus, & adjectivus, unde differentia prædicatur in quid secundum rem, non secundum modum, genus vero prædicatur in quid secundum rem, & modum, & ex hac doctrina exponendus est Arist. ubiqueque affirmat, tam genus, quam differentiam prædicari in quid, ut 7. Top. cap. 2. 1. Post. 21. loquitur enim de prædicari in quid secundum rem tantum. Num vero ex natura rei determinatum sit in qualibet specie, quod hoc prædicatum sit genus, & dicatur substantive; illud differentia, & dicatur adjectivæ, num potius ex arbitrio nostro, ut contendit Averſa, dicemus disp. seq. quæst. 4.

Contra allatam definitionem obiicitur 1. contra singulas particulas, videtur enim in primis male definiti genus per actum prædicandi, quia ut diximus disp. præced. quæst. 2. art. 3. actus prædicandi mere accidit universalis, & ex vi actualis prædicationis potius extraneatur relatio universalis, quam ponatur, ut ait Doctor ibi cit. quæst. 16. Univers. in sol. ad 8. Secundo animal, quod est in Petro, vel Brunello, non potest quidditative prædicari, nisi de solo Petro, vel Brunello, quia solum est de eorum quidditate, nam animalitas Petri tantum constituit Petrum, & Brunello Brunellum, non alia individua, ergo male dicitur, quod prædicatur de pluribus. Tertio et contra, non tantum prædicatur genus de pluribus specie differentibus, sed etiam genere, substantia namque prædicatur de corpore, & spiritu, quæ & ipsa sunt genera, prædicatur etiam de pluribus numero differentibus. Nec dicas genus prædicari de individuis mediare tantum, nam art. seq. offendimus etiam immediate prædicari. Nec etiam dicas speciem prædicari de individuis cum præcise, sed genus sine præcise; quia si hoc sufficeret ad distinguendum genus a specie in ratione universalis, tunc etiam differentia genetica, & specificæ, proprium genericum, & specificum, item & accidens, diversa universalis constituerent, ut toties inculcatum est cap. 4. de substant. & 7. Met. 48. secunda substantia prædicantur in quale quid; e contra vero 2. Post. 79. differentia prædicatur in quid, & cum sit gradus essentialis, sicut genus, immo nobilior, debet quoque ei concedi perfectior modus prædicandi, scilicet, in quid; ergo non bene per hanc particulam distinguuntur genus a differentia.

24 Resp. ad 1. Mayron. passu 2. logicos verbum prædicatur, intelligere, ut dicit aptitudinem; vel dicendum, quod sicut ratio universalis, ut sic, servatur in relatione inessendi tam aptitudinali, quam actuali; sic in proposito ratio prædicabilis, ut sic, servari potest in relatione prædicandi tam aptitudinali, quam actuali, loquendo tamen de prædicatione signata, per hanc enim semper applicatur ad plura, & quando Doctor loc. cit. inquit ex vi actualis prædicationis extraneari relationem universalis, advertit ibi, id esse intelligendum de prædicatione exercita, non signata. Ad 2. licet animalitas contracta per differentiam a parte rei ad constituendum individuum alicujus speciei, nequeat a parte rei prædicari nisi de illo solo, ut notat Scot. 2. d. 3. quæst. 1. sub H, quia tamen adhuc natura remanet indifferens intrinsece ad singularia aliarum specierum constituenda, remote est prædicabilis etiam de illis, & quando ab intellectu præcise ab illa differentia accipit indeterminationem positivam, tunc efficitur proxime prædicabilis, ut explicatum est disp. præc. ad 3. genera superiora prædicantur de pluribus genere differentibus, non quatenus genera sunt, sed quatenus subalterna, quo sensu dicuntur species subicibiles; nam ut inquit Doctor in hac q. de differentibus genere, in quantum talia, nihil per se prædicatur; quomodo autem genus respiciat individua immediate, dicemus art. seq. Ad 4. alio modo sumit Arist. ibi quale quid, ut distinguatur contra hoc aliquid, ut innumeratas naturas universales esse communicabiles, non vero per se subsistentes, & non dixit illas prædicari in quale quid, sed significare quale quid. Patet autem ex dictis, quo sensu multis in locis dixerit Aristot. differentiam prædicari in quid, nimirum quantum ad rem prædicatam, prædicatur enim attributum essentiali, & partem quidditatis specificæ, non tamen quantum ad modum, quia prædicatur per modum quali-

qualitatis, & adjacentis. Neque hic modus prædicandi derogat excellentiæ gradus differentialis, quia absolute loquendo modus prædicandi in quale quid perfectior est modo prædicandi in quid per modum partis, sicut enim forma est perfectior materia, quia illam contrahit, ac determinat, ita in proposito modus prædicandi in quale quid, & per modum determinantis perfectior erit modo prædicandi in quid, & per modum determinabilis, ut bene notavit Didac. cit.

25 Deinde obiicitur contra totam definitionem. Primo, quia convenit aliis a definito, nam convenit entri, quod prædicatur de pluribus specie differentibus. in quid, & tamen non est genus, ut testatur Arist. 3. Met. cap. 3. si militer animæ in communi, quæ dicitur de rationali, vegetativa, & sensitiva, quæ specie differunt, & tamen non est genus, quia non ponitur in recta linea. Deinde e contra non convenit omnibus generibus, nam genus, quod ponitur in ista definitione, latius patet ipso genere definito, hoc enim est de ratione eius, quod in definitione ponitur loco generis, quod latius patet ipso definito. Tandem hæc definitio continet aliqua, quæ non spectant ad essentiam rei definitæ, nimirum illa plura, de quibus dicitur genus, hæc enim utriusque non sunt de quidditate generis.

26 Resp. Thomista, ens non esse genus, quia est analogum; At in Metaph. ostendimus non ita esse analogum, ut excludat unitatem conceptus, quæ ad univocationem sufficit, unde in nostra sententia magis adhuc urget difficultas; sed optime respondet Doct. 1. d. 3. q. 3. §. Contra istam univocationem ex ipso Arist. cit. 3. Met. 10. quia quidditative includitur in quibusdam differentiis, quod est prorsus contra rationem generis, quod cum sit realitas potentialis ad illas, consequenter omnino præcinit ad illas, quam solutionem adhuc magis declarat d. 8. q. 3. S. & Y. §. Ad primum argumentum, ait conceptum generis necessario desumi ab aliqua realitate distincta a realitate differentia, & per eam perfectibili, & contrahibili, ac proinde limitata, & finita, conceptus vero entis est communis ad finitum, & infinitum: quam doctrinam directe ibi declarat, & nos infra explicabimus, cum Deum a prædicamento excludemus: eadem ratione negat Maur. q. 5. Univers. §. Quarto dubitatur, ens esse genus, & ceteri Scotista passim; esto illi, qui tenent conceptum entis desumi ab aliqua realitate adæquate concepta, ut alios gradus prædicamentales, hunc nodum difficulter solvant, ut fufius in Met.

27 Sed instat Arriag. disp. 7. Log. num. 25. ex vi definitionis tradita necessario sequi ens esse genus, præsertim in Scholis ejus univocationem admittentibus, quia tota præfata definitio ei competit, cum prædicetur in quid incomplete de pluribus specie, hoc est, plusquam numero differentibus, quod addit, ne quis dicat ipsum petere principium, quod illa, de quibus ens prædicatur, scilicet Deus, & creatura, substantia, & accidens, supponat esse sub genere, eo quia illa appellat distincta specie; cum igitur per nullam particulam excludatur ens ab ista definitione, cur genus dici non debeat, si hæc definitio est bona? Resp. si loquitur de ente, ut solum transcendit substantiam, & accidens, id est de ente finito, gratis concedimus esse genus, ut magis constabit disp. seq. Si vero loquitur de ente, ut transcendit Deum, & creaturam, negamus esse genus, tum ob rationem allatam, quia non præfert realitatem potentialem, & contrahibilem per realitatem differentia, quod necessarium est, ut aliquid proprie dicatur genus esse, ut docet Scot. 1. d. 8. quæst. 3. prope fin. tum quia de ratione generis est, ut dicat relationem ad plures species, Deus autem non est species, sed essentialiter est substantia individua, & singularis, nullum vero genus constituitur per ordinem immediatum ad rem individuum, unde formaliter loquendo excluditur a definitione generis per hoc, quod non prædicatur de Deo, & creatura, ut de pluribus speciebus, sicut neque ad illa contrahitur per veras differentias faciendo compositionem metaphysicam, quæ omnia necessaria sunt, ut aliquid commune de pluribus dicibile in quid per modum partis essentia dicatur genus. Quod si Arriag. velit appellare genus quemcumque talem conceptum etiam citra illas conditiones, erit quæstio de nomine: re tamen vera non omnem hujuscemodi conceptum esse appellandum genus, optime demonstrat Pasqualig. 1. p. sua Met. disp. 39. lect. 2. ubi advertit, quod realitas apta fundare intentionem generis debet dicere aliquam rationem entis determinatam, in qua salvetur potius inchoatio huius naturæ, quam altera, nec sufficit ratio entis, ut sic, quæ ex se non dicit inchoationem determinatam naturæ, sed tantum esse reale, sed de hoc fufius in Met.

Ad instantiam de anima in eodem primo argumento allatam concedimus habere rationem generis ad illa tria, quod autem non ponatur directe in prædicamento, solum infert, quod non est genus completum, non ex defectu universalitatis, sed naturæ, quæ partialis est, ac incompleta. Ad 2. jam supra dictum est universale, vel prædicabile, quod ponitur loco generis in hac definitione, accidentaliter contineri sub genere primo prædicabili; quatenus scilicet quicquid convenit generi, ut genus est, con-

Maffrii, & Belluzi Tom. I. Logica.

venit etiam universali, quatenus a tali intentione denominatur. Ad 3. illa plura ponuntur in definitione oblique tantum, & connotative, respectus enim semper definitivus in ordine ad terminum, & terminus ponitur in ejus definitione, ut additum.

28 Quæres, an ista definitio sit descriptiva, vel quidditativa? Respond. magnum hic abique causa iniri prælium inter Thomistas, & Scotistas, cum sit fere lis de nomine; si Porph. loquitur de genere, quatenus prædicabile est, & non potius quatenus universale, ut mens ejus fuisse videtur, erit definitio, & non descriptio, quia dicit de, licet sit passio universalis, est tamen de essentia prædicabilis. Si vero loquatur de genere, ut est universale, tunc dicendum est, quod si prædicari sumitur formaliter, tunc definitio, quia est data per passionem, si vero radicaliter, est definitio, sic enim dicit de coincidit cum esse in, & altero istorum modorum intelligendus est Doctor q. 15. univers. quando inquit prædicari de pluribus esse rationem universalis, cum in 2. d. 3. q. 1. aliter sentiat; quod si quid amplius conrendant ex hoc loco Scotista, dicimus, Doctorem majorem habere auctoritatem in lib. sent. quam univers. in quibus solummodo ea doctrina recipienda est, quæ consonat cum lib. sent. juxta regulam generalem, quam tradidimus in quæst. præc. de recipienda Doctoris auctoritate. Advertendum tamen est, quod cum dicimus præfaram definitionem esse quidditativam, non loquimur de pure quidditativa, quæ tantum constat ex proprio genere, & differentia sed de quidditativa per additamentum data, in qua ultra proprium genus, ac differentiam involvitur quid aliud ab essentia definiti diversum ob ordinem aliquem; quem habet ad illud, sine quo definitio illa intellectum non quietaret, quo genere definitionis non solum definiuntur accidentia omnia relativa, quorum esse totum est ad aliud se habere, & ideo perfecte concipi nequeunt, nisi etiam concipiantur fundamentum, & terminus, sed etiam accidentia aliqua absoluta, immo & substantia, præsertim incompleta, ut docet Scot. 4. d. 1. q. 2. & d. 12. q. 1. L. & alibi sæpe.

Præter allatam generis definitionem Porph. affert aliam, dicens genus est id, cui supponuntur species, quæ definitio potest dici, tum essentialis, tum accidentalis juxta duplicem sensum, quem potest habere; si enim ita intelligatur, genus est universale quod refertur ad species, erit essentialis, quia essentiali est generi respicere sua inferiora; si vero ita intelligatur, genus est universale, ad quod species referuntur; seu quod terminat respectum specierum, erit accidentalis, quia accidit generi, quod respiciatur ab inferioribus, licet enim non respiceretur per mutuatam relationem, adhuc tamen bene intelligeretur constitutum in suo esse per respectum, quem dicit ad inferiora, & quoniam hic posterior dicendi modus est frequentior apud Auctores, & magis intentus videtur a Porph. idcirco communiter docent, hanc ultimam definitionem esse accidentalem.

ARTICULUS III.

Quomodo Genus prædicatur de individuis.

29 Compertum est apud omnes genus de individuis prædicari, propterea enim dixit Porph. genus prædicari de pluribus specie differentibus, non autem dixit de speciebus; ut infirmaret genus non tantum de speciebus prædicari, sed etiam de earum individuis, quæ proprie ab invicem specie differre dicuntur, solum dubitari solet de modo, quo prædicatur, & duplex esse potest dubium.

Primum est, an mediate tantum prædicatur de illis, id est mediante specie, quo sensu dicimus, quod Petrus est animal, quia est homo, an etiam possit interdum immediate prædicari. Est satis vulgata opinio, genus non prædicari per seipsum immediate de individuis, sed solum de specie, & hac mediante etiam de individuis, in quo a specie secernitur, quæ de suis individuis immediate prædicatur, ita Alber. tract. 4. de prædicab. c. 1. Scot. q. 17. Univ. Conimb. q. 1. de spec. Tolet. q. un. Onna q. 2. art. 2. Fuentes dist. 3. q. 7. Masius sect. 2. de genere q. 3. & 4. Juvell. tract. de quinque prædicab. cap. 2. Joan. de S. Th. q. 7. art. 1. & alii passim, quod manifeste videtur Porph. ipse docuisse cap. de specie, dum ait: *Alique omnino id omne, quod est ante individua, & de ipsis sine medio prædicatur, species erit duntaxat, & nullo modo generis rationem subibit.* Et hanc sequuntur opinionem, quicunque negant individua generica, id est immediate contenta sub genere, de quibus immediate prædicatur, ut Suarez disp. 6. Met. lect. 9. ubi asserit nulla ratione posse gradum animalis contrahi immediate per differentiam individualem, sed mediante differentia specificæ, atque adeo non dari hoc animal immediate contentum sub animali, sed Petrum, vel hunc Leonem, in quibus per eandem indivisibilem differentiam individuali contrahuntur omnes gradus superiores, idem quoque asserit Fonseca. 5. Met. cap. 28. quæst. 14. lect. 3. & alii ad ipsum.

Alia sententia docet posse genus etiam per seipsum, & immediate prædicari de individuis, ut cum dicimus, hoc animal est animal, hoc corpus est corpus, quæ

propositiones veræ sunt immediate, & non solo nomine, nam prædicatum significat naturam corpoream, vel sensitivam in communi, & subiectum eandem naturam singularizatam; ita ex Recentioribus multis, ut Ruvius c. de specie q. 5. Ovviéd. contr. 4. Log. punct. 4. Hurtad. in Log. disput. 4. sect. 5. & quicunque admittunt individua generica, & incompleta, ut D. Thom. opul. 55. & Scotus 1. d. 3. quæst. 6. vers. *item ultimo*, ut ibi notat Bargius, & 1. d. 8. quæst. 3. prope finem & clarissime in 4. d. 8. quæst. 2. O. ubi citat Doct. Avicem. 1. suæ Physic. qui fuit primus inventor individui generici, sequitur Sanchez quæst. 56. prædicab. Blanc. disputat. 3. section. 6. Arriag. disput. 7. Logic. num. 5. & 28. & alii quamplures.

30 Pro resolutione huius dubii notandum est individua dupliciter considerari posse, primo ut sunt a parte rei, & sic verum est nullum dari individuum, quod immediate sub genere continetur, quia omne tale continetur immediate sub aliqua specie infima; secundo prout ab intellectu concipiuntur sub gradu naturæ superioris, non considerato gradu specifico, quem re vera participant, quod vulgari exemplo de veniente a longe explicari potest, nam si ex motu, vel aliqua alia animalis proprietate, quam in eo deprehendimus, cognoscimus illud esse individuum aliquod animalis, non tamen distincte sit nec ne equus, vel alius, tunc dicimus cognoscere individuum inadæquate, & incompleta, in qua acceptione significatur nomine huius animalis; & individua hoc modo considerata dicuntur incompleta, & generica, incompleta quidem quia non attinguntur secundum totam essentiam suam, quam habent a parte rei, generica vero, quia formaliter, & immediate participant naturam genericam. Et quidem hæc individua generica hoc modo debere admitti, id est non a parte rei, sed apud intellectum inadæquate concipientem, docet Scotus aperte loc. cit. cum Avicem. & Varrone Magistro suo, unde inquit, quod in singularibus est ordo secundum ordinem universalium, & quod prius universale quodcumque potest intelligi descendere in proprium singulare, quam contrahatur per differentiam aliquam ad aliquod inferius, tanquam ad speciem, ut sic habeamus ordinem istorum singularium, hoc ens, hæc substantia, hoc corpus, & sic deinceps usque ad Sortem, hoc prænotato.

31 Dicendum, quod licet de individuis specificis, & completis prædicatur genus media specie, de genericis tamen, & incompletis per seipsum immediate prædicatur. Conclusio colligitur ex Scot. cit. eamque tenent Auctores secundæ sententiæ. Probatur, quia ut dicebamus, hæc prædicationes sunt veræ, hoc animal est animal, hoc vivens est vivens, ubi prædicatum significat naturam sensitivam in communi, & subiectum eandem naturam singularizatam; sed inter naturam in communi sumptam, & in singulari nullum potest dari medium, ergo genus immediate prædicatur de individuis incompletis. Deinde sicut natura specifica in singularibus est individua, ita & generica, sicut enim Petrus ideo est hic homo distinctus numero a Paulo, quia habet distinctam numero humanitatem, ita est hoc animal, quia habet animalitatem distinctam numero ab animalitate Pauli, esto igitur animal prædicatur mediate de Petro, & Paulo, ut sunt homines, immediate tamen prædicatur de illis, quatenus sunt hoc, & illud animal, quia inter animal, & hoc animal nullum est medium, quo probari possit, animal dici de hoc animali. Conf. illud prædicatur immediate de aliquo, quod cognoscitur illi convenire nullo alio tertio cognito, & contra illud mediate prædicatur, quod non cognoscitur alteri convenire, nisi mediante cognitione alicujus tertii, sed inter cognitionem individui adæquate, & complete cogniti, & cognitionem naturæ genericæ mediat cognitio speciei, quæ non mediat inter cognitionem individui inadæquate cogniti, & cognitionem naturæ genericæ, ergo genus prædicatur mediate specie de individuo completo, seu adæquate cognito, immediate vero de incompleto, seu inadæquate cognito: minor quoad primam partem patet, ratio enim cur de Petro (qui sub tali nomine datur intelligi individuum completum, & adæquate cognitum) affirmetur, quod sit animal, est, quia cognosco illum esse hominem, vere enim Petrus ideo est animal, quia est homo, & participat naturam genericam mediante specifica; Probatur etiam minor eadem quoad secundam partem exemplo supraposito de veniente a longe, quod percipitur esse animal, sed non cuius speciei, quod quidem fuit exemplum ipsius Avicem. & adducitur a Scot. loc. cit. ubi etiam refellit tacitam responsionem, posset enim quis dicere, quod cum videmus venientem a longe in casu posito, non videmus hoc animal, sed universale; id dici non potest (ait Doctor) quia visus non videt universale, ergo debet intelligi de singulari universalis. Probatur etiam ratione ibi a Scoto allata ex Varrone, quando enim de aliqua re ignoramus, quid sit distincte, & in particulari quærimus, quid est hoc? at tunc ibi *ly hoc* non supponit pro aliquo singulari speciei infimæ, ut hoc ligno, vel hoc lapide, quia tunc non ignoraretur, quid sit illud quod per tale nomen quæritur, quia idem non supponitur, & quæritur, supponit ergo pro singulari entis, & quæritur in speciali, quid illud sit, unde data re-

sponsione, quod est vel lignum, vel lapis, statim quiescit intellectus.

32 In oppositum obicitur 1. gradus ita prædicatur de inferioribus, sicut sunt dispositi in serie prædicamentali, sed in ea serie inter gradum specificum, & individuum mediat species, ergo gradus genericus non prædicatur de individuis, nisi mediante specie. Conf. non potest esse immediata progressio de extremo ad extremum, nisi per medium, sed gradus genericus est supremus, individuis est infimus, specificus vero est medius inter utramque, ergo nequit genericus prædicari de individuo, nisi prius prædicetur de specifico. Resp. cum distinctione minoris inter genus, & individuum completum, ac adæquate cognitum utriusque mediare speciem, non tamen genus, & individuum incompletum, seu confuse cognitum, individuum enim sic sumptum est immediatum generi. Ad Conf. conceditur major, quando illa extrema non sint immediata, at in proposito gradus genericus & individuis incompletus sunt immediate, & gradus genericus dicitur supremus, quia est superior, individuis dicitur infimus, quia est inferior, & non quia inter utrumque alter intercedat.

33 Deinde arguitur, hæc individua generica non dantur a specificis distincta, ergo de illis nequit genus immediate prædicari; Probatur assumptum: Tum quia quando dicimus hoc animal est animal, idem est, ac si dicamus, Petrus est animal, quia articulus demonstrativus determinat, & designat aliquod singulare existens, sed nullum est, vel esse potest singulare, nisi determinatæ speciei, ergo hoc animal significat individuum, non genericum, sed specificum. Tum quia secundum Scot. 2. d. 12. quæst. 2. quod determinat sibi aliquam speciem in illo genere, est aliquid individuum in illa specie, ergo omnia individua sunt specifica. Tum tandem, quia animal non multiplicatur, nisi per rationale, & irrationale; ergo non datur hoc animal, nisi quatenus datur hic homo, hic Leo.

Resp. neg. assumptum, quod non datur individua generica a specificis distincta modo jam declarato, ad primam prob. neg. item assumptum, ad cuius prob. occurrit Doct. loc. cit. in 4. quod licet illa pronominia *hoc*, & *illud* demonstrent singulare speciei infimæ, quia singulare universalis nequit esse in rerum natura, nisi in aliquo singulari alicujus speciei infimæ reperitur, tamen per se supponunt pro singulari entis, & magis universalis, & ratio est, quia non demonstrant singulare speciei infimæ distincte, & adæquate, sed confuse; unde argumentum probat solum, quod utique a parte rei nec datur, nec dari potest singulare universalis distinctum a singulari speciei infimæ, non tamen probat, quin prius concipi possit singulare magis universalis, quam minus universalis, conjungendo nempe per intellectum animalitatem prius cum singularitate, quam cum rationalitate; neque enim oportet, ut inter conceptus singularium, & conceptum genericum animalis obversetur in mente conceptus speciei. Ad alteram ejusdem assumpti prob. ex Scoti auctoritate patet per idem, quod considerando individua in statu realis existentia omnia sunt specifica, sed in statu existentia objectivæ apud intellectum inadæquate concipientem etiam dantur generica. Ad ultimam patet quoque per idem, non enim animal a parte rei prius singularizatur in individuis, quam contrahatur per rationale, & irrationale; oppositum tamen contingere potest per intellectum inadæquate concipientem. Sic denique intelligendi sunt Porph. & Scot. ex initio dubii, dum dicebant universale immediate dictum de individuis habere rationem speciei, non generis, hoc enim dixerunt, tum quia ita est, cum sit prædicatio de individuis completis; tum quia etiam si genus prædicatur de incompletis, tunc non prædicatur per modum generis, sed speciei, ut mox dicemus.

34 Tandem arguit Suarez, & ejus argumenta probare videntur, nec etiam per intellectum inadæquate concipientem posse dari individua generica a specificis distincta; quia ratio generica præcise sumpta est indifferens, & quasi in potentia essentiali, ut per differentiam specificam determinetur, ergo donec intelligatur hoc modo determinata, non potest intelligi proxime capax individuationis. Accedit, quod unica, & simplicissima differentia individualis sufficiens est ad determinandam in singulari totam, & integram essentiam, prout includit omnia prædicata superiora, frustra ergo finguntur tot differentia individuales denominativæ priorum graduum superiorum. Nec valet respondere esse unicam a parte rei, sed esse multiplicem per intellectum, nam nequit reddi ratio, cur possit eadem differentia individualis partiri in plures per intellectum, quarum singula singulis gradibus superioribus respondeant, & non differentia specifica in plures specificas. Denique non est minus essentialis connexio, & ordo inter differentiam generis specificam, & individuaalem, quam inter differentias superiores magis, & minus universales usque ad specificam, v. gr. non est major connexio, & ordo inter sentiens rationale, & Petreitatem, quam inter substantiam, corpus, vivens, sentiens, rationale; atqui corpus non potest contrahi etiam per intellectum per differentiam hominis, nisi media differentia animalis, ex corpore enim, & rationali solo nequit etiam per intel-

intellectum aliquid unum constata, ergo neque animal est determinabile per differentiam huius animalis v. g. Petri, nisi media differentia hominis.

35 Resp. ad 1. rationem genericam ante determinationem specificam non esse proxime capacem pariter individuationis specificæ, quia cum individuum specificum speciem includat, sane non potest genus ad ipsum contrahi, nisi media specie, bene tamen est capax individuationis genericæ, quia cum individuum genericum speciem non includat, potest utique immediate ad ipsum contrahi. Ad 2. una individualis differentia sufficit ad terminandam speciem immediate, & media illa omnia prædicata superiora a parte rei; adhuc tamen per intellectum possunt concipi alia differentia ratione distincta, quæ gradus superiores contrahant immediate modo explicato. Ratio autem, cur individualis differentia possit ita partiri per intellectum, & non specifica, est, quia quilibet gradus superior, etiam ab alio præcise, est capax individuationis, unde dicimus hoc corpus, &c. unde dari possunt plures conceptus ejusdem differentia individualis, quorum quilibet correspondeat suo gradui superiori: at non quilibet gradus superior præcise ab alio est capax effectus formalis differentia specificæ v. g. rationalis, non enim est subiectum capax ratiocinationis, nisi ipsum animal, & ideo nequeunt distinguere plures conceptus ejusdem specificæ differentia correspondentes distributive gradibus superioribus. Ad 3. negatur paritas, cum enim in gradu specifico infimo essentialiter includantur omnes gradus superiores v. g. in homine, utriusque rationale nequit hominem constituisse, & ad ipsum substantiam, & corpus contrahere, nisi medio vivente, & sentiente; sed quia in individuo generico non nisi genus includitur, potest genus immediate per singularitatem contrahi; bene tamen currit paritas de individuo specifico, cum enim in ipso species includatur, consequenter nequit gradus genericus ad ipsum constituendum descendere, nisi media specie.

36 Hæc omnia bene significavit Blanc. cit. ibi tamen valde decipitur, dum ait, in hoc tantum sensu posse admitti individua generica, ut sub uno genere non nisi unum queat assignari, ut sub animali hoc animal, prout idem est, quod individuum animalis, nam hoc animal sic sumptum, sub nulla specie continetur; immo commune est omnibus specierum individuis, nam & Petrus est hoc animal, & Bucephalus est hoc animal, id est individuum animalis. Præter autem hoc animal sic sumptum, nulla alia dantur individua animalis, nisi hic homo, aut hic Leo, quæ sunt individua specierum, nec aliud potest mens afferri, inquit ipse. Sed valde fallitur, ut dicebamus; sicut enim Petrus est hic homo distinctus numero a Joanne, quia habet distinctam numero humanitatem; ita est hoc animal, quia habet animalitatem numero distinctam ab animalitate Joannis, & sic de aliis individuis, ergo plura individua generica dantur sub eodem genere, non unicum tantum, & quando hic sit quæstio de individuis genericis, an detur saltem per intellectum distincta a specificis, est quæstio de individuis signatis, non autem de hoc animali, ut est individuum vagum animalis, quod magis proprie diceretur aliquid animal, hoc enim a nullo negatur; nec etiam est quæstio de conceptu individui generici in communi, qui videtur abstrahi posse a singulari genericis, si admittantur, nam his admisis idem profus dici debet de tali conceptu, quod dici solet de conceptu individui specifici in communi; quare concludimus Blanc. non assecutum fuisse statum quæstionis.

37 Pasqualig. etiam 1. par. suæ Met. disp. 55. adhuc etiam rem magis confundit, dum distinguit de individuo secundum esse physicum & materiale considerato, quo sensu dicit totam, & completam individui entitatem, & secundum esse formale, quo sensu dicit solum esse individuale, ut sic, & postea inquit genus immediate prædicari de individuis primo modo consideratis, sed mediate de ipsis altero modo inspectis. Plane hoc est contra omnium opinionem, nam individua primo modo inspecta sunt completa, de quibus tamen fatentur omnes genus non nisi mediate prædicari; secundo modo sumpta sunt incompleta, quia dicunt puram individuationem in concreto, ut ipse loquitur, sic autem possunt immediate subterni, non tantum speciei, sed cuiuscumque gradui superiori præcise sumpti, quia quilibet se solo est capax effectus formalis individuationis, ut sic independenter a specie, licet non individuationis specificæ, ut contra Suarez discurreramus; sed quæso ne conteramus tempus circa dicta, & chimeras Recentiorum, qui ut aliquid novi videantur afferre, in mille passim labuntur ineprias. Poncius autem disput. 4. qu. 6. hanc quæstionem pertractans quærit, an natura generica possit dari a parte rei absque ulla differentia positiva præter individuaalem, unde non videtur assecutus hic Auctor statum quæstionis, non enim est difficultas de individuis, ut sunt a parte rei, quia ut dictum est n. 30. certum est nullum dari individuum a parte rei immediate collocatum sub genere, quod non sit etiam sub aliqua specie, ut notat Scot. 2. d. 12. q. 2. lit. C.

38 Aliud autem dubium ad hunc articulum spectans est, cum genus prædicari possit tum de individuis completis, *Maffrii, & Belluti Tom. I. Logica.*

ut Petrus est animal, tum incompletis, ut hoc animal est animal, de illis mediate, de istis immediate, quæritur, an in his prædicationibus servet adhuc universalitatem generis, vel potius inducat modum speciei. Hurtad. cit. tenet adhuc prædicari per modum generis, quia adhuc prædicat partem essentia, & per modum entis incompleri; idem defendunt alii, sed ex alio capite, quia nimirum esto prædicetur de individuis, non tamen præcise de illis, cum adhuc etiam de speciebus sit prædicabile, in quo fecerunt genus a specie, quæ de solis individuis est prædicabilis, qui dicendi modus Avicem. tribuitur, & refertur a Scoto q. 17. Univerf. in fol. ad 1. sed non sinit in eo immediate subdens aliam solutionem. Alii inquit prædicari per modum speciei, ita volunt Ruvius, Didac. Blanc. Complur. & Arriag. dum prædicatur de individuis incompletis, quia tunc prædicatur, ac si diceret totam eorum essentiam; idem asserit Averfa, dum prædicatur etiam de completis, declarat tamen, id esse intelligendum, cum prædicatur de individuis ejusdem speciei, quia revera tunc genus non prædicatur de pluribus specie differentibus, sed tantum numero, & ideo induit modum speciei. Lovanienses tandem c. de genere, quibus subscribit Blanc. & Poncius disput. 4. n. 65. loquentes de individuis ejusdem speciei, docent, dum genus ad individua refertur, non habere amplius rationem generis, aut alterius ex quatuor prædicabilibus, sed constituere aliam quandam speciem universalis innominatam; quæ sententia etiam absolute refellenda est, quia absque necessitate multiplicat universalia.

39 Dicimus, quod si genus comparatur ad individua completa, sive diversæ, sive ejusdem speciei, semper prædicatur per modum generis, si vero ad incompleta, potius induit modum speciei. Hæc conclusio quoad 1. partem communis est, quam multi probant ex illo Avicem. fundamento, quia genus prædicatur de individuis quidem, sed sine præcise, & ideo adhuc manet distinctum a specie; quæ prædicatur de illis cum præcise. Ruvius notavit hujus rationis insufficienciam, quia tunc genus, & species differret per differentiam negativam, & non positivam, nam prædicari de individuis præcise, & non de aliis magis diversis est pura negatio. Pasqualig. notavit ex alio capite, quia tunc genus non tantum esset genus, sed etiam species, quia prædicaret de pluribus numero differentibus, quod est proprium speciei. Ratio Avicem. equidem insufficientis est, non tamen ex eo capite, unde dicebat Ruvius, quia adhuc genus haberet suum modum prædicandi positivum, quo se extenderet tum ad species, tum ad individua, species vero talem modum, quo se extenderet ad individua tantum, & quidem positivum; esto partim per negationem explicaretur, neque ex eo capite, unde arguebat Pasqual. nam esto genus prædicaretur, de individuis, non sequeretur esse etiam speciem, sed solum esse universale magis illimitatum speciei, quia se extenderet ad quæcumque se species extendit, & ad alia plura, ac etiam per diversum modum prædicandi, sicut etiam non quia sensus dicitur esse singularium cum præcise intellectus sine præcise, quia etiam est universalium, deducitur intellectus esse etiam sensum, sed solum, quod sit potentia illimitata sensu; sed ratio Avicem. ex hoc refellenda est, quia si discrimen ab eo assignatum esset sufficiens ad distinguenda genus, & speciem, ut diversa prædicabilia, deberent etiam in ratione universalium distingui differentia specifica, & generica, proprium specificum, & genericum, & sic etiam accidens, quia illa cum præcise, ista sine præcise prædicantur de pluribus numero differentibus, ut sapius est inculcatum.

40 Ratio igitur, cur genus etiam de in individuis ejusdem speciei prædicatur per modum generis, non speciei, est, quia ut supra diximus, hæc duo universalia non distinguuntur per illas particulas *numero*, vel *specie differentibus* materialiter consideratas, sed formaliter, hoc est, sub tali modo prædicandi de illis multis, nempe complete, qui prædicandi modus indicatur per illas particulas, ut supra declaratum est, sed genus etiam comparatum ad individua ejusdem speciei retinet talem prædicandi modum, ergo vere prædicatur per modum generis; Probatur minor, quia prædicatur de illis mediante specie, nam sermo est de individuis completis, ergo prædicantur incomplete, & per modum partis. Hæc consequi est evidens, nam eo ipso quod gradus superior prædicatur de individuis alio intermedio, signum est contrahi ad illa mediante specifica differentia, atque ideo in illa descendere per modum partis materialiter essentia. Et ideo bene dicebat Doctor quæst. 17. Univerf. in fol. ad 1. quod genus ad individua collatum adhuc rationem generis servat, quia de illis mediate prædicatur, non immediate, hoc enim manifeste indicat ipsum prædicari partem essentia, non vero totam essentiam. Conf. quia ex dictis disput. præced. quæst. 2. art. 3. quando dicimus, *Petrus est homo*, est adhuc prædicatio restringitur ad unum individuum, adhuc tamen ex vi aptitudinalis extenditur ad plura numero, ergo pariter in proposito hæc prædicationes, *Petrus est animal*, *Franciscus est animal*, erunt generis, quia esto ex vi actualis prædicationis, nis coarctetur natura ad plura solo numero differentia, M. 4. adhuc

adhuc tamen est apta proxime ad prædicandum de individuis aliarum specierum, quod sufficit ad saluandam universalitatem genericam, per quod solvitur ratio Poncii ad oppositum.

41 Hinc prob. concl. quoad alteram partem ex contrario fundamento, quod nempe de individuis genericis prædicatur per modum speciei, non generis; ideo enim prædicatur de specificis per modum generis, quia de illis prædicatur mediate, hoc est incomplete, & per modum partis, ergo e contra cum de genericis immediate prædicatur, prædicabitur complete, & per modum totius, qui est modus prædicandi speciei. Confit. quia respectu illorum habet rationem totius, & completæ essentia, ergo prædicatur de illis per modum speciei, non generis. Probatur assumptum, quia sicut cum dicimus, *Petrus est homo*, ly homo dicit totam essentiam Petri, quia Petreitas ad essentiam non spectat, cum sit potius determinatio essentia, ita cum dicimus, *homo animal est animal*, ly animal dicit totam essentiam illius individui incompleti, quia in eo non reperitur, nisi natura sensitiva, & hæcitas, quæ ad naturam non pertinet; & sane ad prædicationem completam aliud non requiritur, nisi prædicatum explicaret totum, quod pertinet ad essentiam subiecti relicta individuatione, ergo cum totum hoc habeatur in his prædicationibus generis de individuis incompletis, dicendum est de ipsi prædicari per modum speciei.

42 Nec refert, quod secundum rem, & confuse hoc animal, dicat etiam differentiam specificam. Quia ad distinguenda prædicationa non attenditur prædicatum, & subiectum ut sunt in re, sed ut concipiuntur a nobis, alioquin genus non distingueretur a specie, & differentia, cum ergo hoc animal, ut a nobis concipitur, differentiam specificam non dicat, esto a parte rei includat, jam ex tali modo concipiendi includit gradum genericum, ut totam essentiam contractam per differentiam materialem, & numeralem, non vero ut partem essentia contractam per formalem, & specificam: Nec etiam refert, quod talis natura sit contrahibilis per differentias specificas, atque ideo etiam de individuis genericis incomplete prædicatur, & per modum partis. Quia talis ordo non consideratur, quando immediate contrahitur per individuales, immo tunc prædicatur natura a tali contrahibilitate, & solum consideratur ut contrahibilis per differentias individuales, natura autem sic consideratæ non potest tribui ratio generis, sed tantum speciei.

Contra hanc partem Concl. arguit Hurtad. cit. Quando quis videt quatuor individua animalis, duos, scilicet, homines, & duos leones, & explicite cognoscit ea esse animalia, sed ignorat quæ animalia, tunc ab illis quatuor individuis abstrahit immediate rationem communem animalis, quam illis omnibus eodem modo convenire videt, sed illa est ratio generica, quia convenit pluribus differentibus specie, ergo cum ratio abstracta de illis possit immediate prædicari, a quibus immediate abstrahitur, illa ratio generica de illis individuis incompletis prædicabitur sub ratione generis. Dices, eam rationem sic abstractam esse specificam, non genericam. Contra, arguit Hurtad. quia ratio specifica solis convenit individuis ejusdem speciei, non vero individuis alterius. Confit. illa ratio animalis abstracta immediate ab individuis eodem modo prædicatur de illis, scilicet, in quid incomplete, ac si abstraheretur a speciebus, & tamen de specie, & individuo prædicatur in quid incomplete, ergo semper habet rationem generis. Rursus ad prædicationem generis non requiritur, immo est profus impertinens cognitio totius essentia subiecti; ergo cum dicimus, *hoc animal est animal*, non prædicatur tota essentia de subiecto, & si tota prædicaretur, jam illud individuum esset distincte, & adæquate conceptum, quod est contra rationem individui generici. Tandem ideo dicuntur individua generica quia de illis prædicatur genus per modum generis, alioquin specifica dici deberent.

43 Resp. solutione inter arguendum data, ad impugnationem dicimus, illa quatuor individua in statu existentia realis utique specie differre, at a vidente talem differentiam non percipi, unde in ejus conceptu solo numero differunt sub genere animalis, quod tamen in ordine ad illa, ut sic cognita, induit modum speciei, quia respicit illa, ut solo numero differentia, quod est proprium speciei. Dices ergo genus generalissimum habere potest genus supra se, quia omnis species prædicabilis est quoque subiectibilis. Resp. bene Didac. disp. 7. q. 1. negando sequentiam, & ejus probationem ait esse veram de speciebus ut sunt ordinatae in prædicamento, ille enim ordo respondet naturæ rerum, quæ postulat, ut gradus genericus descendat ad individuationem per speciem, & ita omnis species prædicabilis est subiectibilis; potest tamen intellectus hoc ordine non servato facere speciem prædicabilem, quæ non sit subiectibilis.

Ad Confit. Neg. assumptum, ut constat ex dictis. Ad aliam, quando de Petro enunciamus esse animal, non sub ratione Petri, quia sub hoc nomine importat individuum specificum, sed sub ratione hujus animalis, utque non enunciatur tota essentia, quam habet a parte rei, quia

præter animalitatem includit rationalitatem, sed enunciatur tota essentia illius, ut fiat sub nostro conceptu; cum enim a nobis non concipiatur nisi sub ratione hujus animalis, sane cum de Petro sic conceptu dicitur, *hoc animal est animal*, tota essentia enunciat, quia tota essentia illius subiecti est esse animal, & sic Petrus sub tali conceptu in ratione individui generici potest dici distincte, & adæquate cognitus, sed in ratione individui specificis confuse, & inadæquate, quia non attingitur specifica differentia explicite. Ad ult. hoc animal, & illud animal non dicuntur individua generica, quia de illis prædicatur genus per modum generis, quia plane ex hoc capite potius specifica dici deberent, sed dicuntur generica, & non specifica, quia ex consuetudine loquendi modo illa dicuntur specifica individua, quæ genus participant mediante specie, unde quia ista genus participant immediate, ideo generica appellari consueverunt.

44 Ex dictis colligitur resolutio illius quæstio, de quo fufle nimis agunt Recentiores nonnulli, quodnam sit correlativum generis, quod ei correspondet in ratione subiectibilis; primum enim, & immediatum sunt species, mediatum individua, ratione enim specierum prædicatur de individuis, quando de illis prædicatur per modum generis, quando enim de individuis incompletis immediate, & per seipsum prædicatur, tunc induit modum speciei, & talis prædicatio ad secundum spectat prædicabile, non ad primum. Hac de causa alii dicunt species esse terminum formalem genericitatis, individua materialem, ille enim dicitur terminus formalis alicujus relationis, qui proprie, & per se illi correspondet, materialis vero, qui eam terminat ratione ipsius termini formalis, cum quo reperitur conjunctus, & non tam seipso, quam intervenit alterius. Neque tamen hinc inferas cum Pasqualig. 1. p. suæ Met. disp. 14. sec. 2. n. 12. individua mere per accidens se habere ad genus in ratione subiectibilis, atque ideo adæquatum correlativum generis esse solum speciem, unde ad individua comparatum, sive ejusdem, sive diversæ speciei, nullo modo habere rationem generis. Hoc enim est profus falsum, quia Porphy. c. de specie diserte docet, nedum esse genus respectu specierum sub se contentarum, sed etiam respectu individuorum, ad quæ refertur, immo id manifeste colligitur ex ejus definitione, per quam dicitur prædicari de pluribus specie differentibus, quod plane non tantum convenit speciebus, sed etiam earum individuis, non enim tantum equus, & homo specie differunt, sed etiam Petrus, & Bucephalus, ergo si genus proprie sub ratione generis est prædicabile de individuis, individua quoque proprie erunt subiectibilia respectu illius; & quamvis individua non subiectiantur generi, nisi mediante specie, & dependenter ab ea, non proinde neganda est eis sua propria subiectibilitas distincta a subiectibilitate speciei, quasi sola species sit unicum, & adæquatum subiectibile generis, quod declarari potest ex doctrina quadam, quam Scotus docet quol. 18. in fol. ad 1. inquit enim ibi, quod licet actus exterior non habeat rationem voluntarii, & liberi, nisi mediante actu interiori voluntatis, quando tamen actus exterior conjungitur cum interiori, & ex illo procedit, tunc ille exterior, ut distinctus, habet rationem voluntarii, & distinctam, quia voluntarii mediate, unde hoc ipso habet distinctam rationem liberi ab interiori, quia interior est liber immediate, quæ doctrina ex integro potest huic proposito applicari, & per eam probari etiam individua esse proprie subiectibilia generis, licet mediate, & dependenter a specie: & hæc sententia est Scoti quæst. 17. Univers. in fol. ad 1. quam passim alii sequuntur.

45 Unde si etiam velimus assignare adæquatum, & totale correlativum generis in ratione subiectibilis, præter quod nil aliud est, quod habitudinem generis terminare possit, hoc sane erunt species, ac individua simul; vel si placet, poterit etiam constitui aliquod commune illius importatum per hoc, quod est *plura specie distincta*, quatenus ambo conveniunt in ratione subiectibilis ad genus. Nec obstat, quod species immediate subiectiantur generi, individua vero mediate, nam adhuc stante hac disparitate possunt habere rationem communem, & univocam in ratione subiectibilis, sic enim de facto videmus rationem substantia univocam esse corpori, ut sic, & tali corpori, cum tamen ad tale corpus non descendat, nisi mediante corpore, ut sic; & in ratione actus conveniunt univoce forma substantialis, & accidentalis, esto accidentalis non actus, nisi mediante forma substantialis, quod exemplum valeat, quantum potest.

Colligitur etiam solutio alterius quæstio, An genus eadem habitudine respiciat species, & individua in ratione subiectibilium, an potius diversa, dicendum enim est, quod habitudine ejusdem rationis refertur ad utrumque: Ratio est, quia ex parte generis semper est eadem ratio fundandi, sive ad species referatur, sive ad individua, nam de omnibus prædicatur, ut pars materialis, & ut prædicatum incompletum; & e contra ex parte specierum, & individuorum ratio terminandi est eadem, quia terminat genericitatem ut plura specie distincta, sive specifica, sive numerica, ergo ad utrumque refertur relatione ejusdem ratio-

rationis, & speciei; An vero referatur ad utrumque eadem relatione etiam numerali, per quam immediate speciem attingat, & individua mediate, potest dici, quod si eodem actu prædicet intellectus naturam genericam de specie, & individuis, eadem indivisibili relatione attingit utrumque, tunc autem, si hoc fiat diversis actibus.

ARTICULUS IV.

Expediuntur varia quæstio de Genere.

46 Quæritur 1. quomodo genus possit in quid prædicari exercite, & in recto de suis inferioribus dicendo, homo est animal, equus est animal. Ratio dubitandi est, quia pars, ut sic, esto possit in obliquo prædicari de toto, vere enim dicimus homo constat anima, habet corpus, caput, &c. in recto tamen enunciarum non potest, unde non bene dicitur, homo est anima, homo est corpus, idque docuit Arist. 4. Topic. cap. 2. & suadet manifesta ratio, quia hoc prædicatum animal ut pars dicit præcise in homine gradum sensitivum, & nihil aliud, unde si prædicaretur ut pars, faceret hunc sensum, homo est animal, idest homo est tantum animal, sive homo non est pluraquam animal; unde ut aliquid de alio vere prædicetur in recto, debet aliquo modo dicere totum illud, quod dicit subiectum, hoc enim de rigore importare videtur copula est in illa prædicatione homo est animal, nempe sensus est, animal est totum illud quod est homo; cum igitur in proposito, ut constat ex dictis, animal dicat partem essentia suorum inferiorum, non videtur posse cum veritate de illis enunciarum in prædicatione exercita, & in recto.

47 Ad hoc dubium dicunt aliqui, ut Averfa q. 10. de genere sec. 3. in fine, Did. a Jesu d. 6. q. 5. Blanc. d. 3. sec. 10. & alii, quod illud axioma, quod pars non prædicatur de toto, verificatur utique de partibus physicis, ut sunt materia, & forma, ac etiam integrantibus, ut caput, & brachium, non tamen de Metaphysicis, hujus rationem reddit Did. quem sequitur Blanc. quia cum partes Metaphysicæ sumantur a tota rei entitate, nimirum animal, & rationale ab integra humanitate, sub diversis tamen gradibus concepta, hinc est, quod etiam in ratione partium dicunt totam naturam speciei, cujus sunt partes, & ideo etiam in ratione partium possunt prædicari de toto, quod dici nequit de partibus Physicis, quarum neutra dicit totam entitatem rei constitutæ. Hic dicendi modus non sufficit, nisi aliud addatur, quia ut bene notavit Ruvius c. de genere q. 5. immo & Scot. ipse q. 16. Univ. ratio allata, quod pars nequeat prædicari de toto, æque militat in partibus Metaphysicis, & rationis, sicut in Physicis & realibus, & exempla adducta ad id probandum sunt indifferenter de partibus his, & illis. Ratio etiam discriminis adducta a Did. nihil concludit, cum falso innitatur fundamento, ut infra videbimus quæst. 3. esto enim genus diceretur sumi a tota entitate physica rei, non tamen sumitur a tota entitate metaphysica, de qua hic est sermo, quia non sumitur a differentia, quod si sumeretur a tota entitate metaphysica, cum prædicatum dicat quantum actu in se continet, tunc genus totam essentiam suorum inferiorum prædicaret, cum totam actu importet, quod nec ipse Didac. concederet, cum nobiscum teneat solum dicere partem materialem essentia.

48 Alii dicunt, quod licet genus, ut pars metaphysica actualis, nequeat cum veritate prædicari de suis inferioribus; ut probat allata ratio, tamen ut potentialis, idest non ut actu componens, sed ut potens componere speciem, potest cum veritate prædicari, sic enim aliquo modo continet totum, quod continet subiectum, quia cum possit proxime conjungi cum hac, & illa differentia, continet illas omnes in potentia, & hoc satis est, ut dicatur continere totum, quod continet species, nempe unam partem actu, & alteram impotentia, citatur a Ruvio pro hac opin. Camerius quidam hic c. de gen. q. 3. Sed ratio allata, quod pars de toto prædicari nequeat per modum partis æque probat de actuali, & potentiali, ut bene notat Complur. disput. 5. q. 5. repugnat enim, quod pars metaphysica, cum consideretur, ut actu componit, sive ut antecedit compositionem, formaliter, quatenus pars est, continet totum illud, quod continet compositum, cujus est pars, ut patet consideranti.

Alii concedunt partem posse prædicari per modum partis, negantes ad veritatem prædicationis necessarium esse, quod prædicatum importet totum esse subiecti, sive explicite, sive implicite, sed sufficit, ut importet aliquid de subiecto, seu quod includatur in eo, ita ut sensus sit, homo est animal, idest continet naturam animalis, ita cum quibusdam aliis videtur sentire Pasqual. d. 53. sect. 4. n. 2. Sed hic dicendi modus passim reicitur quia si in prædicationibus in recto sola talis inclusio significaretur, & sufficeret, quam essentialis de suo toto in recto prædicari, dicendo, homo est corpus, homo est caput, nam istæ partes vere includuntur in suo toto; at re vera prædicatio in recto aliquid plus significat, nimirum hoc esse illud, unde cum dicimus homo est animal, non tantum significatur animal in-

cludi in homines, sed hominem esse animal, & hoc esse quicquid illud est, nam per ly animal nihil excluditur ab homine, quasi homo sit tantum animal, nam prædicatio esset falsa, sed aliquo modo denotatur totum id, quod importatur per hominem.

49 Hac igitur de causa Thomistæ communiter sentiunt genus, esto sit tantum pars speciei præcise ab alia parte, quæ est differentia, prædicari tamen de inferioribus per modum totius potentialis; cum enim sub hac ratione continet implicite, & confuse etiam differentias, consequenter continebit totam speciem quidditatem, unde hac ratione poterit de ipsa in recto prædicari, ita Suarez disput. 15. Met. sec. 11. n. 16. Scoto hic qu. un. ar. 2. Compl. & Ruvius cit. Masius sect. 2. q. 2. Cajet. de ente, & essen. c. 3. dicentes esse expressam sententiam S. Thomæ ibidem, docent igitur ad veritatem prædicationis in recto non requiri, quod prædicatum actu, & formaliter dicat, quicquid dicit subiectum (alioquin non foret prædicatio formalis, sed identica) sed sufficere, ut dicat implicite, virtute, & potentia, & ideo quamvis genus in ratione totius universalis non dicat actu, formaliter, & expresse, quicquid dicunt species, quia tamen dicit totum illud confuse, cum sit totum potentiale includens differentias, poterit cum veritate prædicari in recto de suis inferioribus sub ratione totius universalis, & potentialis.

Cæterum neque hæc sententia, quamvis communis rem bene explicat, cum enim docet genus, quando prædicatur de speciebus, non se habere, ut partem, sed ut totum potentiale, quatenus in confuso dicit, ac implicite totam speciem essentiam, de qua prædicatur; quærimus, in quo sensu id intelligant, vel enim eatenus dicit totam speciem essentiam, quia continetur in actu, & non in potentia tantum confuso tamen, ac indeterminato differentias, quaremus non magis hanc dicit quam illam, sed promiscue omnes, ut Suar. l. c. insinuat videtur, & hic sensus est omnino falsus, mox enim ostendemus, genus in potentia tantum continere differentias, non autem in actu confuso, & implicito, unde licet prædicetur tanquam totum potentiale de speciebus, adhuc prædicabitur tanquam pars speciei, si vero dicant non continere in actu confuso differentias, sed tantum significare totam naturam speciei sub gradu universali superiori, ut explicat Ruvius, sic sane manifeste patet non dicere totam naturam speciei, quia dum significat naturam speciei solum sub gradu universaliori, utique se habet tantum ut pars speciei abstrahens ab inferiorum differentia, & importans solum rationem genericam communem. Accedit per prædicatum genericum, nam speciem ab alia non discerni, sed profus convenire, & ita enunciarum de una specie, ut nulla profus facta mutatione illius prædicati in esse objectivo, posset alteri competere, ergo nec explicite, nec implicite dicit totum esse speciei, alioquin per ipsum & una species discerneretur ab alia, & illud ipsum prædicatum de una specie enunciatum non posset alteri competere, ergo etiam in ratione totius potentialis vere prædicatur tantummodo, ut pars speciei.

50 Dicendum igitur est cum Scot. q. 16. Univ. quod esto genus, etiam ut totum potentiale dicat tantum partem essentia, dum tamen prædicatur de specie dicendo, homo est animal, vere prædicatur, quia non significat illam per modum partis, sed per modum totius, quatenus prædicatum in concreto ex consequenti significat totum illud, quod importatur per subiectum, in ratione habentis, quod ita explicari potest; ad hoc ut sit vera propositio, prædicatum debet esse idem cum subiecto, sed quando universale prædicatur de inferiori in concreto, prædicatum est idem cum subiecto in ratione habentis, dum enim dicimus, homo est animal, sensus est, habens humanitatem, est habens animalitatem, quare prædicatum idem est cum subiecto in ratione habentis, quatenus idem est suppositum habens humanitatem, & animalitatem, in hunc modum faciliter rem hanc declaravit Doct. loc. cit. in fol. ad 1. & 2. dum ait animal prædicari de homine non per modum partis, sed totius, quia & si genus primario importet materiam, & differentia formam, secundario tamen importat totum, quod connotat, quod explicat exemplo Avicenn. 5. Met. de manuato, & capitato, quæ diversa significant, primario scilicet manum, & caput, utrumque tamen ex consequenti significat totum in ratione habentis, nam manuatum exponitur per habens manum, ubi habens non est de significato manuati, sed de modo significandi per modum totius, unde licet dicere non possumus, homo est manus, est caput, dici tamen potest, est manuatus, est capitatus, & explicatur, est habens manum, est habens caput.

51 Contra hunc modum explicandi, quomodo genus prædicatur in recto de inferioribus, arguitur, quia omne concretum est denominativum, si igitur genus, ut vere prædicatur de specie, debet prædicari in concreto, jam de illa prædicaretur denominative, quod est falsum, quia prædicatur univoce. Tum 2. quia ut urget Blanc. cit. falsum est, quod animal sit habens animalitatem, quia potius est animalitas subsistens, concretum enim substantiale solum dicit naturam cum subsistentia, ergo non bene explicatur illa propositio, homo est animal, in ratione habentis, probatur assum-

assumptum exemplo ex divinis deducto; Deus enim non est habens Deitatem, sed Deitas subsistens, aliter cum sint tres habentes Deitatem, tres essent Dei. Si est vera illa prædicatio, quia prædicatum ex consequenti totum dicit esse subiecti, ergo prædicatio generis de specie, vel esset identica, vel nugatoria, quia idem bis poneretur. Tum 4. partes physicae, & integrantes magis distinguuntur a toto quam metaphysicae, illae enim realiter distinguuntur a toto, istae, non sed illae in concreto prædicantur de toto dicendo, homo est animatus, est corporatus, est capitatus, ergo istae velut magis intimae poterunt vere prædicari de toto, etiam si fumantur ut partes. Tum tandem, quia 1. Post. c. 5. Ar. docuit partes definitionis prædicari de definito.

52 Resp. Doctor hic neg. assumptum, licet enim omne denominativum sit concretum, non tamen omne concretum est denominativum, quia denominativa proprie sunt illa, quae cadunt ad subiectum, vel quasi subiectum, & ideo nomine adjectivo significantur, & prædicantur in quale, quod totum constat ex eorum definitione, ut explicavimus d. 2. q. 6. animal autem non cadit ad subiectum, vel quasi subiectum, sed proprie ad inferius, nec nomine adjectivo significantur, sed substantivo, & prædicatur in quid. Ad 2. si Blanc. intelligat, quod animal de principali significato non dicit habens animalitatem, sed animalitatem subsistentem, verum est assumptum cum ejus prob. quia nec Deus de per se significato importat habens Deitatem, ut Scotus docet 1. d. 4. q. 1. ad 4. Si vero intelligat, quod neque illud dicat ex consequenti, ac de connotato, neg. assumptum, quia Damascenus a Doctore inibi allegatus in hoc sensu inquit, quod Deus est divinam habens naturam, nec ex hoc sequitur tres esse Deos, quia ad multiplicationem concretorum substantiarum non sufficit multiplicatio suppositorum, sed requiritur etiam pluralitas formarum, ut diximus l. c. disp. 2. q. 6. art. 2. in divinis autem sunt utique tria supposita, sed una singularis natura in omnibus. Ad 3. Negatur consequentia, negatio enim, & identica prædicatio sequuntur tantum ex identitate principalis significati, non autem ex identitate connotati, nam dicimus, muscus albus currit absque ulla profusa negatione, licet utrumque idem subiectum connotet, quæ responsio innuitur a Doctore hic q. 16. ad 1. Ar. 4. quia partes metaphysicae sunt intimiores physicis, & integrantes, sequitur solum, quod possint prædicari de toto in concreto nomine substantivo, ut facit genus, ubi partes physicae, & integrales prædicari nequeunt, nisi adjectivo, & per modum dominantis, non sequitur tamen, quod utrumque prædicari possint per modum partis. Ad 4. ait Ar. utique partes definitionis prædicari de definito, quod concedimus, non tamen ait prædicari per modum partis.

53 Quæritur secundo, quomodo genus contineat species, & differentias, an actu saltem confuso, & indeterminato, an potestate solum. Certum est apud omnes, species, & differentias non contineri in genere formaliter, & explicite, tunc enim de nulla specie posset genus cum veritate prædicari, nam dicendo homo est animal, sensus esset, homo est animal rationale, & irrationale; nec potest etiam implicite continere genus aliquam differentiam determinate, quia tunc non esset indifferens ad omnes. Quamvis autem compertum sit apud omnes, genus actu in hoc sensu differentias non continere, non desinere tamen, qui dixerint continere omnes implicite actu confuso, & indeterminato, quatenus non magis hanc dicit quam illam, ut dubio præcedenti insinuavimus; cui sententia consentit Averfa quæst. 13. sect. 5. dum ait necesse non esse, ut genus perfecte prædicandæ a differentia, de quo infra.

54 Dicendum tamen est cum communi, nullo profuso modo genus continere in actu species, & differentias, sed potestate solum. Ita Doctor quæst. 25. Universi. probatur, tum quia genus importat gradum superiorem ad illud, quem important species, & differentia, & ab illis abstractum, scilicet, ab homine, & ab equo, a rationali, & irrationali, ergo actu illa non includit, alioquin actu ab eis non præcideret; tum quia hac ratione Doctor 1. disput. 8. quæst. 3. ad Conf. primi argument. pro Henrico inquit, quod conceptus generis, & alter quicumque communis duobus est neuter formaliter ad illa; tum quia ut arguit Arist. 7. Metaph. 42. si actu differentias contineret, cum hæc sint omnino diversa, & opposita, tunc actu eadem opposita inessent, nec refert, quod contentia sit confusa, & indeterminata, modo sit actualis; tum tandem quia genus, & differentia sunt conceptus diversorum graduum ejusdem naturæ, ergo neutrum includit actu alterum, sicut in composito physico una pars non includit aliam; remanet ergo, quod solum potestate contineat, quatenus est natura susceptiva omnium differentiarum divinis, & per eas contrahibilis ad hanc, vel illam speciem constituendam, quod clare docuit Porph. c. de different. dum dixit de genere potestate quidem habet omnes, quæ sub se sunt, differentias, actu vero nullam, & Aristotel. 1. post. cap. 8. dicens Supponatur tale esse genus, ut sit secundum potentiam in plus. Imo hac ratione dicitur totum potentiale, quia nimirum actu non includit, nec species, nec differentias, sed potestate tantum.

55 Respondent aliqui genus esse abstractum a speciebus,

& differentiis, secundum conceptum explicitum, non autem implicitum, & ideo implicite importat differentias, & totam essentiam speciei. Contra, sic urgemus, vel in abstractione generis a speciebus, indifferentiis, intellectus relinquit differentias, vel secum trahit; si relinquit, ergo nullo modo actu eas includit, si secum trahit, ergo ab illis non est facta abstractio. Dices, relinquere explicite, sed secum trahere implicite. Contra, nihil potest genus dicere in tali esse objectivo, nisi quod manifestatur in tali cognitione, nam genus ut sic, aliud esse non habet, nisi quod exprimitur in intellectu ex vi talis cognitionis, vel ergo genus in tali esse objectivo includit differentiam, vel non; si secundum, habetur intentum, si primum; ergo non tantum implicite, sed etiam explicite genus differentiam dicit. Vis hujus rationis eo tendit, ut demonstrat, quod respondere genus in esse præciso dicere differentias implicite est asserere, quod absolute illas non importet, quia nihil potest genus dicere in illo esse objectivo, quod non manifestatur in cognitione, unde nequit defendi, quod eas includat implicite, nisi ratione identificationis, quam cum ipsis habet a parte rei, non autem secundum esse præcisum.

56 Quamvis autem genus potestate solum contineat species, & differentias, hæc tamen continentia potentialis non est ejusdem rationis, species enim continet, vel ut suas partes subjectivas, de quibus est prædicabile in quid, unde respectu earum dicitur totum potentiale, nam tale totum illud est, quod ita continet suas partes, ut tamen ex illis non componatur, sed tantum de illis fit prædicabile, ac proinde illas potius componat, & consequenter singula partes sint ipsum totum, ut docet Scotus 2. disp. 3. quæst. 4. H. & ideo non est proprie totum, sed metaphoricè tantum, & similitudinarie, unde Arist. 1. Phys. 4. non appellavit illud absolute totum, sed quodammodo totum, respectu vero differentiarum non dicitur totum, sed pars potentialis per illas perfectibilis, & determinabilis, & ejus contentia est in genere causæ materialis eo modo, quo materia dicitur potentialiter continere formas ex ipsa educibiles, nam sicut materia quaslibet suscipit formas, quibuscum constituit varias species, ita genus diversarum differentiarum est susceptivum, quibuscumque metaphysice componit diversas species.

In oppositum solet obiici 1. quia Aristot. 1. Phys. 4. ait, universale totum quoddam est, multa enim comprehendit, ut partes scilicet species, & 7. Phys. 31. ait, in genere latere æquivocationes, quia scilicet actu continet diversas differentias, quæ pariunt æquivocationem. Tum 2. cum genus prædicatur de specie, debet actu continere totum id, quod dicit subiectum, alioquin falsa esset prædicatio, non enim pars potest prædicari de toto. Tum 3. genus, vel est pars actu, vel totum actu; non primum, ergo secundum; non est autem totum metaphysicum, ergo logicum, quod consequenter continet actu species, & differentias saltem in confuso. Tum 4. quia hac ratione genus dicitur a Boetio tenuis similitudo specierum, quod non esset, nisi saltem actu implicito eas contineret, ac earum differentias. Tum 5. genus continet actualiter unitive, & non tantum potentialiter, quod est ei realiter identificatum, sed differentia realiter identificatur cum genere, ut omnes fatentur, ergo, &c. Tum tandem quia genus est relativum ad species, ergo actu dicit illas, & earum differentias.

57 Resp. Ar. primo loco loqui de comprehensione potentiali, non actuali, & loquitur de universalibus in ordine ad partes subjectivas, non in ordine ad differentias, & vocat illud totum quodammodo, & similitudinarie, ut diximus, & similitudo consistit in hoc, quod sicut totum tale habet latitudinem, ut non a singulis adæquetur partibus, sed ab omnibus simul, singulas autem excedat, ita universale potest inesse pluribus inferioribus, & de pluribus prædicari, ita tamen, quod ejus inexistentia vel prædicatio non adæquetur a singulis inferioribus, nam licet totum sit in singulis, non tamen totaliter, & adæquetur, nisi in omnibus simul; in alio loco ait in genere latere æquivocationes, quatenus, quæ sub eodem genere continentur, non in eo rigoroso gradu univocacionis conveniunt, sicut quæ continentur sub eadem specie aethera, ut notat Doctor 1. d. 3. q. 3. Q. Ad 2. satis constat ex dubio præced. ad veritatem propositionis non requiri, quod prædicatum actu contineat, quicquid continet subiectum, sed sufficit, quod sint idem in ratione habentis, & sic in proposito, cum genus prædicatur de specie in concreto, prædicatum est idem cum subiecto in ratione habentis, licet non sint idem formaliter in ratione totius, & partis. Ad 3. totum genericum, ut tale est, nec esse totum actuale, nec partem actualem, sed actu esse totum potentiale, quia non dicitur totum potentiale, quasi potentiam habeat ad hoc, ut sit totum, sed quia potentia, non actu, suas continet partes. Ad 4. dicitur genus tenuis similitudo specierum, quatenus importat rationem genericam, in qua omnes inadæquate conveniunt, & ex hac inadæquatione procedit tenuitas similitudinis, non autem quia implicite involvat omnium differentias, ut ex Scoto colligitur qu. 4. Universi. in fine. Ad 5. negatur differentias identificari realitati genericæ in se ipsa, solum enim ei realiter

realiter identificantur ratione tertii, idest speciei, quam constituunt, ut notat Brasav. q. 24. Universi. in hoc enim distinguuntur genus, & differentia a materia, & forma, quod non uniuertur inter se unione aliqua ab ipsis distincta, & separabili, sicut materia, & forma, sed uniuertur seipsis, & per identitatem in tertio. Ad ultimum, probatur tantum genus respicere species, & differentias, velut terminum suæ aptitudinis, non autem tamquam partes intrinsecas, & formales.

58 Quæritur 3. An genus sit species infima Universalis. Averfa quæst. 10. Log. sect. 2. putat genus esse capax diversitatis secundum esse formale universalitatis, & ideo non esse unum specie aethera; sed dividi posse in diversas species, ita ut diversitas proveniat ab ipsa natura, & redundet etiam in ipsam genericitatem.

Dicendum tamen est cum communi genus esse speciem aethera in ratione generis, itaque non dantur plures species genericitatis, sed una sola infima, ita Scot. q. 9. Universi. ubi omnes ejus Expositores, & quol. 6. X. & sequitur ex dictis disp. præc. q. ult. ubi statuimus divisionem universalis in communi in genus, speciem, &c. esse divisionem generis in species infimas, & probatur ex ibi dictis; quia genericitates fundatae in naturis, etiam diversissimis, ut substantia, quantitate, &c. quoad rationem denominandi illas, & prædicandi de ipsis omnino conveniunt, & solum ratione connotati distinguuntur, sicut albedo hominis, & equi ejusdem sunt speciei; & solum specie differunt materialiter, & ratione fundamenti. Confir. quia species universalis per diversum modum essendi in multis, vel prædicandi de multis discernuntur, sed omnia genera, sive suprema, sive subalterna, sive substantialia, sive accidentalia, & quaecumque excogitari possunt, habent eundem modum essendi in multis, & prædicandi de illis, nempe per modum partis materialis, ergo omnia illa sub specie infima generis continentur, & ratio generis in communi omnibus illis convenit, tamquam individuis naturæ genericæ formaliter acceptæ.

59 Sed urget Averfa cit. diversitas relationis, & aptitudinis, non solum sumitur ex diverso modo respiciendi, sed etiam ex diversitate subiectorum, & terminorum, nam de ratione relationis, & aptitudinis non solum est talis, vel talis modus respiciendi, sed etiam ordo ad talem, vel talem terminum; & ordo talis, vel talis subiecti, ergo ex reali diversitate eorum resultat etiam formalis diversitas in ipsa relatione, & aptitudine, atque ita diversitas quantitatis, & substantiæ redundabit in ipsas genericitates formaliter.

Resp. hanc, & alias rationes ejusdem tenoris, quas ibi Averfa congerit, non inferre in pluribus genericis diversorum prædicamentorum secundum esse formale generis, sed tantum secundum materiale, contingit enim tantum secundum naturam, quæ subternitur genericitati; quod ex eo colligitur, quia hæc diversitas non importat diversam habitudinem ad inferiora, sed solum diversam rem, quæ referatur, ut quod substantia, vel accidens; igitur ad argum. distinguere debet assumptum, quod fundamentum remotum non diversificat relationes, sed fundamentum proximum, seu ratio fundandi, similiter terminus materialis non diversificat relationes, sed terminus formalis, seu ratio fundandi, & in proposito licet fundamenta remota sint diversa, & termini materiales, ratio tamen fundandi, ac terminandi in omnibus est ejusdem rationis ut probatum est, quia omnes naturæ fundant relationem genericitatis, quatenus aptæ sunt esse in multis per modum partis materialis essentia, & omnes naturæ terminant talem relationem, quatenus sunt plura specie diversa.

60 Rufus urgetis adhuc fortius, quia genus sub se continet generalissimum, & subalternum, sed hæc specie distinguuntur, ergo non est species infima; major est certissima apud omnes, est quod plusquam pueriliter erravit Fuentes, cum dixit qu. 17. diff. 1. art. 1. genus primum prædicabile esse dumtaxat genus intermedium, Prob. minimum quia illa specie differunt, quæ diversas habent definitiones, & passiones, sed genus supremum, & subalternum sunt hujusmodi, ut patet ex Porph. c. de specie, ergo &c. tum quia plus differunt inter se, quam duo genera subalterna, sed hæc tantum numero differunt, ergo illa differunt specie, quia inter distinctionem numericam, & specificam non datur medium.

Resp. quod licet genus supremum, & intermedium, quatenus talia specie distinguuntur (de quo tamen est aliqua difficultas apud nonnullos Scotistas quæst. 12. Univ.) non tamen essentialiter discriminantur in ratione generis, & universalis, cum eodem modo sint in multis, & prædicentur de multis, quod enim genus supremum nulli alteri subiciatur generi, sed intermedium utique accidit illis quatenus genera sunt & universalis, quia hæc relatio subiciabilitatis nihil attinet ad rationem universalitatis, quæ constituitur per ordinem ad inferiora, de quibus prædicatur, non ad superiora, quibus subiciatur, adhuc etiam quod genus supremum plura habeat inferiora, quam intermedium, mere per accidens se habet ad illa, quatenus genera, quia eodem modo de illis multis prædicantur, & illa respiciunt, nimirum ut multa essentialiter diversa, unde non nisi differentiam accidentalem inter ea potest inferre; quemadmo-

dum lineam decem palmorum per excessum quantitatis intra eandem lineam speciem infimam dicimus a bipalmari accidentaliter tantum differre. Ex quo etiam facile occurritur Poncio d. 3. n. 111. distinguenti genus superius, & inferius in ratione prædicabilium, quia licet utrumque prædicetur, ut pars contrahibilis, tamen unum prædicatur, ut pars contrahibilis, per differentiam non ultimam essentialem, aliud vero puta infimum, ut pars contrahibilis per differentiam ultimam essentialem. Hoc enim parum refert ad eam distinguenda in ratione prædicabilium, non enim per ordinem ad differentias, quibus contrahuntur, sumunt rationem prædicabilis, sed per ordinem ad inferiora, & modum prædicandi de illis; eodem autem modo prædicatur de illis tam genus superius, quam inferius, quia respiciunt illa, ut multa essentialiter diversa, magis autem, vel minus intra eandem lineam non variant speciem.

QUESTIO II.

De Specie.

61 **C**um de illo Universalis egerimus, quod in quid de pluribus specie differentibus prædicatur per modum partis materialis, scilicet, de genere, nunc agendum est de illo, quod prædicatur in quid totum de pluribus numero differentibus, scilicet, de specie, & merito quidem, cum genus, & species relatiua censentur, & quamvis cognitio totius pendat ex partibus, unde videtur prius de differentia tractari debuisse, utpote quæ est altera pars speciei, & principalis; tamen quia hic non agimus de Specie, sicut neque de aliis Universalibus, secundum esse reale, & metaphysicum, sed intentionale, & logicum, quomodo species prius referatur ad genus, ut correlativum, quam differentiam, ut ad partem, ideo immediate post genus de ipsa disputamus. Tractat autem Porph. cap. de specie, non tantum de specie specialissima, & infima, quæ tantum constituit hoc secundum universale, sed etiam de specie subalterna, quia licet hæc in ratione universalis, & prædicabilis a specie omnino discernitur, quia prædicatur de pluribus specie differentibus, & ideo ad primum universale spectat, tamen quia in ratione subiciabilis in ordine ad genera superiora omnino convenit cum specie secundo prædicabili, ideo de ipsa agit in cap. de specie, quatenus est subiciabilis, cum ejus naturam explicaverit in ratione universalis c. de genere. Diximus autem speciem subalternam in ratione subiciabilis omnino essentialiter convenire cum specie infima, quia genus relatione ejusdem rationis referatur ad species, sive sit supremum, sive intermedium, ex eo solum, quia referatur ad inferiora, in quibus est, ut pars materialis essentia, ut in fine præced. qu. & art. dicebamus, ergo e converso in proposito ejusdem rationis erit relatio subiciabilitatis speciei infimæ, & subalternæ, cum ad ea referantur, ut ad partem materialem suæ essentia, imo hac ratione possumus dicere subiciabilitatem speciei, & individui esse ejusdem rationis, ut bene notavit Didac. disp. 7. q. 1. in fine.

Ex quo constat, non recte Averfam distinguere has species essentialiter, etiam in ratione subiciabilis quæst. 11. Log. sect. 3. ex eo quia subiciabilitas subalternæ fundatur in universalitate generica, & subicitur generi, quod habet sub se alia genera; subiciabilitas vero infimæ fundatur in universalitate specifica, & ideo subicitur generi, quod sub se habet tantum species, quare cum fundamenta, & termini subiciabilitatis utriusque sint diversi, diversa quoque erit subiciabilitas. Sed hæc omnia non nisi accidentalem diversitatem inferunt inter speciem subalternam, & infimam in ratione subiciabilis, & ut supra notavimus, diversitas fundamentorum, & terminorum materialium non diversificat essentialiter relationes, sed formalium, hic autem eadem est formalis ratio fundandi subiciabilitatem ex parte specierum, & eadem terminandi ex parte generum, quia omnes ad ea referuntur, ut ad partem materialem suæ essentia; & diversitas, quam ostendit conatur Averfa, non est, nisi materialis, ut patet consideranti. Hæc autem quæstio, quia diversas continet difficultates, in varios recabitur Articulus.

ARTICULUS I.

An species subiciabilis, & prædicabilis recte definiatur.

62 **S**upponendum est pro intelligentia quæst. quod eadem omnino natura intra seriem prædicamentalem secundum diversos respectus dicit prædicabilis, & subiciabilis; prædicabilis, quatenus respicit suam inferiora; subiciabilis respectu superiorum, quod etiam concedendum est in ipsa specie specialissima, quamvis enim Porph. cap. de specie dicere videatur, unicam in ea esse habitudinem simul attingentem, & genus sub quo est, & individua, quæ sub ipsa sunt, id tamen intelligendum est de unitate nominis, ut notant ibi Ant. And. Mauritiis ex Scot. quæst. 21. universi. ad 1. Cajer. Soncin. & alii Expositores, quatenus in specie infima unum est nomen utriusque habitudinis, nam cuius-

enimque comparatur, five superioribus, five inferioribus, semper est species, ubi in specie subalterna utraque habitudo diversimode naturam denominat, nam respectu superiorum species dicitur, respectu inferiorum genus. Sunt igitur diversae istae relationes, non tantum numeraliter, sed etiam essentialiter, imo & oppositae, sicut relationes Patris, & filii, Domini, & subditi; sunt autem essentialiter diversae, licet in uno, eodemque subiecto uniantur, quia relationum diversitas a formali diversitate fundamenti, & termini attenditur, talis autem diversitas intervenit in proposito, quia terminus praedicabilitatis sunt inferiora de quibus natura praedicatur, fundamentum vero ipsa naturae communitas, in qua illa inferiora conveniunt; terminus autem subiectibilitatis est ipsum superius, cui eadem natura subicitur, fundamentum vero inferioritas, seu dependentia ab illo; adhuc tamen bene possunt oppositae relationes eidem convenire respectu diversorum, & sub diversae ratione.

63 Ex quo deducitur, ut bene Mayron. adnotavit passu 3. & 4. univer. & sequuntur Compl. d. 6. q. 1. Scot. c. de specie, Masius sect. 1. q. 4. Sanch. q. 53. Averf. qu. 11. sec. 3. & alii, Speciem respectu subiectibilitatis, & praedicabilitatis aequivoce nomen esse, quia isti respectus sunt oppositi, & ita diversi, ut sub nomine speciei in nullo conveniant, quia non potest dari una definitio communis utriusque speciei formaliter sumpta; conveniunt ergo species praedicabilis, & subiectibilis tantum in nomine speciei, cum aliqua tamen analogia; quia ut advertit Orbel. cap. de specie, nomen speciei verius convenit speciei specialissima, quam subalterna, dicitur namque species a specificando, seu determinando, genus autem magis determinatur in specie specialissima, quae non potest ulterius specificari, & determinari per differentias formales, quam in specie subalterna, quae adhuc est specificabilis, & determinabilis essentialiter. Hac igitur de causa Porph. distinctas de utraque specie tradidit definitiones; & speciem praedicabilem definiit per ordinem ad inferiora dicendo: *Species est, quae de pluribus numero differentibus in quid praedicatur*; subiectibilem vero in ordine ad superiora dicendo: *Species est, quae subicitur generi*, & de qua genus in quid praedicatur, probabile enim est hanc esse unicam, & integram definitionem, ut innuit Scot. q. 21. in fol. ad 3. non vero pluribus, ut quidam sunt arbitrati; Quaritur ergo in praesenti, an istae definitiones sint recte assignatae.

64 Dicendum est utramque esse recte assignatam; ita communiter Doctores, & Scotus praefertim q. 21. Univerf. & probatur, quia utraque harum definitionum explicat adequate essentiam definiti, ipsamque distinguit a quocumque quod non est ipsum; ut patet discurrenti per singulas; & quidem definitionem speciei praedicabilis, quantum ad eas particulas, in quibus convenit cum genere explicare non est modo necesse, cum satis liqueat ex explicatione definitionis generis; unde solum restat explicare particulam distinguentem speciem a genere, quae est illa *de pluribus numero differentibus*, & expositive debet intelligi, ut etiam de illa particula *pluribus specie differentibus* diximus circa definitionem generis, quatenus exponit, & dat intelligere propriam differentiam, quae est praedicari totam essentiam individuorum; sicut enim id, quod praedicatur de pluribus specie differentibus, necessario dicit solum partem essentiae illorum, ita quod praedicatur in quid de pluribus numero differentibus, eo ipso dicit totam essentiam illorum, differentia enim numeralis sola non est essentialis, sed materialis. Unde numerus hic accipi non debet pro numero praedicamentali, qui spectat ad praedicamentum quantitatis, atque ideo dicitur quantitativus, & fit ex divisione continui, sed pro numero transcendentali, & entitativo, qui resultat, & constituitur ex pluralitate quarumcumque rerum; & per res numeratas intelligimus illas, quae sunt multiplicatae per differentias intrinsecas individuales, quae dici solent haecceitates, ac proinde sunt ulterius incommunicabiles, haec enim sunt ea quae proprie numeraliter differre dicuntur, & dicuntur individua. Parum autem refert, quod haec individua sint aequalis perfectionis, ut aliqui exposcunt, quia apud admittentes talem inaequalitatem individuorum sub eadem specie, non obinde faciunt illa essentialiter diversa, sed solum individualiter, quia inaequalitas illa continetur infra latitudinem graduum individualium; qualis autem debeat esse numeralis multitudo, de qua species dicatur, an actualis in re, vel saltem in intellectu, an sufficiat tantum aptitudinalis, ut dicitur de Sole, Luna, Phœnice &c. dicemus art. 3.

65 Definitio etiam speciei subiectibilis est exacte tradita, ut patebit discurrenti per ejus particulas. Cum enim dicitur *species est, quae subicitur generi*, postea ita explicari, ut fecimus in Insti. cum communi, ut sit illud subiectibile, quod generi immediate subicitur, per quod excluditur individuum, quod non subicitur generi immediate, sed mediante specie, unde & ipsa incompleta, seu generica, esto immediate generi subdantur, ut quæst. praeced. art. 3. dictum est, adhuc tamen ei subdantur sub ratione speciei potius, quam generis. Verum quia praeterquam quod apponendo *ly immediate* est addere novam particulam defini-

tionem ad excludendum individuum, data hac expositione sequitur, quod homo non est species substantia, vel corporis animati, quia sub nullo istorum immediate ponitur, ut bene urget Mayron. pass. 4. Ideo cum ipso ibidem praestat dicere sensum illius definitionis esse, quod species sit universale, quod generi subicitur, quia hic folum agimus de eo, quod tanquam universale, seu unum ex quinque praedicabilibus subicitur, unde eo ipso excluditur individuum, quod esto generi subiciatur, non tamen tanquam universale, quam expositionem recipiunt Lovaniens. & Averf. sect. 2. Fuent. Joan. a S. Thom. & alii, licet Poncius primae adhaereat responsioni. Quod si obijcias, speciem ut subiectibilem non esse universalem, ac proinde neque ut ponitur sub genere. Occurritur facile ex dicendis art. 2. sequent. quod licet formaliter, & reduplicative species, ut subiectibilis, non sit universalis, materialiter tamen, & specificative talis est; illa vero particula, *ponitur sub genere*, vel *generi subicitur*, explicat naturam speciei subiectibilis, & relationem subiectibilitatis, per quam constituitur in tali esse, & tandem dum additur, *de qua genus in eo quod quid est praedicatur*, explicatur modus subiectibilitatis, nempe subiecti in quid, & sic explanatae manent haec duae definitiones.

66 Ne autem ut conatur ostendere Arriaga d. 7. sect. 2. in his definitionibus circulus committi dicatur, dum species per genus, & genus per speciem definiuntur, observandum est cum Tatar. quæst. de specie §. *Secundo sciendum*, quod unum relativum non debet defini per suum correlativum, sed per fundamentum sui correlativi, ut evitetur circulus, & sic in proposito species non debet intelligi esse definita per genus formaliter captum, sed fundamentaliter, quam doctrinam late profequitur Blanc. sect. 8. de genere, & sect. 2. de specie, & ex eo confirmatur, quia genus respicit speciem, & specie genus eo modo, quo universale respicit inferiora, sed universale non respicit inferiora, ut relativa sunt, ergo nec genus speciem, nec species genus; minor patet, nam in definitione universalis nulla fit mentio relationis inferioritatis, definitur namque, quod sit unum aptum esse in multis, ergo universale solum respicit inferiora, ut multa sunt, non ut inferiora sunt; sed quomodo unum relativum debeat defini per aliud, dicemus d. 8.

In oppositum obijciuntur 1. contra definitionem speciei praedicabilis, quia convenit aliis a definito, tum quia convenit Deo, qui praedicatur in quid de pluribus numero differentibus, scilicet, de Patre, Filio, & Spiritu Sancto, qui in eadem natura subsistentes constituunt numerum trium personarum. Tum 2. quia etiam persona de illis tribus, ut personae sunt, praedicatur in quid, talem enim conceptum esse ab illis abstrahibilem concedit Doct. 1. d. 23. q. un. in fine; & clarius d. 26. q. un. infra Y. & in illis reipfa multiplicatur, quia tres personae divinae realiter inter se distinguuntur, ut personae sunt, & tamen neque Deus, nec conceptus personae divinae ad illa tria supposita est species. Tum 3. alia etiam multa praedicantur de pluribus numero differentibus in quid, quae tamen non sunt species, ut patet de anima rationali, de materia prima, de puncto, & aliis quibusdam entibus incompletis. Tum tandem, quia differentia, proprium, & accidens praedicantur in quid, & ut tota essentia de suis inferioribus; rationale enim, risibile, & album praedicantur, ut tota essentia, de hoc rationali, de hoc risibili, & de hoc albo.

67 Resp. negando assumptum, ad primam prob. constat ex dictis disp. praeced. q. 2. art. 3. prope finem, quod natura divina in tribus personis existens nequit dici universalis per modum speciei, ut docet Doctor 1. d. 8. q. 3. prope finem, & Tatar. q. 1. praedicam. dub. 3. quia non est in eis cum sui divisione, ac multiplicitate numerali, sed eadem numero in omnibus, unde licet dici possit tres numero personae, non tamen tres numero Dei, qua ratione docet Scotus 1. d. 24. q. un. tria divina supposita non posse absolute, & simpliciter dici numero differentia, sed tantum secundum quid, scilicet cum hac determinatione personarum, quatenus dici potest, quod sunt tres numero personae. Ad 2. difficilius est solutio, si datur talis conceptus communis personae ad tres divinas personas, quia talis ratio communis esset vere multiplicata in illis, & ideo variant Auctores, concedunt aliqui habere modum speciei, quia in ratione personae non nisi numero differunt. Arriaga. disp. 3. sect. 3. inquit habere modum generis, quia divinae personae in ratione personae formali specie differunt, quia Paternitas, Filiatio, & Spiratio sunt relationes diversae speciei. Hurtad. id concedit, scilicet tres divinas personas non solo numero differre, addit tamen nec proprie differre specie, quia sunt prorsus aequales in perfectione, species autem nequeunt esse aequales; ideo concludit conceptum personae, ut sic, participare de genere, & de specie, & esse universale quoddam, quod Porph. ignoravit, qui tantum cognovit universale rerum creaturarum, ita loquitur disp. 5. sect. 2. Pasqual. vero disp. 74. sect. 1. data communitate talis conceptus, negat habere rationem generis, vel speciei, quia unusquisque horum conceptuum finitus est, ac limitatus, at quicquid est in Deo, illimitatum est, sed non explicat postea qualis esset ejus universalitas. Nos dicimus, si admittatur ut

ut est satis probabile, communitas talis conceptus ad tres divinas personas, cui nulla correspondat realitas a parte rei per ipsum adequate concepta, talem conceptum habere modum praedicandi speciei, tamen non est vere species, cum haec debeat praeferre realitatem potentialem ad haecceitatem, ut ait Scot. 1. disp. 8. quaest. 3. in fine, quia licet Paternitas, Filiatio, & Spiratio, quatenus relationes sint alterius speciei, tamen in ratione personalitatum solo numero differunt; constaret etiam suo modo ille conceptus ex conceptu generico, & differentiali, cum abstrahi possit per intellectum adhuc inaduate concipientem conceptus communis personis creatis, & increatis, ut Scotus docet loc. cit. qui haberet modum generis, cum hoc tamen stat, quicquid est in Deo a parte rei, esse infinitum, & illimitatum, isti namque conceptus inaduaquati pendunt ex nostro concipiendi modo, nec explicant res, ut sunt in se distincte, & adaequate.

68 Ad 3. respondent ex Cajet. Complut. Amic. Joan. de S. Thom. & alii, quod entia incompleta sicut non ponuntur in recta linea, ita nec proprie, & simpliciter sunt universalis genera, aut species, sed tantum secundum quid. Sed ut constat ex dictis disp. praeced. qu. 4. dub. 2. etiam naturae incompletae fundare possunt veram, & perfectam universalitatem, quia eodem modo respiciunt sua inferiora, sicut natura completa, nam sicut animal est pars materialis hominis, & Leonis, & ut sic de illis praedicatur, sic anima est pars materialis animae vegetantis, & sentientis, & ut sic de illis praedicatur, unde licet naturae in se sint incompletae, universalitas tamen illi conveniens est completa. Nec obstat, quod non sint directe in praedicamento, bene enim stat, quod aliquid sit directe in praedicabilibus, quod indirecte tantum reperitur in praedicamentis, ut patet de differentia, quae est unum de praedicabilibus, & tamen non est directe in praedicamentis; quare cum hujusmodi genera, & species dicuntur incompleta, id debet intelligi fundamentaliter tantum, non formaliter ratione ipsius universalitatis, cui doctrinae subscibuntur Murr. hic quaest. 3. dub. 6. Blanc. disp. 3. sect. 16. & alii. Ad 4. concedimus differentiam, proprium, & accidens sic considerata, in ordine scilicet ad propria inferiora, habere rationem speciei, tunc enim tantum gaudent ratione illorum trium universalium, quando comparantur ad sua subiecta, vel quasi subiecta, ut notat Mayron. pass. 3.

69 Urgebis adhuc contra eandem definitionem, quia homo est species, & tamen praedicatur de pluribus specie differentibus, ut de masculo, & femina; plus namque differunt vir, & mulier, quam duo viri, sed hi numero differunt, ergo illi specie, quia inter differentiam numericam, & specificam nulla mediat. Hac de causa Rodolphus Agricola lib. 1. de invent. c. 6. & quidam alii dixerunt speciem infimam posse esse genus intermedium, sed prorsus inepte, cum hoc sit omnino impossibile: quantum vero spectat ad argumentum in re, dicendum est, masculum, & feminam non differre, nisi specie accidentali, non vero essentiali, ut ex professo docuit Arist. 10. Met. tex. 25. de quo videatur ibi Doctor, & Aletius in expositione textus; & in hoc sensu verum est, plus differre virum, & mulierem, quam duo viri ab invicem, unde in differentia numerali admittenda est latitudo accidentalis.

Deinde arguitur contra definitionem speciei subiectibilis, quia datur aliqua species praedicabilis, quae nulli generi subicitur, ut materia prima, quae juxta nostram sententiam in Phys. disp. 6. quaest. 4. art. 1. est species infima, & tamen non est sub genere substantiae in praedicamento, & idem est de puncto quantitatis, quod non est sub genere quantitatis, cum non sit quantitas. Et quod magis urget, genus generalissimum substantiae respectu hujus, & illius substantiae induit modum speciei ex dictis praeced. qu. art. 3. dub. 2. ergo saltem respectu individuorum incompletorum, quae dicuntur generica, dabitur species praedicabilis nemini superiori subiectibilis.

70 Resp. quidam Thomista, quod sicut non inconvenient dari speciem subiectibilem, quae non est praedicabilis, ut ipsi tenent de speciebus Angelicis, ita nec inconvenient dari speciem praedicabilem, quae non sit subiectibilis, unde consequenter hanc definitionem non recipiunt, quibus favet Cajet. cap. de specie, Tatar. qu. de differentia in fine. Nos vero utrumque habemus pro inconvenienti, & quidem in proposito prorsus absurdum est speciem praedicabilem admittere, quae non sit subiectibilis, quia omnis species, ut talis debet esse sub genere, compositur enim metaphysice considerata ex genere, & differentia, ex illo, ut ex gradu superiori, ex hac autem, ut ex ratione particulari, & contrahente genere; dicendum igitur est, quod sicut art. seq. ita omnis praedicabilis est etiam subiectibilis, & sub genere aliquo continetur, quod tamen extra praedicamentum constituitur, non quia aliquid universalitatis ad tura completa, cui solidatur locus in praedicamento, ut modo contextum est. Ratio hujus est, quia omnis natura specifica semper convenit cum aliqua alia natura in aliquo gradu essentiali, v. g. in exemplis allatis materia prima convenit cum forma substantiali in conceptu substantiae,

prout distinguitur ab accidente convenit etiam in conceptu partis physicae essentialis, licet quoad modum constituendi compositum physicum habeant rationes primo diversas, ut docuit Doctor 2. disp. 12. quaest. 1. §. *Sequitur secundo*. Pariter punctum quantitatis convenit cum instanti temporis in conceptu indivisibilis continuativi, & terminativi partium abstrahendo a quantitate permanenti, & successiva, unde sicut diximus definitionem speciei praedicabilis, etiam materiae primae, puncto, & aliis naturis incompletis competere cum omni proprietate, quantum est ex parte universalitatis; sic etiam per hunc dicendi modum, quem sequitur Averf. qu. 2. de specie cum multis aliis, optime defenditur definitionem speciei subiectibilis eidem convenire.

71 Ad aliud de genere supremo de suis individuis praedicante per modum speciei, concedimus eo casu dari speciem praedicabilem, quae non est subiectibilis, ut etiam loc. cit. diximus ex Didac. disp. 7. quaest. 1. qui bene advertit, cum dicitur, omnem speciem praedicabilem esse quoque subiectibilem, id debere intelligi de speciebus praedicantibus de suis individuis, ut sunt a parte rei, & servato ordine, quem postulat natura rerum, cui correspondet ordo praedicamentalis, juxta quem genus descendit individua, nisi per speciem; quare si interdum individua immediate subiciuntur generalissimo, non est connaturaliter, & secundum quod individua debetur, sed per intellectum immediate individuam naturam genericam sperto ordine naturali; itaque argumentum (etsi subtile) non officit, quia Porph. definiit speciem subiectibilem, ut spectat ad seriem praedicamentalem, quae contexta est juxta exigentiam naturae rerum.

Sed rursus obijcies contra eandem definitionem, quia potest etiam individuum immediate contineri sub genere, ergo illa definitio competit etiam individuo. Prob. assumptum in illis speciebus, quae sunt multiplicabiles individualiter, ut sunt species angelicae in sententia D. Thomae, & relationes divinae; neque enim possunt esse duo Patres, aut Filii aeterni, cum igitur in his speciebus ratio individualis sit eadem formalissime cum specifica, ponetur utique immediate sub genere. Hoc argumentum existimat Arriaga. disp. 7. sec. 2. difficilis solutionis, & re vera difficile est apud admittentes illas species, & distinguentes speciem subiectibilem ab individuo per hoc quod immediate ponitur sub genere, at neutrum horum nos tenemus, negamus enim has species, ut constat ex dictis disp. praeced. qu. 4. dub. 1. & magis patebit ex dicendis art. seq. neq. per illam positionem immediatam sub genere praedicat distinctimus speciem subiectibilem ab individuo, sed per hoc, quod species subiectibilis semper est in se universalis, licet non quantum subiectibilis, ut mox dicemus.

ARTICULUS II.

Per quid constituitur species in esse 2. universalis, num ut subiectibilis, vel praedicabilis.

72 Cum in specie infima, quae est secundum universalitatem, concurrat haec duplex habitudo, scilicet, subiectibilitatis ad superiora, & praedicabilitatis ad inferiora, nunc indagandum est, per quam habitudinem formaliter constituitur in esse universalis, & hac quaestio potest etiam agitari de specie subalterna, quatenus in ea concurrat etiam eadem duplex habitudo; in qua singularis est opinio Cajet. c. de specie, ubi significavit speciem in ratione speciei, & secundi universalis constitui per subiectibilitatem ad genus; unicum ejus fundamentum fuit, quia propria ratio speciei est esse correlativum generis, hanc autem rationem correlativi non habet per ordinem ad inferiora, de quibus dicitur, sed per ordinem ad genus, sub quod ponitur.

Dicendum tamen est cum communi, speciem, constitui intrinsece, & formaliter in esse universalis, non per ordinem ad superiora, quibus subicitur, sed ad inferiora, de quibus praedicatur, & ea quidem solo numero differentia. Conclusio est apud omnes unanimi consensu contra Cajet. recepta, & est Scoti quaest. 21. citat. in fol. ad 4. ubi ait secundam definitionem de specie datam, quod scilicet, praedicatur de pluribus numero differentibus, esse propriam ejus, inquantum est universale; & probatur ratione tam valida ab ipsomet Cajet. existimata, ut loco cit. eam insolutam reliquerit. Species ideo est unum de numero universalium, quia participat rationem universalis in communi, ergo constitutum ejus debet esse intra latitudinem formalis constitutivi ipsius universalis in communi, impleat enim quod relatio quaedam in communi tendat ad unum terminum, & relatio sub ea contenta, veluti species tendat ad oppositum, ergo cum universale in communi constituitur in esse tali per habitudinem ad inferiora, consequenter quodlibet universale sub eo contentum debet in esse tali constitui per relationem ejusdem rationis magis coarctatam, & non per oppositam relationem, idest ad superiora. Quod autem universale constituitur per habitudinem ad inferiora in esse tali, patet, quia respectu sui termini, se habet ut superius, unde illum sibi subicit, non autem

autem ei subicitur; ergo species non constituitur in esse universalis per esse subicibilem superioribus, sed per esse prædicabilem de inferioribus. Accedit subicibilitatem speciei, & individui formaliter esse ejusdem rationis, esto ex parte materialis fundamenti differant, ut diximus in quaestione, ergo per subicibilitatem constituitur nequit in esse universalis, cum eadem subicibilitas competat individuo.

73 Fundamentum vero Cajet. facile diluitur ex doctrina, quam habet Scotus in hæc quæst. citat. ad 4. ubi docet, quod utique species secundum suam propriam rationem formalem dicitur ad genus, velur ad ejus primum correlativum, at secundum rationem sui generis, sub quo continetur, scilicet, universalis, dicitur etiam relative ad inferiora, de quibus prædicatur, universale enim refertur ad subicibile; ex quo infert, quod species per se primo refertur ad genus, per se autem non primo, ad individua, velur inferiora, quia ratione sui generis, scilicet, universalis, unde tandem concludit, quod esto definitio ejus in ratione subicibilis, scilicet, data in ordine ad genus, sit speciei propria secundum se, quia datur per ejus primum correlativum, secunda tamen, quæ datur per ordinem ad inferiora, licet detur per posterius correlativum, scilicet, per individua, adhuc est magis ad propositum, quia est propria speciei, inquantum est universale, quo modo præfertim hic consideratur a Porph. ex quo patet ad argumentum Cajet. falsum esse, quod genus sit correlativum speciei, quatenus est universale quoddam.

74 In oppositum tamen adhuc urgeri potest; quia quod immediate subicitur generi est universale, sed species quatenus subicibilis immediate subicitur generi, ergo quatenus subicibilis est universalis. Tum 2. quia species ideo est unum de numero universalium, quia continetur sub universalis in communi, ut ejus pars subjectiva, sicut homo dicitur animal, quia continetur sub animali, sed species, quatenus sub universalis continetur, est subicibilis, ergo, &c. Tum 3. ut species subiciatur generi, opus est, ut abstrahatur ab individuis, ergo ut sic est universalis. Tum 4. species subicibilis prædicatur de hac, & illa specie subicibili, ergo inquantum subicibilis est formaliter universalis. Tum 5. quia species subicibilis semper est universalis, & contra, ut dictum est, & adhuc magis patebit ex dicendis, ergo, &c.

Resp. quod immediate subicitur generi esse universale materialiter, & specificative, & sensus est, naturam, quæ ponitur sub genere, esse universale, non tamen formaliter, & reduplicative, quasi sit universalis, quia illi subicitur, quia respectu ejus universalitatem non exercet, seu superioritatem, sed inferioritatem. Ad 2. patet per idem, speciem, quatenus continetur sub universalis, esse universale materialiter, & specificative; vel potius negativè assumptum cum ejus probatione, homo enim non dicitur animal, quia subicitur animali, ut generi suo, sed potius contra subicitur animali, quia est animal, & participat rationem ipsius, hoc enim est fundamentum relationis subicibilitatis, quæ illi accidit per intellectum; sic igitur in proposito, non ideo prædicabilia sunt universalis formaliter, quia sub universalis continentur, sed potius ideo universale de eis quinque prædicatur, quia hæc sunt universalis, & rationem participant ipsius universalis; quæ consistit in ordine ad inferiora. Ad 3. in eo statu abstractionis est solum universalis metaphysice, non logice, & quando concederemus etiam logice universale esse, tunc diceret prælatet possidere universalitatem ex vi abstractionis ab inferioribus, non ex vi subiectionis ad superiora. Ad 4. neg. conseq. quia ex comparatione speciei ipsius subicibilis ad hanc, & illam resultat in ipsa universalitas, a quo formaliter denominatur universalis, & sic induit modum speciei prædicabilis, unde talis species erit subicibilis, ut quid, prædicabilis, ut modus. Ad 5. Neg. sequela, verum quidem est, speciem, qua subicibilis est, esse universale, non tamen talis est, quatenus subicibilis, sicut e contra species, quæ est prædicabilis, est etiam utique subicibilis, non tamen talis est, quatenus prædicabilis.

75 Sed adhuc fortius urgebis, genus subalternum non constituitur in esse universalis subalterni per prædicabilitatem, per subicibilitatem, ergo & species poterit quoque per propriam subicibilitatem constitui in esse universalis minimi. Prob. assumptum, quia non constituitur in tali universalitate per prædicabilitatem de pluribus specie differentibus, quia hæc etiam convenit generi supremo, nec per eam, quæ est de pluribus numero differentibus, quia hæc etiam convenit speciei infimæ, ergo per nullam prædicabilitatem constituitur, sed præcipue per subicibilitatem. Resp. hic committi fallaciam, quæ fit secundum plures interrogaciones, ut unam, petitur enim per quid constituatur genus subalternum in tali esse, quasi quid unum sit in eo esse genus, & esse subalternum, quæ tamen duo valde diversa sunt, nam esse genus convenit ei per habitudinem ad inferiora, de quibus dicitur, esse vero subalternum convenit ei per ordinem ad superiora, quibus subicitur; & quatenus species subicibilis, non quatenus genus; itaque ad argum. dicimus, quod esto genus subalternum, quatenus subalternum, constituatur per subicibilitatem, nihilomi-

nus quatenus genus constituitur per prædicabilitatem de pluribus specie differentibus: nec obstat, quod talis prædicabilitas competat etiam generi supremo, quia ut diximus art. ult. quæst. præc. in fine genus supremum, & subalternum non differunt essentialiter in ratione generis, & universalis.

76 Instabis adhuc, genus generalissimum non constituitur in hac suprema universalitate per ordinem ad inferiora, sed præcipue per hoc, quod supra se aliud genus non habet, ergo genus subalternum in sua coarctata universalitate constituitur præcipue per hoc, quod supra se habet aliud genus. Prob. assumptum, tum ex Porph. tum ex Scot. 1. disp. 8. quæst. 3. O. ubi docet non esse de ratione generis generalissimi plures sub se habere species, & dat exemplum de Quando, quod constituitur unum ex 10. generibus supremis, licet sub se paucas habeat species, aut nullas, eo præcipue quia non habet aliud superveniens genus. Resp. similiter, ut ad præcedens, aliud esse loqui de genere generalissimo, ut genus est, & ut generalissimum est, verum enim est assumptum, si consideretur ut generalissimum est, non autem ut genus est, & in hoc sensu loquuntur Porph. & Scot. qui optime dixit generalissimo, ut tali, prorsus accidere, quod habeat sub se species, quia non constituitur in tali esse per ordinem ad inferiora, sed per negationem ordinis ad aliud superius, sicut e contra si generalissimum, & subalternum considerentur, quatenus universalis, prorsus accidit eis habere, vel non habere genus superveniens, ut notat Brasav. cum Mauris. quæst. 12. Universi.

77 Pro complemento hujus articuli restat dubium dissolvendum, quod hic agitari solet, quia ejus resolutio multum juvat ad cognitionem speciei secundi prædicabilis; cum enim videamus has duas habitudines subicibilitatis, & prædicabilitatis concurrere in specie infima, & subalternata, quæritur an concurrant per accidens, & veluti disparatæ, an potius concurrant, ut per se connexæ, ita quod una sit de ratione alterius, sive una fundamentum alterius, & origo. Circa quod dubium tria præfertim reperimus Auctorem placita, duo extrema, & aliud medium cum distinctione procedens. Prima itaque opinio extrema absolute asserit esse disparatas, itaut una veluti per accidens se habeat ad aliam, quia nec subici generi est per se de ratione universalis, ac prædicabilis de multis, nec e contra esse prædicabile est de ratione subicibilis, potest enim, & de facto una harum rationum reperitur sine alia, cum in generibus supremis reperitur prædicabilitas sine subicibilitate, & individuis subicibilitas sine prædicabilitate, ita Albert. tract. 4. prædicab. c. 2. Complut. disp. 6. quæst. 3. Masius sect. 1. quæst. 4. Didac. disp. 7. quæst. 2. Ruviis quæst. 2. Galleg. contr. 14. & alii.

Alter opinio extrema docet esse per se connexas, & unam originari ab alia, nimirum vel subicibilitatem ex prædicabilitate, vel contra; Cajet. cit. postquam constituit essentialiter speciei in subicibilitate, ait deinde prædicabilitatem sequi ad rationem subicibilis, ut ejus propriam passionem, itaut dicere valeat, ideo species est apta de individuis prædicari, quia subicitur generi. Tolet. e contra quæst. un. de specie, & Sanch. quæst. 33. Log. significant subicilitatem sequi ad universalitatem, velur ejus passionem, itaut dicere valeat, species ideo subicitur generi immediate, quia est quid universale in se, individua enim non immediate subduntur generi.

Tertia opinio media cum distinctione procedit, & ait, quod si fiat sermo de his rationibus subicibilitatis, & prædicabilitatis præcipue consideratis, utique non sunt per se connexæ, ut bene demonstrant rationes primæ sententiæ, nec una per se consequitur ad aliam, cum sint respectus oppositi, ex vi enim prædicabilitatis verb. gr. sequi solum potest id, quod est superioritatis, non quod est inferioritatis, & subiectionis. Si autem sermo de universalitate limitata, & coarctata, qualis est universalitas speciei, utique in hoc sensu dicendum est ex ipsa oriri subicibilitatem immediatam ad genus, ut ejus propriam passionem, licet enim ex universalitate, ut sic, nequeat oriri subicibilitas, quatenus tamen limitata, & determinata bene sequi potest; concludit igitur prædicabilitatem, & subicibilitatem in hoc sensu esse per se connexa in specie, quatenus ejus universalitas non est suprema, sed limitata, & subordinata, hoc enim ipso, quod prædicabilis, quæ pertinet ad rationem speciei, non est prædicabilis suprema, sed inferior, per se, & non disparatæ petit fundare relationem subicibilitatis, sine qua ratio inferioritatis nequit intelligi; omne enim inferius subicibile est; Conf. quia secundum prædicabile non habet esse universale quomodocunque, sed universale subordinatum, & minus altero, scilicet genere, ergo id, quod conducit ad hoc, ut sit universale minus amplum altero, non potest disparatæ se habere ad constitutionem talis universalis, siquidem de intrinseca ratione ejus est, quod sit universale subordinatum, & inferius, sicut non disparatæ se habet ad constituendam causam secundum hoc, quod est subordinari causæ primæ, & in ordine politico ministro inferiori non est per accidens, & disparatum, quod subordinetur superiori; Ita Joan. de S. Th. q. 8. ar. 1. idemque sentire videtur Averis q. 11. Log. sect. 3.

78 Di-

78 Dicendum est pro resolutione dubii, subicibilitatem, & prædicabilitatem utique in specie necessario connecti, non tamen velur causam, & effectum, quasi quod una per se oriatur ab altera, sed potius veluti duos effectus ab eadem causa procedentes, sub diversis tamen causandi rationibus. Conclusio sequitur ex dictis, & mox dicendis, estque consona doctrina Scoti quæst. 21. citat. & quoad omnes partes probatur, & primo, quidem illas duas rationes in specie necessario connecti ex eo constat, quod in serie prædicamentali, & juxta ordinem a natura institutum nulla est species prædicabilis, quæ non sit subicibilis, quia species essentialiter constituitur ex genere, & differentia; ergo necessario alicui subicitur generi, & quando genus supremum prædicatur de suis singularibus immediate per modum speciei, constat ex dictis in fine præced. art. id esse præter ordinem connaturalem rerum, & ex mero intellectu beneplacito, & re vera tunc genus supremum, & substantia, adhuc debet rationem generis, licet induat modum prædicandi speciei, unde est genus, ut quid, species ut modus, quare cum re vera species non sit, mirum non est, si generi non subicitur; ex alia etiam parte non est dabilis species subicibilis, quæ non sit prædicabilis, ut constat ex dictis disp. præced. quæst. 4. dub. 1. & adhuc dicemus iterum, ergo hæc duæ rationes subicibilitatis, & prædicabilitatis necessario conjunguntur in specie, etiamsi quantum est de se possint se junctæ inveniri in diversis subiectis, ut bene demonstrant rationes primæ sententiæ.

79 Deinde quod non connectantur velur causa, & effectus, probatur, quia istæ habitudines sunt oppositæ, unum autem oppositum non per se oriatur ex alio, nec physice, nec metaphysice; tum quia tota ratio subicibilitatis sita est in relatione inferioris ad superius, ratio prædicabilitatis e contra, ergo ab his relationibus nequeunt derivari nisi relationes ad eisdem terminos, non autem ad oppositos. Si dicas cum 3. opin. quod licet subicibilitas nequeat derivari ex prædicabilitate, ut sic, nam ita sunt opposita, bene tamen ex prædicabilitate, quatenus limitata, & subordinata, nam hoc ipso, quod prædicabilitas non est suprema, sed subordinata, tunc prædicabilitas petit fundare relationem subicibilitatis. Contra hoc est, quod illa limitatio, & subordinatio non tollit oppositionem prædicabilitatis cum subicibilitate, ergo adhuc obstat, ne una ex alia deriveretur, tum quia non videtur major ratio, cur subicibilitas potius oriatur ex prædicabilitate limitata, & subordinata, quam e contra, imo subordinatio prædicabilitatis videtur supponere subiectionem prædicabilis potius, quam præcedere, ita quod sit verum dicere, ideo prædicabilitas animalis, vel hominis est limitata, & coarctata, quia animal non est supremum genus, sed subalternum, non ergo subicibilitas ex prædicabilitate etiam limitata, & coarctata deriveretur; sed potius e contra dici deberet; si invicem subordinarentur in ratione causæ, & effectus.

80 Si dicas iterum cum Auctoribus tertiæ opinionis, ideo potius subicibilitatem ex prædicabilitate limitata oriri, quam e contra, quia prior, & essentialiter est in specie habitudo ad inferiora, per quam constituitur in rationem universalis, quam habitudo ad superiora. Contra hoc est, quod res potius opposito modo se habet, quod nimirum in specie, ut species est, prior, & essentialiter est subicibilitas, & ordo ad superiora, quam ad inferiora, ut Scot. docet quæst. cit. in sol. ad 4. ubi proinde genus appellat primum correlativum speciei, individua vero correlativum posterius, quem sequuntur Compl. cit. Blanc. d. 3. sect. 3. Fæn. quæst. 8. diff. 1. art. 3. & alii quamplures, & probatur manifesta ratione, quia prius est rem constitui in sua essentia, quam aliud constituere, vel alteri communicari, dum enim communicatur, jam in suo esse constituta supponitur, sed species per subiectionem ad genus intelligitur illud participare velur rationem superiorem, & partem essentia ejus, per prædicacionem vero intelligitur alii communicari, ergo in specie subicibilitas re vera prædicabilitatem præcedit. Et adhuc magis declaratur, prius naturam specificam intelligimus contrahere genus, quam contrahi ab individuis, quia per contrahere genus media differentia constituitur in esse speciei, sed quatenus genus contrahit, intelligitur subicibilis, quatenus contrahitur ab individuis, intelligitur prædicabilis, ergo subicibilitas præcedit prædicabilitatem.

81 Respondet Jo. de S. Th. aliud esse speciem contrahere genus, & aliud subici generi, illud enim pertinet ad constitutionem naturæ in se, quæ fit per genus, & differentiam, subicibilitas autem dicit relationem rationis, quæ coordinatur speciei generi, & sic pertinet ad secundam intentionem naturæ, non ad constitutionem, & in hoc genere intentionis prior est universalitas, & prædicabilitas in ordine ad constituendum secundum prædicabile, quod est species, quam subicibilitas, licet respectu naturæ secundum se prius intelligatur contractio generis, quæ est fundamentum subicibilitatis, quam contrahibilitas ad individua, quæ est fundamentum universalitatis. Sed hac solutio contra rationem generis in specie esse fundamentum subicibilitatis, & præcedere contrahibilitatem ab individuis, quæ est fundamentum prædicabilitatis, sane sequitur etiam se-

cundam intentionem subicibilitatis præcedere debere intentionem prædicabilitatis, nam istæ intentiones eundem rationis ordinem fundant inter se, quem habent a parte rei fundamenta, alioquin non dicerentur fieri cum fundamento in re. Quod autem inquit relationem prædicabilitatis esse priorem quoad constituendam speciem in esse secundi prædicabilis, parum refert, hoc enim utique verum est, imo non solum est prius, sed unica, & præcipua ratio constituens speciem in esse prædicabilis, at hoc non requiritur in proposito, sed quæritur, quatenus istarum rationum præcedat in specie, ut species est, absolute loquendo, non ut universale.

82 Denique quod connectantur potius, veluti duo effectus ab eadem causa procedentes sub diversis rationibus causandi, quæ erat ultima pars conclusionis, probatur, quia differentia essentialis duo habet, unum est, quod est determinativa, & contractiva essentia generis ad constituendam speciem; alterum est, quod in se importat gradum formalem essentia adhuc communicabilem, quia licet rem a se constitutam constituat in esse subicibili ad genus, quod contrahit, non tamen eam constituit in ultimo esse subicibili, ut facit individualis differentia; cum igitur ratione primi muneris, nimirum quatenus contractiva, speciem constituat in esse subicibili ad genus, quod contrahit, quia speciem constituit sub illo determinato genere; cumque ex alio capite quatenus non est ultima omnino differentia, & incommunicabilis, constituat naturam ulterius communicabilem, & potentem esse in pluribus, plane constat, subicibilitatem, & prædicabilitatem in specie a differentia specifica oriri sub diversis tamen rationibus, ex ipsa namque ut contractiva generis subicibilitas deriveretur, & ex eadem, ut ulterius communicabili, oritur prædicabilitas speciei.

83 Et ex his facile satisfit fundamentis earum opinionum, præfertim tertiæ, quæ utique majorem habebat cæteris apparentiam veritatis, nil enim aliud efficaciter probat, quam duas illas rationes subicibilitatis, & prædicabilitatis non omnino per accidens, & disparatæ concurrere ad constitutionem hujus secundi prædicabilis, de cujus intrinseca ratione est esse universale subordinatum, & minus amplum genere. Hoc sane verum est, & nos quoque ultro fatemur, atque ideo hac de causa diximus, illas rationes esse necessario connexas in specie, verum non probat esse connexionem inter illa, velur effectus, & causæ, ita quod una dependeat, & oriatur ab alia.

Sed objicies, quod dari possint, imo de facto dentur species subicibiles, quæ non sint prædicabiles, multi namque tales esse asserunt relationes divinas, quæ sunt immultiplicabiles intra speciem infimam, quemadmodum innuntiat a Thomis natura angelicæ; neque enim possunt esse duo patres, aut Filii æterni, & tamen hæc relationes sunt inter se veluti specie distinctæ ex D. Th. 1. quæst. 32. ar. 2. & quæst. 10. de potent. art. 2. ad 12. Resp. prorsus implicare species, quæ unum dumtaxat individuum sub se habere possint, atque ideo sint solum subicibiles, non vero prædicabiles, ut asserit Arriag. disp. 7. num. 35. ob rationem allatam, quia si talis species constat ex genere, sub quo ponitur, & differentia specifica contrahente, non apparet, unde repugnet illi communicabilitas ad plura ex principiis ejus intrinsecis, quia nec ratione gradus generici illi repugnaret, ut de se patet, neque differentialis, quia hic etiam est adhuc ulterius communicabilis, cum non sit individualis. Relationes autem divinæ, ut diximus artic. præced. in sol. ad 1. quamvis ut relationes, specie inter se differant, qua ratione sunt multiplicabiles, ut cernimus in creatis, cum quibus conveniunt in præcipua ratione relationis; quatenus tamen personalitates divinæ, quo sensu sunt immultiplicabiles, non specie differunt, sed quasi numeraliter, quatenus in conceptu communi divina personalitatis ab eis abstrahibili specificæ conveniunt, ut ib. explicavimus.

ARTICULUS III.

An Species in unico individuo, & Genus in unica specie conservari possint.

84 Genus, & species ex dictis considerari possunt, vel ut tota quedam actualia, id est secundum suam prædicata essentialia, vel ut tota quedam potentialia suas partes subjectivas respicientia, & hoc vel metaphysice, vel logice; difficultas non est de ipsi primo modo inspectis, sic enim omnes concedunt, & genus in unica specie, & speciem in unico individuo conservari posse, quia secundum totam suam essentiam communicantur cuilibet suo inferiori, qua ratione dicimus totum animal esse in specie humana, & totam humanitatem in Petro, sed non totaliter, & hoc significare voluerunt Parisenses, cum cap. de gen. dixerunt posse genus secundum existentiam salvari in unica specie, quia destructis omnibus speciebus sola humana remanente, adhuc homo esset animal. Est ergo difficultas de ipsi, ut tota potentialia, seu universalis, tam metaphysice, quam logice, & sensus est, an ad conservandam totalitatem suam potentialem secundum statum ei con-

natu-

naturaliter debitum exigit genus plures actu species, & species plura individua, an potius sufficiat aptitudinalis respicientia, & quod illa plures species respectu generis, & plura individua respectu speciei sint possibilis.

Quoad genus, tres extant opiniones, duæ extremæ, & una media. Prima extrema docet totalitatem potentialem, seu universalitatem generis tam metaphysicam, quam logicam in una sola specie conservari posse, etiam si aliæ species impossibiles, ita Cœlest. disp. 5. Log. sect. 2. cum aliis quibusdam. Fundamentum huius opinionis est; quia ad hoc, ut genus sit universale metaphysicum, sufficit, ut veniat in compositionem speciei, tamquam pars materialis illius, hoc autem habetur in illa specie, etiam si aliæ implicentur. Rursus de ratione universalis logice est, quod sit unum in multis, velut pars materialis eorum, sed relatum ad individua illius speciei actualia, vel possibilis, jam habet esse unum, nam ab illis omnibus individuis abstrahi potest ratio animalis, item habet esse in multis, nempe individuis, & tandem dicit solam partem materialem ipsorum, quia si illa esset species humana, tunc adhuc animalitas non diceret totam essentiam hominis, ac individuum ejus, sed partem, & hanc quidem materialem, ergo nihil revera illi deficeret requisitum ad universalitatem totam logicam, quam metaphysicam. Hinc inferunt non ita posse de specie dici, quod in unico conservetur individuum quoad suam universalitatem logicam, vel metaphysicam, si alia individua implicentur, quia de ratione universalis est, quod plura respiciat inferiora, in illo autem casu non potest illa species plura inferiora habere, quod non contingit de genere admittit una specie, quia haberet pro inferioribus individua illius speciei.

85 Altera opinio extrema asserit genus pro sua universalitate conservanda, tam logica, quam metaphysica plures species requirere, non solum possibilis, sed etiam actu existentes. Fundamentum huius sententiae est ex ipsa natura generis deducitur, cum enim hæc sit essentialiter incompleta, ut existat secundum suum statum connaturalem, petit essentialiter perfici per differentias, quia perfectus status potentiae attenditur ex actu sibi adæquato, sed una differentia non est actus adæquatus potentiae generis, cum possit perfici per alias, unde deducitur genus non posse salvari, nisi in duabus speciebus ad minus actu existentibus, & aliqui insinuant, oppositum nec per Dei potentiam fieri posse, quia duæ ad minus species sunt necessariae, ut intelligatur genus esse totum potentiale, nec potest genus intelligi per unam differentiam dividi, & ad unam speciem contrahi, nisi simul ab alia dividatur, & in alia specie reponatur, unde inquit Arist. 3. Met. 10. *neesse est uniuscujusque generis differentius esse*. Hinc inferunt, non ita de specie posse dici, quia licet dicat potentiam per differentias individuales perfectibilem, quia tamen hæc non sunt essentialia, sed materiales, & quasi accidentaria, ad suum perfectum statum connaturalem non indiget natura specifica, ut actu existat in pluribus individuis, sed quoad totam suam perfectionem essentialiam, & statum perfectum illi debitum conservari potest in unico individuo, ut patet de Sole, Luna, &c. quare ad universalitatem speciei conservandam sufficit pluralitas individuorum possibilis, ita Boet. l. de divif. Alex. l. 1. natur. qu. c. 11. D. Th. 1. Post. c. 5. lect. 12. Fons. 5. Met. c. 28. quæst. 15. sect. 3. Sot. in Log. q. de specie. Tolct. ib. Nig. q. 41. Flandria lib. 1. de Demonstrat. q. 17. art. 2. Comput. d. 6. q. 2. Joann. de S. Th. qu. 8. art. 4. & alii Thomistæ passim. Imo universalitatem præsertim logicam speciei ajunt conservari posse specie, sub qua non nisi unum individuum sit possibile, & ita loquuntur de speciebus angelicis.

Tertia sententia media asserit, utique requiri pluralitatem specierum ad servandam universalitatem generis; itemque individuorum ad servandam universalitatem speciei, tam logicam, quam metaphysicam, negat tamen hanc esse debere necessario actualem, & hæc videtur communis Scottistarum, ut est videre apud Parisienses c. de genere, Ant. Andr. ib. sic enim Scot. insinuasse videtur q. 18. Univers. hoc idem asserunt ibi ejus Expōitores Maur. Angl. & alii, & sequuntur ex Modernis quamplures, Ruvius in Log. q. 4. de specie, Averf. quæst. 10. sec. 4. Gratiadei sec. 4. dub. 3. Lovan. c. de genere, Oviuid. contr. 4. log. punct. 3. Hurt. disp. 5. sect. 4. Blanc. disp. 3. sect. 5. de gen. & sect. 6. de specie, qui tamen specificat ad universalitatem logicam requiri existentiam actualem plurium inferiorum per intellectum, non tamen a parte rei. Didac. a Jesu disp. 7. quæst. 4. Pasqualig. tom. 1. Met. disp. 56. Roccus c. de un. qu. 4. & alii quamplures.

86 Dicendum 1. quod hæc universalis, si formaliter considerentur, quantum ad logicam universalitatem, licet non requirant plura inferiora a parte rei actu existentia, requirunt nihilominus illa actu existentia objective in intellectu, ita tamen, ut quamvis a parte rei non existant, sint tamen possibilis illa plura. Conclusio est Doctoris qu. 18. Univ. in fine, ubi dicitur genus multas actu species requirere per intellectum apprehensas, explicat Maur. ipsum loqui de universalitate logica, & docet quoque Barg. 1. d. 3. qu. 6. Prob. quoad omnes partes, & quidem quoad primam, quod nempe plura inferiora actu existentia non

requirant, constat ex dictis d. præc. qu. 4. quia hæc sunt universalis essentialia, ac proinde quidditative prædicantia de suis inferioribus, ad veritatem autem prædicationis essentialis, nec subiecti, nec attributi existentia requirunt, ut patet ex Summulis. Neque dicas esse necessaria illa plura, ut ab eis abstrahatur illa universalitas, ut videatur innuere Doct. qu. c. quia licet regulariter ita fieri soleat abstractio naturæ ab inferioribus, quo sensu ibi loquitur Sc. absolute tamen potest universalitas tota ab uno solo inferiori existente abstrahi, sicut a pluribus, imo etiam si nullum existeret, posset adhuc abstrahi a possibilibus saltem ab intellectu angelico a sensibus non dependente, ut ibi diximus, & suse probat Pasqualig. cit. sect. 4.

87 Quod autem requirant illa inferiora actu existentia objective in intellectu, probatur, quia universalitas est relatio conveniens naturæ per opus intellectus, sed non potest esse, neque cognosci ratio sine suo termino; ergo cum adæquatus terminus universalitatis sit inferiora, non potest hæc relatio fundari in natura, nisi intelligatur terminata ad illa plura per intellectum apprehensa, quod est habere existentiam objectivam; & hæc præcisè sufficit ad terminandam universalitatem, nam relatio non majorem actualitatem requirit in termino, quam ipsa habeat; cum ergo genus logicum, ut sic, objective solum in intellectu existat, ad summum requirit in termino existentiam objectivam. Hic tamen advertendum est, cum dicimus hæc universalis logica inspecta requirere pro termino universalitatis plura inferiora objective existentia, non est intelligendum, quod illa sic actu exigat, ut in eis actu existant, sed ut concipiantur actu illis inesse, vel saltem proxime potentia in eis existere, & ratio est, quia ut vidimus d. præc. q. 2. ar. 3. non necessario constituitur universale per actum essendi in multis, sed etiam per aptitudinem proximam: quia vero & ipsa aptitudo rationis suum terminum exposcit objective existentem in intellectu, ut bene probat Doct. q. cit. ideo dicimus universale plura actu inferiora exigere, non tamen in quibus necessario actu concipiatur inesse, sed vel actu, vel aptitudine, quod manifeste Doctor innuit in fine q. cum ait: *Nota, quod simpliciter teneri potest, quod genus non est aptum natum dici de multis, nisi que concipiuntur ab intellectu*, eni quomodo, esto ponat illa plura actu concepta, relationem tamen universalis ad illa ponit aptitudinalem, nam bene potest esse, quod ambo extrema conferantur ad invicem, scilicet, inferius, & superius, in ratione subijcibilis, & prædicabilis, non vero actu subiecti, & prædicati, & sic collatio; & conceptio extremorum erit quidem actualis, sed relatio inter ea versans erit aptitudinalis.

88 Postremo, quod illa plura actu concepta debeant a parte rei sub illis naturis esse possibilis, satis constat ex dictis q. 4. præc. d. ubi contra Thomistæ late probavimus naturas non esse capaces universalitatis logicæ, nisi sint a parte rei plurificabiles, ac proinde universalitatem specificam, quam ipsi fabricant super naturas angelicas, sub quibus non nisi unum individuum possibile agnoscent, esse prorsus chimericam, & commentitiam, quod etiam adhuc probatur, nam de ratione naturæ universalis est, ut sit, vel possit esse una in multis, sed natura angelica, ut ponitur a Thomistis, nequit esse una in multis, ergo nequit esse universalis, Prob. min. quia vel illa multa sunt actu existentia a parte rei, & hoc non, quia unum tantum existat individuum sub his Thomistarum speciebus, vel possibilis, & hoc non, ut ipsi concedunt, vel saltem sunt ab intellectu conficta, ut possibilis, vel actu existentia, & neque hoc, quia respectu talium individuorum fictorum non prædicaretur quidditative natura angelica, quia ens reale non dicitur quidditative de ente rationis.

Resp. Comput. d. 6. q. 4. angelicam naturam conceptam ut logice universalem, esse unam in multis, ad hoc tamen necessarium non esse, quando natura est universalis secundum rationem tantum est in proposito, quod illa multa sint actu existentia, vel actu possibilis, vel actu ab intellectu conficta, sed sufficit, quod ex nostro concipiendi modo ita comparetur ad proprium individuum, ac si haberet alia plura, quod tunc fit, cum a nobis apprehenditur; ut superior ad illud, & indifferens, nam illi, ut sic concepta, non repugnat multiplicatio in illis individuis, si possibilis forent. Sane hæc solutio incapibilis est, cum enim universale dicat ordinem ad plura, quando natura angelica concipitur ut universalis, utique plura, ad quæ referatur, assignari debent, neque assignari possunt, nisi in aliquo statu illorum trium, ut dicurrenti patet.

Contra hanc Concl. stant Thomistæ, in quantum constituunt aliquas species universales in ordine ad multa, etiam si illa plura non sint a parte rei possibilis sub illis speciebus, quod probant. Tum quia natura Gabrielis prædicandi potest per intellectum a differentia individuali, sub qua actu est, & ut sic accepta non est singularis, ergo universalis, quia sub tali præcisione concipi potest, ut apta ad essendum in multis. Tum 2. quia conceptus naturæ sic præcisè consideratæ, quando prædicatur de individuo, in quo est, fit prædicatio superioris de inferiori, nam conceptus ille non est ita determinatus, sicut conceptus individui. Tum 3. individuum Gabrielis ponitur in prædicamento sub-

substantiæ; & non ponitur immediate sub genere, ergo sub aliqua specie a thoma, quæ erit prædicabilis de ipso. Tum 4. ipsa naturæ angelicæ sunt in prædicamento, ut secundæ substantiæ, sed hæc sunt universales c. de subst. ergo, &c. Tum tandem, quia natura Gabrielis, & Michaelis differunt specie, & constant ex genere, & differentia, ergo sunt species prædicabiles.

89 Resp. ad hæc omnia uno verbo, esse vera, quia naturæ angelicæ vere sunt multiplicabiles a parte rei in plura individua eisdem rationis, quo principio negato tunc data hypothesi, Ad 1. negandum est fieri posse, talem præcisionem, quia talis abstractio naturæ ab individuatione, ut bene notavit Hurt. disp. 5. sect. 3. fundatur in distinctione naturæ a singularitate vel formali, vel saltem virtuali, quæ cum in naturis angelicis non reperitur, quia qualibet est de se hæc in sententia Thomistarum, consequenter in eis talis abstractio fieri non poterit sine mendacio; quæ etiam admittit, tunc adhuc negandum erit, naturam sic abstractam esse formaliter universalem, tunc enim solum ad abstractiōnem sequitur universalitas, quando natura abstracta non est de se determinata ad talem singularitatem, ut evenit in naturis materialibus, quia enim nulla istarum de se est ad hæcæitatem determinata, ideo abstracta dicitur universalis; at natura angelica ponitur de se determinata ad talem singularitatem. Dices, natura sic abstracta non est singularis, quia nihil est singularis sine singularitate, ergo est universalis. Negatur sequela, quia & ipsi naturas reales a singularibus abstractas ajunt cum Cajet. neque esse universales, neque singulares, sed esse naturam secundum se, & in suis prædicatis essentialibus. Nec dicas esse universalem, quia tunc conciperetur, ut indeterminata, & indifferens. Hoc enim est falsum, quia talis conceptus de natura illa esset omnino fictus, velut omnino repugnans ejus connaturali conditioni, quæ est esse determinatam ad unum singulare, unde quando etiam sic conciperetur, tunc dici non posset natura vere universalis, sed tantum concepta ad modum universalis. Ad 2. si conceptus ille est indeterminatus ex ipsa formali ratione naturæ, tunc utique prædicatio erit superioris de inferiori, quia natura de se multiplicabilis erit; si autem indeterminatio solum venit ex opere intellectus cum repugnantia ex parte objecti, jam ille conceptus erit implicitorius, & solum sic esse illa prædicatio superioris de inferiori, vere autem foret æqualis de æquali, quia licet natura conciperetur cum majori latitudine, quam individuum, tamen a parte rei forent æqualis ambitus natura, & hæcæitas. Ad 3. data hypothesi, poneretur Gabriel immediate sub genere, ideo enim regulariter ponuntur individua, mediate tantum sub genere, quia aliquo modo ex natura rei distinguuntur natura, & individuatione; vel si poneretur sub specie a thoma, illa foret subijcibilis tantum, non vero prædicabilis, nisi de uno solo. Ad 4. essent secundæ substantiæ, quia univoce prædicarentur de primis, non quidem eo modo, quo genera, & species, cum a parte rei non forent ampliores primis, sed eo modo, quo ait Arist. c. de sub. etiam differentias univoce prædicari de primis substantiis. Ad ult. neg. conseq. quia illa compositio ex genere, & differentia solum facit, ut sint species subijcibiles; ut autem forent etiam prædicabiles, opus esset, ut illa differentia esset possibilis in pluribus individuis a parte rei.

90 Nec etiam nostra conclusio obest fundamentum primæ sententiæ, quo contendebant servari posse universalitatem generis in sola specie, etiam si aliæ implicentur, plura sub se individua habentes, quia nimirum adhuc prædicaretur de illis incompleta, & per modum partis materialis, quod est proprium generis. Hoc assumptum est penitus falsum, ideo enim modo animal v.g. prædicatur incompleta, & ut pars materialis de Petro, quia est indifferens, & contrahibile ad alias species animalium; verum si nullum animal esset possibile præter hominem, cum tunc non magis pateret animal, quam homo, & non minus per animalitatem, quam per humanitatem distingueretur Petrus ab individuis aliarum specierum, plane implicat, quod data illa hypothesi prædicaretur incompleta, & per modum partis materialis, ut magis adhuc constabit conclusione sequenti.

Sed dices, adhuc in eo casu dicendo, *Petrus est animal*, non explicaretur tota essentia Petri, sicut si diceremus, *Petrus est homo*, ergo adhuc in eo casu prædicatur incompleta, & per consequens, ut genus: Probatur assumptum, quia data illa hypothesi adhuc homo haberet principium discurrendi, & sentiendi, sed per illam propositionem solum explicaretur principium sentiendi, quia animal non est principium discurrendi, ergo, &c.

Resp. negando assumptum, quia cum ex hypothesi animal non esset possibile in alia specie præter humanam, qui & concomitanter ob mutuum connexionem, quæ tunc esset inter animal, & rationale, neque enim ad faciendam prædicationem completam semper est necesse exprimere quemcumque gradum essentia, nam cum dicimus homo est animal rationale, hæc est prædicatio completa, & tamen implicite solum explicatur gradus superioris viventis, corporis, &c. & hoc totum satis constat ex supradictis, ubi ostendimus præsertim art. 3. qu. præc. omnem prædicationem

nem immediatam de pluribus numero differentibus enunciare totam essentiam illorum. Dices, licet data hypothesi non posset animal reperiri extra humanam speciem, adhuc tamen dicendo, homo est animal, prædicaretur a rationali & ut sic præcisum non diceret totam hominis essentiam, ergo esset prædicatio generica. Resp. tunc non dari talem præcisionem, modo enim datur ob distinctionem formalem, vel virtuales, quæ reperitur inter animalitatem, & rationalitatem, tunc autem nulla esset distinctio, & idem esset omnino principium sentiendi, & discurrendi, omnis autem præcisio fundatur super aliquam distinctionem. Vel si daretur talis præcisio, dicendum, ut nuper, quod adhuc prædicatio foret completa, quia affirmans hominem esse animal, affirmaret etiam virtute, & implicite esse rationalem; & quando etiam prædicatio foret incompleta, non tamen esset generica, quia non esset per modum partis materialis, quod significat esse contrahibilem per plures differentias essentialis.

Dices, saltem concedi debere, quod si darentur, vel dari possent plura individua distinctæ rationis, quorum tamen ratio distinctiva non sit communicabilis ulterius, aut saltem considerari non debeat, ut talis, ita scilicet, ut si esset tantum unus homo possibilis, & unum brutum, adhuc animal haberet rationem generis respectu hominis, & bruti, quia tunc prædicaretur per modum partis essentia determinabilis, & neutrius diceret totam essentiam nec explicite, nec implicite, ergo saltem in hoc sensu natura generica non requirit plures species possibilis, & potest in pluribus individuis conservari, quæ essentialiter differant. Poncius disput. 4. Log. quæst. 7. conclus. 1. ob prædictam rationem concedit, quod in tali casu sine speciebus pluralitate salvaretur adhuc conceptus generis, ut distinguitur a ceteris prædicabilibus. Negat Averf. qu. 10. Log. sect. 4. quia de ratione generis, ut distinguitur a specie, est ut possit esse in pluribus speciebus, si enim genus nequit esse nisi in pluribus individuis, jam esset species, non genus. Sed hæc Averf. ratio non concludit, quia in isto casu supponitur illa plura individua esse distinctæ rationis essentialis, & plusquam numero distincta: species autem nequit esse, nisi in individuis solo numero differentibus. Ad hæc itaque instantiam dicendum est argumentum ex una parte convincere animal retenturum rationem generis eo ipso, quod esset prædicabile de duobus individuis distinctæ rationis essentialis, seu essentialiter differentibus, per modum partis materialis, etiam si de aliis non esset prædicabile, nec aliis communicabile, sed ex alia parte casum esse implicatorium, quia si illa individua sunt distinctæ rationis essentialis, seu essentialiter differunt, & plusquam numero, ergo differunt specie, & sunt in diversis speciebus, quacumque enim differunt essentialiter, differunt etiam specie, unde in eo casu data hypothesi dicendum esset, quod unumquodque illorum individuorum propriam constitueret speciem, quemadmodum de individuis angelicis solent dicere Thomistæ.

91 Dicendum 2. quod hæc universalis, scilicet genus, & species fundamentaliter inspecta, scilicet quantum ad universalitatem metaphysicam, requirunt plura inferiora, scilicet genus plures species, & species plura individua, non tamen actu a parte rei existentia, sed solum possibilis, ita quod universalitas metaphysica generis possit servari in unica tantum specie a parte rei existente, & universalitas speciei in unico individuo ob pluralitatem inferiorum possibilem. Conclusio colligitur ex Scoto citat. & est communis Auctoribus tertie sententiæ, atque probatur quoad omnes partes, & quidem ut ab ultima incipiamus, ratio evidens eam convincit, quia ut natura aliqua sit universa metaphysice, debet esse capax universalitatis logicæ, natura autem generica, quæ solum unam speciem possibilem habet, & specifica, quæ unum solum individuum, non potest esse universa logice, ergo nec metaphysice; Accedit, universale quoque metaphysicum definit esse illud, quod est aptum esse in multis saltem remote, sicut universale logicum dicitur esse illud, quod est in multis, vel aptum est esse in multis proxime, ergo ut terminus adæquatus universalitatis genericae in hoc sensu sunt plures species possibilis, & universalitatis specificæ plura individua possibilis.

92 Sed quia est præcipua difficultas de genere ob Auctores primæ sententiæ, quia ajunt posse salvari quoad universalitatem generam in unica tantum specie, etiam si aliæ implicentur, eo præcisè quia venire in ejus compositionem per modum partis materialis, probatur id esse falsum, quia modo intantum est pars materialis speciei, quia ad plures species est contrahibile, ergo si una tantum esset possibilis, certe non posset constitui ejus pars materialis; Probatur assumptum, quia si genus non esset communis specie, quam constituit, & differentia, quæ contrahitur, vere non posset dici contrahi, & coartari per differentiam, quia non esset majoris amplitudinis, quam differentia, neque esset ratio, cur species constituta cum aliis speciebus conveniret, sed potius spectaret ad ultimum distinctivum illius naturæ, illud enim spectat ad ultimum constitutum alicujus rei, quod ei soli convenit. Hinc autem evidenter inferitur, quod non esset pars potentialis illius speciei, nam

ultimum constitutum cuiuscumque rei se habet, ut actus, & differentia talis essentia. Confirm. quia sicut in composito physico ideo materia dicitur pars potentialis eius, quia est susceptiva alterius formæ ab illa, in qua est, ita in composito metaphysico natura dicitur pars potentialis eius, quia est susceptiva aliarum differentiarum, unde si alia species implicarent, omnino destrueretur potentialitas generis, ergo ex hoc, quod venit in compositionem speciei per modum partis materialis, arguere debemus, quod pro sua universalitate servanda plures necessarii exigit species possibles.

Respondent aliqui posse salvari adhuc potentialitatem generis in una sola specie possibili, quod declarant exemplo materiae celestis, quæ adhuc per modum potentie est unita formæ Cæli, etiam si alterius capax non sit. Sed falsum est posse dari materiam physicam, quæ sit unibilis cum unica tantum forma, ut late demonstramus in physicis disp. 2. q. 4. art. 1. & Doctor disertè ostendit 2. d. 14. q. 1. ubi acriter evellit doctrinam illam de materia celestis, sed quicquid sit de hoc, plane repugnat generis posse sic unicum differentia, servata adhuc sua potentialitate, si enim non est magis de se indeterminatum, quam differentia, si non latius illa, cur magis dicitur genus per differentiam determinari, & coarctari, quam differentia per genus? Demum differentia est gradus essentialiter separans rem ab alia idem genus participante, ergo essentialiter est generi pluribus differentis specificis esse contrahibile, & consequenter plures species possibles respicere.

93 Deinde probatur altera pars conclusionis, quod non requirantur inferiora actu existentia pro universalitate metaphysica; & quia est præcipua difficultas de genere propter Anchores secundæ sententiæ, qui contendunt genus in ratione totius potentialis, & universalis metaphysici plures actu species a parte rei exigere. Probatur hoc esse falsum, quia universalitas generis metaphysica non consistit in hoc, quod habeat plures partes subjectivas, in quibus actu existat, sed tantum quibus possit inesse, cum ergo universalitas metaphysica generis consistat in relatione aptitudinali, frustra quaritur terminus actualis, nam solus aptitudinalis sufficit, hic autem est species ipsa possibles sub genere; ergo sufficienter salvatur universalitas generis per ordinem ad solas species possibles.

Respondent Anchores 2. sent. non propter ipsam universalitatem generis requiri plures species actu existentes, sed solum ad existentiam perfectam naturæ genericæ, & statum connaturalem eius. Sed contra, tum quia hac ratione non solum plurimum, sed omnium proflus specierum sub genere possibilem existentiam requireretur, ut genus esset undequaque perfectum; si igitur modo de facto genus existit, & conservatur, quantum sufficit ad statum eius connaturalem sine tot speciebus sub eo possibilebus, poterit etiam sine illis, quas de facto sub se habet, conservari una dumtaxat incolumi. Tum quia gratis damus, quod genus existens in unica specie non haberet omnem perfectionem, quam haberet in pluribus, sed propter hoc non definirer esse genus, quia talis perfectio est profus ei extrinseca, unde animalitas hominis dicitur perfectior, quam equi, ratione tantum differentie adiunctæ, sicut etiam de facto non definit esse genus, etiam si non existat secundum illam perfectionem, quam posset habere in aliis speciebus perfectionibus possibilebus, tum quia idem suo modo dicendum esset de specie, ut bene notat Hurta. disp. 4. sect. 4. si admittatur inæqualitas quoad gradus individuales in latitudine ejusdem speciei. Tum tandem, quia quando etiam hæc omnia admitteremus, non probant necessarium esse simpliciter naturam genericam tali modo existere, sed ad summum naturaliter ita esse debere.

94 Et hoc modo satis fundamentum secundæ sententiæ; non enim necessitatem ostendunt, ad solam congruitatem, quod genus actu sub se habeat plures species, hoc enim iuxta naturalem rerum dispositionem utique magis debitum est generi, quam speciei, quia naturaliter loquendo sub omni genere nobis noto inveniuntur plures species existentes, ubi sub quibusdam speciebus non nisi unum dumtaxat individuum reperitur, ut patet de Sole, & Luna; tum quia multo magis confert ad splendorem universi, & ad varietatem rerum multiplicatio specierum, quam individuorum, & in hoc sensu locuti sunt veteres illi Anchores, qui pro secundâ sententiâ adducebantur.

Contra hæc conclus. instant 1. pluribus Arist. testimoniis, quibus docet, generis plures debere esse differentias necessarias, pluresque species, ita loquitur 1. Top. c. 3. l. 29. & c. 6. l. 71. & 3. Met. 10. & 7. Met. 42. & 10. Met. 14. & alibi sæpe. Deinde rationibus. Tum quia nequit intelligi genus per unam differentiam dividi, & ad unam speciem contrahi, nisi simul ab alia dividatur, & in alia specie reponatur. Tum 2. quia differentie specificæ sunt oppositæ, & veluti contrariæ, existente autem uno contrariorum debet existere & aliud, 2. Cæli 18. Tum 3. genus nequit esse sine differentia, cum qua constituitur speciem, sed differentia facit actu differre speciem constitutam ab omni alia specie, quod esse nequit, nisi alia species actu existant. Tum tandem, quia potentia generis ad plures species est potentia naturalis, quæ debet reduci ad actum, ne frustra sit.

95 Respond. Arist. velle dumtaxat, quod genus plures respiciat species possibles, quia hoc sufficit ad ejus universalitatem metaphysicam, quod si alicubi requirit existentiam actualem earum, tunc vel loquitur de genere physico, hoc est, iuxta naturalem rerum dispositionem, quod sensu concedimus plures exigere species in existentia reali, vel loquitur de genere logico, quod plures etiam actu existit species in existentia objectiva. Sic etiam dicitur ad rationes. Ad 1. ex divisione generis facta per differentias utique inferitur genus necessario respicere debere plures species, non tamen necessario existentes, nam poterunt concipi plures species possibles, quæ involvant naturam genericam, tamquam partem materialem constitutivam ipsarum. Ad 2. negatur, differentias specificas esse proprie contrarias; quia earum oppositio potius reducitur ad privativam, quatenus una semper est perfectior, alia imperfectior. Aristotel. autem 2. de Cælo locutus est de contrariis proprie dictis, & non de omnibus oppositis, de quibus potius dixit in postpredicam. ut notavit Averis quæst. 10. sec. 4. non esse necessarium hoc existere, si existit illud. Ad 3. æque concludit de specie, quod nequeat conservari in unico individuo, quia etiam talis differentia numeralis distinguit numerice individuum, quod constituit, ab omni alio; negatur itaque minor quoad secundam partem, quia differentia distinguit speciem, quam constituit, non solum a speciebus actu existentibus, sed etiam possibilebus distinctione reali negativa. Ad ult. illud plus probat, quam velit Adversarius, cum enim potentialitas generis non sit ad duas differentias tantum, sed ad syncategorematicæ infinitas, concludit genus debere sub se continere de facto species infinitas, patet igitur ex dictis quæst. 4. præc. diff. dub. 1. quomodo potentia generis, & cujuslibet universalis sit naturalis ad sui multiplicationem; & ne potentia ipsa naturalis dicatur esse frustra, inquit Doctor 4. d. 49. q. 10. §. Ad primum argumentum, sufficit, ut sit reducta ad actum in aliqua specie, vel individuo, sic enim non frustratur potentia secundum totum genus, speciem, & ideo si genus unam dumtaxat haberet sub se speciem in actu ejus potentia naturalis non diceretur frustra; imo illud commune dictum, frustra est illa potentia, &c. explicari solet de potentia naturali physica, non autem logica, quæ consistit in sola non repugnantia, qualis præsertim est potentia universalium ad sui multiplicationem ex dictis ib.

ARTICULUS IV.

Quo sensu, & an recte hic definiatur Individuum a Porphyrio.

96 Porphyrius c. de specie sub fine agit de Individuo, quia est proprium ejus correlativum, notat autem Tatar. de substantia q. 2. §. Tercio sciendum, esse discrimen inter individuum, seu singulare, aut unum numero (hæc enim sunt synonyma) & suppositum, ac personam; individuum enim, seu singulare, & unum numero est, cui repugnat dividi in plures partes subjectivas, idest in plura inferiora, ut hæc albedo, hic lapis, & in quolibet predicamento reperitur, nam scilicet substantiæ, quam accidentis; suppositum vero reperitur tantum in predicamento substantiæ, & dicitur illud, quod est alteri incommunicabile, tam ut quo, idest sicut forma subjecto, quam ut quod, idest sicut superius inferiori, ut explicat Doctor in 1. d. 2. q. 7. §. Ad primum questionem. Persona tandem reperitur tantum in genere naturæ intellectualis, unde notat Doctor 1. d. 23. q. un. §. Ad questionem, definitur ex Ricar. 4. de Trinc. c. 22. quod sit intellectualis naturæ incommunicabilis existentia, ita quod suppositum addit supra individuum, quod sit substantia, & persona supra suppositum, quod sit substantia intellectualis, & sic ista tria se habent ut magis amplum, vel minus amplum, nam omnis persona est suppositum, sed non e contra, & omne suppositum est unum numero, seu individuum, sed non e contra.

97 Rursus, ut notat idem Tatar. q. de specie §. Quanto sciendum, individuum, ut sic, potest sumi pro secundâ intentione attributa illi, cui repugnat dividi in plura seipsa, idest in plura inferiora ejusdem rationis, quorum quodlibet sit ipsum, eo modo, quo dividi solet universale, alio modo primo intentionaliter, idest pro denominato ab illa relatione rationis; Primo modo sumptum duplicem potest fundare relationem rationis, una dicitur subicitilitatis, per quam constituitur correlativum speciei, sub qua ponitur immediate, altera predicabilitatis, qua constituitur potens predicari, non de aliquo inferiori, sed de ipso; Juxta hæc triplicem considerationem tres quoque assignat Porphyrius individui definitiones. Prima est individui primo intentionaliter capti, quæ talis est, Individuum est, cujus collectio proprietatum in nullo alio eadem erit, quæ proprietates illis carminibus designantur, Forma, figura, locus tempus cum nomine, sanguis, patria, sunt septem, quæ non habet unus, & alter. Alias duas tradit de individuo pro secundâ intentione, una quidem ex parte predicabilitatis dicens,

dicens, Individuum est illud, quod de uno solo predicatur, alteram ex parte subicitilitatis, sic Individuum est, quod continetur sub specie.

98 Dubitatur ergo in præfenti, an per has definitiones explicetur aliqua ratio communis, in qua ultra convenientiam specificam convenient quoque ut individua sunt; deinde an sint recte assignatæ; Quoad primum dubium Cajet. c. de specie, Albert. Soto, Tolet. Lovan. ibidem Morifan. & Pasqual. t. 2. met. d. 24. n. 11. Martinez c. de specie q. 3. negant individuum hic describi sub aliqua ratione communi, quia nulla talis assignari potest; cum individua inter se sint primo diversa, ut individua sunt, ut etiam frequenter docet Scotus 1. d. 3. q. 3. F. & 2. d. 3. q. 6. & 7. & alibi, ac proinde volunt hic definiendum individuum confuse sumptum, ita quod omnia immediate describantur, nullum tamen eorum exprimat determinate, sicut de individuo vago dicere solemus, quod non significat rem unam communem, sed particularem, sumptam tamen indeterminatè.

Dicendum tamen est, posse per has definitiones explicari rationem individui, ut sic, univoce communem omnibus individuis, & de singulis predicabilem in quid, quæ ratio communis habeat modum predicandi speciem. Conclusio proculdubio est de mente Doctoris, qui concedit ab ultimis differentis, & constitutis per eas abstrahi posse ab intellectu inadæquate concipiente rationem communem in quid, ut constat 1. d. 23. q. un. in fine, & clarius d. 26. q. un. Y. ubi, & ejus Expositores præsertim Licherus, idem colligitur ex 1. d. 2. q. 3. §. Ad illa, ubi docet hæc propositionem esse concedendam singulare est universale, quia licet, quod concipitur, sit singularitas, modus tamen, sub quo concipitur, est universalitas, quia quod concipitur, ut concipitur, habet differentiam ad plura, quod etiam repetit 4. d. 13. q. 1. infra T. idem quoque asserit q. 12. univ. in sol. ad 3. ubi ait, quod individuum, ut sic, est species respectu intentionis, & sequuntur ejus Expositores ibidem, ubi Bras. præsertim explicat individuum ut sic, esse universale denominative, & esse aliquod illorum quinque, nempe speciem, quia exercite predicatur de hoc, & illo individuo, sic etiam Tar. l. c. & Barg. 1. d. 24. in fine §. Ad questionem, & ait esse mentem Doctoris q. 7. & 8. univ. & Fuent. q. 8. n. 33. sequuntur Recentiores passim, Ruvius c. de specie q. 6. Hurta. d. 5. sect. 7. Arriag. d. 7. n. 53. Compl. disp. 6. q. 6. & favet S. Th. 1. p. q. 30. art. 4. quem sequitur Cajet. ibi sui immemor alibi, ubi etiam Sanctus Doctor bene advertit, quod non detur iste conceptus communis individui secundum rem, sed solum secundum rationem, quatenus a parte rei nulla ei correspondet natura communis, quæ per talem conceptum adæquate exprimitur, sicut regulariter correspondere solet generi, & speciei, ut animalitas, & humanitas, sed correspondent solum omnes singularitates reales confuse, & inadæquate conceptæ, quæ de causa conceptus individuationis, ut sic, præcisus dicitur inadæquatus.

99 Probatur autem, tum quia definitio individui, ut sic, est communis omnibus individuis, ergo aliquod commune ipsi per eam exprimitur, & quidem commune univocum, quia æquivocum definiti non potest. Tum quia si hic non definitur ratio aliqua communis individuum, nec definiti potest, ergo tot assignandæ erunt definitiones, quot sunt individua; Tum quia individuum, ut sic, opponatur signa quantitatis, omnis, nullus, aliquis, dicimus enim omne individuum, aliquod individuum, ergo est terminus communis, quia hæc sunt signa termini communis. Tum etiam, quia hic syllogismus est bonus, ut ait Ruvius, Omne individuum est incommunicabile, Petrus est individuum, ergo, &c. Sed si nihil commune datur individuis, univocum etiam ut individua sunt, erit vitiosus, quia medium erit æquivocum, aut taliter analogum, quod ejus unitas non sufficit ad unitatem mediæ, qua ratione Scotus 1. d. 3. quæst. 3. demonstrat univocationem entis. Tum tandem quia postquam individua concipere, quatenus sunt similia in hoc, quod non sunt ulterius divisibilia in plura inferiora, ergo univoce conveniunt in ratione individui.

Sed contra obicitur solet 1. quia si ab ultimis differentiis abstrahi potest talis ratio communis, quæ hic definiatur, iam non erunt primo diversa, quia in aliquo quidditative convenient; item non habebunt conceptum simpliciter simplicem, & ultimo determinatam, quia adhuc resolvì poterunt in conceptum communem, & proprium, & tandem dabitur processus in infinitum, quia si ultimis differentiis assignari potest id, in quo conveniunt, & per quod differunt, eadem erit ratio de istis differentiis, per quas differunt, quæ sunt rationes, quibus Doctor probat 1. d. 3. q. 3. ultimas differentias non includere conceptum entis quidditative; & hoc est unicum fundamentum Adversariorum.

100 Resp. hæc rationes probare solum, quod ab ultimis differentiis nequeat abstrahi conceptus communis adæquatus, & realitatem importans, nam si talem conceptum communem haberent, tunc utique non forent a parte rei primo diversa, quia convenirent in realitate, ut Petrus, & Paulus in humanitate, & per consequens non essent ultimæ differentie, quia hæc rursus deberent aliis differentiis differre; item non haberent conceptum simpliciter simplicem, quia esset resolvable in ultiores conceptus, quibus propriæ realitates correspondere, unde nec realitas

differentia esset præcisa ratio differendi, sed deberet dari ulterior processus, & sic in infinitum erit processus in realitatibus; at ponendo, quod talis conceptus abstractus, in quo conveniunt, sit inadæquatus, evitatur talis processus in conceptibus, quia individua considerata sub illa ratione communi non distinguuntur rursus per alias differentias individuales, sed per eadem adæquate, & clare consideratas, ut bene notat Ruvius, Hurta, & Arriag. cit. Sed instans adhuc secuturum processum in infinitum in conceptibus inadæquatis, quia cum ab hac, & illa hæcitate abstracta est ratio individuationis, ut sic, possunt rursus rationes differentiales illam contrahentes inadæquate concipi, & sic rursus individuatæ præcindi, & sic in infinitum. Negat Hurta. §. 69. conseq. quia ratio, quæ per primum actum abstrahitur ab hac, & illa individuatione, est ratio individuationis, ut sic, in qua sunt similes, abstracta vero semel hac ratione, non remanent in illis ratio individuationis, quæ abstrahitur, sed tantum remanent conceptus differentiales, qui sunt primo diversi, & ideo non datur processus in infinitum, sed in prima abstractione datur status. Hæc responsio supponit unum falsum; quod nimirum cum sit abstractio superioris ab inferioribus, quodammodo separatur ab eis in esse objectivo, quod est falsum, sic enim fieret abstractio mendax, ut docet in simili Doctor 1. disput. 2. quæst. 7. §. Tenendo, vers. cum autem infero, quod manifeste patet, cum enim animal præcinditur ab homine, sane non ob id homo præcinditur ab animali, licet enim hæc mutua præcisio fieri possit inter superius, & differentiam illud contrahentem, non tamen inter superius, & inferius, quia inferius essentialiter includit superius.

101 Quare potius concedendum est facta abstractione individuationis ab hac, & illa hæcitate, manere adhuc rationem conveniendi in illis ob allatam rationem, hinc tamen non sequitur processus in infinitum, sed adhuc debet dari status in prima abstractione objectiva, quia ratio conveniendi, quæ manet in illis, est eadem, quæ semel abstracta fuit, unde si secundo, vel tertio redeat intellectus per varias reflexiones ad illam abstrahendam, dabitur utique processus in infinitum in præcisionibus formalibus, idest in actibus intellectus, non tamen in objectivis, quia ratio, quæ abstrahitur per secundum, & tertium actum, est eadem, quæ abstracta fuit per primum; nullum autem est inconveniens admittere processum in infinitum in præcisionibus formalibus, quia potest intellectus ad libitum redire ad hujusmodi abstractiones faciendas; sed bene inconveniens foret, si daretur in objectivis, quia tunc admitterentur in individuis infinita rationes communes, & gradus conveniendi.

102 Secundo obicitur ad idem; Tum quia individuum definitur a Porphyrio esse id, quod de uno tantum predicatur, & cujus proprietatum connexio in nullo alio reperitur, ergo non est commune pluribus. Tum 2. quia formalis ratio differendi nequit esse ratio conveniendi, sed individuatæ est formalis ratio differendi, ergo in ea nequit esse convenientia. Tum 3. quia talis ratio communis implicat, esset enim simul, & semel communis, & singularis, communis quidem, quia convenit omnibus individuis; singularis autem, quia est singularis ipsa. Tum 4. quia tunc concipi potest natura humana cum individuatione illa communi, quæ faceret compositum, quod non esset commune. nec singulare, non commune, quia sic natura illa non esset individuatæ, nec singulare, quia sic ratio individuationis non esset communis, sed propria. Tum 5. si individua ut talia, habent aliquam rationem ipsi communem, ergo etiam species, idest quoad differentias specificas, non considerando, quod sint hujus, vel illius generis, habere poterunt talem rationem communem, quæ sit media inter proximum genus, & speciem. Tum 6. quia si daretur talis ratio communis, hæc deberet esse contrahibilis per differentias individuales, hoc autem implicat, nam quod est contrahibile per differentias individuales, non est intra rationem individuationis, sed essentia specificæ. Tum 7. si ratio individui esset communis omnibus, hæc esset prædicatio mediata, Petrus est homo, quia mediet ratio individui humani inter Petrum, & hominem. Tum 8. postquam Porphyrius tradidit præfatas definitiones, subiungit hæc exempla, Socrates hoc album, ergo hæc omnia individua immediate descripsit, & confuse, non autem aliquid commune ipsi. Tum tandem, quia si dari potest conceptus individuationis dictus in quid de ultimis differentiis, idem quoque de conceptu entis poterimus, & debemus asserere contra expressam mentem Scoti 1. d. 3. q. 3. F. præsertim, cum non importet realitatem adæquate cognitam, ut docet 1. d. 8. q. 3. prope finem.

103 Resp. ad 1. Tar. in Petr. Hisp. c. de specie, §. Tercio sciendum, individuum secundo intentionaliter caprum prædicatione exercita predicari de pluribus numero differentibus, scilicet de hoc, & illo individuo per modum speciei, sed prædicatione signata dici de uno solo. At hæc solutio non satisfacit, quia si pro secundâ intentione induit modum speciei, non solum exercite, sed etiam signate, predicari debet de pluribus, imo hic est proprius modus predicandi specieitatis, præstat ergo dicere, quod sicut talis

ratio communis individuum, ut individua sunt, est solum communis, ut modus, sed singularis, ut quid, ita etiam uni soli convenit, & de uno solo prædicatur, ut quid; sed de pluribus, ut modus, tam exercite, quam signate; nec repugnat individuum confuse, & inadæquate cognitum prædicari de pluribus, sed tantum illi repugnat, quando est clare, & adæquate cognitum. Ad 2. dicimus ad min. quod individuo in communi, & confuse cognita non est ratio differendi, sed ipsamet perfecte, & adæquate cognita, quo modo explicatur per Petreitatem, & Pauleitatem, & ideo quamvis individuo, ut quid, sit ratio differendi, tamen confuse cognita est ratio conveniendi, ut modus, seu denominative. Ad 3. effectus communis, & singularis, sed non eodem modo, nam esset singularis, ut quid, communis, ut modus, Ad 4. natura concepta cum individuatione illa communi non efficeret compositum aliquod unum in intellectu nostro, quia individuo non concipitur in tali statu per modum contrahentis, & determinantis, sed potius per modum contrahibilis, & determinabilis, quod fit conciperetur adæquate, & distincte, utique effectus quid unum, quia tunc conciperetur singularis, ut vere est in se. Ad 5. concedimus idem iudicium fieri posse de differentiis specificis adinvicem collatis, sicut de individualibus, quod licet secundum proprias rationes non conveniant in aliquo illorum generum, quæ dividunt, conveniunt tamen in hoc, quod habent similem modum dividendi genus, & constituendi speciem, quam rationem communem descripsit Porph. c. de diff. cum ait differentiam esse, quæ est divisa generis, & constitutiva speciei, & talis ratio communis specierum, ut species sunt, non mediat inter proximum genus, & species, quia non est illis communis, ut quid, sed tantum ut modus.

104. Ad sextum dicimus ad min. quod est contrahibile per differentias individuales, ut quid, & velut realitas potentialis ad illas, utique re vera esse essentiam specificam, quia species proprie dicta talem realitatem præferre debet, ut supra diximus ex Scot. 1. disput. 8. quæst. 3. circa finem; non autem, quod est contrahibile tantum, ut modus, & veluti conceptus inadæquatus ejusdem realitatis confuse cognita, ut est individuo in communi, hoc enim dicitur species tantum, ut modus. Ad 7. non est inconveniens inter individuum, & speciem infimam dari medium per rationem, licet sint immediata a parte rei, sicut etiam quæst. præced. art. 3. dicebamus inconveniens non esse individuum esse generi immediatum per rationem, esto sit mediatum a parte rei; verum tamen est, quod individuum humanum, ut sic, non ponitur in prædicamento, ut medium inter Petrum, & hominem, quia ibi ponuntur naturæ, & realitates, non autem modi naturæ, & puri conceptus inadæquati, qualis est individuo. Ad 8. tradit illa exempla, non quia immediate definiatur Socrates, & hoc album, sed quia omne, quod signatur in secundis intentionibus, exercetur in primis, ut supradictum est de exemplis adductis a Porph. pro explanatione definitionum generis, & speciei. Ad ult. concedit Licher. loco citato ens posse univoce dici etiam de ultimis differentiis eo modo, quo dicitur de Deo, & creatura, quia ut fit dicitur conceptum inadæquatum nullam præferens realitatem, non tamen eo modo, quo dicitur de decem prædicamentis, quia ut sic dicitur conceptum adæquatum, & realitatem, repugnat autem ultimis differentiis convenire in realitate, cum in ea sint primo diversa, & in hoc sensu ait procedere rationes Scoti 1. disput. 3. quæst. 3. Sed quia de hoc agendum est in Met. potest pro nunc dici non esse eandem rationem de ultimis differentiis ad conceptum communem hæcætatibus ab illis abstrahibilem comparatis, & ad conceptum communem entis, etenim ad istum comparatur, velut contrahens ad contrahibile, ad illum vero ut inferius ad sum superius, prædicatio autem superioris de inferiori semper est quidditativa, at prædicatio contrahibilis de contrahente est denominativa, ut cum dicimus rationale est animal, quia contrahibile est semper extra rationem contrahentis, ut patet de genere, & differentia, quare neganda est paritas.

Agit de hac quæstione Ovvid. controverf. 5. Log. punct. 3. ubi ait, quod licet in sententia prædicentium formaliter tantum, & ex parte actus, possit præcindi ratio communis omnibus individuationibus, ac etiam ipsi individuis formaliter sumptis, tamen in sententia prædicentium etiam ex parte objecti nequit admitti talis ratio communis, quia differentia individualis non est resolutibilis in duos conceptus, quorum unus sit ratio conveniendi cum aliis, & alter ratio differendi, quia tunc primus conceptus non attingeret ad rationem individualis differentia, sed adæquate constituitur per secundum, cum ejus adæquatus conceptus sit facere ultimo differre; Poncius ex eodem fundamento idem tenet disput. 7. Log. quæst. 2. Sed hæc ratio, sicut & alia, quas ibi Poncius adducit, coincidunt cum modo relatis, & jam solutis, neque aliud ad summum probant, nisi ab ultimis differentiis abstrahi non posse conceptum communem adæquatum, ac realitatem importantem, ut importare solent conceptus generici, & speciei prædicamentales; & præsertim rationes Poncii in hoc sensu procedunt, ut patebit discurrenti per illas, &

liquido constabit disp. 9. Met. de principio individuationis, ubi rursus de hac re redibit sermo, & exactius de hac re disputabitur cum his duobus Recentioribus; interim nota, Poncium in ea ipsa quæstione non satis sibi constare, quia sub num. 18. concedit, quod singularitates, ac individua omnia, qua talia, sint conceptibilia conceptu tam determinato, quam omnes homines, quæ homines; & quod etiam sint tam similia inter se, & definibilia una definitione univoce competente ipsis, quod & supra concesserat in eadem dis. num. 7. & tamen negat ibidem hinc sequi, quod conveniant in aliqua ratione abstracta ab ipsis, & præcisa, quæ plane est manifesta contradictio, ut loc. cit. disp. 9. Met. demonstrabitur, eodem quoque modo procedunt rationes, quibus idem Auctor probat d. 7. Log. qu. 5. n. 55. differentias ultimas específicas non convenire in aliqua ratione differentia ultimæ, alioquin non essent ultimæ, probant enim non posse convenire in tali ratione, quæ fundentur in aliqua realitate, & sit illis communis, ut quid; quod autem in conceptu inadæquato illis communi, ut modus, convenire nequeant, minime probant.

105. Quoad 2. dubium, ut constat de sufficientia definitionum, quas ex Porph. retulimus, norandum est, quod per eas Porph. non definit individuum vagum, sed signatum, ut patet in exemplis ab ipso adductis Socrates, & hoc album, id enim individuum proprie dicitur de uno solo prædicari, quia illud determinate significat, individuum vero vagum non significat quid unum, sed immediate plura sub disjunctione, nam v. g. aliquis homo, idem sonat, quod hic, vel ille homo, & hic est proprius modus significandi individui vagi, ut diximus q. 5. præc. disp. ex Scot. qu. 12. prædicam. & licet interdum in propositione ejus significatum restringatur ad suppositionem determinatam juxta exigentiam prædicati, vel subiecti, quod requirit illam restrictionem, aut ex intentione proferentis, ut cum quis dicit quidam homo fuit occisus, nam ex intentione sic loquentis ly quidam determinate supponit, absolute tamen, & ex natura sua semper plura significat indeterminate.

Sed quamvis hic definiatur individuum signatum, non tamen definitur particulariter tantum, scilicet pro Petro, aut Paulo, quia sic non est definitionis capax, ut dictum est d. 1. q. 4. art. 4. sed universaliter tantum, nimirum pro conceptu individui in communi, quem ab eis etiam, ut individua sunt, abstrahi posse jam demonstravimus, sic enim individuum est capax definitionis, cum induat modum universalis. Dices, hic definiatur individuum, ut sic, ergo non sub ratione universalis. Resp. verum esse assumptum, quatenus ly ut sit excludit convenientiam individuum in illa specie, quorum sunt individua, non autem convenientiam in aliqua ratione communi ratione individuationis præcise. Dices rursus, hic definiatur individuum, prout est prædicabile quoddam de uno solo dicibile distinctum ab aliis universalibus, ergo non potest definiatur sub ratione individui in communi, quia sic prædicaretur de pluribus, sicut alia universalis, & præsertim non distingueretur a specie, quia prædicaretur de hoc, & illo individuo, ut de pluribus numero differentibus. Resp. concessio antec. neg. consequ. adhuc enim bene stat, quod a specie, ad quam reducit, & ab aliis universalibus individuum in communi distinguatur, quia species, & alia universalis de pluribus prædicantur, ut quid, individuum vero non nisi ut modus, sicut singulare non est universale, nisi ut modus ex Scot. cit.

106. In illa igitur prima definitione individuali, qua definiatur individuum primo intentionaliter captum, & dicebatur esse, *cujus collectio proprietatum in nullo alio eadem erit*, definitur ratio individuationis realis in communi in concreto; non est autem intelligenda hæc definitio de eisdem numero proprietatibus, in hoc enim sensu non solum tota collectio, sed neque aliqua ex illis potest esse in eodem subiecto, quia non potest idem numero accidens naturaliter esse in duobus subiectis, sed est intelligenda de accidentibus omnino similibus, quia secundum communem naturam cursum nullum individuum est alteri simile in omnium proprietatum collectione, sive fit accidens individuum, sive substantia, quod addimus ob multos, qui dicunt hanc definitionem non comprehendere, nisi individua humana, & bruta, quia inquit individua rerum inanimatarum non habere proprietates contentas in illis carminibus, & quia aliquando ita inter se sunt similia, ut inter illa discerni nequeat, ut patet de duabus partibus aquæ, albedinis, aut ligni inter se. Sed quamvis verum sit ex illis proprietatibus magis inter se distinguui, & discerni individua animata, quia plures earum participant, quam inanimata, tamen negari nequit, etiam inanimata ex quibusdam earum, quas participant, sufficienter inter se non discerni, unde notat Doctor 2. disp. 3. quæst. 1. C. duo quanta quantumvis inter se similia in aliis accidentibus, ut duo radii Solares, duo ova, duæ portiones aquæ, sufficienter a nobis discerni per diversitatem situs, vel loci; potius ergo dicendum est illam definitionem etiam aliquo modo comprehendere individua inanimata, & homogenea. Quamvis autem hæc definitio non sit essentialis, & quidditativa, quia res non sunt individua per accidentia, sed per proprias differentias individuales eis intrinsecas, & realiter identificatas, ut probat Doctor 2. disp.

Quæst. II. Quo sensu individuum definiatur. Art. I. 197

disp. 3. quæst. 4. & seq. est tamen sufficienter descriptiva, quia optime innuuntur differentia numeralis intrinseca per accidentia extrinseca collectim sumpta, ut ait Doctor loc. cit. §. Ad auctoritates, glossans illud Boetii 1. de Trin. capit. 1. Varietas accidentium facit in substantia differentiam numeralem, & ratio est, quia ut dicebamus, nequit naturaliter unum individuum esse alteri simile in omnium prorsus accidentium collectione, quia tamen licet hoc sit naturaliter impossibile, tamen non repugnat de potentia Dei absoluta, ideo illa descriptio non est in toto rigore exacta.

107. Altera definitio Individui, quæ erat illud esse, quod de uno solo prædicatur, asserbatur de individuo sub ratione prædicabilis, ut diximus, & consequenter secundo intentionaliter capto. Ut autem intelligatur modus prædicandi individui, advertendum est ex infra dicendis disput. 10. duplicem esse prædicationem, unam formalem, & directam, alteram identicam; prima est, in qua prædicatum est aliquo modo a subiecto diversum, vel in se concepta, vel saltem in modo concipiendi explicitum, vel implicitum; dicitur autem directa, quando in ea est subiectum, quod ex natura rei natum est subijci, & prædicatum, quod natum est prædicari, unde hæc prædicatio, homo est animal rationale verb. gr. dicitur formalis; quia licet subiectum, & prædicatum in se significata non differant, differunt tamen penes modum significandi explicitum, & implicitum; nam prædicatum dicitur explicite, quod subiectum confuse, & ideo dici solet prædicatio doctrinalis, & scientialis, quia facit scire aliquid, quod prius non sciebatur, vel saltem non sciebatur tali modo, nempe distincte; qua ratione etiam dici solet prædicatio artificiosa, quia fini artis inservit, qua aliquid ignotum notificatur; est etiam illa prædicatio directa, quia definitio nata est prædicandi de definito. Identica vero prædicatio est, in qua utrumque extremum eodem modo concipitur, nec distinguuntur nisi ratione ratiocinante, ut cum dicimus homo est homo, Petrus est Petrus, & hæc prædicatio dicitur naturalis, quia ex natura rei significata non potest verior esse, nam ut ajebat Boet. nulla est verior prædicatio quam ejusdem de seipso, adhuc tamen dicitur prorsus ad scientiam inepta, quia per eam nihil notificatur ignotum.

108. Hoc supposito, Tolet. Sor. & alii ita explicant hanc definitionem, ut prædicabilitas, quæ convenit individuo, cum sit tantum de se ipso, non sit nisi identica, & naturalis, ac proinde ad scientiam prorsus inepta, & hæc de causa inquit Arist. in antepæd. & c. de subst. & 2. Prior. cap. 27. docere individuum de nullo prædicari, quia nimirum prædicabile proprie sumptum, ut sic, de alio dicitur, & ejus prædicatio est aliquo modo doctrinalis. At quia hæc explicatio sic absolute sumpta non est sufficiens, nam prædicatio identica etiam convenit rebus in universalibus acceptis, dicimus enim homo est homo, animal est animal, addunt alii, ut hæc definitio soli individuo applicetur, quod id, quod solum identice, & non alio modo prædicari potest de uno, illud est individuum, res enim in communi, est identice prædicari possunt, tamen etiam alio modo prædicari eis convenit, scilicet formaliter, & directe de suis inferioribus.

109. Sed hic dicendi modus, quocumque modo explicetur, si intendat negare individuo omnem formalem prædicationem, admittendus non est; nam in primis certum est, individuum accidens vere, & proprie prædicari de individuo substantia, ut docuit Alexand. 1. Prior. sec. 2. & certe negari nequit, hanc esse prædicationem formalem, quia dum dicimus Petrus est hoc album, ly album tenet locum formæ respectu subiecti, & explicite dicit aliquid, quod non dicit subiectum; neque ista prædicatio est nugatoria, ut putavit Tolet. quia aliquid amplius explicatur per prædicatum, significatur enim Petrus habere rationem subiecti respectu hujus albedinis, & quando Arist. in antepæd. dixit hoc album de nullo prædicari, intelligebat tanquam de inferiori, non tanquam de subiecto, ut ex ipso contextu colligitur. Imo cum verum sit, quod docet Scotus 1. disp. 8. qu. 3. prope finem, cujuslibet universalis dari proprium individuum, nimirum hoc animal, hoc rationale, hoc risibile, hoc album, quæ dici solent individua incompleta, sicut hæc rationes in communi sumptæ prædicantur formaliter, & directe de individuo completo, & specifico, scilicet de Petro, quod sit animal, quod sit rationale, risibile, albus, sic etiam sumptæ cum propria singularitate possunt adhuc formaliter, & directe prædicari de eodem individuo completo, non quidem tanquam de inferiori, sed tanquam de subiecto, respectu cuius habent rationem formæ; omnia namque individua incompleta sunt communicabilia ut quo, unde istæ prædicationes erunt formales, & directæ, Petrus est hoc animal, est hoc rationale, hoc risibile, hoc album, quam Scotiam doctrinam passim recipiunt Recentiores quæst. de individuo, Conimb. Amic. Hurt. Blanc. Didac. & alii quamplures; & illæ prædicationes suo modo reducuntur ad illa universalis, quorum singularia incompleta prædicantur de completo, & specifico, nam ista prædicatio Petrus est hoc animal erit in quid, illa vero est hoc rationale erit in quale quid, & sic de aliis; imo similes prædicationes po-

terunt dici doctrinales, & artificiosæ in respectu ad prædicationem omnino identicam, scilicet Petrus est Petrus, quia per prædicatum aliquid magis explicatur, quam per subiectum; unde restat solum individuum completum esse illud, quod non nisi identice prædicari potest de seipso, ut dicendo Petrus est Petrus, vel Petrus est hic homo, fumen- do ly hic homo signate, & particulariter, non autem pro conceptu humani individui singularis individuis humanis communi, quatenus & Petrus est hic homo, & Paulus est hic homo, sic enim non habet rationem individui, sed universalis, ut modus ex dictis supra. Quare concludendum est, cum negat Arist. individuum de aliquo prædicari, loquitur ut de inferiori, ac etiam interdum speciatim loquitur de individuis substantiæ completis, quæ non nisi identice prædicari possunt.

110. Ultima definitio, quæ erat, *individuum esse, quod continetur sub specie*, tradebatur de ipso in ratione subijcibilis, debet autem intelligi de individuo specifico, & subiectione immediata, nam individua generica immediate etiam generi subijciuntur ex dictis quæst. præced. art. 3. & specifica ipsa subijciuntur eidem mediate; verum tamen est, quod cum genus non prædicetur de suis individuis genericis, nisi per modum speciei, ut ibi dictum est, absolute dici potest omnia individua immediate contineri sub specie; subdit autem Porph. postquam dixit individuum contineri sub specie, speciem quoque contineri sub genere, dicens, *individuum continetur sub specie, species autem sub genere*, quasi hæc particula spectet ad integritatem definitionis individui sub ratione subijcibilis, ut ostenderet individuum esse ultimum subijcibile, utpote sub genere, & specie contentum, & nullum dari individuum sub aliqua specie, quod consequenter non sit sub aliquo genere. Et quia individuum opponitur universali, sicut inferiori superiori, hic est advertendum, subijcibilitatem, quæ est relatio individui, ut inferioris ad sua superiora, esse præcipuum, quod in individuo importatur, quia principalis ratio individui est ratio inferioritatis ad universale.

QUESTIO III.

De Differentia.

111. Expeditis Universalibus in quid prædicantibus, accedendum est ad Universalis, quæ prædicantur in quale, & primo agendum de differentia, quæ prædicatur in quale essentialiter, cum omne essentialiter præcedat accidentale. Differentia ex vi nominis dicitur forma faciens differre; pro quo notandum, ut colligitur ex Doctore 1. d. 3. quæst. 3. §. Ad quæstionem; & nobis Formalistis in tract. Formal. non esse idem differens, & diversum, & illa enim dicuntur differentia, quæ prius in aliquo communi conveniunt, deinde per aliquid illi communi superadditum differunt, illa vero dicuntur diversa, quæ non per quid superadditum, sed seipsis, & se totis secessantur, quam doctrinam ait Doctor esse Arist. 10. Met. 12. Loquitur igitur hic Porph. de differentia, non de diversitate, & eam dividit in communem, propriam, & magis propriam, seu propriissimam, quæ sola constituit hoc tertium universale. Quamvis autem hæc divisio non sit bimembri, facile tamen est reducibilis ad bimembrem, ut notat Orbell. c. de differ. Differentia namque, ut ait ipse Porph. vel facit aliud, vel facit alterum, seu alteratum, id est ut communitur exponunt, vel facit differre essentialiter, vel accidentaliter; si primo modo, habetur differentia propriissima, & in hoc sensu dicimus hominem per rationalitatem a bruto differre, si secundo modo, hoc adhuc potest contingere dupliciter, vel per accidens proprium, & inseparabile, & sic habetur differentia propria, & in hoc sensu Sortes simus differat a Platone aquilo, vel demum per accidens commune, & separabile, quomodo dicimus Sortem sedentem differre a Platone stante, & sic habetur differentia communis, quæ ideo talis dicitur, quia attenditur penes accidentia rei prorsus extrinseca, & separabilia; sicut e contra propriissima talis dicitur, quia facit differre essentialiter, propria vero differentia, quæ est quasi media inter utramque talis dicitur, quia magis accedit ad naturam vere differentia, quam communis, ut notat Orbell. qua de causa qu. 1. inft. tr. 1. c. 5. absolute diximus, ipsam desumi ab accidente proprio, quamvis Porph. eam quoque desumat ab accidente communi inseparabili.

112. Sed circa hanc divisionem triplex contingit difficultas. Prima est, an sit adæquata divisio, nam plures formæ facientes differre ad hanc divisionem non videntur posse reduci, differentia enim individualis non videtur aliqua esse assignatis, non enim est communis, vel propria, quia non convenit accidentaliter individuis, neque propriissima, quia non facit individua essentialiter differre, item ipsa genera rationem habent differentia, quia animal, verbi gratia, distinguitur hominem a lapide, substantiam ab accidente, &c. & tamen non continentur in membris istius divisionis; proprietates item ab essentia manantes sunt vere differentia, nam risibile differre facit hominem a rudibili, & tamen non sunt differentia communis, vel propria, cum

non sint accidentia separabilia, vel inseparabilia, sed cum subiecto, unde oriuntur, ac dimanant, realiter identificata, ut infra dicemus; sed neque propriissima, cum non faciant essentialiter differre, demum formae substantiales physice faciunt differre, nullo tamen istorum modorum, quia licet sint intra essentiam compositi, tamen non dividunt aliquod genus, ut facit differentia magis propria.

113 Dicendum tamen est, esse divisionem adequatam, quia datur per membra exhaurientia totum divisum, omnis enim differentia vel facit differre essentialiter, seu intra essentiam, vel accidentaliter, seu citra essentiam; & ad hos modos debent reduci formae omnes facientes aliqua differre, etiam illae, de quibus dubitatur. Differentia namque individualis potest dici, quod faciat differre accidentaliter; non accidentalitate praedicamentali, quia est gradus substantialis penetrans per realem identitatem totam substantiam ac essentiam rei, cuius est ultima determinatio, sed accidentalitate praedicabili, quatenus differre facit individua, non specificae, sed individualiter, & citra essentiam, unde contineri poterit sub differentia propria, quia praedicatur in quale extra essentiam necessario, atque ideo non facit aliud in essentia specifica, verum tamen est, ut hic omnes advertunt, non esse Porphy. intentionem sub hac divisione comprehendere differentiam individua, nam ipse agere intendebat solum de illis differentiis, quae possunt universalitatem fundare, & de pluribus praedicari. Genera vero proprie fortiri nequeunt rationem differentiae, nam differentia, ut diximus, est illa formalitas, quae concipitur supervenire rei, quatenus conveniunt cum alia re per aliquam rationem prius conceptam, & ita est ratio differendi, ut non sit ratio conveniendi, ut magis constabit ex infra dicendis, itaque genera suprema defectu primi, nequeunt subire rationem differentiae, subalterna vero defectu secundi, & ideo non mirum, si ad hanc divisionem non pertinent, verum tamen est, quod si differentia ample sumatur pro ratione quocunque modo faciente differre, tunc possent genera reduci ad tertium membrum, quatenus faciunt essentialiter differre. Passiones spectant ad differentiam propriam, non autem propriissimam, ut quidam arbitrantur, quia non faciunt essentialiter differre. Nec obstat, quod Porphy. dixerit differentiam propriam suscipere magis, & minus, & esse inseparabilem per accidens, quod non convenit passionibus, quae sunt inseparabiles per se, nec suscipiunt magis, & minus. Nam non de omnibus eiusmodi differentiis illud prius dictum pronuntiavit, plura namque sunt accidentia, quae magis, & minus non suscipiunt, ut locus, figura, &c. & cum dicit esse inseparabilem per accidens, intelligit extra essentiam, ut multi Expositores interpretantur, quo sensu convenit etiam proprietatibus. Formae tandem substantiales spectant ad differentiam propriissimam, quia faciunt differre essentialiter, non dividunt autem genus, quia id tantum convenit formis metaphysicis, de quibus est Porphy. hic tantum agere intendat, absolute tamen, & ipse formae physice ad hoc membrum attinerere possunt.

114 Altera difficultas est quidnam hic dividatur, numquid reale, vel potius intentionale. Complut. disput. 7. quaest. 1. cum Cajet. ibidem, & quamplures alii Thomistae inquirunt tam divisum, quam membra dividenda esse quid intentionale; tum quia agere de differentia primo intentionaliter est munus Metaph. non Logici, tum quia alioquin membra divisionis coinciderent, quia una, & eadem res potest facere differre tribus illis modis, nam, verb. gr. esse disgregativum visus est differentia propriissima albedinis, propria nivis, & communis parietis; at intentiones fundatae in illis modis semper sunt diversae, ergo non res, sed intentio dividitur, & sensus erit, secunda intentio differentiae alia est, quae facit differre communiter, alia propria, alia propriissime, tum tandem quia differentia propriissima, ut est tertium membrum huius divisionis, tertium constituit praedicabile, sed hoc praedicabile non constituit, nisi secundo intentionaliter sumpta, ergo &c.

Dicendum tamen est, rem non intentionem hic dividi, & membra huius divisionis esse differentias reales. Ita communis opinio, & probatur, quia entia inter se differunt per veras formalitates, non per intentiones, hic autem dividitur id, per quod entia inter se differunt, tum quia seculo opere intellectus reperiantur tres illi modi differendi, & tota ipsa ratio differentiae in entibus realibus est realis, neque ulla intentio videtur oriri ex hoc, quod intellectus intelligat rationale esse principium differendi hominis a bruto, sicut nulla intentio consurgit ex hoc, quod intelligat calorem esse principium calefaciendi; tum tandem quia Porphy. ipse assignando membra huius divisionis afferit exempla realia. Neque rationes in oppositum urgent; sicut enim Porphy. ad indagandum verum genus, & veram speciem logicam praemittit divisiones, & acceptiones varias reales, ita etiam facit in proposito, ut tandem consideret differentiam propriissimam sub ratione universalis, quod est munus Logici; Et quamvis haec membra interdum coincident materialiter, nunquam tamen formaliter, quod sufficit ab bonam divisionem, nec aliquid plus probat secunda ratio, nam illi tres modi fa-

ciendi differre semper manent inter se diversi, etiam cum reperiuntur in eadem re. Falsum denique est assumptum in tertia ratione, quia secunda intentio, quae constituit differentiam propriissimam in esse tertii praedicabilis, non sumitur in ordine ad actum faciendi differre, sed in ordine ad praedicationem de illo, quod differre facit; unde in differentia propriissima duplex respectus considerari potest, unus ad subiectum, seu rem, quam facit differre, alter ad terminum, seu extrema, a quibus differre facit, est enim differentia separatio quaedam duorum, & ideo habet subiectum, quod separat, & terminum a quo separat; respectus ergo differentiae ad subiecta, quibus convenit, facit tertium universale, quia constituit differentiam praedicabilem de illis, respectus vero ad ea, a quibus facit differre, constituit differentiam quantum ad munus separandi unum ab alio, quod pertinet ad quidditatem differentiae metaphysice consideratam.

115 Ultima difficultas est; qualis sit haec divisio, an univoci in sua univocata, vel potius analogi, aut aequivoci? Et est valde communis opinio esse analogi in sua analogata praesertim tenendo divisionem istam esse primo intentionaliter datam, quia differentia essentialis facit simpliciter differre, sicut rem constituit in esse simpliciter, accidentaliter vero facit differre tantum secundum quid, sicut hoc modo tantum rem in esse constituit, modus enim faciendi differre fundatur in modo constituendi, ergo in communi ratione differentiae nequeunt univoco convenire, sed tantum analogice, quia ei, quod est simpliciter tale, & ei, quod est secundum quid tale, nihil esse potest commune univocum ex Doctore 1. disput. 29. quaest. unic. & hoc est unicum fundamentum huius sententiae. Quod etiam confirmat differentia essentialis vere contrahit genus, & cum eo unum per se constituit, accidentaliter vero minime, nam quod per eam perficitur, & determinatur, habet rationem subiecti, non generis, & ideo cum ea constituit unum per accidens, & in hanc sententiam inclinat Doctor ipse q. 23. universi in corpore, & Tatar. quaest. de different. & videtur fuisse sensus ipsius Porphy. qui afferendo exempla differentiae communis inquit, idem a seipso differre ex eo, quia modo habet unum accidens, modo oppositum, quo quidem modo Sortes sanus differt a seipso aetate; per quod manifeste significavit differentiam accidentalem non esse simpliciter differentiam, sed tantum secundum quid, & abusive, quia talis modus differendi exerceri potest in eodem subiecto secundum aliam, & alium statum vel accidens ipsius.

116 Sed quamvis hic dicendi modus sit satis probabilis, adhuc tamen dici potest, hanc esse divisionem univoci in sua univocata, esto negari nequeat, quod non sit cum analogia admixta; neque pro hac parte desunt Scoticarum, ita enim probabiliter sentit Roccius cap. de different. quaest. 1. & Fuent. differ. 1. art. 3. & sequitur Pasqualig. tom. 1. Met. disp. 62. & forte Scotus ipse idipsum sentit loc. citat. nam quamvis dicat esse divisionem analogi in sua analogata, non ob id negat esse divisionem univoci, quia in sententia ipsius analogia utique cum univocatione compossibilis est, imo id ipsemet ibi in sol. ad 1. manifeste significat, ut notat Fuent. cum ait differentiam in communi, quae hic dividitur, posse in aliquo sensu univocam dici, unde licet in corpore quaest. videatur loqui de analogia proportionis, quae non stat cum univocatione, tamen ex his, quae subdit in sol. ad 1. potius colligi debet, locutum fuisse de analogia attributionis, quae utique stat cum univocatione. Ratio autem, quae nos urget ad asserendum posse a differentia essentiali, & accidentaliter abstrahi communem differentiae conceptum illis univocum, est illa eadem, quae convincit univocationem entis ad substantiam, & accidens apud Doctorem 1. d. 3. qu. 5. 2. Secundo. Neque rationes oppositae aliud probant, quam differentiam in communi ad essentialem, & accidentalem esse non posse pure univocam, sed cum analogia admixtam; unde sicut non obstante, quod substantia dici solet ens simpliciter, & accidens secundum quid, adhuc tamen conceptus entis ponitur utriusque univocus, quia illud pronuntiatum non intelligitur de substantia, & accidente absolute consideratis, sed tantum comparative, nam ex comparatione accidentis ad substantiam talis analogica denominatio resultat; ita in proposito dicendum est, quia differentia accidentaliter dicitur talis secundum quid solum per comparationem ad essentialem, absolute tamen ipsa quoque in suo genere dici debet differentia, quod innuit Porphy. ipse, cum ait, differentias communem, & propriam absolute, & simpliciter posse dici differentias, & tandem ut uno verbo dicamus, quod differentia essentialis, & propriissima sit perfectior communi, & propria, quia facit aliud, & aliud, & eius modus faciendi differre, nequeat exerceri in eodem subiecto, sicut modus differentiae communis, hoc non destruit univocationem, sed puritatem univocationis, & infert analogiam, alioquin nullum genus univocum esset, quia sub ipso una species est essentialiter perfectior altera.

Poncius, & Ovviad. hic sustinent cum communi hanc esse divisionem analogi in analogata, non autem univoci; sed omnes eorum rationes, quantumvis eas corroborate conen-

conentur, recidunt in fundamentum jam a nobis propositum pro opposita sententia, unde analogiam quidem ostendunt, sed non omnem prosum univocationem destrunt, ut constabit eas consideranti, & ideo eas hic singillatim referre, ac dissolvere opus non est. Poncius insuper proponit fundamentum nostrae conclusionis ex Scot. loc. cit. de dictum hoc modo; omnes differentiae conveniunt in hoc, quod faciunt differre, & potest aliquis habere conceptum de aliqua forma, quod faciat differre, & esse certus de hoc, & hoc non obstante dubitare, an faciat differre per modum differentiae propriae, communis, aut propriissimae, ergo conveniunt univoco in conceptu facientis differre, ut sic. Et respondet distinguendo antecedens, conveniunt in conceptu aliquo determinato abstracto, & praescindente, nego; alio modo, concedo antecedens, & nego consequentiam loquendo de conceptu univoco abstracto, & praesisto ab inferioribus, de quo conceptu fit mentio in conclusione. Dupliciter haec solutio, primo quia continet commune vitium Recentiorum, qui dum respondent distinguendo, unum dumtaxat membrum distinctionis declarant, aliud vero assignant promissive, & confuse sub illo generalissimo termino, alio modo concedo, quo nihil ineptius, & frigidius sentiri potest, sic enim omnia fere argumenta dissolvi possent; si defendens non tenetur explicare illum alium sensum, in quo propositionem concedit; deinde si ea solutio bona est, poterit per eandem aequae bene dissolvi argumentum illud idem, ut adhibetur a Scot. loc. cit. ad probandum univocationem entis ad substantiam, & accidens.

117 Petes, an stante, quod haec divisio sit alicujus univoci, possit dici aliquo modo generis in species. Negat Fuent. cit. quia differentiae reales formaliter, & ultimate loquendo sunt conceptus simplices, & ultimae rerum actualitates; sed si differentia in communi esset genus, differentia non essent simplices, sed adhuc constarent ex plures, & alia differentia. Verum, & ipse tenetur hoc argumentum solvere, cum concedat conceptum differentiae in communi esse univocum ad communem, propriam, & magis propriam, & ad eas aliquo modo contrahibilem per modos, vel differentias; Quare de differentiis specificis idem dicendum est, quod de individualibus dicebamus art. ult. quaest. praeced. nimirum importare conceptus simplices, quia non sunt resolvable in posteriores realitates, & differentiam in communi ad illas tres non habere rationem generis, ut quid, sed tantum, ut modus.

Itaque differentia essentialis, & propriissima est primum analogatum, de qua sola hic agitur, utpote, quae tertium obtinet locum inter universalis, quia alia duae differentiae nempe propria, & communis pertinent ad duo ultima praedicabilia, scilicet proprium, & accidens. Tres autem, vel quatuor munera praestat haec differentia, ut notat Doctor quaest. 27. universi in sol. ad 5. & Tat. quaest. de diff. §. Tertio sciendum, nam dividit genus, constituit speciem eandem, distinguit a quocunque alio, & tandem praedicatur de specie constituta, & omnibus contentis sub illa; quae singula munera exprimit, ac declarat Porphy. per quatuor definitiones, quas afferit de differentia; quinta enim non est nisi declarativa aliarum, ut inquit hic Tatar. & quamvis prima tria considerat potius ad metaphysicum spectet, utpote, quae conveniunt speciei pro prima intentione, quam ad logicum; cui proprie incumbit dumtaxat contemplari quartum, quod cum constituit in ratione universalis, adhuc tamen quia multum conferunt ad bene dignoscendum quantum munus, ideo de illis tribus quoque differentiae numeribus hic agemus in ordine ad quartum & quatuor articulis rem expediemus, quod eo magis rationaliter factum erit, quia etiam illa tria munera non sic praesice competunt differentiae pro prima intentione, quin etiam aliquo modo possint applicari eidem secundo intentionaliter capta, ut mox patebit ex dicendis seq. art.

ARTICULUS I.

Quomodo differentia dividere genus dicatur.

118 Tertia definitio differentiae, quam tradidit Porphy. ea, quae sunt sub eodem genere separata, & ut insignes notant Expositores, tradita est per primum munus differentiae, quod est dividere genus, si enim eam intelligere velimus, ut explicet tertium munus, quod est distinguere species ab invicem, ut verba eius sonare videntur, tunc tertia definitio non differret a quarta, quae & idem munus explicat, cum sic assignetur: Differentia est id, quo singula differunt, ut ergo defendamus esse distinctas definitiones traditas in ordine ad munera diversa differentiae explicanda, debemus tertiam intelligere in ordine ad munus dividendi genus, praesertim cum nulla alia illarum definitionum ita manifeste exprimat munus illud, ac per illam; & quidem rationabiliter sic potest exponi, differentia namque separando ea, quae sub eodem sunt genere, multiplicat species, & mediante hac multiplicatione habet genus, ut essentialiter dividatur, seu ponatur in pluribus essentialiter divisi; dixit autem Porphy. per differentiam potius

Maffrii, & Belluti Tom. I. Logica.

dividi ea, quae sunt sub genere, nempe species, quam ipsum genus, ut ostenderet genus non habere, nisi divisum extrinsecam specierum, & species esse, quae proprie dividuntur, nam genus adhuc in speciebus propriam retinet unitatem formalem illam; & hanc doctrinam docuit Arist. 6. Topic. c. 3. loc. 8. illis verbis, Omne genus iii, quae e diverso dividuntur, differentis dividitur, ut animal gressibili, & volatili, & aquatili, &c.

Cum igitur genus in duplici statu spectari possit, & in statu realis existentiae eo modo, quo nunc in speciebus reperitur dispersum, & in statu existentiae objectivae eo modo, quo a nobis concipi solet, ut totum quoddam universale multa sub se continens inferiora, & cum in utroque statu dicat esse divisioni obnoxium, quaeritur in praesenti; quomodo differentia exerceat hoc munus dividendi circa genus tam in statu realis existentiae, quam objectivae, an scilicet, exerceatur reali modo, an potius per intellectum, & quidem huius rei resolutio tota dependet ex dictis disp. de universi. in communi, praesertim quaest. 1. art. 1. unde consequenter ad ibi dicta.

119 Dicimus 1. si natura generica consideratur in statu realis existentiae, differentia circa ipsam exercet munus dividendi reali modo, non quasi illam scindendo, sed potius determinando, & limitando. Probatur, ac declaratur, quia contractio naturae per differentias in statu realis existentiae non est aliud, quam divisio, & multiplicatio ipsius naturae praecedens abstractionem intellectus, sed haec divisio, & multiplicatio vere datur a parte rei, ergo hoc primum munus differentiae circa naturam genericam in statu realis existentiae reali modo exercetur. Major patet. Prob. min. quia alia est animalitas, quae in equo reperitur, & alia, quae in homine, & quidem alia, & alia realiter, & non ratione tantum. Haec autem divisio animalitatis a parte rei per differentias, esto sit realis, non tamen sit eo modo, quo divisio unius continui v. gr. ligni in plures partes, ut bene notavit Tatar. quaest. de differ. §. Quarto sciendum, & ratio est, quia animalitas a parte rei non habet rationem totius in ordine ad species, sed potius partis materialis, & contrahibilis, ac re vera determinabilis per differentias. Nec dicitur dividi, quasi quod una esset entitas realis ante adventum differentiae, & postea per ipsam scindatur, & amittat unitatem suam realem, vel e contra eam retinendo solum extrinsece distinguatur per differentias additas, quia non habet natura creata talem unitatem realem in omnibus per inexistentiam, ut innuimus disp. praeced. quaest. 1. art. 2. solum igitur dicitur dividi, quatenus una, ac eadem manens, ita contrahitur per hanc differentiam v. g. rationalis ad constitutionem huius speciei, scilicet, hominis, ut eadem, quantum est ex se, contrahi possit, disjungitur tamen, ad constituendam aliam speciem v. gr. equi per hinnibilitatem; ita enim re vera natura generica metaphysice contrahitur, & determinatur per realitatem differentiae, sicut materia physice contrahitur, & determinatur per formam, & dicitur etiam re vera dividi extrinsece per differentiam, quatenus animalitas hominis per rationalitatem specificae distinguitur ab animalitate equi, & in hunc modum explicat Doctor divisibilitatem naturae per differentias in esse realis existentiae in 1. disp. 5. quaest. 2. §. Tertio, & quamvis ibi loquatur de natura specifica, idem tamen dicendum est quoque de generica proportionem servata.

120 Sed objicies, tota natura essentiae v. g. integra animalis natura est in homine, & equo; ergo non est vere divisa per differentias, quia tunc non esset integra in quolibet. Conf. quia natura est vere una in omnibus inferioribus, cum omnia sunt ejusdem naturae, ergo non dividitur re vera per differentias, quia per divisionem destruitur unitas. Resp. illud probare solum, quod non sit quaedam realis divisio, velut totius actualis in suas partes, quod verum est, quia a parte rei natura animalis intantum dicitur dividi ab hac, & illa differentia, in quantum per ipsas contrahitur, & determinatur ad hanc, vel illam speciem. Ad Conf. dicimus esse unam in omnibus per indifferentiam, non per inexistentiam, eo modo, quo explicatum est disp. praec. qu. 1. art. 1. nec per talem divisionem tollitur haec unitas, quia non est vera divisio, ut alicujus totius in partes, sed potius contractio partis potentialis, & ideo non destruitur illa unitas per indifferentiam, sed tantum ab extrinseco determinatur, & limitatur. Dices, si natura non est una in omnibus per inexistentiam, sed potius in multis multiplex hoc modo, ergo erit realiter, ac entitative divisa in multis ante differentias, atque ita re vera non dividitur per differentias. Resp. quocunque modo se habeat natura ante differentias, nam hoc non est praesentis negotii; hoc certum est, ante differentias non posse dici unam; hoc certum est, ante differentias non posse dici unam in multis, nec multiplicem, quia cum differentis ipsis constituit illa multa, & quia in tali constitutione se habet per modum realitatis potentialis, & determinabilis per differentias, hoc sensu dicitur dividi per illas, ac etiam in alio sensu, quatenus extrinsece merito differentiae adjunctae animalitas hominis specie differt ab animalitate equi.

121 Dicimus 2. si natura generica consideretur in statu existentiae objectivae, tunc proprie concipitur dividi ad modum totius in suas partes, totius nimirum potentialis

in suas partes subjectivas, licet talis divisio non fiat nisi per opus intellectus. Hanc etiam concl. ponit Tat. loc. cit. ubi ait, genus in hoc statu dividi per differentias divisione logicali, hoc autem aliud non est, ut ipse ibi explicat, quam genus manifestari a posteriori quoad ejus communitatem per ejus partes subjectivas. Sed adhuc melius, & clarus explicatur conclusio, quia genus in tali statu abstractionis concipitur per modum cuiusdam totius universalis, ut Scot. docet 1. d. 1. qu. 2. D. & quatenus totum potentiale concipitur dividi in plures partes potestativas, scilicet, in plura inferiora v. g. in animal hominem, in animal equum per diversas differentias, ergo in tali statu proprie dividitur per differentias. Fit autem talis divisio, & contractio per intellectum, quia supponit naturam per intellectum abstractam, & ita unam, qualis non est a parte rei, quia in tali abstractione supponitur habere unitatem per indifferentiam positivam, & concipitur dividi per differentias in plures species, una & eadem manens per inexistenciam in illis, ut dictum est dispart. præced. quæst. 3. artic. 1. quam certe unitatem non habet a parte rei divisa, & multiplicata.

122 Sed objicis 1. si natura animalis una concipitur per inexistenciam in suis inferioribus, ergo non concipitur divisa per differentias in illis, ac multiplicata, quia unitas destruit multitudinem, & multitudo impedit unitatem. Resp. neg. conseq. quia generatim loquendo unitas compositibilis est cum divisione non sibi opposita, & quo minor est, stat cum divisione majori, quare sicut unitas specifica stat cum multitudine numerali, sic unitas generis stat cum multitudine specifica. Dices, divisio tollit aliquam unitatem, nec divisum post divisionem manet indivisum, sicut antea, ergo si genus per differentias dividitur in species, cum dividi non possit, nisi secundum unitatem genericam, utique per illas divisum talem unitatem non retinebit. Resp. quod sicut species, cum dividitur in individua, non utique cadit divisio super unitatem specificam, quia secundum hanc indivisibilis est, cum hæc non tollatur nisi per differentias essentielles, & formales, ad quas est impotens species infima, sed super unitatem numeralem rationis, quam acquirit eo ipso, quod ab individuis abstrahitur, quo sensu verum est, quod contracta per intellectum, & divisa non remanet sic una, & indivisa, sicuti prius erat in statu abstractionis; sic a pari cum genus verb. gr. animal dividitur in species per differentias, non utique cadit divisio super unitatem genericam generis proximi, quia hæc tolli nequit, nisi per differentias subalternas, secundum quas prorsus indivisibile est genus proximum, & infimum, sed super inexistenciam specificam, quam ope intellectus acquisivit, cum a speciebus abstracta fuit, & in hoc sensu etiam de genere verum est dicere, quod contractum per differentias, ac divisum per intellectum non remanet sic unum, ut prius erat in statu abstractionis.

Secundo si eadem simplex natura existeret realiter in pluribus, sicut de facto natura divina est in tribus personis, & si una albedo esset in pluribus subjectis collocata, hæc utique non esset divisio naturæ in multis, aut contractio ipsius ad multa, sed potius esset quasi applicatio quædam naturæ ad plura subjecta, ergo hæc divisio generis in species per differentias non bene assignatur, quod una, & eadem per inexistenciam in pluribus concipiatur speciebus, quia sic proprie non concipitur contrahi ad plura, & dividi in multas naturas ejusdem rationis, sed potius quodam modo eandem naturam pluribus subjectis applicari. Resp. neg. paritatem, nam licet in casu nostro natura generica concipiatur una per inexistenciam in pluribus speciebus, & specifica in pluribus individuis, tamen quia hæc unitas non est numeralis, sed minor ea, bene concipitur sic una manens proprie dividi in plura seipsa per differentias; ut hominem v. g. in plures homines, & animal in plura animalia.

123 Tertio, hæc duo pugnare videntur, naturam v. g. animalis esse divisam per differentiam in singulas species, & esse totam essentialiter singulis, & non potius per partes distractam in illis, ergo talis divisio generis per differentias non potest modo jam explicato fieri: Prob. assumptum, quod enim dividitur, in partes dividitur, & quod est totum in singulis, non potest esse divisum, sed unum, & idem erit in omnibus.

Resp. bene explicari, quomodo hæc totalitas cum divisione cohercat, si advertamus, quod animal v. g. potest considerari ut totum essentialiter respectu suorum prædicatorum essentialium, quæ formaliter, & intrinsece in se continent actum; & ut totum potentiale respectu suorum inferiorum, quæ dicitur continere in potentia, eo quia non sunt de conceptu essentiali illius; universale igitur animal, & quodlibet aliud dividitur in sua inferiora, non quatenus totum essentialiter, quasi in plures partes suæ essentia, quarum una contrahatur ad hoc inferius, & alia ad illud v. g. ex homine animal contrahatur ad Petrum; & rationale ad Paulum, quia si tota essentia hominis non esset in unoquoque, quilibet esset quasi dimidiatus homo, vel potius non homo, sed dividitur quasi totum potentiale in plures partes subjectivas, idest plura inferiora, atque ita non repugnat, naturam universalem esse in suis inferioribus divisam, &

simul totam secundum essentiam in singulis manere, quia dividitur solum secundum totalitatem potentialem, non vero actualem, & essentialem, & hoc est, quod vulgo dicitur, universale esse totum in quolibet suo inferiori, sed non totaliter; dicitur esse totum in quolibet inferiori quoad totalitatem essentialem, & actualem, non autem totaliter, quia ab illo inferiori non adequatur totalitas ejus, seu latitudo potentialis.

ARTICULUS II.

Quomodo differentia simul cum genere speciem constituat, ubi de compositione Metaphysica.

124 Hoc secundum differentiam munus, quod est constituitur speciem per modum partis actualis, sufficienter insinuat Porph. per primam definitionem ejus, cum dixit, *Differentiam esse, quo specie excedit genus, vel abundat a genere*, ut alii legunt; ut enim notat Doctor qu. 27. cit. in sol. ad 5. convenit differentia, ut est constitutiva speciei, sensus enim ejus est, quod differentia est, quæ cum genere constituit speciem, ita quod ibi ponitur species, ut correlativum differentia, in quantum species est constituta, & differentia constitutiva: *abundat a genere* ponitur pro constituere, & propria ratione constitutiva, quia non ut genus constituit speciem, ita explicat ibi Doctor præfatam definitionem, unde immerito eam carpit Petrus Greg. in Syntaxi tom. 1. lib. 2. c. 10. quod differentia munus adhuc etiam magis explicuit Porph. per quintam definitionem, quæ est aliarum præcedentium declarativa, cum ait, *differentiam esse id quod ad substantiam, rationemque confert, & quod pars ejus est rei, cuius differentia dicitur esse*. Et quidem differentiam cum genere speciem constituere adeo verum est, ut nemo de hac re dubitaverit unquam, id enim diserte docet Arist. 7. Met. solum dubium est de modo, quo munus hoc a differentia exercetur in speciei constitutione, an scilicet exercatur modo reali, ita ut quando dicimus, differentiam addi generi ad constituendam speciem, sit hæc additio, & constitutio ex natura rei, & realis, an potius sit additio rationis, scilicet quoad rationem aliquam conceptus, vel quoad majorem explicationem in modo concipiendi eandem rem, & talis constitutio similiter fit per nostrum intelligendi modum. Et quæstio procedit de speciebus naturarum realium, non autem de speciebus, quæ fingi solent in entibus rationis, cum enim istæ sint mera entia rationis, certum est, non posse in illis reperiri compositionem realem ex genere, & differentia. Similiter quæstio non est de specie formaliter sumpta, & pro secunda intentione, si enim exploratum est, relationem illam non constitui ex relatione generitatis, & differentia, quia hujusmodi relationes sunt inter se diversæ essentialiter, & singula constitunt prædicabile distinctum, igitur quæstio est de specie materialiter, idest de natura specifica rerum realium.

125 Qua in re, Prima opinio est Nominalium, qui sicut non admittunt universalia ullo modo in essendo, sed tantum in significando, ita negant compositionem speciei ex genere, & differentia factam sive realem, sive rationis, ita Ocham 1. d. 2. q. 6. & ib. Gabr. & 1. p. Log. c. 16. & 17. & quol. 5. q. 11. & 13. Adam 1. d. 33. q. 8. art. 1. & sequitur Hart. 5. Met. sect. 3. & 10. Ovyied. contro. 6. Log. punct. 2. & ex parte consentit Aversa q. 13. Log. sect. 6. ubi ait constitutionem speciei ex genere, & differentia non semper esse per modum compositionis, sed interdum per modum solius explicationis, quando nimirum genus non perfecte præscindit a differentia. Secunda opinio est Thomistarum, qui sicut negant genus, & differentiam, alioque gradus metaphysicos esse ex natura rei actualiter distinctos, affirmantes sola ratione distingui cum fundamento in re, quatenus intellectus virtute præcisiua, qua posset, eandem simplicem entitatem partitur in diversas formalitates objectivas, quarum una habeat rationem determinabilis, & alia determinativi, jam in proposito docent compositionem speciei ex genere, & differentia esse tantummodo rationis cum fundamento in re, ita quod cum dicitur speciem componi ex genere, & differentia, sensus sit conceptum objectivum speciei componi ex conceptu objectivo generis, & differentia, ita significat S. Th. de ente, & essentia c. 4. ubi Cajet. Capreol. 1. d. 8. q. 2. a. 3. Sone. 7. Met. q. 36. Javel. ib. qu. 18. Moril. d. 1. qu. 9. Compl. d. 5. q. 5. Scoto qu. 1. univ. Ruvius c. de diff. q. 4. Murcia c. de specie qu. 4. Didac. c. de gen. qu. 3. Blanc. d. 3. sect. 13. Suarez d. 15. Met. sect. 11. Pasq. d. 70. & alii Recentiores passim. Tertia demum est Scotistarum, qui sicut inter genus, & differentiam agnoscent distinctionem ex natura rei formalem, quemadmodum etiam inter ceteros gradus prædicamentales, ita consequenter asserunt, talem compositionem esse aliquo modo realem, si non ex diversis rebus, ut est physica compositio, saltem ex diversis realitatibus ejusdem rei ante operationem intellectus ab invicem distinctis; ita ex professo docet Scotus 2. disp. 3. qu. 6. & 1. d. 8. q. 3. §. *Tene opinionem meam mediam*, ubi fusc Liche. & Bargini, item 7. Met. q. 19. ubi Ant. And. qu. 14. Zerbius qu. 14. & 16. Faber ib. quæst. 18. Canon.

Quæst. III. De composit. generis, & differ. Art. II. 201

Canon. 1. Phyl. quæst. 7. Trombet. in Formalit. p. 2. art. 2. ex exteris vero Fonsec. 4. Met. cap. 2. quæst. 4. sect. 3. & 5. Met. cap. 6. quæst. 3. sect. 3. Molin. 1. p. quæst. 50. art. 2. Amic. tract. 4. Log. quæst. 3. dub. 4. art. 3. & tribuitur Ferrar. 1. contra gentes cap. 24. & 42. pro resolutione.

126 Dicendum est, quod compositio speciei ex genere, & differentia, quæ dicitur solet metaphysica, licet non sit realis ex re, & re, ut physica, est tamen formalis ex natura rei ex realitate, & realitate, non autem solum rationis ex diversis conceptibus objectivis. Ita Scot. & Scotifla citat. Concl. hæc fundatur in distinctione formali actuali, quam diximus disp. præc. quæst. 1. art. 1. versari inter gradus metaphysicos præsertim genericum, & differentialem, quia juxta modum distinctionis horum graduum explicandus est modus constitutionis, & compositionis speciei, & quidem hic possemus arguere ostendere talem distinctionem, quia nimirum gradus genericus est ratio convenientia a parte rei, non autem differentialis, item gradus genericus, ut ratio magis communis dicitur in compositione metaphysica differentialem præcedere ex natura rei, & per ipsum contrahi; rursus gradus genericus suapte natura est perfectibilis per differentialem, non e contra, quæ utique salvari nequeunt sine aliqua distinctione ex natura rei inter illos, nam si hæc muna cunctumque formaliter tribuerentur ex libito intellectus, tunc non minus posset cum veritate concipi rationalitas, ut prior animalitate, & ut contrahibilis, ac perfectibilis per eam, quam e contra. Sed quia hæc distinctio inter gradus metaphysicos in universum ostendenda est in Met. & interim ipse Doctor satis eam demonstrat loc. cit. 7. Met. quæst. 19. ubi probat conceptibus objectivis generis, ac differentia distinctas correspondere debere realitates, ut vere sua munera exercere dicantur, ideo Lectorem ad ipsum pro nunc remittimus; & solum ex ratione ipsius compositionis metaphysicæ conabimur demonstrare ipsam non posse esse rationis, & ex solis conceptibus objectivis cum fundamento in re.

127 Probatur ergo sic: Compositio metaphysica ex gradu generico, & differentialis talis est, quod Deo repugnat, & ejus summa simplicitati, ut passim fatentur omnes, ergo est aliquo modo realis, & non rationis tantum, quia hæc non tollit simplicitatem a parte rei. Et confirm. quia ad salvandam compositionem metaphysicam in natura, creata non sufficit ipsam esse resolvablem in conceptum communem, & proprium cum fundamento in re ab intellectu inadæquate concipiente, quia tunc Deus etiam esset metaphysice compositus, cum etiam ipse resolvitur ab intellectu sic concipiente in conceptum communem, & proprium, quia etiam Deus convenit cum creatura in gradibus transcendentalibus entis, substantiæ, spiritus, viventis, &c. quæ similitudo, & convenientia poterit esse fundamentum talis abstractionis. Tandem si compositio speciei ex genere, & differentia non est a parte rei, sed tantum rationis, sequitur, speciem essentialiter in re esse ita simplicem, sicut essentia divina.

Respondet Morifan. cit. ad hoc argumentum, & ad præcedens deductum ex distinctione graduum, & inquit, quod licet hæc compositio sit rationis, non inde sequitur posse ad libitum concipere intellectum gradum hunc, vel illum promiscue potentialem, vel determinatum, quia non est omnino constituta, sed habet fundamentum in re, ratione cuius potest, ac debet intellectus hunc gradum, qui, scilicet est principium conveniendi cum pluribus, ut potentialem, illum vero, qui est principium differendi, ut actualem, & determinantem, non e converso. Subdit etiam hanc compositionem repugnare Deo, non quia sit aliquo modo ex natura rei, & supponat distinctionem formalem inter hos gradus, sed ex alio capite, scilicet ex illimitatione, & infinitate naturæ divinæ, ratione cuius sit, ut nullus in ea possit concipi gradus communis, qui non includatur in ratione particulari propter summam simplicitatem, & sit potentialis ad illam ob ejus summam actualitatem.

128 Utraque solutio facile refutatur. Prima quidem, nam petimus, an stante tali fundamento, & exigentia a parte rei, ut hic gradus concipiatur, ut potentialis, ille vero, ut determinans, possit intellectus invertere ordinem, vel non; si primum, ergo talis distinctio, & compositio non est cum fundamento in re, quia per fundamentum in re intelligitur motivum, seu occasio necessitans intellectum ad sic, & sic concipiendum, & non alio modo; si secundum, ergo illi conceptus supponunt realitates a parte rei formaliter distinctas, & non unam tantum inadæquate conceptam, quia ordo requirit distinctionem inter extrema invicem ordinata, nihil enim ad seipsum omnino ordinatur, & qualis est ordo, talis est distinctio; cum igitur ordo sit ex rei exigentia præfixus, non immutabilis ab intellectu, distinctio quoque, & compositio erit ex natura rei. Nec etiam solutio ad argumentum ex compositione deductum satisfacit, & a Deo sufficienter expellitur, si est rationis, nam falsum est, quod in Deo nequeat concipi gradus communis entis, substantiæ, &c. perfecte præscindens a particulari, neque hujusmodi præscio tollit summam simplicitatem, quia ad ipsam sufficit summa identitas a parte rei inter illa, quæ

ab invicem præscindunt, nec potentialitas concepta in illa ratione communi ad particularem tollit actualitatem, quæ a parte rei reperitur in illa ratione, unde cum tota imperfectio compositionis metaphysicæ, ut ponitur ab Adversariis, pendeat ex nostro imperfecto concipiendi modo, & non ex natura objecti, sane non repugnabit Deo, unde hæc ratione Vasq. 1. p. disp. 22. non est veritas cum in Deo admittere, quia in re certe alius est magis consequenter locutus.

129 Respondet Ruvius cit. talem compositionem non posse poni in Deo, tum quia conceptus genericus debet esse univocus, a Deo autem nequit præscindi conceptus sibi univocus, & creaturis; tum quia conceptus generis est limitatus, & ex natura rei perfectibilis essentialiter per rationem differentialem. Sed neque hæc responsio valet, quia falsum est non posse a Deo præscindi conceptum entis, & substantiæ sibi univocum, & creaturis, ut in Met. dicemus, quod autem gradus genericus sit suapte natura perfectibilis per differentialem, ideoque repugnat in Deo reperiri, corroborat argumentum, & infert aliquam distinctionem ex natura rei inter hos gradus, quia nihil potest cum veritate concipi, ut a seipso perfectibile, & consequenter concedit aliquam compositionem ex natura rei ab ipsis resultare.

Respondet proinde Aversa concedendo essentiam creatam non habere majorem compositionem, quam rationis, adhuc tamen non adæquare simplicitatem divinam, quia licet in essentia creata compositio ex prædicatis essentialibus non sit realis, tamen reperitur compositio ex natura, & substantia; ex substantia, & accidenti, aliisque modis Deo repugnantibus. Sed hæc solutio ex eo solum satis absurda convincitur, quod concedit creaturam omnem carere compositione essentiali quoad gradus metaphysicos, & quantum ad hanc adæquare simplicitatem divinam; parum autem refert non adæquare ob ceteras compositiones, quas ipse commemorat, quia illæ potius sunt accidentales, unde creaturæ spirituales materia, & forma carentes in ordine ad compositionem metaphysicam erunt purissimi actus.

130 Deinde conclusio nostra demonstratur a priori, quia ad compositionem realem, ut distinguitur a compositione rationis, duæ conditiones requiruntur; prima est distinctio realis componentium, ut in compositione physica liquet, ubi materia, & forma realiter distinguuntur, vel saltem quod non sint perfecte idem inter se, quod tunc contingit, quando illa non ex suis rationibus identificantur, sed quatenus ununtur in tertio, cui realiter sunt idem; secunda, quod altera pars ex componentibus habeat rationem potentialem, & altera rationem actus, sed ambas istas conditiones habent conceptus generis, & differentia; habent primam, quia licet gradus isti non distinguantur realiter in illo, in quo inveniuntur, tamen eorum identitas non debet attendi ex eorum rationibus formalibus, sed tantum ratione illius tertii, in quo ununtur, & identificantur, ita ut tantum sunt eadem inter se, quatenus sunt realiter identificata illi tertio, a quo si abstrahantur, non remanet sufficiens ratio identitatis, ut directe docet Doctor 1. d. 8. quæst. 4. ad 1. princ. unde non valet dicere, animalitas est rationalitas, sed bene in homine animal est rationale, habent quoque secundam conditionem, quia secundum Aristot. 8. Metaph. 42. & 43. ideo ex genere, & differentia resultat species per se una, quia gradus genericus habet rationem potentialem, & contrahibilis, gradus autem differentialis determinantis, & contractantis.

131 In oppositum arguit Didac. ex Aureolo; si genus esset distinctum a parte rei a differentia, cum quibus proinde realem efficeret compositionem, tunc transmutari posset de una differentia specifica in aliam, quia quando res potentialis, & prior respicit plures actualitates oppositas, potest illam Deum de una transmutare in aliam, ut constat de materia habente potentiam ad oppositas formas; & ratio hujus est, quia omnis realitas absoluta prior alia, & ab ea distincta realiter, potest reparari ab illa, quia non dependet ab illa, ut Scotus ipse concedit 2. d. 12. quæst. 1. at dari genus sine differentia est prorsus impossibile 2. Met. cap. 16. & 3. Met. cap. 3. Conf. quia idem cum seipso nequit talem efficere compositionem, sed genus est idem realiter cum differentia, ergo nequit cum ea realem efficere compositionem, sed rationis.

Resp. neg. conseq. quæ teneret, si inter genus, & differentiam realem poneremus distinctionem, at solum formaliter admittimus, quæ minor est reali, & major distinctione rationis tam ratiocinante, quam ratiocinata ex dictis d. 1. q. 5. ar. 2. & de entitatibus realiter distinctis, ut sunt materia, & forma, loquitur Doctor loc. cit. & est solutio ejusdem 7. Met. q. 13. n. 20. Ad conf. utique quod est eidem realiter perfecte cum alio, nequit cum eo efficere compositionem, ut patet de perfectionibus divinis; quæ quia ob propriam cuiusque inferioritatem sibi invicem perfectissime identificantur, ideo nullam prorsus efficiunt compositionem, at quæ identificantur imperfecte, nimirum solum ratione tertii, in quo ununtur, ut est in proposito de genere, & differentia, possunt aliquam ex natura rei efficere compositionem, ut mox adhuc magis declarabitur.

Secundo arguitur ex Ocham, genus non est vere, & realiter potentiale ad differentiam, sed tantum per nostrum concipiendi modum, ergo nequit cum ea efficere compositionem ullo modo realem, sed tantum rationis; Prob. assumptum, tum quia nulla res est in potentia ad seipsam, nec a seipso perfectibilis. Neque dicas ad id sufficere distinctionem formalem. Quia re vera hæc non sufficit, ut unum dicatur potentiale ad aliud, quia per Scotum essentia divina, eisque attributa sunt ex natura rei formaliter distincta, & tamen non est perfectibilis ab eis ob identitatem realem. Tum quia si genus esset vere potentiale ad differentiam, tunc, quantum est de se, non minus posset esse sub hac, quam sub alia, & sic distingueretur realiter ab illa, quod enim esse potest sine alio, utique realiter distinguitur ab illo, ergo cum implicet genus esse sine differentia, sub qua est, fatendum est non esse vere potentiale ad illam, sed tantum per nostrum concipiendi modum.

132 Resp. negando assumptum, esto enim genus non sit vere potentiale ad differentiam, ut ad quid realiter distinctum, sicut est materia ad formam, est tamen potentiale ad illam, ut ad id, cum quo est imperfecte identificatum, scilicet ratione tertii, ut enim diximus, sufficit imperfecta identitas, ut unum dicatur potentiale ad aliud; & per hoc patet ad primam probat. assumpti, concludit enim unum non posse dici potentiale ad illud, cum quo est perfecte idem, alioquin foret in potentia ad seipsum, neque nos dicimus genus esse potentiale ad differentiam ob solam distinctionem formalem inter ea repertam, alioquin & essentia divina dici posset potentialis ad attributa, ut bene probat illa instantia, sed asserimus esse potentiale ad illam ob imperfectam ejus identitatem cum ea, quia est identitas mendicata a tertio, a quo si abstrahatur, non sunt idem realiter, unde realitas generica, ut præcedit differentiam, erit vere potentialis ad illam, & perfectibilis per illam, ut docet Doctor 1. d. 8. q. 3. infra I. Alia vero probatio tangit arduam difficultatem examinandam in Metaph. disp. de natura communi, de qua videri potest Lichet 2. d. 3. q. 1. ubi pro ejus solutione multa dicit; interim dicimus salvari potentialitatem generis ad differentiam ob imperfectam identitatem ejus cum differentia in tertio, quod cum ipsa constituit, ratione cujus imperfecta identitatis dicitur, quantum est de se, posse esse sine illa, non quidem potentia naturali, & ad actum reducibili, sed logica, quatenus si consideretur ut prius naturaliter differentia contrahente, nihil in ipso invenitur, per quod ei repugnet esse sub alia, esto si consideretur, ut conjunctum cum differentia in tertio, implicet separari posse ab illa ob realem identitatem acquisitam ex combinatione amborum in tertio, cui identificatur, ita dicitur docet Doctor 7. Met. q. 13. cit. n. 20. ubi ait, quod *contradictio includitur quod separatur propter unitatem continentiam*, cujus reddens rationem subdit, *quodam natura in se non repugnant, & tamen repugnant natura posita in esse vel facto*. Dices, si extra tertium non sunt realiter idem, ergo per unionem in tertio nequeunt fieri idem, quia talis unio non habet vim tollendi realem eorum distinctionem, ut patet de materia, & forma, quæ etiam in composito unitæ adhuc inter se distinguuntur realiter. Resp. quod aliqua possunt uniri in aliquo tertio dupliciter, ut innuit Doctor 2. d. 12. quæst. 2. ad 1. princ. vel sola unitate unionis, vel etiam unitate identitatis, transeundo nimirum in realem identitatem ipsius, unio primi generis non tollit distinctionem realem unitorum, quo genere unionis ununtur materia, & forma in physico composito, in quo etiam unitæ realiter ab eo distinguuntur, ut fuscè demonstramus in Phys. disp. 5. q. 13. art. 1. bene tamen unio secundi modi, qua quidem genus & differentia ununtur in composito Metaphysico, unde cum illud constituent seipsas illi realiter identificando, illa quoque realis identitas in ipsa redundat, quatenus quæ sunt eadem uni tertio, etiam inter se eadem censentur, quatenus unita in eo.

133 Tertio urget Averfa, si natura generis distinguitur a differentia, petendum est, cum animalitas, quæ est in homine, secundum illam entitatem, qua dicitur distingui a rationalitate, sit a parte rei determinata, & distincta ab animalitate, quæ est in equo, vel indifferens, & indistincta, hoc secundum dici nequit, quia entitas animalitatis, quæ est in homine, non est intrinsece entitas animalitatis, quæ est in asino; videmus enim asinum interire, & hominem remanere secundum omnem suam entitatem; si primum, ergo in ea formalitate dicit differentiam determinantem, & distinguentem, atque adeo ab ea non distinguitur a parte rei. Confir. quia si natura generis in se differat a differentia sua, ergo jam in se includit differentiam, per quam distinguitur a differentia sua.

Resp. hoc esse satis molestum argumentum, quod solet urgeri contra Scotistas in materia de natura communi, de quo etiam multa Lichet. loc. cit. illudque optime solvit Doctor 7. Met. loc. cit. ubi querens, an natura Sortis realiter distinguatur a natura Platonis seclusis hæcæcitibus, inquit, quod natura Sortis, sicut differentia numerali circumscripta, non manet una maxima unitate in se, sed tantum illa unitate minori, quæ est communis, sic nec est divisa ab humanitate Platonis divisione numerali, nec aliqua, quia

non specifica, ita Doctor; quam etiam responsonem applicat ibi naturis genericis, nam circumscriptis differentiis specificis nulla remanet essentialis differentia inter hominem, & asinum, quia animalitas hominis, & asini præcisè illis sunt eadem entitas, & essentia, fumendo ens formaliter, & nominaliter; sed de hoc ex professo dicemus in Met. interim ut bene hanc Scoti responsonem percipias, vide quæ diximus disp. præc. q. 1. art. 2. ad 3. Ad Conf. dicimus, genus, & differentiam non dici propria differentia, quia in alio quidditative non conveniunt, nisi forte in ente, de quo in Met. sed proprie dicuntur diversa, idest se totis dissimilia, & non per aliquid sui; ut docet Arist. 3. Met. 10.

134 Tandem obicitur, quia Arist. 7. Met. 31. ait, quod genus nihil est præter eas, quæ sunt generis species, ergo gradus genericus nihil dicit a parte rei ultra specificum, & differentialem. Tum quia ut abstractio horum graduum fiat ab intellectu sine fictione, non indiget pro fundamento distinctione ex natura rei plurimum realitatum illis conceptibus correspondentium, ut Scotus vult 7. Met. q. 19. cit. sed sufficit distinctio virtualis, & eminentia ejusdem simplicis entitatis, ratione cujus possit ab intellectu partiri sine mendacio in diversas formalitates objectivas, ut major pars Scotistarum concedunt de conceptibus transcendentibus, quibus non possunt correspondere realitates integras a parte rei, ne admittant compositionem in Deo, quibus expresse favet Scotus ipse 1. d. 8. quæst. 3. prope finem. Tum demum, quia omnes gradus Metaphysici, ut plurimum, fundantur in una simplici entitate, ut patet in Angelis, & accidentibus, quæ sunt formæ simplices, ergo non supponunt distinctionem realitatum, unde sumuntur, & consequenter non efficiunt compositionem, nisi rationis.

Resp. Doct. 7. Met. q. 19. & 4. d. 11. q. 3. C. quod auctoritas illa adducitur truncata, ait enim Arist. quod genus, aut non est aliquid præter eas, quæ sunt generis species, aut si est, ut materia est, & secunda pars disjunctionis est vera. Ad 2. neg. assumptum, ad prob. dicimus non esse eandem rationem de gradibus prædicamentibus, & transcendentibus, his enim conceptibus, nimirum transcendentibus, utique nulla debet correspondere realitas a parte rei per ipsos adæquate explicata, alioquin poneretur compositio in Deo; ut bene Doct. cit. d. 8. q. 3. ostendit, & Bargius, ac Lichet. ibid. gradibus vero prædicamentibus correspondere debent realitates adæquate, ut facere possint veram compositionem metaphysicam, ut bene docet Doct. cit. 7. Met. q. 19. ac etiam 2. d. 3. q. 1. ex professo; quam disparitatem inter gradus prædicamentales, & transcendentibus fuscè declarare muneris est metaphysici. Ad 3. licet gradus metaphysici generis, ac differentie sæpius fundentur in una entitate simplici physice, prout simpliciter excludit compositionem ex re, & re, illa tamen entitas erit multiplex, & composita metaphysice, scilicet ex realitate, & realitate, una potentiali, a qua sumatur genus, altera actuali, a qua sumatur differentia, & talem compositionem habent Angeli, & accidentia.

135 Sed ad majorem compositionis metaphysicæ notitiam occasione præcedentis argumenti venit hic declarandum axioma illud ex Arist. sumptum 7. & 8. Met. quod genus sumitur a materia, & differentia a forma, non enim videtur verificari posse in illis rebus, quæ carent materia, & forma, tamen habent proprium genus, & differentiam, cum sint in prædicamento, ut sunt Angeli, & accidentia; Cum igitur esse metaphysicum sumatur ab esse physico, a quo abstrahitur, indagandum est, an hæc duo principia compositi metaphysici semper desumi debeant, & abstrahi a partibus physicis, genus quidem a materia, differentia a forma. Communis opinio est, in nulla re genus desumi a materia, & differentiam a forma, sed utrumque gradum promiscue, a tota natura, & entitate rei desumi, diversimode tamen concepta, genus a tota entitate, ut ulterius perfectibili, & determinabili, seu ut cum aliis in aliquo gradu convenit, differentiam vero ab eadem tota entitate, ut contrahente, & determinante, seu ut ab aliis in aliquo gradu discrepat, ita Vasq. 1. p. disput. 179. c. 3. Ruvius q. 3. de differ. Sanch. in Log. q. 45. Averfa q. 13. sect. 2. Suar. d. 6. sect. 11. Pasqual. to. 1. Met. disp. 69. Blanc. disp. 3. sect. 14. Didac. Compl. & alii passim; unde inquirunt, illud Arist. dictum non debere intelligi proprie, sed per quandam analogiam, & similitudinem; & quidem ita loquitur Arist. nam 8. Met. c. 2. ait, oportet hoc quidem ut materiam, illud vero ut formam esse, eadem fere verba habet c. 3. & sic etiam loquitur Porphy. c. ult. *genus præterea simile est materie, differentia forme*, quare concludunt, axioma illud sic esse intelligendum, genus sumi ab eo, quod habet rationem materiæ, idest potentia, & perfectibilis, differentiam vero a forma, idest ab eo, quod habet rationem actus, & perfectientis, potest autem utriusque rationem habere tota natura sub diversis conceptibus, atque ita a tota illa diversimode concepta sumi uterque gradus.

136 Hic tamen dicendi modus recipiendus non est, cum enim hucusque probatum sit conceptibus generis, & differentie necessario respondere debere in eadem natura circumscriptas realitates, consequenter dicendum est non sufficere eandem naturam diversimode conceptibilem, ut ab ea sumantur conceptus generis, & differentie, sed in ea assignari

gnari debere diversas realitates, unam quidem suapte natura potentialem, a qua sumatur genus, alteram actualem, a qua sumatur differentia, adeo quod esto opus non sit genus, & differentiam sumi semper ex diversis partibus physicis, imo frequenter sumantur ab eadem natura simplici, ut in Angelis, & accidentibus, semper tamen sumi debeant ex diversis partibus metaphysicis, ita docet Doctor loc. cit. 7. Met. q. 19. & q. 16. univ. ubi ejus Expositores, & 1. d. 3. q. 3. O. & 2. d. 3. q. 6. G. & alibi sæpe, & quidem hoc indicasse videtur Arist. 7. Met. 37. ubi ait partes definitionis, quæ sunt genus, & differentia, correspondere partibus definiti, ergo per Arist. semper desumi debet ex distinctis partibus definiti, non physicis, quia non omne definitum tales habet, ergo metaphysicis. Nec potest dici, quod tantum fundamentaliter in re definita hujusmodi partes metaphysicæ respondeant partibus definitionis, quia Arist. ipsum definitum vocat formaliter, & actualiter totum, ergo formaliter, & actualiter habebit partes metaphysicæ; & cum ex hujusmodi partibus debeat fieri unum per se totum metaphysicum, necesse erit, ut una realitas habeat rationem partis potentialis, a qua sumatur ratio generis, & alia ratione partis actualis, a qua sumatur ratio differentie, ut docet Arist. 8. Met. 9. & 7. Met. 42. & 43. & hac ratione, inquit Doctor, dicitur genus sumi a materia, differentia a forma, non quidem proprie, sed per quandam proportionem ad partes compositi physici. Subdit tamen Doctor loc. cit. interdum in physicis compositis contingere posse, ut genus aliquid differentia sumatur a diversis partibus, v. g. in corporibus animatis corpus, quod est genus, sumitur a corpore pro altera parte compositi, quod habet rationem materiæ, ut ostendimus in Physicis disp. 2. q. 4. art. 2. animatum vero ab anima; fuscè de hac re bene discuntur Poncius disp. 4. Log. q. 4.

137 At obicit Averfa, opus non esse genus sumi semper ex realitate potentialis, & differentiam ex actuali, nam vel differentie intermedia sumuntur a forma, seu realitate actuali, & sic solum genus generalissimum sumetur a materia, seu realitate potentiali; subalterna autem sumuntur a forma, & ita non salvatur gradus potentiales semper sumi a materia; vel sumuntur a materia, & sic sola differentia ultima sumetur a forma, & habetur intentum, quod non omnis differentia sumitur a realitate actuali. Resp. omnes differentias subalternas, ut differentie sunt, desumi a realitate actuali, & genera subalterna, ut sic, a realitate potentiali, nec apparet, quomodo ex hoc, quod differentie constitutivæ generum subalternorum sumantur a forma, sequatur etiam, ipsamet genera subalterna constituta sumi a forma, quia animal v. g. constituitur ex vivente tanquam ex genere, & sensibile, tanquam ex differentia, vivens sumitur ex realitate potentiali istius speciei subalterna, sensibile ex realitate actuali, ex quibus realitatibus resultat hæc species subalterna, scilicet, animal, quod iterum cum venit in constitutionem infimæ speciei, scilicet, hominis cum rationali, animal importat realitatem potentialem istius speciei, rationale realitatem actualem, & sic de singulis; & sic patet, semper differentias omnes sumi ex realitate actuali istius speciei, quam constituunt, sive sit infima, sive subalterna & genera similiter ex potentiali.

138 Postremo ex modo jam declarato, quo genus, & differentia concurrunt ad constitutionem compositi metaphysici concludendum est contra Marciam q. 4. de specie, & Blanc. disp. 3. sec. 12. & alios quosdam, differentiam semper esse perfectiorem genere, quod contrahit, ut recte docent Complur. q. 5. Ruvius q. 6. & Pasqualig. disp. 65. cujus ratio deduci potest ex Doctore 1. d. 8. q. 1. ad 1. princ. ubi docet, quod quando aliquo duo comparantur in perfectione, pensandum est, quantum illarum perfectionum simpliciter, & absolute magis excellat, & ex hoc concludit, quod quantum materia sit simplicior composito, tamen quia compositum est actualis materia, absolute dicendum est, compositum esse perfectius materia, quia actualitas est perfectio absolute præstantior simplicitate; cum igitur in proposito differentia semper excedat genus in actualitate, quantumque perfectionem invenimus in genere, tamen semper major erit perfectio differentie, quia habet magis de actualitate, est enim gradus determinativus generis; illudque essentialiter perficiens. Accedit, quod ut ait Porphy. differentia est, quæ species excedit genus, utique in perfectione; ergo semper est perfectior illo, non solum in ratione partis, quia est pars actualis, ut ait Blanc. sed etiam in ratione entis, quia magis accedit ad actualitatem, & quidem si species excedit genus in perfectione, ut omnes concedunt, etiam Adversarii ipsi, sane hunc excessum a suis principis habere debet, ex quibus constituitur, cumque nequeat habere a genere, utique habebit a differentia.

Sed obicitur, quod licet differentie elevantes genus ad gradum altioris naturæ sint semper ipso nobiliores, ut rationale respectu animalis, quod elevat ad gradum intellectivi, quæ tamen ipsum contrahunt intra proprium gradum, ut se habet irrationale respectu ejusdem, non sunt nobiliores, sed vel æque nobiles, quia non constituunt speciem habentem perfectiorem operationem sensitivam, quæ gradui generis propria est, & etiam nonnunquam ignobiliores, quia

constituunt speciem, quæ habet minus perfectum gradum sentiendi ipso genere animalis, ut patet de talpis, ostriis, & aliis, quæ præter tactum nullum alium sensum habere videntur, ergo in his minus perfectis reperitur gradus sentiendi, quam in genere ipso animalis significante naturam sensitivam abstractam ab his defectibus.

139 Resp. argumentum, si quid habet roboris, probare non solum differentias secundi generis, sed etiam species constitutas per eas esse ipso genere imperfectiores; bene igitur inquit Ruvius, quod præter elevationem ad perfectiorem operationem, vel perfectiorem modum operandi, reperitur perfectior modus essendi actualis, & determinatus, ad quem omnis differentia elevat genus, & ideo semper est perfectior illo; unde etiam ex hoc capite in animalibus imperfectis perfectius reperitur gradus sentiendi, quam in ipso genere, quia in ipsis reperitur determinatus, & specificus, in genere confusus, & indeterminatus abstractus a perfecto, & imperfecto, quod autem determinatum est, atque distinctum, perfectius est indeterminato, & confuso. Addimus tamen, quod esto animalia illa imperfecta careant aliqua operatione vitali, id est per accidens, ut bene notat Pasqualig. quatenus anima non reperit in tali corpore organa requisita ad tales operationes. Quod si ex defectu operationum valeret arguere imperfectiorem differentiam, etiam argui deberet genus imperfectius, quia desunt operationes genericæ, alia quædam argumenta addunt Complur. citat. quæ eodem modo solvantur.

Ad completam notitiam hujus metaphysicæ compositionis spectaret etiam resolutio illorum dubiorum, Quomodo in qualiter specie debeant genus, & differentia designari, & An differentia constitutiva speciei debeat esse ei, eisque generi propria, adeo ut alteri convenire nequeat, sed oportunitus ea tractamus disp. seq. quæst. 4. occasione declarationis secundæ regulæ antepædic. diversorum generum &c.

ARTICULUS III.

Quomodo differentia distinguat essentialiter speciem, quam constituit, ab aliis, ubi de mutua præcisione generis, & differentie; ac etiam differentialem superioris, & inferioris.

140 Porphy. per quartam definitionem a se correctam, & explicatam ita definit Differentiam, quod sit id, quo differunt essentialiter inter se singula, idest singula species, vel singula individua unius speciei a singulis alterius, species enim non differunt secundum genus, cum in ipso conveniant; sed per proprias differentias genus illud contrahentes; itaque quarta differentia definitio data est juxta tertium munus ejusdem, quod erat distinguere essentialiter unam speciem ab alia; pro cuius declaratione hic differendum est, an Differentia includat in suo conceptu genus, quod dividit; & differentiam superiorem, cui subordinatur, ut v. g. numer rationale includat in suo conceptu animal, vel sensibile, si enim includit, non magis dici poterit ratio differendi, quam conveniendi, & sic allata definitio recta non erit, quod si non includit, erit præcise ratio differendi, & sic illud erit vere munus differentia, ac allata definitio bona, & cum hac quæstione coincidunt alia sub aliis titulis proposita, an scilicet, differentia subalterna per se prædicetur de infima, & an genus includatur in differentiis ultimis, & tandem an per se prædicetur de differentiis per quas dividitur. Non est autem quæstio de differentia in sensu materiali, ac identico, prout nimirum significat rationale, seu rationalitatem habens, si enim exploratum est includere genus, & differentiam superiorem illud constituentem, sed quæstio est de differentia pro formali, nimirum secundum perfectionem illam, seu gradum, per quem constituit hanc, vel illam speciem, ut notavit Doctor 1. quæst. 24. Parag. *Ad quæstionem*.

141 Tres opiniones hic invenimus, duas extremas, & tertiam mediam; Prima extrema est affirmativa, quæ asserit differentiam inferiorem includere superiores, quibus subordinatur, ac etiam genus ipsum, quod dividit, tribui solet Thomistis, & Nominalibus, sed præsertim quantum ad inclusionem differentiarum superiorum eam tenentur Sanch. 6. Metaphys. quæst. 37. Jand. 2. Metaphys. quæst. 12. Barthol. Spina 7. Metaphys. difens. 16. Canterus cap. de differ. Altera extrema id prorsus negat tam de genere, quam de differentia superiori, quod includatur in inferioribus, & est communis inter Scotistas, & Thomistas, ita docuit Doctor ex professo 4. d. 11. quæst. 3. §. *Ad rationes*, & 1. Post. quæst. 24. & quæst. 9. & 13. Univers. ubi Mauri. & 7. Metaphys. quæst. 17. ubi Ant. And. quæst. 15. Faber. disp. 19. Canon. 1. Phys. quæst. 7. Poncius disp. 7. Log. quæst. 4. & sequuntur Thomistæ passim Capreol. Javel. Ferrar. Complur. Sor. Fonseca. Telet. Suessem. Hurt. Blanc. Didac. Pasqualig. Cælestin. & alii omnes. Tertia sententia media est Recentiorum quorundam distinguendum de duplici genere differentiarum, aliud, scilicet, quod non est proprium alicujus generis, sed potest etiam in alio reperi-

reperiri, & genus quoque esse potest sine tali differentia, & hoc genus differentiarum inquit præcindere a genere, quod contrahit, & genus quoque perfecte præcindere a differentiis; aliud vero genus differentiarum est, quod est proprium alicujus generis, & cum illo tantum reperitur, & hoc ajunt non perfecte præcindere a genere, neque e contra genus a differentiis; ita loquitur Averfa qu. 13. Log. sec. 5. sic etiam Arriag. disp. 8. Log. sec. 1. distinguit de duplici genere genericam ad aliquam aliam operationem, quæ fit extra genus, ut *animatum*, quæ elevat mixtum ad operationem vitalem, & *rationalis*, quæ elevat animal ad operationem intellectivam, & has differentias concedit non includere genericam formaliter, quod si differentia talis sit, ut non respiciat operationes, nisi formaliter contentas sub genere ad modum, quo visio materialis est quædam sensatio, auditio, olfactio, &c. inquit in sententia nostra admittente præcisiones objectivas, omnino tenendum esse genus, ac differentias superiores in talibus inferioribus formaliter includi.

142 Dicendum est cum secunda sententia nec genus in suo conceptu objectivo differentias formaliter includere, neque e contra, nec pariter differentiam inferiorem includere superiorem. Et quidem quod genus non includat differentias, sed omnino in suo conceptu præcindat ab illis, deducitur ex dictis art. præced. ubi diximus genus, & differentiam sumi a diversis realitatibus ex natura rei, adeo ut realitas, quæ responderet conceptui generico, distincta est ab ea, quæ responderet differentiis; & probatur experientia ipsa, quando enim concipimus animal, vel tunc menti obverfantur rationalitas, & irrationalitas, vel non, non primum quia tunc menti nil aliud obicitur, quam substantia animata sensitiva, ergo secundum, hoc autem est unum ab alio objective præcindere, id est cognosci sine illo, aut illo non cognito; sed hæc pars conclusionis sufficienter probata est quasi. 1. hujus disp. art. 4. dub. 1. ostendimus differentias nullo modo actu, & formaliter contineri in genere, nec explicite, nec implicite, sed potestate solum.

143 Sed quod neque e contra differentia includat genus, aut differentias superiores, quibus subordinatur, est Arist. 4. Top. cap. 2. & lib. 6. cap. 3. & 4. Metaph. 10 & lib. 11. cap. 1. his enim locis dicitur doceri genus non esse de essentia differentiarum; ex quo sequitur, neque differentiam superiorem esse de conceptu inferioris, si enim sensibile esset de essentia rationalis, etiam animal esset de essentia ejusdem, sicut cui intrinsece convenit rationalitas, intrinsece etiam convenit esse hominem, & probatur rationibus evidentibus ex Scot. loc. cit. Tum quia si differentia inferior continet superiorem essentialiter, & genus, quod dividit, jam species non differat a differentia, quia in specie nihil continetur quidditative præter genus, & differentiam. Tum 2. differentia simpliciter est principium distinguendi speciem, quam constituit, ab illis, quæ sub eodem genere continentur; ergo nequit essentialiter includere genus, aut differentiam genericam superiorem, quia si includeret, sicut est principium differendi, esset etiam principium conveniendi cum illis ipsis, a quibus speciem distinguit, quia includit essentialiter illud, in quo conveniunt. Tum 3. si ita esset, hæc definitio, *homo est animal rationale*, esset vitiosa, quia bis repeteretur genus, & differentia generica superior, semel quidem per se loquendo de genere, & iterum, ut inclusum in rationali, sic & sensibile bis diceretur, semel in animali, & iterum in rationali, quam rationem adduxit Arist. 6. Topic. cap. 6. Tum 4. si rationale includit sensibile, aut animal, adhuc aliquid aliud addere debet super illa, ratione cujus hominem constituat, & specificè distinguat ab equo, & asino, cum quibus convenit in ratione animalitatis, & sensibilitatis, tunc de illo gradu præciso, quod supra animal, & rationale addit rationale, quærendum est, an in eo, ut sic, includatur animal, & sensibile; & quidem repugnat dicere, quod includatur, si enim est aliquid superadditum animali, & sensibili, aliquid aliud est præter illa, ergo &c. Tum 5. quia tunc daretur processus in infinitum, si enim rationale, & irrationale, ut sic, includunt sensibile, vel animal, in quo conveniunt, per alias differentias fecerunt debent, de quibus redit eadem questio, ergo dicendum est differentiam inferiorem esse gradum simplicem non resolvablem in superiores conceptus generis, quod dividit, & differentia superioris, cui subordinatur. Tum tandem quia si genus, & differentia non dicunt duos gradus perfecte præcisos in mente nostra, ita ut genus non includatur in conceptu differentia, neque e contra, sequitur, speciem nullo modo esse metaphysice compositam etiam per nostrum intelligendi modum, quia compositio est duarum partium, quarum una non includit aliam, sed amba in constituto, qualicumque sit talis compositio, imo hoc est de ratione partis non includi in altera, neque illam includere, & hæc rationes probant in universum de quocumque genere differentiarum.

144 Averfa cit. sect. 6. gratis concedit constitutionem speciei ex genere, & differentia non semper esse per modum compositionis, sed interdum per modum explicationis, quia

genus, & differentia non semper se habent, tamquam duæ partes distinctæ, quarum una addatur alteri, sed se habent nonnumquam per modum conceptus expliciti, & impliciti ejusdem essentia, quatenus scilicet, quod in conceptu generis implicite, & indeterminate continebatur, in conceptu differentia postea explicatur, & determinatur. Sed oppositum convincunt rationes allatæ, probant enim differentiam addi generi, ut aliquid ab ipso perfecte constitutum; quod adhuc magis declaratur, nam genus in suo conceptu respectu differentia se habet, ut subiectum, differentia vero ut forma illi adveniens, ergo secundum suas rationes formales se invicem excludunt, quia secundum suas rationes formales una advenit alteri. Neque dicas cum Averfa, ad id sufficere, quod genus sit explicite extra differentiam, cum quo fiat, quod adhuc implicite involvatur in ipsa. Nam quærimus, quid intelligatur per hoc, quod genus includitur implicite in differentia, vel enim significatur id, quod concipitur, quando differentia cognoscitur, esse realiter etiam genus, seu esse entitatem illam, quæ etiam genus includit, & hoc non est includi implicite in conceptu formali differentia, sed potius includi in conceptu materiali, ratione identificationis, non autem secundum esse præcisum, & sic non sumus in casu, quia loquimur de conceptibus formalibus, & objectivis, non de materialibus, ac identicis. Si dicat Averfa includi in ipsa formalitate differentia, sed implicite, tunc iterum rogamus, an includatur in ipsa, ut est a parte rei, vel ut est objective in intellectu; non primum, quia sic recurreret ad sensum (materiale), & identicum; neque secundum, quia si includitur in ipsa secundum illud esse, quod intellectui repræsentatur, erga includitur in ea explicite, non autem implicite solum, quod enim attingitur a cognitione, & per ipsam repræsentatur, explicite dicitur esse in intellectu, quia per ipsam cognitionem explicatur, & expanditur illi; si autem non includitur in ipsa secundum illud esse, quod intellectui repræsentatur, ergo absolute non relucet in conceptu objectivo differentia, & sic differentia perfecte præcindit ab ipso genere, nec implicite dici potest genus in ea involvi, nisi ratione identificationis, quam habet cum ipso a parte rei.

145 Zerbis 7. Met. q. 16. esto cum Doctore teneat hanc conclusionem, ait tamen etiam oppositam partem, quod scilicet, differentia inferior includat superiorem, esse probabilem, & rationes Doctoris faciliter solvi posse, unde ad illam de processu in infinitum negat conseq. cum sit de venire ad aliquas differentias, quæ non includunt alias, & quæ seipsis distinguuntur, sicut sunt differentia, quibus dividitur genus generalissimum. Sic etiam ad illam rationem, quæ concludebatur, quod differentia esset species, negat conseq. nam illud, quod includit differentiam, sicut constitutum includit constituens, illud est vera species non autem illud, quod includit, aliud per modum contrahentis genus, qualis est differentia.

Sed certe non ita facile solvuntur rationes allatæ, ut putavit Zerbis; & quidem quantum spectat ad illam de processu in infinitum, advertendum est, Doctorem per ipsam non absolute concludere processum in infinitum, sed disjunctive, vel quod daretur talis processus in infinitum, vel daretur tandem aliqua differentia, quæ non includeret priorem, per quod vult concludere non esse de ratione differentia, ut sic, includere gradum sibi communem cum differentia opposita, atque ideo esto quod datur differentia subalterna, non esse de ratione illarum, ut differentia sunt, quod inferiores includant superiores, sed solum quod eas supponant, quatenus subalterna, in communi constituto; sed quando etiam Doctor per illam rationem absolute concluderet processum in infinitum, adhuc bene argueret, nec ratio solvitur a Zerbis, quia si rationale v. gr. & irrationale includunt differentias superiores, scilicet sentiens, vivens, &c. oportet assignare alias differentias, quibus fecerantur, de quibus redit eadem questio, nec unquam deveniemus ad supremas, quæ seipsis distinguuntur; in illis namque, quæ dividunt genus generalissimum, conveniunt rationale, & irrationale, non ergo illas, sed illas debet Zerbis assignare, per quas ita distinguantur, ut rursus ipsæ non distinguantur per alias. Accedit etiam de supremis dividendis genus generalissimum redire difficultatem, si non de differentia alia superiori, saltem de ipso genere, quod dividunt; nam si illud includunt, rursus alia differentia assignari debent, quibus differant. Nec etiam bene solvitur alia ratio, quod data hypothese, tunc differentia esset species. Quia si semel conceditur differentiam superiorem essentialiter includi in inferiori, statim sequitur, quod in ea includatur, ut constituens in suo constituto, nam prædicatum essentialiter habet rationem constitutivi respectu illius, cui essentialiter convenit, ergo erit vere species, cum in specie nil includatur præter genus, & differentiam.

146 Respondent alii, has rationes non concludere, quia eodem modo convincerent etiam transcendentia, ut v. g. ens, non includi in differentiis suorum inferiorum, ut constabit discurrenti per singulas. Sed in primis adducere inconveniens non est solvere. Deinde forte hoc non est inconveniens, & eisdem rationibus sustineri posse videtur ens non

non includi quidditative in suis ultimis differentiis, ac modis contrahentibus, imo hæc videtur esse mens Doctoris expressa 1. d. 3. quest. 3. S. Ad questionem, sed quia hujus puncti decisio ad præsens non spectat, adhuc admittam opinionem communi de essentiali inclusione entis in ultimis differentiis, passionibus, modisque omnibus rebus rerum, dicendum est, non esse tantam necessitatem, ut ens excludatur ab illis, sicut genus a suis differentiis, quia genus, & differentia faciunt compositionem metaphysicam, ergo necessario debet habere rationem compartis cum differentia, atque adeo excludi debet ab illa, de ratione namque partis est, quod non includatur in altera, ens autem cum suis contrahentibus compositionem non facit, ut patet in Deo, & bene Doctor ostendit 1. d. 8. q. 3. ad princ.

In oppositum r. obiicit solet Arist. 7. Met. 43. ubi tria docet de ultima differentia. Primum, quod in definitione parum refert, si ultima tantum differentia ponatur, vel etiam omnes superiores, quia ultima includit omnes. Secundum quod ultima differentia est tota rei substantia, & ideo si ea ponatur in definitione, non licere aliam superiorem addere, quia committeretur negatio. Tertium, quod ad invenendam differentiam ultimam alicujus speciei debemus dividere superiorem per duas inferiores oppositas, ut bipedem, quæ est differentia animalis per fisos, & non fisos pedes habentem, clarum autem est, quod divisum formaliter sumptum includitur in singulis membris dividendis, & tandem inquit ibi Arist. quod *fisso pedis est quædam pedalitas*, quæ prædicatio, cum sit in abstracto, est essentialis, & quidditative.

147 Respondet ad hæc omnia Doctor cit. quod Arist. ibi assignat duplicem modum definiendi, vel per supremum genus, & omnes differentias, vel per proximum genus, & ultimam differentiam, & subdit postea parum referre, quod in definitione, quæ datur per proximum genus, ponantur differentia superiores, quia omnes includuntur in genere proximo, non autem dicit, quod includantur in differentia ultima, nisi in sensu identico, & materiali. Et cum dicit ultimam differentiam esse totam speciei substantiam, ait Doctor id non esse intelligendum totaliter, sed complete, quia complet substantiam rei, & determinat in ultimo esse specifico. Tertium vero, quod ait de divisione superioris differentia per inferiores, non proprie, & formaliter intelligi debet, quasi quod differentia superior vere dividatur per inferiores oppositas, sed materialiter, & identice, ratione generis, quod constituit, ipsum enim proprie dividitur, non quidem in differentias oppositas, sed in species per illas; unde membra dividenda alia sunt in *quæ*, & in his includitur divisum, alia sunt *per quæ*, & in his non includitur, cum vero prædicat ibi superiorem differentiam de inferiori, illa prædicatio non est formalis, & propria, ita ut una in altera formaliter includatur, unde non dicit absolute *fisso est pedalitas*, sed *fisso est quædam pedalitas*, ubi *ly quædam*, ut notant præcipue Expositores, dicit improprietatem quandam, voluit igitur tantum Philosophus per illum loquendi modum indicare, ait Doctor, fissionem pedis esse differentiam per se divisivam pedalitas in sensu explicato, & non per accidens, ut esse alatum, & non alatum.

At contra hanc expositionem urgebis, quod Arist. declarans ibi modum definiendi, ait non debere dici animal habens pedes bipes, quia faceret hunc sensum, animal habens pedes duos habens pedes, sed debet dici, animal bipes; quia dicendo bipes, quæ est differentia inferior, dicitur etiam habens pedes, quæ est superior. Resp. non debere sic exponi illum textum; alioquin sibi contradiceret, cum dicit ibidem, quod licet definire per primum genus, & omnes inferiores differentias, igitur per *ly pedes habens*, intelligi debet genus per talem differentiam constitutum, unde ut dicitur Philosophus, quod cum tot species animalis pedes habentis sint, quod differentia pedum, non debet defini per hæc omnia genera subalterna, ver. gr. Homo est corpus, vivens animal, rationale, quia unum includitur in alio.

148 Secundo arguitur rationibus, non potest concipi rugibile formaliter, quin formaliter concipiatur sensibile, & vivens; ergo hæc differentia superiores includuntur formaliter in illa inferiori. Probatur assumptum, quia rugitus Leonis est formaliter quædam sensatio, quia rugitus actus vitalis, & hoc argumentum putat esse insolubile Arriag. in sententia nostra admittente præcisiones objectivas. Resp. tamen facile negando assumptum cum sua probatione, differentia enim inferior, præsertim quæ non elevat genus ad altiorem gradum naturæ, non est simpliciter, & adæquate principium operationum, quæ sunt propriae talis speciei, quia hæc operationes dependent a tota natura, quatenus importat talem essentiam completam, quare differentia inferior solum est principium talium operationum, quatenus tales sunt, unde differentia v. g. rugitus non addit novam formalitatem a sensatione distinctam, sed tantum talem sensationem, per quam sensatio determinatur ad talem sensationem, quæ dicitur rugitus; ex quo colligitur, quod licet sensatio necessaria præsupponatur formalitatem rugitus, utpote ratio determinabilis per eam, non tamen in ea intrinsece, & formaliter includitur, quia ratio ejus for-

maliter consistit in determinando sensationem, & ejus principium ad hanc speciem, at in ratione formali determinativa non continetur formaliter id, quod determinari debet, sed tantum præsuppositivè; quod igitur rugibile nequeat concipi sine sensibili, non oritur ex continentia formali sensibilibus in rugibili; sed ex præsuppositione necessaria ad illud, sicut non potest intelligi formam determinatam materiam, quin materia præintelligatur.

149 At contra instat Arriag. Actio Leonina est formaliter sensatio, ergo differentia Leonina est formaliter principium sentiendi, & non tantum taliter sentiendi; probatur assumptum exemplo omnium actuum sensus interni, & externi, qui formalissime sunt materiales cognitiones, & sensationes, unde sicut non potest præcindi formalitas, quæ sit productiva alicujus materialis cognitionis, quæ eo ipso non sit formaliter animalitas, ita nec rugibilitas, quæ sit principium determinatæ sensationis, & non eo ipso sit formaliter virtus sentiendi, Resp. actionem Leoninam, sicut, & omnem cognitionem sensitivam, posse dupliciter sumi, vel secundum se totam, & adæquate, vel inadæquate, & secundum modum specificum, primo modo inspecta est formaliter sensatio, sed sic considerata non est adæquate a differentia Leonis, sed a tota natura, ut dicebamus, secundo modo non formaliter, sed tantum præsuppositivè est sensatio, & ideo rugibilitas non est principium formale rugitus, ut est sensatio, sed ut talis contracta ad rugitum. Quare falsum est, quod ait Arriag. principium determinatæ sensationis esse formaliter virtutem sentiendi, ut sic absolute, quia non est necesse, ut quod est principium actionis secundum determinationem speciei, sit etiam principium illius secundum gradum genericum, nam experimur speciem intelligibilem esse quidem principium talis intellectionis, non tamen intellectionis, ut sic.

150 Tertio arguit Averfa formans inductionem in diversis prædicamentis, substantia dividitur in spirituales, & corporeas, & hæc rationes spirituales, & corporee debent dici substantiales, quia si a tali ratione præcinderent, essent etiam communes accidentibus; sic in prædicamento quantitatis, cum quantitas dividitur in permanentem, & successivam, pariter, & discreta, si differentia sumi debeant, prout sunt propriae talis generis, necessario includere debent quantitatem, quam dividunt, quod constat, cum magnitudo, vel extensio dividitur in superficiem, lineam, & corpus, longitudo enim, latitudo, & profunditas, essentialiter dicunt rationem ipsam extensionis, & magnitudinis, quæ indolis etiam fieri potest in prædicamento qualitatis, & relationis, nam si in genere relationis assignentur differentia propriae, debent esse essentialiter relativae, atque adeo includere ipsum genus. Conf. id totum Averfa, intantum enim potest aliquod prædicatum præcindi a subiecto, de quo dicitur, inquantum potest etiam dici de alio, ut animal potest præcindi ab homine, quia potest etiam dici de Leone, & aliis, ergo si datur propria differentia alicujus generis, ita quod nequeat alteri applicari, sane non poterit ab eo præcindi. Denum ait Averfa qu. 8. sect. 18. id non posse a Scoto negari de hæcitate in communi in ordine ad hanc, & illam; non enim dici potest, nisi imperfecte ab illis præcindere, quia sine dubio quicquid est in singulis hæcitatibus, essentialiter involvit talem conceptum, nec sunt cogitabiles alia differentia extra latitudinem ejus.

151 Responderi solet communiter differentias generis substantia non esse substantiam formaliter, si sumatur pro substantia, quæ est capax in prædicamento, & dicitur substantia completa, sed esse substantiam late sumpto vocabulo substantia, prout distinguitur ab accidente, si enim comprehendit etiam partes, & substantias incompletas, quales sunt differentia, ut indicavit Arist. c. de subit. & sic servata proportione dici debet de differentiis aliorum generum. Verum hæc solutio multis reicitur ab Averfa cit. & re vera non subsistit, quia eadem difficultas fieri potest etiam de illo conceptu substantia, ut etiam comprehendit incompletas, nam & substantia, ut sic, dividi potest per spirituales, ut est anima, & corporeas, ut alia quælibet forma substantialis, respectu quarum non ita analogæ esset, ut excluderet rationem generis univocæ, ut patet d. 7. q. 1. Potius ergo dicendum est, quod rationale v. gr. formaliter loquendo non est substantia, nec accidens, sed aliquid substantia, quatenus est determinatio illius, nec potest dici substantia, nisi realiter, & identice, unde etiam, & in communi modo loquendi differentia illius prædicamenti dicuntur substantiales, non autem substantia, quia ratione ipse Averfa quosdam modos v. gr. *substantiam*, unionem materiae, & formæ, &c. vocare solet substantiales, non autem substantias, quia formaliter substantia non sunt, sed tantum ejus modificatio; sic ergo de differentia dicendum est esse substantiales, non quia involvant rationem formalem substantia, sed quia sunt intra eundem ordinem, in quo est substantia, & eam determinantes, & contrahentes sub eodem ordine; sit etiam dicendum erit de differentiis aliorum generum servata proportione; unde differentia relationis erunt relativae, non formaliter, & essentialiter, sed identice tantum, & realiter, quia non sunt formaliter relationes, sed talitates rela-

ARTICULUS IV.

Quomodo differentia predicatur de pluribus.

relationis; verum quidem est frequenter differentiam tali nomine nuncupari, quod necessario ex vi nominis videtur essentialiter includere genus, quod dividit, vel differentias superiores, ut est de longitudine, latitudine, & profunditate in genere quantitatis continuæ, quæ necessario videntur includere extensionem, sed id totum evenit ob nominum penuriam. Ad Conf. neg. assumptum esse universaliter verum, nam & passionem præcindimus a proprio subiecto, & e converso, & tamen passio nequit dici de alio subiecto, & e converso, valet igitur assumptum solum in illis formalitatibus, quæ sunt communiores illis, a quibus præcindunt. Ad ult. concedimus inter hæcæcitatem in communi, & hanc, & illam in particulari non posse intercedere mutuant præcisionem, quia comparantur sicut superius, & inferius, & licet superius possit ab inferiori præcindi, non tamen e contra, quia inferius semper involvit essentialiter superius, ut dictum est quæ præced. art. ult. dub. 1. in fol. ad 1. aliud autem est comparare inferius ad superius, quod includit, aliud comparare differentiam ad genus, quod contrahit, contractivum enim utique præcindi potest a superiori, quod contrahit, non tamen inferius; quod si Avera loquatur de differentia rationis, quibus concipitur contrahi conceptus hæcæcitatis in communi ad modum cujusdam naturæ communis, tunc de illis differentiis rationis debemus proportionaliter loqui, sicut de rebus.

152 Demum obiicitur; tum quia tunc realitas differentia esset omnino simplex, & purus actus; tum quia tunc differentia ultima esset suprema, nam differentia suprema dicitur, quæ nullam aliam habet supra se, quam includat, sicut supremum genus illud dicitur, quod nullum aliud habet supra se, quod includat, tum tandem quia hæc propositio est essentialis, & per se, rationale est sensitivum, est animal, ergo prædicatum essentialiter includitur in subiecto. Resp. ad 1. neg. conseq. quia cum sit pars, potentiam includit ad componendum totum, & participandum esse totius, quod est commune omni parti, ut Scotus docet. quol. 9. M. & imbibit intrinsicam imperfectiorem in ratione partis ei provenientem, & eadem difficultas fieri posset de genere supremo, quod non habet conceptum resolvablem in ultiores realitates, quare dicendum hos gradus supremum, & infimum, non esse puros actus, quia licet careant compositione ex his metaphysice, non tamen compositione cum his quia sunt cum aliis componibiles. Ad 2. neg. item sequela, quia non ex eo differentia dicitur suprema, quia non habeat superiorem, quam includat, sed quia in constituto per eam non supponit prioris differentiam, cui subordinetur, quare omnis illa dicitur inferior, quæ priorem supponit in constituto, cui subordinatur. Ad tertium tunc rationale sumitur materialiter, & in sensu identico, id est pro habente rationalitatem, non autem formaliter.

153 Sed dices sumendo rationale formaliter, vel illa prædicationes sunt per se, vel per accidens, non secundum, quia tunc ex animali, & rationali fieret unum per accidens, ergo 1. Resp. prædicari, per accidens stat dupliciter, vel per accidens prædicabile, vel per accidens prædicamentale, genus prædicatur per accidens de differentia primo modo, quia est extra rationem illius, non autem secundo modo, quia spectant ad idem prædicamentum, & ideo ex eis adhuc fit unum per se. Sed dices iterum, hæc consequentia est optima in *Davapi*, omnis homo est sensibilis omnis homo est rationalis, ergo aliquid rationale est sensibile, sed in præmissis major, & minor extremitates includuntur, & prædicantur formaliter, & per se de medio, ergo in conclusione major extremitas, scilicet, *sensibili* includitur, & prædicatur formaliter, & per se minori, scilicet, *rationali*. Respondent communiter Auctores, & responso est Scoti 1. Post. quæst. 23. ut bene notat Amic. quod ex virtute formæ syllogisticæ solum extremitates uniantur inter se in conclusione ob unionem earum in præmissis, non tamen ex vi ejusdem formæ opus est quod uniantur eodem modo, sicut in præmissis, & quod propositiones eandem habeant perfectitatem, & sic contingere potest, ut est in proposito, quod præmissæ in sensu formali sint veræ, conclusio vero solum in sensu materiali, & identico, unde inquit Doctor loc. cit. hunc syllogismum non tenere, homo est per se animal, homo est per se rationalis; ergo rationale est per se animal, quia licet ex necessariis sequatur conclusio necessaria, nam alias posset ex vero sequi falsum, tamen ex per se non semper sequitur per se, quia non oportet, quod sit tanta unio extremitatum adinvicem, quanta est cum tertio; sic igitur etiam non est necesse, quod ex præmissis in sensu formali verificatis inferatur conclusio vera etiam in sensu formali, sed sufficit, quod in sensu identico, quod multis exemplis demonstrari potest, præsertim in tertia figura, ut omne lac est album, omne lac est dulce; ergo aliquid dulce est album.

154 Secunda definitio differentia, quod sit illa, quæ predicatur de pluribus differentibus specie in quale quid, tradita est de differentia in ratione universalis, ut de se constat, nam in ordine ad ea, de quibus prædicatur, in ratione universalis constituitur; Supponimus autem hic, quod fere omnes docent Auctores cum Doctore quæst. 27. Univers. Ant. Andr. Tatar. & aliis Scotistis contra Cajetan. & Sot. in hoc cap. Porph. per secundam illam definitionem solum genericas definiisse, non autem infimas, sola enim generica est illa, quæ predicatur de pluribus specie differentibus in quale quid. Quod autem ait Cajetan. definitionem illam etiam infimis convenire, quia illis ex præcisa ratione differentia, ut sic, quæ est facere differre, non repugnat esse in multis speciebus, licet ut infima solum esse possint in una. Sane prorsus ridiculum est, quia res defini debet secundum ea, quæ actu habet, non secundum ea, quæ ex ratione communi illi non repugnant, alioquin ita bene definiretur animus, quod sit animal rationale, nam licet animo, quatenus animus est, repugnet esse rationale, id tamen non repugnat ei, quatenus animal; & generaliter, si hic modus definiendi, quem Cajet. appellat non repugnantiam, conveniens esset, tunc definitio unius speciei conveniret alteri, ut bene inferunt Complut. quæst. 3. siquidem differentia constitutiva unius speciei non repugnat alteri ob rationem communem, & genericam, sed ob rationem propriam, & specificam; tum quia si specificis non repugnaret prædicari de pluribus specie differentibus; adhuc definitio pro eis manca foret, quia etiam prædicantur de pluribus numero differentibus.

155 Cur autem has solas definiere, non est exploratum satis, quidam enim dicunt ita fecisse, quia putavit omnes prorsus differentias esse genericas, & nullas dari specificas proprias uni, soli infimæ speciei, sed omnes tales esse compositas ex pluribus, quarum singulæ aliis speciebus essent communes. Alii vero in Porph. propensiores dixerunt, quod utique differentias ultimas agnovit, saltem quantum ad se est, sed solum genericas definiit, tamquam notiores, & frequentiores, Sed quicquid sit de Porph. de cuius mente sint, qui velint, solliciti, constabit ex dicendis disp. seq. quæst. ult. omnino dari debere ultimas differentias, & simplices, quæ prædicari possunt de pluribus numero differentibus in qualequid, & ideo cum Porph. non assignaverit definitionem istis etiam communem, consequenter non definiit differentiam, prout est tertium prædicabile, ut sic enim comprehendit tam subalternam, quam infimam, ut docet Doctor loc. cit. quare videndum est in hoc art. quomodo definiiri possit, ac debeat differentia tertium prædicabile, quæ est communis utrique, & respectu quorum constituantur in esse universalis, an scilicet constituantur in esse tali per ordinem ad speciem, quam constituit, ut indicant Cajet. Sot. & Tol. in hoc cap. & sequitur Petron. quæstio 3. de Differ. art. 4. an potius per ordinem ad inferiora illius speciei, ut passim cæteri docent.

156 Ratio autem, cur ad hæc tantum duo capita reducatur hoc secundum dubium, est, quia ad quatuor, vel quinque comparari potest differentia. Primo ad genus, cuius est differentia, ut rationale ad animal, & certum est per hanc comparisonem in esse tertii universalis non constituit, ut notat Doctor q. 19. Univers. ad 1. tum quia de illo non prædicatur essentialiter, sed mera in quale: unde est prædicatio quinti universalis; tum quia universale constituitur tale per ordinem ad inferius, genus autem respectu differentia potius habet rationem superioris, quod per eam contrahitur, & limitatur. Secundo ad alias differentias inferiores, ut corporeum ad animatum, & inanimatum, & sic etiam certum est, ex hac comparatione non constitui in ratione universalis, quia cum non includatur in illis essentialiter, ut visum est art. præc. nequit de illis essentialiter prædicari, quo tamen modo prædicari debet differentia in ratione tertii universalis; unde qui oppositum tenent, ut consequenter loquantur, debent concedere differentiam superiore respectu inferiorum habere rationem cujusdam universalis essentialis, & sic sentit Avera quæst. 12. sect. 3. ubi ait in toto rigore habere rationem generis, aut speciei, si sumatur ad modum per se stantis. Tertio comparari potest ad propria inferiora, ut rationale ad hoc, & illud rationale, & neque sic habere universalitatem differentia concedunt omnes, quia de illis non prædicatur in quale, sed mere in quid, vel per modum per se stantis, unde etiam prædicatur in abstracto, & ut tota essentia, ut hæc rationalitas est rationalitas. Quarto tandem comparari potest, & ad speciem, quam constituit, & cuius est pars formalis, ut sentiens ad animal, & rationale ad hominem, ac etiam ad inferiora illius speciei, ut sentiens ad hominem, & equum, rationale ad Petrum, & Paulum, & quia respectu amborum, tam scilicet speciei, quam inferiorum ejus servat eundem mo-

modum prædicandi, scilicet, in quale quid, hinc ad hæc tantum duo capita reducitur difficultas.

157 Dicimus 1. differentiam tertium universale, quæ est communis infimæ, & subalternæ, ita defini debere, esse id, quod predicatur de pluribus in quale quid, est Scoti loc. cit. quæst. 27. Univers. ubi ejus Expositores Maur. Anglic. Sarnan. Brasavol. item Ant. Andr. Tatar. & alii Scotistæ in hoc cap. & sequuntur Auctor. aliarum Scholarum, præsertim Hurtad. Arriag. & Complut. & probatur, quia omittendo illam particulam *specie differentibus* ampliatur definitio, itaut adquate comprehendat tam differentiam subalternam, quam infimam, & facile possit unicuique applicari, etiam in specie addendo particulam *specie, vel numero differentibus*. Per hanc etiam definitionem optime explicatur essentia differentia, ut est universalis, nam ejus essentia in ratione universalis consistit in hoc, quod sit in pluribus per modum partis formalis essentialis, hoc autem totum explicatur per illam particulam in quale quid, per hoc enim, quod prædicatur in quid, ostenditur pertinere ad essentiam rei, & per hoc, quod adjungitur in quale, ostenditur esse partem formalem essentialis, & qualificantem, quia prædicari in quale est prædicari per modum informantis, & alteri adjacentis, ut frequenter dictum est. Poterit tandem in hac definitione assignari, quod tenet locum generis, & quod differentia, ut in definitione aliorum universalium servata proportione, licet enim differentia materialiter sumpta, & pro prima intentione non includat genus, & differentiam, sed sit forma simplex; secundo tamen intentionaliter capta, & quatenus est tertium universale, constat ex genere, & differentia, in quantum concipitur, ut species quædam universalis in communi, in hoc sensu enim definibilis est.

Quod aliquam posset hic ingerere difficultatem, est modus iste prædicandi in quale quid, nam videtur modus prædicandi impossibilis, & sibi repugnans, prædicari enim in quid est prædicari, ut quid essentialis, & quidditative, prædicari in quale est prædicari, ut quid extra essentialis, & denominative, at istæ rationes sunt invicem impossibiles, ergo &c. Conf. quia disp. præced. q. 5. ideo negativus definitionem constituit unum universale a cæteris distinctum, quia prædicatur in quale quid, nam ratione generis prædicatur in quid, ratione differentia prædicatur in quale, argue ita non habet unum prædicandi modum, sed duplicem, ergo idem erit in proposito de differentia dicendum.

158 Pasqualig. 1. p. suæ Met. d. 59. sect. 3. ut hanc solvat difficultatem, concedit respectu ejusdem non posse idem esse prædicatum in quid, & in quale, neque respectu ejusdem id convenire differentia, nam se habet ut prædicatum in quid respectu speciei, cum sit pars essentialis ipsius, & est prædicatum in quale respectu generis, quia est extra quidditatem illius, & illi adjacet, & quia mediante genere etiam hoc modo, scilicet per modum adjacentis prædicatur de specie, & ejus inferioribus, ideo adæquatius modus prædicandi ejus dicitur in quale quid. Hæc solutio aliquid continet veritatis, sed si melius non explicetur, non sufficit, nam respectu ejusdem debet differentia exercere hunc prædicandi modum, & præsertim in ordine ad speciem, aut inferiora ejus, respectu quorum constituitur in esse universalis; hoc igitur explicandum est, quomodo non repugnet differentiam hoc modo prædicare respectu ejusdem, & quomodo possit præsertim ita prædicari de specie, vel ejus inferioribus, quibus tamen certum est non adjacere, sed potius intrinsecè, & essentialiter includi. Hoc autem potest explicari exemplo compositi physici; si enim forma comparatur cum materia, utique est omnino extra essentiam ejus, ac mere illi adjacet, si vero comparatur cum composito, sane non est extra ejus essentiam, adhuc tamen dicitur illi adjacere, quia adjacet uni parti illius, quod etiam suadet communis loquendi modus, animam enim solemus dicere formam hominis, etiam si re vera sit forma solius materiæ, five corporis pro altera parte compositi; sic igitur est in composito metaphysico differentia, etiam si sit de illius essentia, adhuc tamen dici poterit illi adjacere, quatenus adjacet alteri ejus comparti, & sic poterit de ipso in quale quid prædicari; in quid, quatenus est intra ejus essentiam, in quale, quatenus ei adjacet ratione alterius comparti; ratio hujus est, quia ad veritatem prædicationis nedum requiritur, quod per ipsam explicetur prædicatum inesse subiecto, sed etiam modus, quo ipsi inest.

159 Ex hoc autem bene deducitur, quomodo hi duo modi prædicandi non sint impossibiles respectu ejusdem, quia non eodem modo prædicatur differentia in quale de genere, & de specie; de genere enim proprie secundum rem prædicatur in quale, quia re vera est extra ejus essentiam, ac de specie, & ejus inferioribus prædicatur in quale tantum secundum modum, quatenus per terminum adjectivum significatur adjacere alteri ejus comparti; unde dicitur Doctor quæst. 28. Univers. sub finem in differentia, ut prædicatur de specie, rationes prædicandi in quid, & in quale non esse oppositas, quia prædicari in quid secundum rem, & in quale secundum rem, utique opponuntur, at prædicari in quid secundum rem, in quale ve-

ro tantum secundum modum, non utique opponuntur, sicut plurale, & singulare non opponuntur, si illud sumatur, ut quid, hoc vero, ut modus. Et cum dicebatur, quod prædicari in quale est prædicari denominative, quod opponitur prædicationi essentiali, respondet per idem, quod prædicari in quale secundum rem, hoc est in quale accidentale, utique opponitur prædicationi essentiali, & est proprie prædicatio denominativa, non tamen prædicari in quale secundum modum tantum, modus enim prædicandi in quale potest etiam convenire formæ specificæ, in quo sensu Arist. etiam appellat 5. Met. cap. de quali, & 5. Phys. 18. qualitatem essentialis, ut notat Doctor ibidem, nec tamen constituit prædicationem denominativam, nisi secundum modum, quatenus nomine adjectivo significatur; sed quomodo concretis etiam substantialibus, dum nomine adjectivo significantur, ratio denominativorum convenire possit, explicuimus ex ipso met Doctore disput. 2. quæst. 6. art. 1.

160 Ad Conf. neg. paritas, ideo enim exclusimus supra definitionem a numero prædicabilem, quia cum explicite contineat genus, & differentiam, & illas partes importet etiam quoad habitudinem, quam habet inter se, ut scilicet una habet modum informantis, & alia modum substantentis, hinc est, quod habet modum prædicandi duplicis universalis, scilicet in quid ratione generis, & in quale quid ratione differentia, at differentia non prædicatur nisi per unicum terminum, qui nec perfecte in quid, nec perfecte in quale prædicatur, sed simul utroque modo indivisibiliter, & ideo unum constituit prædicabile a cæteris distinctum.

161 Dicimus 2. Differentiam non constitui in ratione universalis per ordinem ad speciem, quam constituit, sed per ordinem ad inferiora speciei. Conclusio est communis Scoti, & Scotistarum loc. cit. qui differentiam definiunt in ratione prædicabilis, non per prædicari de specie, quam constituit, sed per prædicari de pluribus inferioribus, quod etiam fecit Porph. ipse, & ideo eam sequuntur Recentiores omnes Sanchez, Onna, Ruvius, Didac. Avera, Complut. Arriag. Pasqualig. Moris. Fuent. & alii passim, & probatur evidenti ratione, quia respectu speciei, quam constituit, differentia non est superior, sed omnino æqualis, sed æquale non est universale respectu æqualis, solum ergo erit universale in ordine ad inferiora speciei, respectu quorum habet rationem superioris in quale quid prædicabilis. Prob. min. tum quia superius non convertitur cum inferioribus in subsistendi conseq. ex Postprædic. cap. de priori, bene tamen æquale cum æquali, tum quia superius contrahitur ad inferius, at æquale non contrahitur ab æquali, nec differentia contrahitur a specie; tum quia Porph. cap. de specie prope finem discrete distinguit prædicationem æqualis de æquali a prædicatione superioris de inferiori dicens, nam aut paria de paribus, ut *binibilibus de equo, aut majora de minoribus prædicentur, oportet*, ubi per prædicationem majorum de minoribus utique intelligit prædicationem universalium de inferioribus, & illa appellat majora, hæc minora, quia illa latius patent istis. Confirm. quia universale ut sic, constituitur per ordinem ad multa, sed species ut sic importat tantum naturam essentialiter unam, & pluralitas solum habetur ab ipsius inferioribus; ergo solum in ordine ad illa constitui potest in ratione universalis.

162 Nec valet illa responsio, quæ hic afferri solet, speciem nimirum habere suam virtutem pluralitatem, quatenus continet sub se inferiora, ideoque prædicationem de specie æquivalere pluribus prædicationibus de individuis, si est ultima. Nam contra est, quod universale constituitur per ordinem ad inferiora plura formaliter, in quibus nimirum sit actu multiplicatum, vel multiplicabile, unde respicit simpliciter multa; sed individua, prout continentur in specie non sunt simpliciter multa, sed potius simpliciter unum, ut dicebat Porph. *participazione speciei plures homines sunt unus homo*, Conf. quia specificativum alicujus debet participare formaliter rationem illam, secundum quam specificat, unde ad specificandam visivam potentiam requiritur objectum, quod sit formaliter coloratum, & non virtualiter tantum, sed multitudo est terminus specificativus universalitatis, ergo debet esse formaliter talis, & non virtualiter tantum. Tandem ex eo, quod species sit virtualiter multa, ad summum sequi potest, quod differentia respectu ejus sit quoque virtualiter universalis, non tamen formaliter, & actualiter, quia qualis est multitudo, talis est universalitas ipsam respiciens, neque specificativum potest specificare ultra suam virtutem.

163 Sed contra obiiciunt, quia natura constituitur universalis in ordine ad ea, de quibus primo, & immediate prædicatur, sed differentia primario, & immediate prædicatur de ipsa specie, & mediante specie de inferioribus, ergo &c. Tum 2. quia differentia prædicatur de specie, & non ut singulare, ergo ut universale. Tum 3. quia eodem genere prædicationis differentia prædicatur de specie, & inferioribus ejus, si igitur prædicatur tamquam universale, sic etiam de ipsa specie. Tum 4. quia præsertim respectu speciei exercet differentia propriam prædicandi modum in quale quid, imo potiori ratione, quam respectu inferiorum, in or-

in ordine ad quæ potius habet rationem partis materialis, quam formalis, quia ad illa multa contrahitur per alias peculiari rationes determinantes ipsam. Tum tandem quia dantur quedam differentie, quæ non adæquantur cum una specie, sed conveniunt pluribus, ut esse continuum, quod necdum reperitur in quantitate permanenti, sed etiam in successiva, ergo datur aliqua differentia, quæ respectu specierum de pluribus prædicatur, atque adeo sit universalis.

164 Resp. non esse omnino certum, num universale debeat necessario prædicari de pluribus immediate, & Tatar. c. de proprio id negat; genus enim etiam respectu individuum suam retinet universalitatem, de quibus tamen non nisi mediate prædicatur, quo etiam dato dicimus ulterius, non quancumque prædicationem immediatam constituere universalitatem, sed illam tantum, quæ est superioris de inferiori, quod non habet differentia in ordine ad speciem, ed tantum in ordine ad inferiora ejus; & ideo quamvis Petrus, & Paulus sint rationales, quia sunt homines, tamen rationale non est universale, quia respicit hominem, sed quia respicit Petrum, & Paulum, unde ut notant Complut. hæc duo valde diversa sunt quod Petro conveniat esse rationale, quia est homo, & quod rationali conveniat secunda intentio universalis, quia respicit hominem; primum est verum, at secundum est profusum falsum, vide aliam solutionem apud Tatar. cit. hic applicabilem. Ad 2. dicimus, quod prædicatur, ut universalis non formaliter, & reduplicative, sed materialiter, & specificative, ut sensus sit, differentia, quæ prædicatur de specie, est universalis, non tamen respectu illius, sed respectu suorum inferiorum, sicut species subicibilis generi comparata est universalis materialiter solum, id est non per talem comparationem, unde prædicatio ista *homo est rationalis*, non erit alicujus prædicabilis, vel superioris ex suo inferiori, sed erit prædicatio topici de subjecto communi, cum quo reciprocatur, sicut & illa, *homo est visibilis*, unde a quibusdam appellantur prædicationes tertii, & quarti prædicati, non autem prædicabilis. Ad 3. verum est assumptum, quatenus tam de specie, quam inferioribus ejus prædicatur, ut differentia, & in quale quid, non sub eadem habitudine, quia de specie prædicatur, ut æquale de æquali, de illis vero, ut superioris de inferioribus. Ad 4. re vera tam respectu speciei, quam inferiorum ejus differentia dicitur pars formalis eorum; falsum enim est differentias superiores dividi, & contrahi per inferiores ad modum partis materialis, nam id verificatur tantum concomitanter, & identice ratione generis, quod constituunt, ut satis liquet ex præced. art. & ideo tam respectu speciei, quam inferiorum ejus semper prædicatur in quale quid, ut declaravimus concl. præced. tamen solum in ordine ad individua constituitur in esse universalis, quia respicit illa, ut multa; quare licet in ordine ad speciem habeat sufficientem modum prædicandi universalis, non tamen habet sufficientem terminum universalitatis, quæ requirit multa inferiora pro termino. Ad 5. concedit ob id Averfa q. 12. sect. 3. aliquas differentias, quæ sint universales respectu speciei, sed quia disp. seq. q. ult. negamus absolute tales differentias constitutivas, quæ possint in pluribus reperiri speciebus, ideo negatur assumptum, ad cuius prob. ibi dicemus.

165 Quæres an Differentia infima, & subalterna specie differant in ratione prædicabilis, itaut duo universalis constituant, sicut genus & species. Averfa quæst. 12. sec. 12. quem hic sequitur Poncius, affirmative respondet, & ejus fundamentum est, quia intantum species est tota essentia, & contra pars, inquantum speciei adduntur differentie individuales, quæ non sunt gradus essentialis, generi vero adduntur differentie specificæ, quæ sunt gradus essentialis: sed eodem modo penitus se habent differentia infima, & subalterna comparata ad inferiora, quia differentie subalterne adduntur aliæ differentie, quæ sunt gradus essentialis, infima vero adduntur aliæ, quæ non sunt essentialis, ergo tantam diversitatem habent in ratione universalis differentia generica, & specificæ, quantam habent genus, & species.

Nihilominus cum Scoto prædicta quæst. 27. quem alii passim sequuntur, negative est respondendum, & probatur; tum quia tunc sex forent prædicabilia, tum quia de ratione differentie, ut est tertium prædicabile, est solum prædicari de pluribus in quale quid, & per hoc distinguitur a cæteris universalibus, sed hoc utriusque differentie convenit, ergo &c. Tum tandem, quia genus, & species ideo duo prædicabilia constituebant, quia unum prædicat totam essentiam, & alterum partem essentiam, sed differentia, sive sit infima, sive subalterna, semper prædicat partem essentiam, & ad hoc omnino per accidens est, quod prædicatio fiat de multis specie, vel num. differ. ergo &c.

166 Fundamentum vero Averfa non subsistit, negatur enim paritas assumpta in minori, quia ex hoc, quod differentie infimæ adduntur aliæ differentie, quæ non sunt gradus essentialis, non sequitur, quod dicat totam essentiam individuum, sicut sequitur ex eo, quod adduntur speciei specialissima, & ratio est, quia species infima semper dicit conceptum completum, sed differentia semper incompletum, etiam si sit infima.

At notabis, differentia infima prædicatur de pluribus in

quale quid complete, & subalterna in qualequid incomplete, ergo sunt diversa prædicabilia, sicut genus, & species, Prob. assumptum quia differentia ultima omnino distinguit essentialiter suum constitutum a quocumque quod non est ipsum, quod non facit differentia subalterna quia in ratione sensibilis v. g. homo convenit cum equo; hac unica ratione testatur Hurtad. disput. 6. sect. 4. ei non numquam placuisse oppositam opinionem.

Resp. tamen facilis est, quod differentiam infimam prædicari de pluribus in qualequid complete potest dupliciter intelligi, vel quia dicat totam essentiam illorum plurium, & sic falsum est assumptum, quia omnes differentie sunt conceptus incompleti, nec magis complet rationale hominem, quam sensibile animal; vel quia constituit illa multa adæquate dissimilia ab omnibus individuis cujuscumque alterius speciei, ita ut per eam excidatur omnis ratio conveniendi, & ita verum est antecedens, sed neg. consequ. quia facere differre complete, & adæquate in hoc sensu non est dicere conceptum rei completum, quia hic integratur ex ratione conveniendi, & ratione ultima differendi, sed est dicere conceptum incompletum ultimum, ut bene notat Hurt.

Q U Æ S T I O I V.

De Proprio.

167 Post tractationem de Universalibus essentialibus ad universalis accidentalia descendimus, quæ sunt Proprium, & Accidens; & quia proprium majorem habet affinitatem cum essentia rei, quam accidens commune, utpote quod immediate fluit ab ea, & cum ea est realiter idem; ideo prius de Proprio agimus, quam de Accidens; potest autem, ut hic omnes notant, hoc nomen *proprium* dupliciter sumi, primo, ut opponitur improprio, & dicitur illud quod proprie, & absque ulla metaphora rei convenit; secundo, ut opponitur communi, & sic significat illud, quod ita convenit uni rei, ut aliis competere non possit, & hoc modo definitio dei solet propria definiti, differentia dicitur propria speciei, quam constituit, ut rationalitas hominis, & denique passio dicitur propria naturæ, a qua dimanat, ut risibilitas hominis; verum quia prima duo prædicata essentialia habent propria nomina, quibus significentur, nam unum dicitur definitio, alterum differentia, hinc factum est, ut nomen proprii approprietur solum prædicato extra essentiam, necessario tamen, & convertibiliter convenienti naturæ, quam insequitur, ut est risibilitas in homine, & de Proprio in hoc sensu proponitur quæstio, sed quia rursus potest dupliciter capi, vel pro ipsa proprietate reali, quæ realiter fluit ab essentia, & cum essentia reciprocatur, ut est risibilitas, quæ ab humanitate dimanat, vel pro eadem affecta jam universalitate logica in ordine ad speciem, & individua ejus; hic agemus de Proprio in utroque sensu, quamvis enim primo modo potius ad Metaphysicum spectet, tamen abs re non erit aliqua de ipso etiam pro prima intentione differere, quia ejus natura explicata constabit magis quale fundamentum exigat universalitatis quarti prædicabilis, quam hic explanare intendimus; itaque duobus articulis rem expediemus, in primo tractando de proprio in ratione proprii, seu pro natura reali, in altero de universalitate, quæ super eam fundari potest.

A R T I C U L U S I.

Agitur de Proprio in ratione proprii, seu pro natura reali, & præsertim de distinctione ipsius a subjecto.

168 Multa disputari solent de proprio in ratione proprii, nos hic quæ magis necessaria sunt, & ad rectam intelligentiam universalitatis ejus magis conducunt, seligimus, alia ad Metaph. dimittentes.

Primo itaque dubitari solet, an ratio formalis Proprii, ut proprium est, sit realis, vel rationis. Didacus a Jesu disp. 9. dub. 3. existimat rationem formalem omnis proprietatis realis non in individuo, sed in specie esse rationis, & secundum intentionem, idque probat tali ratione, a qua se convinci fatetur, a parte rei solum datur hæc, & illa risibilitas fluens ab hoc, & illo homine, non tamen risibilitas in communi fluens ab homine in communi, hæc enim solum datur per intellectum abstrahentem proprietatem a differentiis individualibus, similiterque essentiam, a qua dimanant, ergo licet dimanatio proprietatis in individuo, ejusque cum individuo adæquatio sit realis, non tamen emanatio proprietatis in specie, ejusque adæquatio cum essentia in specie erit realis, sed rationis.

Sed certe si hæc ratio valeret, non solum probaret rationem formalem omnis proprietatis realis esse rationis, sed etiam rationem formalem cujuscumque naturæ, humanitatis, equitatis, &c. quia nec a parte rei dantur naturæ communes extra individua, ut diximus disput. præced. Potius ergo dicendum est, quod licet in entibus rationis proprietates illis correspondentes sint rationis, tamen naturis realibus propriæ passionis debent correspondere reales, qua-

Quæst. IV. An proprium a subjecto possit separari. Art. I. 209

quarum formalis ratio sit realis; tum quia passio debet proportionari subjecto, subjectum autem passionum est natura, non individuum, subjectum scilicet primum, & adæquatum, ergo si natura est realis, proprietates quoque, ac ejus formalis ratio debet esse realis, tum quia individua realia debent sub specie reali contineri, sed hæc risibilitas, & illa sunt individua realia risibilitatis in communi, ergo & ipsa risibilitas in communi debet esse realis ea realitate, quæ tribui solet cæteris naturis entium realium; bene tamen verum est, quod docet Tat. cap. presenti, proprium etiam sub ratione proprii fundare posse secundam intentionem diversam ab ea, quam fundat in ratione universalis.

169 Secundo queritur, quomodo Proprium in ratione proprii sit definiendum. Resp. illud ab Arist. definiti 1. Top. c. 4. hoc modo, *Proprium est, quod non indicat quid rei, soli autem inest, & conversim prædicatur, quæ sane de finitio datur de proprio sub ratione proprii, non sub ratione universalis, ut notat Tatar. quia definit per ordinem ad unum solum, & per prædicari convertibiliter, quæ duo repugnant universalis ex dictis art. ult. quæst. præced. & licet Doctor quæst. 31. Univers. in corp. dicat definitionem, quam tradidit Porph. de proprio sub ratione universalis, coincidere cum ista Philosophi, non debet intelligi formaliter, sed materialiter tantum, quatenus definitio Porph. æquivaleret illi, vel illam infert; ut Brasav. notavit ibidem. Cum autem proprium non indicare quid rei, intelligendum est a priori, quia a posteriori bene indicare potest juxta illud 2. de Anim. 11. accidentia magnam partem conferunt ad cognitionem substantiæ, & per hoc significare voluit, proprium non esse prædicatum intra essentiam, quia tunc illam indicaret a priori, sed extra essentiam: addit vero *soli autem inest*, quia proprium sub ratione proprii opponitur communi, & ideo sicut commune dicit relationem communicativam, seu convenientiam ad multa, ita proprium dicit relationem convenientiam ad unum cum exclusionem communicationis ad extraneum; addit tandem, *& conversim prædicatur*, ut per hoc significaret necessariam, & mutuum connexionem, quæ inter subjectum, & ejus passionem intercedit, ratione cuius se invicem inferunt in subsistendi consequentia, si est homo, est risibile, & e contra, quod probat Arist. dicens: *Nemo enim proprium dicit, quod contingit alii inesse, ut homini dormire, neque si forsitan per aliquod tempus inest soli*, per quod significat proprium debere inesse soli, & semper, ut postea magis explicuit Porph. c. de prop. Ex quo colligitur tres condiciones requiri, ut aliquod prædicatum dicatur proprium, prima est, quod non sit prædicatum intra essentiam; secunda, quod conveniat soli, quia si alteri naturæ conveniret, jam non esset accidens proprium, sed commune; tertia demum, quod necessariam habeat cum subjecto connexionem, ita quod ubicumque talis res invenitur, & quocumque habeat semper annexam talem proprietatem ex intrinseca illius exigentia, ac indigentia, & deficiente aliqua ex his conditionibus, non datur simpliciter proprium, nec integre, ut ibi ait Arist. quia non habet omnes condiciones ad ipsum essentialiter requisitas; quanta autem sit necessitas ad connexionem dicemus postea.*

170 Sed dices, calor est proprium ignis, & tamen non convertitur cum ipso, ergo particula definitionis non bene assignantur; præsertim etiam quia una illarum superfluit, nam si conversim prædicatur, jam inest soli. Resp. concedendo ea de causa calorem non posse dici proprium ignis in toto rigore; quia non convenit soli: cum autem dicitur proprium debere converti cum suo subjecto, id debet intelligi de subjecto adæquato, & primi, quia non est necesse, ut proprium convertatur cum inferioribus sui subjecti primo, quia ipsa sunt subjecta tantum secundaria, & inadæquata, rationem enim proprii, ut distinguitur a communi, totum habet in ordine ad essentiam, a qua immediate fluit, nam in ordine ad inferiora talis essentia potius habet communitatem, quam rationem proprii oppositam communi, igitur de ratione risibilis, quatenus proprium est a communi distinctum, est, quod convertatur cum homine ejus adæquato subjecto, non cum Petro, vel Paulo. Demum nulla particula est superflua, quia convertibiliter prædicari non potest, ut significetur convenire illi soli, quia hoc per anteriorem partem explicatum erat, sed ponitur ad significandam necessariam, & mutuum connexionem, quam debet proprium habere cum subjecto, ut diximus, nam ride convenit soli homini, sed quia non habet cum eo connexionem necessariam non est simpliciter proprium.

171 Tertio queritur, quodnam sit Proprium, quod hac definitione definitur; pro quo recolenda est illa quadruplex acceptio proprii, quam 1. p. Inft. tradidimus cum Porph. & Arist. nam proprium primo modo erat, quod convenit soli, non tamen omni, ut homini esse Medicum; secundo modo, quod convenit omni, sed non soli, ut homini esse bipedem; tertio modo, quod convenit omni soli, sed non semper, ut homini canescere; quarto modo, quod convenit omni, soli, & semper, ut homini esse risibile; queritur ergo, quodnam proprium ex his modis sit hic definitum.

Arriaga disp. 8. Log. sect. 2. inquit ea accidentia, quæ *Mastrii, & Bellui Tom. I. Logica.*

soli alicui speciei conveniunt, etsi non semper illi conveniant, vocanda esse *propria* absolute, quia in communi modo loquendi *videre* dicitur proprium hominis. Item *discurre*, etsi non semper conveniat homini, item quando Petrus v. g. habet phrasim aliquam, aut modum specialem loquendi, vel incendendi, quo nullus alius utitur, illa phrasim dicitur propria Petri, etsi non semper Petrus illa utatur, id probat Arriaga. ex Arist. cit. 1. Top. c. 4. ubi solum excludit a ratione proprii id, quod aliis convenire potest illis verbis, *nemo proprium alicujus rei dixerit, quod aliis convenire potest*, quare concludit proprium in secunda tantum acceptione excludi debere a ratione proprii rigorose sumpti, quia in illa acceptione tantum usurpatur pro eo, quod non convenit soli, sed etiam aliis, atque ideo illud solum ab hac excludi definitione, cætera vero includi.

172 Verum communis opinio est, proprium rigorose sumptum esse tantum proprium quarto modo, atque adeo illud tantum per eam definitionem explicari, ita significat Scot. q. 31. Univ. & est expressa mens Arist. & Porph. cit. & probatur, quia prædictæ tres condiciones ad rigorosum proprium requisitæ solum inveniuntur in proprio quarto modo; propriis autem aliorum modorum semper deficit aliqua illarum; nam proprium primi modi convenit soli, sed non semper (omittimus dicere, quod non convenit omni, ut ait Porph. quia hæc conditio convenit proprio in ratione universalis, in quo sensu de ipso loquebatur Porph. non autem in ratione proprii, ut nos hic de eo loquimur) ratio est, quia ut notat Tatar. esse medicum ibi accipitur a Porph. ut dicit actum, & ideo est separabile etiam naturaliter, quia esse potest, ut nullus homo medicinam ediscat; & eadem ratione proprium tertio modo non est vere proprium, quia canescere accipitur, ut dicit actum, quo modo non convenit semper homini; proprium autem secundo modo, licet accipatur, ut dicit aptitudinem, & non actum (quicquid dicat Poncius) ut notat idem Tat. quia actu habere duos pedes, non convenit semper homini, adhuc tamen non est in rigore proprium, quia non convenit soli homini; quare remanet, ut solum proprium in 4. modo sit rigorose proprium, quod hic definitur; unde falsum est, quod assumit Arriaga. quod Arist. in Top. excludat solum a vera ratione proprii, & rigorosa, id quod aliis convenire potest, nam excludit etiam, quod convenit rei separabiliter, & contingenter per illam particulam *conversim prædicatur de se*, per quam significatur, quod semper rei conveniat, itaque se invicem inferunt in subsistendi consequentia, unde truncatam adducit auctoritatem; non enim negat Arist. tantum esse vere proprium, quod aliis convenire potest, sed etiam illud, quod licet soli conveniat, tamen non convenit semper, sic namque loquitur. *Nemo enim proprium dicit, quod contingit alii inesse, neque si forsitan per aliquod tempus inest soli*; unde alios modos appellat ibi Arist. non simpliciter propria sed aliquando, vel ad aliquid, nam ex dæxavis quidem esse aliquando proprium est, bipes autem ad aliquid proprium est id est respectu alterius, cui non convenit, unde subdit ibi bipedem esse proprium hominis, non simpliciter, & absolute, sed comparative ad quadrupedia, quare concludimus, *videre* non esse in rigore proprium hominis, sed accidens commune, quod, & adest, & abest, ut docet Scot. quæst. 33. Univers. in solut. ad 1. quod etiam expresse Porph. docuit.

173 Adhuc tamen verum est, propria aliorum modorum posse in aliquo sensu reduci ad proprium quarti modi, & præfatam participare definitionem, si nimirum proprium primi, & tertii modi sumantur, ut dicunt aptitudinem, sic enim erunt propria quarti modi, ut notat Tat. quod deducitur ex ipse Arist. cit. ubi esse grammaticum dicit esse proprium hominis simpliciter, & in quarto modo, quia sumit illud, ut dicit aptitudinem, non actum; Hoc autem intelligendum est, quotiescumque tales aptitudines ex principiis essentialibus specierum ortum ducant, & non aliunde, quod ideo dicimus, quia sunt quedam inclinationes, & aptitudines peculiare quorundam individuum, quæ potius oriuntur ex principiis individualibus eorum, ac vario humorum temperamento, ut peculiaris inclinatio, & propensio Petri ad arma, Pauli ad scientias, & magis ad hanc, quam illam, quæ proinde aptitudines non vere dicuntur proprietates, sed potius accidentia quedam de secunda specie qualitatis, ut notat Doctor 2. d. 16. q. un. R. Dices, erunt saltem proprietates hujus, & illius individui, quia oriuntur ex principiis individualibus eorum, sicut specificæ dicitur propria speciei, quia ex principiis ejus specificis ortum ducit. Resp. individua non habere aliam veram proprietatem præter illam naturæ, quæ est in singulis contracta; quia quæcumque alia proprietates assignentur in individuo, potest alia proprietas similis in alio individuo reperiri, quia aliud esse potest ejusdem temperamenti, unde per accidens est, quod illi soli competat, imo potest ex infirmitate, vel alia causa naturali temperamento illud aliquatenus variari, & consequenter aptitudo illa destrui. Tandem etiam secundus modus proprii reduci potest ad quartum, si quartus ita ample sumatur, ut complectatur proprium genericum, & specificum, secundus vero scilicet esse bipedem, referatur non ad naturam humanam, sed ad illam naturam animalis, quæ communis est omnibus bipedibus, ut a quadrupedibus distinguuntur, nam

nam in ordine ad illam dicitur convenire soli, & semper. Porphy. autem distinguit secundum modum a quarto, quia secutus Arist. non est locutus, nisi de proprio specifico quarti modi; forte quia notius, vel quia ut notat Doctor q. 17. Univers. ad 2. proprium nullius est, in quantum est genus, sed in quantum est species, quia proprium solum est alicuius in quantum est aptum natum esse subiectum demonstrationis, & hoc solum est in quantum est species, quia solum in quantum est species definitur.

174 Quarto quaeritur, an Proprium rigorose dictum, seu in quarto modo, dicat semper aptitudinem, ita quod nequeat dicere actum. Communis opinio nostrorum infra citand. videtur esse, quod semper dicat aptitudinem, unde rerum passionem passum in aptitudinibus constituunt, & favere videntur Arist. & Porphy. citat. qui dum quartum proprii modum assignant, de aptitudinibus exemplificant, non de actibus; imo actus excludunt. Dicendum tamen est, quod licet verum sit, proprietates rerum regulariter, ac ut in plurimum dicere aptitudines, interdum tamen non solum aptitudinem, sed etiam actum dicunt, sic v. g. dicimus proprium esse trianguli habere tres angulos duobus rectis aequales non tantum in aptitudine, sed etiam in actu, sic etiam inhære est proprium accidentis respectivi non tantum, ut dicit aptitudinem, sicut est in accidente absoluto; sed etiam ut dicit actum, ut docet Doct. 4. d. 12. qu. 1. & ratio est, quia huiusmodi naturis non tantum præstat aptitudines necessario connectuntur, sed etiam actus illis correspondentes, quod etiam cernimus in passionibus disjunctis, ut est par, & impar respectu numeri, rectum, & curvum respectu linearum, conveniunt enim suis subiectis necessario non solum in aptitudine, sed etiam in actu; quare si alicuius attributum habet etiam secundum actum necessariam connexionem cum aliqua natura, & ei tantum convenit, non videtur, cum nomine proprietatis appellari non possit, cum habeat omnes condiciones ad eam requisitas, unde si Aristoteles, & Porphyrius videntur actus excludere, loquuntur de actibus non habentibus cum subiecto necessariam connexionem.

175 Quinto quaeritur, an necessitas connexionis proprietatis cum suo subiecto tanta sit, ut neque de potentia absoluta possit ab eo separari. Negant Capreol. 1. d. 3. qu. 3. & Cajet. 1. p. q. 54. art. 3. Socin. 8. Met. q. 1. ad 4. & alii quamplures. Assumant Ferrar. 4. contra gentes c. 65. Soto q. 2. de proprio, Bannes 1. p. q. 73. art. 6. Alii vero distinguunt duplex proprietatum genus, quaedam enim a subiecto realiter distinctæ non sunt, ut sunt passionis entis, & appetitus materiae ad formas, & hæc nequeunt a suo subiecto disjungi; quaedam vero sunt realiter distinctæ, ut quantitas in materia, calor ut ostio in igne, frigiditas summa in aqua, &c. & hæc possunt per potentiam Dei absolutam a suis subiectis separari, ita Didac. d. 9. q. 1. dub. 4. Averf. q. 14. sect. 3. & alii Juniores passim.

Dicendum tamen est, necessitatem connexionis proprii cum suo subiecto non solum esse physicam, quatenus secundum communem naturam cursum nunquam potest subiectum sine suo proprio inveniri, sed etiam metaphysicam, ita quod nec de potentia Dei absoluta possunt separari, imo etiam logicam, adeo quod nec etiam per intellectum separari possunt intelligendo subiectum sine passione. Ita colligitur ex Scoto ubicunque loquitur de propria passione in ordine ad suum subiectum q. 33. Univers. ubi ejus Expositores 1. d. 3. q. 5. ad 2. pro opin. 2. d. 12. q. 2. ad 1. & d. 16. q. 1. §. Sed quia via hæc, & d. 25. q. un. C. & 4. d. 12. q. 3. §. Dico ergo ad questionem, & d. 13. q. 1. art. 3. in princ. & alibi sæpe, quem omnes sequuntur Scotistæ Tat. hic dub. 3. Canon. 1. Phys. q. 4. art. 2. Tromb. 4. Met. q. 4. Licher. q. 3. Prolog. Roc. q. 3. de proprio. Poncius ib. Saxius tom. 1. Catast. disp. 11. q. 7. Faber. 4. Met. disp. 6. & alii passim, & sequitur Nominalium Schola, & probatur efficaciter sic conclusio demonstrationis, in qua passio demonstratur inhære subiecto, est adeo vera, ut per nullam potentiam possit falsa reddi; ergo nequit separari a subiecto, alioquin falsificari posset, nec esset æternæ veritatis. Resp. Didac. hanc conclusionem, homo est risibilis, esse æternæ veritatis radicaliter, quia in homine necessario semper manet radix risibilitatis, quæ est rationalitas, non est autem æternæ veritatis formaliter. Contra hoc non est aliud, quam dicere solum illam præmissam demonstrationis, quæ pertinet ad primum modum, esse formaliter necessariam, conclusionem vero esse formaliter, & in se contingentem, quod omnino dici non potest. Resp. alii proinde, tunc fore veram etiam formaliter, non quia actu existat in homine risibilis, sed quia connexio illius cum subiecto est in secundo modo perfectioris, & ita semper est risibilis in homine secundum connexionem per se, licet non secundum existentiam, quamvis ergo tunc ista esset falsa, homo existit risibilis, illa tamen semper vera foret, homo est risibilis, quia cum ejus veritas sit necessaria, abstrahit ab actuali existentia. Contra, connexio per se prædicata cum subiecto oritur ex necessitate inhærentia illius cum isto, ergo si risibilis est necessario non inest homini, non erit vera propositio secundum connexionem per se in secundo modo, & quamvis veritas propositionum necessariorum non pendeat ex actuali existentia extremorum, postulat tamen, quod si extrema

existunt, prædicatum vere existat in subiecto; unde earum veritas ampliatur ad omne tempus, ut diximus 1. p. Inst. tr. 1. c. 11. & explicatur per hypotheticam conditionalem, ut ver. gr. homo est risibilis, id est si fuit, fuit cum risibilitate, si est, cum risibilitate existit, si erit, erit cum risibilitate, ergo si homo de presenti existit, si Deus auferat ab eo risibilitatem, propositio neque vera erit secundum connexionem per se. Resp. tandem alii, propositiones secundi modi dici necessarias, quia necessario competunt subiecto secundum naturalem facultatem, & innatam ejus exigentiam, non tamen absolute, & in ordine ad potentiam divinam, ita Ariag. d. 16. Log. sect. 7. n. 61. Contra, necessitas conclusionis non solum est physica, sed etiam logica; alioquin etiam accidentia naturaliter inseparabilia possent demonstrari de suis subiectis, quia necessitate physica illis coherent, ergo prædicata secundi modi debent necessario competere subiectis absolute, etiam in ordine ad potentiam divinam. Vide Zabarel. in Log. l. 1. de propositionibus necessariis cap. 11. ubi differre ostendit in propositionibus secundi modi nedium inesse necessitatem physicam, sed etiam logicam, nam accidens proprium, cum ab essentia, & forma sui subiecti fluat, essentialiter accidens dicitur, quia essentiam consequitur, & ideo neque re, neque mente potest separari, quod etiam replicat i. Post. cap. 6.

176 Ex quo rursus roboratur assertum nostrum, nam si Deus posset separare propriam passionem a subiecto, ergo nullum erit discrimen inter accidens proprium, & accidens commune inseparabile, quia utriusque connexio cum subiecto esset eodem modo necessaria, nempe necessitate physica, & secundum communem naturam cursum, sed per potentiam Dei utriusque absolute posset separari a subiecto. Resp. Didac. neg. conf. quia separata risibilitate ab homine, diceretur radicaliter risibilis, & maneret in eo debitum habendi talem proprietatem, quia maneret in eo rationalitas, quæ est radix illius, & principium existitivum ejus, quod non potest dici de corvo respectu nigredinis, si ab eo separaretur. Contra, quia eadem ratione corvus dici posset radicaliter niger; quia maneret in eo principium radicale illius nigredinis, nempe talis complexio, & tale temperamentum, & consequenter maneret in eo debitum habendi nigredinem. Resp. idem asserendo aliud discrimen, quod separata risibilitate ab homine, adhuc homini conveniret esse risibilem secundum propriam subiecti virtutem, & naturalem facultatem, unde si Deus separaret ab essentia propriam passionem, & postea illam relinqueret suæ naturæ, statim naturaliter dimanaret ab ea, non sic de accidente inseparabili. Contra, quia in multis accidentibus etiam naturaliter separabilibus experimur, quod subiectum illis denudatum, si non impediatur sua naturali facultate, ea denuo sibi comparat, ut patet de aqua calida se ad pristinum gradum frigiditatis reducende, ergo tantum magis id eveniret in accidentibus naturaliter inseparabilibus, atque ita nulla est disparitas allata in responsione, & ex his manent explosæ responsiones Sanchez ad argumenta allata; nam cum præfatis coincidunt.

177 Demum, quod necessitas connexionis inter subiectum, & passionem sit etiam logica, ita quod nequeat subiectum sine passione intelligi, vel sub opposito ejus; Probatur, quia ut docet Doctor q. 22. Univers. ad ult. & alibi sæpe, licet possimus non intelligere hominem cum risibilitate, quia abstrahentium non est mendacium ex 2. Phys. 12. ut ipse docet 1. disp. 2. qu. 7. infra l. 1. & 3. d. 3. qu. un. G. nequaquam tamen possumus intelligere hominem sine risibilitate, vel sub opposito risibilitatis absque præjudicio essentia ipsius hominis, negando nimirum risibilitatem de homine, aut affirmando ejus oppositum, & ratio est, quia sicut ex risibilitate recte inferitur a posteriori humanitas, ita ex negatione risibilitatis recte inferitur negatio humanitatis, & universaliter ex negatione passionis destructio subiecti, ergo necessitas connexionis inter subiectum, & passionem est etiam logica. Assumptum conceditur ab omnibus etiam ab ipsis Thomistis, ut patet apud Complut. disp. 8. qu. 1. ubi bene notat per hoc distingui proprium ab accidente communi, etiam inseparabili, quia subiectum sine tali accidente divisive potest intelligi, imo sub opposito ejus, ut docet ipse Porphy. c. de accidente, ex quo efficax deducitur argumentum contra Thomistas, quia si accidens proprium per hoc distinguitur ab accidente communi, quod nec mente potest a suo subiecto dividi, & separari, quomodo possunt ipsi asserere, quod etiam a parte rei sit separabile?

178 Sed contra obiciunt, quia omne prius, in quantum prius, est saltem per divinam potentiam separabile a suo posteriori, sed subiectum est prius natura passione ex Arist. in postpræd. cap. de simul, ergo &c. Tum quia per Arist. 5. Met. 16. priora natura dicuntur illa, quæ possunt esse sine aliis; non tamen alia sine ipsis; ergo si subiectum est prius natura passione, potest esse sine illa de potentia absoluta. Tum 3. quia si subiectum nequit esse sine passione, jam dependeret ab illa, atque ita esset posterius ea; quod si non dependet, ergo potest esse sine illa. Tum 4. quicquid est in aliquo instanti, in quo non est aliud, potest a Deo conservari pro quocunque alio instanti sine illo, sed subiectum est in aliquo

Quæst. IV. An proprium a subiecto &c. Art. I. 211

aliquo priori instanti naturæ, in quo non est sua propria passio, ergo &c. Tum tandem, quia quantitas est passio substantiæ corporeæ, color ut octo ignis, sicut frigus aquæ, & tamen de potentia Dei absoluta possunt hæc ab illis separari.

Resp. majorem esse veram, cum prius est realiter distinctum a posteriori, ut docet Scot. 2. d. 12. qu. 2. A, ac etiam est universaliter vera sumendo *ly in quantum*, reductive, quia prius, in quantum prius, non dependet a posteriori, & ita potest esse sine illo, in quantum prius, sed ex alio capite potest esse impedimentum, scilicet, ex identitate reali, ut notat Tat. cit. & ita est in proposito, quod subiecto non repugnat esse sine passione, ea ratione, quia prius est illa, sed quia est idem realiter cum illa. Ad 2. duplex est prioritas naturæ, ut fufius infra disp. 9. q. 2. una essendi, & explicatur per posse esse prius sine posteriori, alia intelligendi cum fundamento in re, quæ non recte explicatur per posse esse, vel separari prius sine posteriori, sed tantum per posse unum absque alio, vel prius alio intelligi, quia non includit illud in suo conceptu, ut docet Doctor 3. d. 3. q. 1. G. Arist. loc. cit. loquitur de prioritate naturæ essendi, sed subiectum est prius passione solum prioritate naturæ intelligendi. Ad 3. penderet ab ea pendentia, quam vocant a posteriori, & melius diceretur coexistentia, quo sensu dicere solemus, causam formalem pendere a suo effectu formali, quatenus nequit esse sine illo. Ad 4. neg. min. quia ut bene notat Canon. cit. esse prius natura non est esse prius in aliquo signo, in quo non sit posteriori, quia nullius rei existentia mensuratur per instans naturæ, sic quod in aliquo existat id, quod dicitur natura prius, in quo non existat, quod est natura posteriori, sed tantum verum est, quod in aliquo instanti intelligitur illud, in quo non intelligitur istud, unde prioritas sola durationis explicatur per verbum *est*, & in quo, sed prioritas naturæ explicatur solum per verbum *potest esse*, & in quo, si est prioritas naturæ essendi, vel per verbum *intelligitur*, & in quo, si est intelligendi, ut fufius infra disp. 9. c. ad 5. neg. illa esse propria in rigore illorum subiectorum, sed sunt accidentia quedam illis commaturaliter debita, quare potius pro pensio eis innata ad talia accidentia recipienda dicenda est eorum subiectorum proprietates.

179 Deinde arguunt ex modo, quo passio causatur a subiecto, omnes enim concedunt causari ab eo, vel in genere causæ efficientis, vel materialis, vel utriusque simul; si dicatur primum, ergo potest subiectum esse sine passione, quia Deus impedire potest omnem effectum in genere causæ efficientis, si dicatur secundum, neque salvatur necessitas connexionis passionis cum subiecto, quia casualitas materiae, sive potentia passivæ est contradictionis, & contingens ex 9. Met. 17. si dicatur 3. præterquam quod tunc materia, & efficiens coinciderent, contra Arist. 2. Phys. 70. adhuc sequitur propositum, quia nec casualitas materiae, nec efficiens est necessaria, ut probatum est.

Resp. subiectum esse causam passionis, nedium in genere materialis causæ, quia tunc certe non esset necessaria connexio passionis ad subiectum, ut notat Doctor 1. d. 3. q. 7. S. & 2. d. 25. q. un. C. & D. Tho. opusc. 48. c. de proprio, sed etiam in genere causæ efficientis, non quidem physicae, & per verum, ac realem influxum, nam in hoc sensu aliam causam non habet ab ea, quæ ipsum produxit subiectum, sed in genere causæ efficientis metaphysicæ, quam proinde nostri appellare consueverunt nomine ebullitionis, ac simplicis pullulationis, ut a casualitate physica fecerentur; ut diximus in Phys. disp. 7. q. 2. quantvis igitur posset Deus omnem casualitatem physicam efficientem impedire (de quo non curamus modo) non tamen metaphysicam. Dices Deus libere concurrir cum subiecto ad emanandum passionem, ergo poterit suum concursum subtrahere, alioquin libere non concurreret, & sic subiectum sine passione maneret. Resp. si Deus distinctum concursum adhibet in productione passionis a concursu, quo producitur subiectum, quod non credimus, non concurrir libere, sed necessario, non quidem necessitate simpliciter, sed necessitate suppositionis, quia producendo subiectum, necessario tenetur concurrere cum eo ad productionem suæ passionis, quod etiam in multis aliis eventis, Et cum dicebatur, quod materia, & efficiens non coincidunt 2. Phys. Resp. Scot. loc. cit. dictum Arist. esse verum de materia ex qua, seu materia partis, non de materia in qua, qualis est subiectum respectu suæ passionis, vide Doctorem q. 33. Univers. ad 3.

180 Sexto tandem quaeritur, quomodo passio sic indissolubiliter unita subiecto distinguitur ab eo. Thomistæ adhuc non obstant tali necessaria connexionem, passionem realiter a subiecto distinguunt, esto quædam non distinguant; ita Capreol. Cajet. & Socin. cit. Nominale et contra negant ullo modo distingui a parte rei, sed tantum ratione ratiocinata, ita Greg. 2. d. 16. quæst. 3. ubi Gabr. q. 1. Marf. 1. q. 7. art. 3. Duran. 2. d. 3. q. 2. Scotistæ cum suo Doct. loc. c. mediantes inter has opiniones extrema distinguuntur in rebus metaphysicis; Et quidem quod non distinguantur realiter, potest in primis deduci ex dictis in resolutione præcedentis dubii, si enim est tanta necessaria connexio inter illa, ut nec mente dividi possint, ergo neque

realiter distinguantur, nam in absolutis, quæ sunt realiter, & essentialiter distincta, nil obflare videtur, quod unum sine alio concipi nequeat. Probatur quoque ratione ex Scoto deducta in 2. d. 1. q. 5. §. Ad questionem istam, quia ut ibi Doctor, intrinseca impossibilitas separationis duorum ex triplici capite procedere potest, vel quia sunt simul natura, ut est de duobus relativis, vel quia unum est prius, a quo essentialiter dependet posterius, ratione cujus dependentia hoc nequit esse sine illo, ut est de toto, & partibus, vel quia sunt idem realiter, unde postea inferit in eodem 2. d. 2. quæst. 2. A. & B. quod illud, quod si esset distinctum ab aliquo, esset posterius eo naturaliter, necessario est idem illi, si impossibile est, illud aliud esse sine isto, & quod nihil realiter distinctum ab aliquo, sine quo nequit esse sine contradictione, est prius eo, sed est posterius eo naturaliter, vel simul natura cum eo; sed subiectum est prius natura ipsa passione ex postpræd. c. de simul, quia est causa illius, ergo si subiectum nequit esse sine passione, ut probatum est, & hoc implicat ab intrinseco: nam si inseparabilitas solum ab extrinseco procederet ut est de Cælo, & ejus motu, quæ in Arist. sententia sunt inseparabilia, non ex intrinseca cæli natura, sed a causa extrinseca, id est ab intelligentia necessario movente, non inferret realem identitatem, (ut notat ibi Doctor lit. N.) id erit utique ob identitatem realem inter ea, quia nunquam implicat ab intrinseco separari a posteriori, nisi propter identitatem realem. Insuper passiones, ut plurimum, dicunt innatas aptitudines ad aliquid agendum, vel recipiendum, at tales aptitudines nihil reale superaddunt naturæ sic aptæ ex Scoto 4. d. 49. quæst. 10. ab initio v. g. risibilitas nihil reale humanitari superaddit, ratione cujus sit capax risus, vel aptus ad illum, nam subiectum, quod ponitur ab ista aptitudine realiter distinctum, imo a quibusdam ex Adversariis separabile, antecedenter ad illam, & separatum ab ea, vel est naturaliter illius capax, vel non; non secundum, ergo primum, tunc ergo de illa priori aptitudine quaerendum est, utrum sit eadem realiter subiecto, vel non; si primum, ergo præstabit stare in illa sola aptitudine ad actum subiecto realiter identificata, & non ponere anteriorem capacitatem, & aptitudinem ad ipsam; si non, ergo proceditur ut prius, & sic in infinitum; vide Tromb. & Canon. c. 1. Phys. qu. 1. art. ult. bene hanc rationem pertractantes. Tandem passiones entis sunt idem cum ipso ex Arist. 4. Met. & concedunt ipsi Thomistæ, ergo similiter, & alia passiones cum suis subiectis, quia sicut se habet passio entis ad ipsum ens, ita talis passio ad tale ens, nec unquam poterit asserri sufficiens disparitas.

181 Quod vero cum tali identitate reali stet distinctio formalis, probatur ex illo generali principio inferius jacenti disp. 8. quod nullum absolutum identificat sibi formaliter respectivum, quia absolutum, ut sic, est ad se respectivum ad aliud, sive talis relatio sit prædicamentalis, sive transcendentalis, parum refert, ut ibi dicemus, sed subiectum, ut plurimum, est quid absolutum, & passio est relatio aptitudinalis ad actum subiecto naturaliter convenientem, ergo &c. Deinde verificantur contradictoria ex natura rei de subiecto, & passione, ergo ex natura rei distinguuntur; quia contradictio semper arguit distinctionem ut disp. 9. quæst. 1. art. 2. dicemus, & quidem talem, qualis ipsa est. Est assumptum, nam subiectum dicitur naturaliter prius ipsa passione, passio posterior, subiectum est causa passionis, non e contra, & tandem passio non est de conceptu quidditativo subiecti, cum de ipso prædicetur tantum in 2. modo, ergo ad minus inter ista requiritur distinctio formalis, & ex natura rei, præsertim quando natura importat veram realitatem, & non tantum præficionem objectivam inadæquatam, ut est de transcendentibus, nam utique inter naturas transcendentem, & earum passiones non nisi distinctio ratiocinata intercedere potest, unde de passionibus transcendentium admitti potest Nominalium opinio, at hic loquimur de naturis prædicamentibus.

Sed obiciunt Thomistæ, quod distinguantur realiter, quia causa, & causatum realiter distinguuntur, sed subiectum est causa passionis, ergo &c. Tum 2. actus, & potentia ponuntur in eodem prædicamento 9. Met. 13. ergo propria passio, quæ dicit potentiam ad actum accidentalem, ut risibilitas ad ridendum, collocabitur in prædicamento accidentis, ut ipse actus, & sic a subiecto, quod est in prædicamento substantiæ realiter distinguatur. Tum 3. quia suscipit magis, & minus, nam unus homo dicitur magis risibilis alio, ergo est accidens realiter a subiecto distinctum. Tum 4. actus est nobilior potentia ipsum respiciente, ergo si risus est accidens, etiam potentia ipsum respiciens. Tum tandem, quia illa contradictoria, quod subiectum est prius, passio posterior, &c. non tantum distinctionem formalem, sed etiam realem inferre videntur, quia nihil potest procedere seipsum.

182 Resp. assumptum valere de causa physica per verum, & realem influxum agente, non de metaphysica, sicut est subiectum causa passionis, unde proprie non debet dici passionem causari, vel effici a subiecto, sed tantum pullulare, & ebullire ab eo, hæc enim vocabula insinuant

actionem metaphysicam per simplicem emanationem, illa vero physicam, & realem; vide Mauri. q. 30. Univerf. declarantem hanc communem Scotistarum responfionem. Ad 2. ait Doct. 2. d. 16. q. un. A. verum esse assumptum de actu, & potentia, ut sunt differentia divifiva entis, fcilicet pro potentia objectiva, & actu entitativo, non autem de potentia, ut est principium operandi, qualis in propofito est propria passio in ordine ad sum actum. Dices passio est in pradicamento qualitatris in tertia specie. Negatur, loquendo de passione pro innata rei proprietate, hac enim ponitur reductive in illo pradicamento, in quo est. ejus subiectum ob identitatem realem cum illo, quamquam autem fit passio de tertia specie qualitatris, dictum est in Inst. 1. p. Ad 3. neg. assumptum, re enim vera non fufcipit magis, & minus illud, quod vere est potentia, & aptitudo ad ridendum, sed illa maior, vel minor facilitas ad rifum orta ex peculiari temperamento individui, quae quidem facilitas est potentia naturalis de fecunda specie qualitatris, ut docet Doct. modo cit. lit. R. Ad 4. verum est assumptum de potentia refpiciente actum, qui fit perfectio substantialis, non autem si fit perfectio accidentalis, ut est in propofito, nisi accipiatur in sensu reduplicativo, sic enim universaliter actus est nobilior potentia, quod non officit. Dices, proprium vel est substantia, vel accidens; non substantia, ut patet, ergo accidens. Resp. cum Canon. cit. formaliter neutrum esse, sed per identitatem utrumque, quia in substantiis est realiter, ac identice substantia, in accidentibus accidens. Ad 5. non quacumque contradictoria etiam ex natura rei inferunt realem distinctionem, sed tantum illa, quae radicantur in diversis rebus, quae enim radicantur in diversis formalitatibus, non nisi formalem inferunt distinctionem, ut explicabitur disp. 9. cit. quamvis ergo prioritas, & posterioritas temporis pradicantur in diversis rebus, atque ideo sint contradictoria distinctionem realem inducentia, non tamen quacumque prioritas naturae, praesertim intelligendi, qualis est, quae intercedit inter subiectum, & passionem.

183. Deinde pro Nominalibus urgetur, quod ratio Canon. & Tromb. allata contra distinctionem passionis a subiecto realem militet etiam contra formalem, nam circumscripta rifibilitate ab homine per intellectum, aut homini repugnat rifus, & rifibilitas ipsa, aut non; non primum, ergo secundam, atque ita subiectum erit capax istius aptitudinis, nec dicas esse tantum capax fundamentaliter, quia sic etiam responderent Thomistae, vel igitur ante aptitudinem dabitur semper aptitudo in subiecto, vel non est distinguenda passio a subiecto, nisi per rationem.

Resp. si illa ratio non bene percipiatur, non tantum contra formalem distinctionem passionis a subiecto, sed etiam contra distinctionem rationis, videtur posse retorqueri; dicimus ergo cum Tromb. cit. & Brasavol. qu. 33. Univerf. non aequo militare contra formalem, sicut contra realem, quia formalis aptitudo, & capacitas debet utique poni in subiecto respectu illius, quod est sibi conveniens, & ab eo realiter distinctum, nec sufficit capacitas fundamentalis, non autem poni potest respectu ejus, quod est realiter idem sibi, quia nihil dicitur proprie esse in potentia ad seipsum, & capax sui ipsius, quare circumscripta rifibilitate ab homine, utique ipsi non repugnat rifibilitas, quia est fundamentaliter capax, sed non bene inferitur, ergo est formaliter capax, & positive talis aptitudinis, quia in tali praesione quidditativa nulla capacitas, five naturalis aptitudo sibi competit, quia hac praedicata adveniunt in secundo modo, & posteriori signo, & sic in tali praesione subiectum est tantum capax privative, seu negative, ut ait Tromb. quatenus non includit aliquid repugnans, sed si praesindat passio realiter a subiecto, ut contendunt Thomistae fieri posse, tunc subiecto assignari debet positiva capacitas, & formalis aptitudo ad aptitudinem, quae praesita fuit, quia datur formalis aptitudo ad attributum conveniens subiecto, & ab eo realiter distinctum, & etiam quia talis praesio non esset per intellectum, sed a parte rei, in quo statu subiectum est positive capax cujuscumque attributi sibi naturaliter debiti, manet ergo illa ratio in suo robore, adeo ut Can. testetur a nemine unquam fuisse solutam. De hac quaestione Distinctionis passionis a suo subiecto, quae est praecipua inter Scotistas, & Thomistas, & a qua multa aliae dependent resolutiones in Philosophia, videri possunt Canon. & Tromb. loc. cit. & ex Recentioribus Saxius tom. 1. suae Carast. disp. 11. q. 6. & 7. ubi fufe, & conformiter ad principia Scoti de hac re tractat.

ARTICULUS II.

Agitur de Proprio in ratione universalis.

184. Explicata natura Proprii, quae nata est fundare universalitatem huius quarti praedicabilis, nunc explicanda manet ratio ipsius universalitatis, & quomodo natura realis Proprii constituatur in ratione quarti praedicabilis.

Dicendum igitur est cum communi Doctorem, proprium constitui in ratione quarti praedicabilis per esse

praedicabile de pluribus in quate accidentale necessario, & intransmutabiliter, seu in secundo modo dicendi per se; ita Doct. qu. 30. Univerf. & Scotista ibidem, & praesertim Tatar. cap. de proprio. Porph. & declarat. Conclusio. per hoc enim, quod dicitur esse praedicabile de pluribus, significatur proprium non esse universale respectu solius speciei, ut aliqui dixerunt, quia universale plura respicit, sed natura communis, cui proprium adequatur, consideratur ut una, sed in ordine ad individua eius; & Scot. cit. ad 1. qua ratione etiam art. ult. qu. praeced. negavimus, differentiam constitui in ratione praedicabilis in ordine ad speciem, quam constituit. Per hoc, quod explicite non additur numero, vel specie significatur ad hoc praedicabile, non solum spectare proprium specificum ut rifibile, quamvis illud tantum definitur (quicquid Ruvius dicit) hic Porph. ob rationem aliam, praeced. art. dub. 3. in fine; sed etiam proprium genericum, ut rifibile, eo profus modo, quo supra dicebamus de differentia. Per hoc, quod additur in quale accidentale, significatur distinctio a tribus universalibus prioribus, quae dicuntur essentialia, quia spectant ad essentialiam rei, & insinuantur etiam subiectionibus ipsius proprii in ratione universalis, hac enim non sunt sua inferiora quidditative, ut hoc rifibile, vel illud, hoc, vel illud rifibile, quia de istis non praedicatur in quale, sed in quid ad modum generis, vel speciei, sed subiectionibus ejus in ratione quarti praedicabilis sunt inferiora illius naturae communis, cui proprium adequatur, de istis enim praedicatur in quale accidentale, ut Scot. docet qu. 30. Univerf. in corp. Per hoc tandem, quod additur necessario, & intransmutabiliter, insinuat distinctio proprii quarti praedicabilis ab accidente quinto praedicabili, quia proprium de suis subiectionibus ita necessario, & intransmutabiliter praedicatur, ut de illis omnino negari nequeat; licet enim possumus non intelligere hominem cum rifibilitate, nequam tamen intelligere possumus hominem non rifibilem, vel irrifibilem absque praedicio essentiae ipsius; nam ex negatione passionis valet inferri destructio, seu negatio subiecti; quod non est verum de accidente quinto praedicabili, etiam inseparabili; quia sub ejus opposito potest intelligi sine repugnantia, non potest intelligi corpus sine nigredine, imo sub albedine, ut ait Porph. & Scot. qu. 33. ad ult.

185. Hinc inferitur 1. non bene distingui proprium in ratione quarti praedicabilis ab accidente quinto praedicabili per convertibiliter praedicari, ut etiam diximus disp. 4. q. 5. ratio est, quia ut frequenter inculcatum est, praedicari convertibiliter omnino repugnat rationi universalis; quod cum comparatur illis, de quibus praedicatur, ut superius suis inferioribus, & fit praedicabile de singulis, etiam scorsim sumptis, nunquam cum eis convertitur in subalterni consequentia, igitur per convertibiliter praedicari distinguitur ab accidente solum in ratione proprii, aliud autem est loqui de rifibili, vel sensibili in ratione proprii, & aliud in ratione praedicabilis, & universalis, ut notat Tatar. quia ut proprium respiciat solam naturam, cui adequatur; ut vero universale, inferiora illius naturae; quia proprium tale dicitur in ordine ad unum solum, universale vero respectu plurium, unde repugnat idem respectu eisdem esse universale, & proprium, ut docet Doct. q. 30. ad 1. & ita intelligi debet ipsemet Doct. si quandoque proprium distinguitur ab accidente per convertibiliter praedicari, quod nempe illud tunc distinguitur in ratione proprii, non in ratione universalis.

186. Inferitur secundo definitionem Proprii a Porph. traditam, quod accidit omni soli, & semper, esse ab ipso datam de proprio in ratione praedicabilis, non autem proprii contra Tatar., & constat ex illa particula omni, quae non tribuitur proprio sub ratione proprii, nam sub hac ratione convenit uni soli ex dictis art. praeced. ita docet Scot. qu. 31. Univerf. in corp. ubi ait, quod per primam particulam accidit habetur ratio praedicari, & modi praedicandi, scilicet in quale accidentale, per ly omni, & soli habentur subiectionibus proprii, & per ly semper habetur illa necessitas praedicandi, per quam distinguitur a quinto praedicabili; & licet Porph. definiat tantum proprium specificum, potest tamen eadem profus definitio applicari proprio generico, si per ly omni, & soli intelligantur omnes, & solae species illius generis, cui adequatur proprium genericum; verum tamen est, quod Arist. 1. Top. cap. 4. proprium definiat sub ratione proprii, & ideo omisit illam particulam omni. At instabis, etiam Porph. definiat proprium sub ratione proprii, non universalis, quia illa dictio soli respicit speciem, & dicit convertibilitatem cum illa, nec potest adaptari individuis. Negatur assumptum cum ejus probatione, sicut enim ly omni insinuat individua speciei, ita etiam ly soli ad eadem refertur, ut excludantur individua cujuscumque alterius speciei, unde facit hunc sensum, proprium est, quod convenit omni, & soli, id est omnibus individuis illius speciei, & illis solis: potest etiam dici, quod per illam particulam insinuatur ordo ad speciem, quia proprium non praedicatur de individuis, nisi quatenus participant naturam specificam, a cujus principiis emanat.

Quaest. IV. De Proprio in ratione Univerf. Art. II. 213

187. Inferitur tandem decisio illius dubii, quod multos angit, quodnam proprium ex quatuor adductis a Porph. fundare possit notionem quarti praedicabilis, & dubium est de tribus primis. Nam si fumantur & ipsa, ut dicunt, aptitudinem in hoc sensu fundare possunt; quia sic reducuntur ad proprium quarto modo, ut art. praeced. deb. 3. dictum est; At quia Porph. proprium primo, & tertio modo sumpsit, ut dicitur actum; palam est sic sumpta fundare non posse hanc universalitatem, quia primum non convenit omni, & tertium non convenit semper, & ideo pertinent ad 5. praedicabile. Tota difficultas est de proprio secundo modo, nam plerique illud excludunt, quia convenit omni quidem, sed non soli. Alii e contra illud includunt, quia quod convenit omni, & semper, necessario convenit, quantum sufficit ad excludendum contingentiam quinti praedicabilis, & parum refert, quod non conveniat soli, quia licet haec sit conditio requisita ad proprium sub ratione proprii, est tamen omnino impertinens ad proprium sub ratione universalis, nam tale dicitur per ordinem ad plura, non ad unum solum; & ita de facto esse intellectivum pro potentia proxima dicimus praedicari de homine in secundo modo perfectitatis, velut ejus proprietates, esto non soli homini conveniat, sed etiam Angelis, ergo proprium secundo modo sufficit ad fundandam istam universalitatem, ita sentiunt Conimb. q. 1. de Proprio, & Lovan. ibidem, & fuit sententia Fonsec. 5. Met. c. 28. q. 19. sect. 4.

188. Hac difficultas decidendae est iuxta dicta art. praeced. sub. 3. ibi namque diximus, proprium secundo modo posse participare definitionem proprii quarto modo ab Arist. traditam, quod conveniat soli & semper, si refertur ad gradum subalternum, ut esse bipedem ad gradum omnibus bipedibus communem, sic enim dicitur illi soli convenire, & semper, quo quidem sensu reducitur ad proprium quarto modo. Sic ergo erit dicendum in propofito, quod in hoc sensu fundare potest hanc universalitatem proprii generici, & quamvis, quod conveniat soli, non fit conditio requisita ad formalitatem universalitatis huius, praerequirunt tamen in ejus fundamento, nisi enim illa proprietates conveniret prius alicui gradui subalterni, non utique necessario conveniret omnibus individuis alicujus speciei, & etiam alterius, nam intantum habent necessariam connexionem in hac proprietate individua illarum specierum, in quantum participant eundem communem gradum subalternum, qui est principium exigivum ejus, quod patet de intellectivo, quod dicitur angelis, & hominibus convenire ut proprium, ratione gradus intellectualis eis communis; unde patet secundum modum proprii non fundare universalitatem proprii, nisi genericam, & quatenus reducitur ad quartum, nam falsum est, quod ajunt Conimb. aliquas proprietates esse plures specieb. communes, & non ratione alicujus gradus generici communis illis; nam certe si non daretur talis gradus genericus ab illis participatus, nec utique daretur proprietates ejusdem rationis in illis, proprium enim semper postulat adequatam essentiam, a qua promanet, extra quam non reperitur, & per quem necessario competit omnibus inferioribus illam participantibus, nec videtur in alio posse fundari talis necessitas, nisi illo gradu subalterni pluribus specieb. communi.

189. In oppositum obiicitur 1. quod proprium non fit universale, quia proprium, & commune opponuntur; & etiam quia non praedicatur de pluribus immediate, quia rifibile praedicatur de Petro, & Paulo mediante homine. Resp. proprium, & commune diverso modo sumpta non esse opposita, dicitur itaque proprium speciei, cum qua convertitur, & respectu ejus concedimus non dici universale, dicitur autem commune individuis illius speciei, & respectu quoque illorum dicitur universale, unde cum Scot. to quaest. 30. ad 1. concedimus proprium, quatenus proprium, & respectu ejus est proprium, non esse universale, sed tantum respectu illorum plurium, quibus est commune, unde proprium, & quartum universale sunt idem materialiter, non formaliter; posset tamen dici proprium etiam respectu illorum, quia haec communitas non est ad extraneam, sed ad individua propriae naturae. Ad aliud, vel dicimus ut ad 1. contra 2. concl. ult. art. quaest. praeced. vel cum Tat. hic, quod aliquid dicitur immediate praedicari de aliquo dupliciter, uno modo immediate praedicandi, sic videlicet quod inter ipsum, & sua subiectionibus nil mediet, quod habeat talem modum praedicandi respectu illorum, & sic rifibile immediate praedicatur de Petro, & Paulo, quia nihil est inter ipsum, & hac individua, quod habeat talem modum praedicandi, scilicet in quale accidentale necessario, alio modo immediate praedicandi, vel subiecti, & sic non praedicatur immediate, sed talis medietas non impedit aliquid esse praedicabile proprie sumptum.

190. Secundo arguitur, quod non fit universale distinctum ab accidente; Tum quia communiter dividi solet accidens in praedicamentale, & praedicabile, sub quo comprehenditur etiam proprium, quia accidens praedicabile est, quod praedicatur extra essentiam. Tum quia praedicari in quale essentialiter tamen tantum constituit praedicabile, ergo etiam praedicari in quale accidentale. Tum 3. quia accidens dividitur in separabile, & in separabile, proprium vi-

detur accidens inseparabile. Tum tandem quia modus praedicandi est idem in proprio, & accidente, quod autem res, quae praedicatur, sit connexa, vel non cum subiecto, habet se per accidens in ordine ad praedicamentum, in qua non explicatur illa connexio, nec ratione illius unum alio modo praedicatur, quam aliud, qua ratione Ariag. disp. 8. Log. in fine tenet proprium non esse distinctum universale ab accidente.

Resp. ad 1. esto verum sit, quod assumitur, tamen accidens praedicabile subdividitur per modos praedicandi diversos essentialiter, quales sunt praedicari extra essentiam cum necessaria connexione cum ipsa, & sine tali connexione. Ad 2. neg. paritas, quia non datur, nisi unus modus praedicandi in quale essentialiter, non autem praedicandi in quale accidentale. Ad 3. negat Doct. quaest. 32. ad ult. minorem, quia etiam accidens inseparabile habet rationem generalem accidentis, scilicet a deesse, & abesse saltem logice, quia sub ejus opposito potest subiectum intelligi sine repugnantia, ut dicitur in textu de corvo, & Aethiopo; sed sub opposito proprii non potest, & ideo proprium majorem, & magis intrinsecam connexionem habet cum subiecto, quam accidens inseparabile, quia hoc non habet radicem in principiis naturae, licet ex aliqua causa extrinseca separari non possit quantum ad existentiam. Ad 4. negatur assumptum, nam ratione necessaria, vel contingenter connexionis praedicari cum subiecto variantur essentialiter praedicabilia quoad modum praedicandi, cui non obstat, quod in actuali praedicatione non semper exprimitur talis conditio, vel praedicandi modus, sic enim genus, & species non constituerent diversa praedicabilia, quia in actuali praedicatione solus exprimitur modus praedicandi in quid, & per modum termini substantivi, qui est utrique communis, non autem exprimitur, quod genus dicat partem essentiae, species totam; sic etiam differentia, & proprium non distinguuntur in ratione praedicabilium, quia in actuali praedicatione solus exprimitur modus praedicandi in quale, & per modum termini adjectivi, qui est utrique communis.

191. Tertio arguitur, quod proprium fit universale respectu speciei, tum quia convertitur potius, quam individuum. Tum quia species, de qua praedicatur proprium, est universalis, ergo etiam & proprium, cum in tali praedicatione fit ei aequale; qua ratione tenet Magus proprium etiam respectu speciei esse universale, imo Doct. quaest. 4. Univerf. hac ratione probat proprium esse universale. Tum quia propriae passiones, generis respectu inferiorum non se habent, ut propria quarto modo, sed secundo, ut constat de bipede; quod est proprium animalis condistincti a quadrupedibus, quod est genus innominatum respectu omnium bipedum, & tamen respectu hominis est proprium secundo modo, ergo proprium non dicitur quantum praedicabile respectu inferiorum, sed respectu ipsius naturae, cum qua convertitur. Tum tandem quia si subiectionibus proprii in ratione universalis sunt individua speciei, vel generis secundum quod proprium est specificum, vel genericum, ergo eadem erunt subiectionibus proprii, ac generis, vel speciei, & sic non erunt diversa praedicabilia, quia non sunt diversa subiectionibus.

Resp. neg. assumptum, quia species in tali praedicatione habet rationem subiectionibus, qua ratione non est universalis logice, sed tantum metaphysice; unde neg. etiam consequ. nam ad summum in illa praedicatione proprium habebit rationem praedicati communis, non praedicabilis. Neque Doct. loc. cit. ea ratione probavit proprium esse universale, sed ostendit ex eo, quia praedicatur de pluribus, hoc autem probat, quia convertitur cum specie, unde praedicatur in quale de omnibus illis, de quibus species praedicatur in quid, quod constat esse medium longe diversum ab eo, quod tangitur in argumento. Dices, si respectu speciei est praedicatum, ergo alicujus praedicabilis est praedicatum, atque ideo in ordine ad illam erit praedicabile. Resp. esse utique alicujus praedicabilis praedicatum; sed non per talem comparisonem est praedicabile, sicut species subiectionibus respectu generis est universalis, sed non per talem comparisonem. Ad 2. constat ex dictis nuper in 3. conclusario, qua ratione proprium generis est etiam proprium specierum in quarto modo: vocat autem Porph. ibidem proprium hominis in secundo modo, non in quarto, quia in quarto posuit tantum proprium specificum, unde si proprium in quarto modo paulo latius fumatur, proprium secundi modi ad illud attinget. Dices, quomodo potest dici proprium specierum, si est illis commune? Resp. eandem esse difficultatem de proprio specifico, igitur, quod est proprium alicujus naturae, licet dicatur commune omnibus inferioribus illius, adhuc tamen etiam respectu illorum dici potest proprium, non quidem ut proprium distinguitur contra commune, sed contra extraneum, quatenus ejus communitas non est ad extraneam, sed ad inferiora ejusdem naturae. Ad 3. neg. consequ. quia licet sint eadem subiectionibus materialiter, non tamen formaliter, quia generi, & speciei subiectionibus in quid, proprio in quale: alia argumenta contra hoc solvi possunt ex dictis in simili superius de differentia.

192 **U**T manus extrema huic imponatur disputationi de Universalibus in particulari, remanet hoc ultimo loco agendum de accidente; & quidem rationabiliter, ut pote, quod est omnino extra essentiam illorum, de quibus prædicatur, & mere contingenter illis tribuitur, & duobus pariter articulis rem expediemus.

ARTICULUS I.

An Accidente possit ratione universalis, & ut tale definitur a Porphyrio, & recte.

Non est hic quæstio de accidente respectu suorum inferiorum, ut de colore respectu albedinis, & nigredinis, & de albedine respectu huius, & illius albedinis, quia fatentur omnes in ordine ad illa habere rationem generis, vel speciei; sed quæstio est de accidente in ordine ad sua subiecta, respectu quorum proprie dicitur accidens, id est de albedine ver. grat. in ordine ad nivem, & lac; cum enim in concreto sumpta possit vere de subiectis, quibus accidit, prædicari accidentaliter (nam in abstracto potest tantum de suis inferioribus prædicari essentialiter, ut hæc albedo est albedo) quæritur, an cum de pluribus prædicatur homo, ingerat novam universalitatem distinctam a quatuor jam declaratis. Recentiores nonnulli arbitrantur ab ipsis stare rotam Græcorum catervam, ut diximus disp. 4. q. 5. negantur accidens esse vere universale, quibus favet Suar. disp. 6. Met. sect. 4. n. 4. ubi ait, proprium, & accidens non esse proprie universalis, quia propria unitas universalis est respectu eorum, quæ sub illa essentialiter continentur.

193 Dicendum tamen est cum communi, accidens quomodo prædicabile esse vere, & proprie universale. Ita Doctor q. 34. Univerf. deducitur, & probatur ex dictis loco citato d. 4. q. 5. nam de essentia universalis est, quod sit unum in multis cum sui multiplicatione, præcendendo ab hoc, quod sit essentialiter in illis multis, vel accidentaliter, sed accidens in concreto sumptum est unum in pluribus subiectis, quia Petrus est albus, Paulus est albus, & cum sui multiplicatione, nam non habet idem esse album a parte rei Petrus, & Paulus, ergo accidens est essentialiter universale, licet non sit universale essentialiter, quia quibus convenit, accidentaliter convenit, & non essentialiter. Conf. quia accidens hoc modo sumptum scilicet in concreto respectu suorum subiectorum habet, quicquid requiritur ad rationem universalis, unitatem scilicet & multiplicationem in pluribus, habet unitatem per abstractionem in pluribus, habet unitatem per abstractionem intellectus, quando nempe abstrahit naturam albedinis, non solum ab hac, & illa albedine, sed etiam ab hoc, & illo subiecto albo, unde album in communi, ut spectat ad hoc universale, non solum dicit naturam albedinis præcendendo ab hac, & illa albedine, sed etiam connotat subiectum in communi præcendendo a singulis subiectis in particulari; habet etiam communitatem cum sui multiplicatione, quia album sic abstractum concipitur contrahi, ac dividi in plura alba eo modo, quo supra diximus de divisione universalis per differentias, ergo &c.

194 Obic. 1. de ratione universalis est quod includatur in sibi subiectis essentialiter, & identificetur cum illis, unde prædicatio naturæ de inferioribus, vel est quadam identitas rationis unius naturæ cum pluribus, vel illam aliquo modo præsupponit a parte rei; cum ergo accidens non ita se habeat in ordine ad subiecta, quibus accidit, sane respectu eorum universale non erit. Resp. neg. assumptum, ut enim constat ex dictis d. 4. q. 6. non est de ratione universalis, quod prædicetur de pluribus in quid, & essentialiter, cum nihil tale ponatur in eius definitione, sed sufficit etiam, quod prædicetur denominative, dummodo ratio prædicans sit in se una; nec minus requiritur identitas realis naturæ cum pluribus, in quibus est, sed sufficit etiam identitas quadam accidentaliter, seu qualicumque concretio naturæ ad illa, unde sicut in prædicationibus essentialibus intellectus prædicando identificat naturam unam cum pluribus inferioribus essentialiter, est in re non fit eadem in illis per inexistenciam, in accidentalibus identificat, seu potius unit naturam albedinis cum pluribus subiectis, licet a parte rei in illis non sit una, & eadem albedo, non solum unitate numerali, sed nec etiam unitate minori, per inexistenciam, sed tantum per indifferentiam.

195 Secundo si accidens haberet rationem universalis in ordine ad plura subiecta, quibus inesse potest, sequitur dari posse universale a parte rei, casu quo poneretur a Deo idem accidens in pluribus subiectis. Resp. communitate neg. seq. quia universale dicitur esse in multis per sui multiplicationem, & divisionem, at in casu accidens non diceretur de pluribus per sui multiplicationem, sed potius idem numero individuum diceretur de pluribus per solam sui replicationem. Hæc est communis solutio, qua nos quoque interdum usi sumus. At sane non videtur plene satisfacere, quia

in eo casu essent plura alba, quod male negat hic Blanc. cum ad multiplicationem concretorum accidentalium sufficiat sola subiectorum multiplicatio ex d. 2. q. 6. art. 2. & tunc vere ab illis abstrahi possit ratio communis albi, nempe subiecti habentis albedinem, quæ ratio multiplicaretur in illis, quia vere essent plura habentia albedinem, non tamen hinc sequitur dari universale a parte rei, quia quod est universale, non est albedo, sed album; album autem non est unum a parte rei, sed multiplex. Attamen si vis communi adhaerere solutioni, dicere oportebit, quod esto illa sint plura alba, album tamen non est universale respectu illorum, quia essent plura alba præcise ob solam multiplicationem subiectorum, non autem albedinis in illis, quod tamen necessarium esset, quia forma ipsa accidentaliter est, quæ importatur per concretum huius universalis; subiectum vero, quod est habens illam, solum connotatur, & ideo non videtur posse habere rationem universalis respectu illorum plurium, esto multiplicetur in eis, quia multiplicatur ut connotatum, non ut principale significatum.

196 Tertio universale potest prædicari de multis, antequam a parte rei existat in multis, sed in accidenti convenire nequit, ergo &c. Prob. mai. quia in natura sufficit, quod præcedat aptitudo pluribus effendi, vel si illa plura actu requiruntur, sufficit, quod sint per intellectum apprehensa, ut constat ex superioribus dictis; prob. min. quia accidens non potest vere prædicari de subiecto, nisi præsupponitur actuali existentia illius, ut patet ex Summulis, ubi alia prædicari possunt præcendendo ab existentia, & omnis temporis differentia.

Resp. hoc argumentum multos vexasse, sed sine causa, nam facile solvitur dicendo, quod esto exercitium prædicationis accidentaliter de pluribus fieri nequeat sine existentia subiectorum, quibus actualiter insit, ob rationem allatam, tamen ob inharerentiam aptitudinalem, quam habet accidens ad subiecta, etiam possibilia, potest fieri prædicatio aptitudinalis de pluribus, quibus inesse aptum est, quod sufficit ad universalitatem (si illa aptitudo concipiatur ut proxima) nam ex dictis d. 4. q. 2. art. 2. essentia universalis, non tantum consistit in ipsomet actu effendi in multis, sed etiam salvatur in ipsa aptitudine proxima ibi explicata ad effendum in eis; quare hoc erit discrimen inter hoc ultimum universale, & cætera ex alia parte, quod exercitium prædicationis in illis fieri potest vere etiam nullo inferiori existente, at non in accidente; aptitudinalis prædicatio tamen erit vera in omnibus ob aptitudinem naturæ ad effendum in multis sive essentialiter, sive denominative. Urgebis, subiecta non existentia nequeunt ab accidente respici, nisi per modum possibilium, in quibus possibiliter esse potest, sed existentia possibilis non prædicatur accidentaliter, sed essentialiter, & necessario, unde hæc propositio modalis, *Adam possibiliter est albus*, est necessaria, ut constat ex dictis in Summulis, ergo universalitas quinti prædicabilis non bene constituitur in ordine ad subiecta tantum possibilia, sed debent esse existentia. Respond. in prædicationibus aptitudinalibus quinti prædicabilis non possibilitatem, aut existentiam possibilem prædicari de subiectis non existentibus, sic enim concluderet argumentum, sed prædicatur ipsa forma accidentaliter, quæ illis inesse potest contingenter, unde licet sit necessario apta ad effendum in illis, non tamen ad effendum in illis necessario, sed contingenter, & ideo per hanc aptitudinalem prædicationem accidentis de subiectis possibilibus, quibus inesse potest, bene explicatur ejus universalitas, esto exercitium prædicationis requirat realem existentiam subiectorum, ut vera sit.

197 Quarto tandem unumquodque constituitur universale per ordinem ad ea, a quibus abstrahitur, sed album, quod est quintum prædicabile, non abstrahitur a Petro, & Paulo, ut sic, sed quatenus hæc alba, ergo constituitur universale in ordine ad illa, tamquam inferiora, quæ est universaliter essentialis, non tamquam subiecta, ergo non datur universalitas quinti prædicabilis.

Resp. Did. gemina responsione, quarum neutra valet, ut facile constabit eas ponderanti, unde eas referre non curamus; breviter dicendum ad min. quod licet album non abstrahatur a Petro, & Paulo ut sic, quia hoc modo sunt inferiora naturæ humanæ, nec ab ipsis ut formaliter alba, quia hoc modo censetur inferiora albedinis in concreto, abstrahitur tamen ab illis, quatenus sunt denominative alba, & quatenus sunt subiecta ab albedine denominabilia, sic enim conveniunt in albo accidentaliter, & denominative, unde ratione talis convenientiæ poterit ab ipsis, ut sic, album abstrahi, quod quintum universale constituitur.

198 Circa alteram quæstionem partem 10. de S. Thom. quæst. 12. artic. 1. Ruvius quæst. 3. Arriag. disp. 8. sect. 3. cum multis aliis afferunt per definitiones Accidentis a Porphyrio assignatas, quod potest adesse, & abesse sine subiecti corruptione, vel quod potest idem inesse, & non inesse, non definiti secundam intentionem, seu accidens, ut universale formaliter, nam abesse, & non adesse habet accidens ex natura sua a parte rei.

Dicendum tamen est cum communi hic definiti accidens secundo intentionaliter captum, & consequenter in ratione universalis saltem implicite, ita Doctor qu. 34. Univerf. ubi

ubi notat accidens sumi posse primo intentionaliter; ut idem sonat, quod inharerens, vel alteri adiacens, & secundum intentionaliter, quomodo non importat, nisi secundam intentionem, quæ attribuitur alicui, quod sine implicancia potest affirmari, & negari de subiecto, & subdit Porphyrio in hoc tantum sensu hic de accidente loqui. Hinc deinde qu. 35. explicans definitionem præfatam accidentis ait, quod per nomen subiecti intelligitur subiectum prædicationis, & non inharerentis, & illa verba adesse, & abesse hic non capi realiter, & primo intentionaliter, ut sensus sit, inhareret, & non inhareret, afficit & non afficit subiectum præter ipsius subiecti corruptionem, sed intelligi secundo intentionaliter, ut sensus sit, cujus affirmatio, & negatio nihil derogat essentia subiecti, sicut subiecti essentia ex huiusmodi affirmatione, vel negatione non destruitur.

199 Et quidem quod definitio Porphyrio debeat sic intelligi, Probatur, quia consideratio accidentis primo modo sumpti spectat ad Metaph. & est potius consideratio accidentis prædicamentalis, quam prædicabilis, de quo est hic sermo, tum quia si definitio traderetur de accidente reali, tunc divisio accidentis realis in separabile, & inseparabile directe repugnet definitioni, ex vi cuius quodcumque accidens constituitur separabile abque subiecti corruptione; tum tandem prob. ex ipso Porphyrio, qui videns difficultatem, quæ ex accidentibus inseparabilibus contra definitionem oriebatur, respondet præfatam definitionem etiam accidenti inseparabili convenire, quia recte intelligi potest subiectum sine tali accidente, ut Æthiops non niger, imo & albus sine ipsius corruptione, ergo Porphyrio locutus est in definitione de conjunctione accidentis cum subiecto, vel separatione per intellectum, quæ non sunt, nisi per secundam intellectus operationem, illa vero particula, & in definitione posita teneri debet disjunctive, si adesse, & abesse, sumantur pro actu affirmandi, & negandi; si autem sumantur, ut dicunt aptitudinem, quod magis præstat, quia non est de essentia accidentis, quod actu affirmetur vel negetur, sic potest adhuc teneri copulative, sed esto affirmari, & negari sint opposita, non tamen potentia ad illa, quia non est ad illos actus finalis, sed successive.

Explicatur etiam accidens per eam definitionem in ratione quinti universalis, quia ut ait Doct. cit. per totum illud copulatum adesse, & abesse præter subiecti corruptionem insinuat genus, & differentia, nempe prædicari in quale accidentale transmutabiliter; diximus vero explicari in ratione universalis solam implicite; quia non definitur explicite per ordinem ad plura subiecta, ut fieri deberet, ut explicite in ratione universalis describeretur, sed tantum implicite, quatenus per subiectum in communi insinuat hoc, vel illud in particulari, cum quo potest accidens contingenter connecti; & quod diximus de prima definitione, dicatur etiam de secunda, quæ cum ea coincidit.

200 Et hæc definitiones sic explicata per terminos secundæ intentionis tollitur omnis difficultas emergens ex illis accidentibus, quæ vel suo adventu, & præsentia destructionem afferunt subiecto, ut mors viventibus, combustio lignis, calor summus aquæ, & similia, vel absentia sua, ut vivere, calor naturalis, debita temperies animalibus, &c. nam cum dicitur accidens adesse, vel abesse præter subiecti corruptionem, intelligitur quoad essentiam, non quoad existentiam, ut sensus sit, accidens adesse, & abesse, id est affirmari, vel negari de subiecto citra ejus essentia præjudicium, & in hoc sensu verum est essentiam hominis integre concipi posse sine vita, & sub opposito ejus, quia neutrum spectat ab hominis essentia, nec mors opponitur essentia rei, sed existentia. At hic urget difficultas de morte, quia quando prædicatur de animali, tollit ab eo prædicatum essentialiter, quod est vivens, ergo non potest affirmari, & negari integra manente hominis essentia. Resp. hic sine causa trepidare Auctores Cajet. Sor. Sanchez. Complut. Masium, & alios recurrendo ad varias solutiones, quas refert, & rejicit Fuentes quæst. 11. diff. 1. art. 2. & ipse tandem respondet, quod cum definitio sit intelligenda de absentia, & præsentia intentionaliter, sufficit quod subiectum possit intelligi sine contradictione sub vita, & sub opposito ejus, scilicet morte. Sed nec ipse difficultatem solvit, hoc enim probat argumentum non posse concipi hominem sine contradictione sub opposito vitæ, quia vivens est prædicatum essentialiter ejus. Facile tamen respondetur, quod vivens potest sumi dupliciter, vel verbaliter, seu participialiter, ut dicit actum, vel nominaliter, ut dicit aptitudinem, & absolvitur a tempore; primo modo est prædicatum contingens, & ei ut sic mors opponitur, non autem opponitur ei secundo modo, quo pacto est prædicatum essentialiter, & solutio innuitur a Tatar. quæst. ultima prædicab. dub. 3.

201 Denique sic explicata definitio convenit omni definito; quia secundæ intentiones dicuntur accidentia primarum, & adfunt, vel absunt præter earum corruptionem hoc modo, convenit etiam terminis subalternabilibus, dum aliis accidunt, ut patet art. seq. hoc autem dici non potest, si explicaretur de inharerentia reali, quia hæc nec entibus rationis convenit, nec substantiis; salvatur etiam hoc modo discrimen inter accidens prædicamentale, & prædicabile, quod accidens primi generis contraponitur sub-

stantiæ, & stat pro accidente inharerente; accidens vero prædicabile contradistinguitur, & prædicato essentiali, & sic quicquid non convenit essentialiter, dicitur accidens prædicabile, sive sit aliquid reale, sive rationis, sive inharerens, sive subsistens, quo sensu dicimus hanc esse per accidens animal est homo, quatenus inferius semper accidit superiori prædicabiliter. Hoc autem discrimen penitus ruit iuxta primam sententiam, quia si accidens prædicabile, de quo hic agitur, constituitur, & definitur per inharerentiam realem, non remanet unde distinguatur a prædicamentali, quod etiam per realem inharerentiam constituitur.

Sed obicies 1. quod si definitio intelligitur de separatione per intellectum, ergo nullum erit accidens inseparabile. Resp. neg. conseq. erit enim accidens inseparabile realiter, de qua separatione loquitur Porphyrio, cum dividit accidens in separabile, & inseparabile. Dices, si dividit accidens reale, ergo illud ipsum definit, quia eodem modo sumitur accidens in definitione, & divisione. Neg. conseq. cum ejus Prob. Porphyrio enim definit accidens intentionale, & postea consulto dividit reale, tum ut facilius possemus eam intelligere definitionem, quomodo scilicet accidens possit negari de subiecto, cum datur aliqua inseparabilia, subdit enim, quod sunt inseparabilia realiter, separabilia tamen per intellectum; tum quia ut magis explicaret accidens secundo intentionaliter captum, assignavit statim subiecta realia; quæ a tali intentione denominari possunt, quod etiam in aliis observavit universalibus, dum explicavit eorum definitiones per naturas reales.

202 Secundo definitio sic explicata etiam conveniret proprio, quod saltem per intellectum separari potest a subiecto. Neg. conseq. licet enim proprium possit a subiecto præcendi per primam operationem, non tamen sine mendacio separari potest per secundam, negando ipsum de subiecto, vel oppositum affirmando; quod fieri potest de accidente etiam inseparabili, ut ait Porphyrio, & ratio huius patet ex dictis q. præced. Dices, tam falsa est negatio accidentis inseparabilis de subiecto, quam propria de Natura. Neg. paritas, nam dicendo *corvus non est niger*, propositio est falsa, quia secundum communem naturæ cursum omnis corvus est niger, at dicendo *homo non est risibilis*, est falsa, quia implicat ejus separatio, etiam de potentia absoluta, unde in majori gradu falsitatis hæc propositio reperitur, quam illa, ita ex Scot. q. 35. in fine. Accedit, quod quamvis rebus sit stantibus illa sit falsa, *corvus non est niger*, tamen si id dicatur, nihil dicitur contra essentiam corvi, imo si faciat hunc sensum, nigredo non est de essentia corvi, neque cum ejus principii necessario connexa, propositio erit vera. Arriag. cit. ac etiam Ovid. hic arguit contra hanc communem solutionem ostendens, quod esto valet de proprio realiter indistincto a subiecto, ut est risibile, non tamen de eo, quod realiter distinguitur. Sed cum nos nullum tale admittamus proprium, non urget argumentum: curent, qui talia propria admittunt.

Tertio arguit Jo. de S. Thom. id, quod explicant istæ definitiones, invenitur etiam in accidenti singulari, quia adesse, & abesse a subiecto convenit etiam accidenti individualiter accepto, sed quicquid invenitur in singularibus, & ad illa descendit, non pertinet ad intentionem universalitatis, quia hæc non descendit ad singularia, ergo hic prima intentio accidentis definitur, non secunda. Resp. quod explicant definitiones accidentis in communi invenitur etiam in quolibet accidenti in particulari secundo intentionaliter capto, quatenus scilicet hæc, & illa reali accidenti applicata sunt individua accidentalitatis in communi, & hoc modo non inconvenient, imo opus est, universalitatem ad sua inferiora descendere.

203 Quæres, an præfata accidentis definitio possit explicari de accidente reali, ita quod ly *adest*, & *abest* intelligatur de reali præsentia, & absentia. Ratio difficultatis est, quam movit Porphyrio ipse, quia nimirum tunc ista definitio non videtur posse competere accidentibus inseparabilibus. Resp. quod si *adest*, & *abest* sumatur pro inharere, & non inharere, nullo modo applicari potest accidenti reali, de quo hic est sermo, & est fundamentum universalitatis huius, quia inharere, & non inharere convenit soli accidenti prædicamentali, at non solum accidens prædicamentale, sed etiam substantia hanc universalitatem fundare potest, ut mox dicemus; si autem adesse, & abesse dicat contingenter convenire, & circa ullam essentia rei existentiam, sic applicari potest etiam accidenti reali non tantum separabili, sed etiam inseparabili, quia talis inseparabilitas non spectatur ex principii essentia rei, sed ex principii individualibus, unde cum hoc, quod sit necessitudo connexum cum individuo, stat semper, quod sit contingenter connexum cum ejus essentia, respectu cuius omnes accidentis dici poterit separabile; itaque potest tam de finitio, quam divisio accidenti reali applicari, ita quod adesse, & abesse sine subiecti corruptione attendatur respectu quidditatis, esse vero separabile, & inseparabile attendatur respectu subiecti ex parte individuationis.

ARTICULUS II.

Quibus naturis conveniat universalitas accidentis,
& respectu quorum.

204 Quamplures afferunt, universalitatem quinti prædicabilis fundari solum super accidens commune, quod a substantia condistinguitur, ita significavit Burleus hic, quem sequitur Tolet. cap. de accidente dub. 1. Amic. ibid. q. 1. & ex nostris Anglic. q. 31. & Brasavol. in q. 34. Univers.

Dicendum tamen est, universalitatem quinti prædicabilis fundari posse supra quodcumque prædicatum contingenter conveniens alteri, sive illud sit prædicatum substantiale, sive accidens prædicamentale. Ita Scot. in 3. d. 7. q. 1. ubi Lichet. Idem D. Th. 1. Post. 9. & 1. Top. 4. c. & est communiter receptum; Probatur autem. Tum quia hic definitur accidens prædicabile, non prædicamentale, sed sub eo etiam substantia continetur, quatenus potest de alio per accidens prædicari, ergo &c. Tum quia numerus prædicabilium non sumitur ex varietate rerum, quæ prædicantur, sed ex varietate modi, quo prædicatum cum subiecto connectitur; sed prædicata substantialia possunt alteri contingenter convenire non minus, quam accidentia, ergo poterunt ipsa quoque hanc universalitatem fundare; Prob. min. forma enim substantialis afficit materiam, & de ea prædicatur, non in quid, sed denominative, & in quale, dicimus enim materiam esse informatam, corpus esse animatum, loquendo de corpore pro altera parte, ut docet Doctor 1. disputat. 8. quæst. 4. X. & quol. 3. O. item homo denominatur vestitus a vestibus, vas deauratum ab auro, & e contra solet forma ab ipsa materia denominari dicendo, hæc corona est aurea, cathedra est lignea, vas argenteum, quæ omnes prædicationes ad quintum prædicabile spectant, quia aureum, & argenteum contrahunt figuram coronæ, vel vas, quæ de se indifferens erat, ut esset lignea, vel lapidea, atque ita se habet respectu figuræ per modum formæ: nec ad prædicationem quinti universalis requiritur inhærentia in alio, sed sola convenientia contingens.

205 Respondet Tolet. in illis prædicationibus non prædicari substantiam auri, vel argenti de vase, & corona, sed tantum respectum vas, vel coronæ ad aurum, vel argentum, ex quibus constata sunt, qui respectus est accidens spectans ad prædicamentum habitus, sicut enim vas esse album est habere albedinem, ut ibi docet Auctor sex princ. ita esse aureum, vel deauratum est habere aurum circumstantans, vel tanquam materiam sui, unde inquit has prædicationes, vas est deauratum, homo est vestitus, æquivalere illis, homo est habens vestes, vas est habens aurum, in quibus solum ille respectus habitationis prædicatur de subiecto, non vero vestis, vel aurum. At si hæc solutio valet, sequitur, nullum accidens prædicari de subiecto, sed tantum illum respectum habitationis de prædicamento habitus; Prob. seq. nam corpus esse quantum, esse album, est habere quantitatem, & albedinem, &c. Si dicas, in his prædicationibus, quod formaliter prædicatur, esse illa accidentia, quia sumuntur in concreto, quando vero resolvuntur in illas, corpus est habens quantitatem, est habens albedinem, quod formaliter prædicatur, esse illum respectum habitationis, non autem accidentia quantitatis, & albedinis, quia sumuntur in abstracto, & in obliquo. Sic nos dicemus in proposito, quod cum dicitur, homo est vestitus, corona est aurea, quod formaliter prædicatur, est vestis, & aurum adjective sumpta, & per modum formæ accidentalis, licet in aliis prædicationibus, in quas resolvuntur, scilicet homo est habens vestem, id, quod formaliter prædicatur, sit ille respectus habitationis.

Alii fatentur, has prædicationes esse utique accidentales, non tamen quinti prædicabilis, quia esse aureum, vel argenteum dicit tantum partem materialem compositi artificialis, ut autem sit quinti prædicabilis, debet aliquo modo dicere totum compositum. Sed hoc nihil est, quia pars illa prædicatur per modum totius in concreto, & adjective, ac mere contingenter, atque ideo similes prædicationes spectant ad hoc quintum prædicabile, sensus enim earum est, vas est fabricatum in argenti materia, corona est fabricata in materia auri, esse autem ex tali, vel tali materia est accidentale vas, & coronæ. Maneat ergo, substantiam posse fundare modum prædicandi quinti universalis, nam adhuc habemus exempla magis obvia, in quibus non videtur afferri posse instantia, quæ valeat, cum dicimus, animal est bono, animal est rationale, hic enim quod prædicatur, substantia est, modus prædicandi accidentalis, & contingens est, quia inferiora, & differentia accidentum superioribus.

206 Sed objicit 2. id non esse de mente Dorph. qui attulit exempla de accidente prædicamentali; & cum agit de communitatibus universalium, multa tribuit accidenti quinti prædicabili, quæ substantiæ repugnant. Nec etiam de mente Scoti, nam loc. c. 3. d. 7. videtur dicere, quod de facto nihil, quod est in prædicamento substantiæ, fundat habitudinem accidentis, quod est quintum prædicabile,

Resp. Porph. afferre exempla de accidente ipso prædicamentali, & multa dicere, quæ ipsi soli conveniunt, quia modus prædicandi quinti universalis magis prædicatur in illo, quam in substantia, adeo quod vulgariter illi soli convenire censetur, nullibi tamen negavit, posse etiam convenire substantiæ. Et quamvis Doctor ita loquatur loc. cit. tamen infra subdit, quod non est de ratione accidentis, ut est quintum universale, applicari præcise primæ intentioni, quæ a Metaph. dicitur accidens, imo quod forte ita est de facto, & licet utatur particula dubitativa, de sententia tamen Doctoris dubitari non potest, cum frequenter alibi dicat prædicationem formæ substantialis de subiecto esse accidentalem, & denominativam.

Deinde arguitur ratione; tum quia ut ait Anglicus, quod vere est, nulli accidit ex Arist. 1. Phys. ergo cum substantia nulli accidat, de nullo prædicari potest per modum accidentis; tum quia ut ait Brasavol. quod prædicatur per modum quinti universalis, debet habere rationem informatam, & inhærentis respectu subiecti actualiter, vel saltem aptitudinaliter, quia prædicatio accidentis de subiecto est solum vera per inhærentiam, sed hoc repugnat substantiæ, ergo &c. tum tandem quia modus prædicandi sequitur modum essendi, sed substantia, & accidentis differunt in modo essendi, ergo & in modo prædicandi.

Resp. esse quidem de ratione accidentis prædicamentalis, quod semper respiciat subiectum inhærentis actualiter, vel saltem aptitudinaliter, non tamen de ratione accidentis prædicabilis, cuius tantum est respicere subiectum prædicationis mere per accidens, unde diximus, *adesse*, & *abesse* in definitione accidentis non sumi pro inhærenti, vel non inhærenti, sed pro affirmari, vel negari de subiecto absque ejus destructione, unde ratio Anglici nil aliud prædicat, nisi quod substantia nequit accidere metaphysice, non autem quod nequeat accidere logice; & Brasavol. falsum assumit, quod accidens prædicabile tale dicatur per ordinem ad subiectum inhærentis, ut bene notavit Lichet. cit. 3. d. 7. q. 1. Ad 3. neg. absolute maior, modus enim prædicandi non sequitur absolute modum essendi, sed ut substat nostro concipiendi modo, & secundum habitudinem, quam habet ad subiectum, alioquin tot essent prædicabilia, quot prædicamenta.

207 Circa alteram quæsti partem, certum est ex dictis art. præced. accidens constitui quintum universale, non in ordine ad inferiora sua, in quibus quidditative includitur, sed respectu subiectorum, quibus mere contingenter advenit, quare quantum ad hoc nihil addendum est. Est solum aliqua difficultas, an hæc subiecta, respectu quorum constituitur quintum universale, debeant esse solo numero differentia, ita ut respectu specierum plurimum dari nequeat accidens genericum, sed solum respectu individuum accidens specificum, ita enim asseverant aliqui, inter quos videatur Sanch. quæst. 80. unde nolunt album dici prædicabile quintum respectu Cigni, nivis, & lactis, sed proprie respectu hujus hominis, hujus nivis, hujus lactis.

Dicendum tamen est cum communi posse constitui accidens quintum prædicabile in ordine ad subiecta, nedum numero, sed etiam specie diversa, atque adeo dari accidens genericum, & specificum. Probatur evidenter, quia dantur accidentia quædam, quæ non solum communia sunt pluribus individuis, sed etiam pluribus generibus, & speciebus, & de his omnibus prædicatur accidens commune modo ab omnibus aliis prædicabilibus diverso, & eodem modo prædicatur de illis, scilicet in quale accidentale transmutabiliter. Resp. quod licet eodem modo prædicetur in hoc sensu de individuis & speciebus, quibus convenit, attamen de individuis solum prædicatur immediate, de speciebus vero mediate, scilicet mediantibus individuis, quæ sunt propria accidentium subiecta, unde Arist. c. de subst. ait. individua magis substare, quam genera, & species, quia substant ipsi generibus, & speciebus, & etiam accidentibus, quibus non substant genera, & species, nisi quatenus sunt in ipsis individuis, unde homo intantum dicitur albus, in quantum hic, vel ille homo est albus, & ideo cum accidens non prædicetur immediate de pluribus speciebus, non poterit respectu illorum dici quintum prædicabile.

208 At certe hoc non obstat, quin etiam respectu specierum dici possit quintum prædicabile; tum quia licet subiectum inhærentis accidentium realium proprie sit individuum, ut ait Arist. cit. c. de subst. species tamen esse potest subiectum prædicationis accidentalis, quod sufficit, ut sit subiectibile hujus quinti universalis; tum quia, ut constat ex dictis, non est de ratione universalis, quod prædicetur immediate de pluribus, cum nullum tale ponatur in ejus definitione; tum etiam quia prædicatur mediate de specie mediatione causæ, vel subiecti, non autem mediatione modi prædicandi sic, quod inter ipsum, & species mediet aliquid, quod habeat talem modum prædicandi respectu illarum, talis autem medietas non impedit aliquid esse prædicabile proprie sumptum, alioquin nec differentia, nec proprium essent vere prædicabilia, quia prædicantur de individuis mediante specie, & de speciebus mediante genere, tum tandem, quia sunt aliqua accidentia rationis, quæ prædicantur immediate de naturis communi-

bus, ut cum dicimus, homo est species, animal est genus, istæ enim prædicationes, & similes sunt quinti prædicabilis; & competunt homini, & animali, non ut quædam naturæ singulares sunt, ut voluit Sanch. cit. sed proprie, ut sunt naturæ communes ab individuis condistinguitæ. Igitur ad summum individua erunt terminus proximus istius prædicabilis, non autem adæquatus, sed subiectibile adæquatum erit quodcumque subiectum, cum quo accidens contingenter habet connexionem, sive illud sit genus, sive species, sive individuum, hæc enim differentia subiectibilium mere materialiter se habet quoad modum prædicandi, quem accidens exercet respectu illorum, unde Porph. cap. ult. etiam dixit accidens prædicari de pluribus specie differentibus, per quod significat se in quinto prædicabili agnovisse non tantum universale specificum, sed etiam genericum.

209 Quæres, an Accidens quintum prædicabile sit species infima universalis. Poncius negat disp. 9. Log. nu. 9. consequenter ad dicta ab eodem disp. 1. num. 111. quod probat, quia accidens separabile naturaliter, ut albedo respectu muri, & accidens inseparabile naturaliter, ut nigredo respectu corvi, distinguuntur in prædicabilitate plusquam duo accidentia separabilia, ergo differunt specie in prædicabilitate. Tum quia proprium est prædicabile distinctæ speciei ab accidente communi quinti prædicabilis, eo quia prædicatur per modum alicujus necessario convenientis suis inferioribus, accidens vero prædicatur per modum contingenter convenientis; ergo illud accidens quod prædicatur per modum ita convenientis contingenter, ut nequeat naturaliter separari, & illud quod prædicatur per modum ita contingenter convenientis, ut possit naturaliter separari, erunt distinctæ speciei. Tum deinde, quia accidentia inseparabilia emanant aliquo modo a subiectis suis, & connaturaliter exiguntur ab ipsis, alia vero accidentia separabilia non ita emanant, nec ita connaturaliter exiguntur, ergo alio modo conveniunt subiectis, & consequenter diverso modo sunt prædicabilia de ipsis. Cæterum consequenter a dicta superius disputat. 4. quæst. 6. num. 108. & disp. 5. quæst. 1. artic. 4. num. 58. oppositum tenendum est cum Doctore quæst. 9. Univers. ubi docet quinque species Univers. a Porphyrio assignatas esse infimas; & hoc præsertim de accidente asserendum est, quia sive sit separabile, sive inseparabile, semper tamen subiecto contingenter unitur, neque ad ejus essentiam ullo modo spectat nec in primo, nec in secundo modo dicendi per se; Parum vero refert, quod accidens subiecto unitur separabiliter, vel inseparabiliter, quia non omnes modi variant per se rationem prædicabilis, alioquin nimis multiplicarentur species prædicabilium, sed illi tantum essentialiter, & accidentaliter se habent per modum quædam, vel qualis, necessario, & contingenter. Conf. quia sicut modus concludendi contingenter, vel necessario variat essentialiter speciem syllogismi, quando enim concluditur ex principis necessariis constituitur syllogismus demonstrativus, quando vero concluditur ex contingentibus fit syllogismus probabilis, qui specie differunt, sic in proposito

modi prædicandi necessario, & contingenter sunt modi prædicandi essentialiter distincti, quia contingens, & necessarium essentialiter opponuntur, hæc autem ratio non æque militat de modis prædicandi separabiliter, & inseparabiliter, quia inseparabilitas accidentis a subiecto infert solum necessitatem physicam, & naturalem connexionis ejus cum subiecto, non vero metaphysicam, vel logicam, quæ sola constituit modum prædicandi necessario essentialiter distinctum a modo prædicandi contingenter. Conf. adhuc, & amplius declaratur, quia sive accidens sit separabile, sive inseparabile naturaliter a subiecto, semper unitur contingenter cum eo, ut contingentia excludit necessitatem metaphysicam, & logicam, unde separabilitas, & inseparabilitas accidentis infert solum majorem, vel minorem contingentiam oppositam necessitati logicæ, & metaphysicæ, sed magis, & minus intra eandem lineam non variant speciem, ergo &c.

Hinc facile occurritur rationibus Poncii in oppositum adductis. Ad 1. dicendum illam diversitatem prædicandi separabiliter, & inseparabiliter non esse nisi accidentalem, nec illum modum arguendi semper tenere; non enim valet arguere masculus, & femina distinguuntur plusquam duo masculi, ergo distinguuntur specie; linea palmaris, & bipalmaris distinguuntur plusquam duæ lineæ palmares inter se, ergo distinguuntur specie, quia talis diversitas est solum accidentalitas intra eandem speciem essentialem. Ad 2. negatur paritas ob rationes allatas, nam sicut ex diversitate materiæ contingentis, vel necessariæ resultat differentia essentialis in syllogismo ex hac, vel illa constituto, ita ex diversitate ejusdem materiæ resultat potest differentia essentialis in prædicabili, quod constituitur ex prædicato conveniente subiecto contingenter, vel necessario; non autem conveniente subiecto magis, vel minus contingenter, quia magis, vel minus non variant speciem; sicuti a pari, si fierent duo syllogismi, quorum unus constaret ex propositionibus contingentibus, in quibus prædicatum conveniret subiecto separabiliter etiam naturaliter, alter vero ex propositionibus contingentibus, in quibus prædicatum conveniret subiecto separabiliter solum supernaturaliter, non specie inter se differrent, sed adhuc ambo essent syllogismi probabiles, & ejusdem speciei, solum ex aliqua conditione accidentaliter differentes. Ad 3. licet accidentia inseparabilia emanent aliquo modo a subiectis suis, & connaturaliter exigantur ab eis, ea tamen exigentia talis non est, ut inferat necessitatem connexionis cum eis metaphysicam, & logicam, quæ sola constituit modum prædicandi necessario essentialiter distinctum a modo prædicandi contingenter, sed solum infert majorem, vel minorem contingentiam; & ideo illa alietas convenienti subiectis, & prædicandi de ipsis, est solum accidentalitas, non vero essentialis. Verum est a nonnullis Scotistis oppositum teneri, quod nimirum species universalium non sunt infimæ, sed quia alia opinio inter Scotistas est communior, & Doctori conformior, illi libenter acquiescimus, & præsertim quia pro opposita sententia convincens ratio non apparet.

DISPUTATIO SEXTA.

De Prædicamentis in Communi, seu Antepredicamentis.

Arist. *sue Peripatetica doctrina ab hoc libro de predicamentis, seu de decem Categoriis inscripto sumptis exordium: in quo de Prædicamentis agit, non quidem materialiter acceptis, & pro substrato, quomodo dicuntur in predicamento reponibiles, ut sic enim ad Metaph. spectant, sed formaliter sumptis, quo sensu significant res, ut ordinatas ad invicem, & connexas secundum debitam subjectionem, & prædicationem, siue coordinationes illas in ratione prædicabilis, & subiectibilis, & ut sic quid rationis dicunt, scilicet relationes ordinis inter superiora, & inferiora, prædicationes enim quamvis habeant fundamentum in rebus, formaliter tamen sunt ab intellectu; in hoc quoque sensu pertinent ad Logicum, ut docet Scotus quæst. 2. prædicam. nam Logici munus est coordinare naturas superiores, & inferiores, ut sciamus, quid rite de aliquo affirmare possimus, vel negare. Tum quia liber iste valde confert ad trium operationum intellectus directionem; etenim ne promiscue intellectus res apprehenderet, ad rite affirmandum, vel negandum, & ad rite discernendum, nil utilius tractatu isto excogitari poterat, in quo tanta rerum diversitas ad decem capita, seu suprema genera revocatur, naturæ communiores supra minus communes infra collocantur, & tandem scientis recte iudicare, sciimus consequenter recte deducere, & inferre.*

In hoc tractatu ut de subiecto non agitur de vocibus, vel de rebus, ut notat Boetius quæst. 1. prædicam. sed de aliquo intentionali, quia subiectum per se consideratum in aliqua parte scientiæ debet habere attributionem ad totale, & adequatum, quod in Logica Arist. est quid intentionale, non reale ex dictis quæst. Proem. Et quamvis multa, quæ vocibus, vel rebus conveniunt, explicaverit Arist. non arget, quia de illis agit, ut sicut significativa intentionum, de ipsis ut fundamentarum naturam investigare, ut iuxta ejus exigentiam prædicationes exercentur. Hoc vero intentionale non est universale, ordinabile in genere, neque modus prædicandi, quia ordinabilitas, quæ est passio, convenit aliis, puta individuis, & subiectibilibus, quæ per se ordinantur in predicamento ex Scot. 3. d. 22. B. & 2. d. 3. q. 4. D. & hic per se considerantur, cum de ipsis demonstrantur passiones, ut de prima substantia significare hoc aliquid non esse in subiecto, nec dici de subiecto. Erit igitur subiectum hic prædicamentum in communi, ut dicitur rationem quamdam, quæ aliqua ordinantur secundum subiecti, & prædicari; ratio est, quia præsupponitur quid, & quia, dum hic liber de prædicamentis inscribitur, demonstrantur passiones de ipso, nam ut ait Scot. cit. & qu. 7. Univers. quando aliquod subiectum paucas habet passiones, sufficit, ut de suis inferioribus demonstrantur non primo, eo enim ipso de subiecto in communi primo demonstrantur, nec committitur error, quia non demonstrantur de inferioribus, ut de adequatis subiectis: & tandem omnia hic considerata sub ratione prædicandi, & subiecti traduntur, quæ est prædicamenti ratio, & in gratiam ipsius, vel ut partes subiectivæ, ut prædicamenta, vel ut necessaria ad ipsius intelligentiam, ut antepredicamenta, & postpredicamenta.

Quapropter in tres partes principales dividitur tractatus iste, prima vocatur de antepredicamentis, in qua de quibusdam agit necessariis ad collocationem, & ordinationem rerum in predicamentis pertinentibus, & talia sunt tres definitiones, univocorum scilicet, æquivocorum, & denominativorum, duas divisiones, & duas regulas. Secunda pars dicitur de Prædicamentis, quæ decem enumerantur. Tertia de postpredicamentis, quæ sunt modi quidam, & vel ad omnia, vel ad aliqua prædicamenta consequuntur. Hæc Disputatio correspondet primæ parti; & quia de Univocis, Æquivocis, & Denominativis satis vidimus disputat. 2. quæst. 4. 5. & 6. solum hic de his, quæ ad ipsa Prædicamenta in Communi, & regulis eorum, quæ in Prædicamento reponuntur, agemus.

QUESTIO PRIMA.

Quos sunt Prædicamenta.



Prædicamentum, ut ex præfatione disp. constat, est quoddam artificiosum opus ab intellectu formatum, & constructum ex naturis rerum in eerta, & determinata serie collectarum secundum dispositionem superioritatis, & subiectibilitatis cum fundamento in re, in quo artificiosum velut fundamentum totius structure sunt individua, mox species specialissima, deinde genera subalterna, si ad sunt (non enim est de ratione prædicamenti, quod dicitur talia genera, ut notat Scot. 1. disp. 8. quæst. 3. O.) tandem est genus generalissimum, quod tanquam rectum, & supremum se habet in illa rerum collectione, ut nullum supra se tanquam genus respiciat; hinc oritur quæstio, quos sint hujusmodi prædicamenta, in quibus tanquam in determinatis mansionibus res Universi collocantur, & habitant.

Plato in Sophista unum posuit prædicamentum scilicet ens; Xenocrates, & Andronicus duo, substantiam, & accidens; alii tria statuerunt, substantiam creatam, substantiam increatam, & accidens, vel secundum alios substantiam, accidens absolutum, & accidens relativum; alii, quatuor esse dixerunt, substantiam, quantitatem, qualitatem, & relationem, cætera vero improprie dici prædicamenta, citatur Fons. 5. Met. c. 7. q. 8. sect. 3. Ammon. in prædicam. cap. de art. Pavestus disp. 1. Met. c. 27. & d. 2. c. 17. Alii quinque scilicet, essentiam, idem, alterum, statum, & motum, ita quidam Platonicæ. Alii sex enumerant, substantiam, quantitatem, qualitatem, relationem, ubi, & quid actioni, & passioni commune; quibus alii addunt Quando. Ferchius vestig. 7. enumerat octo. Peripatetici adiungunt Situm, & habitum constituentes numerum denarium: quem numerum excedunt alii ob entia rationis undecimum prædicamentum constituentia, ita quamplures ex nostris, ut vidimus disp. 3. quæst. 7. ad 3. Quidam dicunt accidentalia prædicamenta esse decem, & octo, novem ex terminis abstractis, & novem ex terminis concretis, quibus dantur intelligi termini connotati. Pithagorici tandem viginti assignant, docebant enim duas esse coordinationes rerum, unam determinatorum, indeterminatorum alteram, & in unaquaque istarum ponebant

decem quasi principia; in prima finitum, par, unum, dextrum, masculinum, quiescens, rectum, lumen, bonum, & quadratum; in secunda infinitum, impar, multitudinem, finitum, feminam, motum, obliquum, tenebram, malum, & altera parte longius; quæ ad decem capita reducebant assignando unicuique duo opposita, ut par, & impar, &c.

De numero igitur prædicamentorum ingens fuit controversia, & quamvis communiter utamur numero denario ab Arist. assignato, cujus tamen primus inventor dicitur Architas Tarentinus Pithagoricus, omnes tamen in hoc conveniunt, quod numerus iste denarius efficaci ratione ostendi non potest, ut monet Scotus quæst. 11. prædicam. de quo Iuse Suarez disputat. 39. Met. sect. 2. & Amic. tract. 18. quæst. 4. dub. 5. immo ubique Doctor loquitur de hoc numero, inquit recipiendum esse non ob aliquam efficacem rationem (quicquid dicat Aureol. 1. disp. 30. 1. par. artic. 3. prop. 6.) sed propter Philosophorum veterum auctoritatem; tum quia jam inolevit in Scholis, & evasit famosa divisio, ita quod. 11. art. 4. & 4. d. 13. quæst. 1. C. secutus Authorem sex princip. dicentem, nos istius numeri denarii prædicament. habere fidem, non scientiam, & ideo sæpe sæpius dubitat Doctor de ista divisione, ut loc. cit. & in 4. disp. 10. quæst. 1. K. & 5. Met. qu. 5. & 6. & in com. 5. Met. text. 13. & alibi, idem habet Mayr. passu 8. super prædic.

3 Dicendum, in uno sensu unum dumtaxat prædicamentum debet constitui, in alio sensu plura, vel pauciora ad libitum, ad majorem tamen commoditatem, & faciliorem captum communiter constituentur decem genera. Et quamvis hoc assertum apud antiquos Scholasticos non invenitur, utpote quibus paxillum videbatur in Philosophia negare illa decem esse omnino prima, & suprema genera, & aliud genus admittere supra illa, modo tamen a Recentioribus passim recipitur, ita Hurt. Arriag. & Ovviel. in Metaph. Aversa in Log. quæst. 16. sect. 2. Poncius disp. 11. Log. quæst. 1. & alii passim. Conclusio tres habet partes, probatur, & explicatur simul; Genus generalissimum potest dupliciter sumi: Primo in rigore, prout est ille gradus supremus, & communissimus, qui non habet alium superiorem habentem rationem generis, quo sensu de eo locutus est Porph. & Doctor 1. disp. 8. q. 3. O. alio modo pro gradu generico non simpliciter, & absolute supremo, sed secundum quid, & in aliquo certo ordine, quo sensu videtur locutus Scot. 4. disp. 10. cit. de summis decem

Quæst. I. Quot sint Prædicamenta.

gem generibus, ubi ea vocat decem suprema genera, non quia assignari nequeat gradus adhuc genericus illi superior, sed quia ad ea tanquam ad suprema capita in diversis coordinationibus reduci possunt omnia, & sufficienter evacuant totum ens creatum, imo in hoc sensu etiam locutus videtur ipse Arist. c. ult. antep. dum omnia incompleta ait esse, aut substantiam, aut quantitatem &c. nec illa appellavit genera simpliciter generalissima.

Si ergo generalissimum primo modo sumatur, sic non nisi unum supremum genus statui potest, & consequenter unum prædicamentum, cujus istud sit apex; id autem esse nequit ens transcendenter sumptum commune Deo, & creaturis, ex dictis disp. præc. quæst. 1. art. 2. unde non recte Aversa quæst. 16. sect. hoc putat probabile; & sequitur Poncius cit. num. 13. contra quem plura vide disp. 2. Met. a num. 132. sed istud supremum genus erit ens finitum, quod veluti genus simpliciter summum descendit postea in decem genera, veluti secundum quid suprema, ut clare docuit Scotus citat. 1. d. 8. quæst. 3. N. ibi enim non obscure constituitur ens finitum genus supremum ad decem genera, vel potius in ea descendat ordine quodam scilicet in substantiam, & accidens, & sic deinceps substantia in corpoream, & in incorpoream, accidens in absolutum, & respectivum, hoc in intrinsecus, & extrinsecus adveniens, &c. sic etiam habet quod. 5. in fine. Tum quia ideo Scot. cit. excludit rationem generis ab ente, quia non est conceptus limitatus, sed indifferens ad finitum, & infinitum, ergo cum conceptus entis finiti de se sit limitatus, nulla erit ratio, cur genus non dicatur. Tum quia Scotus 7. Met. quæst. 1. ait, quod si inhærentia accidentis esset de essentia ipsius, quantitas, qualitas, & relatio non forent generalissima, quia cum inhærentia videatur ejusdem rationis in omnibus accidentibus, poterit abstrahi unus conceptus communis dictus in quid de ipsis, qui esset inferior conceptu entis, & superior eis, omnis autem talis (ait ipse) est conceptus generis: quæ ratio magis videtur concludere de conceptu entis finiti respectu decem generum, quia dicitur de eis in quid, & est inferior conceptu entis.

4 Dices, non esse genus, quia non est univocum, sed analogum, cum perfecte non prædicat ad differentias; Sed hoc jam fuit improbatum disp. 2. quæst. 5. art. 2. & 3. ubi ostendimus cum analogia stare univocationem, & dicere conceptum ad differentias prædicum. Dices, ideo ens finitum non esse genus, quia non importat realitatem, sed conceptum, vel si hanc significat, non erit per se potentialis, & per differentias contrahibilis, sed per modos intrinsecos, ad quos non est vere potentialis, cum sit eadem cum illis, ac proinde non est vera contractio; quod insinuare videtur aliqui Scotista, ut Ant. And. 5. Met. quæst. 7. Faber. Theor. q. 7. & 7. Met. disp. 1. c. 1. & disp. 2. c. 1. Hoc tamen est omnino voluntarie dictum, quia tenentur adhuc ostendere, cur, hic conceptus finitus, & limitatus non possit dicere realitatem vere potentialem per differentias contrahibiles, eo vel maxime, quod substantia, & accidens essentialiter differunt inter se, & essentialiter in ente finito conveniunt, ergo cum non sit ens finitum indifferens Deo, & creaturis, nihil videtur ob stare, cur non sit genus. Si dicatur ob stare, nec decem genera in aliqua realitate per differentiam contrahibili conveniant quidditative, ac proinde nec amplius sint primo diversa, nec genera generalissima, jam peritur principium; hoc enim contendimus modo, illa decem genera non esse primo diversa. Si dicatur, conceptum immediate abstrahibilem a decem generibus esse conceptum entis transcendentis, unde ens finitum primo, ac immediate decem genera significet; exploditur facillime, quia conceptus entis finiti est distinctus a conceptu substantia, quantitatatis, &c. ergo est ab eis immediate abstrahibilis; notandum sentit Bargius 1. d. 8. qu. 3. assignans definitionem modi intrinseci, ubi citat Canon. sed de hoc vide rursus disp. 2. Meaphy. quæst. 6. art. 2. a num. 165. & inde, ubi hoc ex professo probatur.

5 Secundo quod sumendo genus generalissimum in secundo sensu, possit duo, vel plura assignari prædicamenta, prob. quia possent primo constitui duo, nempe substantia, & accidens, quia ens finitum immediate dividitur in substantiam, & accidens, quod alteri inherere natum est: ubi per accidens non intelligimus esse in, seu inhærentiam actualem accidentis, ut explicat P. Faber in Met. cit. ut sic enim dicit respectum quandam informationis ab accidente absoluto realiter distinctum, sed intelligimus ens illud, quod immediate a substantia distinguitur, & in quo cætera prædicamenta conveniunt essentialiter, majorem enim convenientiam habet essentia quantitatis cum essentia qualitatibus, vel relationis, quam cum substantia, qui gradus circumscribitur per aptitudinalem inhærentiam. Et certe ridiculum est, quod asserunt Ant. And. & Faber cit. divisionem entis finiti in substantiam, & accidens non esse primo eandem brevius explicatam, quia sub accidente intelliguntur reliqua novem prædicamenta. Nam quam unitatem, & communitatem habet substantia respectu substantiarum, pariter habet accidens respectu accidentium: mul-

la enim disparitas potest assignari, ergo si ens finitum non immediate descendit in substantiam corpoream, & in incorpoream, sed in substantiam utriusque communem, nec etiam immediate descendit in absolutum accidens, & respectivum, sed in accidens utriusque commune: quare si substantia habet rationem generis, etiam accidens in serie accidentium habebit rationem generis supremi.

6 Deinde sicut accidens in communi univoce dicitur de omnibus accidentibus tam absolutis, quam respectivis; ita accidens absolutum univoce dicitur de omnibus absolutis, & respectivum de respectivis, & ita tria tantum suprema genera constitui possent, substantia, accidens absolutum, & accidens respectivum. Rursus quia quam unitatem, & communitatem, atque adeo genericam universalitatem habet respectus intrinsecus adveniens ad omnes hujus generis respectus, pariter habet respectus extrinsecus adveniens ad omnes ejusdem generis respectus; hac ratione quatuor possent constitui prædicamenta, & in eis quatuor genera suprema, substantia, accidens absolutum, respectus intrinsecus adveniens, & respectus extrinsecus adveniens, quæ essent summa, & suprema, quatenus communissima forent omnibus contentis sub sua peculiari serie, & coordinatione; atque ita dilatando, vel restringendo conceptus mentis, augeri potest, vel minui prædicamentorum numerus ad libitum.

Dices, accidens absolutum non posse constitui genus, nam est commune quantitati, quæ consequitur materiam, & qualitati, quæ formam insequitur; hinc sicut materiæ, & formæ non datur commune genus, pariformiter nec quantitati, & qualitati. Tum quia absolutum solum dicit negationem relationis, quæ convenit quantitati, & qualitati ex propriis rationibus formalibus, non propter rationem positivam utriusque communem, sicut negatio Leonis convenit homini, & equo per proprias differentias, non per quid commune positivum; cum ergo negatio non possit esse genus ad entia positiva, non poterit recte accidens absolutum dici genus, & consequenter nec relatio.

7 Sed primum non valet; tum quia materia, & formæ habent proprium genus commune, ut dicemus; tum quia accidentia illa consequuntur totum compositum ex dictis in Phys. disp. 3. quæst. 1. tum quia magis differunt in ordine ad principia qualitates naturales, & supernaturales, quam quantitas, & qualitas, naturales enim causantur ab ente creato, supernaturales immediate a Deo, Deus autem, & creatura magis distinguuntur inter se, quam materia, & forma; & tamen non ob id sequitur qualitatem naturalem, & supernaturalem non habere commune genus, ergo neque ex hoc capite denegandum erit quantitati, & qualitati. Nec secundum aliquid prodest, nam absolutum non dicit simplicem negationem respectus, sed quandam modum positivum essendi ad se, quamvis per negationem explicetur, sicut unitas explicatur per negationem, revera tamen est quid positivum, imo posset ex opposito quis dicere esse ad aliud esse quid negativum, quatenus habet annexam negationem essendi ad se, sed hoc in Met.

Tandem hoc ipsum prob. ex sufficientiis, quibus adversarii hunc numerum conantur ostendere, omnes enim sufficientiæ dupliciter peccant, ut advertit Scotus 5. Met. q. 6. primo enim ostendunt oppositum propositum, nam si hæc decem genera essent suprema in rigore, deberet ens immediate in illa dividi, & non per multas divisiones subordinatas, eo enim ipso quod ens finitum in duo tantum membra primo dividitur, & utrumque deinde in alia, datur intelligi inter ens finitum, & ista genera mediare plures conceptus genericos. Peccant secundo, quia non probant divisionem illam sic præcisè, & non aliter fieri debere, ergo voluntaria est hæc divisio, non necessaria.

8 Tertio quod numerus iste denarius sit congruus, rationabilis, commodus, & utilis, atque ideo retinendus, prob. Tum quia denarius numerus universalitatem significat, quare inquit Hurt. congrue universitas rerum ad decem capita reducitur. Tum quia omnia membra simul sumpta adæquant totum divisum, scilicet ens prædicamentale, & finitum, & quia longe major est copia, & diversitas accidentium, quam substantiarum, unde in unica substantia sæpius inveniuntur omnia illa accidentia, quæ varia constituunt prædicamenta, hinc optima ratione factum est, ut substantia unum dumtaxat constitueret prædicamentum, accidens vero per plura distribuatur, ne tanta accidentium varietas pareret confusionem. Tum quia est valde utilis, & accommodata captui consuetudine, & quasi sensibus obvia, quia deducta est ex variis interrogationibus, quæ communiter fieri solent, ut Arist. docuit 5. Metaph. 14. cuicumque enim harum per specialem satisfactam prædicationem, quare singulis interrogationibus singulæ respondebunt prædicationes, & consequenter singulæ prædicamenta. De individuo itaque substantiali, vel quæritur, quid sit: & responderetur, quod est homo, & sit prædicamentum substantiæ; vel quæritur, quare sit, & resp. esse calidum, album, & habetur prædicamentum qualitatis; vel quæritur, quantum sit; & resp. latum, longum, & est prædicamentum quantitatis; vel quæritur, quid respiciat: & resp. filium, si est pater, servum, si est dominus,

minus, & habetur prædicamentum relationis: vel quæritur, quid agat: vel quid pariat: & resp. per actiones scribit, vel loquitur, vel per passiones, calefit, vapulat, & sunt prædicamenta actionis, & passionis, vel quæritur, ubi fit, & resp. in foro, in lecto, & habetur prædicamentum ubi, vel quæritur quomodo fit in eo loco, & resp. per situm, stat, sedet; vel quæritur quando fit, & resp. heri, hodie, & habetur prædicamentum quando, vel tandem quæritur, quomodo se habeat, & resp. hoc, vel illo modo se habere, & est prædicamentum habitus, neque aliqua alia interrogatio fieri poterit, quæ ad unam istarum non reducat.

Tandem patet, quod rationabilis hæc divisio assignatur per substantiam, qualitatem, quantitatem, &c. quam per illos terminos, Platoniorum, vel Pythagoreorum, hi namque potius per quasdam passiones constituunt prædicamenta, ut sunt motus, status, idem, alterum, par, & impar, &c. & tamen prædicamenta ex generibus, & speciebus debent constitui.

9 Sed contra 1. Cor. partem, & 2. arguitur ostendendo decem esse suprema genera generalissima in rigore, & consequenter decem in rigore prædicamenta. Tum quia Arist. 10. Met. 12. & 5. Met. 12. vocat decem illa genera primo diversa, id est in nulla realitate generica convenientia, quod dictum valde familiare est apud Formalistas, & assertur a Scot. 2. disp. 3. quæst. 4. D. qua ratione in 4. disp. 13. quæst. 1. C. veretur concedere rationem unam communem quidditative omnibus respectibus. Tum 2. quia 12. Met. 19. & 28. docet Arist. principia rerum, id est naturas prædicamentorum non esse eadem, sed diversa, & dumtaxat aliquo modo, id est analogice eadem. Tum 3. Post. 108. ait propositionem, in qua unum generalissimum negatur de alio, esse immediatam, ut hæc, *substantia non est quantitas*, quia non datur prædicatum superius, quod de uno dicatur, & non de alio. Tum 4. 8. Met. 16. docet, ens, cum dividitur in decem genera, non esse genus, ideoque non esse ponendum in definitionibus, quæ ex genere, & differentia constant, & 3. Met. 10. ait non esse genus, quia in differentiis includitur, quod generi repugnat. Tum 5. in antepredicam. cap. 4. distinguit genera in subalterna, & non subalterna, per prima intelligens, quorum unum continetur sub alio, vel ambo sub tertio illis superiori, & subdit animal, & scientiam non esse subalterna, quia nec continetur unum sub alio, nec ambo sub tertio, sed si ens finitum esset genus ad illa decem, iam illa omnia possent dici genera subalterna An 2. sentu.

10 Resp. ad 1. locum illum esse pro nobis: quia in illis locis docet alia esse diversa, & alia differentia, diversa vocat, quæ in nulla realitate conveniunt, differentia quæ in aliqua conveniunt, aut generica, aut specifica, & inter differentia numerat decem genera, ergo secundum ipsum in aliqua communi realitate conveniunt: & dum dixit genere differre, noluit ob id negare, quin in aliquo superiori genere convenirent, ad discrimen diversorum, quæ præmiserat, sed solum insinuare voluit, quod non tantum prædicamentis differentibus, sed etiam genericis, & his quidem secundum quid supremis: & in hoc sensu locuti sunt Formalistæ, dum ea vocant primo diversa, & Scotus in 2. cir. qui veretur concedere rationem respectus communem omnibus quidditative, ne contradiceret autoritatibus Philosophorum, ut ibi se explicat, non vero quin oppositum ratio suadeat, & quidem in 2. disp. 1. quæst. 5. P. inquit, quod præsertim loquendo de respectibus, negari potest, quod sint primo diversa. Ad 2. per principia rerum ibi Arist. non intelligit, essentias rerum, sed principia physica, scilicet materiam, formam, & privationem, quæ dixit esse eadem analogice, id est proportionem in omnibus prædicamentis. Ad 3. vocavit propositionem illam immediatam, si omnia illa decem ita sumantur, ut immediate subsistent enti finito, sic enim quia illo gradu superiori omnia conveniunt, non poterit per illud tanquam per medium unum ab alio distingui; si vero illa decem non ita sumerentur, sed subordinate, ita ut ens finitum primo descendat in substantiam, & accidens, postea in accidens absolutum, & respectivum, &c. hoc certe modo illa propositio immediata non esset, probari enim posset per hoc, quod substantia non est accidens. Ad 4. in illis locis loquitur Arist. de ente transcendenti, quia etiam ibi loquitur de uno, quæ est adæquata passio entis taliter sumpti, quod concedimus non esse genus, cui accedit, quod in 2. loco solum disputative differit, nec aliquid assertive ponit, ut notat Doctor super illum text. & in 1. disp. 3. quæst. 3. N. ad 5. resp. re vera posse dici subalterna. Arist. autem ibi negat animal, & scientiæ subalternationem illam, quam concedit iis, quæ in eadem serie prædicamentali continentur, hæc autem subalternari dicuntur, quia vel unum ponitur sub alio, vel ambo sub tertio, quod est determinatum genus in illa coordinatione, quo sensu animal, & scientia subalternari nequeunt, cum in diversis coordinationibus reperiantur.

11 Secundo arguitur, quod non sint decem. Tum quia 5. Met. 14. octo tantum enumerat Arist. omitens situm, & habitum, quod non debemus asserere, fecisse brevitas causa, ut respondet Commen. nam ait Doctor ibi, & 5.

Met. 5. quænam prolixitas fuisset addere dumtaxat duo verba, situm; & habitum, vel unum, scilicet his similia, ut fecit 1. Eth. c. 6. ubi sex tantum enumeratis adiecit, & *his similia* ut cætera comprehenderet. Tum 2. si actio, & passio duo prima genera constituunt, ergo similiter ubi activum, & ubi passivum, situs activus, & situs passivus. Tum 3. quando non dicit aliquid reale, ut dicemus disp. 8. quæst. ult. sed denominationem extrinsecam, ergo plura prædicamenta, quia in infinitum tales denominationes multiplicancur, præcipue ex actibus vitalibus. Tum 4. multæ possunt fieri interrogaciones de individuo substantiæ ad genus moris pertinentes, ut esse Regem, Doctorem, bonum, malum, &c. quibus nequit fieri satis per prædicaciones horum generum, nam entia moralia in nullo horum continentur, idem dicendum de entibus rationis. Tum 5. sicut a causalitatibus causarum efficientis, & materialis sumuntur duo genera, actionis scilicet, & passionis, ita duo alia assignari debent a causalitatibus causarum formalis, & finalis desumpta. Tum 6. quia motus, & cætera postprædicamenta habent aliquam entis rationem, ergo debent habere propriam coordinationem, & multa alia reperiantur ad ista prædicamenta non reducibilia, ut modi intrinseci, passiones, entia artificialia, & similia. Tandem prædicabilia sunt quinque, prædicata sunt quatuor, cur decem prædicamenta?

12 Resp. idcirco adamussum ibi decem genera non enumerat, immo nec in tota Metaphysica, ut ibi Doctor advertit, quia talem numerum duorum flocci faciebat, ut pote qui non nisi in populari sensu fundamentum haberet, & non in aliqua solida ratione. At instat Ferchius cit. vestig. 7. Arist. nedum ibi, sed etiam aliis locis ab ipso depromptis ex libris scientificis studiose octo dumtaxat prædicamenta recensere, ommissis situm, & habitum absque additione particulæ collectivæ, quam tamen aliis in locis addere solet, cum alia prædicamenta præmittit: signum ergo est prædicamenta apud Arist. octonarium numerum non excedere, nec ab eo deficere. Sed hic Auc. qui intima Arist. sententia profertur eruere, si data opera id fecit, rationem ex ipso adducere debebat, cur situs, & habitus a numero prædicamentorum sint expungenda, notare tamen liber Aristot. loc. cit. 5. Met. 14. parvis interjectis verbis addere particulam collectivam *similiter autem & in aliis*. Sed quicquid sit de Arist. sensu, hic nos loquimur de divisione entis in decem prædicamenta natura rei. Ad 2. licet Ant. And. illud putaverit insolubile, dicimus tamen non valere paritatem, & congruitas est, quia actio, & passio veram, & realem rationem agendi, & patiendi præferunt, non ita ubi activum, & ubi passivum, nam ut notat Orbell. sup. prædicam. ubi, circumscriptio activa, quæ fundatur in loco circumscriptente, quamvis significetur per verbum activum grammaticaliter, non est tamen vera actio, & idem est dicendum de ubi passivo, quod veram passionem non significat, & de cæteris prædicamentis. Ad 3. dicimus re vera prædicamentum Quando, esse denominationem extrinsecam, connumerari tamen inter prædicamenta realia, quia cum hic numerus in vulgari hominum affirmatione fundetur, & ex D. Aug. 11. de confels. c. 14. nil sit notius, quam temporis existentia, videtur hoc, quod est in tempore existere, esse aliquid reale, sicut tempus ut quid reale, & notissimum apprehenditur ab omnibus, cum tamen formaliter sit ens rationis ex dictis in Phys. disp. 13. quæst. 4. art. 2. quapropter in rigore esset expungendum de numero prædicamentorum, toleratur tamen propter vulgarem opinionem, quod sit ens reale: denominationes tamen extrinsecæ ex actibus vitalibus, ut intelligi, videri, &c. non constituunt prædicamentum distinctum, quia non sunt entia realia, nec ut sic indicantur esse, sed potius reducuntur ad prædicamentum qualitatis, in quo est forma, a qua desumantur. Ad 4. per idem denominationes in moralibus sunt extrinsecæ, ut plurimum ex actibus voluntatis, & humanis legibus provenientes; non entia realia; entia deinde rationis non debent constituere prædicamentum distinctum, ut diximus disp. 3. quæst. 7. ad 3. Ad 5. causalitates causarum ad effectus, quæcunque sint, collocantur in prædicamento relationis, cum sint intrinsecus advenientes, causalitates agentis ad materiam, & e contra constituunt duo prædicamenta actionis, & passionis, causalitates formæ ad materiam, & e converso, scilicet, informationis activæ, & passivæ, sunt in prædicamento habitus, & cum non dicunt realem actionem, sed grammaticalem, non constituunt duo, sed unum prædicamentum, ut suis locis dicemus. Ad 6. motus non est per se in aliquo prædicamento, quia non est respectus simpliciter realis, sed secundum quid, ideo ad prædicamentum sui termini reducibilis, ut fufe diximus in Phys. disp. 15. quæst. 1. postprædicamenta potius sunt quedam entium attributa, quam entia directæ; modi intrinseci, & passiones, cum non distinguantur realiter a suis subjectis, non sunt in distinctis prædicamentis: tandem entia artificialia, quia non sunt unum per se, sed per accidens, neque sunt in uno prædicamento collocabilia. Hæc omnia recte percipientur ex dicendis in hac, & seq. disp. Ad ult. ratio discriminis est, quia prædicabilium numerus ex dictis disp. 4. quæst. 5. ad 1. desumitur in ordine ad modos prædicandi in

Quæst. II. Quomodo distinguantur ab invicem.

in quid, & in quale de subjectis, neque dicunt quasdam reales essentias, sed intentiones secundas applicabiles naturis diversorum prædicamentorum; prædicata sumuntur in ordine ad dialecticas quæstiones, quæ per quatuor prædicata solvuntur, & sunt etiam secundæ intentiones applicabiles primis; at divisio prædicamentorum desumitur per modos varios essendi, quibus dividitur ens, & per quos in sua inferiora descendit, quæ divisio variis modis assignari potest, ut diximus.

QUESTIO II.

Quomodo Prædicamenta sint inter se distincta.

13 Sensus quæsti est, an quæ in diversis prædicamentis collocantur, debeant distingui inter se realiter, an formaliter, vel sufficiat distinctio rationis ratiocinatæ, ac proinde est sermo de prædicamentis materialiter acceptis, scilicet, pro prima intentione, non formaliter, & pro secunda intentione; ut sic enim clarum non est distingui, nisi distinctio numerale rationis, ut docet Doctor q. 11. prædic. in corpore.

Prima opinio asserit non necessario requiri distinctionem aliquam ex natura rei, sed sufficere distinctionem rationis ratiocinatæ, ita communitur Thomistæ, quos ex neotericis sequuntur Vasq. 1. p. d. 138. n. 4. & disp. 175. num. 5. Suarez. d. 39. Met. sect. 2. n. 21. Tol. hic in fin. prædicam. Ruy. in antep. c. 4. q. 3. Hurt. disp. 9. Met. sect. 2. Aversa. qu. 16. Log. sect. 4. Secunda opinio admittit necessariam esse distinctionem ex natura rei actualem, sive formalem, sive realem; ita Fons. 5. Met. c. 7. q. 3. sect. 3. Amic. tract. 18. q. 4. dub. 1.

Dicimus, prædicamenta necessario debere distingui inter se realiter, ita Doctor in 2. d. 3. q. 4. D. & 5. Met. q. 6. sequuntur Scotistæ omnes, & Zerb. q. 7. Venetus c. 21. Met. Fland. 5. Met. q. 7. art. 2. Nyphus quæst. 12. & 4. Met. q. 4. Iand. 3. Phys. q. 5. citatur etiam Cajet. 1. p. q. 28. art. 1. ubi ex hoc, quod substantia est in uno genere, relatio in alio deducit realiter inter se distingui, & Morisp. disp. 4. Log. q. 7. qui differt solum, quod distinctionem inter respectus, & fundamenta vocat modalem, non realem juxta usitatum loquendi modum recentiorum, ut vidimus disp. 1. q. 5. art. 2. cum hanc distinctionem explicavimus. Probat ex his, quæ habet Doctor cit. nulla res potest simul, & essentialiter contineri sub diversis disparatis speciebus, ergo nulla res potest esse in duobus prædicamentis, sed tantum in uno, ergo res diversorum sunt inter se realiter distinctæ, Antec. patet, quia nulla res habet duas essentias, ergo nulla res continetur in duabus speciebus. Tum quia quæ numero differunt, realiter differunt, res diversorum prædicamentorum numero differunt, quia distinctio generica arguit specificam, & numeralem, & res istæ genere differunt, ergo &c.

14 Respondet Aversa verum esse assumptum de re secundum eandem rationem formalem, non secundum diversas, quia ut sic poterit esse sub diversis speciebus & habere diversas essentias non realiter, sed ratione diversas, similiter distinctio numeralis non semper est realis, sed aliquando rationis cum fundamento in re: nam bene possunt in una re reperiri duæ rationes formales virtualiter distinctæ ante opus intellectus, sed actualiter, ut stant sub duobus conceptibus inadaquatiss, itaut una non sit de essentia alterius, & de ipsis poterit intellectus formare duo prædicamenta distincta per opus intellectus cum fundamento in re, secundum quas rationes deinde prædicamenta dicuntur impermixta, & habere diversa genera, species, & differentias.

Contra istam responsonem primo argui possent omnibus illis rationibus, quibus ostenditur distinctio actualis ex natura rei ante opus intellectus, maxime quæ desumuntur ex contradictoriis; cum enim independenter ab opere intellectus prædicamentis conveniat contradictoria, quod præcipue probatur in actione, & passione (quæ per adversarios virtualiter distinguuntur) nam actio de sua ratione formaliter est actus agentis, & terminatur ad passum, non est actus passus, passio non est actus agentis, fundatur in passu, & respicit agens, ergo ante opus intellectus necessario sunt distincta. Tum quia repugnat, ut ab eadem re abstrahatur duo conceptus inadaquatissimi duorum differentiarum dividendium idem genus, ut patet, nequit enim eadem res esse virtualiter rationalis, & irrationalis, eadem quantitas virtualiter longa, non lata, & longa simul, & lata, ergo repugnat, ut ab eadem re duo abstrahantur inadaquatissimi conceptus differentiarum diversa genera dividendium, quæ sequela, quia istæ magis inter se distant, quia diversorum prædicamentorum, quam illæ, quæ sunt ejusdem prædicamentorum. Tum quia talis res esset ens per accidens quia in suo adequato conceptu includeret res diversorum prædicamentorum. Tum quia ex uno genere, & una differentia constituitur una species realis, non rationis, ex ista, & ex differentia individuali constituitur individuum reale a parte rei existens, non per opus intellectus, sed in quolibet prædicamento adest hæc compositio ex genere, & differentia, & ex specie, & hæcæitate, ergo in quolibet prædicamento adest suum individuum reale, seu omnia individua rea-

lia realiter distinguuntur, & consequenter specie, & genere, si sunt diversorum generum, ergo ista prædicamenta realiter distinguuntur. Tum quia data hæc responsonem si unus conciperet inadaquate rem secundum conceptum substantialem, alter vero secundum conceptum accidentalem, res illa esset respectu unius substantiæ, respectu alterius accidentis, & tamen a parte rei necessario esset substantia, vel accidens, non utrumque. Huc spectant, quæ infra dicemus de regula illa *diversorum generum, &c.*

Secundo principaliter potest probari Conclusio inductive; nam substantia realiter distinguitur ab omni accidente prædicamentali, cum possit ab omni absoluto separari per absolutam Dei potentiam; & etiam fere ab omni respectivo juxta dicta in Phys. d. 3. qu. 4. art. 1. quantitas quoque est realiter a substantia, & qualitatibus distincta, & multo magis a relatione, ut diximus disp. 9. Phys. q. 1. artic. 2. de qualitate nullus ambigit, relatio ex dicendis infra disp. 8. est realiter a fundamento distincta; nam quæ est realiter identificata, non est prædicamentalis, sed transcendentalis, idem etiam dicemus de aliis sex prædicamentis, ergo &c.

In oppositum arg. ex Arist. c. de qual. in fine, ubi concedit, idem posse ad plura prædicamenta spectare secundum diversas rationes. Tum 2. quia ex 3. Phys. 22. actio, & passio realiter non distinguuntur, relatio non ponitur a fundamento quid realiter distinctum, nec sex ultima generalissima, cum sint modi entis; multæ quoque relationes realiter cum fundamento identificantur. Tum 3. prædicamenta per artem, & rationem disposita sunt, ergo bene fieri potest, ut distinctio prædicamenta signentur, & constituantur ex rationibus eodem modo distinctis, scilicet per intellectum. Tum 4. ex Ruy. gradus essentiales rei non distinguuntur, nisi virtualiter, vel saltem non realiter, sed possunt prædicamenta in eodem reperiri, in quo non distinguuntur secundum gradus essentiales, sed tantum penes modos essendi, ut substantia ab accidente per modum essendi per se, accidentia penes diversos modos essendi in; ergo non necessario realiter differunt, quia magis distinguuntur gradus essentiales, quam modi essendi. Tum 5. ex eodem, quando plura in eodem reperiantur, non per compositionem, distinguuntur ratione, nam multa non possunt unum constituere, si sunt ex natura rei distincta, nisi unum se habeat ut actus, alterum ut potentia, sed prædicamenta aliqua sunt hujusmodi, ut patet in actione, & passione, quæ sunt in motu absque compositione, ergo &c.

15 Resp. ad 1. vel Arist. ibi locutus est ex sententia aliorum, ut ex Adversariis etiam Aversa concedit, quia neque diversitatem rationis ibi exprefit; vel solum habere voluit, ut ibi in sua paraphrasi notat Roccus, quod licet nihil essentialiter possit esse in diversis generibus, potest tamen esse accidentaliter, & denominative, quatenus res essentialiter unius generis potest rem alterius denominare, ut universaliter docet Doctor 4. d. 12. q. 1. D. sic Petrus quatenus substantia est essentialiter in prædicamento substantiæ, quatenus denominatur patet, est in prædicam. relationis accidentaliter, vestis est in prædicam. substantiæ, quatenus denominatur habitus, est accidentaliter in prædicam. habitus. Ad 2. patet ex dicendis suo loco, & ex dictis in Phys. qualiter Arist. ibi loquatur de actione, & passione materialiter pro re acta, non formaliter pro respectibus in agente, & in passu fundatis; relatio quoque & sex ultima genera distinguuntur realiter a fundamentis, (nam quæ relationes sunt realiter identificatæ, non sunt in prædicamento) & quamvis sint modi; adhuc debent dici realiter distincti ex dictis disp. 1. q. 5. art. 2. Ad 3. prædicamenta formaliter sumpta sunt coordinationes intellectus, at materialiter dicunt ipsas naturas reales per differentias contractas, & in inferioribus contentas, quo sensu non sunt quid rationis, sed reale. Ad 4. verum est, gradus essentiales subordinatos ejusdem rei non distingui realiter, negamus tamen idem de prædicamentis dicendum, quia sunt gradus essentiales disparati, & diversarum rerum; falsum quoque est, prædicamenta solum per modos essendi differre; hi enim modi circumscriptunt nobis differentias essentiales, quod patet, quia prædicamenta sunt diversa genera, & species disparata, ergo proprias habent differentias: tum quia si penes modos tantum substantia, & accidens differrent, cum modus non variet essentiam, cujus est modus, non differret essentialiter, aliter haberent essentiales differentias, ergo de quo dicitur substantia quidditative, dicitur etiam accidens, & sic valeret dicere, homo quidditative est accidens, nec prædicamenta essentialiter differrent, & consequenter non essent genera generalissima; falsum tandem est prædicamenta posse in eodem reperiri, in quo essentialiter conveniant. Ad 5. patet ex dictis, quicquid sit de ma. quod actio, & passio sunt respectus realiter distincti, & in fundamentis diversis, ut disp. 7. Phys. q. 3. explicatum est.

16 Secundo ad idem ex Scot. 2. d. 1. q. 5. P. ubi probabilem putat modum illum ponendi prædicamenta esse primo diversa in rationibus formalibus, itaut nullum illorum formaliter includat alterum, nec aliquid alterius, quamvis per identitatem in existendo unum contineat alterum, quod est dicere, ad prædicamenta sufficere distinctionem for-

formalem. Tum 2. distinctio prædicamentorum sumitur ex diversis modis prædicandi, ergo illa distinctio requiritur ad prædicamentum, quæ sufficit ad variationem prædicationis, talis est distinctio rationis. Tum 3. omnia sunt unum in ente, sed quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, ergo &c. Tandem quando unum, infertur necessario ab alio, sunt idem inter se, substantia infertur accidens, & e contra, aliter possent separari, ergo &c.

Resp. Scotum ibi non approbare responsionem illam, sed tantum adducere, eo quia sufficiebat pro solutione illius argumenti, nam si prædicamenta formaliter distinguuntur, relatio creaturæ ad Deum, cum sit a creatura formaliter distincta, posset poni in diverso prædicamento a creatura; tamen ibi dat aliam responsionem, quod illa relatio est transcendentalis, cum sit realiter identificata; ex quo colligitur per Scotum, quæ ponuntur in diversis prædicamentis, esse realiter distincta. Ad 2. falsum est assumptum, aliter quia diversimode prædicatur abstractum a concreto, deberent accidentium prædicamenta multiplicari; quare dicimus prædicamenta distingui penes modos prædicandi de prima substantia logice, & proxime loquendo, at metaphysice, & remote penes modos effendi circumscriptibiles proprias differentias. Ad 3. sequitur omnia esse unum in conceptu entis, & eadem identitate, vel transcendentali, vel generica inter se. Ad 4. neg. assumptum, ut patet in causa, & effectu, & in relativis.

Potremo arguitur, mobilitas, risibilitas, & alia relationes aptitudinales substantiarum sunt illis realiter identificatæ, præsertim in schola Subtilium, & tamen adhuc sunt in prædicamento ad aliquid, cum sint intrinsecus advenientes, ergo res unius prædicamenti non est necessario realiter distincta a re alterius prædicamenti. Conf. quia passio est in prædicamento qualitatis, & tamen apud Scotistas præsertim identificatur realiter cum subiecto, quod est in alio prædicamento. Demum eadem figuræ entitas spectat ad quantitatem, ut est superficies lineis terminata; ad qualitatem vero, ut dicit ipsam terminationem linearum, ut Scot. quæst. 10. prædicam. Resp. neg. assumptum quoad 2. partem, est enim regula generalis, quod quicquid realiter identificatur alicui, debet reduci ad prædicamentum illius rei, cui identificatur, & sic omnes relationes realiter identificatæ cum substantia dicuntur esse in prædicamento substantiæ, non quidem formaliter, & directe, sed reductivè, & per identitatem, unde & tales relationes dicuntur potius transcendentales, quam prædicamentales, quia non attinent ad quartum prædicamentum; unde ad probationem illius partis assumpti negatur tales relationes fundamentis identificatas esse proprie intrinsecus advenientes, quia talis identificatio est proprie relationum prædicamentarium, ut infra suo loco dicemus; in tantum ergo possunt dici intrinsecus advenientes, quatenus necessario sequuntur ad fundamentum cum reali identitate cum ipso. Ad Conf. negatur assumptum quoad primam partem, si passio sumatur pro innata rei proprietate, quia & hæc reductivè ponitur in prædicamento sui subiecti, ut risibilitas in prædicamento substantiæ ex dictis disp. 5. qu. 4. art. 1. quo autem sensu passio sit in tertia specie qualitatis explicabitur inferius disp. 7. quæst. 3. art. 2. Ad ult. non ait Doctor eandem figuræ entitatem ad diversa prædicamenta spectare sub diversa ratione, sed inquit figuram esse vocem æquivocam, & quatenus significat superficiem lineis terminatam spectare ad quantitatem; quatenus vero ipsam terminationem significat, quæ realiter distinguitur a superficie, spectare ad qualitatem, quod nec in toto rigore intelligendum est, sed tantum in eo sensu, quia talis terminatio, esto re vera relationem præferat, adhuc tamen habet modum prædicandi, & denominandi qualitatis, ut explicabitur infra loc. cit. disp. 7. quæst. 3. art. 2.

Q U Æ S T I O III.

Quæ res, & quomodo ponantur in Prædicamento.

17 **C**irca primam quæstionem partem supponimus cum Tat. quæst. præamb. ad prædic. dub. 2. res per se; proprie, ac principaliter, & non voces in Prædicamento collocari, ex rebus enim, non ex vocibus prædicamenta sunt constructa, & res sunt, quæ in prædicamento disponuntur, licet non ita disponantur, nisi quatenus subsunt mentis nostræ conceptibus, rem namque in prædicamento reponi aliud non est, quam rem a nobis concipi sub ratione superioritatis, vel inferioritatis, voces igitur solum per accidens, & minus principaliter in prædicamento ponuntur, quatenus, si sunt signa eorum, quæ per se sunt in prædicamento, ista enim vox, homo, non poneretur in prædicamento substantiæ, nisi substantiam significaret; verum tamen est, quod etiam voces ipse, si non veluti signa rerum, sed potius ut quædam res considerentur, per se locum habent in prædicamento, & determinate spectant ad prædicamentum qualitatis, quatenus scilicet sunt qualitates passionem inferentes sensui auditus.

18 Supponimus deinde cum eodem Tat. ibidem dub. 3. tripliciter aliquid posse poni in prædicamento, seu in serie

prædicamentali, primo directe, seu in recta linea; secundo indirecte, seu ad latus, tertio reductivè: in recta linea ponitur genus supremum, & ea, de quibus prædicatur in quid, genera scilicet subalterna, species, & individua; ad latus ponuntur differentie essentialia, per quas naturæ genericæ dividuntur, & species constituuntur, reductivè denique quæ nec sunt genera, neque species, neque individua, neque differentie essentialia, aliquo tamen modo ad aliquid illorum pertinent, quia vel sunt partes integrantes, ut caput, manus, brachia, &c. vel sunt partes essentialia physica; ut materia, & forma respectu compositi physici, vel passionis, ut risibilitas respectu hominis, vel sunt termini rerum, ut puncta respectu lineæ, vel negationes earum, vel aliud quid huiusmodi; hic ergo quaritur, quænam directe in prædicamento collocentur, an scilicet entia realia, vel etiam rationis, an entia per se, vel etiam per accidens, an complexa, vel incompleta, an completa, vel partialia, an finita, vel infinita, an universalia tandem, vel particularia, & individua.

Circa secundam partem quæstionis quarimus, an res istæ, cum possint in abstracto, & in concreto sumi, debeant in prædicamentis collocari sub nominibus abstractis, vel concretis; & quidem de substantiis omnes conveniunt sub nominibus concretis disponi debere, de accidentibus est difficultas, cui occasionem dedit Arist. ipse, qui secundum varias versiones prædicamenta accidentium disposuit tam sub terminis concretis, quam sub abstractis Nymph. 5. Met. quæst. 4. & 7. Tol. quæst. 2. Post. pr. Blanc. disp. 7. sect. 3. tuentur in concreto disponi debere, quod probabiliter censet Amic. tract. 18. quæst. 3. dub. 2. Alii in communiter & in abstracto. Javel. 5. Met. quæst. 16. Omnia quæst. 3. art. 4. Sot. quæst. 1. de quant. Fuentes qu. 13. dis. 2. art. 1. Conimbr. cap. 4. prædicam. quæst. 2. ar. 1. Moris. disp. 4. Log. quæst. 4. Didac. a Jesu disp. proem. prædicam. Complut. disp. 11. quæst. ultim. dub. 1. Arriag. disp. 5. Met. sect. 1. Tandem quidam alii dicunt utroque modo posse disponi, ita Averta quæst. 16. Log. sect. 5. Mas. hic sect. 2. quæst. 4. Ruv. quæst. 2. Hur. disput. 9. Met. §. 17. Cajetan. de ente, & essen. cap. 7. id autem non in eodem sensu defendunt.

A R T I C U L U S I.

Conditiones reponibilium in prædicamento assignantur.

19 **D**icimus entia realia, non rationis per se, non per accidens, in complexa, non complexa, completa, non incompleta, finita essentialiter, non infinita, five genera sint, five species, five individua per se, & directe in prædicamento collocari. Probantur, & explicantur singula; & primo quod entia realia debeant esse, & Aristot. 5. Met. 14. & 6. Met. 4. dividit ens in ens in anima, seu rationis, & in ens extra animam, seu reale, quod deinde in decem prædicamenta subdividit; tum quia prædicamenta sunt coordinationes eorum, quæ vera essentialiter constant, quod non solum de prædicamentis, ut a Metaphysico considerantur, est verum, sed etiam ut a Logico, non enim alia Prædicamenta iste ab illo considerat.

Hic autem per ens reale non est intelligendum ens reale verbaliter, seu ens existens; quia quæ ponuntur in prædicamento, abstrahunt ab existentia actuali, ut est commune omnium sensus; nec est necesse res actu existere ad constructionem prædicamentorum, quia in ipsis ponuntur superiora tanquam essentialia prædicata inferiorum, & hæc ut quidditative includentia illa, existentia autem de nulla creatura quidditative prædicatur, ita Doctor 2. d. 3. quæst. 3. sumitur ergo ens reale nominaliter, pro eo, quod existere potest in rerum natura. Per hoc excluduntur a prædicamentis negationes, & privationes, quarum licet aliqua dentur reales quatenus sunt privationes, vel negationes alicujus formæ realis, & non intentionalis; nunquam idcirco possunt dici entia realia; & quamvis ab aliquibus entia realia negativa vocentur, id tamen est falsum, nam eadem ratione mortem vocare possent vitam privativam, & vitium virtutem negativam, ut diximus in Phys. disput. 4. quæst. 1. art. 1. Excluduntur etiam entia rationis omnia, contra Burid. in fin. prædicam. dicentem entia rationis in prædicam. relationis collocari, & contra illos Scotistas admittentes undecimum prædicamentum entium rationis, nam cum non sint simpliciter entia, sed entium umbræ, nequeunt per se in prædicamento realibus reponi; & potius reductivè in prædicamentis illorum, quorum sunt simulacra, & umbræ, quam in proprio prædicamento, ut diximus disp. 3. quæst. 7. sicut negationes, & privationes in prædicamentis illarum rerum, quarum sunt negationes, existentia quoque, & passionis entium, sicut non sunt quidditative entia, sed identice, non habent distincta, & propria prædicamenta, sed reductivè ad prædicam. illius essentialia, cuius est existentia, & passionis continent.

20 Secundo, quod sint entia per se, & non per accidens, colligitur ex Arist. 5. Metaph. 14. ubi cum divisisset ens in ens per se, & ens per accidens, dividit ens per se in decem prædicam. Hic autem accipitur ens per se pro ente unius

unius essentialia, seu essentialiter uno, quod proinde simpliciter, & sine addito dici potest unum, ut leo, homo, albedo; ens autem per accidens, importat ens essentialiter multiplex, vel potius plura entia, ut acervus lapidum, domus, & etiam concreta accidentalialia, album, dulce, ut æqualiter important formam, & subiectum, quia licet faciant unum, non tamen faciunt unum essentialiter, quod dicitur simpliciter unum, sed accidentaliter ex duabus essentialibus simul conjunctis, quarum una non est per se potentia, nec alia per se actus; ex quo colligitur ratio, quia ens per accidens sicut proprie non est unum, sed plura entia, & non est unius essentialia, sed multiplicis; ita poni nequit in uno prædicamento, sed in pluribus, ut album ratione subiecti, quod est substantia, spectat ad prædicam. substantiæ, ratione vero formæ ad prædicam. qualitatis. Per hoc excluduntur a prædicamento omnia artificialia, quæ talia, constant enim ex materia v. g. ligno, quod est substantia, & ex figuræ artificiali, quæ pertinent ad qualitatem, vel relationem, & consequenter non sunt unum quid, ut notat Doctor 4. disp. 1. quæst. 1. S. Multa hic habet Poncius ad explicandum quodnam sit ens per se unum, & quod unum per accidens; sed de hoc agimus ex professo disp. 5. Met. quæst. 2. ubi varios explicamus unitatis gradus, ex quibus etiam facile dignoscet, an dicta hic a Poncio stent ad trutinam veritatis.

21 Tertio quod debeant esse incompleta, habetur ab Arist. in antep. cap. ultim. ubi dividit in decem prædicamenta ea, quæ secundum nullam complexionem dicuntur, & ratio hujus est, quia tractatio prædicamentorum, & eorum divisio, ac distinctio facta est præsertim ad constituenda prima elementa, & inveniendos simplices rerum conceptus, ergo constitui debent ex rebus incomplexis. Sed complexa alia sunt secundum rem, quæ diversas naturas significant, alia secundum modum significanti, licet secundum rem unam simplicem naturam significant, ut definitiones ex proprio genere, & propria differentia constantes, ut animal rationale (nam quæ sunt datæ per additamentum, diversas representant naturas) licet enim animal rationale secundum rem significet unam naturam humanitatis, quia tamen ipsam dividit in partes, unde non habet unum modum prædicandi, sicut species, quasi complexa illam significat, alia sunt complexa tantum secundum vocem, sed incompleta secundum rem, & modum significanti, ut Marcus Tullius Cicero. Cum Arist. excludit a prædicamentis omnia complexa, certum est non esse locutum de complexis secundum vocem tantum, sed de complexis secundum rem: an vero etiam rejecerit complexa in significando, scilicet, definitionem pure quidditativam, ut sustinet Fons. 5. Met. capit. 7. quæst. 8. Ruvius hic capit. 4. quæst. 1. & Amic. tract. 18. quæst. 3. dub. 3. vel istam directè in prædicam. collocavit, ut communiter asseritur, est dubium. Potest tamen dici, quod si definitio sumitur, ut dicit totum metaphysicum resultans ex partibus, quæ ratione habet unum modum prædicandi speciei in quid, juxta dicta disp. 4. qu. 5. & 3. probat. concl. cum Scoto quæst. 12. Universi. ad 1. & qu. 21. ad 5. sic posse directè poni in prædicamento, quia ut sic habet rationem speciei; unde Porph. cap. de specie in coordinatione prædicamenti quædam genera nominavit per terminos complexos, & per definitionem, ut corpus animatum, animal rationale; quod secundum ipsum erat commune genus Angelis, & hominibus. At si sumitur definitio, ut explicite dicit genus, & differentiam, sic quia non habet unum prædicandi modum, nec potest dici species, ut loc. cit. diximus, debet a prædicamento excludi.

22 Quarto quod entia totalia, & completa, ex Aristot. 7. Met. 8. ubi expresse materiam rejicit a prædicamento, quod etiam de materia docuit Scot. 2. disp. 12. quæst. 1. D. illam ponens solum reductivè in prædic. & 3. disp. 22. R. eodem modo loquitur de corpore pro altera parte compositi in 4. disp. 11. quæst. 3. H. idem asserit de parte formali; etiam de anima rationali 2. disp. 1. quæst. 6. C. & universaliter de partibus essentialibus id docet ex professo quæst. 15. prædicam. in corpore, ubi etiam idem asserit de partibus integralibus, & de differentis quæst. 12. unde modo fere communiter in omni schola tenetur per hanc completionis conditionem, & totalitatis excludi partes physicas, immo id aliqui extendunt ad partes metaphysicas, dicentes propterea differentias poni a latere, quia sunt entia incompleta; quod non placet Hur. disputat. 9. Met. sect. 3. quia inquit, non est major ratio de genere, quam de differentia, & ad disparitatem inveniendam, cur genus ponatur directè in recta linea, non differentia, valde laborat oppositum sustinentes: & certe quando Scotus quæst. 15. cit. excludit partes a prædicam. nullam mentionem fecit partium metaphysicarum, forte ne etiam per hoc genus excluderet. Et tunc qui partes metaphysicas in prædicam. reponunt, valde insudant ad inveniendam rationem, cur partes physice excludantur; & rationes, quæ communiter adducuntur, vel nihil concludunt, vel idem de partibus metaphysicis ostendunt. Et præcipue quod ait Averta cit. hoc esse, quia per hoc solum, quod totum exhiantur in prædicamento, eo ipso inveniuntur in prædicamento per inclusionem in illo, & ideo

superfluit illas separatim ponere, quia bis ponerentur; Non valet, quia idem concludit de genere. Hæc difficultas vel gravis æstimatur ab authoribus, ut est videre apud Ruv. & Amicum, vel inanis, & nominalis, ut ab Arriag. d. 3. Met. sect. 1. & forte non sine fundamento, pendet enim ex acceptione hujus termini *directè-reponi in prædicamento*, & ab explicatione, & acceptione generis supremi, nam ut videbimus disp. seq. quæst. 1. substantia potest ita genus supremum constitui, ut sit communis entibus completis, & incompletis.

23 Ut autem a communi non recedamus, & rationem assignemus, quæ æque militet de partibus metaphysicis, recolendum est, quæ disp. præced. quæst. 1. art. 4. diximus, scilicet, partem de toto prædicari non posse pro modum partis, cum igitur linea prædicamentalis directè ex iis constituatur, quæ esse possunt subiectum, vel prædicatum formalis prædicationis, quia superiora essentialiter prædicantur de inferioribus; & inferiora recipiunt prædicationem illorum, ex hoc sequitur manifeste nihil quod habeat modum partis, & incompleti, posse directè poni in prædicamento, sed quicquid ibi ponitur, debere reponi pro modum totius, & entis completi; ex quo sequitur, ad hoc ut aliquid ponatur in prædicamento, non esse necessarium, quod sit ens completum simpliciter, & secundum rem, sed sufficit, quod sit completum secundum quid, seu secundum modum, quæ ratio concludit de omnibus, nam sicut materia, anima, pes, caput, ut sic directè non ponuntur in prædicam. quia retinent modum partis, sic a pari animalitas, rationalitas, corporeitas non ponuntur directè in prædicam. quia sic in abstracto retinent modum partis, sed tantum ponuntur in concreto, quomodo habent rationem totius. Aramen quia ut aliquid sit directè in prædicam. non sufficit, quod prædicari possit de inferioribus (aliter differentia esset directè in prædicam. qua ratione movetur Hur. ad id asserendum) sed requiritur etiam, quod possit suscipere prædicationem superiorum graduum, quod nequit facere differentia, cum essentialiter istos non includat, idcirco est ex primo capite possit in prædicam. reponi, impedimentum tamen oritur ex 2. Accedit, quod adhuc, ut sic, non habet rationem totius, sicut genus, quia significatur per modum alteri adjacentis, & in quale prædicatur, non per modum per se stantis, & in quid ut genus (quod est unum ex requisitis secundum aliquos, ut aliquid dicatur per se, & directè in genere) quando enim dicimus, quod Plato est animal, ex tali modo loquendi non significatur, quod præter animalitatem involvat aliam partem essentialiam, sed quando dicitur, quod est rationalis, vel sensitivus, ex modo loquendi datur intelligi, quod præter rationalitatem, & sensitivitatem includat aliam partem essentialiam, cui adiacere concipitur, ut ejus determinativum.

24 Cæterum quia partes similes, & homogeneæ, æque recipiunt prædicationem essentialiam universalis superioris, sicut totum integrale, cujus sunt partes; ut Scot. monet 2. disput. 3. quæst. 4. H. & 3. disp. 2. quæst. 1. H. tam enim tota aqua quam quilibet ejus pars est essentialiter aqua, & non dicuntur aqua essentialiter a tota integrali homogeneo dependenter, sed independenter, quod non convenit partibus heterogeneis, & dissimilibus, nam manus nunquam potest dici homo, idcirco contra Suarez disp. 33. Met. sect. 1. & 34. sect. 8. Ruv. & Amic. partes homogeneæ sunt directè in prædicamento, non heterogeneæ, nam quamvis homogeneæ sint actu partes totius integralis, cujus prædicationem nunquam possunt recipere, tamen sunt vere individua totius essentialis universalis, & per accidens se habet, quod sunt actu partes totius quantitativi, non enim ex hoc, quod pars aquæ est alteri unita, idcirco non dicitur essentialiter aqua, & individuum totius universalis: quod etiam tenent Lovaniens. Villalpand. Blanc. Fuent. & alii. Ratio vero, quam adducunt, quia istæ partes non ordinantur essentialiter ad componendum aliud, non vincunt, nam valeret etiam de etherogeneis. Ob hanc eandem rationem homo manus sine brachio, vel pede, quamvis dici possit pars heterogenea totius integralis resultantis ex ipso, & brachio, vel pede deficiente, tamen quia adhuc retinet denominationem totius, & recipit prædicationem essentialiam universalis superioris, non minus quam totum illud integrale, quod ex ipso resultaret, & pede, vel brachio deficiente, nam adhuc dicitur homo, & animal rationale, perinde ac quilibet alius homo integer, ideo ponitur directè in prædicamento substantiæ, quod dici nequit de manu, vel pede abscisso, quia talem prædicationem non recipit, esto Ovvid. hic idem quoque iudicium faciat de his membris ex hypothese, quod abscissa adhuc informantur animam, nam manus abscissa, si eadem potiretur anima, vere diceretur homo (inquit ipse) essentialiter completus, sicuti homo, qui caret pede, vel brachio, quod non videtur omnino bene dictum, quia corpus mancum, pede, vel brachio, adhuc censetur idoneum, & adequatum animæ perfectibile, quantum sufficit, ut totum inde resultans homo dicatur, non sic manus, vel brachium abscissa, etiam si tunc actu non de Anim. unde membra abscissa, etiam si tunc actu non fungantur munere partis, quia tamen manent semper essentialiter ordinata, ut informantur ab anima, semper habent

bent rationem entis incompleti, & ordinabilis essentialiter ad constitutionem alterius, atque ideo neque in statu separabilis a corpore sunt in prædicamento directe, quicquid dicat Ovyied. tum quia licet in ratione totius integralis forte possent intrare prædicamentum, & dici entia completa in genere suo, quia in tali statu non sunt partes, sed tota, tamen in ratione totius essentialis adhuc sunt incompleta, petinde ac materia, vel anima separata. Ut ergo quoad hoc habeatur regula generalis, ex entibus physicis illa debent censerī completa, quæ vel non concurrunt, vel non sunt nata concurrere, tanquam partes, ad compositionem alicujus physicam, vel essentialē, vel integram; vel si ad talem nata concurrere, adhuc tamen ita concurrunt, ut habeant denominationem illiusmet entis, quod constituunt, & essentialiter metaphysicam ejusdem rationis cum ipso participant. Ex gradibus vero metaphysicis illi tantum censentur completi, quantum sufficit, ut directe in prædicamento reponantur, qui sunt prædicabiles in quid, & per modum totius, ac per se stantis, & quia sola genera, & species sic prædicantur, ideo isti tantum gradus metaphysici directe in prædicamento ponuntur.

25 Quinto, quod entia essentialiter dumtaxat sint finita, est Scot. 1. disp. 3. qu. 3. H. & disp. 8. qu. 3. §. *Teneo opinionem meam*, estque communis, ut videmus disp. seq. quæst. 1. pro nunc prob. quia quicquid est in prædic. aut est genus, aut species, aut individuum; ens in essentia infinitum non potest esse genus, quia ex eo, quod est infinitum, non est perfectibile a differentia, cujus est perfectio genus essentialiter; non species, quia hæc constat ex genere, & differentia, quæ si non sunt infinita, nequeunt infinitum constituere; nec tandem individuum, quia hoc constat ex specie, & individuali differentia, species non est infinita ex dictis, neque differentia, quia hæc partialis, & incompleta; hæc ratione utuntur Fonseca, Vasq. & alii, quæ tamen sunt Tatar. quæst. 1. prædic. dub. 3. & licet Ponceus eam hic inficietur, ei occurremus infra disp. 7. quæst. 1. art. 1. num. 9.

Tandem quod etiam individua directe in prædicam. collocentur, est Scoti 2. disp. 3. quæst. 4. D. & 3. disp. 22. B. & sequitur ex dictis, quia individuum est ens per se unum incomplexum, finitum, & completum, in se continens omnia prædicata lineæ prædicamentalis, quibus subicitur. Tum quia Arist. in præd. subst. per se explicavit substantiam primam, & secundam, idest singularem, & universalem; tum quia radix per se ad arborem spectat, & basis ad columnam, individuum est radix, & basis prædicamenti ex Scot. cit.

26 In oppos. arg. 1. contra 1. 2. & 3. conditionem. Tum quia prædicamentum fit per se ex generibus, & speciebus, quæ sunt entia rationis. Tum 2. quod substantia sit prior corpore, & corpus prius vivente, non habetur ex natura rei, sed ex opere intellectus tendentis prius in substantiam, quam in corpus, ergo talis series, & prædicamentum est ens rationis. Tum 3. de ente per accidens probatur, quia quantitas discreta, cum sit ex pluribus quid aggregatum, est ens per accidens, & tamen est in præd. quantitatis; scientia est in qualitatibus prædic. & est unum aggregatione ex pluribus habitibus, imo est quid ex absoluto, & respectu ad objectum intrinsece constituta; vestis est in prædicam. habitus, & tamen est quid artificiale; quod etiam patet in omnibus concretis accidentium. Tandem oratio est quid complexum, & est in prædicamento quantitatis.

Resp. prædicamentum constitui ex generibus, & speciebus materialiter, non formaliter, idest ex rebus ipsis, quæ dicuntur genera, & species, non ex ipsa genereitate, & specieitate; unde *Quod* ponitur in prædic. est res, *Quo* ponitur est intentio, quia non ponuntur res in præd. nisi ut substant conceptibus rationis. Ad 2. argum. urgere contra Thomistas negantes distinctionem ex natura rei inter gradus prædicamentales, ac proinde etiam proprietatem, & posterioritatem ex natura rei, non autem contra nos, qui utrumque admittimus. Ad 3. patebit ex dicendis in propriis locis; nam quantitas discreta non est vera species; scientia est una qualitatis species, ut dicit unum per se habitum, non ut dicit illam aggregationem, ut explicabimus disp. 12. & quamvis dicat respectum realiter identificatum ab objectum, non ob id est ens per accidens, quia non ponimus illum de essentia scientiæ; vestis ponitur in prædicam. habitus tanquam materiale, & fundamentum habitibus passivæ, quæ est formalitas habitus; & concreta accidentium ponuntur in prædicam. non ut significant ex æquo subjectum, & formam, ut in seq. art. dicemus. Tandem oratio non est vera quantitatis species, ut suo loco videbimus.

27 Secundo, contra 4. & 5. conditionem. Tum quia accidentia in abstracto sua prædicamenta constituunt, & tamen abstracta significant per modum partis. Tum 2. partes physicæ essentialiter habent sua genera, species, & differentias, unde multis in locis substantiæ vocantur ab Aristot. possunt concipi ut abstractæ, & concretæ in suis inferioribus, & habent omnes passiones substantiæ, ergo per se sunt in prædicamento. Tum 3. genus, & differentia, quomodocumque sumantur, semper sunt entia incompleta,

ergo si genus est per se in prædicamento, omnes aliæ partes debent reponi. Tum 4. ex 1. Top. cap. 7. omnia prædicata dialectica in prædicamentis reperiuntur, sed dialectica disputat de entibus completis, & incompletis, ergo &c. Tum 5. totum non est sine partibus, ergo si totum est per se in prædicamento, partes non possunt excludi. Tandem contra quintam Christus est in prædicamento substantiæ, & tamen habet essentialiter infinitam perfectam, & si daretur linea infinita, adhuc esset in prædicamento quantitatis ex disput. 8. quæst. 3. ergo finitas non est necessaria conditio.

Resp. ad 1. patebit ex seq. art. Ad 2. *disp. seq. qu. 1. art. 1. dicemus posse quoque ordinari aliquam seriem prædicamentalem ex istis entibus incompletis ad instar prædicamentorum entium completorum*, quæ modo sunt in usu, non tamen sequitur debere in his directe reponi. Ad 3. quamvis sint entia incompleta secundum rem, sunt tamen completa secundum modum in ratione habentis, quod sufficit, ut possint de inferioribus prædicari, & cum genus etiam sit potens suscipere prædicationem superiorum graduum essentialē, erit directe in genere. Dices, genus supremum solum de inferioribus per modum totius prædicatur, non autem suscipit prædicationem gradus superioris, cum non adfit, ergo differentia, quia essentialiter de inferioribus prædicatur, quamvis non recipiat prædicationes superiorum, debet esse directe in genere. Resp. neg. paritatem, quia genus supremum saltem potest recipere prædicationem essentialē entis transcendētis, quod non habet differentia, quia non est formaliter ens; tum quia non prædicatur per modum per se stantis; & si velis cum Hurrt. adesse per se, & directe in genere sufficere posse de altero essentialiter prædicari, & consequenter differentiam, quamvis a latere, dici tamen per se in genere, est quæstio de nomine. Ad 4. verum est assumptum, sive directe, sive indirecte, vel reductivè. Ad 5. solum probat partes pertinere ad idem prædicamentum indirecte, vel reductivè, quatenus sunt ratione totius in prædicamento. Ad 6. Christum esse in prædicamento ratione naturæ humanæ, non divinæ, ut disp. seq. quæst. 1. dicemus; deinde negatur paritas de linea infinita, & de infinito in essentia, quia linea esset dumtaxat infinita secundum quid, simpliciter tamen esset limitata, & finita naturæ.

28 Tandem contra 6. arg. Tum quia prædicamentum est coordinatio plurium prædicabilium secundum sub, & supra, individuum non est hujusmodi. Tum 2. Porph. claudit prædicamenta genere summo, & specie infima, & ad individua descendere prohibet, quia sunt infinita juxta præceptum Platonis. Tum 3. individua ad scientiam per se non spectant, ergo ad prædicamenta per se non spectabunt, quæ sunt pars præcipua logicæ, & ad scientiam ordinantur. Tum 4. individuum non est univocum, quia non est de pluribus secundum idem nomen, & rationem, ergo non est una principalis conditio. Tandem individua sunt entia per accidens, quia constant ex rebus diversis ordinis, ut patet ex secunda definitione Porph. *Individuum est, cujus collectio proprietatum, quæ in uno est, in alio non potest reperiri.*

Resp. ad 1. prædicamentum est coordinatio non solum prædicabilium, sed etiam subicibilium, de quorum numero est individuum. Ad 2. imo debere claudi genere summo, & individuo, sicut enim apex ponitur prædicatum, de quo nil aliud dicitur in recta linea, ita basis debet poni subiectum, cui nil aliud subicitur, ut Scot. docet in 2. cit. Porph. ita fecit, quia enumerare solum curavit prædicata essentialia; & Plato individua in prædicamen. recensere vetabat; quatenus infinita sunt, non quatenus individua, quo etiam sensu non est necesse species in prædicamento recensere singulas numerando, vel Porph. tantum voluit divisionem, quæ fit per differentias, non progredi ultra speciem. Ad 3. sicut pertinent ad prædicamentum ut subiecta participantia omnes gradus superiores, ita ad seriem prædicamentalem spectant velut id, ex quo ut ex fundamento adificium prædicamenti construitur; nec est necesse, quæcunque in prædicamento ponuntur, immediate ad scientiam pertinere. Ad 4. illam solum esse conditionem eorum, quæ ponuntur in prædicamento ut gradus prædicabiles & communes, non individui, quod solum ponitur ut subicibile. Ad 5. ratio individui non consistit in illis proprietatibus extrinsecis, sed solum includit naturam, & differentiam individualem; definitio Porph. est quædam notificatio individui a posteriori.

ARTICULUS II.

Constructio prædicamenti in terminis abstractis, vel concretis determinatur.

29 Dicimus in prædicamento substantiæ naturas disponi debere in concreto; in prædicamentis vero accidentium in rigore reponi debere in abstracto non ultimata abstractione, sed media, quamvis etiam in concreto possent collocari. Et quidem de substantiali prædicamento docet ipsemet usus; videmus enim in eo genera, & species disponi

Quæst. III. Quæ ponantur in prædicam. Art. II. 225

disponi nominibus concretis substantia, corpus, vivens, animal, homo, & ratio est, quia res non disponuntur in prædicam. nisi quatenus gradus superior potest essentialiter dici de inferiori, & inferior talem prædicationem suscipere, ad in abstracto fieri nequeunt tales prædicationes, non enim dicimus, humanitas est animalitas, quia naturæ sic significantæ habent rationem partis, & entis incompleti, at in concreto habent rationem entis completi, & totalis, ut diximus disput. præced. quæst. 1. art. 4. & ex professo agemus disp. 10. quæst. 3. nam cum natura substantialis nata sit esse in supposito, in quo suum habet complementum, scilicet substantiam, statim ac a supposito abstrahitur, habet rationem partis, & formæ metaphysicæ.

30 Secundo quod accidentia debeant in media abstractione reponi, manifeste fiet ex dicendis disp. 10. cit. nam abstracta media abstractione sunt termini illi, qui a subiecto abstrahunt, quod in concreto concernunt, sed non ab inferioribus, ut albedo abstrahit a ligno, per album connotato, sed non ab hac, vel illa albedine, ultima vero abstractione abstractum est, quod etiam ab individuis præscindit, ut albedineitas, debent igitur accidentium prædicamenta in terminis media abstractione abstractis disponi, ut docet Scot. quæst. 13. Univ. post. resp. ad 2. princ. & quæst. 11. prædicam. post. resp. ad 3. & probatur auth. Arist. qui multa prædicamenta accidentium ita disposuit, species enim quantitatis, & qualitatibus sub nomine abstracto refert, lineam, superficiem, scientiam, ægritudinem, &c. Tum quia prædicamentum est coordinatio plurium in tali statu, quod superiora possunt prædicari per modum generis, vel speciei, sed termini accidentales media abstractione abstracti adhuc permanent in tali statu, significant enim formas accidentales per modum per se existentis, & completæ naturæ, quod non convenit terminis ultimæ abstractionis, nam ut sic significant formas ut incompletas, & per modum partis, cum ab omni habitudine in ratione habentis præscindant. Immo quia coordinatio prædicamenti est ordo quidam essentialis inter prædicata superiora, & inferiora, & per accidens se habet ordo ad extaneum, potius prædicamenta accidentium disponi debent in terminis abstractis, quibus præscinditur a quolibet ordine ad extraneum subiectum, & ordo essentialis inter superiora, & inferiora denotatur, quam in concretis, quæ ordinem dicunt ad subiectum.

31 Tertio tandem non excludimus omnino concreta ab istis prædicamentis, nam Scotus cit. quamvis simpliciter loquendo dicat abstracta accidentium ordinari in prædicamentis, addit tamen concreta posse per se ordinari sicut superiora, & inferiora, non quidem concretum sub abstracto, ut album sub qualitate, sed concretum inferius sub concreto superiori, ut album sub quali, vult itaque prædicamentum accidentium vel totum in abstracto, vel totum in concreto posse recte constitui: hinc Arist. cap. ult. de antep. omnia accidentium prædicamenta in concreto recentit, & in prædicam. qual. etiam de ipsa egit sub nomine concreto. Turi quia si quid obstat, aut esset, quia concretum est ens per accidens, ut universaliter Arist. dixit de quocunque concreto accidentali 7. Met. 2. aut quia non potest per se subici, & prædicari; sed primum non obstat, quia licet sumendo concretum accidentale pro aggregato ex æquo, ex subiecto, & forma quomodocumque de illo loquebatur Arist. cit. non possit definiti, nec poni in prædicam. ut notat Scot. quæst. 15. Univ. ad 2. tamen formaliter, ut dicit formam, & pro connotato subiectum, non est ens per accidens, ut sæpe dictum est. Neque per se unitas accidentis excluditur per actualem dependentiam ad subiectum, quia subiectum non pertinet ad intellectum ejus ut pars, sed ut terminus talis dependentiæ, ut Scot. docet 4. d. 1. q. 2. A. & q. 8. Univ. in fine: cum ergo termini sint in prædicam. ratione suorum significatorum formalium, non materialium, ut notat Tatar. qu. præced. ad prædicam. dub. 2. album erit formaliter in prædicamento qualitatis. Neque etiam impedimentum oriri potest ex 2. cap. quia etiam in concretis accidentalibus dantur prædicationes per se superioris de inferiori, ut album est coloratum, album est quale, ut Scot. docet qu. 1. Univ. ubi etiam notat a talibus concretis ad abstracta tenere consequi, ut album est quale, ergo albedo est qualitas; unde 1. Top. cap. ult. ait Arist. album contineri sub colorato, tanquam speciem sub genere.

32 Contra argum. primo, quod non possint in abstracto disponi; Tum quia ut sic se habent per modum partis, ut sunt abstracta substantia, pars vero non potest de toto prædicari. Tum 2. accidentia debent poni in prædicam. eo modo, quo de substantia prædicantur, quia prædicamenta accidentium distinguuntur per ordinem ad substantiam, non in abstracto, ergo &c. Tum 3. formæ quorundam prædicamentorum scilicet Ubi, Situs, Quando, & Habere, si abstracte sumantur, includuntur in aliis prædicamentis, nempe locus, & tempus in prædicam. quantitatis, vestis in prædicam. substantiæ, ergo hæc saltem necesse est constituere in concreto. Tum 4. modus inhærentiæ, quo forma accidentalis inest subiecto, pertinet ad idem prædicam. sui accidentis, at hic modus significatur per no-

men concretum, quod concernit subiectum non per abstractum, quod a subiecto præscindit. Tum 5. sicut se habet substantia ad naturas substantiales, ita inhærentia ad accidentales, sed substantiales quamvis sint magis entia, & perfectiora, nihilominus ut abstrahunt a substantia, sunt entia incompleta, multo magis accidentales, ut abstrahunt ab inhærentia: maj. patet, quia sicut natura substantialis completur ultimare per substantiam, ita accidentalis per inhærentiam. Tandem conaturalius est accidenti esse in subiecto, quam ab illo præscindere, ergo saltem rectius prædicamenta accidentium disponuntur per concreta, quæ non solum ordinem ad inferiora, sed etiam ad subiecta significant, quam per abstracta, quæ a subiecto præscindunt.

33 Resp. ad 1. accidens ultimæ abstractione esse quid incompletum, non media abstractione abstractum, quod licet in re sit pars concreti ad subiectum, habet tamen modum significandi totius, quia est concretum ad singularem, nec præscindit ab ordine in ratione habentis, ut sæpe dictum est, non sic abstracta substantia, quæ licet dicant ordinem ad propria individua, unde hæc est vera, hæc humanitas est humanitas, hæc animalitas est animalitas, non tamen ista, humanitas est animalitas, nam animalitas totaliter præscindit a speciebus. Ad 2. neg. maj. quia licet divisio prædicamentorum accidentium facta sit juxta diversum ordinem, quem dicunt ad substantiam, coordinatio tamen eorum in suis prædicamentis non est facta, quatenus prædicantur de substantia in quale accidentale, sed quatenus prædicantur in quid de suis inferioribus: tum quia licet accidentia in abstracto non afficiant actualiter substantiam, afficiunt tamen aptitudinaliter, imo etiam in aliquo sensu actualiter, dicimus enim, quod corpus habet quantitatem, habet albedinem, similiter quantitas se extendit subiectum, qualitas afficit, & Ad 3. neg. assumptum, quia illa etiam quatuor prædicamenta in abstracto sumpta sunt diversa a prædicamento quantitatis, & substantiæ, cum præferant varios respectus extrinsecos advenientes, ut infra in suis locis videbitur. Ad 4. neg. maj. universaliter, quia inhærentia, quando est realiter ab accidente distincta, est in prædicam. habitus, ut ibi dicemus, & solum denominative vagatur per illa prædicamenta; ut docet Scot. 4. d. 12. qu. 1. negatur etiam min. quia utroque modo significatur, vocatur enim prædicamentum habitus, & habere. Ad 5. negatur paritas, quia essentialior est habitudo naturæ substantialis ad proprium suppositum, quod est ejusdem prædicamenti, quam accidentis ad subiectum, quod est ipsi extraneum, quare statimac natura substantialis a supposito præscindit, censetur incompletum ens, saltem in modo significandi, non sic accidens, quia adhuc retinet habitudinem ad inferiora; neque in hoc attendi debet major, vel minor perfectio in entitate, nam adhuc humanitas ut quid incompletum est perfectior accidente in concreto, quod habet modum completi entis, respicitur enim ad modum significandi, non ad rem significatam. Ad 6. patet ex dictis, de ratione enim prædicamenti est prædicatio, & subiecto essentialis, & quidditativa, non accidentalis, & qualitativa; aliter prædicamentum accidentis non deberet constitui ex generibus, & speciebus accidentis inter se ordinatis secundum sub, & supra, sed ex accidente, & subiecto, inter quæ cadit prædicatio accidentalis.

34 Secundo argum. contra dispositionem in terminis concretis. Tum quia Scot. ipse quæst. 15. Univ. ait, concreta accidentalia non esse in genere, nisi reductivè simpliciter loquendo. Tum 2. Arist. 3. Top. cap. 1. ait, justitiam, non justum esse in prædicam. Tum 3. concreta non possunt esse genera, & species, quia eo solum possunt generari, vel species denominari, quæ significant naturam per se stantem, & non alteri adjacentem, aliter prædicarentur in quale, non in quid, accidentia vero in concreto, significant naturam non per se stantem, hinc Arist. 2. Top. cap. 2. ait coloratum non dici de albo tanquam genus, sed denominative.

Resp. ad 1. & 2. vel loqui Scotum, & Aristot. de concreto pro aggregato, vel quia non est in prædicamento, nisi ratione formæ significativæ, & quia coordinatio concretorum pendet a coordinatione formarum, sicut universaliter verum est denominativa pendere a formis denominantibus. Ad 3. dicimus probare solum in rigore debere ista prædicamenta in abstracto constitui, adhuc tamen etiam in concreto possunt constitui, nam concretum, licet ut respicit subiectum, habeat rationem qualis, attamen ut respicit inferiora ratione formæ, quam formaliter importat, habet rationem quid, nec ut adjacens prædicatur de inferioribus, sed ut essentialiter inclusum. Arist. autem sumpsit album, non pro formali, sed pro materiali, & subiecto, quomodo coloratum denominative dicitur de illo. Declaratur amplius hæc solutio, quia album, & nigrum, si considerantur ut talia formaliter, non verò prout connotant subiectum, coloratum prædicari potest de ipsis per modum generis, & speciei, interroganti namque quid sit album, vel nigrum sic sumpta, bene respondeatur, quod est coloratum, unde licet sit concretum adjektivum, attamen non prædicatur per modum adjacentis nisi

nisi respectu subiectorum, de quibus accidentaliter prædicatur, respectu vero inferiorum prædicatur essentialiter, ac per modum per se stantis; licet connaturalior modus concretorum adiectivorum sit prædicari per modum adjacentis.

Q U Æ S T I O I V.

De divisionibus, & regulis antepredicam.

35 Post definitiones univocorum, æquivocorum, & denominativorum, quas disp. 1. explicavimus, subdidit Arist. in Antepredic. duas divisiones, & duas regulas, de quibus erit sermo in hac questione.

Prima divisio est eorum, quæ dicuntur, nam alia dicuntur cum complexione, ut homo albus, alia sine complexione, ut homo equus, & valet hæc regula ad dignoscendam conditionem eorum, quæ in prædicamento reponi debent, quæ est incomplexio; ut diximus quæst. præced. art. 1. ac proinde Aristot. incomplexa postea dividit in decem prædicamenta. Ex quo deducitur, hæc divisionem principaliter esse rerum, seu conceptuum obiectivorum, & minus principaliter vocum, quatenus per eas significantur res, & conceptus, nam scientia prædicamentorum non est de vocibus; quapropter ly dicuntur in præfata divisione idem sonat, quod concipiuntur, ut etiam dicebamus in definitionibus univocorum, & æquivocorum; atque ita sensus divisionis erit. Rerum alia significantur conceptibus complexis, alia incomplexis; & licet complexio, & incomplexio sint passionis vocum, conveniunt tamen primo conceptibus, & complexio, aut incomplexio vocum attenditur proprie ex complexione, aut incomplexione conceptuum, ita illa vox incomplexa cenferi debeat, cui unus tantum correspondet conceptus, complexa vero, cui plures, ut determinavimus in 1. part. inst. tr. 1. cap. 3.

36 Secunda divisio est eorum, quæ sunt, quod alia de subiecto dicuntur, & in subiecto non sunt, ut substantiæ universales, homo animal, alia in subiecto sunt, sed de subiecto nullo dicuntur, ut accidentia particularia, hæc albedo; alia dicuntur de subiecto, & sunt in subiecto, ut accidentia universalis, color, albedo; alia denique nec sunt in subiecto, nec dicuntur de subiecto, ut singularia substantiæ, Petrus, Sortes; in qua divisione solum est advertendum esse in subiecto, & dici de subiecto diversimode sumi ab Arist. nam esse in subiecto accipit pro vera, & reali inhærentia in eo, quomodo accidentibus convenit, nam licet forma substantialis sit in materia ut in subiecto, non tamen inhærentia, ut docet Scotus quol. 9. A. sed per veram informationem, nam inhærentia dicitur informationem non per se, hoc est, quod inhærentia, cum non sit actus simpliciter, sed secundum quid, non facit unum per se cum subiecto, sed per accidens; at forma substantialis est actus simpliciter, & cum materia facit unum per se, & ideo non dicitur esse in subiecto per inhærentiam. Dicit vero de subiecto sumitur, ut significat prædicari de aliquo ut de inferiori quidditative. Valet hæc divisio nendum ad dignoscendum discrimen eorum, quæ in prædicamento substantiæ reperiuntur, ab his, quæ ponuntur in prædicato accidentis, sed etiam ad cognoscendam constitutionem prædicamenti tam substantiæ, quam accidentium, quia illud constituitur ex substantiis universalibus, & particularibus, & similiter ista ex accidentibus universalibus, & particularibus, nec aliud dicendum occurrit de his divisionibus.

37 Prima regula antepredicamentalis est. Quando alterum de altero prædicatur, ut de subiecto, hoc est, ut de quidditative inferiori, quæcumque de prædicato dicuntur, etiam de subiecto dici necesse est; nam si homo essentialiter includitur in Petro, etiam essentia hominis in eo includetur, ergo si homo essentialiter est animal, etiam Petrus essentialiter erit animal. Valet ista regula ad cognoscendum ordinem eorum, quæ ponuntur in prædicamento, nam quæ in recta linea ponuntur, debent esse essentialiter subordinata, ita ut superiora in inferioribus includantur, & de illis quidditative dicantur. Ex his deducitur regulam valere, & tradi solum de prædicatis essentialibus, ut 1. part. inst. tract. 1. cap. 8. diximus, quia talia sunt superiora respectu inferiorum in linea prædicamentali; & his quidem, quæ prædicato competunt, ut supponit absolute, non autem ut supponit simpliciter, vel quæ differentiam ponant inter prædicatum ipsum, & subiectum, erit prædicaciones in secundis intentionibus sunt per actum signatum, non utique exerceri debent, nisi in primis, ut sapius diximus: quæ omnia colliguntur ex Scoto quæst. 9. prædicam. & quibus observatis solvantur omnia argumenta, quæ contra hæc regulam fieri solent, quo autem sensu possit extendi quoque ad prædicata accidentalia ibid. explicatum est.

38 Secunda regula; Diverforum generum, & non subalternam postorum diversæ sunt species, & differentiæ, vel ut alii legunt, diversæ sunt specie differentiæ, ut animalis, & scientiæ, subalternorum vero nihil prohibet eandem esse differentias, nam superiora de inferioribus dicuntur. Valet hæc regula ad cognoscendum ordinem eorum, quæ ponuntur in distinctis prædicamentis, diversa enim

prædicamenta diversas habent species, & differentias. Circa hæc regulam primo dubitari solet, quid intelligatur per genera subalternam, & non subalternam posita, genera enim alia sunt, quæ in nullo superiori genere conveniunt, ut sunt illa diverforum prædicamentorum, alia, quæ sunt sub aliquo genere, inter se vero se habent, ut disparata, ut animal, & planta, quæ dicuntur subalternam, quatenus in uno tertio conveniunt, scilicet in corpore, & in vivente, quædam tandem dicuntur subalternam propriissime, quia unum sub altero continetur, ut animal, & vivens.

Soro, & Complut. hic explicant genera subalternam esse, quorum unum sub alio continetur, non subalternam, quorum unum non continet aliud, five sub tertio communi continentur, five in diversis sunt prædicamentis; favet Scot. quæst. 10. prædicam. fundamentum sumitur ex ipso contextu, nam explicans Arist. quæ sunt genera subalternam, adducit exempla de superioribus respectu inferiorum. Tum quia hoc clare habetur in versione Argyrop. quæ est omnibus castigata, *Quando genera diversa sunt, neque unum ab altero continetur, eorum etiam differentia specie differunt; eorum autem generum, quorum unum sub altero continetur, nihil prohibet easdem differentias esse, idem habet 1. Top. cap. 13. ibi a positione generum, ubi explicans Aristot. genera subalternam, & non subalternam, in hoc sensu tradit hæc eandem regulam, & doctrinam.*

39 Communis opinio, quam tradidit Tatar. in summ. in exposit. huius regulæ, per genera subalternam intelligit ea, quorum unum sub altero continetur, vel ambo sub tertio, non subalternam vero, quæ in nullo conveniunt; Fundatur in hoc, quod exemplificans Arist. de generibus non subalternis mentionem fecit de his, quæ prædicamento differunt, ut animal, & scientia; tum quia 6. Top. c. 2. loc. 41. quæ sub tertio continentur, subalternam vocat, de quibus docet, non implicare habere differentiam communem, ergo cum hic ait genera subalternam habere easdem specie differentias, etiam de contentis sub tertio intellexit.

Attamen quia regula ista de generibus sub tertio communi contentis intellecta in uno sensu est vera, in altero falsa, ut videbimus, utramque expositionem possumus admittere, & quod per subalternam genera intelligantur, quæ sub tertio continentur quoad illas differentias, quas possunt habere communes; & quod per non subalternam accipiat, quorum unum non est sub altero, five sint sub tertio, five non, explicando regulam in generibus sub tertio contentis quo ad illas differentias, quas nequeunt in communi possidere; eo vel maxime, quod in textu utraque expositio fundamentum habet, ut vidimus; quapropter explorare debemus, quam veritatem habeat hæc regula, præcipue in generibus sub uno tertio contentis, de quibus est major difficultas; non quidem de constitutivis illius generis communis, hæc namque omnibus inferioribus conveniunt, ut differentia constitutivæ viventis conveniunt animali, & plantæ, sed de divisiis, an scilicet differentia divisiivæ generis communis convenire possint indifferenter generibus contentis sub illo communi.

40 Prima opinio est affirmativa, sed Authores istius opinionis divisi sunt; aliqui enim indifferenter de qualibet differentia loquuntur, eo quia putant nullas esse differentias proprias unius speciei constitutivas, & unius generis divisiivas, sed quamlibet communiorum esse speciem, & solum adæquari cum illa, quatenus est alteri conjuncta differentia, ex qua combinatione resultat adæquatum constitutum speciei; ac proinde admittunt eandem differentiam pluribus generibus posse advenire, illaque dividere; ita Aversa quæst. 13. Logic. sect. 1. Blanc. disput. 3. univers. cap. de differ. sect. 8. qui alios citat. Aliqui distinguunt, quod genera alia sunt adæquata, & ista non possunt habere communes species, alia inadæquata, de quibus concedunt in una specie reperiri posse, in qua descendunt per differentias inadæquatas; unde licet hæc opinio non videatur concedere genera disparata habere communes differentias, admittit tamen continere sub se communem speciem, quam inadæquate constituunt, de quibus non erit verum dicere, quod generum ad invicem non subordinatorum diversæ sint species; ita Arriag. disput. 8. Log. sect. 1. sub sect. 2. Alii distinguunt de differentis, & generibus, nam quædam differentia sunt universales, quæ totam lineam prædicamentalem dividunt, ut corporeum, & incorporeum in prædicam. substantiæ, & genera ab illis constituta dicuntur universalis, quia totaliter lineam prædicamentalem amplectuntur, ut corpus, & spiritus, & de istis verum est, quod non habent differentias divisiivas superioris generis communes, quia tales sunt illæ universales formaliter oppositæ, quæ nequeunt in eodem reperiri; alia sunt differentia particularis, particularis genus dividentes, & de istis verum est posse pluribus generibus inferioribus convenire, respectu quorum non se habent ut differentia adæquate constitutivæ, has enim asserunt non posse esse communes, sed inadæquate, & non ultimate, ita Ruv. hic, & Amic. asserunt exemplum de quantitate, quæ primo dividitur in permanentem, & successivam, quæ genera habent communes differentias, scilicet continui, & discreti, quæ sunt etiam

etiam divisiivæ quantitatis in communi, nam datur quantitas permanens continua, vel discreta, & quantitas successiva continua, vel discreta, consentit Ponc. disput. 7. numero 46.

Secunda opinio asserit, quodlibet genus habere proprias differentias divisiivas, ita ut una differentia sit unius tantum generis divisiiva, & unius speciei constitutiva, ita Doctor quæst. 10. prædicam. quæst. 27. Univ. & 2. Post. quæst. 58. & aliis in locis infra cit. estque apud Antiquos communis, quam ex Recentioribus sequuntur Moril. disp. 3. Log. quæst. 6. Complut. hic, Pasq. tom. 1. Met. disp. 61. 67. & 68. Pro cuius resolut.

41 Dicimus primo, genera diverforum prædicamentorum nullam habere communem differentiam constitutivam, aut divisiivam, neque communes species; ita Scot. citat. & 2. disput. 3. quæst. 4. D. Probatur; quia prædicamenta sunt impermixta, ita ut unum essentialiter non participet naturam alterius, ergo quæ sub ipsis continentur, nullam habebunt differentiam communem, nec constitutivam, nec divisiivam; supponimus enim nunc decem genera non habere supra se aliud genus, nam si velimus loqui in sententia admittente unum, vel pauciora, quam decem prædicamenta, sic de illis idem iudicium faciendum est, ac de generibus sub communi tertio constitutis, de quibus in seq. concl. ex quo patet alia pars de speciebus, nam species nonnihi ex genere, & differentia coaliscunt, ergo ex diversis generibus, & differentiis, diversæ quoque species constituuntur.

42 Dicimus 2. genera inter se subordinata communes habent omnes differentias superiorum generum constitutivas, quod etiam est verum de generibus sub communi tertio contentis; quia conveniunt in differentia illius tertii constitutiva; est communis cum Aristot. hic, & patet, nam animal includit omne differentias, scilicet corporeum, quæ est constitutiva corporis, animatum, quæ est constitutiva viventis, & sensibile, quæ est propria ipsius animalis; similiter animal, & planta habent differentias constitutivas corporis, & viventis, & sequitur ex prima regula *Quando alterum de altero prædicatur, &c. hinc cum dicimus horum generum eandem esse differentias constitutivas, nil aliud significatur quam rationem generis superioris inveniri in inferioribus, non vero differentiam constitutivam generis superioris esse ultimam constitutivam generis inferioris, hoc enim est impossibile. Sequitur etiam genera inter se subalternam participare aliquas divisiivas superiorum, tum animal ex divisiivis substantiæ habet corporeum, ex divisiivis corporis habet animatum, ex divisiivis viventis habet sensibile, quod etiam est asserendum de aliis sub tertio contentis, quæ habent communes differentias divisiivas, quæ genera constituunt in illis inclusa, præterquam divisiivas immediati generis superioris, verbi gratia animal, & planta habent communes differentias divisiivas substantiæ, & corporis, puta corporeum, & animatum, non tamen habent communes differentias divisiivas viventis, ut est, sensibile, & vegetabile, ut mox dicemus.*

43 Dicimus 3. nulla differentia divisiiva unius generis potest esse divisiiva alterius generis, sed quælibet determinatum sibi genus vindicat, ita Scot. cit. quam probat quol. præd. si eadem differentia, five ultima, five non ultima adveniret pluribus generibus, sequeretur idem specie, vel genere inferiori esse in diversis generibus non subalternis, quod implicat, quidem specie, vel genere inferiori habet unam essentiam, genera autem non subalternam, sed disparata, etiam eisdem prædicamenti, non faciunt unam essentiam, ut patet de animalis, & plantæ; sequela probatur, quorum est una differentia, una est essentia specifica, nam unitas specifica nonnihi a differentia potest provenire, in casu una esset differentia. Dices ad esse diversitatem generum, ideo constituta non esse eisdem speciei. Contra, genera sunt rationes conveniendi in speciebus, differentia sunt rationes disconveniendi, hic genus dicitur a differentia contrahi, esse magis universale, differentia minus universalis: unde per differentiam magis accedit ad esse individuale, eo quia ejus communitas per differentiam restringitur; qua ratione dicitur genus in quid prædicari, differentia in quale, & per modum adjacentis; ergo ab illis generibus non poterit provenire differentia specifica; imo si hoc asseratur, potius illa differentia se haberet ut genus, quia omnia generis attributa illi competenter, genera vero se haberent ut differentia.

Respondet Aversa cit. & sect. 3. nullum esse inconveniens idem habere modo rationem generis, modo rationem differentia, modo concipi ut communis, modo ut minus commune, quia genus, & differentia non sunt quædam entitates ex natura rei distinctæ, sed tantum virtualiter, unde ad libitum poterit intellectus noster formare diversos conceptus secundum diversas assimilationes, vel disconveniencies, quas habet eadem specifica natura respectu diverforum.

44 Contra istam responsonem sunt argumenta probantia distinctionem formalem actualem inter gradus metaphysicos. Tum quia admittit fundamentali distinctione, adhuc est falsa, nam distinctio rationis ratiocinatæ per hoc differt a distinctione rationis ratiocinantis, quod illa non ad li-

bitum nostri intellectus potest tribui rebus, & inter aliqua concipi, sed necessitatur intellectus ad tales vel tales conceptus formandos ex fundamento reperto in re, non sic evenit in distinctione rationis ratiocinantis: cum ergo per Adversarios gradus metaphysici distinguantur ratione cum fundamento in re, necessario concipi debent determinato modo, & non ad libitum intellectus nostri. Tum quia ex 7. Met. 42. & 43. definitio dicitur per se una, quia una pars ejus est per se actus, altera per se potentia, sed si ex nostro capite una pars dicitur actualis, altera potentialis, & non, quia sic exigitur a parte rei, nulla esset per se actus, vel per se potentia, sed quælibet esset per accidens actus, vel per accidens potentia, quia non ex se ipsis, sed quoniam sic a nobis concipiuntur. Tum quia ut arguit Doctor. quol. 1. P. qualis ordo per se realis esset inter aliqua, si essent realiter distincta, talis per se ordo est inter illa, correspondens illi distinctioni, quam habent, puta rationis, si distinguantur ratione; sed si genus, & differentia essent a parte rei distincta, necessario prior esset ratio generis, & universalior, ratio vero differentia posterior, & minus universalis, & hoc ex propriis rationibus formalibus ipsorum; ergo & si ratione ponatur distincta, semper ratio generis debet concipi, ut prior, & communior, non autem ad libitum nostrum; maj. patet, nam ideo conceptus divinæ essentia concipiuntur ut prior, quam sapientia divina (quæ per Adversarios ratione distinguuntur) quia ubi ista realiter distinguuntur, ut in creatis, essentia est prior, quam sapientia, & quælibet alia attributalis ratio.

Aliter respond. assumptum valere de differentis constitutivis ultimate specierum, non de divisiivis communibus. Contra quælibet differentia habet, ut sit divisiiva generis, & constitutiva speciei, si est ultima, speciei infimæ, si non ultima, speciei subalternæ; ut seq. concl. dicemus, ergo quælibet necessario erit minus communis, quam genus, & non poterit nisi uni subalterni generi convenire, non enim datur differentia aliqua, quæ sit divisiiva generis, quin etiam aliquam speciem constituat: hoc enim est dividere genus, scilicet facere, ut id, quod erat pluribus commune essentialiter, conveniat cum illo addito uni tantum.

45 Resp. Ruvius, differentiam divisiivam cum genere constituere propriam speciem adæquate, cum hoc tamen stat, quod inadæquate constituat illa genera inferiora, quibus convenit, ut successio adveniens quantitati adæquate constituit speciem quantitatis successivæ, & quia est communis continua, & discretæ, ideo constituit illas inadæquate, adæquate tamen constituuntur a differentiis propriis ultimis.

Contra; vel illa species intermedia adæquate constituta per differentiam divisiivam, qualis assignatur quantitas successiva, vere se habet ut quid commune potenziale ad quantitatem continuam, & discretam. per continuitatem, & discretionem divisibile, & contrahibile ad illas species, ut ad inferiora, & in hoc sensu non disputamus, quia esset dicere genera inferiora habere supra se genus, a quo inadæquate constituuntur, quod est verum, vel non se habet ut genus superius, sed potius ut differentia constituens inadæquate ex se motum, qui est species quantitatis continuæ successivæ, ita ut simul cum continuitate dividat quantitatem in communi, & constituat simul cum illa motum, & in hoc sensu coincidit cum illa opinione ponente differentiam ultimam non esse unam simplicem differentiam, sed ex pluribus combinatam, quam opinionem ipse Ruvius confutat, & nos concl. seq. nam continuitas hoc modo non potest esse adæquate constitutiva motus, si æquo concurrat successio ad contractionem quantitatis in communi, & constitutionem motus, ita ut una sine altera non sufficiat. Tandem principaliter conf. quia sicut in physicis in sententia ipsorum admittentium plures materias diversæ rationis in cælestibus, & sublanaribus, non potest materia cælestis informari forma sublanari, nec sublanaris materia forma aliqua cælesti propter ordinem intrinsecum, quem adinvicem dicunt, ita quia genus se habet ut materia metaphysica, & differentia ut forma metaphysica, & unum genus est alterius rationis ab altero, non poterit dividi, & actuari per differentiam alterius generis, sed quodlibet petit propriam differentiam, & hac proprium genus.

46 Dicimus 4. quamlibet speciem tam infimam, quam subalternam non constitui in proprio esse per plurium differentiarum combinationem, & unionem, quarum singularis aliis speciebus sint communes, sed simul sumptæ nonnihi in specie, quam constituunt, inveniuntur; sed constitui determinata differentia simplici, quæ ita sit propria illius speciei, ut non sit alterius, sed cum ipsa adæquate, & convertatur, constitui quoque determinato & certo genere proximo, quod unum erit, non plura; est Scoti cit. & in 4. d. 11. quæst. 3. CC. ubi docet rerum differentias simplices esse, & in 1. d. 11. quæst. 2. C. vult hominem per rationalitatem non solum ab his distingui, quæ sub eodem generalitate non solum ab his distingui, sed etiam a lapide, licet non adæquate, & clare disp. 8. q. 3. in fine. Prima pars de differentia prob. ex 7. Met. 43. ubi docens artem construendæ definitionis ait, tandem dividendo genera deveniunt ad

ultimas differentias, & indivisibiles. Tum quia quilibet illarum differentiarum, ex quibus combinatio illa coalescit, non est determinata ad hanc speciem, cum quilibet ponatur excedens, ergo neque conjunctæ poterunt dici ad hanc speciem determinatæ. Prob. consequi per istam combinationem differentie illæ non amittunt proprias entitates, quarum quilibet ponitur indeterminata, nec per istam combinationem aliquid de novo advenit, nisi unio, quæ est respectus quidam non habens vim determinandi, sicut si plura genera disparata simul unirentur, ex ista unione non resularet aliquid determinatum, sed esset adhuc plura indeterminata unita, eo quia talia sunt inter se, ergo in combinatione differentiarum debet assignari necessario aliqua determinata differentia, qua constituatur species, & hæc erit convertibilis cum ipsa, ut evenit in combinatione generis, & differentie; ex qua ideo determinata insurgit species, quia & si genus sit quod commune, & indeterminatum, adest tamen ipsa differentia determinans, quæ si non determinaret, quantumcumque unirentur, nunquam resularet species.

47 Hæc ratio, quam suse prosequitur Pasqual, citi adducitur a Scot. qu. 58. Post. in oppositum, quærens enim ibi, an quilibet pars definitionis sit in plus, seu communior, quam definitum, per negativam parte arguit, quod si non est aliqua pars convertibilis cum definito, non esset aliqua causa, cur tota definitio convertatur. Et si diceretur, quod ex hoc, quod unum additur alteri, unum per alterum determinatur. Contra arguit, nihil additum alteri determinat ipsum ad aliquid inferius eo, quod additur, v. g. sensibile additum corpori non determinat corpus ad hominem, qui est inferior sensibili, sed ad animal, quod convertitur cum ipso, sed si quilibet pars definitionis est communior definito, nulla ipsarum addita potest determinare definitionem ad definitum, quod ponitur inferius, seu minus commune. Denique resolvendo qu. tenet affirmativam partem, quando definitum definitur per multas differentias circumferentes ultimam, nam una determinatur ab alia, & asserti exemplum de definitione ternarii, scilicet quod sit numerus impar primus, quæ definitio convertitur cum ternario, & tamen quilibet ejus pars est communior singillatim sumpta, ut patet: quare ad replicam ait, verum esse assumptum de qualibet parte absolute, & ex se, non tamen ut mutuo, & vicissim aliam determinat, & ab illa determinatur, ut patet in exemplo adducto, nam ly *impar* est differentia communis ad ternarium, quinarium, &c. ly *primus* est indifferens ad dualitatem, quæ ex alio numero non integratur, & ad ternarium, qui est primus, quia partes ipsius non sunt numeri, sed simul sumpta determinatur ad invicem, nam ly *impar* determinat ly *primus*, ut stet pro ternario, non pro binario, & ly *primus* determinat ly *impar* ad ternarium, non ad quinarium; quare ex mutua contractione fit totum convertibile cum definito.

Hac eadem doctrina potest responderi probationi concl. 5. quod ex mutua contractione differentie illæ sunt cum specie convertibiles, quamvis seorsim acceptæ in plus se habeant; quod potest confirmari exemplo quantitatis permanentis continue, nam hæc differentia, permanentia scilicet, & continuas singillatim in plus se habent, permanentia enim potest convenire quantitati discretæ, & continuas quantitatis successivæ, at ut adinvicem determinatur, & combinantur, convertuntur cum permanenti quantitate continua.

48 Sed advertendum, quod Scotus ibi distinguit de differentia, quod alia sit per se, & essentialis, alia per accidens, & accidentalis, de prima ait, quod est cum propria specie convertibilis necessario, & probat ex Arist. 7. Met. 42. & 43. ubi ait, quod sufficit definire per ultimam differentiam cum genere, quia ultima includit totam substantiam definiti: de 2. concedit posse seorsim excedere definitum, sed conjunctim converti; signum evidens doctrinam allatam non esse universaliter veram, & de differentie essentialibus; aliter non oportebat distinguere, & diversimode decidere quæsitum, quapropter concedimus etiam nos, quando ultimæ differentie nos latent, posse plura accidentia simul combinata circumferere naturam speciei definitione descriptiva, non quidditativa; sicut cum volumus significare aliquid individuum in particulari, circumferimus ipsum per plura accidentia extrinseca, quæ simul collecta in ipso tantum reperiuntur, seorsim vero in aliis; at si distincte, & proprie vellemus ipsum significare, oportere attingere differentiam individualement, quæ una est, & simplex, non plures; ratio vero disparitatis est, quia ad definitionem accidentalem descriptivam sufficit, ut partes illæ aliquo pacto uniantur, at in definitione quidditativa, quia hæc explicat unum per se, quæ ponuntur in definitione, debent etiam se habere ut per se unita, quod non fit, nisi cum unum se habet, ut per se actus, alterum, ut per se potentia, quod nequit reperiri in illis differentie in unum combinatis, ergo implicat differentiam constitutivam unius speciei esse ex pluribus combinatam, sed simplex, & determinata esse debet.

49 Quod vero illæ differentie non possint mutuo se determinare, probatur, implicat idem respectu ejusdem esse

simul genus, & differentiam, nam qua ratione esset genus, esset per se potentia, qua ratione esset differentia, esset per se actus, quare simul erit in potentia, & in actu formali, ergo implicat, illas differentias inter se determinari; Prob. consequi quia si continuas v. g. per se coarctaret permanentiam, cui advenit, jam esset ipsius differentia, & actus, permanentia vero se haberet ut potentia, & ut quid essentialiter determinabile, & per consequens esset genus; in hoc enim consistit ratio generis, quod sit quid contrahibile per aliquam aliam rationem essentialem superadditam tanquam quid contractivum, & actuale. Deinde si continuas est essentialiter a permanentia determinabilis, jam erit genus, & permanentia erit differentia. Quibus accedit, quod vel ex ista combinatione differentiarum resultat una per se differentia totalis, & adæquata, vel non; si secundum, ergo erunt quid accidentaliter aggregatum, unde nec unam per se speciem poterunt constituere; si primum, præterquam quod talis esset species constituta, unde non posset poni differentia alterius constitutiva, adhuc tamen ipsa poneretur differentia adæquare constitutiva illius speciei. Ex ista doctrina impugnatu respondo Arriag. ait enim speciem non posse constitui ex duabus differentie adæquatis, sed bene ex inadæquatis. Nam quærimus: ab ipso; quomodo istæ differentie concurrunt ad constitutionem unius adæquatæ differentie, non per aggregationem, quia non conficerent unum per se, si per compositionem, jam redit argumentum factum, pro cuius solutione, Ponc. cit. valde laborat, & tandem ad diversas recurrit considerationes.

50 Secunda pars concl. est præcipue contra Arriag. & sequitur ex dictis, si enim species non nisi ex unica differentia constitui potest propria, & adæquata, & hæc duntaxat uni generi potest convenire, jam quilibet species ex unico genere proximo, & unica differentia determinatur, & certis, sicut determinatam, & certam habet entitatem, & non ex nostro capite, erit constituta. Præterea inquirimus ab Arriaga, quomodo alia genera dicuntur adæquata, quorum unum tantum potest speciei convenire, & alia inadæquata, quorum duo, vel plura possunt ad speciem constituendam concurrere, an scilicet ex propria natura sint adæquata, vel inadæquata, an vero unum dicatur inadæquatum ex concursu aliorum, revera tamen in se esset adæquatum, si solum concurreret. Si hoc secundum asseratur, vana est ista distinctio; quod species possit in duobus generibus inadæquatis reperiri, non vero adæquatis, qua Arist. explicat, dum negat diversorum generum non subordinatorum eandem esse speciem, faceret enim hunc sensum, species non potest esse sub duobus generibus adæquatis, id est si est tantum sub uno genere, nequit tunc esse sub duobus, nam illud dicitur genus adæquatum, quod se solo constituit speciem, quamvis possit cum alio concurrere; quæ est ridicula expositio. Si dicatur primum, quia illa genera possent separari, nam actus, qui ex motivo obedientie, & religionis elicitur, poterat ex solo motivo obedientie fieri, jam essent distincta realiter, & consequenter non possent unam per se speciem constituere, nisi physice per modum actus, & potentie facerent compositionem, quod est falsum. Tum quia genera illa, quia secundum ipsum habent proprias differentias, quibus contrahuntur, constituent proprias species inadæquatas, & sic potius actus ille esset in duobus speciebus inadæquatis, quam in una specie, quæ sub duobus inadæquatis generibus continetur.

Ex his patet sensus secundæ regulæ antepredic. nam si est fermo de differentie constitutivis superiorum generum, sic per genera non subalterna necessario intelligit Arist. genera, quæ nec sub aliquo communi tertio continentur, sed in diversis sunt prædicamentis, & per subalterna, quæ vel ad se invicem, vel sub tertio subordinantur. Si vero erit fermo de differentie divisivis, & maxime de divisivis generis proximi, tunc per subalterna debent intelligi, quæ ad se invicem subordinantur, per non subalterna etiam, quæ sub communi tertio continentur, cujus divisivæ differentie non possunt illis generibus esse communes; & revera hic videtur Aristotelicus sensus, præcipue si legatur, *diverse sunt species, & differentie*, nam non solum quæ in diversis collocantur prædicamentis, non possunt habere species communes; sed neque illa sub communi tertio contenta ex dictis in his concl.

Solvuntur rationes in oppositum.

51 Contra concl. urgetur, quod eadem species possint esse in diversis prædic. & consequenter etiam eadem differentie, nec corpus est in genere substantie, & quantitatis; figura est in genere quantitatis, nam per se consideratur a geometra, qui solas quantitates considerat, & est etiam in prædic. qualit. duplum, & dimidium sunt quantitates, & relativa, unde simul ponuntur ab Arist. in utroque prædic. sic simile, & dissimile sunt relativa, & qualitates, motus ex 5. Phys. est in tribus prædicamentis.

Resp. Scot. quæst. 10. prædicam. neg. assumptum, nam corpus in ratione corporis æquivoce dicitur de corpore substantie, & quantitatis, illud namque est substantia capax suapte

suapte natura trina dimensionis, hoc vero est ipsamet trina dimensio. Figura potest accipi vel pro superficie figurata, & terminata, & sic est quantitas, vel pro ipsa figurate, & terminatione, & sic est qualitas, vel saltem habet modum qualitatis, ut suo loco dicemus. Duplum, & dimidium, æquale, & inæquale formaliter sunt simpliciter relativa, solum fundamentaliter in genere quantitatis, quatenus ipsorum fundamentum est quantitas, pariter simile, & dissimile, quorum fundamentum est qualitas. De motu autem diximus disp. 15. Phys. quod non est directe in prædicamento, sed reductively in prædicamento, sui termini, cum non sit respectus simpliciter realis.

52 Secundo contra alias concl. arguitur autoritatibus Arist. nam 2. Post. cap. 14. ait in definitionibus poni debere plures differentias, quarum quilibet excedat definitum, sed simul sumptæ cum illo convertantur, & adducit exemplum de definitione ternarii, quod sit numerus impar primus; qua regula usus est Porph. c. de diff. & c. de commun. gen. & diff. dum definiens hominem dixit esse animal rationale mortale, quæ duæ differentie simul sumptæ convertuntur cum homine, seorsim vero excedunt; Tum quia 2. de part. Anim. non admittit tot differentias ultimas, quot species infimas; Tum 3. quia 1. Top. cap. 7. & 6. Top. cap. 3. docet differentiam, quæ definitionem ingreditur speciei, in plus se habere, quam species. Tum 4. quia 6. Top. loc. 41. & 4. Top. loc. 11. ait genera sub communi tertio contenta non esse inconveniens habere communes species, & differentias; qua ratione quamvis animal dividi solet per rationale, & irrationale, at tamen 7. Met. 43. ipsum divisi in habens, & non habens pedes; & hic cap. 4. in gressibile, aquatile, & volatile, signum evidens differentias non necessario convenire certo generi, sed ad libitum secundum nostrum concipiendi modum, modo uni, modo alteri applicari posse; quapropter non implicat eandem differentiam esse communem pluribus generibus, & eandem speciem sub pluribus generibus contineri.

Resp. ex Scot. quæst. 58. Post. documentum Arist. observandum cum ultimæ differentie nos lateant, quæ circumferri debent per plures accidentales, ut diximus in probat. concl. & quia Porph. putavit dari animalia rationalia immortalia, idcirco definitivum per mortale, ut sic circumferens ultimam differentiam hominis ipsi ignotam. Ad 2. ibi Arist. per differentias ultimas intellexit accidentales, quibus utrimque loco essentialium, quæ vere excludunt, non essentialia, de quibus loquimur. Ad 3. ibi loquitur de differentie mediis, non de propriis, & adæquatis speciebus. Ad 4. intelligi debere illa loca non de differentie essentialibus, sed accidentalibus, quo sensu eadem species poterit esse sub diversis generibus, in uno essentialiter, in alio denominative, & accidentaliter, ut mox dicemus.

53 Tertio ad idem arguitur multis exemplis; Corpus enim dividitur in vivens, & non vivens, & tamen vivens reperitur in Angelis; Quantitas continua dividitur in permanentem, & successivam, quæ differentie reperiuntur in quantitate discreta. Habitus dividitur per naturalem, & supernaturalem, per intellectualem, & moralem, &c. quæ differentie conveniunt etiam actibus intellectus. Potentia cognoscitiva dividitur in corporalem, & spirituales, quæ differentie competunt etiam potentie appetitivæ. Bipes est differentia volatilis, & gressibilis. In corruptibilitas convenit substantie corporeæ scilicet cælesti, & incorporeæ. Prædicam. & speculativum sunt differentie scientie in communi; & eidem actui scientifico possunt convenire. Prudentia est sub genere habitus, & sub genere virtutis moralis. Idem actus moralis, si fiat ex duplici motivo duarum virtutum, ut charitatis, & obedientie, ex æquo moventibus voluntatem, erit simul in illis generibus virtutum essentialiter, non enim esset major ratio, cur una species sit illi actui essentialis, & non alia. Prædicari in quid, & in quale sunt differentie dividentes prædicabile in communi, & utraque convenit differentie tertio prædicabili, quæ in quale quid prædicatur: Propositio affirmativa dividitur in veram, & falsam, quæ differentie propositionis negativæ quoque competunt, & multa alia possent exempla adduci. Neque dicas (ait Averfa) cum differentia magis patet, quam genus vel species, non debere sumi in tota latitudine, sed in sensu magis accommodato, & determinato. Nam vel ista determinatio provenit ex consortio generis, & habetur intentum, scilicet in se spectatam differentiam esse ad plura genera indifferenter, vel ex aliqua ratione inclusa in conceptu talis differentie, & hoc est falsum, quia differentia illa, v. gr. vivens, ut a corpore præscindit, non esset quid communis ipso corpore.

54 Resp. differentiam semper restringere genus, & monstrum est in metaphysica dicere genus etiam restringere differentiam, quamquam id concedat Averfa; quare cum differentia addita generi videret ex vi nominis plus extendi, non debet sumi in tota amplitudine, ut nomen sonat, sed sub ratione magis propria, & determinata; licet indigeamus nominibus sæpe talem determinationem experimentibus; v. gr. rationale dividit animal & scientiam, & atque

men utrobique sumitur difformiter: aliud exemplum adducit Aristot. 1. Top. cap. 13. nam acutum convenit quantitati, quia datur angulus acutus, & qualitati; scilicet voci acutæ, non tamen est eadem differentia. Nec dicitur, quod vox, & angulus sint diversorum prædicamentorum, sicut animal, & scientia, nam præcipue in sententia Averfae unum prædicamentum ponentis, hæc genera re vera se habebunt ut duo sub communi tertio contenta. Non ergo est eadem differentia hæc, & ibi, quamvis eodem nomine appellata, vel si est eadem, non erit essentialis, sed accidentalis; per quod posset ad omnia illa exempla responderi; & ad impugnationem dicimus nunquam differentiam a genere determinari, sed ex se determinatam esse, quia talis est natura differentie, unde negamus, ut a genere præscindit, in plus se habere, nam quod tunc concipitur, non est differentia illius generis, sed conceptus alterius: hinc præstat ad singula exempla respondere.

55 Cum corpus dividitur in vivens, & non vivens, ly *vivens* non debet sumi in tota sua amplitudine, secundum quam etiam convenit Angelis, sed sumi debet per animatum, quo sensu non excedit corpus, sed illud restringit. Quantitas continua cum dividitur in permanentem, & successivam, item & discreta, permanens, & successivum utrobique non eodem modo sumantur, licet idem nomen id significare videatur, quicquid reclamet Averfa; præterquam quod hæc est divisio accidentalis, nam ut suo loco dicemus, species quantitatis sunt tantum tres, linea, superficies, & corpus. Habituus differentie assignatæ quæ sunt accidentales, concedimus actibus convenire, non tamen essentialia, quæ diversa sunt in actibus, & habitibus, quod præcipue innotebit, quod alio modo intellectualitas, vel supernaturalitas explicatur in actu, & in habitu, nam cum ex nostra ignorantia penetrare nesciamus ultimas, & proprias rerum differentias, sæpe adjungimus generibus quædam differentias communiores, quas postea per aliquid aliud restringimus; sic rationale importare videtur aliquod commune Angelis, & hominibus, circumscribit tamen nobis aliquid homini peculiare, per quod ab Angelo distinguitur, ut docet Scot. 2. d. 1. quæst. 6. Idem de differentie potentie dicendum. Bipes est accidentalis differentia: In corruptibilitas coeli est diversæ rationis ab incorruptibilitate Angeli, sicut radix est diversa in coelo, & in Angelo. Prædicam. & speculativum nunquam possunt eidem actui convenire, vel habitui, ut suo loco ostendemus. In prudentia ratio moralitatis est accidentalis, cum dicat denominationem extrinsecam ex ordine ad voluntatem proveniente, vel si dicitur rationem practici, quia prudentia est regula directiva operationum voluntatis, sic est ipsi essentialis, & habitus intellectivus est gradus genericus sub se continens tanquam subalternas species habitus practicos, & speculativos. Actus ex duplici motivo elicitus potius esset in duplici specie infima, quam sub duplici genere; ideo dicimus, si motiva sunt subordinata, esse in una specie essentialiter, in alia accidentaliter, si ex æquo moverent, in genere physico esset in una tercia specie innominata, quia a motivis solum extrinsece specificatur actus, non intrinsece, ideo non sequeretur duas differentias específicas simul unam speciem constituere in genere moris, vel idem dicendum, vel quod non implicat, quia ratio moralitatis est extrinseca denominatio in actu, non quid essentialia. Prædicari in quid, ut a prædicari in quale distinguitur, non significat prædicari essentialiter, quomodo differentie dicitur convenire, ut disp. præced. diximus. Tandem veritas, & falsitas, vel non sunt essentialia prædicata propositionis, vel si sunt essentialia, veritas tamen, & falsitas utriusque erunt alterius, & alterius rationis.

56 Quarto ex eodem Averfa, quod non necessario differentia determinatum genus, vel speciem debeat respicere. Tum ex Arist. 7. Met. 43. ubi agens de prædicatis essentialibus ait, *ordo non est in substantia, quo namque modo intelligere oportet, hoc quidem prius, illud vero posterius*; Tum 2. solet genus hominis assignari animal, differentia rationale, at æque bene potuit assignari substantia intellectualis, quod est ipsi commune cum Angelis, & deinde differentia potest assignari vel corpoream, vel mortale, vel discursivum. Insuper corpus animatum ponitur genus animalis, seu vivens, in quo convenit cum plantis, & differt ab Angelis, at æque bene potest assignari vivens cognoscitivum, in quo convenit cum Angelis, & differt a plantis, & differentia erit esse sensitivum, vel corpoream, substantia modo dividitur immediate per corpoream, & incorpoream, & substantia corporea est genus, quod dividitur in vivens, & non vivens, ubi vivens se habet ut differentia, sed pariformiter dividi potest prius in viventem, & non viventem, ac postea vivens in corpoream, & incorpoream, ubi vivens est genus, esse corporeum est differentia, ergo non plus una ratio est ex natura rei prior, quam alia, & cum quolibet genus possit dividi pluribus modis immediate, pluribus etiam modis genus, & differentia designari poterunt, & eodem fere discursu uritur Ponc. cit.

Resp. ad 1. ex Scot. 4. d. 11. quæst. 3. CC. ex hoc loco non colligi, quod non sit per se ordo in prædicatis essentialibus, nam immediate ante voluit, quod si est nugatio addendo in definitione priorem differentiam posteriori, quod

pri ratione erit nugatio e converso addendo posteriorem priori, puta si dicatur homo est animal rationale sensibile, vel sensibile rationale, semper committitur nugatio, non enim subjungit, est talis ordo in substantiis, idest in his, quæ pertinent ad rationem alicujus definitivam, quod aliis, vel aliis ordo tollat, vel faciat nugationem, negat igitur ordinem non in prædicatis inter se, sed respectu nugationis inferendæ, vel tollendæ. Ad 2. neg. æque bene assignari genus hominis substantiam intellectualem, & differentiam esse corpoream, vel mortale, quia de ratione differentie est minus patere, quam genus, cum sit contraria; si igitur corporeum, vel mortale poneretur ut differentia, tunc ratione differentie cum pluribus, vel saltem non cum paucioribus conveniret, quam ratione generis, nam per genus conveniret solum cum Angelis, per differentiam cum omni creatura corporea: discursivum vero assignari non potest, quia Angelus etiam est discursivus in sententia Scoti, & eadem ratione non bene assignaretur vivens cognitivum genus proximum animalis, corporeum vero, aut mortale differentia. Neque substantia potest prius in viventem, & non viventem dividi, quia sicut in Angelo prius est esse spiritum, quam viventem, & viventem, quam intellectivum, quia spiritualitas est radix vitæ intellectualis; & in his inferioribus prius est esse corpus, quam tale corpus, scilicet simplex, vel mixtum, aut animatum; ita immediatus dividitur substantia per corpoream, & incorpoream, quam per viventem, & non viventem, & universaliter loquendo etiam concedamus hæc, & similia exempla, quæ pro se adducit Averfa, non tamen ob ista negabimus esse ordinem naturalem inter prædicata essentialia, sed dicemus hæc variationem contingere, quia iste ordo nos latet.

7 Quinto ad idem una, & eadem species potest essentialiter convenire, vel in una, vel in alia ratione cum variis speciebus; & etiam variis rationibus ab eisdem differere, ergo juxta hæc varias convenientias, & distinctiones poterunt varia prædicata essentialia pro generibus, & differentis singularum specierum constitui. Tum 2. per eun-

dem gradum corporei, v. g. differt homo ab Angelis, & convenit cum omni creatura corporea, ergo idem gradus respectu diversorum erit genericus, & differentialis; ergo non erunt ex natura rei distincti, & determinati. Tum 3. intellectivum in communi dicitur de homine, & Angelo, ergo potest poni genus commune ambobus. Tandem aut substantia intellectualis continetur immediate sub corpore, & sub spiritu, & sic eadem differentia ad plura genera spectabit; aut non continetur, & sic quia est communis homini, & Angelo, poterit dividi per corpoream, & incorpoream, quæ differentia nunc ponuntur dividere substantiam in communi, ergo nullus determinatus ordo reperitur inter Prædicata quiddiativa.

8 Resp. ad 1. conced. totum, sed hinc non sequitur, posse indifferentem ex hac, vel illa ratione genus, & differentiam sumi, nullo ordine servato, imo sicut ex ratione conveniendi, ut sic, sumitur ratio generis, & ex ratione distinguendi, ut sic, ratio differentie, ita ex ratione conveniendi universaliori, seu cum pluribus sumitur genus magis remotum, ex ratione conveniendi minus universaliori sumitur genus minus remotum, & similiter ex ratione minus distinctiva, seu quæ aliis convenit a constituto, sumitur differentia magis remota, & ex magis distinctiva, & paucioribus conveniente differentia magis propria. Ad 2. concedimus etiam genus distinguere constitutum ab his, quæ non sunt sub eodem genere, sed negamus ob id dici posse differentiam, quia hæc distinguit illud ab his, quæ sunt sub eodem genere. Ad 3. conceptus ille communis non esset proprie genericus, quia non responderet a parte rei realitas generica, quia hæc non esset divisibilis per corpoream, & spirituales, cum hæc differentia sint priores ex propria natura, nam incorporea, seu spiritus, est radix intellectus, quare ista nata est advenire spiritui, non e contra; & intellectuale conveniens homini, & cum corporeo compossibile non est intellectuale in communi, sed corpori proportionatum, & illius informativum, quod Angelo non competit. Per hoc patet ad ultimum.

non est primum, quod invenitur in substantia, prius enim est rationem in se esse, quam aliis subesse, & non ideo substantia per se existit, & consistit, quia accidentibus subest, sed e contra; quæ de causa merito Arist. rationem substantiam inter affectiones substantiarum connumeravit, cum dixit esse susceptibile contrarium, quod est posse subistere accidentibus, inter quæ contrarietates exercetur.

4 Tertio tandem modo substantia dicitur omne ens in se, & per se existens (licet non a se) prout per se esse excludit non solum inharere, & in alio esse per modum accidentis, verum etiam, ut excludit esse in alio, ut pars in toto, vel in alia comparte per modum informantis, ut Scot. notat quod. 4. M. & in hoc sensu comprehendit solum substantias creatas completas, tam simplices, quam compositas excludendo partes earum, tam essentielles, quam integrantes, in quo sensu substantia dividit ens finitum descendens in decem prædicamenta, & dicitur substantia tam a subsistendo, quam a subsistendo posteriori quodam modo, quam substantia communiter dicta, quia substantia completa magis dicitur per se subsistere, quam incompleta, quatenus excellentiori modo in se, & per se existit, quam illa, & magis etiam dicitur subistere, quam illa, quia proprium subjectum accidentium est substantia completa, ut dicimus in Phys. juxta hanc triplicem substantiarum acceptionem triplex solet esse opinio de genere generalissimo hujus prædicamenti.

5 Prima opinio constituit genus supremum hujus prædicamenti substantiam communissime sumptam, ut in eo etiam Deum ipsum reponant, ita Nominales omnes Gregor. 1. d. 8. qu. 3. Gabriel ibi, & Rubion. q. 1. art. 3. Mayr. d. 8. qu. 2. Marfil. 1. qu. 12. art. 2. Bacon. d. 8. ar. 2. & 3. Boner. lib. 1. Theol. Nat. cap. 1. & lib. 2. c. 1. 2. & 3. quibus ex parte favent ex Junioribus Averfa q. 17. sect. 13. Hurtad. in Met. disp. 9. sect. 4. & Arriag. disp. 3. sect. 2. quamvis enim faveant Auctores isti, Deum in prædicamento non contineri, ut de facto est in usu; ajunt tamen posse constitui in prædicamento substantiam, si substantia ita ample sumatur, ut omnem substantiam complectatur creatam, & incretam præcisè imperfectionibus, quæ modo adveniuntur in prædicamento substantiæ. Addit Hurtad. quod si constitui nequit in prædicamento substantia, sub quo cum creaturis continetur Deus, omnino tamen posse, ac debere constitui prædicamentum substantiæ incretæ distinctum a prædicamento creatæ, nam etiam Deus habet seriem prædicatorum ordine collocatorum, est enim ens substantiale, completum, spirituale, æternum, &c.

Secunda sententia genus supremum hujus prædicamenti constituit substantiam communiter sumptam, ut in prædicamento recludat etiam partes substantiales, sive essentielles, & physicas, ut sunt materia, & forma, sive integrantes, ut caput, manus, & pedes, ita sensu videtur ex Græcis quamplures Ammonius, Simplicius, Boetius, & alii, qui etiam differentias substantiales per se in hoc prædicamento, ac directe posuerunt, pro qua sent. citantur etiam Holc. 1. qu. 6. Venet. c. 4. suæ Met. & Zimar. in Theor.

Tertia tandem, & communis sent. constituit supremum genus hujus prædicamenti substantiam tertio modo sumptam, idest creatam, & finitam, ut excludatur Deus, & completam, ut excludantur entia incompleta, quæ reductive solum ad prædicamentum spectant. Verum est non desuisse, qui generalissimum hujus prædic. adhuc magis restrinxerunt afferentes, solum substantiam corpoream esse summum genus, ut Angelos excluderent ab hoc prædicam. ut Plotinus Enead. 6. l. 1. cap. 2. Albert. tract. 1. prædic. c. 7. Egid. ibidem, & quol. 1. qu. 8. & seq. Honorat. hic. Immo quidam hoc supremum genus adhuc magis coarctarunt ad substantiam corpoream corruptibilem, ut Cælos excluderent, & tribuitur Aver. Nypho, Gandavensi, & aliis quibusdam.

6 Hujus quæst. solutio pendet ex dictis disput. præced. qu. 2. artic. 1. ubi assignavimus conditiones entium in prædicamento reponibilium: & quamvis Arriag. censet hanc esse meram quæstionem de nomine, nam juxta variam acceptionem generis prædicamenti potest Deus includi in prædicamento, vel excludi, unde per hoc explicat Auctores Patrum excludentium Deum a prædicamento; tamen non est ita, nisi velimus abuti nominibus, & ea ex nostro capite confingere; hinc est, quod Recentiores, sed præsertim Arriag. omnes fere quæstiones reducant ad litem de nomine, quia nimirum nolunt vocabulis uti secundum vulgarem acceptionem, cum tamen Arist. in Top. & Scotus 4. distin. 1. quæst. 2. docuerint utendum esse nominibus secundum communem usum loquentium; concedemus, & nos Deum esse in genere, si hoc ita accipiatur, ut nullam dicat imperfectionem, sed hic labor, hoc opus est, nisi enim abuti velimus nomine generis, videbimus genus etiam ex vi ipsius nominis imperfectionem importare, stando igitur communi loquentium usui de genere, & de esse in prædicamento, etiam sapientium, & Philosophorum.

7 Dicimus 1. substantiam communissime sumptam, ut scilicet comprehendit creatam, & incretam, nec posse, nec debere poni generalissimum hujus prædicamenti, quia Deus nullo modo poni potest in hoc prædicamento. Con-

Maffrii, & Belluti Tom. I. Logica.

clusio est, receptissima in utraque Schola Thomistarum, & Scotistarum, quam expresse tradiderunt SS. Patres, quorum testimonia afferit Didac. disp. 12. q. 2. nobis sufficiat August. testimonium pro mille, quod refert Doctor 1. distin. 8. quæst. 3. §. Teneo opinionem meam mediam ex 7. de Trin. cap. 5. ubi diferte docet, Deum non esse substantiam hujus prædicamenti. Resp. Arriag. cum aliis ibi August. accipere substantiam pro ea, quæ accidentibus substat, quo sensu verum est nec esse substantiam, nec in prædicamento substantiam. Ulro fatetur Doct. in hoc sensu Aug. ibi accipere substantiam, sed ex hoc ait colligi in nullo sensu posse poni sub substantiam, ut genus est, quia ut est genus, semper est limitata, ut statim probabitur, omnis autem substantia limitata capax est accidentis, ergo si Deus esset in genere substantiæ, posset accidenti substat, in hunc modum ait Doctor tenere rationem August. Probat autem ibi concl. Scot. ex triplici capite ex summa Dei simplicitate, ex infinitate, & ex necessitate.

Ex simplicitate divina sic arguit; quia si Deus esset sub genere, utique ex illo constitueretur per additionem differentie, atque ita esset metaphysice compositus, quod obstat summæ simplicitati. Nec valet solutio Valsq. 1. p. disp. 22. ubi est nobiscum concl. teneat, inquit tamen hanc rationem non valere, quia cum compositio ex genere, & differentia sit rationis, non destruit Dei simplicitatem. Non valet; tum quia cum genus, & differentia dicant diversas realitates, afferunt veram compositionem metaphysicam ut probavimus disp. 5. q. 3. art. 2. tum quia etiam si ea non distinguamus ex natura rei ante opus intellectus, tamen ut Ruvis advertit, hæc conceptum diversitas, ne sit fictitia, debet habere fundamentum in aliqua compositione, sive ex materia, & forma, sive ex actu, & potentia, nam nisi in re sit aliquid se habens, ut potentia, & aliquid se habens, ut actus, absque fundamento ibi conciperetur genus, & differentia, ergo etiam si compositio ex genere, & differentia immediate compositionem ex natura rei non afferret, & formaliter, illam tamen infert radicaliter, quia illam supponit. Nec etiam valet solutio Hurtad. assignari posse differentiam infinitam, quæ contrahat conceptum communem Deo, & creaturæ, & quod de facto persona divina in communi ita contrahitur ad tres personas divinas. Non valet, nam tam conceptui generis, quam differentie repugnat infinitas, cum de sua ratione habeant rationem partis, quod infinito repugnat, ut mox dicemus, de conceptu autem personæ communi ad tres divinas personas satis diximus disp. 5. quæst. 2. art. 1. in sol. ad 1.

8 Ex ratione infinitatis sic arguit; realitas generis semper est potentialis ad realitatem differentie, at similis realitas reperiri nequit in Deo, in quo qualibet realitas est infinita, quia realitas infinita quantumcumque præcisè sumatur, nequit esse in potentia ad aliam realitatem, cum infinitum sit, cui nihil entitatis deest, eo modo quo possibile est illud haberi in aliquo uno, ut Doctor explicat quol. 5. B. nec valet communis Nominalium solutio, Deum esse in genere sublati imperfectionibus; finitate, scilicet, & limitatione, unde ait Averfa, admitti posse Deum esse in genere late sumpto, & substantiam communissime sumptam posse appellari genus, sicut, & ens communissime sumptum, sumendo nempe genus pro omni prædicato, quod non solo nomine, sed etiam ratione significata dicitur in quid de pluribus, & non est species, quod vocat genus transcendente quæst. 16. sect. 2. At jam disp. 5. quæst. 1. art. 2. prope finem ostendimus contra Arriagam ens non esse genus, & eadem ratione negamus hic posse dici genus substantiam communissime sumptam, nisi vocabulo generis abuti velimus, & in tam sua significatione accipere, ut idem sit, quod prædicatum univocum, nam hoc sensu utique non inficiabimur Deum esse sub genere: sed si de genere loqui velimus, ut sapientes locuti sunt, certe implicat in adjecto dari genus transcendente, quia cum genus suapte natura importet conceptum potentialem, & per modum partis, semper de quid finitum est, & limitatum, transcendens vero cum dicat conceptum indifferentem ad finitum, & infinitum, ubique præcendit a limitatione, non ergo substantia communissime sumpta poterit appellari genus cum sit transcendens, & implicavit dicere Deum esse in genere sublati imperfectionibus. Conf. concedamus substantiam sic sumptam esse genus, tunc vel ad Deum contrahitur per differentiam finitam, vel infinitam, non primum, ut patet, neque secundum, quia cum substantia, ut sic, sit perfectio simpliciter, jam erit imbita in ipsa differentia ratione suæ infinitatis, alioquin infinita non esset, cum ei aliqua perfectio deest: quod si in ipsa includitur, ergo non erit genus, neque per ipsam contrahetur, quia genus manet semper a differentie exclusum.

9 Ex necessitate Dei tandem id ipsum convincit, quia nullum genus est necesse esse, cum omne tale sit in ultima actualitate, genus vero formaliter sit in potentia ad ultimam actualitatem, at quod est necesse esse, ergo &c. Nec constitui ex aliquo quod non est necesse esse, ergo &c. Nec valet reflexio hujus rationis, quam contra Doctorem facit

DISPUTATIO SEPTIMA.

De Prædicamentis in particulari, & primo de absolutis.

A Tractatione Prædicamentorum in Communi gradum facimus ad tractationem eorumdem in particulari, & primo loco absoluta proponimus consideranda, quia hæc ex natura rei præcedunt prædicamenta respectiva, utpote, quæ fundantur in ipsi identitas in substantia, æqualitas in quantitate, similitudo in qualitate, ut infra. De his autem Prædicamentis absolutis ea solum tangemus, quæ necessaria sunt ad eorum coordinationem contentendam, in hoc enim sensu ad Logicam pertinent. res enim ipse illorum prædicamentorum, ut a tali ordine præcisè, spectant ad alias facultates, unde de substantia, & accidente, ut sic, agitur in Metaph. De quantitate agitur in Physic. tract. de continuo ad 6. Physic. De speciebus qualitatis agitur in lib. de Anim. & de gen.

QUESTIO PRIMA

De Substantia.



Ure præmittit Arist. descendens de præ. in particulari substantiam cæteris accidentium prædicamentis, cum ipsa sit fundamentum, & causa omnium accidentium, eaque præcedat tempore, natura, & cognitione ex 7. Met. c. 1. eo tamen modo, quo explicat Doct. 2. d. 3. qu. 4. sub B. Nos igitur quoque eadem de causa

ya ab ipsa exordiemur, ubi notandum hic substantiam non sumi in illa amplitudine, per quam extenditur ad significandam naturam, & essentiam cujuscumque entis; quia sic etiam accidentibus convenit, sed potius ab accidente distinguitur, & cum eo adæquate dividit ens reale, & in hoc igitur significato constituitur quæstio de substantia, quam tribus articulis absolvemus.

ARTICULUS PRIMUS.

De generalissimo hujus prædicam. ac ejus speciebus.

1 Substantia, ut hic de ea loquimur, potest sumi trifariam, communissime, communiter, & strictè; primo modo substantia dicitur omne illud ens, quod est per se, sive per se existit, & non in alio per inharerentiam, sive actualiter, sive aptitudinaliter, sive talem essendi modum a se habet, sive ab alio; & in hoc sensu comprehendit Deum, substantias creatas, tam simplices, quam compositas, & partes earum, tam essentielles, quam integrantes, ut Scot. docet q. 15. Prædicam. & 1. d. 8. q. 3. licet enim forma sit in materia, & pars integralis in toto, nullum tamen horum est in alio, tamquam accidens in subjecto, quia inharere convenit tantum illi, quod non est per se actus, nec facit unum per se cum subjecto, cui insidet, ut Doct. notat quol. 3. S. & quol. 9. A. & hoc modo substantia nequit dici a subsistendo, quia Deus in hoc sensu est sub-

stantia, & tamen nulli rei subest, nulla accidentia suscipit, sed dicitur substantia a subsistendo, idest a per se stando, & non in alio ad modum accidentis, & licet ista perfectas essendi explicari soleat per negationem essendi in alio ad instar accidentis, non est, quia formaliter in tali negatione consistat, ut est communis omnium sensus contra Soncin. 5. Met. quæst. 14. tum quia ratio per se existendi, ut constituit substantiam, & eam ab accidente distinguit, est ratio positiva, sicut substantia, ut sic est entitas positiva, ut ait Doct. c. quol. 3. tum quia universaliter nullum ens reale positivum potest in sua essentia constitui per solum negationem: tum tandem quia, ut docet Doct. 2. d. 3. q. 2. §. Contra ista, nihil simpliciter repugnat alicui enti per solum negationem, ergo inhærentia non potest substantiæ repugnare per solum negationem inhærentiæ in ipsa repertam, sed potius per aliquod positivum, in quo fundatur talis negatio, sicut negatio hinc habilitatis in homine fundatur in rationalitate, igitur perfectas substantiæ explicatur per negationem inhærentiæ solum, veluti per quid concomitans, quæ de causa eam enumeravit Aristotel. inter substantiæ proprietates, dicens esse commune omni substantiæ in subjecto non esse, & substantiæ hoc primo modo sumptæ simul cum accidente membra sunt entis transcendenter sumpti.

3 Substantia secundo modo sumpta scilicet communiter, est quocumque ens pariter in se, & per se existens, & non in alio ad modum accidentis, non tamen a se, sed ab alio, & in hoc sensu substantia simul cum accidente dividit ens finitum, & limitatum, & comprehendit omnem substantiam creatam, tam completam, quam incompletam, tam simplices, quam compositas, & partes earum, tam essentielles, quam integrantes, ut notat Scot. cit. quol. 9. A. & substantia in hoc sensu, non solum a subsistendo substantia dicitur, verum etiam a subsistendo, quia omnis substantia creata substat potest alicui accidenti, ut docet Scot. c. 1. d. 8. q. 3. F. ita tamen ut sola ratio subsistendi, vel per se existendi sit essentialis, & primaria, ratio vero subsistendi secundaria, & concomitans, quia subsistit accidentibus non

Greg. quod nempe Deus constituitur ex ente, ac infinito, & tamen ens in se formaliter non est necesse esse; Nam Bargasius bene negat paritatem, quia communitas entis non est alicuius realitatis, quæ una, & eadem formaliter per indifferentiam reperitur in Deo, & in creatura, ut late disput. 2. Met. sed tantum est communitas conceptus inadaquatæ, unde realitas, quam ens dicit in Deo a parte rei, est necesse esse, & non est constitutio facta ex ente, & infinito, velut ex duabus realitatibus formaliter distinctis, ac communitas generis est communitas realis per indifferentiam, & compositio, quam facit cum differentia, est metaphysice realis. Alii aliis rationibus id probant; verum non absolute probant Deum non esse in genere substantiæ, sed tantum non esse in eo, ut modo contextitur. Et in hoc discursu deducto e Scoto ex summa Dei simplicitate, infinitate, & necessitate, fundatur ratio, qua disp. 6. q. 3. art. 1. n. 25. probatum est sola entia essentialiter finita in prædicamento contineri, quia quicquid est in prædicamento, aut est illius generis generalissimum, aut sub eo contentum, nihil autem; nisi finitum, potest esse generis generalissimum, aut sub eo contentum, ut ibi deducebatur. At Poncius disp. 10. Log. n. 24. contra hanc rationem ait facere, quod valde difficile est assignare rationem, cur substantia, ut sic, non sit generis respectu Dei, & aliarum substantiarum; unde nu. 25. aliter ipse probat, quod Deus non sit in prædicamento, & in genere substantiæ, quia re vera Philosophus non voluit dividere in prædicamenta, nisi entia creata, ac finita, unde certum debet esse, quod in prædicamentis his decem a Philosopho assignatis non ponatur Deus, & quod consequenter una ex conditionibus rerum in illis positurarum sit finitas. At ex discursu Doctoris constat illam rationem esse bonam, quia loquendo de genere, ut genus est, & in acceptatione apud Philosophos usitata, non autem ad libitum cuiusque conficta, genus ex sua ratione dicit realitatem vere potentialem, & per differentias contrahibilem, & ideo tam genus, quam quod sub genere, imperfectionem involvunt compositionis, vel compositibilitatis metaphysicæ, ut etiam fustis dicitur disp. 2. Metaph. n. 131. & inde, & num. 165. Ratio vero, quam ex proprio capite assignavit Poncius rationibus Doctoris nostri non acquiescens, est omnino frivola. Primo quia non absolute probat, Deum non esse in genere substantiæ, sed tantum non esse in eo, ut modo ab Arist. contextum est; deinde quia committitur in ea manifesta petitio principii, cum ait revera Philosophum noluisse dividere in prædicamenta, nisi entia creata, ac finita; nam hoc ipsum est, quod hic controvertitur, num ab Arist. prædicamenta ita fuerint disposita, ut sola entia creata, & finita sub eis contineantur, an potius in tanta amplitudine, ut etiam Deum ipsum cum cæteris Intelligentiis sub se comprehendant.

10 Dicimus 2. neque substantias finitas communiter sumptam, ut comprehendit substantias completas, & incompletas, esse supremum genus in hoc prædicamento. Ita Doctor q. 14. & 15. prædic. dependetque ex dictis disp. præc. q. 2. art. 1. in explicanda quarta conditione entis reponibilis in prædicamento, ibi enim assignata est ratio, cur entia incompleta locum in prædicamento habere nequeant. Satis nunc sit adducere Arist. ipsum, sicut enim ab ipso accipiuntur hujus prædicamenti texturam, in ejus testimonio flare debemus quoad ejus generalissimum, in hoc igitur cap. dum ait primam substantiæ affectionem, scilicet non esse in subiecto, convenire non solum substantiis, sed etiam substantiarum differentis, manifeste discrevit differentias a substantiis hujus prædicamenti, & in 2. de Anim. cap. 1. loquens de partibus essentialibus physicis inquit, materiam secundum se non esse hoc aliquid, & formam esse, per quam fit hoc aliquid, compositum vero esse hoc aliquid: cum igitur hoc aliquid sit prima substantia, ut in hoc cap. docet, restat materiam, & formam non esse substantias hujus prædicamenti, nisi reductive, quatenus sunt partes primæ substantiæ. Tandem 7. Met. 56. dicens, eorum quæ videntur substantiæ, multas esse substantiarum partes, scilicet pedes, manus, caput, manifeste substantiam fecerit a partibus integralibus substantialibus, signanter vero loquitur de partibus integrantes animalium, quæ sunt eterogeneæ, quia de homogeneis conclusio intelligenda non est, ut superius l. c. notavimus, unde textus hic non modicum fidem facit dictis ibidem.

11 Dicimus 3. supremum genus categoriæ substantiæ esse substantiam tertio modo sumptam, nempe finitam, & completam, contrahibilem per differentias ad omnes finitas substantias completas, tam corporeas, quam incorporeas, itant in hoc prædicamento comprehendantur etiam angeli, & corpora caelestia; ita Doct. loc. cit. & in 4. d. 6. quæst. 10. M. & est communis Thom. & Scotist. & est expressæ Arist. 5. Met. & lib. 7. tex. 5. ubi inter species substantiarum numerat demonia, caelos, & astra, & 8. Met. 1. ponit in prædicamento substantias ab omnibus concessas, inter quas caelos enumerat, & alias concessas tantum a quibusdam, idest non omnibus notas, quæ ex ipsis sententia sunt intelligentiæ, ut colligitur ex 6. Met. 2. & 12. Met. 5. dividit substantiam prædicamentalem in sensibilem, & insensibilem, per hanc intelligens Angelos.

12 Probatur etiam ratione, quia Angeli, & corpora caelestia habent omnes condiciones l. c. desideratas ad ens reponibile in prædicamento, sunt enim entia realia per se completa, incompleta, finita, & univoce convenientia cum aliis substantiis inferioribus in ratione communi substantiæ abstractæ a corporea, & incorporea, æterna, & incorruptibili. Tum quia eis convenit ratio formalis substantiæ, quæ constituitur apex hujus categoriæ, omneque affectiones, quas ei assignat Aristot. nam ratio formalis substantiæ, ut supremum genus hujus prædicamenti, est per se esse, ut excludit esse in alio, nedum per modum accidentis, sed etiam per modum partis in toto præsertim essentialis, quia non omnes integrales excluduntur, ut diximus; affectio vero præcipua est subsistere accidentibus, ut Arist. docet in hoc c. & Doctor l. d. 8. q. 3. sub F. & ex D. Aug. sed utrumque convenit caelis, & Angelis, omnia namque sunt substantiæ completæ, de caelis patet, de Angelis probat urgeret Doctor 2. d. 1. q. 6. & quod 9. ubi ostendit non posse informare materiam, & in alterius venire compositionem per modum partis, substantiam etiam accidentibus, non quidem corruptivis, sed perfectivis, Angelus nimirum intellectibus, & volitionibus, corpora caelestia quantitati, & lumini; admittunt etiam contraria, nam angelus contrariorum affectuum scilicet amoris, & odii est capax, & caelum modo illuminatur, modo lumine privatur, ut patet de Luna, nunc est in Oriente, nunc in Occidente secundum diversas partes, atque ita admittit contraria saltem sumpta, imo, & pressæ, quia afficitur raritate, & densitate, vel saltem opacitate, & diaphaneitate, quæ sunt contrariæ qualitates. Tum quia etiam secundum communem ponantur hæ incorruptibiles substantiæ carere physica compositione ex materia, & forma, adhuc tamen habent metaphysicam ex realitate potentiæ, & actuali, & hoc est sufficiens fundamentum, unde intellectus defumat genus, & differentiam (quæ compositio necessaria est ad reponibile in prædicamento) nam in accidentibus habetur genus, & differentia sine compositione materia, & formæ. Tum tandem quia si Angeli excluderentur, quia natura spiritalis, tunc ob eandem rationem a prædicamentis accidentium excludi deberent accidentia spiritalia, ut Arist. & ceteri Philosophi scientias, & virtutes collocant in categoria qualitatis non obstant eorum spiritualitate, ergo idem fatendum de Angelis in prædicamento substantiæ, quæ idcirco dividitur in apice in corpoream, & incorpoream, quæ divisio utique inanis esset, si aliqua substantia spiritalis ad hoc prædicamentum non pertineret.

13 Arbor itaque prædicamenti substantiæ ita erit coordinanda, quod supremum genus sit substantia finita, & completa modo jam declarato. Dividitur in spirituales, & corporales, spirituales in varias Angelorum species. Corpus in corruptibile, & incorruptibile. Incorruptibile in varias species Cælorum, & Planetarum. Corruptibile in vivens, & non vivens. Non vivens in elementare, & mixtum, quorum quodlibet varias species habet. Vivens in sensitivum, ut animal, & insensitivum, ut planta. Planta in varias arborum species, & herbarum Animal in rationale, & irrationale. Irrationale in varias brutorum species; Rationale in individua, ut Sortes, & Plato: quam dispositionem categoriæ substantiæ non ita perfectam Porphy. assignavit cap. de specie, sed quasi mutilam, quia non admissim omnia enumeravit genera, sed ea tantum, quæ notoria erant, hoc enim satis erat ibi suo instituto. Divisimus autem animal in rationale, & irrationale, seu brutum, & hoc in varias brutorum species, quia non est omnino certum animal esse immediatum generis respectu brutorum, sicut respectu hominis, quamvis enim ita plerique sentiant, oppositum tamen est valde probabile, & manifeste innuitur ab Arist. 7. Met. 28. ubi inter equum, & animal constituit aliud genus innominatum dicens, quod enim commune est super equum, & asinum, non est nominatum proximum genus, quamvis autem illud dicat esse innominatum, consuevit tamen postea appellari nomine bruti.

Saisisti Objectionibus.

14 IN oppos. obiic. 1. contra 1. Concl. quod Deus sit in genere. Tum auctoritate PP. Damasceni lib. 1. fidei cap. 9. & l. 1. Inst. c. 7. ubi dicit, incorporeum esse differentiam substantiæ, & sub se continere Deum, & Angelos, & Aug. 5. de Trin. c. 8. ubi ait, quadam prædicamenta dici proprie de Deo, substantiam, scilicet, relationem, & actionem, cetera improprie, & metaphorice. Tum Arist. nam 12. Met. 50. appellat Deum primam substantiam, & 1. Ethic. c. 6. & 5. Met. 15. inter exempla eorum, quæ sunt in præd. numerat Deum, & 4. Top. c. 2. loc. 17. ponit Deum sub genere animalis. Tum 3. ratione, quia infinitas addita quantitati, vel qualitati non eas extrahit a prædicamentis quantitatatis, & qualitatis, si enim daretur linea infinita, adhuc ad categoriam quantitatatis spectaret, ut dicemus q. seq. ergo neque addita substantia ipsam extrahet ab hoc prædicamento. Tum 4. Christus est substantia simpliciter infinita, cum sit Deus, & tamen est in prædicamento sub.

substantiæ, cum simul sit nobiscum. univoce homo, ergo infinitas non obstat. Tum 5. arguit Averfa, substantia ample sumpta, ut comprehendit creatam, & incretam, importat conceptum vere unum illis communem, ergo constitui potest una series prædicatorum incipiendo ab hujusmodi conceptu communissimo, qui prædicetur essentialiter, & in quid de omnibus substantiis, & hoc dicitur unum totius substantiæ prædicamentum. Tum 6. saltem reductive, non directe, spectabit Deus ad hoc prædicamentum, tamquam principium, & causa totius substantiæ create, ut dixit Simplic. in hoc c. Tum tandem, quia saltem, ut urget Hurtad. poterit constitui prædicamentum substantiæ incretæ distinctum a prædicamento creatæ, & in ipso Deus reponi, & tale prædicamentum erit ens substantiale, completum, spirituale, a se, æternum.

15 Resp. ad illas Patrum auctoritates Doctor loc. cit. quod si intelligi debent, ut referuntur, & sonant, ponenda essent in Deo aliqua accidentia; mens igitur Patrum fuit terminos significantes prædicamenta ex usu Philosophum convenire Deo, non quidem eo sensu, quo usurpatis sunt ab eis ad prædicamenta significanda, quæ sunt res quædam limitatæ, sed in propria sua significatione, quam habent prædicando ab imperfectionibus, unde iidem Patres Damasceni in elementario cap. 8. & lib. 1. de fide cap. 1. & 8. & Aug. 7. de Trin. cap. 3. affirmant, Deum non esse ens, scilicet, prædicamentale, sed supra ens, neque substantiam, sed supra substantiam, qui loquendi modus satis aperte ostendit, non fuisse Patrum intentionem Deum in prædicam. reponere, ita Doctor cit. sub V. qua responsione utuntur Didac. & Vasq. cit. sed si Damasc. ita clare loquitur, ut refertur, multum faveret oppositæ sententiæ. Ad Aristot. dicimus illum in locis Dei nomine, vel Deorum non intelligere verum Deum, qui nempe unum esse agnovit, sed intelligit Deos positos ab antiquis, qui dicebant esse substantias quasdam superiores, subtilissima corpora habentes, similes equidem hominibus, sed eis perfectiores, quia immortales, ita notavit Doctor 5. Met. in tex. illum 15. Hic tamen est advertendum, quod licet Aristot. 12. Met. investigando naturam primi principii distinguat ens in decem prædicam. & postea distinguat substantiam in sensibilem, & insensibilem, sub qua ponit 1. principium; inde tamen non recte inferri ab aliquibus, Deum poni in prædicamento substantiæ, quia substantia, quæ ibi dividitur, non est prædicamentalis, sed transcendens, bene tamen adhuc ad investigandam rem, quæ est extra prædicamentum, prædicamenta dividit, ut nimirum facilius a sensibilibus ad cognitionem insensibilium perveniret, & ab his, quæ sunt in genere, ad res, quæ sunt extra genus, gradum faceret. Ad 3. negat Scot. paritatem sub R. aliud est enim loqui de infinito simpliciter, qualis est infinita substantia, aliud de infinito secundum quid, seu in determinato genere, ut est infinita quantitas, vel qualitas, hæc enim infinitas non tollit omnem potentialitatem, nec aufert omnem limitationem in genere entis, sed tantum in tali genere, unde linea infinita dicitur quidem illimitata quantitas, non tamen illimitatum ens, & ideo cum tali infinitate secundum quid fiat ratio generis, non tamen cum infinitate simpliciter, quia hæc tollit omnem limitationem, & potentialitatem, ut probatur est; vide ibi auream doctrinam.

16 Ad 4. nolumus hic disputare, qualis sit unitas Christi Domini, est enim negotium mere theologicum, hoc tamen certum est, quod si in hoc reponitur prædicamento, id ei contingit ratione humanæ naturæ, non divinæ, ut omnes dicunt, ubi omnino cave modum loquendi Ponticii valde improprium, qui disputat. 11. Logic. in fine numer. 50. ad hoc argumentum inquit Christum poni in prædicam. substantiæ, si consideretur, ut est suppositum humanum præcise, abstrahendo ab inclusione divinitatis. Hic sane loquendi modus valde improprium est, ne dicamus erroneum, quia ut fides docet, in Christo unum tantummodo suppositum reperitur, & hoc divinum, quamvis ergo considerari possit ut suppositum divinum in humana natura subsistens, nequaquam tamen considerari potest ut suppositum humanum.

Dices, naturæ substantiales ex dictis disputat. præced. non ponuntur in prædicamento significatæ in abstracto, sed in concreto, quomodo concernunt suppositum, sed in Christo aliud suppositum non reperitur, quam divinum, ergo saltem divinum suppositum, quod est infinitum, collocabitur in prædicamento. Resp. substantiam secundum se in prædicamento non poni, sed esse conditionem necessario requisitam, ut natura ibi ponatur, unde concreta substantia dicuntur esse in prædicamento ratione principalis significari, scilicet, naturæ, non autem connotati, gerit autem hoc munus conditionis, sine qua non absolute, quatenus substantia est, prædicando ab hoc, quod sit finita, vel infinita, natura enim humana, eo ipso constituit hominem, quod terminatur substantia, sive hæc sit finita, sive infinita, ut bene notat Didac. Ex quo deducitur, nonnisi accidentalissime, ut sic dicamus, ac mere materialiter suppositum divinum in Christo ad hoc spectare prædicamentum; tum quia substantia divina est tantum conditio, quia Christi humanitas in hoc reponitur prædicamentum;

tum quia tale munus gerit, ut substantia præcise, non ut divina. Ad 5. conceditur constitui posse talem prædicamentum seriem, sed negatur, quod prædicatum illud substantiæ communissimum haberet rationem generis, quia cum sit conceptus transcendens, nullam a parte rei præferat realitatem, unde neque contrahibilis esset per conceptus vere differentiales. Dices, talis conceptus communis est potentialis, & indeterminatus, seu indifferens, & de pluribus specie differentibus diceretur in quid, ergo esset genus. Resp. quod ibi nulla est potentialitas, quia talis præsupponit realitatem a parte rei; vel tantum est ibi potentialitas eo modo, quo conceditur communitas, & indifferentia, nimirum per intellectum inadequate concipientem, quæ communitas, & potentialitas non sufficit ad hoc, ut aliquis conceptus sit vere genericus, sed tantum per nostrum intelligendi modum, ut notavit Bargasius 1. disp. 8. qu. 3. pag. nobis 180. loquens de conceptu entis.

17 Ad 6. nec bene diceretur, Deum reductive pertinere ad hoc prædicamentum, quia id sonat imperfecto modo participare rationem illius; nec quia est principium, & causa totius substantiæ, debet reduci ad illud prædicamentum, quia cum etiam sit principium, & causa accidentium, ad illa prædicamenta reduci deberet, non itaque Deus ad creaturam, sed potius creatura ad Deum reduci debet, ut ad primam causam, in qua virtualiter, ac eminenter continetur. Ad ult. illud novum prædicamentum pro divinis ab Hurt. inventum est prorsus chimericum, tum quia re vera series illa prædicatorum non posset dici prædicamentum, quia esset tantum ordinatio conceptuum a nostro conficta intellectu eandem prorsus rem concipientem per modum magis, & minus communis, prædicamentum vero accipitur pro coordinatione realitatum, quæ nata sunt facere compositionem metaphysicam, quæ Deo repugnat; tum quia si concedatur esse prædicamentum, plane nequit poni a prædicamento substantiæ create distinctum, ut contendit Hurt. quia prædicata illa ens, substantiale, completum, spirituale, sunt prædicata communia Deo, & creaturis.

18 Secundo objic. contra 2. Concl. quod etiam partes sint directe in prædicamento, quia Ar. in hoc c. defendit partes integrantes veras esse substantias, quia non sunt in alio, velut in subiecto, sed velut in toto, &c. ad aliquid illas computat inter primas, & secundas substantias, caput, quoddam caput, manus, quædam manus. Et 5. Met. 15. inter substantias enumerat partes, & denique 2. de Ani. 2. & 3. Met. 7. & lib. 12. tex. 12. substantiam dividit in materiam, formam, & compositum, ex quo arguere licet, superius distinctum in inferiora quidditative prædicatur de illis, ergo substantia quidditative prædicatur de materia, & forma.

Resp. quando Arist. in hoc c. partes integrales appellavit substantias; solum docere voluit illas esse substantias, non accidentia, quia non sunt in subiecto, non idcirco eas directe in prædicamento collocavit, dixit etiam esse veras substantias hujus prædicamenti, quia illis non repugnat esse tales, quatenus sunt partes integrales, nam si sint similes, intrant prædicamentum; c. vero ad aliquid aliud mysterium voluit nobis aperire Arist. appellavit enim eas primas, & secundas substantias, ut indicaret etiam rerum incompletarum, & partialium posse nos seriem prædicamentalem constituere ad instar prædicamenti completarum, quatenus etiam in ipsis inveniuntur prædicata superiora, & inferiora, genera, & species, qua ratione diximus d. 4. q. 4. in fine quamcumque universalitatis speciem ita bene fundari in entibus incompletis, sicut completis, unde poterit v. g. assignari ut genus substantia physica partialis, quæ dividatur in materiam, & formam, & hæc in corpoream, & spirituales, illa in caelestem, & sublunarem, si in caelestibus corporibus admittitur materia, & quidem alterius rationis ab ista inferiorum. Quod male inficiatur Sanch. q. 5. ad 8. ea ratione fretus, quod hæc sunt entia incompleta, ac proinde inepta ad prædicationem. Nam licet re vera sint incompleta, ea tamen intellectus concipere potest per modum entis sic completi, sicut requiritur ad prædicationem, idque totum innuit Arist. cit. fieri posse vocans manus, & caput secundas substantias, & simul partes substantiarum, quæ directe sunt in prædicamento. Ad locum ex 5. Met. utriusque inter substantias enumerat partes, ibi tamen declarat non dici substantias, sicut composita constituta per eas, excipie partes similes, quæ recipiunt prædicationem universalis, sicut ipsum totum. Demum divisio illa substantiæ in materiam, formam, & compositum non est proprie divisio substantiæ in communi hujus prædicamenti, sed potius quoddam resolutio substantiæ prædicamentalis compositæ, quod ex eo patere potest, quia illa divisio non continet Angelos, qui tamen sunt in hac categoria.

19 At dices, materia, & forma, manus, & pes sunt quidditative substantia, non minus, quam compositum, ergo si hoc est in prædicamento directe, etiam & illa. Resp. verum esse assumptum, si substantia communiter sumatur, quomodo dici solet substantia analogæ, quatenus comprehendit tam completas substantias, quam incompletas, falsum tamen est, si substantia sumatur, ut est supremum genus hujus prædicamenti, sic enim non directe, sed lateraliter tan-

tantum, & reductive dicitur de materia, & forma, ratione scilicet compositi, ac proinde non quidditative, sicut superius de inferiori. Ais, ergo substantia communiter dicta, veluti commune genus erit ad substantias completas, & incompletas, cum talis conceptus substantiæ non sit transcendens, sed finitus, & limitatus, & alioqui univocus præsertim in sententia nostra. Resp. ita esse, quod in hoc sensu partes essentielles physica cadunt sub eodem genere cum composito, ac etiam partes integrales etherogeneæ, se enim habent ad substantiam sic sumptam, ut modo homogeneæ ad prædicamentalem, sicut enim ista recipiunt prædicamentum substantiæ prædicamentalis directe non minus, quam totum ipsum, ita universaliter omnes substantiarum partes prædicamentum analogæ substantiæ recipiunt non minus, quam tota per eas constituta: ex hoc tamen non sequitur, quod eodem modo recipiant prædicamentum substantiæ prædicamentalis, atque ideo directe poni debeant in hoc prædicamento. Hinc deducitur, potuisse utique fieri prædicamentum substantiæ, quod complecteretur substantias omnes creatas, tam completas, quam incompletas, in quo bene discuffit Averfa cit. non tamen quod ulterius complecteretur etiam increatas, in quo Averfa deficit.

20 Solet quoque hic afferri difficultas de corpore pro altera parte compositi in viventibus, cum enim prædicetur quidditative de vivente, ut superius de inferiori, ut cum dicimus, quod homo est corpus, consequenter videtur directe poni in prædicamento, non obstante, quod sit pars. Hæc difficultas urget solum ponentes in viventibus formam corporeitatis præter animam, quod ex professo docet Doctor 4. d. 11. q. 3. Mayr. passu 40. super Univers. concedit assumptum. Dicendum tamen est cum Scot. cit. H. H. quod cum dicimus animal esse corpus, ly corpus non fiat pro altera parte compositi, si accipiatur ut prædicatio quidditative, & formalis, sed pro corpore metaphysico, quod in linea prædicamentali est gradus genericus ad vivens, qui utique gradus desumitur a corpore pro altera parte, ut fusc explicavimus disp. 2. Phys. qu. 4. art. præsertim in sol. ad 1. & 2. ubi etiam adducuntur quedam graves difficultates hic a Mayron. tactæ, & solvuntur. Rogabis, an saltem post animæ discessum, vel interitum corpus pro altera parte ponatur directe in genere? Zabarel. lib. de pluralit. form. annuit, eo quia tunc non habet amplius rationem partis, sed totius, unde evadit ens completum, & proportionatum prædicamento. At potius negare debemus, eo quia etiam post animalis interitum adhuc manet ens incompletum, & animæ essentialiter subordinatum per modum materiæ, sicut e contra anima rationalis post separationem a corpore adhuc manet ens incompletum, quia essentialiter subordinata corpori per modum formæ: tum quia est quid integratum ex pluribus formis partialibus ex dictis disp. Phys. cit.

21 Tertio obicitur contra 3. concl. probando nec Angelos, nec corpora cælestia in hoc contineri prædicamento, præsertim in Arist. sententia, nam 10. Met. 26. corruptibile, & incorruptibile differunt genere, sed hæc sunt incorruptibilia, ergo non habent genus commune cum caducis; & eodem lib. tex. 12. inquit ea differre genere, & prædications figura idest prædicamento, ut omnes exponunt, quorum non est communis materia, quod etiam habet 5. Met. 33. at Cæli, & Angeli non habent communem materiam cum caducis, ergo nec commune genus.

Resp. Doctor 4. d. 6. q. 10. M. Arist. loqui de genere physico, idest materia, non autem logico, quæ est communis expositio, & vult habere corruptibilia, & incorruptibilia non communicare in materia, qui sensus colligitur ex cap. præced. & quidem familiare est Aristot. nomine generis significare materiam, ut constat ex 1. Post. 19. ubi docet in scientiis fieri non debere asseritum de genere in genus, idest ex subiecto unius in subiectum alterius, & 4. Met. 2. ubi ait unus sensus unum esse idest materiam circa quam. Vel si loquitur de genere logico, non utique loquitur de supremo, sed intermedio, quod coincidit cum specie subalterna, alioquin argumentum adductum ibi ab Arist. ad probandum corruptibile, & incorruptibile differre genere, esset in quatuor terminis, initio enim textus sic erigit rationem, cum contraria specie diversa sint, corruptibile autem, & incorruptibile contraria sint, necesse est diversum genus esse corruptibile, & incorruptibile, ergo si in conclusione hujus discursus per genus non intelligit subalternum, esset in quatuor terminis; quomodo autem teneat argumentum Arist. intelligendo de genere physico, vide ibi Scotum, & Alensem. Ad alium locum, non ita loquitur ibi Aristot. sed ait differre genere, quorum non est communis materia, & quorum est diversa categoriæ figura, ita loquitur adamussum 5. Met. 33. specie vero differre ait, quorum idem est genus; loquitur ergo Ar. de genere physico, ut rursus ibi Doctor explicat, & sensus est genere physico differre, & quæ sunt in diversis categoriis, hæc enim adinvicem non transmutantur, quia non fit dulcedo ex superficie, neque e contra, & quæ sunt in eodem prædicamento, sed in materia non communicant; specie vero differre, quorum idem est genus, idest differre per formam physicam, a qua sumitur differentia specifica, quæ conveniunt in materia; aliam etiam expositionem nobis proficiam vide apud Alensem.

22 Dices, videtur Arist. posuisse intelligentias actus puras, & simplices, accidentium incapaces 8. Met. 16. 9. Met. 17. & 1. 10. tex. 30. & lib. 12. 43. ergo non solum physicam, sed etiam metaphysicam compositionem negat in eis, quod conf. ex Scot. quol. 15. C. & quol. 7. Gg. ubi docet Ar. in intelligentiis posuisse intelligere idem cum sui substantia, quia sunt puri actus secundum ipsum. Resp. & est solutio communis Arist. vocare ens actus purus, & simplices, quatenus carent compositione physica, & negat in eis potentiam contradictionis ad essendum, & non essendum, quia sunt incorruptibiles, non autem negat compositionem & potentiam metaphysicam, bene enim novit non esse puras, & simplices, ut intelligentia prima: qua de causa nec etiam credibile est potuisse illas omnium accidentium prorsus incapaces, nam saltem non videtur in eis negasse accidentia respectiva ab ipsis realiter distincta, quos nempe respectus ad se invicem, ad orbem morum, ad suos effectus. Ais, Scotum 2. disp. 3. q. 7. ad 1. prin. docere in sent. Arist. quamlibet intelligentiam esse de se hanc, & non per differentiam individualem, ob necessitatem essendi, quam ei tribuit. Resp. si ita est, plane difficile esset tueri intelligentias secundum Aristot. in hoc prædicam. contineri, imo, & corpora cælestia, cum eodem modo ea videatur posuisse entia necessaria, unde non abs re Aver. in cap. de specie, & 10. Met. c. 26. negavit hæc in prædicamento substantiæ contineri. Sed si Aristot. prædicam. expositionem non patitur, curent alii explicare; quia singula ejus dicta ut Sacramenta recipiunt, quamvis enim acris fuerit ingenii, & multas satis reconditas veritates solo luminis naturæ ductu attingeret, fatendum tamen est ex defectu luminis fidei in multis cæcutire, præsertim cum de Deo loquitur, & intelligentiis, quæ superant humanum captum.

ARTICULUS II.

Quo sensu dividatur substantia in primam, & secundam, & utraque hic definiatur, ac una alteri comparetur.

23 Divisit Arist. in hoc c. substantiam in primam, & secundam, utramque definiit, ac demum ad magis deredendam utriusque naturam unam alteri comparavit, hæc igitur tria in hoc art. nobis sunt explananda, divisio substantiæ in primam, & secundam, utriusque definitio, & earum comparatio adinvicem ab Arist. facta.

Quoad primum dubitatur, quomodo accipiatur substantia, dum dividitur in primam, & secundam, an scilicet primo, vel secundo intentionaliter, dicunt aliqui dividi substantiam quoad primam intentionem, ut Suar. disp. 33. Met. sect. 2. quem sequitur Faber. 7. Met. disp. 7. c. 1. alii asserunt dividi quoad secundam, ut Soto in hoc prædic. q. 1. art. 1. Sed utrumque defendi potest, ut absolute verum, ac etiam de Arist. mente, ut docet Doctor q. 4. Univers. in sol. ad 2. ubi inquires, quo sensu divisit Arist. substantiam in primam, & secundam, ait, quod non tantum intelligit de his, quæ sunt præter operationem intellectus, quibus verbis significat Doctor posse utroque modo explicari Arist. At quocumque modo explicetur divisio; rursus est difficultas, quodnam sit divisum, & quidem Authores in hoc omnes convenire videntur, ut notat Averfa q. 16. sec. 2. substantiam, ut est apex hujus prædic. non dividi in primam, & secundam, quasi in suas species, sicut dividitur quantitas in continuam, & discretam, quia substantia, ut sic, continetur sub altero ex membris dividendis, nempe sub substantia secunda, at divisum debet esse quid indifferens ad primam, & secundam. Sed neque hoc recte asseritur, quia bene potest divisum aliquod contineri accidentaliter sub aliquo ex membris dividendis, ut constat de universali, quod accidentaliter continetur sub altero ex membris dividendis, nempe sub genere, quamvis igitur si substantia suprema capiatur pro prima intentione, non possit dividi in primam, & secundam, ut notat Tat. quæst. 1. Prædicam. not. 3. ex Scot. q. 12. Prædicam. in fine, quia ut sic significat naturam communem, non autem singularem, & individuum, qualis importatur per primam substantiam, tamen si sumatur pro 2. intentione, dividi potest in eas, ut in suas species, sic enim, ut quid, abstracta a secundis intentionibus universalitatis, & singularitatis, ut a suis speciebus, & solum concipitur universalis, ut modus.

24 Potest igitur in primis accipi substantia, ut genus generalissimum, & dividi præfato modo in primam, & secundam, velut in suas species, potest etiam accipi substantia pro quocumque directe ponibili in hoc prædicamento, ex Tatar. ibidem, quo sensu dicitur substantia prædicamentalis, & comprehendit supremam, intermediam, & infimam, & sic dividi in primam, & secundam, idest in illam, quæ ponitur infimo loco, & hæc est prima substantia, & in illam, quæ ponitur in aliquo superiori loco, & est secunda, seu in illam, quæ solum ponitur in prædicamento, ut subijcibilis, quæ est prima, & in eam, quæ ponitur, ut prædicabilis, & est secunda; in qua divisione si substantia prædicamentalis sumatur pro prima intentione, idest

Quæst. I. De divis. subst. in primam, & secund. Art. II. 235

idest pro natura, & essentia reali, quatenus affici potest intentionibus universalitatis, & singularitatis, sic erit divisio subiecti in accidentia; si vero sumatur prout præfertur illam secundam intentionem ordinabilitatis in prædicamento, sic erit divisio generis in species, quia ita dividitur ordinabile in prædicabile, & ultimum subijcibile, ita docet Tatar. cit. quem dicendi modum multi ex Recentioribus sequuntur, juxta quod talis divisio potest etiam suo modo assignari in prædicamentis accidentium, sumendo substantiam amplissime pro natura, & essentia rei, & primam pro natura singulari, & subijcibili, secundam pro natura universali, & prædicabili, ut optime notavit Mauri t. q. 4. Univ. dub. 3. potest etiam dividi substantia in primam, & secundam secundum rationem subijcendi, & subijcendi aliis primario, & secundario veluti per varios modos, ut volebat Suarez, ut faciat hunc sensum, substantia alia est, cui primo, & per se convenit subsistere, & accidentibus subsistere, & hæc est prima, alia vero, cui convenit subsistere, & aliis subsistere mediate, & secundario, & hæc est secunda, & in hoc sensu etiam potest divisio explicari per terminos secundarum intentionum, quatenus substantia potest accidentibus comparari, nedum per modum subiecti inhæssionis, verum etiam prædicacionis, quod utique ei convenit pro secunda intentione.

25 Ex his patet, posse hanc divisionem explicari primo, & secundo intentionaliter, tam ex parte totius divisi, quam membrorum dividendum; & licet Doct. cit. innuere videatur præfatum divisionem ex parte membrorum dividendum non nisi per secundas intentiones assignari posse, ea ratione fretus, quod membra divisionis debent operationi non coincidere, at quod est secunda substantia præter operationem intellectus non opponitur primæ substantiæ, sed est idem, ergo &c. nihilominus non est ita in rigore intelligendus Doctor, quasi prima, & secunda substantia a parte rei coincidunt omnino, & realiter, & formaliter, nam certum est in ejus sententia naturam communem, super quam fundatur intentio universalitatis, distinguere ex natura rei ab individuo, super quod fundatur secunda intentio singularitatis, & ei quodammodo opponi, sed tantum voluit indicare majorem oppositionem cerni inter primam, & secundam substantiam secundo intentionaliter captas, quam pro prima intentione, quia sic sunt realiter idem, at illo modo sunt intentiones prorsus diversæ, & oppositæ, unde per ea membra divisio magis elucet.

26 Petes, quo modo ex his magis divisit Arist. Resp. Suarez, Faber, Blanc, & alii divisisse tertio modo, & pro prima intentione, quia hic explicat substantiam per non esse in subiecto, & per subsistere accidentibus, quæ sunt rationes reales, & juxta duplicem modum realem subijcendi, & subijcendi accidentibus dividit substantiam in primam, & secundam, prima est, quæ per se, & primario subsistit, & accidentibus subsistat, secunda vero, quæ secundario. Sed plane falsum est Arist. hic tantum considerare substantiam quoad rationem subijcendi, & subijcendi accidentibus, quamvis enim quoad hanc rationem, illam hic peculiariter quoad modo consideraverit, utpote per quam ab accidente seceritur, talis enim consideratio accidentibus applicari non potest, adhuc tamen etiam ipsam consideravit, ut est ponibilis, & ordinabilis in prædicamento, quæ sane consideratio tota intentionalis est, neque solum distinguit primam, & secundam substantiam per illos modos primario, aut secundario subijcendi, vel subijcendi, sed præsertim etiam per non dici, vel dici de subiecto, imo quando etiam primam substantiam distinguit a secundis, quia subijcitur omnibus aliis etiam ipsis secundis, hæc certe subiectio dicit secundam intentionem in prima substantia, sicut dicit de intentionem oppositam ponit in secunda, & etiam in accidentibus ipsis, quia in ordine ad illa, nedum hic comparatur, ut subiectum inhæssionis; verum etiam prædicacionis, ut mox dicemus, quare concludimus cum Doctore cit. quæst. 4. Univ. & q. 12. Prædicam. in fine præfatum divisionem potius explicandam esse per secundas intentiones, quam per primas, quia secundam eam considerationem præsertim pertinent prædicamentam ad Logicum; & non tantum tertio modo, verum etiam aliis accipi posse etiam de mente Arist. & sic manet breviter explicata hæc substantiæ divisio, circa quam tot verba infumant inutiliter Auctores passim; & forte improbabili prorsus non est Amonii opinio, hanc non tam esse divisionem, quam enumerationem, & seriem quantum eorum, quæ in hoc prædicam. ponuntur, veluti cum dicitur, discumbentium hic est primus, ille secundus, &c. quem tamen dicendi modum non adeo approbare debemus, ut alii modi dicendi jam relati omnino debeant reprobari, ut facit hic Poncius, cujus rationibus occurrere ex dictis non est difficile, sed recipi potest, quia est expeditior aliis, & minores patitur difficultates.

27 Quoad 2. Arist. eodem c. definit, vel potius describit primam substantiam esse illam, quæ nec est in subiecto, nec dicitur de subiecto, secundam vero, quæ non est in subiecto, sed dicitur de subiecto, ubi per subiectum intelligitur subiectum inhæssionis, & prædicacionis, nam quando utraque dicitur non esse in subiecto, sermo est de subiecto in-

hæssionis, nam per hoc substantia distinguitur ab accidente unde per illam negationem circumscribitur modus positivus perfectitatis substantiam constituens, & ab accidente distinguens; quando vero de prima substantia negatur dici de subiecto, & de secunda affirmatur, tunc fit sermo de subiecto prædicacionis, & penes hoc distinguuntur prima, & secunda substantia, quia prima substantia nullum habet inferius, de quo prædicetur, bene tamen secunda, quia hæc est universalis, illa singularis, quare etiam altera negatio in definitione primæ substantiæ, qua negatur dici de subiecto, circumscribit positivam hæcitate, per quam ei repugnat dici de subiecto, idest de inferiori, hinc patet quomodo hæc definitiones bene rem explicant, quia esto datur per negationes, non tamen per simplices negationes, alioquin definitio primæ substantiæ etiam chimeræ conveniret, sed per negationes indicantes quid positivum, ut notat Tat. c. not. 4. patet etiam quomodo amba possint explicari pro prima intentione. Verum quia esse in subiecto, & dici de subiecto non tantum primo intentionaliter, sed etiam secundo intentionaliter capi possunt, ita nimirum ut esse in subiecto idem sit, quod prædicari accidentaliter, & denominative, qui est proprius modus prædicandi accidentium, & dici de subiecto, idest de inferiori, sit prædicari essentialiter, ideo poterunt etiam præfate definitiones explicari secundo intentionaliter; ita nimirum, ut secunda substantia dicatur illa, quæ non est in subiecto, sed dicitur de subiecto, idest quæ non accidentaliter, sed essentialiter prædicatur de prima; prima vero substantia sit illa, quæ nec est in subiecto, nec dicitur de subiecto idest nec prædicatur de alio accidentaliter; nec essentialiter: itaque illa duplex negatio indicet oppositam intentionem subijcibilitatis omnimodæ, per quam excludatur omnis prædicabilitas; & hoc manifeste insinuat Arist. per illud de prima substantia pronunciatum, quod accipiunt aliqui ut aliam primæ substantiæ definitionem est, quæ proprie, principaliter, & maxime subsistere dicitur; per hoc enim significat, quod illa non sunt puræ negationes, sed nobis circumscribunt omnimodam subijcibilitatem primæ substantiæ in quacumque prædicacione, tam essentiali, quam accidentali, adeo quod hoc pronunciatum sit potius declaratio definitionis primæ substantiæ, quæ ut tradita per negationes poterat aliquam parere suspensionem, quam nova, & distincta definitio, vel cum Mayron. passu 9. dicendum, quod cum ea unam constituit definitionem, & est de ejus integritate: ita per secundas intentiones explicat has definitiones primæ, & secundæ substantiæ Jo: de Magistris q. 1. hujus prædicam. not. 2. quæ quidem explicatio est instituta logico multo magis accommodata, quam præcedens, & etiam magis de mente Arist. qui definit primam substantiam per oppositionem ad secundam, cum ergo secundam definiat per prædicari, conveniens est, ut primam definiat per subijci.

28 Sed dices, ex hoc, quod prima substantia omnibus aliis subsistat, accidentibus nempe, & ipsi sermo secundis substantiis, infert Arist. de substantiis primis substantiis impossibile esse aliquid aliorum remanere, hoc autem nequit intelligi, nisi quoad esse actualis existentie, cum enim tum accidentia, tum naturæ communes in se immediate non existant, sed in individuis, tolle individua, tolluntur etiam & accidentia, & naturæ communes, omnia enim corrumuntur ad corruptionem individui, ut docet Doctor 3. d. 22. qu. un. G. quo autem ad esse objectivum, & essentia non est vera illa propositio, quia nullo singulari existente, adhuc potest quidditas intelligi, & formari de illa propositiones veræ, & necessariae in ordine ad prædicata essentialia, ut clare docuit Porphy. c. 7. dicens substantia individui non tolli species, vel genera, quo scilicet ad esse subiectivum, & essentia, ergo ut hoc Arist. dictum verificetur, oportet ut aliud dictum, unde deducitur, quod scilicet substantia prima principaliter, & maxime subsistere dicitur, intelligatur de subsistere realiter, & vera sustentatione respectu accidentium, ac reali inclusione naturæ communis, quæ est secunda substantia, non autem de subsistere intentionaliter, seu subijci in prædicacione.

Resp. quod sicut primum Arist. dictum, quod prima substantia principaliter, & maxime subsistat, potest explicari tam pro prima, quam pro secunda intentione, nempe de reali, aut intentionalis subijcitione in prædicacione, ita etiam consecrarium ex eo deductum, ut bene advertit idem Jo: de Mag. cit. dub. 3. unde ex illo primo dicto realiter intellecto deducitur hoc secundum realiter intellectum eo modo, quo demonstratur in argumento scilicet, quod destructis primis substantiis destruantur alia omnia, scilicet naturæ communes, & accidentia quoad esse actualis existentie, & ex eodem logicaliter intellecto deducitur illud idem consecrarium logicaliter intellectum hoc modo, quod cum hic consideretur prima substantia in ordine ad secundas, & accidentia in ratione subijcibilis, hæc vero omnia in ordine ad primam in ratione prædicabilis, vel essentialiter, vel accidentaliter, quia relativa posita seponunt, & perempta se perimunt, plane sublati primis substantiis auferuntur etiam secundæ, & accidentia.

29 Ex quo patet, quomodo sit verum illud Ar. dictum destructis primis substantiis, &c. tam physice, quam logice. Dices, destructis omnibus hominibus adhuc remaneret anima.

anima rationalis, & materia, vel corpus pro altera parte compositi cum suis accidentibus, ergo falsum illud dictum. Resp. Lovan. ob id habent pro suspecto hoc Arist. dictum, veluti tendens ad animæ mortalitatem. Alii explicant de totali destructione primarum substantiarum, nempe quoad utramque partem, quasi Arist. aperis oculis agnovit anihilationem; May. passu 11. ad 4. ait, per primas substantias hic Arist. intelligere substantias omnes singulares, tam completas, quam incompletas, quod sane recti fati consonum non est. Facilis tamen est solutio, & ex ipso contextu colligitur, non enim Arist. loquitur simpliciter de omnibus, quasi omnia prorsus interitura sint destructis primis substantiis, sed loquitur signate de secundis substantiis, & accidentibus, quæ sustentantur in eis (ut enim dicimus in Phys. compositum est adequatum subjectum accidentium, non materia prima) nam per hanc propositionem intendit Arist. demonstrare dependentiam tam secundarum substantiarum, quam accidentium a primis, parum autem ad hoc refert, quod facta primæ substantiæ destructione adhuc aliqua maneat ejus pars superstes, nam sive maneat, sive non, certum est naturam, quæ in ipsa extabat, pariter, & accidentia in ipsa fundata deleri; quod dictum, sicut verificatur optimè in substantiis integris, & completis, de quibus revera præcipue illud pronuntiavit hic Arist. ita cum omni veritate poterit applicari quoque substantiis partialibus, & incompletis constituendo, & distinguendo etiam in ipsis primis, & secundis juxta superius dicta.

Quæres, quomodo intelligatur aliud Arist. dictum, prima substantia proprie, principaliter, & maxime subsistat, ad quod scilicet ponantur illæ particulæ. Resp. Orbell. quod ponitur proprie, ad differentiam accidentium, licet enim accidens possit esse subjectum accidentis, non tamen ultimate terminat ejus dependentiam, ut late ostendit Doctor 4. disp. 12. quæst. 1. ponitur principaliter, ad differentiam secundarum substantiarum, quæ non subsistant accidentibus, nisi prout sunt in primis, homo enim non dicitur albus, vel niger, nisi quia Sortes, vel Plato est albus; Et tandem ponitur maxime, ad ostendendum, quod primæ substantiæ pluribus subsistant, quam secundæ, quia subsistant omnibus aliis, quibus subsistant secundæ, & cum hoc ipsis secundis.

20 Quoad tertiam substantia singularis univèrsali comparata dicitur prima substantia, & magis substantia, quam illa, id est habet quandam primitatem perfectionis in participando rationem substantiæ, quam non habet substantia univèrsalis. Ita Aristot. in hoc cap. ad ejus comparationis declarationem recolendum est ex dictis substantiam ita appellari, vel a subsistendo, quæ est denominatio relativa, ut ait Orbell. quia subsistere sonat sub alio stare, aut alteri subsistere, vel ut inferiori superiori, vel subjectum accidenti, aut a subsistendo, quæ est denominatio absoluta, quia subsistere sonat per se esse, & non in alio, cui inhæreat, hæc est ratio essentialis substantiæ, illa vero quasi accidentalitatis, & istam consequens; ratio absoluta, & essentialis æqualiter competit omnibus substantiis, cum æqualiter omnibus repugnet alteri inhære, unde ex hoc capite, nimirum ratione subsistendi, non datur prima, & secunda substantia, nec substantia particularis est magis substantia, quam univèrsalis, unde minus recte aliqui etiam ex hoc capite, scilicet quantum ad rationem subsistendi, ajunt substantiam primam esse magis substantiam, quam secundam, quia perfectiori modo participat subsistentiam, quam secunda, cum participet illam immediate, secunda vero mediate, quia, scilicet, ratio suppositi primo convenit individuo, & communia non nisi per individua suppositantur. Minus recte hoc dicitur, nam ut notat Doctor quol. 4. M. & quol. 5. V. & quol. 9. A. aliud est loqui de subsistere pro per se esse, ut excludit inhære, aliud prout idem est, quod incommunicabiliter per se existere, quod est proprium suppositi, & personæ, quando hic fit comparatio inter primam, & secundam substantiam, & quæritur quænam earum perfectiori modo rationem substantiæ participet, quæstio esse debet de aliqua ratione, quæ sit utrique communis, sic enim fieri solet quæcumque comparatio, in forma nempe communi extremis comparatis, cum igitur subsistere pro incommunicabiliter per se esse, substantiæ primæ dumtaxat competat, ex hoc capite non debet dici prima in ratione subsistendi, quam secunda, & magis substantia, quam illa.

31 Potius ergo talis primitas, & majoritas attendi debet penes denominationem relativam subsistendi, hæc enim ratio perfectiori modo participari potest ab una substantia, quam ab alia, quatenus una subsistere potest pluribus prædicatis, ac magis independenter, quam alia, sane in hoc sensu Arist. primas substantias appellavit substantias singulares, secundas autem univèrsales, ac illas etiam magis substantias dixit, ita colligitur ex ipso contextu, ubi sic loquitur, *prima substantia ideo quod omnibus aliis subsistuntur, & alia omnia, vel de ipsis prædicantur, vel in ipsis sunt, præter hoc maxime substantia prima dicuntur;* & ex hoc etiam capite comparando adinvicem secundas substantias ait; species esse magis substantias generibus, nempe quia pluribus subsistant, quam genera, & ita explicat Tat. cit. dub. 2. At substantias singulares esse pri-

mas substantias in hoc sensu, magisque substantias univèrsales potest adhuc dupliciter explicari, vel realiter, & pro prima intentione, vel logicaliter, & pro secunda. Primo modo substantia singularis dicitur prima substantia, quia quoad actualem existentiam, & physicam omnia fundantur in ipsa, quia, & naturæ communes, & accidentia ipsa existunt ad existentiam ejus, & ea sublata ruunt quoad existentiam, quod insinuavit Aristot. dicens, non existentibus primis substantiis impossibile esse aliquid aliorum remanere; cum igitur sit basis, & fundamentum, cui cætera innituntur quoad existentiam, optima ratione prima substantia dicitur, quatenus primo, & immediate existit, & naturæ communes secundæ substantiæ dicuntur, quatenus secundario, & mediate existunt, ad existentiam, scilicet, primarum, item magis substantia dicitur, quia pluribus realiter subsistat, quam naturæ communes, quia essentialiter includit naturas communes superiores, & accidentaliter plurima suscipit accidentia, a quibus postea mediante prima denominantur etiam secundæ.

32 Alio autem modo, scilicet, logicaliter substantia singularis magis substantia dicitur, quam univèrsalis, quia pluribus subsistat prædicatis loquendo de prædicacione tam essentiali, quam accidentali, & dicitur etiam prima substantia, quia in prædicacionibus accidentalibus immediate subjicitur, & primario, secundæ vero substantiæ mediate, & secundario; ubi advertendum ex hac præsertim subjèctione in prædicacionibus accidentalibus attendi denominationem substantiæ, quia in prædicacionibus essentialibus etiam accidentia subjiciuntur suis prædicatis superioribus, & ex eo, quod est subjèctio immediata, ac independentis, dicitur substantia singularis prima substantia, & magis substantia, quam univèrsalis, unde licet homo v. gr. pluribus subsistat accidentibus, quam Petrus, quia subsistat omnibus accidentibus Petri, ac aliorum simul individuorum, tamen adhuc Petrus dici debet magis substantia, quam homo in ratione subsistendi, tum quia pluribus prædicatis subsistat, loquendo etiam de essentialibus; tum quia est loquendo de accidentalibus tantum, subsistat paucioribus, adhuc tamen subsistat nobiliori modo, nimirum propria virtute, quia immediate, ac independenter ab alio, homo autem subsistat illis dependenter ab ipsis individuis, quæ expostio ex ipso contextu colligitur, ubi hæc ratione dicebat Aristot. inter primas substantias, & inter species unam non esse magis substantiam, quam aliam, quia æqualiter subsistant, quod utique nequit extensive intelligi, quia hic homo, vel etiam homo in communi pluribus accidentibus subsistat, ac prædicatis essentialibus, quam hic lapis, vel lapis, sed intelligit in sensu præfato, quod æqualiter subsistant primæ substantiæ, quia una in subsistendo non dependet ab alia, & pariter omnes species specialissimæ æqualiter a prima dependent substantia, nec una dependet ab alia.

33 Sed objicies, univèrsalia præcedere singularia ea prioritate, a qua non convertitur subsistendi consequenter, ergo debent dici primæ substantiæ, & singularia secundæ. Item 8. Mer. 2. ait Aristot. univèrsalia esse magis substantias, quam singularia. Tandem subsistere accidentibus est proprietatis substantiæ consequens ad rationem essentiali ejus, quæ est subsistere, ergo cui convenit prius talis ratio substantiæ, eidem quoque talis proprietatis prius convenit, at illa ratio prius convenit substantiis univèrsalibus, ergo &c. Et certe quantum ad subsistere accidentibus propriis, negari nequit substantias secundas prius, & magis subsistere primis, nam accidentia propria prius conveniunt naturis, & per eas singularibus.

Resp. ad 1. hic Arist. accipere primitatem, non eo modo, sed alio longe diverso, ut explicavimus, & notat Tatar. cit. not. 3. Ad 2. ibi Aristot. loquitur secundum mentem Platonis ponentis ideas separatas, ut ibi communiter Expositores notant, præsertim Scot. Ad 3. neg. subillata minor, nam ratio substantiæ in communi, ut est prædicamentum a cæteris diversum, vel æqualiter competit omnibus substantiis primis, & secundis, ut dicebamus, quatenus omnibus ex æquo repugnat inhære; vel si aliqua intercedit analogia, perfectiori modo convenit primis, quam secundis, ut pote quæ includunt totam perfectionem secundarum, & aliquid amplius. Dices, si æqualiter eis convenit ratio communis subsistendi, ergo, & proprietatis subsistendi, quæ ab ea dimanant. Resp. etiam si aptitudo subsistendi æqualiter; imo prius substantiis secundis conveniret, actus tamen ipse subsistendi prius exerceret in primis, quam in secundis, in quibus exerceri nequit, nisi mediare, ac dependenter ab illis. Ad illud denique de subsistere accidentibus propriis, ultro concedimus prius convenire naturis, quam singularibus, & iis convenire mediantibus illis; sed jam diximus denominationem primæ substantiæ non attendi debere ex subjèctione ad hujusmodi prædicata, quia etiam accidentia subsunt suis univèrsalibus, ac eorum passionibus mediantibus illis, sed attendi ex subjèctione ad accidentia communia immediata, ac independenti, hæc enim convenit dumtaxat substantiis singularibus. Addunt alii, quod etiam ipsa accidentia propria, esto quoad existentiam, & necessariam connexionem, prius conveniant naturis, postea individuis, tamen quoad existentiam res e contra se habet, id est enim risibile realiter existit in homine,

mine, quia existit realiter in Petro, vel Paulo, ita Sanch. Complut. & alii.

ARTICULUS III.

Declarantur proprietates, & attributa substantiæ.

34 **S**ex proprietates, vel attributa adscripsit Arist. substantiæ, ut dictum est 1. part. Inst. quarum aliqua ei conveniunt pro prima intentione, aliqua pro secunda, quædam tandem pro prima, & pro secunda, quatenus utroque modo explicari possunt, solet enim Arist. in his præsertim prædicam. multa primarum intentionum admiscere in gratiam secundarum, ut nimirum melius discamus juxta earum exigentiam secundas fundare intentiones, eas autem vocamus etiam attributa, quia non omnes conveniunt substantiæ in quarto modo.

Prima substantiæ affectio est in subjecto non esse, id est in nullo hætere subjecto, si explicetur primo intentionaliter, & hæc non est propria substantiæ prædicamentalis in quarto modo proprii, quia convenit omni prorsus substantiæ, tam infinitæ, quam finitæ, tam completæ, quam incompletæ, tam primis; quam secundis, licet enim substantiæ secundæ dicantur de subjecto, non tamen sunt in subjecto, quia natura non inhæret suis inferioribus, sed potius illa constituit in esse quidditativo: & forma substantialis, licet recipiatur in materia, & ab ea in esse, & fieri dependat, si est materialis, nunquam tamen dici potest illi inhære, quia ut Scot. docet quol. 3. S. & quol. 9. A. inhære dicit non per se informare, nec facere per se unum, sed facere unum per accidens, & dare esse, vel actum secundum quid alium priori simpliciter enti: ac forma substantialis, ut per se actus, per se informat materiam, dat ei actum simpliciter, & cum ea facit per se unum, partes physice integrales sunt quidem in toto, non tamen tanquam in subjecto, quia illi non inhærent, sed potius illud constituunt integraliter, & tandem hæc affectio convenit etiam differentiis substantialibus, ut ait Aristot. in textu, quia neque ipsæ inhærent ei, cujus sunt differentie, sed potius constituunt in esse specifico, ac determinato. Ex quo sequitur, quod licet ista affectio non fit propria substantiæ prædicamentalis in quarto modo, est tamen sic propria substantiæ in tota sua latitudine, ut contradistinguitur ab accidente; falsum namque est, quod inquit Tatar. hic, hæc affectionem convenire accidenti separato in Eucharistia; quamvis enim non sit ibi in subjecto actualiter, est tamen apud actualitatem, dum autem dicimus proprium esse substantiæ in subjecto non esse, utroque modo intelligitur. Potest etiam hæc affectio explicari pro secunda intentione, ut idem sit substantiam in subjecto non esse, quod non esse aptam de aliquo accidentaliter prædicari, ut supra dicebamus exponendo secundo intentionaliter eandem particulam in definitione substantiæ.

Sed instabis esse in subjecto male inter affectiones recenteri substantiæ, cum sit de ipsius definitione; & male etiam explicari per hoc, quod substantiam nequeat de aliquo accidentaliter prædicari, cum oppositum ex professo docuerimus disp. 5. quæst. 5. art. 2. Resp. inter affectiones recenteri, quatenus est negatio immediate sequens ad rationem positivam substantiæ, sicut passio sequi solet ad essentiam, unde dimanat, & ponitur in definitione substantiæ, non secundum se formaliter considerata, sed ut indicat, & circumscribit rationem positivam substantiæ, unde fatemur, notificationem illam substantiæ potius esse descriptionem, quam definitionem. Quando autem disp. cit. quæst. ultim. diximus posse substantiam quoque accidentaliter prædicari, loquebamur de prædicari accidentaliter per modum accidentis prædicabilis, hic autem dicimus prædicari non posse per modum accidentis prædicamentalis, quia fundamentum hujus prædicacionis est vera, ac propria inhærentia formæ, quæ prædicatur in subjecto, de quo prædicatur, quæ inhærentia substantiæ repugnat, & in hoc nulla est contradictio.

35 Secunda, quæ convenit determinate secundis substantiis, ac etiam ad earum differentias extenditur, est univoce prædicari de primis, id est secundum idem nomen, & rationem in illis essentialiter inclusam, ex quo patet, hæc affectionem esse mere intentionalem, quia prædicari est secundarum intentionum, & intelligi debere de prædicacione signata, non exercita, non enim in terminis secundarum intentionum valet dicere, substantia prima est secunda, bene tamen in terminis primarum, Petrus est homo, est animal, est rationalis; Ut autem hæc affectio solum in substantiis reperitur, debent accipi primæ, & secundæ substantiæ in rigore, nam si fusc accipiatur pro quacumque natura univèrsali, vel particulari, cum hoc modo possint etiam in prædicamentis accidentium distribui, & assignari, ut ar. præc. dub. 1. diximus, poterit consequenter hæc proprietatis etiam ad univèrsalia accidentium extendi, cum ipsa quoque de suis inferioribus univoce prædicentur, ut dictum est 1. part. Inst. tract. 1. cap. 6. ar. respectu suorum subjectorum, esto possint esse univoce prædicata, quia dici possunt de eis secundum idem nomen, & rationem, ut constet de albo respectu nivis, & papyri, nunquam ta-

men possunt univoce prædicari, quia talis conceptus non includitur essentialiter in illis, ut declaravimus disp. 2. q. 6. art. 1. quod alii dicunt posse de aliis prædicari univoce accidentaliter, non essentialiter.

36 Tertia, quæ determinate convenit primis, est, significare hoc aliquid, id est significare aliquid determinatum, & singulare non ulterius communicabile, ad differentiam secundarum, quæ significant quale quid, id est aliquid indeterminate univèrsale, & communicabile pluribus. Neque hinc inferas, genera, & species in quale quid prædicari contra dicta in disp. 5. Nam ut notavimus in Inst. non sumitur hic quale quid in prædicamentis, ut sumebatur in prædicabilibus, quia hic sumitur, ut contradistinguitur ab hoc aliquid, quod significat substantiam ita per se existentem, ut possit digito demonstrari dicendo, hoc est aliquid; e contra vero quale quid significat substantiam univèrsalem, non per se primo, & immediate subsistentem, sed per primam substantiam, in quo videtur habere modum qualitatatis, quæ non per se, sed per aliud existit; potest etiam dici secunda substantia significare quale quid, non active, ut differentia, sed passive, quatenus significat naturam ulterius communicabilem, & qualificabilem per essentialia differentias.

Ut autem hæc affectio singularibus tantum substantiarum conveniat, cum dicitur prima substantia hoc aliquid significare, non sufficit dicere, quod significet aliquid determinatum, & unum numero, non alteri inferiori ulterius communicabile, quia in hoc sensu etiam singularibus accidentium convenire potest, ut diximus in Inst. sed addere debemus, quod illud determinatum, ac numero unum, quod significat, ita sit incommunicabile, ut alteri nequeat communicari, nec ut superius inferiori, quod est esse in communicabile, ut quod, nec ut forma subjecto, sive substantiæ, sive accidentalis, quod est esse incommunicabile ut quo; ratio enim suppositi (quod hic Arist. intelligit per primam substantiam, ut notat Mair. pass. 11. nam ipse non distinxit, ut nos Theologi, inter suppositum, & singulare substantiæ) consistit in hac duplici incommunicabilitate, ut quo, & ut quod, ut docet Scot. 1. disput. 2. quæst. 7. §. Ad primam quæst. Dum autem dicimus primam substantiam hoc aliquid significare, & secundam quale quid, sumitur prima, & secunda substantia intentionaliter; non enim solum nominibus, sed etiam intentionibus convenit significare res, seu esse signa rerum, alioqui si sumantur primo intentionaliter, tunc, ut notat Tat. actus signatus capitur pro actu exercito, ut sensus sit, prima substantia significat hoc aliquid, id est hoc aliquid.

37 Quarta, quæ convenit omni substantiæ, non solum directe, sed etiam lateraliter, ac indirecte, existenti in prædicamento, est, non habere contrarium, quod quidem intelligendum est de contrarietate proprie dictæ, quæ versatur inter formas positivas sibi invicem oppositas, & ab eodem subjecto se mutuo expellentes, ut sunt quamplurimæ qualitates: hoc enim modo nulla substantia alteri opponitur, quia est una forma substantialis a materia excludatur per adventum alterius, non ideoque contrarietatis censeri debent, quia contrarietas est species oppositionis, ac inter formas substantiales non versatur repugnantia opposita, sed tantum disparata (de qua duplici repugnantia vide infra disput. 9. quæst. 1. art. 1.) nam absolute loquendo forma substantialis non determinatam formam excludit, & magis hanc, quam illam, quod ad oppositionem requiritur, sed æque excludit omnem disparatam, & cum quacumque eodem modo impossibilis est, & non magis cum una, quam cum alia; Quod si dicas, saltem formas elementares sic opponi, nam forma ignis magis repugnat esse cum forma aquæ, quam aeris, ut colligitur ex 2. de Gen. Resp. formam ignis secundum se sumptam æque in eadem materia repugnare cum forma aeris, ac cum forma aquæ; dicitur tamen magis pugnare cum hac, quam cum illa ratione qualitarum illas formas insequentium, quæ vere, & proprie inter se contrariantur. Ais, qualitates istæ ab ipsis elementorum substantiis dimanant, ergo prius in ipsis illa contrarietas reperitur, quam deinde participant. Resp. cum Tatar. hic quæst. 2. in sol. ad 3. prin. quod contrarietas in effectibus non arguit semper in causis contrarietatem formalem, sed tantum virtuales, & radicales, quem vitio admittimus in elementis, quia ut ait Tatar. aliquid habere contrarietatem virtuale non est aliud, quam illud posse contraria producere. Rursus quamvis privatio vere opponatur formæ substantiali, oppositio tamen non est contraria, sed solum privativa, cum privatio nihil reale positivum ponat in subjecto oppositum formæ. Demum neque differentie substantiales idem genus condidentes proprie dici possunt contrariæ, quia non insunt generi, veluti communi subjecto, a quo vicissim se possunt excludere, sed distantur contrariæ, quatenus sunt primo diversæ; ex quo patet errasse Mair. passu 16. dum his rationibus convictus statuit in substantiis veram contrarietatem; itaque de contrarietate fusc sumpta, nimirum vel pro oppositione privativa explicandus est Arist. cum 1. Phys. 50. ait in omni genere unam esse contrarietatem, & 10. Mer. 24. differentias specficas substantiarum esse contrarias, de quo vide Ant. And. cap.

cap. de subst. quomodo autem hæc affectio quantitati quocumque conveniat, dicemus quæst. seq.

38 Quinta, quæ etiam omni substantiæ convenit, est non suscipere magis, & minus, ut accidentia, quia vel consideramus substantias quoad rationem ipsam communem substantiæ, prout substantia dicitur, non quidem a substantiando, sic enim una substantia dicitur magis substantia, quam alia, quia hæc est ratio accidentalis, sed ut dicitur a subsistendo, vel per se essendo, & sic una substantia non potest dici magis substantia, quam alia, ut Scot. docet q. 15. prædicam. prope finem, nec eadem substantia in se potest dici modo magis, modo minus substantia, sicut unum album est magis album, quam aliud, vel hodie in se magis album, quam heri, vel etiam considerantur substantiæ secundum rationes peculiare earum, & sic neque substantia suscipit magis, & minus, unus enim homo non est magis homo, quam alter, nec idem homo potest successive fieri magis, vel minus homo, ut evenit de accidente. Pro cuius rei noticia, ac intentionis Arist. notandum ex Doctore 1. disp. 17. quæst. 3. formam suscipere magis, & minus aliud non esse, quam ipsam habere latitudinem quandam, quæ latitudo aliud non est, quam magnitudo formæ; magnitudo autem formæ duplex est, una secundum quamplures subjecti partes informat, & dicitur magnitudo extensionis proveniens ex latitudine entitativa formæ; altera secundum quam ipsa forma major, aut minor est in seipsa, & in eadem parte subjecti, & dicitur magnitudo intentionis proveniens ex latitudine gradualis formæ; gradus autem formæ duplex est ex Doct. ibidem XX. alius quidditativus: & secundum istum gradum esse rerum in indivisibili consistit, quia si gradus huiusmodi addatur, vel subtrahatur, mutatur species, non enim est nisi ipsamet differentia specifica, quæ indivisibiliter speciem constituit; hinc agebat Arist. 8. Met. 10. rerum essentias se habere, ut numeros, quibus, addita unitate, vel subtracta, statim essentialiter numerus mutatur; alter est gradus perfectionis individualis, quæ est quædam realitas formæ nata uni cum alia realitate eisdem formæ ad integrandam unam formam totalem, sic vel sic intentam.

39 Cum igitur Aristot. hic negat substantiam suscipere magis, & minus; non tantum loquitur de substantia secundum gradum specificum, sic enim neque albedo suscipit magis, & minus, quia albedo, ut sex, non est essentialiter magis albedo albedine, ut duo, atque ita per hanc proprietatem non distingueret Arist. substantiam ab accidente, ut ipse præterit; loquitur ergo de ipsa præsertim secundum existentiam in individuo, & ait etiam in hoc sensu non suscipere magis, & minus: verum non ita absolute loquitur, ut ex hoc loco videatur penitus præcludi via tuendi substantiam suscipere magis, & minus quoad gradus individuales, ut putavit Mercen. in suis dilucid. nam potius videtur comparative loqui, quod nempe etiam quoad istos gradus magis, & minus non suscipit, ut qualitates, quia albedo, v. g. vel calor secundum existentiam ita suscipit magis, & minus, ut paulatim, & divisibiliter acquiratur, ac intendatur, & acquisitus remittatur, ita quod sit modo magis, modo minus intensus, at forma substantialis (si habet hanc graduum latitudinem, hoc enim discutere non est præsentis negotii) plane non habebit, sicut forma accidentalis, nam tota simul secundum omnes dicitur induci, & semel inducta, non amplius successive intendetur, vel remittetur, sed semper cum eis permanebit, quousque corruptatur, hoc enim modo Scotistæ quamplures defendunt substantiam suscipere magis, & minus ex Doctore 8. Met. quæst. 3. ut Faber Theor. 55. sed an feliciter suo loco videbimus, Scotistæ namque non ignobiles teneant substantiam neque hoc modo posse magis, & minus suscipere, ut Tatar. in hoc cap. qu. 2. dub. 2. Barg. 1. disp. 8. quæst. 2. §. Ad aliud de attributione. Mayr. passu 17. Cavell. in Anim. disp. 1. sect. 10. & alii. Quomodo autem hæc affectio etiam quantitati conveniat dicemus qu. seq.

40 Sexta demum, ac ultima proprietas est, quod substantia una, & eadem numero est contrariorum susceptiva successive, de qua est difficultas, an competat soli substantiæ, & omni nempe tam primæ, quam secundæ, communis fere opinio affirmat, eo quia censet hanc esse proprietatem substantiæ prædicamentalis in quarto modo, ac proinde cum ea in tali latitudine convertibilem, ita enim communiter interpretantur illa Aristot. verba maxime vero propriam substantiam, &c. ita Auctores passim præsertim Thomistæ Cajet. Sot. Mal. Sanch. Complut. & alii. Alia opin. negat esse propriam in quarto modo, quia non tantum competit substantiæ prædicamentali, sed etiam extra prædicamentum, nam anima separata recipit accidentia contraria, ac etiam materia prima, rursus non solum competit substantiæ, sed etiam quantitati, eadem enim superflua modo est alba, modo nigra; unde ait Mayr. passu 18. quod qui vult hanc proprietatem servare, debet tenere, quod qualitates contrariæ immediate informant substantiam, sicut quantitas ipsa.

Sed media via tenenda est, quod nimirum hæc proprietas soli utique substantiæ conveniat, non tamen omni, sed primæ dumtaxat, atque adeo illius tantum erit propria

quarto modo; ita docent ex Scotistis quamplures in hoc cap. Delphinus, Jo. de Mag. Ant. And. qui proinde notant, quod cum Arist. ait maxime autem propriam substantiam videtur, ly maxime accipi debet nominaliter, non adverbialiter, nimirum pro nomine adjectivo, quod construitur cum illo genitivo substantiæ, ut sensus sit maxime substantiæ, id est primæ substantiæ est proprium, &c. Ut autem hæc affectio soli substantiæ conveniat, & non etiam accidentibus, non tantum de contrariis respectivis intelligenda est, sed de contrariis absolutis præsertim, ut notant Mayr. passu 18. & Jo. de Mag. hic §. 3. Sciendum, contraria enim respectiva suscipit oratio, cum eadem perseverans ex aliqua dumtaxat accidentali variatione transit de veritate ad falsitatem, aut e contra; & hoc significavit Arist. ipse, dum ad hanc objectionem de oratione respondens inquit, orationem esse successive capacem veritatis, & falsitatis, non per mutationem sui, sed rei, non enim vult negare, quod etiam aliquo modo in se non mutetur, sed solum quod non mutatur eo modo, quo substantia, cum suscipit contraria, ipsa enim per solam sui mutationem contraria suscipit, nec necessario supponit mutationem alterius, quia mutatur mutatione ad se recipiendum contraria absoluta: at oratio contraria suscipit per mutationem alterius, quia mutatur mutatione ad aliud recipiendum contraria respectiva, ut sunt veritas, & falsitas.

41 Intelligenda est etiam de subjecto ultimato, ac profus independenti, nam sic excluditur quantitas, esse enim possit & ipsa suscipere contraria absoluta, & per sui mutationem, numquam tamen illa recipere potest, ut subjectum ultimum terminans eorum dependentiam, sed tantum, ut subjectum proximum, & minus principale, ut ex professo Scot. docet 4. disp. 12. quæst. 2. quia licet in quantitate immediate recipiatur albedo, calor, &c. tamen quia etiam ipsa quantitas est accidentis, & eadem dependentia dependens, ac qualitas (& idem dicendum esset de intellectu recipiente scientiam, & errorem, si poneretur accidens realiter ab anima distinctum) non potest illa sustentare, nisi beneficio substantiæ sustentantis ipsam, quod licet actu non præstet substantia in Euchariſtia, præsertim tamen a Deo supplente vices illius, & actu sustentantem quantitatem in genere causæ efficientis: unde semper verum est dicere, quod quantitas ab alio sustentata sustentat, & in virtute alterius, & quamvis in tali statu actu non dependeat ad substantiam, ut ad subjectum inhesionis, adhuc tamen dependet aptitudinaliter, & ideo nunquam dici potest subjectum principale, ac independens; unde constat opus non esse, ut agebat Mayron. ad servandam hanc proprietatem tenere, quod qualitas immediate inhereat substantiæ, sicut ipsa quantitas. Nec minus negare quantitatem mediare inter substantiam, & qualitatem, ut subjectum quod, & recipiens, sed tantum, ut subjectum quo, & rationem recipiendi, ut asserunt Complut. disp. 12. quæst. 5. & Jo. de S. Th. quæst. 15. art. 5. Nam quantitatem vere esse subjectum quod immediatum aliorum accidentium, per quod substantiæ inherere dicuntur, fuisse monstramus disp. 3. art. 1. & 2. neque hic asserunt Complut. pro parte opposita aliquid, quod ex ibi dictis non maneat perfecte solutum. Tandem bene etiam defendi potest hanc proprietatem convenire solum huius prædicamenti substantiis, quatenus non convenit, nisi illis, quæ sunt directe, vel saltem reductive in ipso, ut sunt anima, & materia prima, & corpus pro altera parte compositi; vel si tueri velimus (quod erit difficile) convenire tantum substantiis directe in ipso repositis, negandum est materiam primam esse subjectum accidentium, ut nos late tuemur d. 3. Phys. quæst. 1. Corpus autem, & anima rationalis, quando sunt separata, non amplius censentur partes, sed tota, & habent quasi rationem suppositi, & ideo bene possunt accidentia suscipere.

42 Quod vero non omni substantiæ huius prædicamenti competat, sed tantum primæ, quod præter Scotistas citat. tenent Ammon, Canter. Didac. Ruvius, & alii Prob. in primis Aristot. testimonio, qui minime docuit hanc proprietatem esse communem omni substantiæ, sed dixit esse maxime propriam, ut soli substantiæ illam tribueret, & accidentibus negaret, quin potius expressit convenire substantiæ, quæ est una numero, hæc autem est sola prima substantia. Nec valet solutio Tatar. hic in sol. ad ult. prin. quæ est communis Th. quod licet secunda substantia secundum se non sit una numero, bene tamen denominative, & per accidens dicitur una numero; ut in singularibus reperitur. Non valet, quia cum talis existentia numeralis sit necessario requisita, ut subjectum dicatur realiter contraria in se recipere, plane si natura, seu secunda substantia secundum se taliter non existit, sed tantum per accidens ex conjunctione cum differentia individuali, sic neque per se dicitur contrariorum susceptiva, sed tantum per accidens. Neque satisfacit, quod alii dicunt, illam particulam cum unum, & idem numero sit, idem sonare, ac una, & eadem numero perseverans, quo sensu potest etiam talis unitas secundis convenire substantiis. Quia, ut diximus, per esse unum numero intelligit singularem substantiam, quæ omnino necessaria est ad subjectum, in quo contraria recipi debent, & non solum perseverantiam subjecti qualitercumque existentis.

Ratio-

Ratione idipsum prob. quia Arist. docuit hanc proprietatem convenire primæ substantiæ ob ejus singularem modum essendi, & subsistendi propria virtute, ac independenter ab alio, & ideo negavit convenire orationi, quia recipit contraria non per mutationem sui, sed alterius; at secundæ substantiæ nequeunt hoc modo contraria recipere, sed tantum mediate, & dependenter a primis, quod non sufficit, ut eis talis proprietatis convenire dicatur, alioquin etiam orationi, & aliis accidentibus competere posset, quia, & ipsa possunt recipere contraria in virtute alterius, ac dependenter a prima substantia, ergo &c. Accedit, quod si hæc proprietates non conveniret secundis, nisi per primas, ergo re vera solum est propria primæ substantiæ, & cum ea convertibilis, quia proprietates solum cum eo convertitur subjecto, cui primo, & immediate convenit, non cui convenit mediate, & secundario, ut patet de risibili respectu hominis & Petri, vel Pauli.

43 At dices, suscipere contraria nil aliud esse, quam substantiam, sed substantiam accidentibus est affectio sequens substantiam prædicamentalem, ut sic, ex Scot. cit. disputat. 8. quæst. 3. §. Teneo opinionem, ergo suscipere contraria non tantum primæ, sed etiam secundæ convenit substantiæ. Resp. concedendo min. si subsistere sumatur quocumque modo sive mediate, sive immediate, sive dependenter, sive independenter, unde etiam in hoc sensu concedi debet hanc proprietatem etiam secundæ competere substantiæ, ut bene Ruvius adnotat, sed sicut si subsistere sumatur proprie, principaliter, & maxime, solum primæ competit substantiæ, sic a pari, si contraria recipere sumatur per se, ac independenter, ut sumitur ab Arist. solum primæ competit substantiæ; notandum tamen est, quod proprietates suscipiendi contraria non dicitur rationem subsistendi in tota sua latitudine, quia subsistere non solum dicitur respectu contrariorum, sed etiam in ordine ad prædicata superiora, & proprias passiones, quibus omnibus subsistat prima substantia, hæc autem proprietates attenditur solum penes contraria accidentia, quibus subsistere potest independenter.

Ut autem hæc affectio cuiuscumque primæ substantiæ convenire dicatur, non est necesse, quod susceptiva sit successive omnium contrariorum, sed sufficit aliqua posse suscipere secundum convenientiam suæ naturæ, ita quod esse susceptivam contrariorum indefinite sumatur, neque debet ita intelligi de contrariis absolutis, & proprie sumptis, ut profus respectiva excludantur, & minus proprie dicta, neque enim in cælis, & angelis necesse est reperiri contrarietatem qualitatum activarum, & passivarum, ut bene hic notat Orbell. sed sufficit aliquam assignare, cui independenter subsistent. Et tandem cum dicimus substantiam esse contrariorum susceptivam successive, valde notandum est, quod docet Scot. 4. disp. 49. quæst. 13. §. Respondet, hoc non debere intelligi de quibuscumque contrariis acceptis secundum numerum, nec de quocumque eodem secundum numerum, sed de contrariis secundum speciem acceptis, & de eodem secundum speciem, & si de eodem secundum numerum, non omni, sed aliquo, quia tunc nullum subjectum determinaret sibi alterum contrariorum, quod constaret esse falsum, quia ignis determinatus est ad calorem; quod etiam notavit Doctor quæst. 15. Prædicam. in fine, cum ait, ideo quamcumque substantiam dici contrariorum susceptivam, quia nulla substantia ex ratione substantiæ prohibetur contraria suscipere, licet aliqua ex sua propria forma determinetur ad unum contrarium; hæc omnia dici debuerunt pro completa noticia huius proprietatis, quæ etiam intentionaliter potest explicari, ut illud dicatur contraria suscipere, de quo prædicata contraria successive verificari possunt.

QUESTIO II.

De Quantitate.

44 Quantitatem molis, quæ hoc prædicamentum constituit, esse accidens realiter distinctum a substantia corporea, est unanimis omnium sensus contra Nominales, & quia id fuisse probamus disp. 9. Phys. quæst. 1. artic. 2. nihil hic superest addendum ad ibi dicta, nisi quod Arriag. superflua disp. 5. sect. 1. tenet quantitatem non distingui a materia prima, idque tuetur peculiari quadam via, etiam a Nominatibus diversa, sed certe minus felicitat. Ut enim respondeat ad illud ineluctabile argumentum ex Euchariſtia contra hanc opinionem desumptum, quod ibi quantitas panis separata manet ab eisdem substantia, cum huius consecrata nequeat cum alio corpore compenetrari, qui est effectus quantitatis, quæ corpora extendit ad impenetrabilitatem; ait, quod licet materia recedat ex vi consecrationis, manent tamen ubicationes ejus, quæ proxime fundant impenetrationem, quatenus natura sua sunt incompossibiles cum aliis ubicationibus alterius materiæ. Sane hoc est contra communem doctrinam etiam PP. Societatis, qui modos (de quorum numero est ubicatio apud omnes eam a re ubicata distinguentes) passim docent esse inseparabiles a rebus, quarum sunt modi, & per hoc modum a re distinguunt, quod ejus essentiam in hoc consti-

tuunt, quod semper sit affixus rei modificata, nec aliter in rerum natura existere possit etiam de potentia Dei absoluta. Falsum etiam est ubicationem formaliter, & proxime fundare impenetrationem, quia tunc neque Deus posset duo corpora in eodem loco compenetrare, quia unumquodque suam petit ubicationem numericam, nec unum potest in loco constitui per alterius ubicationem, aut ambo per eandem, ut ostendimus disp. 11. Phys. quæst. 5. artic. 1. agimus igitur hic de quantitate, velut de accidente a substantia realiter distincto, idque modo supponimus cum communi; contra quam licet Poncius disp. 14. Log. num. 59. argumentum proponat, quod ei videtur valde difficile, attamen bene percepta quantitas essentia. prout distinguitur a substantia materiali, ex hic dicendis, & in Physica loc. citat. facillime diluitur; falsum enim assumit, quod quantitas ex sui natura non habeat præcise, & formaliter ex sua entitate absoluta partes suas extra se invicem cum proportionem ad partes loci impenetrabiliter, sed hoc habeat ex respectibus unionis inter partes adinvicem: quia similes respectus reperuntur inter partes substantiæ sine tali impenetrabilitate, signum evidens hanc provenire a partibus quantitatis, ut sic; Quare autem Arist. immediate post substantiam tractet de quantitate eam præferendo qualitati, quæ tamen dignior videtur, & nobilior, variaz rationes ab Expositoribus afferuntur, ea tamen præcipua est, quam reddit Doct. 4. disput. 12. quæst. 2. F. quod cum Aristot. substantiam consideraverit in ratione subsistendi accidentibus, cum in hoc munere quantitatis magis substantiam imitetur, quam qualitas, & sit substantiæ propinquior secundum hanc rationem, quia est proximum, & immediatum subjectum aliorum accidentium, hæc de causa post substantiam immediate agit de quantitate.

ARTICULUS I.

An quantitas continua, & discreta sint vera species huius prædicamenti.

45 DE quantitate continua nemo unquam dubitavit esse vere, & proprie speciem huius prædicamenti, quia ratio essentialis quantitatis, prout est accidens a substantia distinctum, præsertim in quantitate continua reperitur, ea enim præcipue est, quæ habet partem extra partem, nedum entitative, sed etiam sivealiter, & impenetrabiliter, unde corporibus inhaerens illa magnificat, & extendit ad occupandum locum ab alterius corporis loco distinctum, ac proinde dicitur quantitas molis, & magnitudinis, imo antonomastice nomine quantitatis absolute loquendo ipsa datur intelligi. Tota igitur difficultas devolvitur ad quantitatem discretam, quæ est numerus, & oratio, qui enim negant numerum esse ens, & accidens per se unum, quin potius esse aggregationem multorum sine aliquo vinculo, vel nexu adinvicem, negans consequenter esse proprie speciem huius prædicamenti, vulgariter tamen censeri talem ob quandam affinitatem, quam habet cum hoc prædicamento, & analogiam, quam habet ad quantitatem continuam; ita Nominales omnes Ocham. 1. disput. 24. quæst. 2. Greg. ibi. quæst. 2. art. 1. Marfil. quæst. 27. artic. 1. Rubion disp. 24. quæst. 2. Aureol. ibidem, quam acriter ex Recentioribus defendunt quamplures Conim. c. de quantitate quæst. 2. art. 1. Suarez disp. 41. Met. sect. 1. Fonseca. 5. Met. c. 13. quæst. 4. Averfa q. 18. sect. 2. Blanc. dif. 10. Log. sect. 1. Morlan disp. 6. quæst. 5. & alii; e contra vero, qui faciunt numerum ens aliquo modo per se unum, consequenter reponunt in hoc prædicamento, ut veram ejus speciem, ita S. Th. 1. p. q. 11. art. 1. & 2. & qu. 30. art. 3. & Thomistæ communiter Capreol. Cajet. Soccin. Javel. Niger, Mafius, Sanch. Petron. Complut. Jo. de S. Thoma, idem tenuit Scotus 5. Met. q. 9. & Scotistæ Tat. Jo. de Mag. & alii Parisienses in Præd. quant. Ant. And. Zerb. Faber, & alii 5. Met.

46 Dicimus quantitatem discretam non esse vere speciem huius prædicamenti, quia nec numerus, nec oratio sunt aliquid per se unum, sicut exigitur ad hoc, ut aliquid in prædicamento reponatur. Hæc conclus. apud nos est ita certa, ut quando etiam Scotus, & Ari. ipse oppositum sentirent, adhuc ab ea recedere non deberemus, tanta est evidentia rationum, quibus convincitur. Neque tamen desunt pro ea Arist. Scoti, & Scotistarum testimonia, pluribus enim in locis negat expresse Arist. numerum esse ens per se unum vocans illud plura entia, & plurium unitatum congeriem, ita legitur 3. Phys. 68. 8. Met. 10. & lib. 10. text. 20. & faver Averr. 3. Phys. 68. Scotus autem quamvis oppositam tenuisset sententiam, quæ tunc temporis communis erat, qu. 16. Prædicam. & 4. Met. quæst. 2. & lib. 5. quæst. 9. postea tamen 1. d. 24. qu. un. manet problematicus, neque pro hac, vel illa parte vult sententiam ferre, sed illius dubii decisionem pollicetur, quando tractabit de numeris, nec se remittit ad ea, quæ de hoc dicitur in Met. mos autem Doctores passim cum illa acceptat tanquam vera, & consonantia cum dictis in libris sent. & ideo cum in proposito non se remittat ad ea, quæ de numero docuerat

240 Disp. VII. De Universalibus in particulari.

in Met. certum esse debet non firmiter adhaerisse illi sententia, & quidem ex lib. sent. potius colligitur sensisse oppositum, nam in 4. d. 1. qu. 2. ad 1. loquens de oratione, manifeste docet non esse ens per se unum, & d. 12. qu. 4. I. loquens de divisione continui, ex qua resultat numerus, ait per talem divisionem (præter indivisibilia terminantia) nihil positum generari de novo, & in partibus non fieri nisi transmutationem privativam, quatenus acquirunt esse præcium, seu discontinuatam unius ab alia, quæ præcisio, & discontinuitas non est, nisi negatio continuationis, & conjunctionis unius partis cum alia, ex quo manifeste colligitur in sententia Doctoris numerum non esse verum accidens per se unum unitativis, ex quibus componitur realiter superadditum: cum igitur juxta regulam initio Log. traditam tueri non tenemur opiniones Doctoris in Log. vel Met. quas in libris sent. ubi majorem facit auctoritatem, vel retractavit vel saltem in dubium revocavit, ideo in hac re opinionem deserimus, quam illis in locis docuit, & eam amplectimur, in quam expresse inclinavit in lib. sent. præsertim quia etiam pro hac parte non desunt Scotistæ, nam de oratione id tenet Jo. de Mag. in hoc prædic. & de numero idem sentire videtur Canon 4. Phys. q. 5. art. 2. Bassol. 1. d. 24. tenet ex professo, & Paulus Scriptor ib. & ex Recentioribus post nos Poncius disp. 14. Log. q. 4.

47 Probatum autem hac evidenti ratione, quinque tantum assignantur gradus unitatis, ut docet Doct. 1. d. 2. qu. 7. Hh, in primo ponitur unitas aggregationis, in 2. unitas ordinis, in 3. unitas per accidens, in 4. unitas compositi per se, in 5. demum unitas simplicitatis, sed non videtur, quinam gradus unitatis possit numero tribui a parte rei, nisi primus, vel ad summum secundus, quatenus a parte rei datur aliquis ordo inter res numeratas, quando nempe res ipsæ habent inter se connexionem, vel subordinationem quandam quantum ad locum, vel tempus, vel dignitatem, vel causalitatem, aut alio modo; cum igitur neuter horum graduum sufficiat, ut aliquid sic unum ponatur in prædicamento, alioquin, & cumulus lapidum, in quo reperitur prima unitas, & respublica, aut exercitus, in quo reperitur secunda, in prædicamento forent reponenda, concludendum est numerum non constituere veram speciem prædicamenti.

48 Conati sunt multi tribuere numero unitatem in quarto gradu (nam nec tertius gradus sufficit) adspicientes in eo unitates materiales, quæ habeant rationem potentia, & materia, & unitatem formalem, quæ illis adveniens per modum formæ constituit ens per se unum, ita passim Thomistæ, & Scotistæ oppositum defendentes, qui tamen postea non conveniunt in assignanda hac unitate formali; Thomistæ namque hanc unitatem formalem, quæ ceteris adveniens, ut actus potentia, reddit numerum per se unum, dixerunt esse ultimam, & postremam unitatem; Scotistæ vero dixerunt esse potius aliam quandam unitatem transcendentem omnibus supervenientem, quæ sit forma specifica illius numero, & in omnibus unitatibus materialibus illius numeri reidens, velut in sua materia.

At plane incapibilis est hæc Thomistarum doctrina, nam luce clarior patet per ultimam unitatem supervenientem prioribus nullo modo a parte rei inter se uniti ad quid unum per se constituendum, cum enim decem nummos numeramus, quam unionem acquirunt adinvicem priores ex hoc, quod postremo illis adicitur decimus? & quomodo hæc ultima unitas cæteris adveniens illas informat, & actuat? Accedit, quod licet in rebus numeratis assignari possit prima, secunda, tertia, & ultima unitas ratione loci, vel temporis, vel dignitatis, aut ex aliquo alio accidenti ut diximus, non tamen per se habetur talis ordo ex ratione numeri, quasi a parte rei determinatum sit hanc esse priorem unitatem, & illam posteriorem, ac ultimam, sed talis ordo est profusus ad libitum, nam ex decem nummis non magis unus, quam alter potest esse primus, vel ultimus in numeratione.

49 Resp. Compl. disp. 13. q. 8. hæc omnia probare numerum non esse ita unum in quarto gradu, sicut compositum physicum per veram, & intrinsecam unionem partium, ac receptionem formæ in materia, quod verum est, quia cum compositio numeri fiat per partes discretas, solum requirit unionem ordinis, & quod una extrinsece recipiatur in alia, nempe ultima in præcedentibus terminando extrinsece earum incompletiorem, qui est modus informationis, & actualionis proportionatus naturæ entis discreti; & quamvis ex natura rei designata non sit prima, vel ultima unitas, inquit tamen, ex natura rei unquamque ita se habere, ut possit determinare alias, si ultimo loco accipiatur, vel ab alia determinari, si accipiatur antecedenter; quare concludunt unitatem numeri esse unitatem ordinis, non qualis reperitur inter partes exercitus, vel reipublicæ, quia in his non invenitur aliqua realis, & physica entitas incompleta per aliam determinabilis, sicut in numero, ubi unitates antecedentes sunt per ultimam extrinsece per se determinabiles: & hæc est communis solutio Recentiorum Thomistarum, Sanch. Araux. Mac. Joan. de S. Th. quam inquit esse D. Th. 7. Met. lect. ult.

Hæc solutio ex multis capitibus reiicienda est, tum quia

admittit ex natura rei eandem unitatem posse per se actum, vel per se potentiam respectu alterius unitatis, quod profusus repugnat; nam si est nata esse actus illius, quomodo esse potest etiam per se potentia ab ea perfectibilis, ex hoc autem, quod hæc in numerando primo accipiatur loco, & illa ultimo, sequitur solum per accidens unam esse actum, & aliam potentiam; tum quia admittit unitatem ordinis, quæ sit unitas per se actus, & potentia, quod est profusus falsum, quia unitas ordinis atrenditur penes prius, & posterius, non penes actum, & potentiam, tum quia forma extrinseca non constituit unum per se cum illo, cujus est forma, nam objectum poni solet forma extrinseca actus, & potentia, terminus relationis, &c. ex quibus tamen nemo dicit fieri per se unum, cum tamen magis pendeat relatio a termino, actus ab objecto, quam cæteræ unitates ab ultima. Dum autem ajunt Complut. determinationem extrinsecam, quæ fit a forma per se ordinata, per modum partis ad actualionem alterius, sufficere ad constituendum unum per se, & hoc solum in numero reperiri; manifestam committunt petitionem principii, nam alio exemplo nequeunt hanc portentosam per se unitatem ostendere, nisi in numero, de quo est controversia. Tum quia ponendo unitatem numeri esse unitatem ordinis, labuntur junctis pedibus in illorum sententiam, qui statuunt numerum formam relativam, quæ communiter reicitur, etiam ab his, qui tenent numerum esse ens per se unum, nam vel iste respectus, in quo formaliter constituit numerus, ponitur transcendentis, & sic in nullo erit prædicamento, vel prædicamentalis, & sic potius ad prædicamentum relationis spectabit, quam quantitatis. Tum tandem quia denarius numerus ita destruitur tollendo ultimam, sicut primam, vel quartam unitatem, ergo in constitutione talis numeri una vicissim ab alia dependet, & una per alteram completur, & non tantum cæteræ omnes per ultimam.

50 Scotistarum quoque solutio allata non subsistit; nam si unitas illa transcendentis adveniens unitatibus materialibus, quam vocant formam specificam numeri, residet in omnibus illis, ut in sua propria, & adæquata materia, vel est hæc forma divisibilis, & divisibiliter existens secundum plures partes in illis unitatibus materialibus, vel indivisibilis, ac proinde tota existens in quacunque materiali unitate; non secundum, tum quia repugnat quantitati esse indivisibilem; tum quia repugnat idem accidens esse simul in pluribus subjectis realiter distinctis, ac loco distinctis, quantumcumque inadæquate ponatur, nam neque animæ rationali id conceditur, quia non informat subjecta sua partialia; & inadæquate, nisi unita; si primum, jam a capite redit difficultas, nam divisa per partes, & sic dispersa in singulis unitatibus materialibus nullam illis præbet unionem inter se; & per hoc reicitur communis responsio Parisiensium dicentium non esse inconveniens de accidente discreto, quod in diversis subjectis, quia natura sua ea est, ut postulet esse in diversis subjectis. Hoc enim ipsum ostendit accidens discretum non esse quid unum, quia utique non habet ipsum quoad informandum majora privilegia, quam anima rationalis; Fabri vero cit. 5. Met. disp. 15. cap. 3. solutionem omittimus, quia sane vim argum. percipere noluit.

51 Resp. aliqui hæc omnia probare quantitatem discretam non esse sic unam, sicut continuam, quod verum est, at non probant, quod non habeat unitatem proportionatam in suo genere, quamvis igitur partes numeri, eo quia sunt divisa, sint profusus ineptæ ad constituendum unum unitate continuitatis, possunt adhuc tamen unum constituere secundum rationem quantitatis discretæ, nam multa in uno sensu possunt esse unum in alio sensu, ut multi lapides sunt unum ædificium, sic igitur multa continua esse possunt unum discretum. Hoc totum nos quoque concedimus: sed negamus, quæ sunt multa in uno sensu, facere semper per se unum in alio sensu, ut patet in exemplo ab ipsis allato de multis lapidibus, sic igitur concedimus utique multa continua facere unum discretum, sed dicimus hoc unum, quod constituunt, non esse vere per se unum, quia unitas ab unionem procedit, quando est unitas ex pluribus, ut ex partibus conflurgens, cum igitur inter partes numeri nulla per se unio, aut Physicus nexus cernatur, non utique aliquod per se unum censei debeant, & illud appellare unum discretum est conditio distrahens, nam discretio, & separatio potius tollit unionem, quam ponat.

52 Alii igitur fatentur, non posse tribui numero aliquam per se unitatem in quarto gradu ex quinque allatis, sed tantum unitatem ordinis in secundo gradu, quam habent unitates quantitativæ a parte rei, ut numerari possint, una prius, altera posterius absque ulla ratione actus, & potentia, unde inquit numerum constitui ex unitatibus secundum aptitudinem, qua numerari, & ordinari possint, nam in hoc distinguuntur unitates, ut componunt cumulum, & numerum, quod ibi dicant multitudinem confusam, non autem hic: ita præsertim Ruvius c. de quant. qu. 6. Sed contra; tum quia hic ordo prioris, & posterioris non est in ipsis rebus a parte rei, nisi ex accidenti, ut diximus, scilicet vel ratione loci, vel temporis, vel dignitatis; tum quia

quia etiam in rebus poneret quid reale, non ideo numerus ab eo haberet talem unitatem, per quam confititur debeat ens per se unum in genere quantitatis, quia alia etiam entia realia quantitate carentia haberent talem numerabilitatem, nec tamen sub id numerus transcenderet ex eis constitutus ponitur ab istis auctoribus ens per se distinctum ab illis entibus numeratis tum, quia sola unitas ordinis, quomodocumque constituitur, non sufficit ad constituendum ens per se unum in prædicamento; tum quia hæc potius est unitas relativa, quam absoluta, ac proinde impertinens ad constituendum speciem huius prædicamenti; tum tandem quia numerabilitas ad summum constitueret numerum potentialem, non actualem, de quo hic loquimur, & dicit multitudinem unitatum, non numerabilem tantum, sed numeratam.

Alii tandem ingenue fatentur quantitatem discretam nullam profusus habere unionem physicam, penes quam ejus unitas attendatur, quia potius ex sua essentia possit negationem unionis inter ejus partes, unde ajunt, nodum in scypro quærere, qui vinculum physicum querit in quantitate discreta; adhuc tamen habere unitatem sufficientem metaphysicam, quia habet unam essentiam quantitatis, scilicet genus, & differentiam, quod est habere partes extra partes non unitas termino communi. Hæc tamen solutio fatim refellitur, quia scit entitas metaphysica rei non est realiter diversa ab entitate physica ejusdem, ita unitas per se metaphysica entis realis fundatur in unitate per se physica rei, vel compositionis, ut in corporibus, vel simplicitatis, ut in Angelis, sed in quantitate discreta nulla talis physica unitas reperitur neque compositionis, neque simplicitatis, imo neque ordinis, ut hucusque probatum est, ergo neque ei tribui potest cum fundamento in re unitas per se metaphysica sufficiens ad eam constituendam sub uno genere.

53 Concludendum igitur est cum Bassol. cit. quod cum numerus, & continuum non differant, nisi sicut unum, & plura una, quia numerus fit ex divisione continui ex 3. & 6. Phys. plane non amplius differunt, quam unum album, & plura alba, atque adeo sicut album, & alba non differunt specie, ita neque numerus, & continuum: Et cum Rubion. cit. quod sicut numerus transcendens non est ens per se unum, neque una species entis, ut concedunt Adversarii, sed sunt ipsa plura entia numerata, ita neque numerus quantitativus erit una per se quantitas, aut una species quantitatis, sed plures quantitates, nulla si quidem afferri potest ratio disparitatis subsistens, eodem enim modo prior numerus est multitudo unitatum transcendentium, sicut numerus quantitativus est multitudo unitatum quantitativarum. Accedit, quod sicut unitas transcendentis prædicatur essentialiter de unitate quantitativa, ita numerus transcendentis de numero quantitativo, sed numerus transcendentis duarum quantitatum non est unum ens, sicut neque numerus duarum substantiarum, vel relationum, ergo neque una quantitas, & una species ejus, sicut quod nequit esse unum animal, nequit esse unus homo, a superiori enim ad inferius tenet destructive. Et certe hæc paritas de numero transcendentis, & prædicamentalis est ita evidens, ut a Rubion. urgetur, ut vel uterque numerus poni debeat quæ per se unum a rebus numeratis distinctum, vel neuter. Neque disparitas, quam afferunt Compl. q. 6. sufficit ad ponendum numerum prædicamentalem accidens realiter superadditum rebus numeratis, ut infra dicemus in sol. ad 4.

54 Ex dictis inferunt etiam, quod sicut numerus transcendentis realis (quia etiam applicari potest entibus rationis) solum pro materiali est aliquid reale, vel potius aliqua realia, nempe res ipsæ numerabiles, formaliter vero non habet esse nisi per intellectum illa plura colligentem in unum secundum ordinem prioris, & posterioris, idem pariter dicendum de numero quantitativo, quando nempe solum pro materiali sit a parte rei, ab intellectu vero habeat unitatem formalem, quando illa plura colligit per modum unius, cum enim nullam unionem realem habeat a parte rei, si aliquam habet, dicendum est ei ab intellectu derivari, quod Arist. manifeste significavit 4. Phys. 131. dum dixit, ablata anima, tolli quoque numerum, per quod noluit utique dicere auferri ipsas unitates reales materiales, quæ extant a parte rei, nec pendem ab intellectu operatione, sed solum unitatem formalem, quam extrinsece illis communicat, cum illas in unum colligit, atque ita datur a parte rei numerus pro materiali, non pro formali.

Adhuc tamen his non obstantibus, addimus quantitatem discretam, & præsertim numerum rationabiliter ad hoc pertinere prædicamentum, quia non est aggregatum per accidens ex rebus diversorum prædicamentorum, ut homo album, sed ex rebus ejusdem prædicamenti, ex diversis nempe quantitativis continuis abinvicem divisis, imo numerus aliud non est, quam ipsamet quantitas continua in plures partes divisa, ergo rationabiliter sub hoc prædicamento conjungitur cum quantitate continua; unde cum Arist. dixit quanti aliud discretum, aliud continuum, non divisit quantitatem in communi, velut in duas species, sed potius ipsam quantitatem continuum, velut in duplici statu consideravit, nimirum, & sub unione suarum partium, & *Mastrii, & Bellini Tom. I. Logica.*

sub divisione, in quo statu dicitur discreta. Quia tamen adhuc sub tali statu realis divisionis, in quo numerum constituit, qui oritur ex divisione continui, solet ab intellectu concipi per modum unius, non quidem continui, sed discreti, quæ unitas est omnino alterius rationis ab unitate continui, hinc confuevit de illa loqui, velut de specie distincta a quantitate continua, quod etiam nos deinceps observabimus, quia loquendum est cum multis, ut ait adagium, at sentiendum cum paucis.

Solvuntur Objectiones.

55 IN oppos. obiic. 1. Arist. nedum hic in prædicamentis, ubi frequenter famose loquitur, sed etiam 5. Met. c. 13. ubi ex mente propria loquitur de speciebus quantitatis, quantitatem dividit in continuam, & discretam, velut genus in suas species, imo quod ponderandum est, ibi data opera aliquas species quantitatis omisit, quas hic recensuerat, ut per hoc demonstraret, se in prædicamentis suis esse famose locutum, & tamen non omisit quantitatem discretam, ergo signum est re vera putasse esse veram speciem quantitatis. Conf. nam ratio quantitatis ita bene convenit discretæ, sicut continuæ, ratio enim quantitatis dicitur communiter esse extensio partium extra partes, at etiam numerus habet partes extra partes, cum componatur ex unitatibus quantitativis, quarum una necessario est extra aliam, similiter & proprietates quantitatis æqualitas, vel inæqualitas, finitas, vel infinitas, esse divisibile, mensurabile, &c. æque bene conveniunt quantitati discretæ, ac continuæ. Tandem si ad ens per se unum in prædicamento ponibile requiritur unitas ex per se actu, & per se potentia, & non sufficit unitas ordinis ad constituendam speciem huius prædicamenti, quia est unitas relativa, sequitur non solum quantitatem discretam, sed etiam continuam ab hoc prædicam. eliminandam esse, quia nec ipsa constituitur ex suis partibus integralibus ut ex per se actu, & potentia, quia nulla habet rationem actus, vel potentia respectu alterius, cum sint ejusdem rationis: item unitas quoque continuitatis est relativa, ut notavit Mayron. passim 20. quia intelligitur per copulationem partium ad terminum communem, atque ita ad aliud.

56 Resp. patere ex proxime dictis, in quo sensu Arist. diviserit quantitatem in continuam, & discretam, & falsum est loc. cit. in Met. enumerare species proprias quantitatis dumtaxat, imo potius explicat ibi omnes modos, & significata, quibus explicari potest quantitas, unde ibidem dividit quantam, quod alia sint per se, alia per accidens, & satis constat ex aliis locis initio art. cit. ipsum non tribuisse numero unitatem aliquam realem. Ad Conf. neg. assumptum, quia in quantitate discreta una unitas non est pars cum alia componens unum ens, unde non habet partes extra partes, sed potius tota extra totam, neque quantitas discreta, ut sic, ullam secum affert extensionem unitatum, sed solum multiplicationem, & qualibet unitas, ut unum totum continuum, habet propriam extensionem, unde extensio ex sola quantitate continua, ut sic, habetur; non ex discreta; sic etiam non proprie, sed tantum proportionem quadam solent ei tribui passionibus quantitatis, quo etiam sensu tribui solent multitudini transcendentis, quæ tamen ob id non afferuntur ad hoc spectare prædicamentum, aut aliquam determinatam speciem in genere entis constituere, sic enim ei tribuuntur, ut non arguant aliquam unam essentiam, a qua oriatur: unde finitas convenit quantitati continuæ proprie ratione termini præfixi a parte rei, at non ita proprie convenit numero, quia terminatur per ultimam unitatem, & hoc non est a parte rei determinata, sed tantum per intellectus designationem, qui ex libito magis hanc, quam illam constituit ultimam; æqualitas, & inæqualitas non sunt relationes aliquæ, quæ in toto numero inveniuntur respectu alterius, sed sunt ipsæ multitudines unitatum, quatenus una est major, vel minor alia, quo sensu æcerus tritici dicitur æqualis, vel inæqualis alteri, vel si sunt relationes, non sunt nisi rationis, quæ bene fundari possunt in pluribus subjectis, etiam distinctis, ut Scot. docet 4. d. 1. q. 2. in sol. ad 1. prin. divisibilitas etiam utique non convenit illi in ordine ad actum realem divisionis, quia hæc supponit unitatem partium in re divisibili, quæ ibi nulla est, sed tantum proveniret ab intellectu unitates abinvicem separante, quas in unum collegerat; Et tandem quamvis ratio mensuræ sibi proprie competat, hoc tamen magis est attributum rationis, quam reale, ut docet Doct. quol. 13. art. 2. Adhuc concedimus ultro quantitatem continuum non constitui in prædic. ob solum unitatem continuitatis, quia hæc potest reperiri etiam inter species diversas, ut suo loco dicemus, sed ob unitatem essentia, & naturæ ex per se actu, & potentia metaphysica constituta, quia quia caret numero, eo quod nequit talis essentia accidentaliter reperiri subjectum, ideo excluditur a prædicamento, & censetur potius aggregatum per accidens. Falsum est autem, quod Mayr. ajebat unitatem continuitatis esse formaliter relativam, continuas enim est forma absoluta, ut docet Scot. 4. dist. 10. quæst. 6. ad 1. princ. esto per respectum soleat explicari, quod magis explicatur in Physic. disput. de *Q. Con.*

Continuo; sic rationale explicatur per ordinem ad discursum, & tamen in se est forma absoluta.

57. Secundo obijciunt Compl. ratio unius per se, quantum sufficit ut quid in prædicamento reponatur, non consistit in indivisibili, sed habet plures gradus, siquidem Angelus est magis per se ens, & unum, quam substantia materialis, & hæc plura quantitas continua, ergo saltem in infimo gradu potest aliquid discretum esse per se unum, si partes ejus sint quid incompletum, & habeant inter se ordinem, nam talis unitas ordinis sufficit, ut illud compositum dicatur simpliciter unum, quod probant ex D. Th. 7. Met. lect. ult. exemplo domus, & syllabæ, quæ ob ordinem inter illorum partes repertum non censentur aggregata per accidens, sicut acervus, quia illorum partes dici possunt invicem unitæ saltem unitate ordinis.

Resp. jam nos ex Scoto retulisse omnes gradus unitatis, & probasse unitatem ordinis, etiam si daretur a parte rei inter unitates numerales, quod non est verum, non sufficere ut aliquid sit ita unum, quantum sufficit, ut in prædicamento reponatur, alioquin, & Respublica, & exercitus, & domus, & omnia alia artificialia composita in prædicamento locum haberent, in his enim omnibus reperitur aliquis ordo ad unum finem, vel efficiens, &c. Neque dicas cum Compl. partes horum compositorum non esse re vera, & physica entia incompleta essentialiter ordinata ad unum totius constitutionem, sicut sunt unitates numerales. Nam falsum est hoc, & illud corpus esse entia essentialiter incompleta, imo Arist. 5. Met. 18. discrete docet, partes, in quas dividitur continuum, & ex quibus dicitur confurgere numerus, eo ipso, quod sunt ab invicem separatæ, esse singulas hoc aliquid, & ens completum. Nec dicas esse entia completa in genere continui, sed incompleta in genere discreti. Nam tunc nullum ens potest assignari completum, sed quodlibet incompletum foret, & ordinabile ad aliud essentialiter: quia potest venire cum alio in aliquo numeri compositionem, numerus ergo dici nequit ens per se, etiam in infimo gradu, nam quæ componunt ipsum, sunt entia per se tota, cum habeant proprios terminos, & sub hac ratione constituunt numerum, unde per accidens habent rationem partium, quatenus scilicet colliguntur sub ratione numerabilis, quæ ratio nedum non destruit rationem totius, quæ est in partibus, sed potius illam exigit, quia tamen concurrunt ad numeri constitutionem aliquo ordine inter se servato, accedit magis ad unitatem numerus ex eis constitutus, quam acervus, & aliud quid simile inordinate collectum.

Dices, concreta accidentalia ponuntur in prædicamento solum ex eo, quia habent aliquam rationem perfectiatis, licet simpliciter, & absolute sint entia per accidens, quia includunt accidens, & subjectum. Resp. ut ponuntur in prædicamento non esse entia per accidens, sed connotativa, quia non significant æque primo utramque partem, sed primario significant formam, & secundario subjectum, unde ponuntur in prædicamento tantum ratione formæ; at non sic dici potest de numero, cum nequeat dari a parte rei forma accidentalis, quæ connotat plura, & distincta subiecta, etiam inadæquata, quibus inhaerent.

58. Tertio numerus est proprium, & per se obiectum Arithmetica, ergo non potest esse ens per accidens, de quo non datur vera scientia 6. Met. c. 2. cumque Arithmetica sit scientia realis, statuendus est numerus ens per se unum, & reale. Hoc argumentum valde exaggerant Thomistæ, & ex hoc solo putant prælii referre victoriam, cum tamen & ipsi ad ejus teneantur solutionem, quia Arithmetica non alligatur numero quantitativo, cum proportionibus numerorum, ac proportionalitates æque bene demonstrant in numero transcendentem, quem tamen ipsi non distinguunt a rebus numeratis, nec faciunt speciem per se unam in genere entis; si teneatur de ente per accidens, quod non est mere aggregatum, posse dari scientiam, ut tenent quamplures, statim Achilles iste prosterneritur; si vero hoc non teneatur, tunc dicendum est de obiecto Arithmetica, sicut dicimus de obiecto Politicæ, & militaris infra d. 12. qu. 2. art. 3. quod nimirum cum considerentur proportionibus inter numeros ipsos, & hæc proportionibus non inveniantur in rebus ipsis numerabilibus, ut fundant unitatem, sed potius discretionem, & multitudinem, ut bene notat Suar. cit. n. 19. ideo habet pro obiecto, non formalem unitatem numeri, sed materiale numeri, ipsas nempe rerum multitudines, ut adinvicem comparabiles per habitudines proportionis, & proportionabilitatis, unde neque erit unus per se habitus, sed plures aliquo ordine congregati. Quod si cupias aliquam ei unitatem ex parte obiecti tribuere, tunc dicas considerare numerum velut in actu signato, quomodo dicit unum per se conceptum, sic enim dicimus etiam ipsum ens per accidens, quatenus tale in communi consideratum, esse scibile, sed quia talis conceptus est omnino rationis, non poterit ex hoc capite Arithmetica dici scientia realis; Neque hic vocem extollant Thomistæ, nam quando etiam quis assereret Arithmeticeam non limitari ad genus scientiæ realis, forte non ita irrationabiliter loqueretur, ut ipsi putant; nam si naturam illius scientiæ bene perpendamus, plane ejus demonstrationes ita bene procedunt in supputatione entium rationis, sicut

realem, unde ablati omnibus entibus realibus adhuc Arithmetica remaneret, & exerceri posset in ipsa multitudinem entium rationis; hoc arg. adducit Bassol. cit. sed deest solutio ex defectu (credimus) typographi, non auctoris.

59. Quarto urgent Complut. ideo numerus transcendens non est accidens superadditum rebus numeratis, quia nec unitates transcendentales, ex quibus constituitur, illis accidunt, unde sicut quælibet res seipsa est transcendentaliter una, ita collectum sumptæ a seipsis sunt multæ, ergo e contra quia unitates quantitativæ accidunt rebus corporeis, quando continuum dividitur, consequenter numerus ex eis constitutus debet poni accidens superadditum rebus corporeis. Conf. res nunquam esse possunt sine numero transcendentali, quia una nequit transire in aliam, bene tamen sine quantitativo, unde duæ guttæ aquæ separatæ, si invicem continentur, amittunt dualitatem prædicamentalem, & quantitativam, quia non amplius sunt duæ quantitates, sed una per continuitatem, adhuc tamen retinent dualitatem transcendentalem, quia adhuc sunt duæ res, non una per identitatem, sed tantum per conjunctionem, ergo numerus quantitativus est accidens superadditum.

Resp. non esse extra controversiam, num unitas quantitativa aliquid reale superaddat quantitati divisæ ab alia, imò si velint Complut. præter indivisibile terminans aliquid aliud superaddere, hoc est omnino falsum, quia ut diximus ex Scoto 4. disput. 12. quæst. 4. r. per divisionem quantitatis continuæ in partibus divisis, præter indivisibilia terminantia, nihil profus de novo generatur, unde unitas quantitativa ultra illa nihil dicit, nisi puram negationem continuitatis, & quando partes illa iterum reununtur, præter illa nihil profus amittunt, quam illam negationem, & in hoc sensu dicuntur amittere dualitatem, quia sicut quantitas continua intelligitur esse una præcise ex indivisione, ita quantitas discreta intelligitur esse numerus præcise ex divisione continuæ, ex quo non sequitur numerum aliquid positivum superaddere partibus divisis, nec etiam unitates quantitativas in præfato sensu; si vero intelligant Complut. hoc additum partibus divisis per unitatem quantitativam esse indivisibile terminans, ut re vera videntur intelligere, verum dicunt, at deficient statim, cum subdant illud indivisibile additum parti divisæ reddere illam essentialiter incompletam, & constituere partem essentialiter ordinatam ad componendum numerum prædicamentalem, quia potius res e contra se habet, quod dum proprios acquirit terminos, efficitur ens in se subsistens, & completum hoc aliquid, ut Aristot. docet 5. Met. 18. Sed quicquid sit de hoc, an unitas quantitativa addat supra quantitatem aliquid positivum, vel solum carentiam divisionis, nam de hoc ex professo in Met. dicimus, certum est, unum, vel alterum asserendo semper manere eandem difficultatem, admittendo enim, quod illa unitates singulis partibus divisæ aliquid reale superaddant, adhuc explicandum manet, quomodo conspirare possint ad constituendum numerum, velut ens per se unum, in quo consistit cardo difficultatis.

60. Quinto tandem urgent auctoritate Aristot. 5. Met. 19. ait numerum tenarium non esse bis tria, sed semel sex, volens numerum habere suam per se unitatem, & non esse unum per aggregationem, sicut acervus, quod etiam dixit Doct. 3. disput. 22. quæst. unic. L. volens hinc probare totum dicere unam per se entitatem realiter a partibus distinctam. Et 8. Met. 10. indicare volens, unde unitas numeri sumatur, seu a quo dicatur per se unum, ait in singulis numerorum speciebus ultimam unitatem esse formam numeri, five esse differentiam dantem numero speciem, sicut ultimus gradus essentialis rei dicitur ejus forma, & differentia. Et tandem 2. de Anim. cap. 6. ponit numerum sensibile commune, at quod sub sensum cadit, reale est.

Resp. utique per illum loquendi modum noluisse Aristot. indicare numerum dicere tertiam entitatem per se unam e partibus, ex quibus componitur, realiter distinctam, ut dicitur de toto essentiali, quia totum collectivum non dicit aliquid aliud præter omnes partes ut fufe offendimus disputat. 5. Phys. quæst. 13. artic. 2. sed solum significare voluit, numerum consistere in collectione omnium suarum unitatum, & esse magis unum acervo, quia habet unitatem ordinis, qua caret acervus, ut loco nuper citato magis declaramus, ubi & intemtionem Scot. cit. aperimus. Ad alium locum, non satis constat, quid Aristot. intelligat per ultimam unitatem, quam ait esse formam numeri, Thomistæ namque volunt esse postremam, ut decimam denarii, & centesimam centenarii; Scotistæ vero significant esse quandam unitatem formalem, & transcendentem, quæ his omnibus supervenit, & ex illis constituit numerum unum, sed quomodocumque id explicetur, certum esse debet hanc unitatem esse non posse, nisi rationis, quia juxta primum explicandi modum utique pendet ex numeratis arbitrio sistere in tali ultima unitate, quæ numerum compleat, vel perficiat, vel ulterius numerare, & infra quemvis numerum potest ad libitum illa, quæ sebat ultima unitas, fieri prima, aut quarta; & etiam juxta alterum explicandi modum satis constat, illam unitatem supervenientem omnibus uni-

unitatibus ex actuali numeratione non provenire, nisi ab intellectu illa singula colligente in unum, non enim dici potest provenire, sicut dicimus de toto essentiali, ex reali causalitate, quam exercent partes componentes erga numerum, quia nulla talis adest. Ad locum ex 2. de An. dicimus numerum esse sensibilem in suo materiali, scilicet in rebus numeralibus, in quibus videmus, & sentimus negationem continuationis, quo modo est quid reale.

61. Dices, nullo intellectu considerante sunt tot elementa, tot Cœli, &c. ergo etiam quoad formale numerus est a parte rei. Negatur seq. quia solum a parte rei datur materiale numeri, nempe illa res numeralis, quæ ab intellectu in unum colligi possunt, & ideo unitatem numeri non habent, nisi ab intellectu. Ais, intellectus non facit numerum, sed illum cognoscit, ergo secundum suam formalitatem præcedit opus intellectus. Resp. ex usu loquendi materiale numeri dici solere numerum, quia a parte rei est quid numerabile; in qua numerabilitate non pendet ab intellectu actualiter numerante, & secundum hoc dicitur numerus esse in rebus etiam actu, quando non numeramus, licet re vera numerus formaliter non sit, nisi quando actu numeramus. Dices tandem, ergo saltem ista numerabilitas ponit in ipsis unitatibus formalitatem aliquam, ratione cujus possit dici numerus habere in rebus unitatem realem, ac per se absque ullo ordine ad animam. Negatur consequentia, quia re vera numerabilitas illa est tantum denominativa extrinseca proveniens ipsis rebus ab intellectu potente colligere, aut mensurare multitudinem earum, ut Arist. significat 4. Phys. 131. dum ait ablato intellectu numerante non amplius remanere quidquam numerabile, cuius ratio est, quia hæc numerabilitas attenditur secundum prius, & posterius, quæ non conveniunt unitatibus ex natura ipsarum, ut probatum est.

ARTICULUS II.

Quid sit quantitas continua, & quæ species ejus.

62. Quoad primam quæsti partem Compl. disp. 13. Log. q. 3. essentiali quantitatis continuæ in eo ponunt, quod sit accidens tribuens partes substantiæ, seu accidens substantiæ extensivum absolute, & simpliciter: quia substantia materialis antecederet ad quantitatem nullam profus habet extensionem, aut partes etiam entitativas æturaliter, sed tantum aptitudinaliter, & radicaliter, unde in eo statu nullo modo extensa dici debet, sed tantum extensibilis, & in hoc inquit differre a substantia spirituali, quæ neque extensa, neque extensibilis est. Hoc autem probant ex duplici capite, primo ostendendo extensionem illam entitativam in substantia præcedentem ipsam quantitatem non esse necessaria, secundo ostendendo esse impossibile; primum demonstrant, quia hæc extensio, seu pluralitas partium entitativa, ideo ponitur a Scotistis in substantia materiali secundum se, ut possit recipere quantitatem, ne divisibile recipiatur in subiecto indivisibili, ad hoc autem minime est necessaria, quia accidens requirit solum in subiecto potentiam passivam ad illud recipiendum, sicut ergo substantia ante albedinem non est alba sed dealbabilis, sic ante quantitatem non est extensa, sed extensibilis, & sicut dealbabilitas in substantia non est aliqua albedo entitativa, sed potentia passiva ad recipiendum albedinem, ita extensibilitas non est aliqua extensio entitativa, sed capacitas ad illam recipiendam, & sicut paries non recipit albedinem quatenus albus, nec quatenus niger, sed quatenus dealbabilis, nondum autem albus, & sic de aliis accidentibus, sic substantia non recipit quantitatem, quatenus divisibilis, vel indivisibilis, si per divisibilitatem, & indivisibilitatem intelligantur formæ aliquæ contrarie vel contradictorie oppositæ, ut si per indivisibilitatem intelligatur privatio, sic substantia recipit quantitatem, quatenus indivisibilis, inde tamen non sequitur semper manere indivisibilem, quia acquisita forma, statim deperdit privatio, & etiam dici potest, quod recipiat, quatenus divisibilis radicaliter; unde concludunt, si Deus substantiam materiale quantitatem exeret, tunc non amplius mansuram divisibilem, nec indivisibilem positive, sicut punctus, vel angelus, sed indivisibilem privative, & ita neque maneret in loco, neque haberet situm, cum situs, & ubi quantitate supponant, unde existeret tunc in universo, non tanquam locatum in loco, sed velut pars in toto, quam doctrinam ex Cajet. acceperunt 1. part. quæst. 52. artic. 1. Probant deinde secundum, scilicet, extensionem entitativam præcedere non posse quantitatem in substantia, quia dicunt compositionem partium integralium, etiam entitativam, esse accidentalem, nam tales partes dicuntur integrales, ut distinguantur ab essentialibus, ergo compositio ex illis coalescens essentialis non erit; & hæc est communis Thomistarum opinio.

63. Joan. de S. Th. quæst. 16. art. 1. hanc sententiam moderatur, & ait quantitatem præbere partes integrales substantiæ, non constituendo illas, sed ordinando inter se, unde declarat quantitatem præbere distinctionem partium substantiæ, non quidem ut distinctio opponitur unitati simpliciter

omnino, sed ut opponitur confusio, quare videtur concedere substantiæ materiali multipliciter partium antecederet ad quantitatem, sed in confuso, & concedit compositionem ex partibus sic unitis resultantem esse substantialem, quæ omnia solent negare alii Thomistæ: ait vero quantitatem substantiæ advenientem illas inter se ordinare tollendo confusioem, & unam alteri uniendo, non secundum se totam, sed secundum aliquid illius, nempe secundum extremitatem, ratione cujus dicitur ponere unam partem post aliam, & non secundum se totam illi uniri, unde in tali extensione partium in ordine ad totum videtur statuere formalitatem quantitatis, quam sententiam multi tradidere Scotistæ, & sequitur nuperrime Faber 5. Met. disp. 13. c. 5. Probat autem hoc Jo. de S. Th. etiam ex duplici capite, primo ex illo communi principio Thomistarum, quod materia signata quantitate sit individuationis principium, ex illo enim sequitur, quod si quantitas est designativa materiæ quantum ad individuationem, seu distinctionem individuorum, etiam erit quantum ad distinctionem partium. Probat deinde ex alio capite, quia extensio partium in toto non est quæcumque unio earum inter se, sed unio penes extremitates tantum, ita quod non uniat una pars alteri se tota, ita ut in illa penetraret, & imbibatur; sicut est unio formæ cum materia: talis autem unio facta per extremitates, & indivisibilia dicitur proprie unio integralis, & non est substantialis, sed accidentalis, quæ habetur in substantia beneficio quantitatis; cujus effectus formalis primarius est ponere unam partem substantiæ extra aliam integraliter, & sine penetratione, quod substantia ex se habere non potest, quia ejus partes citra quantitatem extremitates non habent, extremitates enim non habent nisi per indivisibilia, quæ ex se substantia non habet v. g. lineam, superficiem, & puncta; tum quia hæc sunt species proprie quantitatis; tum quia si substantia talia haberet indivisibilia ante quantitatem, tunc ejus partes unirentur adinvicem impenetrabiliter, quia non unirentur se totis, sed per extremitates, & sic substantia haberet ex se sufficienti principium, ut resisteret penetrationi quoad locum, quod est falsum, quia quantitas sola ponitur ad omnibus tale principium. Et si dicas talem extensionem impenetrabilem in ordine ad locum ex ordinata unione partium in toto provenire non posse, quia talem ordinem habent partes corporis Christi in Eucharistia, ubi tamen non habent extensionem localem. Resp. ipse utique talem ordinem repertum inter partes corporis Christi esse principium sufficiens ad impenetrationem, & extensionem in ordine ad locum, nisi divinitus impediretur iste effectus, qui est secundarius in quantitate, primarius autem, & inseparabilis est ponere unam partem extra aliam in toto sine penetratione unius cum alia, quam extremitatem utique habent partes corporis Christi in Eucharistia.

64. Postea tamen in solutione objectionum non videtur sibi constare, ait enim cum communi Thomistarum, quod ablata quantitate a partibus non manent actu distinctæ, sed confusæ, & una entitas cum capacitate radicali distinctionis partialis, quia remota quantitate solvitur illa unio sic ordinata, & extensa, & succedit alia, qua partes illæ se totis, & confuse uniantur, seu potius sunt unum in substantia, & rursus, quod substantia quantitate exuta neque est distans, nec alicubi positive, sed solum haberet existentiam suam sine loco, sicut res extra mundum, & angelus non operans, subdit tamen, quod adhuc differret a substantia spirituali, quia spiritus caret partibus negative, & secundum incapacitatem, substantia autem materialis caret partibus privative, & cum capacitate ad illas, sed non dicitur actu illas habere, quia non habet illas pluralitatis extensione, scilicet unam extra aliam, sed ad modum unius per confusioem redactas inter se, & non solum in ordine ad locum, quæ est communis opinio Thomist. sincere a Compl. relata.

65. Hæc Thomistarum sententia, five uno, five altero modo explicata graves semper passa est difficultates, & fufe a nobis resellitur disp. 9. Phys. q. 1. a. 1. ubi agimus ex professo de essentia quantitatis continuæ, si enim primo modo explicetur, sane multa continet manifeste falsa, primo namque falsum est in substantia materiali non prærequiri pluralitatem partium entitativarum, in quibus recipiantur partes quantitatis, nam sicut forma materialis præsupponit subiectum materiale, ita partes formæ supponunt distinctas partes subiecti, e quibus educantur, & in hoc pluralitate partium entitativarum fundatur potentia passiva substantiæ materialis ad recipiendam quantitatem, & per hanc a substantia spirituali distinguitur, & certe tali partium pluralitate negata non videtur, in quo fundari possit potentia passiva substantiæ materialis ad quantitatem recipiendam, nam si dicant fundari in hoc, quod substantia materialis habet illas radicaliter, hæc idem etiam de immateriali dici poterit, vel asseri debet disparitas, quæ si asseratur hoc modo, quod materialis substantia caret partibus privative tantum, immaterialis vero negativæ, quia sibi repugnat quantitatem recipere; hæc est manifesta petitio principii; hujus enim rationem quarimus, cur repugnet substantiæ immateriali recipere quantitatem, & non immateriali, & cur ista radicaliter partes habeat,

non illa, & plane huius nulla alia ratio reddi potest, nisi quia materialis substantia habet pluralitatem partium integralium, non autem immaterialis. Exemplum autem allatum de albedine ex hoc tantum capere tenet, quod si cut non supponit subiectum, in quo recipi debet album, sed dealabile, ita nec quantitas supponit subiectum, in quo recipi debet quantitative, seu impenetrabiliter extensum, sed extensibile, at esse sic extensibile est esse actualiter extensum entitative, & substantialiter, quia talis extensio actualis est fundamentum extensibilitatis illius: ex alio autem capite non tenet, quia albedo, & nigredo nullo modo pertinet ad substantiam materialem, ut causativam illarum, & ideo nulla albedo, aut nigredo, quæ entitative dicatur, debet precedere in substantia receptionem ipsarum, at extensio aliqua prærequiritur in subiecto ad receptionem formæ materialis, ut est quantitas, quia ut vere dicatur ex eo educi, forma tota educi debet de toto subiecto præsupposito, & partes formæ ex diversis partibus subiecti præexistentibus, & cum talis extensio præsupposita in substantia ad recipiendam quantitatem esse nequeat quantitative, quia quantitas sibi ipsi supponeretur, debet poni entitative, & substantialiter. Neque talis extensio entitativa habetur merito quantitatis in substantia, ut dicunt Compl. quia ut docet Scot. 2. d. 3. q. 4. §. Contra, quod est necessaria conditio causæ in causando, non potest habere esse a causato, quia tunc causa in quantum sufficiens ad causandum esset causata a causato, & esset illud causatum sui ipsius causa, & pro tanto posset dare causæ causationem sui ipsius, sed extensio, & divisibilitas, entitativa saltem est conditio necessaria materialis causæ ad causandum accidens materiale, alioquin etiam causari posset a substantia immateriali, ergo talis extensio haberi nequit per quantitatem, quia tunc daret suæ causæ causationem sui ipsius.

66 Rursus non bene dicitur, quod substantia exuta quantitate nullibi positive esset, nec ab aliquo diffaret, sed in universo esset, veluti pars ejus, sicut angelus impenetrabilis. Hoc enim Thomist. commentum, quod fuit Duran. 1. d. 37. p. 2. q. 1. efficaciter reitimus de substantia materiali exuta quantitate disp. 9. cit. Phys. q. 1. ar. 2. in confutatione 2. fol. ad 3. princ. & de angelo non operante disp. 11. q. 5. ar. 2. concl. 1. imo non posse etiam de potentia absoluta creaturam in rerum natura existentem quacumque prorsus præsentia expoliari probabilis esse demonstramus ead. disp. q. 4. art. 1. in fine. Tandem falsum quoque est alterum Compl. fundamentum, quod compositio partium integralium accidat rei materiali, & corporeæ, cum potius sit de conceptu ejus essentiali, ut sic, talis enim compositio est, quæ essentialiter distinguit substantiam corpoream ab incorporeâ, non autem compositio materiæ, & formæ, cum hæc etiam de factis competat secundum multos substantiis quoque spiritualibus, quæ sententia verissima est, si admitteretur una materia prima substantiarum: spiritualium correspondens materiæ primæ corporali, unde, & tales partes integrales possunt dici essentialiter substantiæ materialis, quatenus talis, non ergo habere plures partes utrumque accidit substantiæ materiali, sed eas habere localiter extensas, ut bene notat Hurt. disp. 13. Met. sect. 4. §. 29.

67 Neque etiam hæc sententia defendi potest, ut explicatur a Jo: de S. Th. ut enim late monstramus disp. 9. cit. Phys. q. 1. ar. 1. substantia materialis antecedenter ad quantitatem non solum habet suas partes substantiales distinctas, sed etiam invicem ordinatas, & unitas per proprias extremitates, ac indivisibilia; nam si plures illæ partes, quas Jo. de S. Th. concedit substantiæ materiali antecedenter ad quantitatem, conciperentur sine unione adinvicem facta per indivisibilia substantia, jam non esset entitas corporea, sed potius in indivisibilia resoluta, & si concipiuntur cum unione adinvicem, necessario cum aliquo inter se ordine concipi debent, quia indivisibile, quod copulat hanc partem cum illa, plane non eam copulat immediate cum alia, sed illa mediante, imo nec mente concipi potest substantia corporea plures habens partes sic confusæ unitas, ut unaquæque pars sit omnibus, & singulis immediate unita, & non potius una mediante alia, ut ibi fuisse ostendimus: solent autem peculiari quodam modo hæc indivisibilia tribui quantitati, etiam si aliis rebus corporeis competant, quia hæc sola est, quæ molem facit, & corpora magnificat per longum, latum, & profundum, & ea reddit occupativa loci impenetrabiliter, & in hoc sensu de ipsis loquitur Arist. 6. Phys. ut constat ex demonstratione, quam ibi facit de punctis ab initio, quæ probat continuum ex illis componi non posse, quia unam alteri additum non facit molem, nec locum petri distinctum a loco illius, unde falsum est, quod aiebat hic Auctor, quod quæcumque unio partium per indivisibilia facta reddat eas adinvicem impenetrabiles, hoc enim solum unum est de unione partium facta per indivisibilia de genere quantitatis, quæ est unicum, & præcipuum impenetrabilitatis principium. Id autem, quod summe displicet in hoc Auctore, est, quod arr. cit. immediate ante fol. ad arg. duplicem impenetrationem distinguit utramque a quantitate provenientem, una est partium in toto, quatenus una non est se

tota unita cum alia, sed per suam extremitatem, altera partium in loco, quatenus una est incompossibilis cum alia in eodem loco, & inquit primam esse effectum primarium quantitatis, alteram vero secundarium, qui proinde separabilis est a quantitate, ut patet de corpore Christi in Eucharist. ubi partes non sunt inter se penetratæ in toto, quia caput non est immediate unicum cum ventre, nec venter cum pede, sed bene in loco, quia ubi est caput, ibi venter est, ibi pedes, &c. Falsa plane est tota hæc doctrina, ut loc. cit. ostendimus in fol. ad 2. ubi eundem loquendi modum reprehendimus in nostris quibusdam Scottis, quia penetratio corporum, aut partium eiusdem corporis adinvicem attenditur solum in ordine ad locum, non autem in ordine ad substantiam eorum, sic enim compenetrata dici non possent, nisi quando una transiret in aliam per identitatem, quæ penetratio impossibilis est; frustra igitur distinguitur de penetrations partium in toto, & in loco, cum solum in ordine ad locum attendatur; Falsitatem vero alterius principii metaphysici, quod materia signata quantitate sit principium individuationis, unde deducebat hic Auctor alteram probationem sententiæ Thomisticæ, non est penetratio negotii demonstrare, sed ad Met. spectat.

68 Dicendum igitur est, essentiam quantitatis continuæ consistere in extensione partium suapte natura incompossibilium in eodem loco, quam incompossibilitatem non habent partes substantiæ materialis, quia naturaliter, & citra miraculum possunt invicem compenetrari, & una substantia materialis cum alia, quantitas vero illis superveniens ita illas extendit, ut unaquæque distinctum postulet locum, nec possit oppositum contingere citra miraculum; sicut constat in Euchar. ubi partes corporis Christi quantitates sunt in eodem loco non sine magno miraculo, cum addit quantitas, quæ est principium existivum incompossibilitatis partium in eodem loco, & ratio postulans impenetrabilitatem; quæ sententia colligitur ex Scoto 4. d. 49. q. 16. §. Alii dicunt, ut docet rationem impenetrabilitatis in corporibus a quantitate præcipue provenire, ita ut hic fit effectus formalis quantitatis primarius, secundarius vero ab effectu separabilis a Deo, est actualis expulsio, & impenetratio, & hoc deducit Doctor ex ipso Arist. 4. Phys. 76. 77. ubi ait, quod si duæ dimensiones a substantia separari possent, adhuc se penetrare non possent, per quod innuit, quantitatem solam esse præcipuam radicem impenetrabilitatis, unde licet impenetrabilis non sit ipsa quantitas essentia, aptius tamen per eam explicatur ratio quantitatis, quam per ceteras passiones, quia hæc est omnium prima, & rationi formali proximior, unde male ajunt Compl. cit. qu. 2. in fine impenetrabilitatem a quantitate separari posse, imo fieri posse penetrabilem, & ita de facto contigisse in navitate Christi Domini, & quando ad discipulos intravit januis clausis. Nam in illis casibus utique impeditus fuit actus secundus impenetrabilitatis, quia non secuta fuit ad eam impenetratio, & actualis expulsio unius corporis ab alio, sed non ob id ablata fuit impenetrabilitas ipsa, unde quantitas in illis casibus dicitur facta fuisse a Deo penetrabilis, ut dicit negationem actus secundi, scilicet, impenetrationis, non actus primi, scilicet, impenetrabilitatis: Et circa explicationem huius sententiæ, quæ communis est in Schola nostra, & ab omnibus Neoterics plausibiliter recepta, hic immorari non licet, quia ex professo eam tradimus in Phys. loc. cit. ubi etiam enucleate explicamus arcanam, & admirabilem quantitatis continuæ compositionem constituentem ipsam ex indivisibilibus, ut ex partibus componentibus, & integrantibus molem corpoream, ex indivisibilibus vero, ut partes continuantibus, ac terminantibus, ut docet Arist. 6. Phys. a qua Peripatetica sententia Ariag. nuperime disp. 16. Phys. esto recedere non audeat, valde tamen exaggerat contra eam confusas difficultates, & sine solutione relinquit, sed certe pro earum confirmatione nil novi affert, neque ita strenue eas roborat (nam singulas percurramus) ut ad amissum quæcumque dicit, non diluantur a nobis disp. 9. cit. qu. 2. etiam antequam ipsum viderimus.

Sed dices, si substantia materialis partes haberet extra se invicem citra quantitatem, imo & extensas, vel saltem extensibiles in ordine ad locum, ergo posset fundare æqualitatem, & inæqualitatem molis ex illis partibus confurgentis, non minus, quam quantitas, atque ideo ista non foret proprietas quantitatis in quarto modo, ut hic ait Arist. Resp. data nostra sententia negari non posse æqualitatem, & inæqualitatem in substantia quoque materiali citra quantitatem utrumque posse fundari, nam una substantia palmaris diceretur æqualis alteri palmaris, & inæqualis bipalmaris, verumtamen in rigore loquendo in sola quantitate fundantur illæ relationes, cum enim ipsa sit, quæ habet partem extra partem, nedum entitative, sed etiam figurative, & impenetrabiliter, ipsa corporibus inhærens illa proprie magnificat, & extendit ad occupandum locum ab alterius corporis loco distinctum, ideoque dicitur quantitas molis, & magnitudinis, & proprie fundare æqualitatem, vel inæqualitatem in mole, & magnitudine: quod quidem non ita proprie de substantia materiali dici potest, quia

una substantia palmaris si fundat inæqualitatem cum altera bipalmaris, id est per accidens, quia bipalmaris potest naturaliter, & citra miraculum reduci ad magnitudinem palmaris, si una medietas cum alia compenetraretur, quod potest naturaliter contingere, quia sola quantitas affert impenetrabilitatem corporibus, & sic fundabunt æqualitatem: quantitates vero cum ex natura suarum partium confluant tantam, vel tantam molem, & determinantur ad occupandum tantum, vel tantum locum, adeo ut oppositum citra miraculum contingere nequeat, ideo proprie, & per se fundant æqualitatem, vel inæqualitatem.

Ovviend. recentissimus Societatis Auctor contr. 7. Metaph. punct. 2. cum Scottis eodem modo explicat essentiam quantitatis per impenetrabilitatem, & substantiæ materiali tribuit pluralitatem, & extensitatem partium citra quantitatem, licet cum penetratione naturaliter possibili; subdit tamen id intelligendum esse de quantitate, & substantia materiali modo existentibus, nam si fit sermo de alia specie quantitatis possibilis, ac etiam substantiæ materialis possibilis, potest dari quantitas indivisibilis, & substantia materialis suapte natura impenetrabilis: Fatemur omnipotentiæ Dei concedendum pro possibili quicquid contradictionem non implicat, & quæstiones motas de potentia Dei absoluta difficillime posse resolvi, cum affueri simus naturæ rerum modo existentibus; adhuc tamen verum est ex his entibus modo existentibus conjectare posse, quid dicendum esset de aliis rebus sola specie ab his differentibus, nam saltem cum eis convenire deberent in prædicatis genericis, modo quantitas a toto genere, ut comprehendit sub se species nedum existentes, sed etiam possibles, videtur importare entitatem ex pluribus partibus integralibus constitutam, & divisibilitas ejus in plures rales partes ponitur ejus passio generice sumpta, ergo repugnare videtur in terminis quantitas indivisibilis, tum quia quantitas, ut sic, nata est molem facere, & magnitudinem, at entitas indivisibilis ad hoc munus est prorsus inepta, ut late probat Arist. 6. Phys. per totum contra Zenonistas. Sic etiam repugnare videtur substantiæ materiali suapte natura impenetrabilis, quia impenetrabilitas non est de conceptu ejus, ut materialis est, & ut distincta a substantia spirituali, sed sola pluralitas partium integralium; impenetrabilitas autem, seu principium ejus, est accidens illi superadditum, quod nullo casu videretur illi posse identificari. Tum quia si assertur posse produci substantiam materialem suapte natura impenetrabilem, & non per accidens superadditum, eadem ratione asseri posset produci posse substantiam suapte natura albam, vel frigidam, hæc enim sunt accidentia realiter distincta a substantia materiali, sicut quantitas, quæ est principium impenetrabilitatis, unde non videretur major ratio de una, quam de alio. Tum quia videretur eadem ratione asseri posse, quod dari possit alia species hominum, quæ sit irrationalis, & alia brutorum, quæ sit rationalis.

69. Circa alteram quæstionem, Arist. cap. de quant. enumerans species quantitatis continuæ memorat lineam, superficiem, corpus, & locum, ut species quantitatis continuæ permanentis, deinde tempus assignat, ut speciem quantitatis continuæ successive, ac etiam in progressu addit motum. Ceterum 5. Met. cap. 13. ubi accurate magis, & ex propria loquitur sententia de quantitate, species enumerans quantitatis continuæ memorat tantum lineam, superficiem, & corpus, locum autem omittit, motum vero, & tempus ait esse quanta per accidens. Hinc ortæ sunt opin. diversæ, alii namque affirmant, has omnes esse veras species quantitatis continuæ, alii negant.

Dicendum est, lineam, superficiem, & corpus esse veras, ac proprias species quantitatis continuæ, non tamen locum, motum, & tempus. Concl. est fere communis, præsertim quoad primam partem, quæ supponit dari a parte rei in corporibus lineas, superficies, ac etiam puncta, veluti entitates reales, & non esse ibi tantum per imaginationem nostram, ut contendunt Nominales, contra quos late agimus disp. cit. Phys. & Faber 5. Met. disp. 14. Probat autem quoad singulas partes; & quidem quod non tantum corpus, sed etiam linea, & superficies sint vere species quantitatis continuæ, contra Durand. 2. d. 2. quæst. 4. Hurtad. disp. 13. Met. sect. 6. Caber. hic disp. 2. dub. 5. Blanc. disp. 8. sect. 5. & alios quosdam paucos: Probat, tum auctoritate Ar. qui tam hic, quam 5. Met. c. 13. has tres species assignat quantitatis continuæ singulas describendo; tum ratione, quia hæc omnia rationem communem quantitatis essentialiter participant, & insuper addunt illi essentialiter differentias ita unicuique convenientes, ut singule per illas essentialiter ab aliis differant, ergo &c. Prob. assumptum, hæc enim omnia sunt essentialiter extensas habentes partes extra partes modo superius explicatas, diversimode tamen quia linea dicitur formalem extensionem longitudinis, superficies latitudinis, corpus profunditatis, unde linea formaliter est quantitas continua extensa secundum dimensionem formalem longitudinis, superficies est quantitas continua extensa secundum dimensionem formalem latitudinis, corpus est quantitas continua extensa secundum dimensionem formalem profunditatis.

70 Deinde quod locus non sit species quantitatis continuæ, Musonii, & Bellui Tom. I. Logica.

vel saltem non distincta a superficie, ut opinatus est Canon. 4. Phys. q. 1. Sot. Tol. Fland. Mas. Villalpan. & videtur contentere Faber 5. Met. disp. 17. sub fine, ubi ait continentiam, quam addit locus supra superficiem, esse modum continentiæ specialem constituentem peculiarem speciem de genere quantitatis, est Scoti q. 23. prædicam. & Ant. And. in hoc cap. & 5. Met. q. 10. ac Tar. Zerbii 5. Met. q. 14. & aliorum communiter, & probatur, quia locus potest sumi dupliciter, ut Scotus docet quol. 11. art. 2. & 3. vel materialiter, vel formaliter; materialiter non est, nisi superficies concava corporis continentis, ut docuit Arist. 4. Phys. 41. formaliter vero est ipsa superficies continentis, vel circumscriptio actiæ fundata in superficie concava corporis locantis, & terminata ad convexam locati, quæ etiam dici solet Ubi actiæ, ut Doctor notat ibidem, & hæc est communis doctrina Scotti: a nobis ex professo explicata disp. 11. Phys. q. 1. adeo quod mirum sit, quomodo Faber cit. oppositum doceat, ut de mente Doctoris. Si igitur locus formaliter sumatur, jam manifeste patet non pertinere ad hoc prædicamentum, quia nullus respectus pertinet ad prædicamentum absoluti, sed proprie spectat ad prædicamentum Ubi, ut docet Doctor loc. cit. & 4. d. 10. qu. 1. si autem sumatur materialiter pro fundamento scilicet illius continentis, sic utique ad hoc attinet prædicamentum, sed non constituit speciem a superficie distinctam, quia nullam peculiarem addit superficiem extensionem, sed solam continentiam; vel ad summum figuram scilicet concavam, ergo non est species distincta a superficie, nam si ratione figuræ, vel continentis esset distincta species, etiam superficies alba, & nigra diversas quantitatis species constituerent; tam enim illi accidit continentia, & hæc, & illa figura, sicut hæc, vel illa qualitas.

71 Demum, quod neque motus, aut ejus continua successio, si distinguatur ab eo, neque tempus sint vera species quantitatis continuæ, ut hic opinatus est Tat. & Mayr. passu 24. Zerb. cit. Ant. And. 5. Met. q. 10. quos multi sequuntur Recentiores, probat Bassol. 1. d. 19. qu. 1. Faber 15. Met. disp. 18. & nos ex professo in Phys. de motu quidem disp. 15. qu. 1. concl. 1. de successione autem ead. disp. q. 6. art. 1. ubi etiam solvuntur rationes in oppositum: de tempore tandem disp. 13. q. 4. quatenus ibi ostendimus realiter a motu non distingui, unde si motus non est vera species quantitatis continuæ, nec etiam erit tempus, & probatur ex ibi dictis, quia tempus, ut hic de eo loquimur, non est nisi duratio ipsius motus, hic enim non loquimur de tempore extrinseco, quod est duratio motus Cæli, per quam mensurantur omnes isti motus inferiores per horas, dies, menses, &c. sed loquimur de tempore intrinseco, quod est propria, ac intrinseca duratio ipsius motus, sed nullius rei duratio est quantitatis ejus, ergo, &c. Prob. min. quia duratio non est aliquid realiter distinctum a re durante, ut loc. cit. ex professo probamus, & hanc sententiam late defendit Suar. in Met. disp. 40. sect. 8. ubi quæm plures cit. Et quidem hæc fuit expressa mens Arist. 5. Met. c. 13. dum tempus, & motum ponit quanta per accidens, non solum ut ly per accidens idem sonat, quod per aliquid, quatenus scilicet species motus sumuntur a partibus magnitudinis, super quam sit, quemadmodum tentantur quidam explicare, sed etiam ut ly per accidens idem sonat quod accidentaliter, ac mere ab extrinseco, omnes enim motus saltem de potentia absoluta fieri possunt, in instanti, etiam motus ipse localis, si non accipiatur, ut dicit totam realitatem motus, ut explicamus disp. 15. cit. q. 6. ar. 3. Et tandem disp. 15. Phys. ostendimus motum pro formalis quid respectivum dicere, ergo nequit spectare ad hoc prædicamentum.

Solvuntur Objectiones.

72 IN oppos. obiic. 1. probando nec lineam, nec superficiem esse veras quantitatis continuæ species, quia vera species distinguuntur per quid positivum, sed linea distinguitur a superficie per carentiam latitudinis, & superficies a corpore per carentiam profunditatis, ergo &c. Tum 2. prima passio quantitatis est impenetrabilitas, sed linea, & superficies adinvicem naturaliter penetrantur, ut patet, dum duo corpora plana se tangunt, tunc enim superficies ambæ in eodem spatio coexistunt, quia indivisibile non habet, quo tangat aliud indivisibile, & quo non tangat, sed tangit secundum se totum, ergo &c. Tum 3. nullum genus prædicatur de suis speciebus denominative, & veluti accidentaliter, sed essentialiter tantum, ac substantivè, at quantitas denominative dicitur de linea, & superficie, dicimus enim linea est quanta, ergo &c. Tum 4. species esse debet quid completum, at linea, & superficies sunt quid incompletum; nam linea essentialiter ordinatur ad constitutionem superficiem, & superficies ad constitutionem corporis, sicut punctum ad constitutionem lineæ, sicut ergo punctum hac de causa non censetur propria species quantitatis, ita nec linea, & superficies. Tum tandem, quia linea secundum propriam extensionem includitur in superficie, & utraque in corpore, secundum quod corpus habet trimam dimensionem, ergo non sunt

propria species, quia una species non includitur essentialiter in alia.

73 Resp. ad 1. neg. min. sicut enim unaquaque species relatæ quantitatis continuæ constituitur per peculiarem positivam extensionem, ut dictum est, ita per eandem ab alia essentialiter distinguitur, licet hoc quandoque a posteriori per negationem soleat explicari, ut in proposito. Ad 2. penetrantur lineæ, & superficies ea parte, qua indivisibiles sunt, non qua divisibiles, nec enim linea secundum longitudinem potest cum alia penetrari, nec superficies cum alia superficie in latitudine, unde cum duo corpora se tangunt, eorum superficies dici debent potius esse simul in eodem loco, quam compenetrari, quia penetratio, vel impenetratio attenditur in rebus corporeis ex ea parte, qua sunt divisibiles, ut dicimus in Phys. tract. de Continuo. Ad 3. æque probat de corpore, dicimus enim etiam corpus est quantum, dicendum ergo esse speciale privilegium quantitatis, nedum substantivæ, sed etiam sub forma denominativæ (licet non sensu denominativo, sed essentiali) de suis speciebus prædicari, imo & de se ipsa, dicimus enim quantitas est tanta, est extensa, &c. Vel potius negandum lineam, superficiem, & corpus quanta dici proprie, si absolute sumantur, quia sic potius dici debent quantitates, sed quanta dicuntur, quatenus sunt in materia, ita ut concretum generis prædicetur de concreto specie, unde non erit prædicatio denominativa, & accidentalis, sed essentialis in concreto, quemadmodum in genere qualitates solemus dicere, album est coloratum, posse autem sic in concreto disponi genera, & species accidentium jam diximus disp. præc. ita Scot. q. 17. Prædicam. ad 1. q. 16. Addunt alii, quod cum dicimus quantitas est quanta, linea longa, superficies lata, corpus profundum, non esse rationem essentialem quantitatis, quæ tunc prædicatur, sed ejus affectiones, & attributa, scilicet esse divisibilem, mensurabilem, tantam, &c. quibus etiam nomen quantitatis frequenter applicatur, ut docet Arist. 5. Met. 13. unde sensus earum propositionum erit, quantitas est quanta, id est est divisibilis, linea est longa, est brevis, id est est tanta, vel tanta longitudinis, & sic de cæteris.

74 Ad 4. solet communiter responderi lineam non ordinari ad constitutionem superficiæ, & superficiem ad constitutionem corporis, nisi quatenus indivisibilia continuativa, aut terminativa partium eorum, ex quo capite utique nec sunt quantitates, nec species quantitatis, & quoad hoc tenet paritas assumpta de puncto, & ex quo capite sunt divisibiles, sunt proprie species quantitatis, nec una ordinatur ad constitutionem alterius. Hæc tamen solutio merito reicitur a Blanc. cit. & ab Averf. hic sect. 4. ut manifeste falsa, quia revera linea copulat, & terminat partes superficiæ, non tantum quatenus non lata, sed etiam quatenus longa, aliquo modo etiam terminari per puncta, quæ sunt non lata; & superficies copulat, & terminat partes corporis, non tantum quatenus non profunda, sic enim etiam per lineas, & puncta terminari possent, sed quoque quatenus lata. Quare responderi Averf. diverso modo genera, & species disponi in prædicamento substantiæ, & in prædicamento quantitatis, ut nempe ibi reponantur solum entia completa illius generis, hic autem etiam incompleta, unde concedit, lineam, & superficiem bis in prædicamento reponi, semel directe sub conceptu communi quantitatis, ut absolute dicit extensionem, sive magnitudinem abstrahendo a determinatione unius, vel duplicis aut trius dimensionis: & iterum reductivè per potius extensionem in specie corporis, neque id judicat absurdum. Sed sane hæc solutio est peior priori, tum quia statim concedit, quod Adversarii contendunt, lineam, & superficiem esse species incompletas quantitatis, tum quia conditio specialis illius, quod directe est ponibile in prædicamento, ut modo constructum est etiam apud ipsum qu. 16. sect. 5. erat, quod esset quid completum, ubi etiam hac præsertim ratione entia incompleta, & partialia a prædicamento extraherentur, quia bis essent in eo, semel ratione sui directe, & rursus reductivè ratione totius, quod constituant, unde mirum est, quomodo hic accipiat, quod ibi rejecerat.

Zerbius cit. in fol. ad 3. princ. ait, quod linea, & superficies possunt dupliciter considerari, uno modo, ut significant quandam perfectionem quantitatis, præscindendo a perfectione alterius perfectionis quantitativæ, quo sensu dicimus lineam significare longitudinem sine latitudine, & superficiem, latitudinem sine profunditate, & hoc modo considerata non accipiuntur, ut termini alterius quantitatis, sed ut habentes in seipsis certam, ac determinatam rationem quantitatis; alio modo considerari possunt, quatenus una includitur in alia, & ordinata ad ejus constitutionem, & sic non sunt species distinctæ. At neque hæc solutio satisfacit, sic enim etiam defendere possemus materiam, & formam esse species completas, & directe positas in prædicamento, si considerentur, ut dicunt quendam certum gradum substantialem, incompletas vero, & indirecte, si considerentur, ut essentialiter ordinabiles ad alterius speciei constitutionem.

75 Itaque respondendum est, lineam, & superficiem, si

et materialiter corpus suo modo component, adhuc tamen esse veras, & completas quantitatis species, quia directe recipiunt, ac essentialiter illius prædicationem, sicuti corpus, quando autem ita se habent partes respectu totius, tunc bene possunt directe poni in eodem genere cum ipso, & dici species completæ illius generis, sicut ipsum: nec obstat, quod ordinentur ad ejus constitutionem, dummodo cum ipso recipiant prædicationem ejusdem generis, unde hac ratione dicebamus disp. præc. quæst. 3. partes homogeneas, esto component aliud, adhuc directe in prædicamento reponi; non possumus autem sic dicere de materia, & forma, quia ipsa non recipiunt directe prædicationem substantiæ prædicamentalis, nec etiam de puncto, quia omnino caret partibus, nec ullam partem habet quantitatem.

Ad 5. posset responderi per idem, tamen ad majorem harum specierum explicationem dicimus, quod licet superficies includat longitudinem, non tamen formaliter, sicut linea, sed materialiter tantum & præsuppositivè, quo sensu corpus includit latitudinem: ratio hujus est, quia cum superficies sit dimensio, quæ continuari debet per indivisibilia secundum latitudinem, divisibilia tamen secundum longitudinem, sicut sunt lineæ, ideo necesse est superficiem habere longitudinem: item quia profunditas est dimensio, quæ continuari debet per indivisibilia secundum profunditatem, non tamen secundum latitudinem, quales sunt superficies, necesse est corpus habere latitudinem, non quidem formaliter, quasi longitudo, vel latitudo sit eorum essentialis extensio, sed materialiter solum, & præsuppositivè, quia scilicet superficies indiget lineis, quæ sunt longæ, & corpus superficiibus, quæ sunt late ad suarum partium continuationem: hinc est, quod juxta phrasim Arist. 5. Met. 13. non dicere solemus superficiem esse longitudinem, & latitudinem, sed quod est latitudo cum longitudine, & quod corpus est profunditas cum latitudine, & longitudine, unde superficies includit formaliter, & in recto solam latitudinem, & corpus profunditatem, cæteras vero dimensiones in obliquo, & materialiter: quod totum explicari potest in quantitate discreta, in qua unus numerus alium præsupponit ad sui constitutionem, & non est ille formaliter, quare cum dicimus corpus est longum, & latum, erit prædicatio tantum materialis; & hæc est communis opinio Suarez disp. 40. Met. sect. 6. Plat. disp. 2. quæst. 2. de quant. Compl. disp. 13. q. 4. & aliorum.

76 Quidam tamen, ut Blanc. cit. sect. 6. & Averf. sect. 4. esto concedant longitudinem lineæ, & latitudinem superficiæ non nisi præsuppositivè convenire corpori, & longitudinem lineæ superficiæ, inquirunt tamen concedendam esse aliam longitudinem, quam essentialiter includat superficies citra lineam, & aliam rursus longitudinem, & latitudinem, quam essentialiter corpus includat antecedenter ad lineam, & superficiem, & in hoc sensu essentialem esse hanc prædicationem, corpus est longum, & latum, quod probant multipliciter. Tum quia superficies non solum includit lineas longas, sed etiam suas partes, quas habet in latitudine longas, & longitudo harum partium non est longitudo linearum, quia partes sunt ultra lineas, & sunt longæ, & late. Tum 2. quia quantumvis in superficie præscindamus latitudinem a linea, semper in extensione illa lata longitudo etiam quædam est, quia latitudinem hanc possumus linea metiri, quæ non est mensura latitudinis, sed longitudinis. Tum 3. quantum non sumit a continuativis extensionem, sed potius extensio in eo supponitur, & per illam continuatur, ergo cum linea, & superficies sint continuativa corporis, non erit corpus per ipsa extensum per longum, & latum, sed per se antecedenter ad illa, unde ex se dici solet trina dimensio. Tum 4. quia res profunda nequit intelligi sine trina dimensio, si enim sit extensa solum versus longitudinem, esset linea; si solum versus latitudinem esset superficies. Tum tandem quia terminus latus nequit terminare dimensionem non latam, ergo cum superficies sit terminus latus, nequit terminare profunditatem corporis, nisi & ipsa sit lata. Conf. quia superficies terminans corpus utique non est immediate conjuncta cum alia superficie, sed cum parte corporis, quæ erat lata, cum qua latitudine remaneret etiam separata superficie terminante: his rationibus Did. disp. 13. q. 1. hanc opin. censet probabilem.

77 Nihilominus a communi recedendum non est, quia si semel in superficie præter longitudinem lineæ aliam propriam statuamus, sequitur duplici longitudine esse longam, semel propria longitudine, & iterum longitudine lineæ, imo corpus ter erit longum, & bis latum, cum tamen una longitudo sufficiat ad extendendam in longum superficiem, & simul ejus partes unienium in latitudine, & una latitudine ad extendendum corpus versus latera, & unienidas, ac continuandas ejus partes per profunditatem; Sequitur item corpus habere triplicata puncta, & superficiem duplicatam, quibus continuari deberent illæ partes longitudinis; Rursus præscisa linea a superficie adhuc in ea lineam reperiri, quia adhuc in ea reperitur longitudo punctis terminata, hæc autem non est, nisi linea, & sic de superficie respectu corporis. Item posse dari superficiem sine omni linea,

linea, & corpus sine omni superficie, quia adhuc esset longum, & latum sine illis. Nec juvat, quod ait Blanc. cum Didac. necessaria adhuc esse, ut continuativa, lineas quidem partium superficiæ, superficies vero partium corporis. Nam si superficies seipsa est longa, cur talis longitudo non sufficiat ad eam terminandam, & ejus partes continuandas, & si corpus seipso est longum, & latum, cur talis latitudo sufficiens non erit ad ejus profunditatem continuandam, ac terminandam? Resp. Blanc. non sufficere, quia longitudo, & latitudo corporis est profunda nulla carens dimensione, continuativum vero, ac terminativum aliqua debet carere dimensione. Sed contra, quia quando etiam admitteretur latitudinem esse essentialiter longam, & profunditatem latam, & profundam, non tamen è contra admitti potest aliqua longitudo, quæ sit essentialiter lata, neque latitudo, quæ sit essentialiter profunda, quia longitudo, ut sic, præscindit a latitudine, & latitudo a profunditate, ergo profus irratiabilis est alia solutio: alia quoque absurda sequuntur ex hac positione, ut dicurrunt patebit.

78 Neque rationes in oppositum urgent. Ad 1. neg. partes superficiæ habere propriam longitudinem seclusa linea. Ad 2. neg. posse præscindi a superficie omnes lineas remanente ejus latitudine, sicut præscindi nequeunt puncta a linea remanente ejus longitudine. Ad 3. esto corpus non sumat extensionem a continuativis, quatenus continuativa, & indivisibilia sunt, potest tamen aliquam etiam ab eis sumere, quatenus divisibilia sunt, materialiter nempe, & præsuppositivè, in quo etiam sensu intelligendum est, quod corpus sit trina dimensio: quia scilicet, materialiter est longum, & latum, formaliter vero profundum; itaut in sola profunditate ejus natura consumetur. Ad 4. patet per idem. Ad 5. posset per idem probari substantiam non posse esse terminum naturæ substantialis, quia substantia nequit esse terminus naturæ non substantis: sicut igitur substantia dicitur terminus naturæ non substantis privative tantum, non autem contrarie, sicut est accidens, ita in quantitate terminus latus dicitur terminus dimensionis non late, non quidem contrarie, quo sensu linea dicitur non lata, quia est incapax latitudinis, sed privative tantum; per quod solvitur etiam illa confirmatio, cæterum intelligentia hujus dubii rota pendet ex tract. de Continuo, unde ad illum differtur exactior cognitio specierum quantitatis continuæ.

79 Secundo principaliter obicit prob. locum esse veram speciem quantitatis continuæ, tum auctoritate Arist. illum hic enumerantis, tum ratione a Canon. & aliis allata, quia ratio mensuræ, æqualitas, divisibilitas, & cæteræ quantitatis affectiones loco conveniunt, locus enim est æqualis locato, est divisibilis, mensurat locatum; ergo, &c.

Resp. Doctor q. 23. cit. Prædic. Tat. Mair. & alii Scottistæ Arist. hic vulgariet esse locatum de loco juxta opinionem, quæ tunc temporis vigeat, dicentium locum esse spatium dimensionatum inter latera corporis continens interceptum, quam opinionem postea refellit ex professo 4. Phys. ubi suam tradit sententiam de loco, unde tandem 5. Met. c. 13. species quantitatis ex propria mente assignans loci non meminit. Ad rationem dicimus probare solum locum pro materiali esse in prædicamento quantitatis, sic enim illi conveniunt illa prædicata, quæ solent quantitati attribui, non tamen probat esse speciem a superficie distinctam; nec item probat locum formaliter esse in prædicamento quantitatis, sic enim spectat ad prædicamentum Ubi, ut dicimus in Phys.

Tertio obicit de motu, & tempore, nam habent partes novo modo extensas, scilicet, penes diversas moras, ac successiones, quibus partes fluunt, habent etiam diversa indivisibilia, quibus partes successive copulantur, scilicet, in motu mutata esse, & in tempore instantia, ergo nihil deest illis ad rationem quantitatis per se; neque enim requiritur essentialiter ad quantitatem extensio per spatium locale, sed sufficit, quod sit per spatium durationis, in hoc autem spatio vera extensio partium successivarum datur, quarum una non penetratur cum alia, sed succedit ipsi. Neque etiam quod quantitas successiva pendeat a continua permanente obstat, quin motus, & tempus sint veræ species, nam corpus dependet a superficie, & linea, & tamen est vera quantitas.

80 Resp. neg. assumptum, partes enim motus, non tam addunt partibus magnitudinis, super quam sit, novam extensionem, quam novum modum oppositum permanentiæ, quatenus partes motus non simul existunt, & rursus ista successio, & extremitas partium motus in ordine ad spatium durationis, non tam provenit ex natura partium motus, quam ex imperfectione agentis non valentis simul totum terminum inducere, vel ex resistantia contrarii in passo, propter quam vicendam forma paulatim acquiritur, & ideo non est per se quantitas: Nec paritas assumpta de corpore in ordine ad superficiem valet, quia licet corpus supponat superficiem, tamen addit novas partes ad illam, sed motus non addit novas partes ad magnitudinem spatii, seu distantiam, in qua exercetur, neque tempus addit novas partes ad motum; cum vero dicebatur tempus, & motum di-

Mastrui, & Bellui Tom. I. Logica.

versa habere indivisibilia, id est intelligendum de tempore extrinseco, pro mensura accepto, non autem de tempore intrinseco, hoc enim sicut est omnino idem cum motu, cuius est duratio, ita eadem habet prorsus partes, ac indivisibilia eadem cum ipso, ut dicimus in Phys. disp. 13.

Ex dictis in hoc art. colligitur species proprias quantitatis continuæ esse permanentes, cum successio continua non sit vera quantitas, & has esse tantum tres jam commemoratas, lineam, superficiem, & corpus, quia ratio quantitatis est extensio, sed hæc extensio tribus tantum modis potest diversificari, scilicet in longum, latum, & profundum, nec alius modus potest cogitari, ut Mathematici demonstrant, ergo, &c. Sunt etiam omnes hujusmodi species infinitæ, quia linea, v. gr. non dividitur nisi in curvam, & rectam, superficies in concavam, & convexam, corpus in rotundum, & quadratum, omnes autem hujusmodi differentia sunt accidentales, quia rectitudo, & curvitas, concavitas, & convexitas, &c. solum dicunt varias figuras, figura vero accidit quantitati, idem dicendum de aliis quantitatibus continuis ejusdem figuræ, sed inæqualibus, ut est linea bicubita, & tricubita, quantitas enim continua major, & minor in eodem genere extensionis non differunt essentialiter, sed solum accidentaliter per majus, & minus, sicut calor ut unum, & ut octo per magis, & minus; sic etiam in quantitate successiva differunt biduum, & triduum, biennium, & triennium, unde male dixit Zerbi. cit. has esse species subalternas, & lineam rectam, & circularem, bicubitam, & tricubitam specie differre, hoc enim falsum est loquendo de specie essentiali, de qua ibi loquitur; verum tamen est loquendo de accidentali, dici etiam potest, quantitates inæquales specie differre in ratione mensuræ, hoc est, diversas mensuras constituere.

ARTICULUS TERTIUS.

Quid sit quantitas discreta, & quæ species ejus.

81 Quantitatem discretam definit Arist. in hoc præc. dic. esse illam, cujus partes non copulantur termino communi, sed sunt abinvicem solutæ, neque circa ejus essentialiam indagandam est amplius hic laborandum, quia satis liquet ex dictis art. 1. sed tantum circa ejus species assignandas, duas enim assignavit hic Arist. numerum scilicet, & orationem, & quidem numerum assignavit pro quantitate discreta permanenti, orationem vero pro successiva, ut communiter explicant.

Circa numerum solet dubitari primo, an hanc speciem in tanta assignaverit amplitudine, ut sub ea comprehendat multitudinem, nedum entium corporalium, verum etiam spiritualium. Et communis opinio docet, quod hic per numerum intelligat multitudinem solum unitatum quantitativarum, quæ reperiuntur solum in continuis divisis, & separatis abinvicem, unde consequenter loquens inquit Arist. & 3. & 6. Phys. numerum refutare ex divisione continui, & sic multitudinem talium unitatum vocant numerum prædicamentalem, multitudinem vero aliarum rerum, quatenus qualibet est in se transcendentaliter una, vocant numerum transcendentalem, & ab hoc prædicamento expungunt, quia per omnia vagatur prædicamenta, & etiam ad res spirituales extenditur, nam numerando dicimus, duæ qualitates, tres substantiæ, quatuor Angeli, &c. Nominale e contra numerum omnium rerum etiam spiritualium videtur in hoc prædicamento reponere, quamvis enim a rebus spiritualibus, quantitatis nomen videatur prorsus ablegatum, inquirunt id intelligi de quantitate molis, & continua, non autem de quantitate discreta, cuius ratio, & affectiones æque bene salvantur in multitudinere rerum plurium spiritualium, & corporalium, tres enim Angeli non copulantur termino communi, & sunt numero impares, &c.

82 Quamvis hæc quæstio sit magna ex parte de nomine, cum enim numerus, sive quantitativus, sive transcendens, nullum accidens per se unum, atque realiter distinctum ponat præter res numeratas, idem absolute judicium posset fieri, de utroque tamen ut observetur rectus loquendi modus, dicendum est, numerum rerum spiritualium utique ad hoc prædicamentum non spectare, sed tantum numerum rerum corporalium, intelligendo per res corporeas non tantum illas, quæ quantitate præditæ sunt invicem impenetrabiles, ut videtur communiter intelligi, sed etiam illas, quæ antecedenter ad quantitatem habent aliquam materialitatem, ut art. præced. dicebamus de substantia materiali, quæ suam habet materialitatem ante quantitatem, licet cum alia penetrabilem, quod idem asserendum est de qualitatibus corporeis, hæc enim omnia suam habent materialitatem, & corporeitatem citra quantitatem, nec ab ea recipiunt, nisi impenetrabilitatem. Ratio hujus asseriti est, quia illa sola multitudo constituit numerum hujus prædicamenti, quæ accidentaliter dicitur de rebus numeratis, ac multitudo entitativa, seu rerum, quatenus unaquaque est transcendentaliter una, intrinsece, & quasi essentialiter dicitur de illis, quia una transire nequit in aliam per identitatem, & entitative loquendo semper una

res est alia discreta; cum igitur multitudo ex unitatibus transcendentibus aggregata non dicatur accidentaliter de rebus numeratis, recte dicitur numerus transcendens, & non prædicamentalis, hic enim prædicatur per modum accidentis; e contra vero, quia multitudo rerum extensarum de ipsis dicitur accidentaliter, in quantum scilicet sunt ab invicem divisæ, & distinctæ, quod ipsis mere accidit, cum ex natura sua continuari possint, ut constat de duabus aquæ guttis, quæ si continentur, non amplius duæ dicuntur, sed una prædicamentaliter (licet adhuc duæ maneant transcendenter, quia unitates transcendentales non pereunt ex continuatione, sed tantum prædicamentales) ideo talis numerus recte in hoc prædicamento constituitur, & solis rebus corporeis convenit, nam spirituales, & incorporeæ ita sunt divisæ, & discretæ, ut nullatenus hoc modo continuari possint. Et quia etiam discretio, & multitudo, quæ resultaret ex divisione substantiæ, & qualitatis materialis seclusa quantitate, mere accideret illis, quia ex natura sua possent illæ plures partes continuari, cum substantia materialis, & cetera accidentia corporea, etiam citra quantitatem, propriam habere possint continuitatem, ut dicimus in Phys. disp. 9. ideo hæc multitudo rerum, etiam si non sint impenetrabiles suapte natura, recte dicitur numerus prædicamentalis, & erit species quantitatis discretæ hujus prædicamenti, & suo modo dicitur resultare ex divisione continui; vide Tat. hic §. *Tertio sciendum*.

83 Secundo Dubitatur, an sub hac specie comprehendatur sola multitudo rerum corporearum permanentium, veterumque successivarum, æque enim dicimus duos, vel tres lapides, ac duos vel tres dies, vel annos, tres item, vel quatuor motus, Negat communis opinio, quia Arist. numerum recenset pro specie quantitatis discretæ permanentis, & pro quantitate successiva aliam distinctam speciem constituit, scilicet, orationem, & ideo dicitur multitudinem entium successivorum, cum numeratur, reduci debere ad orationem. Sed plane fatemur, nunquam nos capere potuisse, quo pacto, quove sensu tres anni, vel menses, aut tres motus possint dici oratio, & libenter sciremus, quodnam genus orationis constituant; immo asserimus, nihil ineptius, ac insulsum asseri posse; dicendum igitur est etiam multitudinem motuum, & temporum ad hanc speciem pertinere, & universaliter rerum quorumcumque successivarum, immo & ipsa quidem oratio numerus quidam est, ut postea dicemus; & quidem falsum est, Arist. numerum assignasse pro specie quantitatis discretæ permanentis præcipue, immo si textus legatur, non invenitur, cum expresse distinxisse quantitatem discretam in permanentem, sub qua duntaxat sit numerus, & successivam, sub qua constituatur oratio; & quidem nec apparet superflua ratio, cur numerus solis rebus permanentibus debeat concedi, & successivis denegari, cum ista, sicut illa, possint enumerari, & in unum colligi, quare autem oratio specialiter fuerit assignata pro specie quantitatis discretæ successivæ, cum tamen sub se omnium entium successivorum multitudinem non comprehendat, dicimus infra.

84 Tertio Dubitari solet, an numerus sit species infima, vel subalterna. Jand. 3. Phys. q. 11. & 2. Met. q. 4. tenet esse speciem infimam unde inquit, quod sicut in quantitate continua linea major, & minor non differunt plusquam numero, ita neque in discreta major, & minor numerus, & videtur fuisse opinio Comment. 8. Met. tex. com. 10. At contrarium verius est, & communi calculo receptum, quod probant optime Trombet. 2. Met. q. 4. §. *Ad hæc respondetur*, & Zerb. 5. Met. q. 14. nam Arithmetica aliam passionem probat, & demonstrat de ternario, aliam de binario, & sic de aliis, ergo per alia principia, quæ sunt per se, & sic necum individualiter, sed etiam specie differunt; ex quo deducitur, non valere paritatem assumptam de linea majori, & minori ejusdem figuræ (ut etiam magis mox explicabitur) quia numeri inæquales potius assimilantur quantitatibus continuis diversæ figuræ, unde sicut in quantitate continua addito uno angulo aliis resultat alia species figuræ, sic in discreta addita alia unitate resultabit alia species numeri; diximus autem, numeros inæquales inter se specie differre, quia duo æquales, ut hic, & ille ternarius, solo numero differunt.

85 At solet objici, quod numerus minor est pars numeri majoris ex Arist. 5. Met. c. de Colobon. & Euclid. 5. Geometr. ergo non est species ab eo condistincta, sicut neque anima est species condistincta ab homine, sed pars speciei. Hoc argumentum multos direxit absque causa, comendit enim cum illo, quod fieri solet in quantitate continua de linea, & superficie, quæ includuntur in corpore, cui abunde satisfecimus art. præced. in sol. ad 4. quæ quidem solutio etiam in presenti sufficeret; sed ad uberiorem doctrinam, & majorem notitiam compositionis numeri addimus ex Tromb. cit. quod numerus minor non esset pars numeri majoris, nisi potentialiter acceptus, & quantum ad unitates materiales, unde si numerus ternarius constituitur ex binario, hoc ideo est, quia binarius geminam continet unitatem, ex qua cum alia unitate constituitur ternarius, sed quantum ad formam specificam, quum importat bina-

rius, ut est distincta species ab ipso, & quantum ad unitatem formalem insequentem formam specificam, secundum quam binarius est per se unus unitate specifica, binarius non constituit ternarium, sed tantum tres unitates, quæ ratione dixit Arist. 5. Met. 18. sex secundum speciem, & substantiam suam non esse bis tria, aut ter duo, sed tantum esse semel sex.

Si autem queratur, a quo suam sumat unitatem quilibet species numeri. Resp. colligitur ex dictis art. 1. unumquemque numerum dici unum sua unitate formali, quæ omnes unitates materiales simul sumptas consequitur, ut in binario dualitas, in ternario trinitas, & non ab ultima unitate materiali, ut contendebat Thomistæ ibi citati, hæc autem unitas formalis numeri non est aliquid reale in rebus numeratis, sed est unitas illa rationis, quam illis tribuit intellectus, dum actualiter numerando singulas in unum colligit, ex quo deducitur, nullum numerum esse veram speciem a parte rei, sed tantum per opus intellectus, ut docet Canon. 4. Phys. quæst. 5. & Doctor insinuat 4. Met. quæst. 2. Et ex hoc rursus deducitur, cur potius numeri inæquales, quam lineæ dicantur diversas species constituere, cum enim essentia numeri consistat in adunatione, quam facit intellectus per collectionem plurium unitatum, juxta diversas collectiones, & adunationes inæquales, diversæ etiam species numerorum constituuntur, ac linea habet veram, & realem essentiam, & ideo non potest re vera una differre ab alia secundum magis, & minus in eodem genere extensionis.

86 Circa Orationem vero, quæ constituebatur altera quantitatis discretæ species, non possumus illos non irridere, qui tam anxii, ac solliciti sunt in declarando quomodo oratio veram rationem quantitatis participet, ut defendant esse veram speciem hujus prædicamenti. Sed sane oleum, ac operam perdit, tum quia, ut diximus art. 1. ex Scot. 4. distin. 1. quæst. 2. ad 1. non importat ens per se unum: tum quia instantum dicitur quantitas, in quantum constat syllabis longis, & brevibus (sermo enim est de oratione vocali) at quomodocumque hoc explicetur, nunquam ostenditur esse quantitatem per se, & constituere speciem essentialiter a numero distinctam; nam si consideretur, ut est adunatio plurium syllabarum aliquem ordinem adinvicem servantium, sic plane non transcendit rationem numeri; unde in hoc sensu oratio non erit, nisi numerus syllabarum; si consideretur, quatenus constat syllabis, quarum una brevi mora proferri debet, alia longiori, sic enim videtur quanta discretæ ex multitudine morularum, quibus motus ipsi prolationis durat. Neque etiam sic ostenditur esse quanta per se, quia mensurabilitas illa non convenit illis syllabis ex natura rei, sed ex hominum voluntate hanc syllabam corripientium, illam producentium ob loquendi jucunditatem, & leporem, & morulæ illæ, ac motus, quibus proferuntur, non sunt quanta nisi per accidens ex art. præced. Nec etiam per id salvatur esse speciem a numero distinctam, sed tantum esse numerum temporum, & motuum, & ideo Bassol. 1. d. 11. q. 9. concludit orationem non esse quantitatem.

At, inquit Ruvius, non hac ratione constitui speciem quantitatis, ut communiter censetur, quia numerus motuum, vel durationum brevioris, & longioris etiam in pulsatione Cytharæ reperitur, & tamen non est oratio de genere quantitatis, inquit igitur constitui speciem quantitatis per corpulentiam soni, aut vocis, quæ proferitur, quæ non est aliud, quam dilatatio, & prolongatio ejusdem, & hæc major, vel minor corpulentia orationis non desumitur ex motu, quo ipsa proferitur, vel tempore, quod consumitur in ejus prolatione, sed ex natura ipsarum syllabarum, syllaba enim, quæ inter plures consonantes interjicitur, longam protensionem, & corpulentiam petit, ut si quis, trabs, &c. non sic, quæ simpliciter proferitur, & inter consonantes non interjicitur.

87 Ceterum male negat Ruvius orationem constitui speciem quantitatis discretæ ratione temporis, quo ejus syllabæ pronunciantur tarde, vel cito, quia Aristot. ipse ex eo probat orationem esse quantum, quia mensuratur syllaba longa, vel brevi, ac longitudinem, & breviterem syllabæ accipiunt a tempore, nam ea dicitur longa, in cujus prolatione plus infumitur temporis, illa brevis, in qua minus, ergo tempus, non corpulentia soni, aut vocis præstat quantitatem orationi, qualicumque illa sit; neque hinc sequitur pulsationem Cytharæ esse orationem, quia non quilibet numerus motuum, vel temporis atinet ad orationem, sed ille duntaxat, qui infumitur in loquendo, & proferendo. Accedit, non bene explicari a Ruvio, quomodo per corpulentiam soni, vel vocis fiat oratio vocalis quanta, nam extensio, & corpulentia vocis, ut ipse explicat, non est distincta ab extensione aeris verberati ad prolationem vocis, sed quo pacto quantitas aeris potest orationem ipsam quantificare; & quomodo ex pluribus aeris extensionibus potest componi quantitas discreta, quæ sit oratio? Sed plura contra hoc Ruvii commentum videri possunt apud Amic. tract. 14. quæst. 2. dub. 3. & Blanc. disp. 10. sect. 3. nos solum hic addimus, male etiam Ruvium asserere majorem, vel minorem vocis protensionem in oratione ex natura syllabarum provenire, hoc enim prorsus falsum est,

est, cum ex sola hominum institutione id ortum duxerit, & quidem apud Græcos quamplurimæ syllabæ inter consonantes interjectæ (in quibus præsertim vim faciebat Ruvius) breviantur, ut liquet veritas in illo idiomate.

88 Concludendum igitur est ex dictis, orationem non esse per se quantum, sed tantum per accidens, secundum quod constat syllabis sibi discretæ succedentibus cum certa brevitate, vel longitudine in prolatione, æque ideo materialiter tantum, & accidentaliter a numero distinguitur, ut curvitas, & simitas ex Tar. loc. cit. sicut enim hujusmodi figuræ ex eo solum distinguuntur, quia curvitas in omni materia potest inveniri, non enim determinat sibi materiam, vel subiectum, sicut simitas, quæ determinat sibi nasum, sic numerus, & oratio differunt solum accidentaliter, & materialiter, quia numerus non determinat sibi subiectum, sed inveniri potest in omnibus continuis divisis, & separatis, oratio autem invenitur solum in syllabis alicujus vocis, atque ita absolute loquendo una tantum est species quantitatis discretæ, scilicet, numerus, seu multitudo, quæ ut invenitur in syllabis dicitur oratio, ut in cæteris continuis, dicitur numerus; Nec refert, quod Doctor qu. 19. Univerf. distinxerit orationem a numero, etiam essentialiter, ibi enim locutus est de oratione, etiam essentialiter, ut cum aliter doceat in lib. Sentent. illa auctoritate non ligamur juxta regulam sæpe traditam.

89 Sed dices, si oratio non est species a numero condistincta, sed numerus ipse in talibus rebus repertus, scilicet, syllabis longis, & brevibus, cur illam specialiter memoravit, veluti speciem condistinctam? Resp. ut supra dictum est in structura hujus prædicam. ac ejus species constituendo, Arist. secutum esse vulgarem loquendi modum, & in communi loquendi modo quantitas discreta successiva tribuitur orationi ratione syllabarum, unde apud Grammaticos extat integer tractatus de quantitate syllabarum, art. 5. Met. ubi ex propria sententia loquitur, species quantitatis assignans orationis non meminit.

Itaque ex dictis hucusque colligitur, in rigore loquendo, genus supremum hujus prædic. esse quantitatem continuam permanentem, quæ dici solet quantitas molis, non habens sub se aliquid generis intermedium, sed immediate sub se continens illas tres species infimas, lineam, superficies, & corpus, de quibus fufius tract. de Continuo in Phys. & hoc discrete docuit Bassol. cit. 1. d. 19. q. 1. ubi notat non dari quantitatem successivam, quæ sit vere quantitas, immo inquit re vera nunquam Arist. distinxisse quantitatem in permanentem, & successivam, sed tantum in continuam, & discretam, & neque hanc esse veram quantitatem demonstrat inferius d. 24. unde concludit, quod Arist. ideo hic posuit numerum, tempus, & orationem quantitates, quia famosum erat, temporibus suis, & voluit loqui, ut plures; restat igitur solam quantitatem permanentem continuum esse re vera quantitatem, & ipsam solam hoc prædicamentum constituere, quam sententiam communiter tuerent Neoterici, quibus prævit Suarez in Met. disp. 40. sect. 8.

ARTICULUS IV.

Declarantur proprietates, & attributa quantitatis.

90 Arist. cap. de quant. docet eam habere cum substantia duo attributa communia, scilicet non habere contrarium, nec suscipere magis, & minus, quæ ita sunt manifesta, ut præter dicta in Inst. non multa sint addenda; licet enim in quantitate contrarietas illa inveniat, quam ad motum exigit Arist. 5. Phys. distantia nempe remanentium motus, quam non nisi in tempore potest mobile pertransire, non tamen reperitur contrarietas illa proprie dicta, quam habent inter se qualitates ab eodem subiecto se invicem expellentes, ut docuit Scot. qu. 24. prædicam. tum quia inter quantitates non versatur repugnantia formalis, ut idem docet 4. d. 49. qu. 16. ad 1. pr. opin. immo nec proprie virtualis, quam non sint formæ activæ, & quamvis ab eodem loco quantitates se pellant, non proinde dicendæ sunt contrariæ, quia ut notat Doctor cit. repugnantia contraria est in ordine ad idem subiectum; quantitates autem duorum corporum non respiciunt locum ut commune subiectum, sed sunt in illis corporibus, ut in propriis subiectis. Quamvis etiam quantitas continua, & discreta, magnum, & parvum, multum, & paucum, linea curva, & recta, fufum, & deorsum, quæ sunt differentie loci aliquam oppositionem inter se habere videantur, re tamen vera hæc omnia proprie inter se non contrariantur, vel si aliqua sunt contraria, plane ad hoc genus non spectabunt; continuatio igitur, & discretio erit veluti oppositio differentiarum unum commune genus dividendum; magnum, & parvum in quantitate opponitur, veluti intentum, & remissum in qualitate, ubi tamen calor, ut unum, & ut octo contraria non indicantur, vel certe non opponuntur, nisi relative, ut docet Arist. in textu, unde unum, ac idem subiectum dici potest magnum, & parvum ad diversâ comparationem, & idem dici debet de multo, & paucis; relictum quoque & curvitas vel pro-

prie non opponuntur, vel si sunt opposita, ad prædicamentum quantitatis non spectant, ut species ejus, sed potius ad 4. speciem qualitatis, sic tandem fufum, & deorsum, vel non nisi relative opponuntur, ut Scot. docet 4. d. 12. qu. 2. ad 1. prin. vel five sint contraria, five non, parum refert ad propositum, ut idem docet in Log. l. c. quia locus, cujus sunt differentie, non est species hujus generis.

91 Aliud attributum, quod habet quantitas commune cum substantia, est non suscipere magis, & minus, id est non posse intendi, & reiniti, per intentionem enim plures partes formæ sunt in eodem situ, & in eadem parte subiecti, per remissionem vero tolluntur, quantitas autem est ratio, ut partes extensionis diversam loci partem petant, & ideo non est capax intentionis, & remissionis; suscipit tamen majus, & minus, datur enim linea major, linea minor, numerus major, numerus minor, & suscipere majus, & minus in quantitate continua est esse plus, vel minus extensum, in quantitate vero discreta est habere plures, vel pauciores unitates. Solum difficultatem facere potest, quod ait Arist. cap. de ad aliquid æquale scilicet, & inæquale suscipere magis, & minus, sicut etiam simile, & dissimile, & non nisi ratione fundamenti, secundum enim quod quis participat qualitatem, vel quantitatem alteri convenientem dicitur magis, vel minus similis, & æqualis illi, ergo quantitas, quæ est fundamentum æqualitatis, suscipit magis, & minus. Facile tamen occurrat, neg. conseq. quia ut æqualitas in quantitate fundatur suscipiat magis, & minus, sufficit, ut quantitas ipsa suscipiat majus, & minus, sic enim secundum majorem, vel minorem differentiam in quantitate dicitur major, vel minor inæqualitas.

92 Ut igitur veras, ac adequatas proprietates, omnique quantitati communes, tam continuæ, quam discretæ declaremus, dicendum est esse quatuor, quas per ordinem recenseat Scot. 5. Met. q. 9. *Concedo*, & Ant. And. q. 10. & colliguntur ex Arist. 3. Phys. & 5. Met. Prima est divisibilitas in partes integrales (quod dicitur ob divisibilitatem in partes essentielles, quæ convenit substantiæ compositæ citra quantitatem); per quam Arist. 5. Met. 18. explicuit essentiam quantitatis; sed duplex est divisibilitas in partes integrales: alia, quæ importat solam partium distinctionem entitativam, ac separabilitatem unius ab alia, & hæc non est passio quantitatis adæquata, nam convenit etiam substantiæ, & qualitati materiali ex dictis art. 1. alia, quæ pars est separabilis ab alia parte per impossibilitatem earum adinvicem, & sit instrumentum corporeo per cessionem unius quanti alteri quanto constanti occupare eundem locum, & hæc est propria quantitatis ex Doctore 4. d. 1. qu. 5. infra F. & substantiæ, & qualitati convenit solum per quantitatem ex eodem 4. d. 12. qu. 2. B. cum igitur hæc non sit ratio constitutiva quantitatis, ut demonstramus in Phys. disp. 9. qu. 1. art. 1. sequitur esse propriam, & adæquatam passionem, & dici potest divisibilitas quantitativa, ut ab entitativa fecernatur, quæ aliis competit a quantitate. Hæc itaque divisibilitas est propria quantitati in quarto modo, quia ei soli convenit, ut probatum est, convenit omni, quia nulla continua ab hac existitur divisibilitate, licet interdum non possit ab agente naturali ad actum reduci, ut constat de qualitate Cæli discretæ etiam, de qua minus videtur, eam aliquo modo participat, quamvis enim a parte rei divisa sit, quatenus tamen ab intellectu numerante colligitur in unum, potest sub tali collectione ab intellectu dividi, & ita de facto dividit, cum totalem numerum fecerit in duos partiales partes, vel impares, & quando unam unitatem fecerit ab aliis, & talis divisibilitas illi sufficit, cum non sit vera species quantitatis. Convenit demum semper, quia nunquam quantitas potest ad talem statum reduci, ut in indivisibile resolvatur, cum sit in infinitum divisibilis, ut dicitur 6. Phys. unde & ipsum minimum naturale, ut minima caro, potest, quantum est de se, adhuc ulterius dividi, præsertim, ut quanta, est ab agente naturali nequeat instrumentum corporeo fieri talis divisio; ut vero divisio in infinitum protrahi possit, debet fieri per partes proportionales, hoc est minores semper, & minores, ut dicitur tract. de Continuo, nam si fiat per æquales, divisio tandem finiri poterit, si quantitas, quæ dividitur, sit finita, nam si infinita foret, possit etiam per partes æquales protrahi in infinitum divisio.

93 Secunda proprietas est, esse finitum, vel infinitum, colligitur ex Arist. 1. Phys. 15. & 3. Phys. 36. & ex ejus declaratione constabit hanc immediate sequi ad divisibilitatem, & ex illa oriri; finita magnitudo dicitur, quæ non nisi in tot partes æquales, seu ejusdem magnitudinis dividi potest, & finita multitudo, quæ in se tot unitates, & non plures colligit, in quas dividi potest. Aliud vero membrum intelligi potest, vel de infinito in actu, & simpliciter, seu cathegorematico, quod scilicet tot actu habet partes æquales, quod alias habere repugnat, quare est infinita, extensum, si est in quantitate continua; vel tot continet unitates, quod plures habere repugnat, si est in quantitate discreta; vel de infinito in potentia, & syncategorematico, quod quodammodo mediat inter simpliciter

ter finitum, & simpliciter infinitum, ut explicamus in Phyl. disp. 9. q. 2. art. 6. in sol. ad 5. disp. 10. q. 1. art. 1. ex professo, numerus enim v. g. simpliciter finitus est, qui tot continet unitates, & non plures; simpliciter infinitus vero, qui tot continet, quod plures continere nequit, & est in supra multitudine; infinitus tandem syncategorematicè dicitur, qui continet plures, & plures unitates sine termino, nunquam tamen in tanta multitudine, ut dici possit simpliciter infinitus, & additionis incapaces, unde cum majorari possit, solet etiam dici infinitum in potentia ex Arist. 3. Phyl.

94 Si de infinito syncategorematico, seu in potentia sit fermo, nulla est difficultas, quin omni quantitati conveniat, quia utraque quantitas, tam continua, quam discreta suo modo hanc infinitatem participat, continua enim nullum habet præfixum terminum in divisione procedendo per partes proportionales, ex quo manifeste deducitur, eas in continuo esse syncategorematicè infinitas, ut demonstramus in Phyl. loc. cit. numerus etiam semper augeri potest in infinito per additionem unitatum ex divisione continui resultantium; ergo re vera talis infinitas competit de factò quantitati, & in hoc sensu explicat hoc membrum Scotus 2. Met. q. 6. & potest finitum, & infinitum hoc modo convenire copulative quantitati, quia non repugnat eandem quantitatem esse finitam in actu, & infinitam in potentia.

At si illud membrum in alio sensu intelligatur, nempe de infinito in actu, & categorematico, dubium est, an possit quantitati convenire: tutores infiniti absolute volunt infinitatem etiam in hoc sensu explicatam esse veram quantitatis proprietatem, quia talis infinitas in quantitate non repugnat, sive discreta, sive continua. Qui vero tale infinitum reputant impossibile prorsus, quibus nos subscribimus in Phyl. disp. 19. divisi sunt, quidam enim inquant hanc infinitatem esse quantitatis proprietatem in sensu conditionato, quia si daretur, vel dari posset quantitas infinita, nonnulli ad hoc prædicamentum spectaret; alii id negant etiam in sensu conditionato, quia infinitas actualis destruit rationem quantitatis, non enim infinitum mensurabile foret, non esset divisibile, non posset aliquid illi addi, vel detrahi, & alia multa illi repugnant, quæ communiter quantitati tribui solent, ut dicitur disp. 10. Phyl. qu. 1. art. 2. qua de causa dixit Ar. 5. Met. cap. 13. de ratione numeri esse numerabilitatem, sicut de ratione magnitudinis mensurabilitatem. Alii denique, ut Ruvius hic quæst. ult. concedunt, quod si daretur quantitas continua actu infinita, ad hoc prædicamentum spectaret, non tamen discreta; ratio autem hujus distinctionis est (ait ipse) varia natura utriusque quantitatis, nam numerus, cum variatur essentialiter ex additione unitatis, si additio erit infinita, fiet essentia infinita, non quidem simpliciter, sicut est Deus, sed secundum quid, quod satis est, ut excludatur a prædicamento quantitatis; at vero continua, etiam si addantur infinitæ partes, semper manet in determinata essentia.

95 Dicendum tamen est, quod si daretur quantitas actu infinita, sive continua, sive discreta, esset in prædicamento quantitatis, ita Doctor 1. d. 8. quæst. 3. R. & est communis. Suarez disp. 41. sect. 4. Soto hic quæst. 1. Soc. 5. Met. qu. 15. & Scotus passim, colligitur ex Ar. 6. Top. loc. 78. ubi docet lineam finitam, & infinitam eisdem esse speciei, si hæc daretur, & probat Doctor, quia si daretur linea infinita, esset infinita foret in certo genere entis, scilicet infinita quantitas, absolute tamen in genere entis foret finita, & limitata, neque enim ob id valeret dicere, est infinita quantitas, ergo infinitum ens, quia nunquam ad summum in inferiori sequitur summum in superiori, nisi illud inferius sit nobilissimum contentum sub illo superiori, ut non sequitur perfectissimus alius, ergo perfectissimum animal, sequitur tamen perfectissimus homo, ergo perfectissimum animal, quia homo est perfectissimum animalium, cum igitur tale non sit, quicquid continetur sub genere accidentium, nunquam sequitur, est infinita quantitas, est infinita qualitas, ergo infinitum ens, & consequenter non excluditur a prædicamento; quæ ratio probat etiam de quantitate discreta, quia vel species numerorum non sunt veræ species, sicut nec numerus in se est verum ens reale ex dictis, vel si sunt veræ species, tamen ut communiter dici solet, non spectant ad perfectionem universi; & Ruvius ipse fatetur rationem essentiam numeri non esse futuram simpliciter infinitam, sed tantum secundum quid, talis autem infinitas non excludit a prædicamento. Neque omnino evidens est, & adhuc a priori probatur infinitatem actualem destrueri rationem quantitatis, sed tantum a posteriori id colligere solemus, ut diximus in Phyl. disp. cit. & ideo sicut infinita albedo ad prædicamentum qualitatis attingeret (si daretur) ita in proposito linea infinita (si daretur) ad prædicamentum quantitatis spectaret, quia cum ipso majorem assuetudinem haberet, quam cum quolibet alio. Neque huic obstat, quod quædam quantitatis attributa videntur infinito repugnare, quia attributa illa potius quantitati conveniunt ea ratione, quia finita est, non vero, quia quantitas, ut sic, & sane in hoc sensu loquebatur Ar. cit. 5.

Met. cap. 13. declarans enim ibi, quid intelligeret per multitudinem numerabilem, & magnitudinem mensurabilem, ait se intelligere multitudinem, & magnitudinem finitam, absolute igitur concludendum est, infinitatem actualem non esse proprietatem quantitatis, quia si non repugnet rationi formali ipsius quantitatis, tamen in se repugnat ratione ipsius infinitudinis partium; adhuc tamen concedendum est posse dici eius proprietatem in sensu conditionato, nimirum si daretur, vel dari posset, quia esset talis infinitas, quæ non induceret infinitatem in genere entis simpliciter, sed tantum in certo genere entis, atque ideo non excluderet a prædicamento rem sic infinitam.

96 Quamvis autem ad præsens non spectet infiniti actualis impossibilitatem ostendere, de hoc enim agimus ex professo in Phyl. disp. 10. cit. tamen prætereundum non est, nuper post nostram impressionem tentasse Ariag. disp. 13. Phyl. probare infinitum non repugnare, ex duobus præsertim principiis, quæ jactat sect. 1. primum est, posse unum infinitum esse majus alio, alterum est infinitum tam in magnitudine, quam in multitudine posse duobus terminis includi, dummodo illi distent inter se infinite, nec successive ab uno in alium perveniri possit, quod probat, quia inter hominem, & lapidem clauduntur infinitæ species animalium inæquales inter se, respectu quarum homo est ultimus, quia est perfectissimus illarum, & lapis est primus, quia est imperfectissimus illarum; & ex his principiis conatur solvere argumenta in oppositum, uno dumtaxat excepto, cujus se jactat inventorem, sed fatetur necesse solutionem, quia si Deus produceret pyramidem infinite longam, & inter illius costas trajiceretur linea a colla in costam, quædam essent finitæ, quædam infinitæ, nam aliquas videret Deus interjectas inter costas finite distantes, & quædam infinite; ex finitis autem cognoscit sane omnium maximam, quia inter omnes finitas necesse est unam esse maximam; tunc queritur, quæ succedit post hanc, est ne infinita, vel finita? finita esse non potest, quia est major, quam maxima omnium finitarum, neque infinita, quia non habet, nisi duo puncta, v. g. plus quam altera finita, cui succedit, finitum autem additum finito non facit infinitum.

97 Sed duo illa fundamenta, quibus totam infiniti molem commendavit Ariag. esse penitus ruinosa, late demonstramus in Phyl. disp. 10. cit. primum quidem qu. 1. ar. 2. alterum vero qu. 4. ratione quarta pro concl. & exemplum adductum de infinitate specierum possibilium brutorum inter lapidem, & hominem non est ad rem, quia talis infinitas est syncategorematica, & infinito syncategorematico utique terminus extrinsecus assignari potest, ad quem scilicet sit in via, nunquam tamen attingat, unde in allato exemplo male dicitur homo terminus ultimus illius infinitatis, nam per se significatur, quod sit terminus intrinsecus; infinito vero categorematico omnis prorsus repugnat terminus, tam intrinsecus, quam extrinsecus; & illa ratio de pyramide ab ipso adducta sane ostendit manifeste repugnare infinito præsertim inter terminos quantumcumque distantes inclusum; & solum a Deo fieri posse infinitum syncategorematicum, sic enim potest a Deo produci pyramis infinitæ longitudinis, & lineæ inter ejus costas interjectæ infinitæ latitudinis, non autem categorematicæ, quorum intelligentia pendet totaliter ex ibi dictis; ubi etiam q. 2. art. 2. optime detegitur fallacia, qua deceptus Ariag. dixit sect. 3. posse Deum producere creaturam omnium perfectissimam, supponit enim ipse, quod tota collectio creaturarum a Deo possibilem sit quid certum, ac determinatum, ut possit totum simul accipi, & ad actum reduci, quod est proferre falsum, nam de se est quid indeterminatum & confusum, sicut tota divisio continui, ut ibi explicamus.

98 Tertia proprietas est æqualitas, aut inæqualitas, & ut notat Doct. 2. d. 1. q. 3. K. non est proprietas, nisi quantitatis finitæ, majus enim & minus, æquale, & inæquale soli quantitati finitæ conveniunt, quia de ratione quantitatis majoris est excedere, minoris excedi, & æqualis commensurati, quæ omnia videntur finitatem arguere, unde proprie loquendo unum infinitum dici non possit æquale alteri infinito, ex quo colligit Doctor, hanc proprietatem necessario supponere præcedentem, nempe prius convenire quanto esse finitum, vel infinitum, quam æquale, vel inæquale. Non est autem quantitatis affectio æqualitas, vel inæqualitas, ut formaliter relationes important convenientiæ, vel disconvenientiæ duorum in quantitate, sic enim sunt relationes intrinsecus advenientes a quantitate realiter distinctæ, sed passio quantitatis est aptitudo ad eas fundandas, unde cum dicit Arist. hic maxime proprium esse quantitatis secundum eam æquale, vel inæquale dici, ly *secundum* non dicit rationem formalem, sed fundamentalem, seu dicit *quo* fundamentale; non formale, ut Doctor notat quol. 6. A. non quidem actuale semper, & proximum, sed aptitudinale, & remotum, & in hoc sensu competit omni quantitati tam continuæ, quam discretæ, & semper, unde si omnes quantitates, una sola excepta, destruerentur, illa adhuc diceretur æqualis vel inæqualis alteri possibili, quatenus si illa produceretur, nata est illud

illo fundare respectu ejus æqualitatem, vel inæqualitatem; convenit etiam soli quantitati, si in rigore sumatur, pro convenientia scilicet, vel disconvenientia in extensione, vel discretione, & per quantitatem cæteris rebus; sed quia nomen ipsum quantitatis, non solum significat extensionem, & discretionem rerum corporearum, verum etiam translaturum est ad significandam perfectionem, & virtutem cujuscumque rei, ideo etiam nomen æqualitatis, & inæqualitatis translata sunt ad significandam perfectam, vel imperfectam convenientiam rerum in perfectione, intentione, & virtute, unde dicitur species esse inæquales in perfectione, unum calorem alteri æqualem in gradibus, vel inæqualem, unum pondus alteri æquale, vel inæquale in gravitate (falsum enim est, quod aliqui somniant, pondus esse quantitatem) & sicut quantitatem virtutis, quia in omnibus reperitur, Doctor appellat transcendentem. ita etiam æqualitatem, vel inæqualitatem in ipsa fundamenta transcendentem vocat 1. d. 19. q. 1. & 4. d. 6. qu. 10. sub D. & quol. 6. & alibi sæpe.

99 Quarta proprietas est ratio mensuræ, tam activa, quam passiva, ut colligitur ex 10. Met. tex. 1. & 2. debet autem sumi aptitudinaliter, sic enim quilibet quantitas mensuratur, vel mensurari potest, sive sit continua, sive discreta, una scilicet certificare potest magnitudinem panni, numerus, seu numeralis unitas multitudinem nummorum, at actualiter non est necesse, quia plures sunt quantitates, quæ nec actu mensurant, nec mensurantur; hæc autem proprietates supponit necessario præcedentem, oriturque ex illa (unde tantum abest, quod sit ratio formalis quantitatis ratio ipsa mensuræ, ut quidem ajunt, quod nec est prima, nec secunda ejus affectio, sed potius omnium ultima) quia una quantitas alteri comparata ideo illam mensurare potest, vel mensurari per eam, quia est ei æqualis, vel inæqualis: si æqualis, erit mensura per applicationem, sive superpositionem: si inæqualis, erit per replicationem, seu repetitionem, si quantitas mensurans est minor mensurata, si vero est major, tunc quantitas minor mensurari dicitur per accessum majorem ad eam, vel minorem recessum ab ea, ita notavit Doctor 2. d. 2. q. 2. §. *Ad secundam partem*, ubi etiam advertit, quod sicut ratio quantitatis transferatur ad significandam quantitatem virtutis, & rei perfectionem, ita etiam ratio mensuræ transferatur ad notificandum quanta sit perfectio rei, & hoc modo mensura ponitur in quidditatibus rerum, ubi perfectior semper dicitur metrum, & mensura imperfectiorum, juxta illud, *primum in unoquoque genere est mensura cæterorum*, unde mensura in quidditatibus semper exercetur per accessum ad perfectionem, vel recessum ab ea; ut notat ibi Doctor, & fundatur in ipsarum rerum natura, nempe in excellentia, & perfectione unius naturæ super aliam, in quo differt mensura quidditativa a quantitativa, quia hæc ut constituitur in ratione mensuræ, saltem proxime semper exigit humanam institutionem, quod enim mensura sit tantæ longitudinis, aut ponderis, plane pendet ex hominum instituto.

Cæterum inter mensuram per applicationem (quam alii vocant per accommodationem) & per repetitionem, seu replicationem, hoc interest, quod illa convenit proprie quantitati continuæ, sic enim una quantitas alteri superimponitur, & ejus tantitatem notam facit absque repetitione; at mensura per replicationem proprie, & per se primo convenit quantitati discretæ, ut docet Ar. 10. Met. cap. 2. & non convenit continuæ, nisi quatenus aliquo modo participat rationem unitatis, & quantitatis discretæ, sic enim dicitur, magnitudinem esse quatuor, vel sex palmorum; ad rationem vero mensuræ quantitativæ plures exiguntur conditiones ex Arist. 10. Met. cap. 2. 3. & 4. quas hic referre non oportet, nam eas ex professo recensimus disp. 13. Phyl. qu. 4. art. 2. agentes de tempore extrinsecò, ubi etiam plura declaramus, & exactius de ratione mensuræ, de qua plura videri possunt apud Suarez disp. 40. Met. sect. 3. Ruvium hic qu. 2. & 3. Amic. in Log. tract. 14. qu. 4. quæ. 5.

100 Postremo alia quedam recenseri solent proprietates, quæ sunt peculiare magnitudinis, seu quantitatis molis, quarum præcipua, a qua cætera originem ducunt, est impenetrabilitas, ut colligitur ex Arist. 4. Phyl. 76. & 77. hæc enim est ita intima quantitati, ut per principium ejus recte explicetur essentia quantitatis, & ita immediata essentiam quantitatis concomitantur, ut eam necessario supponat ipsamet divisibilitas quantitativa, quia prius est rem esse impenetrabilem, quam quantitativè divisibilem, ideo enim res est quantitativè divisibilis, & instrumento corporeo, quia est impenetrabilis ut supra explicabamus, quando autem supra cum Scoto in Met. posuimus divisibilitatem esse primam passionem, quantitatis fermo erat de proprietatibus, quæ communes erant omni quantitati, tam continuæ, quam discretæ, inter eas enim divisibilitas utique primum obtinet locum; at impenetrabilitas est passio peculiaris magnitudinis, nam proprie non convenit quantitati discretæ, nisi ratione unitatum, ex quibus coalescit, quatenus earum singulæ propriam continent quantitatem cum quantitate alterius impenetrabilem. Item ex impenetrabilitate sequuntur alia affectiones magnitudinis, nimirum figurabilitas, & ubicabilitas, figu-

ra enim resultat ex ordine, quem ad invicem dicunt partes ordinatæ in toto, & situatæ in loco, & hæc necessario præsupponit partium impenetrabilitatem, data enim penetratione partium adinvicem, non amplius consistit figura corporis, saltem extrinsecà de genere situs; ut consistat de corpore Christi in Sacramento, quod tali figura caret, esto intrinsecam retineat, ut Doctor docet 4. d. 10. quæst. 1. §. *Dico ergo*, sed de figura agemus q. seq. art. 2. sic etiam ubicabilitas circumscriptiva dicitur convenire corporibus ratione quantitatis, unde quantitas communiter dici solet ratio essendi in loco circumscriptive, & colligitur ex Ar. 1. Phyl. 15. & 4. Phyl. 76. & docet Doctor 4. d. 10. qu. 3. & quol. 10. H. id autem non debet intelligi de simplici circumscriptio, ut dicit solam locabilitatem divisibilem, principium enim sic essendi in loco divisibile est sola corporeitas, ut docet Scot. quol. 11. art. 1. & hæc utique quantitatem præcedit in substantia materiali, quia corpus de genere substantiæ præcedit corpus de genere quantitatis, sed debet intelligi de circumscriptioe impenetrabili; modus enim essendi in loco impenetrabiliter competit corporibus ratione quantitatis, ut fufius explicamus in Phyl. disp. 9. quæst. art. 1. disp. 11. quæst. 5. art. 1.

QUESTIO III.

De Qualitate.

101 **Q**ualitas omnes præcedit relationes ordine dignitatis, quamplures etiam ordine causalitatis, qua de causa Ar. 5. Met. immediate post quantitatem egit de qualitate, licet aliis quibusdam de causis hic in Logica relationem præmiserit qualitati, quia tamen ordo in Metaph. servatus rationabilior est, ac absolute melior, & valde etiam intersit ordini doctrinæ, qui plane perturbatur, si inter prædicamentum relationis, & alia sex, quæ etiam non nisi relationes extrinsecus advenientes præferunt, prædicamentum absolutum qualitatis intericiatur, idcirco eum observabimus in præfenti.

ARTICULUS I.

Quid sit Qualitas, ut est supremum Genus hujus prædicamenti.

102 **Q**ualitas tripliciter sumi potest, ut omnes hic notant ex Ar. 5. Met. c. 14. Primo pro cujuscumque rei essentiali differentia, quo sensu dicit Porph. differentiam prædicari de pluribus in qualequid. Secundo pro quocumque accidente, sive absoluto, sive respectivo, quo sensu idem Porph. dixit accidens omne prædicari in quale. Tertio tandem pro speciali quodam, ac determinato accidente, quo quales esse dicimus, & in hoc sensu constituit hoc prædicamentum, velut supremum genus; ita declarat Arist. ipse in textu, dum qualitatem describendo dixit esse formam illam accidentalem, qua denominatur quales, unde per ly *quales* excluduntur primo differentia essentialis, per quam quiddam dicitur qualequid, item accidentia cætera, a quibus subjectum non proprie quale denominatur, sed quantum, vel relatum, vel alio modo, & Porph. quando dixit accidens omne prædicari in quale, accipit quale in lata significatione, ut hic notat Tatar. prout prædicari in quale condistinguitur a modo prædicandi essentiali, & quidditativo.

De qualitatis definitione, ut hoc constituit prædicamentum, est maxima inter Auctores controversia, quia cum latissime pateat, & varias sub se contineat species, quæ diverso modo substantiam afficiunt, & difficile inveniri potest ratio communis omnibus illis, ut testatur D. August. lib. Cathgor. unde Arist. ipse judicavit commodius definiti non posse, ut sic in communi, quam per effectum formalem nomine sui concreti significatum; vix enim aliquid clarius, ac nobis notius apparet qualitati in communi adæquate respondens. Verum perique irrident hanc definitionem ab Aristot. traditam de qualitate, velut omnino vanam, sic enim facile foret quamcumque formam definire; quantitas est, secundum quam quantitati dicimur, similitudo, secundum quam dicimur similes, &c. immo inquant, Arist. manifestum circulum commississe, dum in principio capitis qualitatem definit per quale, & postea in progressu quale per qualitatem. Alii contendunt esse bonam definitionem, quia datur per effectum formalem, quem confert subjecto, quomodo definire licet omnem formam, ab aliis siquidem accidentibus substantia denominatur quanta, relata, agens, & patiens, &c. a qualitate vero simpliciter denominatur qualis, & negat ab Arist. circulum committi, quia ut hic notat Tatar. §. *Primo sciendum*, definitio qualitatis datur per quale, tanquam per aliquid notius nobis, sed quale definitur per qualitatem, tanquam per aliquid notius secundum naturam; circulus autem proprie dicitur, quando unum definitur per aliud eodem modo, quo aliud definitur per ipsum, quod non contingit in præfenti; ita Complut. Didac. Murcia, & alii in hoc prædicam.

104 Cæterum esto præfata definitio tradatur in ordine ad effectum formalem ipsius qualitatis, atque ideo utrumque defendi possit, negari tamen non potest, quod per eam non nisi confuse essentia qualitatis explicetur, sicut confuse utriusque explicaretur quantitatis essentia, si diceremus esse illam formam, a qua denominatur quanti; nec refert, quod effectus formalis, per quem definitur, sit nobis notior ipsa, quia tota adhuc ista notitia est confusa, unde Aristotel. definitio quæ, definit illud per qualitatem, & hoc ipsum fatetur etiam Auctores citari, unde non solum repudiantes Aristotel. definitionem, sed etiam illam amplectentes, quia vident esse nimis confusam, & per generalia traditam, aliam clariorem investigare satagunt, qua magis nota fiat qualitatis natura, quam per definitionem ab Aristot. allatam, quæ certe magis vergit ad definitionem nominis, quam rei; & quidem mirum est, quam varia sint in hoc Auctorum placita, nam duo Auctores pene, vel tres eandem tradunt definitionem.

Arriag. disp. 5. Met. sect. 2. definit qualitatem, quod sit *accidens absolutum*; Probat, quia nullum est accidens absolutum, quod non sit qualitas, si quod enim esset, maxime quantitas, at quantitas a substantia per ipsum non distinguitur. Sed quia hoc ejus principium est falsissimum ex dictis quæst. præced. ideo ex hoc ipso satis refellitur ejus definitio.

Hurtad. disp. 14. Met. sect. 1. definit, quod sit *accidens absolutum a quantitate distinctum*, sicut Aristot. explicat materiam primam, quod non est quid, nec quale, nec quantum 7. Met. 8. per negationem aliorum. Sed sane, si aliam non habebat Hurtad. definitionem de qualitate proferendam, non est cur ita irriteret loco citato definitionem qualitatis ab Aristot. allatam, quia revera Aristot. definitio plus explicat, quam ista; illa enim saltem per effectum communissimum explicat, quod sit qualitas, sed ista significat, quid non sit; licet igitur hæc definitio competat omni, & soli qualitati, adhuc tamen nimis obscura, & confusa est, quia non explicat, quid sit illud, per quod qualitas a quantitate distinguitur, & cæteris prædicamentis, nec per eam formatur conceptus distinctus ipsius qualitatis; imo in hunc modum facile foret cæteris quoque prædicamentis definire, scilicet, quod quantitas est accidens absolutum a qualitate distinctum, &c. Et falsum est Aristot. 7. Met. materiam definitisse per simplicem negationem, talem enim modum definiendi velut imperfectissimum spernit 1. Top. cap. 4. quinimodo addit affirmationem, per quam explicatur potentialis materię, quæ est differentia illius constitutiva, ut ibi est videre.

105 Suarez disput. 42. Met. sect. 1. definit, quod sit *accidens absolutum ordinatum ad compleendam perfectionem substantię tam in agendo, quam in existendo*, quam definitionem ibi fuisse declarat, & acriter impugnat Complut. cit. Sed breviter refellitur, quia falsum est, qualitatem esse complementum substantię in existendo, & in agendo, nam complementum substantię in existendo est propria ejus substantia; quod si intelligat de complemento in aliquo esse accidentali, heque adhuc qualitas bene dicitur complementum substantię, quia etiam cætera accidentia hoc modo complement substantiam, in aliquo scilicet esse accidentali. Nec etiam bene dicitur complementum in agendo, quia substantia est immediate activa, etiam antecederet ad qualitates: tum etiam quia plurimæ sunt qualitates, quæ activæ non sunt.

Blanc. disp. 12. sect. 2. definit, quod sit *accidens absolutum ordinatum ad perficiendam substantiam*, quod videtur sumptisse ex Suarez cit. qui significat qualitatem esse a natura institutam, ut sit ornamentum substantię. Sed hæc definitio competit aliis accidentibus, quæ suo modo propria subjecta perficiunt, nec convenit omni qualitati, quia nec calor est perfectio aquæ in esse naturali, nec vitium voluntatis in esse morali. Nec respondere juvat, ita intelligi debere, ut omnis qualitas sit perfectio respectu subjecti, cui est connaturalis, non aliorum, unde calor, licet non perficiat aquam, perficit tamen ignem. Nam contra est, quod calor, nedum respectu ignis habet rationem qualitatis, sed etiam respectu aquæ, quam tamen non perficit, nec explicari potest, quomodo habitus virtuosus sint ornamentum, & perfectio voluntatis.

106 Avera q. 20. sect. 1. post longum discursum factum per plures gradus essentielles, quibus qualitas ab aliis prædicamentis distinguitur, tandem colligit ejus definitionem hoc modo, *est forma accidentalis conveniens subjecto secundum certam aliquam denominationem, & indivisibiliter*. Sed facile rejicitur; tum quia alia quoque accidentia certam quandam denominationem subjecto præbent: tum quia esto non pertineat ad qualitatem reddere subjectum suum divisibile, ut præstat ad quantitatem, non adhuc recte dicitur convenire illi indivisibiliter, hoc enim dici potest dumtaxat de accidentibus spiritualibus.

Complut. cum cæteris Thomistis definiunt cum D. Tho. 1. part. quæst. 28. art. 2. quod *qualitas est dispositio substantię, seu accidens dispositivum substantię, & cum eodem p. 2. qu. 49. art. 2. quod est accidens modificativum, sive determinativum substantię*, quas definitiones ajunt coincidere. Sed certæ istæ definitiones non explicant, quæ sit ista

ratio dispositionis propria qualitati ad differentiam aliorum accidentium, neque quam determinationem afferat peculiarem substantię, quam illi suo modo non afferant cætera quoque accidentia. Multis explicare conatur Complut. cit. quænam sit illa dispositio, quæ est peculiaris effectus qualitatis. Sed quando etiam totam doctrinam, quam ibi de hoc fuisse tradit, admitteremus, adhuc præfatas definitiones non reciperemus, quia ex vi illarum definitionum non datur intelligi, quid sit talis dispositio, quod fieri deberet, ut essent exactæ definitiones; imo definitio ipsa Aristot. longe melius rem explicat, ait enim ita determinare substantiam, ut per eam dicatur qualis; unde quod amplius dicit, quam D. Thom.

107 Alii demum definiunt, quod sit *accidens absolutum consequens formam*, sicut e contra quantitas dici solet accidens consequens materiam. Sed communiter rejicitur, tum quia inveniuntur qualitates etiam in substantiis spiritualibus, in quibus nulla est forma partis; tum quia ideo quantitas dicitur sequi compositum ratione materię, qualitas vero ratione formæ secundum quandam accommodationem, quatenus quantitas est solum ratio patiendi, qualitas vero frequentius est ratio agendi, in quo quantitas imitatur naturam materię, quæ est radix omnis passionis, & qualitas naturam formæ, quæ est radix omnis actionis, ut explicat Scot. 4. d. 12. q. 2. sub C. sed certum est non omnes qualitates esse activas, ergo in hoc sensu nequit omnis qualitas dici accidens consequens formam.

Quod igitur in tanta varietate resolvemus? breviter dicimus, quod sicut quæst. præc. dicebamus, bene per radicem impenetrabilitatis insinuari rationem formalem quantitatis, eo quia universaliter loquendo solemus per propriam passionem præferri primam, & proximam rerum differentias circumscribere, quæ nos ut plurimum latent; sic in proposito aptior via ad qualitatis essentiam indagandam erit, primam, & proximam ejus advenire affectionem, & inde arguere, principium ejus existivum esse scientiam ipsam qualitatis; talis autem proprietas est fuscipere magis, & minus, seu intendi, & remitti, hæc enim affectio soli convenit qualitati, ut postea dicemus; convenit omni, quia nulla est, quæ sit incapax intensiois, & remissionis, & convenit semper; sicut igitur quantitas definiebatur in ordine ad partes extensionis, & omnes ferre in hoc conveniebant, licet diversimode illas partes extensivas explicarent, sic in proposito qualitas erit definienda per ordinem ad partes intensiois, quæ solent dici gradus, & sicut effectus formalis quantitatis erat afferre subjecto pluralitatem partium extensivarum, sic in proposito effectus formalis qualitatis erit afferre subjecto pluralitatem partium intensivarum. Et certe mirum est, cur omnes acquiescant definitioni quantitatis datæ per pluralitatem partium extensionis, nec postea videant eadem facilitate posse, ac debere explicari essentiam qualitatis per pluralitatem partium intensiois. Maneat igitur, qualitatem esse *accidens absolutum, ratione cujus subjectum qualificatum potest intendi, & remitti*, sic enim bene distinguitur qualitas a quocunque alio accidente; & ejus formalis effectus distinctus designatur, quam absolute dicendo, quod sit forma, a qua denominatur quales.

Sed hanc nostram qualitatis descriptionem impugnant postea Poncius, & Ovviedus, ille quidem disp. 16. Log. quæst. 1. num. 8. impugnat primo, quia quamvis qualitas non esset intensibilis, aut remissibilis, adhuc haberet rationem qualitatis. Deinde, quia non quælibet qualitas est intensibilis, nam certe una intellectio numero non potest intendi, aut remitti. Tandem quia esse intensibile, & remissibile non magis convenit qualitati, tanquam proprietati, quam habere contrarium, ergo tam bene posset describi esse accidens absolutum habens contrarium, quam accidens absolutum intensibile, ac remissibile. Hinc postea suam profert definitionem, quod qualitas optime explicatur, *esse accidens absolutum penetrabile*, quia hæc descriptio omni, & soli qualitati convenit, & evadit difficultates aliorum modorum dicendi; dicitur *accidens*, ut distingatur a substantia; dicitur *absolutum*, ut distingatur a relationibus; dicitur *penetrabile*, seu compatibile ex se cum aliis rebus in eodem loco, ut distingatur a quantitate. Ovvied. autem controv. 8. Met. punct. 1. eandem nostram definitionem impugnat ex potentis vitalibus, quæ sunt qualitates, & tamen non sunt intensiois capaces, quod & quamplures Theologi de charactere affirmant, & tandem nullus Philosophus, vel Theologus negat possibilem esse qualitatem non intensibilem. Deinde fundamentum evertit nostræ descriptionis, cum probatur ex paritate extensionis in quantitate; negat enim eodem modo competere extensionem quantitati, quo competit intensio qualitati, si essentia quantitatis in exigentia extensionis constituitur. Denique & ipse suam definitionem assignat, *qualitatem esse accidens, quod secundum rationem superiorem prædicamenti tantum sequitur actualitatem perfectam*, & per actualitatem perfectam intelligit id, quo ultimo constituitur totum substantiale, quod in toto compositum est forma, & in toto simplici, ut Angelo, est eademque totius substantialis impartibilis entitas; hoc autem probat, quia nulla qualitas sequitur materiam, cum sit potius indifferens ad omnes,

omnes, sed semper insequuntur formam, quæ est perfecta actualitas; neque allata descriptio potest alteri accidenti a qualitate diverso competere, nam relatio, præsentia, actio, passio, æque materiam, & formam, substantiam, & accidens sequuntur; quod si præsentia formæ, aliudve modale illius accidentis tantum potest sequi formam, quæ est perfecta actualitas, hoc non illi competeret ex prædicato generico, seu superiori prædicamenti, sed ex prædicato specifico scilicet, quia est talis præsentia, talis duratio, vel relatio, qualitas autem eo præcise, quod sit qualitas, quancunque alia speciali differentia seclusa, semper sequitur perfectam actualitatem.

Istæ tamen definitiones non placent, non quidem illa Poncii, quod qualitas sit accidens absolutum penetrabile, quia nulla differentia tangitur in ea, quæ sit propria, & adæquata qualitati, nam ratio absoluti competit quantitati, & ratio penetrabilitatis competit substantię, unde illa definitio defendi non potest, nisi afferendo species constitui posse per combinationem, & unionem plurium differentiarum inadæquatarum, quod supra refutatum est disp. 6. qu. 4. n. 46. Tum quia tota illa definitio competit ex integro puncto de genere quantitatis, nam illud est accidens absolutum, ut omnes fatentur indivisibilia admittentes, & est penetrabile cum aliis rebus in eodem loco, quia est ex omni parte indivisibile. Tum qui gradum albedinis, vel caloris posse cum alio gradu penetrari in eadem parte subjecti, est albedinem, vel calorem intendi posse in communitentia explicante formarum intentionem per gradum pluralitatem; ergo qualitatem esse accidens absolutum penetrabile in hoc sensu est esse accidens insensibile, unde sic intellecta illa descriptio coincideret cum nostra, quam Poncius insinuat. Tum quia illa definitio dependet ex eo, quod est in controversia, quod quantitas realiter distingatur a substantia, & qualitate, quo semel negato corrui. Neque rationes, quibus nostram impugnat, sunt ullius momenti: nam ad 1. dicitur, quod supposito intendi, & remitti esse passionem primam, & adæquatam qualitatis, licet ex destructione talis passionis sequatur intrinsece, & a priori destrui rationem qualitatis, destrui tamen a posteriori, eo modo quo dicitur subjectum destrui ex destructione passionis cum eo realiter identificata. Ad 2. negatur assumptum, ut infra patebit art. 4. n. 126. cujus probatio si efficax foret, probaret pariter nullum accidens idem numero posse intendi, & remitti, quia addendo, vel detrahendo gradus, variatur aliquo pacto identitas numeralis ejus in ratione totius integralis, potest ergo eadem numero intellectio intendi, & remitti in eo sensu, quo id explicari solet in aliis accidentibus, ut dicemus in lib. de Gener. & Corr. ad 3. negatur rursus assumptum, ut enim patebit ex infra dicendis art. 4. magis propria, & adæquata passio qualitatis est fuscipere magis, & minus, quam habere contrarium, & ideo aptius per eam potest essentia qualitatis indigitari, & circumscribi.

At neque definitio qualitatis, quam cogitavit Ovvied. est satis idonea, nec enim omni qualitati convenit, nec soli: non quidem omni, quia non comprehendit nisi qualitates subjectis connaturaliter debitas, non vero, quæ violenter, vel neutraliter eis conveniunt, calor enim reperitur in aqua, & albedo in pariete, nec tamen sequuntur actualitatem perfectam illorum; multæ etiam qualitates conveniunt entibus incompletis, ut animæ separata, & corpori pro altera parte compositi, quæ tamen non sunt in ultima actualitate; nec etiam convenit soli qualitati illa descriptio, non enim minus actio dicitur formam insequi, quam qualitas, & hoc quidem ex ratione generica actionis, non autem speciali, nam forma dicitur esse radix omnis actionis, quæ talis est, & actio proprie dicta nequam materia convenire potest, cum ejus proprium sit pati, sed a toto genere attribuitur formæ. Deinde impugnat, quam inducit contra nostram definitionem, ex potentis vitalibus animæ, nulla est, quia falsum est, potentias animæ esse qualitates ejus substantię superadditas, cum potius sint facultates eidem consubstantiales, ac realiter identificatae; de caractere quid sit dicendum apparebit mox art. 3. num. 119. Denique gratis negat essentiam qualitatis bene explicari per exigentiam intensiois, quemadmodum essentia quantitatis per exigentiam extensionis solet explicari, si semel concedatur intensioem, & remissionem qualitatis convenire, ut propriam, & adæquatam ejus passionem, quia universaliter loquendo bene solemus per propriam passionem præferri primam, & proximam rerum differentias circumscribere.

ARTICULUS II.

Explicatur quatuor combinationes, in quas dividitur qualitas.

108 Divisit Aristotel. in hoc prædicament. qualitatem habitum, & dispositionem; secundo in naturalem potentiam, & impotentiam; tertio in passionem, & passibilem qualitatem; quarto in formam, & figuram, quas perfunctorie explicamus 1. p. Inst. & quidem mirum est, quan-

ta sit Auctorum varietas in his classibus assignandis, & declarandis, cum tamen res non sit magni momenti, quia Arist. ipse, postquam ipsas enumeravit, fatetur in textu non esse enumerationem proflus exactam. Nos igitur majori, qua poterit fieri brevitate, rem explicabimus, prout magis consonum videbitur veritati, & Aristot. intentioni, non curantes diuclinc referre Auctorum placita.

Prima qualitatum classis est *Habitus*, & *Dispositio*, & per habitum intelligitur universaliter omnis qualitas subjectum disponens ad operandum vel patiendum, ab extrinseco ei proveniens, quæ tamen ab eo sit mobilis difficulter, quomodocunque id eveniat, & per dispositionem omnis similiter qualitas ab extrinseco proveniens, & subjectum ad operandum, vel patiendum disponens, quæ tamen ab eo sit faciliter mobilis, undecunque hoc sit; & ideo membra hujus combinationis non distinguuntur essentialiter, sed tantum accidentaliter, & qualitas communis utriusque membro, & primæ hujus classis constitutiva est qualitas proveniens subjecto ab extrinseco, & illud ordinans, ac preparans ad agendum, vel patiendum, & non tantum ad sic agendum, vel patiendum, sed etiam ad simpliciter agendum, vel patiendum. Colligitur ex Scot. q. 36. præced. §. ad 2. q. & in 2. d. 3. q. 10. §. *Ad questionem*, & est Tatar. Jo. Mag. And. Mayr. Orbel. & aliorum Scrit. in hoc prædic. Probantur, & explicantur singula; in primis enim non solum qualitates, quæ ordinantur ad agendum, sed etiam, quæ ad patiendum, in hac classe referentur ab Aristot. hic enim ponit ægritudinem, quæ plane non disponit subjectum ad agendum, sed potius ad patiendum, ergo male sentiunt, qui solum qualitatem ad operandum disponentem dicunt hanc primam classem constituere. Secundo in hac classe reponit tantum qualitates adventitias, & ab extrinseco provenientes, ut bene Simpl. & Albert. notarunt, non autem innatas, & ex naturali constitutione subjecto debitas, quia istæ ad 2. classem pertinent, & id manifeste constat ex exemplis ab ipso Aristot. adductis de scientia, & virtute, caliditate, & frigiditate in homine, sanitate, & ægritudine, ergo falluntur, qui qualitates innatas ad agendum, vel patiendum disponentes in hac classe reponunt. Tertio hic reponuntur non solum qualitates illæ, quæ ab extrinseco provenientes subjecto conferunt sic agere, idest faciliter magis, vel minus, ut sunt omnes habitus, saltem naturaliter acquisiti, sed etiam, quæ dant simpliciter agere, ut est calor in aqua, quæ dat ei posse simpliciter calefacere, & species in intellectu, cui licet activitatem non conferat in ordine suo, secum tamen simpliciter concurrat ad intellectum efficiendam, & habitus supernaturales, juxta communiorum non solum potentiam juvant ad operandum, sed illi conferunt posse simpliciter operari supernaturaliter, ergo male sentiunt, qui dicunt hanc primam speciem esse illarum qualitatum, quæ supponentes potentiam, illi velut coadjuvantes superadduntur ad operandum, nam neque calor in aqua supponit potentiam ad calefaciendum, nec habitus supernaturales in anima potentiam ad supernaturaliter operandum nisi forte obedientialem. Quarto tandem, quia Aristot. habitum hic appellat qualitatem subjecto firmiter adhaerentem: id enim datur intelligi ex vi ipsius nominis, quod dicit perfectam possessionem, & radicacionem, sive hæc radicatio proveniat ex actuum frequentatione, ut est de habitibus acquisitis, sive diuturnitate temporis, ut est de febris, quæ longiori tempore fit ethica, sive ex peculiari ratione subjecti, quod est alicujus qualitatis tenax, ut est de specie intelligibili in intellectu, ratione cujus permanentiæ concedit Doctor in 2. l. c. posse habitum appellari, ut hic de habitu loquitur Aristot. Et per dispositionem e contra intelligit qualitatem ab ea facile mobilem, undecunque hoc proveniat, sive ex defectu frequentationis actuum, sive ex brevitate temporis, ut febris cito transiens, sive quia subjectum non sit illius tenax, ut est de speciebus sensibilibus sensuum præsertim externorum, sive ex alio capite; hinc manifeste deducitur, membra hujus combinationis tantum accidentaliter distingui, nam in hoc sensu eadem specie qualitas in uno subjecto dicitur habitus, in alio dispositio, immo in eodem modo habitus, modo dispositio, unde ait Aristot. qualitatem illam, quæ erat dispositio, si in subjecto valde invalescat, dici habitum; & scientiam in tyronibus dispositionem vocat, quæ in eisdem proventus fit habitus.

109 Ex hoc facile refellitur communis loquendi modus Thomist. ex D. Thom. p. 2. qu. 49. art. 3. designantium hanc primam speciem qualitatis per disponere bene, vel male subjectum, ut est videre apud Complut. disp. 15. q. 3. Nam vel intelligunt de dispositione bona, vel mala moraliter, & hoc non, tum quia tunc ad hanc speciem spectarent solum habitus morales, non autem intellectuales; tum quia etiam in genere moris dari potest habitus indifferens nec bene, nec male subjectum disponens ex Scoto 4. d. 6. q. 10. O. Vel per bene, & male subjectum disponere intelligunt idem, quod convenienter, vel disconvenienter ad naturam subjecti illud afficere, nam scientia, & virtus convenienter disponunt intellectum, & voluntatem, error, & vitium disconvenienter, calor convenienter disponit ignem, disconvenienter aquam. Et neque id bene dicitur, quia hoc non tantum huic specie convenit, sed etiam cæteris.

cæteris, unde datur potentia naturalis bene, vel male disponens subiectum, nam salubritas bene disponit, infalubritas male, sic etiam in tertia specie quædam qualitates bene sensum efficiunt, quædam male, immo hoc convenit omni formæ informanti subiectum iuxta inclinationem suæ naturæ, vel contra illam, ita quod nequit assignari ratio, cur hoc munus bene, vel male efficiendi subiectum magis qualitatibus primæ speciei conveniat quam cæteris. Hinc etiam refellitur communis loquendi modus eorundem ex D. Thom. cit. art. 2. ad 3. essentialiter, & specificè distinguuntur habitum, & dispositionem, quia habitum accipiunt pro qualitate ex natura sua difficulter mobili a subiecto, sicut est scientia, quæ quia speciem sumit ab objecto necessario, & a causa necessaria producitur, scilicet, demonstratione, ideo firmiter hæret in intellectu etiam unico actu acquisita ob necessitatem, & evidentiam causæ; dispositionem vero accipiunt pro qualitate ex sua natura leviter hærente in subiecto, sicut est opinio, quæ quia speciem sumit ab objecto contingenti, & habet pro causa argumentum probabile solum, ideo facile potest ab intellectu divelli. Quamvis enim fumendo in hoc sensu habitum, & dispositionem, essentialiter, & specificè inter se distinguantur, ut patet, tamen fumendo habitum, & dispositionem pro qualitate quacunque ratione mobiliter, vel immobiliter inhærente subiecto, sive id sit ex natura sua, sive subiecti, sive ex parte temporis, aut frequentatione actuum, ut sumit Ar. plane in hoc sensu accidentaliter tantum distinguuntur, ut constat ex dictis: sed de varia acceptione habitus, & dispositionis videatur Scot. & Tat. cit.

110 Secunda qualitarum classis est naturalis potentia, & impotentia, ubi ut notat Doctor quæst. 36. cit. §. *Ad tertiam questionem*, & Scotistæ supracit. potentia, & impotentia sumuntur fundamentaliter pro qualitatibus absolutis natis fundare relationes potentia, & impotentia, & pro facultatibus subiecto innatis, eique ex sua naturali constitutione debitis, per quod excluduntur species Angelicæ: esto enim sint Angelis congenitæ ab initio creationis eorum, adhuc tamen pertinent ad primam qualitatis speciem, quia non erant eis debita ex naturali eorum constitutione, ut hic notat Orbel. Et per facultates innatas huius speciei, non solum intelliguntur qualitates illæ, quæ subiecto naturaliter debita, & congenitæ conferunt illi sic agere, faciliter, scilicet, vel difficulter, verum etiam, quæ dant simpliciter agere, ut calor in igne, frigus in aqua, gravitas in gravi, levitas in levi, calor enim est potentia calefactiva ignis, frigus aquæ, &c. cum hoc tamen discrimine, ut notavimus 1. part. Inst. cum Doctore 2. d. 16. q. un. P. & Scotistis omnibus in hoc prædicam. quod non omnes facultates innatæ, & a natura datæ ad simpliciter agendum hic reponuntur, quia nec potentia animæ, nec passiones propriæ ad hoc spectant prædic. sed tantum virtutes activæ, quæ a suis subiectis sunt realiter distinctæ, habilitates vero, vel inhabilitates naturales ad utendum huiusmodi facultatibus a natura datis, sive realiter a subiectis distinctis, sive identificatis, spectant in universum ad hanc speciem; & sic explicandi sunt Scotus, & Scotistæ, cum inquirunt in hac secunda specie collocari tantum facultates, & difficultates naturales ad utendum facultatibus innatis, non autem ipsas nativas facultates; per hoc enim volunt tantum significare solas prædictas habilitates, & inhabilitates utendi facultatibus innatis universaliter in hac specie reponi, non autem volunt excludere omnes profus facultates innatas a natura datas ad simpliciter agendum, sed illas tantum, quæ cum subiectis realiter identificantur, & in hoc sensu nos quoque locuti sumus 1. part. Inst. tract. 1. cap. 6. secuti communem loquendi modum Scotistarum. Ex quo constat falli eos, qui dicunt hanc secundam speciem esse tantum earum qualitarum, quæ per se primo datæ sunt ad simpliciter operandum, ut Suarez disp. 42. sect. 4.

111 Per naturalem igitur potentiam intelligitur qualitas innata, qua simpliciter, vel facile subiectum ea præditum agit, vel resistit contrario; per naturalem vero impotentiam atque non intelligitur defectus, & privatio potentia, sic enim qualitas non foret, ut docet Doctor 1. c. in prædicam. in sol. ad 2. quæst. 3. sed ut ait Doctor ibidem, significat modum qualitatis, secundum quod illa est principium difficulter agendi, vel faciliter patendi, unde non tantum sumi debet pro facultate debili, & imbecilli agendi, & resistendi, ut passim Expositores accipiunt, sed etiam pro qualitate positive retardante, & impediendo subiectum ab actione, vel resistendo, neque hoc est alienum ab Arist. ut sunt quamplures, præsertim Suarez disp. 42. Met. sect. 3. infalubritas enim, cuius affert exemplum, non confert ullo modo subiecto potentiam resistendi contrariis, immo potius formaliter oppositum præstat, reddit enim subiectum facile ad patendum a contrario: pariter mollities non est potentia resistendi divisioni, nec perfecta, nec imperfecta, sed potius est qualitas reddens subiectum facile positive, ut divisionem patiat. Hoc autem interest inter hos duos modos accipiendi naturalem impotentiam, quod si accipiatur primo modo, non distinguitur a naturali potentia specificè, & essentialiter, quia in hoc sensu significat virtutem debilem, & imbecillam ad agendum, vel resistendum, ubi naturalis potentia significat virtutem validam, & fortem,

unde sic non differunt, nisi sicut perfecta, & imperfecta potentia intra eandem speciem; at si in secundo modo sumatur, nempe pro facultate patendi aliquid facile; vel retardante subiectum ab actione, ut in quibusdam est naturalis quædam desidia, & inertia, vel totaliter impediendo ab aliqua actione, quo modo noxius humor in oculo dicitur naturalis impotentia ad videndum, sic naturalis impotentia essentialiter, & specificè a naturali potentia differt, & impotentiam in hoc sensu contra Suarez etiam admittit Amicus tr. 16. d. 3. q. 3. dub. 3.

112 Tertia qualitarum classis est passio, & passibilis qualitas, in cuius designatione major est difficultas, quam in duabus præcedentibus, sed relictis aliorum placitis, Doctor q. 36. prædicam. cit. ad 4. qu. inquit, quod ista tertia species constituitur per comparisonem qualitatis ad subiectum natum alterari secundum eam, vel ad sensum, cui infert passionem, si primo modo designetur hæc species, tunc ad eam spectantur dispositiones materiam preparantes pro receptione formæ substantialis, at si constituatur secundo modo, quod magis videtur ad intentionem Arist. accedere, tunc dispositiones materiam preparantes ad primam speciem redigi debent, quia diximus ipsam constitui per qualitatem, non tantum disponentem subiectum ad agendum, ut communiter putatur, sed etiam ad patendum, & recipiendum: designanda igitur erit hæc tertia species ad mentem Arist. per ordinem ad sensum, quatenus omnis qualitas huius speciei vel passionem efficit in sensu intentionalem, nam color visum, sapor gustum, sonus auditum, calor, & frigus tactum, odor olfactum movent, & efficiunt, unde non ponuntur qualitates activæ hic, nisi in ordine ad actionem intentionalem, vel quia efficitur ex aliqua passione, seu intentionali immutatione ipsius sensus, ut rubedo ex verecundia, ex timore pallor, vel quia tandem per se est passio efficiens animam, ut sunt omnes affectus, qui appellantur passiones appetitus sensitivi, ira, amor, odium, &c. hæc enim passiones ad hanc speciem pertinent, ut significat Arist. in textu, & notat Doctor quol. 13. Cc. ubi etiam subdit, non tantum passiones appetitus sensitivi, sed etiam intellectivi ad hanc speciem posse, ac debere reduci, & quod Arist. hic mentionem fecit expresse de passionibus corporalibus, & hanc speciem designavit in ordine ad sensum, quia istæ sunt qualitates huius speciei manifestiores. Hinc collige Poncius hic disp. 16. qu. 2. n. 20. & 29. nec ad mentem Scoti, nec Arist. bene distinguere qualitates huius tertiæ speciei a qualitatibus primæ, & secundæ, quod illæ sunt sensibiles sensu externo, hæc autem non. Nam in hac tertia specie Arist. ponit anorem, & odium, quæ non sunt qualitates sensibiles sensu externo, & in primæ, & secundæ ponit calorem, & frigus (licet sub diversa ratione) quæ sunt qualitates sensibiles sensu externo.

113 Ex quo autem capite, & quo pacto inter se differant membra huius combinationis, ait Doctor 2. d. 13. q. un. §. *De secundo* per passibilem qualitatem intelligi ipsam qualitatem sensibilem, per passionem vero intelligi speciem, seu intentionem ipsius qualitatis sensibiles, quæ expositio, esto vera sit, non tamen omnino ad mentem Arist. ipse namque per passibilem qualitatem intelligit illam, quæ firmiter, & diu subiecto inhæret, seu quæ in subiecto se habet per modum permanentis, ut rubor proveniens ex naturali complexione, per passionem vero illam, quæ de facili transit, ut rubor idem ex verecundia procedens, ex quo constat membra combinationis huius nonnisi accidentaliter differre; tum quia Arist. ipse significat passionem in passibilem qualitatem posse transire, si ex aliquo accidenti, aut alio modo in subiecto perseveranter maneat; tum quia ubi est idem formalis effectus in specie, non possunt diversæ causæ in specie assignari, quod maxime verum est de qualitatibus, nam quæ eundem effectum formalem naturæ causare, eandem specie qualitates sunt, sed taliter se habent passio, ac passibilis qualitas, rubedo enim, & pallor, sive diu permaneant, sive cito transeant, æqualiter habent ruborem quid, vel pallidum efficere, ac denominare pro tempore, quo subiecto inhærent, nimirum vel in esse quieto, & permanenti, vel in fieri, & transeunte, qua de causa ait Arist. verecundum potius dici debere erubuisse, quam ruborem effectum esse. Neque huic obstat, quod dentur aliquæ qualitates ex natura sua perseverantes in subiectis, & aliæ suapte natura transeuntes, ut lumen, & sonus in aere, & ex hoc capite abinvicem differre essentialiter. Sicut enim in prima specie Arist. non sumit habitum, & dispositionem pro qualitatibus ex natura sua mobilibus, vel immobilibus a subiecto, sed promiscue pro qualitate quomodocumque mobili, vel immobili in subiecto, ita & in hac tertia specie per passionem, & passibilem qualitatem intelligit sensibiles qualitates quacunque ratione mobiles, vel immobiles a subiecto, ut constat ex exemplis ab ipso Arist. allatis.

114 Quarta classis est forma, & figura, ubi per formam non intelligit quid ab ipsa figura distinctum, vel si quid distinctum intelligit, hoc nequit esse, nisi accidentaliter distinctum, per aliquod nempe accidens figuræ superadditum, quod figuram ipsam reddat pulchram, vel deformem, unde Boet. inquit figuram dici, quæ afficit quantitatem, & formam dici pulchritudinem, vel deformitatem; quem dicendi modum Suarez amplectitur explicans pulchritudinem per con-

concomitantiam colorum, vel erunt accidentaliter distincta ex diversitate subiectorum, ut figura dicatur in artificialibus, forma in naturalibus, vel figura tribuatur rebus inanimatis, forma animatis iuxta varios dicendi modos Expositorum de hac re. Hoc unum nobis sufficiat, quod omnes distinguentes formam a figura, nonnisi accidentaliter distinguuntur, uno excepto Averfa, qui qu. 20. sect. 4. tot qualitates ad hanc speciem reducit sub membro formæ, ut necessario agnoscere debeat inter eas distinctionem essentialem, ad formam siquidem reducit omnes qualitates non operativas, & non sensibiles, & nominatim actus omnes vitales sensuum externorum, quod sane omnino novitatem sapit absque ullo profus fundamento, cum actus omnes vitales tam externi, quam interni ad primam, vel tertiam speciem commodius reduci possint, ut dicemus art. seq.

Constituuntur autem hæc quarta species qualitatis ex ordine, quem dicunt adinvicem, & etiam in ordine ad locum partes ejusdem corporis, figura enim dicitur modus quantitatem efficiens, quatenus certo modo terminatam, unde alia est figura circularis, alia angularis, quia partes huius invicem comparatæ alio modo se habent quantitatively, quam partes illius; hinc dicebamus 1. part. Inst. cum Orbel. posse in re figurata tria considerari, ipsam scilicet rem figuratam, ut lignum, 2. quantitatem ejus sic vel sic, terminatam linealiter, vel superficialiter, 3. tandem ipsammet terminationem, vel dispositionem quantitatis, ut est rectitudo, curvitas, triangulatio, & hæc est, quæ dici solet forma; & figura hanc quartam speciem constituit. Hinc recte ibidem deducemus cum Doctore 4. d. 1. q. 1. S. & d. 12. q. 4. I. qualitates huius quartæ speciei non esse proprie qualitates; quod etiam hic adnotant Tatar. Mayr. & alii Scotistæ cit. quia potius quid relatum dicunt, figura enim ultra quantitatem (ait Doctor cit.) non dicit, nisi relationem terminorum includentium partes ad se invicem, dicuntur tamen qualitates, quia habent modum denominandi, vel prædicandi qualitates quatenus modo quodam absoluto prædicantur non insinuante ordinem ad aliud, eo enim ipso, quod aliquid dicitur simile, æquale, diversum, &c. illico insinuatur ordo ad aliud, at dum aliquid dicitur rectum, curvum, triangulatum, nullus certe exprimitur ordo ad aliud, quæ etiam de causa sanitas, & ægritudo, deformitas, & pulchritudo qualitates dicuntur, quia nempe modum prædicandi, & denominandi qualitates habent, cum tamen in se relationem, vel relationes importent, ut notat Doctor quol. 18. I.

115 Figura igitur proprie pertinet ad prædicamentum Situs, ut hic advertit Tat. hoc tamen intelligendum est de figura positive accepta, quia si privative sumatur, non dicit, nisi terminationem quandam intrinsecam magnitudinis, quæ nihil positivum addit ultra illam, sed privationem solum ulterioris extensionis, quo sensu de figura locutus videtur Auctor sex princip. dum ait, quod artifex facit figuram incisionis nil addendo; sed potius removendo, & in hoc sensu figura non distinguitur realiter a re figurata, nec ab ea separari potest, nec est in alio prædicam. ab ea, ita notavit Thom. 7. Met. qu. 3. ad 1. prin. Sed adhuc de figura positive accepta possumus distinguere, quod una est intrinseca, quæ fundatur in positione de genere quantitatis, & in ordine, quem servant invicem partes in toto; alia extrinseca, quæ fundatur in positione de genere situs, & in ordine, quem invicem servant partes in loco, quæ distinctio traditur a Tatar. 3. Phys. q. 1. dub. 3. & colligitur ex Scoto 4. d. 10. q. 1. §. *Dico ergo*, ubi vult corpus Christi in Sacramento, licet careat figura secundi generis, adhuc tamen illam priorem retinere, quatenus caput non est immediate unum cum pede, sed mediatis aliis partibus, qui ordo partium in toto videtur utique aliquam figuram constituere; cum ergo dicimus figuram proprie pertinere ad prædicam. Situs, sermo præsertim est de figura positiva extrinseca, hanc eandem distinctionem figuræ hic etiam Recentiores agnoscunt, mutatis tamen terminis, nam figuram extrinsecam vocant mathematicam, intrinsecam vero appellant physicam. Sed Dices, Aristot. postquam posuit figuratum sub hac specie, removet statim densum, rarum, asperum, & lene, utpote pertinentia ad genus situs, signum evidens figuram de mente Aristot. ad situm non spectare; tum quia domus in vacuo figuram retineret, ubi tamen nullus adesset locus, seu superficies ambiens. Resp. Mayr. passu 42. potius dixisse rarum, & densum ad prædicam. situs spectare, quam rectum, & curvum, quia illa magis exprimunt, & præferunt positiones de genere situs, quam ista, ut fere ipsa nomina ostendunt, unde figuræ magis significantur per modum qualitatis; Domus vero in vacuo, vel haberet solam figuram intrinsecam, vel etiam extrinsecam in ordine ad spatium imaginarium: videatur Tat. loc. cit. præsertim 2. Phys.

116 Quæst. an figura sit modus solius quantitatis, vel an etiam conveniat aliis rebus materialibus? Thomistæ negant in substantia, & aliis rebus materialibus pluralitatem partium, & omnem profus extensionem antecedentem ad quantitatem, consequenter dicunt figuram esse modum solius

quantitatis. Scotistæ vero, qui pluralitatem partium, ac etiam ordinem earum adinvicem agnoscunt in substantia materiali antecedenter ad quantitatem, aliquam quoque ei figuram concedere tenentur, saltem intrinsecam, ex eo enim in quantitate resultat figura, quia partes quantitatis sunt extensæ, ordinatæ, & propriis terminatæ, & eo namque definitur figura qualitas, vel ratio resultans ex terminatione partium quantitatis, ergo si etiam partes substantiæ materialis, & cuilibet alterius accidentis materialis habent quantitate seclusa ordinationem, extensionem, & terminationem propriam, plane ex illis aliqua resultabit figura, & sic nobiscum defendit Blanc. disp. 12. sect. 9. & tenet Amic. qu. 5. dub. 4. imo ulterius substantiæ materiali tribuit etiam citra quantitatem figuram extrinsecam, quia etiam nobiscum concedit esse capacem modi situs citra quantitatem; quare concludit figuram, quocunque modo sumatur, convenire cuicunque rei materiali, & non solum quantitatis. Verum quia communiter dicitur figura modus quantitatis, imò inter affectiones ejus connumeratur, ut vidimus qu. præced. dicendum est, quod licet figura intrinseca possit, & debeat cuicunque rei materiali convenire ob rationem allatam pro Scotistis, figura tamen extrinseca poni debet modus quantitatis proprius, & ratio est, quia licet substantia materialis possit esse loco divisibiliter seclusa quantitate, atque ideo fundare in suis partibus positionem de genere situs, adhuc tamen partes illæ possunt invicem naturaliter penetrari, at figuratio extrinseca, & situalis impetrationem partium necessario postulat, & in ea fundatur, facta enim tali impetratione confunduntur, & commiscuntur partes invicem quantum ad locum, atque ideo figura situalis, & extrinseca evanescit, sola intrinseca remanente, quia ex commixtione, & confusione partium in loco non destruitur ordo earum inter se; at ubi est quantitas, ibi necessario reperitur impetrationis partium, nec naturaliter potest oppositum evenire, atque ideo naturali necessitate ad ipsam quantitatem sequitur figura extrinseca, qua necessitate non sequitur ad alias res materiales; rationabiliter ergo dicemus figuram extrinsecam esse propriam quantitatis tali modo, ut eodem modo cæteris rebus materialibus convenire nequeat.

ARTICULUS III.

An præfata divisio sit sufficiens; & vere generis in species.

117 Quoad primam quæstionem licet dicere possemus non enumerasse hic Arist. admissum omnes qualitatis species, sed magis famosas, ut ait Doctor qu. 36. cit. prædicam. in resol. quæst. 6. quod manifeste insinuavit Arist. ipse, dum post explicationem quartæ speciei ait, & fortasse quidam alii apparent qualitatis modi, sed qui maxime dicuntur, sunt hi; tamen quia aliquatenus ampliandum species ab ipso assignatas commode omnes qualitates reducuntur ad illas, divisio præfata velut idonea, & sufficiens est amplectenda, hoc autem probabimus, non quidem inquirendo sufficientiam aliquam, qua ostendatur necessitas illius quaternarii numeri, ut faciunt quamplures, cum enim illa divisio non sit omnino exacta, & absoluta, nulla talis assignari potest, sed recensendo qualitates omnes, quæ aliquam difficultatem videntur ingerere, & ostendendo omnes posse aliquo modo reduci ad unam, vel alteram illarum specierum.

In primis afferri solet dubitatio de pulchritudine, ac deformitate, ægritudine, ac sanitate, quæ non videntur reduci posse ad aliquam illarum quatuor specierum; & si dicitur ad 4. reduci, ut innuit Doct. cit. quol. 18. I. opponitur statim, quod qualitates quartæ speciei non suscipiunt magis, & minus, bene tamen pulchrum, & deformem, ægrum, & sanum. Varias ad hoc solutiones affert Amic. tract. 16. quæst. 3. art. 2. breviter tamen dicendum est, illas non esse simplices entitates, sed aggregatae potius ex diversis, ut bene hic Burleus adnotavit, & tenet Fonsæ. Suar. & alii, pulchritudo enim est quid aggregatum ex colore, & debita membrorum proportione, ægritudo, & sanitas ex debita, vel indebita umorum temperie, eo tamen sensu, quo dicuntur qualitates, reduci debent ad 4. speciem, ut docet Doctor loc. cit. & qu. illa 36. prope finem, ubi etiam subdit, non negasse Arist. ab omnibus qualitatibus quartæ speciei suscipere magis, & minus, sed a quibusdam tantum mere Mathematicis; possunt etiam pertinere ad primam speciem, vel secundam sanitas, & ægritudo, quatenus valide, vel debilitate disponunt ad opera exercenda, nam in hoc sensu Arist. ea recensuit in prima specie, & etiam in secunda, iuxta quod salubritas, & infalubritas sunt innatæ, vel acquinatæ.

118. Secundo dubitatur de actibus intellectus, & voluntatis, cum enim huiusmodi actus non sint operativi, vel causativi, sed potius termini actionum potentialium illarum, ut fufe probat Doctor quol. 13. hæc ratione non videntur posse reduci ad primam, vel secundam speciem, in quibus collocari solent qualitates aliquam activitatem habentes; ad tertiam licet reduci possint actus sensitivi, non tamen intellectivi, qui mere spirituales sunt, genus autem

autem tertie speciei est qualitas sensibilis, ad quartam tandem constat non posse reduci. Varias quoque solutiones refert ad hoc Amic. cit. sed breviter cum Scot. quol. 13. CC. dicendum posse commode reduci ad primam vel tertiam speciem, possunt ad primam reduci sub dispositione, licet enim per ipsos nihil causari possit, ut per actionem productivam, quia ipsi non sunt actiones productivæ, sed termini potius talium actionum, possunt tamen velut principium *Quo*, & ratio producendi aliquid causare, nempe habitum, hoc enim sensu dicimus habitum fieri ex frequentatis actibus, ut ex rationibus producendi, ut notat Doctor 1. d. 3. quæst. 9. in fine, possunt etiam commodius adhuc reduci ad tertiam speciem sub passione, ut diximus 1. part. Infr. si præcise considerentur, ut termini operati per actiones intellectivas, & tunc negandum est qualiter sensibile esse adequatum genus illius tertie speciei; Arist. vero de illis tantum mentionem fecisse velut manifestioribus, quomodo autem intelligendus sit Arist. dum 10. Etichor. cap. 3. negat operationes virtutis esse qualitates, explicat bene Doctor loc. cit.

119. Demum est difficultas de qualitatibus supernaturalibus, ut sunt fides, spes, charitas, lumen gloriæ, character, qui per quædam sacramenta imprimuntur, &c. nam non videtur ad quam istarum specierum reduci debeant, imo nec videntur posse sub hoc prædicamento reponi, si enim ex Arist. 10. Met. tex. ult. corruptibile, & incorruptibile differunt genera, tanto magis naturale, & supernaturale. Resp. Doct. 4. dist. 6. quæst. 10. M. etiam qualitates supernaturales omnino debere in hoc prædicamento reponi, quia illis vere convenit ratio generica qualitatibus, neque supernaturalitas potest eas extrahere ab hoc prædicamento. quia naturalitas, & supernaturalitas non sunt conditiones, nisi per comparationem ad agens, talis autem comparatio non variat aliquid quantum ad esse in genere, quia res ponitur in genere secundum suam propriam quidditatem formalem circumscripta relatione ad agens, dictum vero Philosophi explicat de genere physico, ut diximus quæst. 1. hujus disp. artic. 1. Et quidem qualitates supernaturales maxima pars pertinent ad primam speciem, & præsertim enumerata continentur sub habitu, unde fides, spes, charitas, vocantur habitus theologici, ac etiam ipsum lumen gloriæ habitus dici solet; Solum est aliqua difficultas de Characteribus; Aversa loc. cit. reducit ad 4. speciem, quatenus est figura quædam spiritualis animam contingens, & Christo configurans, sed hoc reicit Doct. ibid. quia nihil collocatur in genere per proprietates metaphoricæ, sicut est ista characteris in anima, alioquin Christus esset vere in genere substantiæ inanimatæ, quia dicitur petra, & sic etiam posset species intelligibilis in hac specie reponi, quia configurat animam ipsi objecto cognito: ait ergo Doct. quod si character ponatur forma absoluta (de hoc enim est ibi problematicus), potest in secunda specie reponi, quatenus est potentia quædam supernaturalis; vel melius in prima sub habitu, quia est de difficulti mobilis, & est aliquo modo dispositio ad bene agendum, saltem remota, & imperfecta, ut declarat sub litt. P. est etiam aliquo modo prævia dispositio in anima ad gratiam in ratione receptivi, quatenus est forma prior, sine qua non reciperetur forma posterior ex pacto divinivo, ob hæc igitur munera optime reduci potest ad primam speciem.

120. Circa alteram quæstionis partem, est fere communis opinio præfatam divisionem esse vere generis in species, ita passim Thomistæ. Scotus autem qu. illa 36. prædicam. quamvis §. *Ad omnes istas* modum doceat defendendi hanc communem opinio, absolute tamen in præcedentibus docet, sicut & in 4. loc. cit. N. non esse revera divisionem generis in species per differentias, sed potius per quosdam modos diversos, qui eidem prorsus qualitati competere possunt, atque ideo sentit esse potius divisionem subiecti in accidentia, & hæc est communis opinio Scoti. in hoc prædicam. Tatar. Jo. de Mag. Orbel. Roc. And. Mair. pass. 42. Fabri 5. Met. disp. 16. Zerb. ib. qu. 15. & aliorum in 4. d. 6. q. 10. probatur autem tum Aristot. auctoritate, qui tradita qualitatibus divisione in has 4. combinationes, inquit, illos esse diversos modos qualitatibus; tum ratione, quia nequit res unius speciei essentialiter transire ad aliam speciem, nec simul sub pluribus speciebus essentialiter contineri, at eadem qualitas ad plures qualitates classes attinet, quia calor in aqua pertinet ad primam speciem, in igne ad secundam, ut virtus naturalis ejus, in quantum causat passionem in sensu actus, pertinet ad tertiam, ergo illi sunt diversi modi accidentalis qualitatibus, non autem differentie essentialis, & Faber ait, hanc fuisse opinionem antiquorum interpretum Arist. & præsertim Alberti.

Resp. Thomistæ concedendo eidem qualitati convenire posse omnes rationes formales specierum illarum, negant tamen inde sequi, quod species essentialiter diversas non constituent, quia bene potest eadem res materialiter pertinere ad diversas species sub diversis rationibus formalibus, quas habet, imo ad diversa prædicamenta, ut constat de actione, & passione, quæ cum sit eadem entitas realis motus, efficiunt tamen diversa prædicamenta propter

rationes formales diversas. Hæc tamen responsio explosa est disp. præced. quæst. 2. ubi ostendimus realem distinctionem prædicamentorum, quæ doctrina hic defendere potest, quia si præfata divisio ponatur in species, plane ista species poni debent realiter distinctæ, & non tantum formaliter, seu ratione; Et quidem incapibile est, quomodo eadem entitas caloris possit esse in diversis speciebus essentialiter, cum una res non nisi sub una specie essentiali contineri queat; Nec juvat dicere, hoc evenire beneficio diversarum formalitatum, hoc enim est, quod impugnatur, non posse eandem rem sub eodem genere constitui simul, & semel sub diversis speciebus essentialiter, quia unius entitatis una tantum est essentialis constitutio sub eodem genere, & oppositum asserere est manifestus error in Met. non ergo potest eadem res esse sub diversis speciebus nisi accidentaliter, juxta diversas formalitates illi contingentes quod si ita intelligat Thomistæ, jam a nobis non dissentiant.

121. Suarez proinde d. 42. Met. sec. 4. postquam & ipse rejecit allatam Thomist. solutionem, respondet revera unam rem non nisi in una specie essentiali constitui posse, adhuc tamen posse in aliis constitui accidentaliter, & sic in proposito una qualitas erit in una tantum illarum specierum essentialiter, poterit tamen esse in aliis accidentaliter, si illi contingat secundario, & per accidens exercere munera aliarum specierum; Et sic etiam respondent recentiores Thomistæ fatentes illam veterum Thomistarum doctrinam esse prorsus erroneam in Met. unde Jo. de S. Th. q. 18. art. 2. ait, nullam qualitatem esse, nisi in una tantum specie essentiali, sed accidentaliter posse esse in alia, quamquam autem sit formalitas, quæ illi affert speciem essentialiter, & quæ accidentaliter, ait id judicandum esse, vel ex effectibus qualitatibus, puta si videamus semper unam formalitatem inveniri in una qualitate, ut in calore esse terminum alterationis, aliam non semper, hæc secunda speciem accidentalem præbebit; vel ex principiis, a quibus causatur qualitas, si videlicet ex illis ordinatur ad actionem, vel passionem, convenientiam, vel disconvenientiam naturæ, &c. tunc enim id erit essentialiter. Suarez vero inquit, quod qualitas est per se ordinata adtribuendum aliquem effectum substantiæ, scilicet, vel illam perficere in seipsa, vel in ordine ad operationem, non ordinari autem ad duos effectus tribuendos æque primo, sed ad unum tantum, & non nisi secundario, & concomitantem ad alterum, atque ideo ex effectu primario attendendam esse speciem essentialiter qualitatibus, & ex secundaria accidentalem.

Sed licet tota hæc doctrina admitti possit, tamen si bene ponderemus formalitates, quæ ponuntur constituere quatuor assignatas species, videbimus, & æque semper contra Jo. de S. Th. & æque primo contra Suarez eidem qualitati convenire posse, & si hoc non invenitur in omnibus qualitatibus, inveniri tamen potest in aliquibus, quod erit sufficiens inditium, has non esse differentias essentialiter, quod autem hoc ita sit, probatur eodem exemplo caloris, illi enim semper convenit esse immutativum sensus tactus esse principium naturale calefaciendi, & male, vel bene disponere subiectum, si sit in aqua, vel igne, ergo erit æque primo in omnibus illis tribus speciebus, ac essentialiter, sic etiam per se, & æque primo ordinatur calor ad calefaciendum, & immutandum sensum tactus, vel saltem ad hunc effectum non ordinatur per accidens, ergo erit essentialiter in secunda, & tertia specie; item licet accidat calori esse in aqua, tamen sive sit in aqua, sive in igne, æque per se, & primo ordinatur ad calefaciendum, ergo ex hoc capite saltem essentialiter erit in prima, & secunda specie, præstat ergo dicere, formalitates, quæ ponuntur illas classes qualitatibus constituere, esse potius diversos modos accidentales, quam veras, ac per se differentias, atque ita præfatam divisionem esse potius subiecti in accidentia, quam generis in species; qui vero vellent oppositum tueri, utatur via, quam docet Doct. loc. cit. quæ plane melior est illa, quæ procedunt Thomistæ.

122. Sed dices, omnes tenentur admittere prædicamentum qualitatibus, & hoc est, quod hic assignatur ab Arist. at prædicamentum est coordinatio ex supremo genere, & subordinatis speciebus, ergo cum genus hujus prædicamenti dividatur ab Arist. per habitum, & potentiam, & sensibilem qualitatibus, & figuram, vere hæc erunt species illius. Accedit, quod qualitates essentialiter prædicatur de habitu, de naturali potentia, & de passione, & non nisi ut superius de inferiori, ergo vere sunt species.

Resp. neg. conseq. nam in assignandis speciebus prædic. in Logica satis constat Aristot. securum fuisse communem loquendi modum tunc temporis, id patet in prædic. præsertim quoad 4. species, quæ certe non nisi secundum dici spectat ad hoc prædic. mirum ergo esse non debet, si genuinas species non assignavit, nec genus divisit per proprias differentias. Ad Conf. neg. conseq. nam animal de Petro, & Paulo prædicatur per modum generis, & tamen non sunt species animalis; Vel melius ad utrumque dicatur, re vera Arist. aliquas veras species assignasse hujus generis, tales enim utique sunt habitus, & naturalis potentia, & passibilis qualitas, sed non assignasse veras, ac proprias diffe-

differentias hujus generis divinas, & illarum specierum constitutivas, sed potius modos accidentales eidem speciei convenire valentes, & in hoc sensu dicimus veras species non assignasse; alia quædam levioris momenti contra hoc objicit Suar. cit. quæ solvantur ex dictis, vel si liber, soluta videri possunt apud Fab. cit.

123. Rogas, quomodo ergo deberet dividi, ut esset divisio generis in species? Resp. Mair. pass. 42. quam sequitur Amic. hic. qu. ult. debere dividi, sicut substantia dividebatur in spiritalem, & corporalem, & corporalis insensibilem, & insensibilem, sensibilis in visibilem, & invisibilem, visibilis in color in disgregativum, & congregativum, ut sunt albedo, & nigredo, & hæc in sua individua. Dices, quomodo hæc possunt esse differentie qualitatibus, si sunt substantiæ, cum diversorum generum diversæ sint differentie ex regula antepædic. Resp. Mair. quod corporale, & spirituale dicuntur de qualitatibus secundum analogiam ad substantiam, non autem univoce, & ideo non sunt eadem differentie quidditative; vult dicere, quod licet eadem videantur differentie, re tamen vera non sunt eadem, quia circumscribunt nobis differentias penitus diversas, quia alia est essentia substantiæ, alia qualitatibus, ut notavimus disp. præced. q. ult. in universum de omnibus illis generibus, quæ per easdem differentias videntur dividi; vide Mair. loc. cit. ubi circa hoc alias movet difficultates visu dignas; Nemo autem miretur, si brevibus hujus prædicamenti structura expedimus, cum tamen ejus amplitudo sit maxima & ejus cognitio etiam magis necessaria, quam aliorum, quia non tantum confert ad naturalem philosophiam, sed etiam ad moralem, nec non ad Theologiam ipsam; id namque fecimus, quia specierum ejus exacta cognitio pendet ex peculiaribus scientiis, præsertim vero ex lib. de Anim. de gener. & corrup. ac etiam ex Morali, unde consulto hic dimittimus multiplicem divisionem qualitatibus, & præsertim habituum intellectus, & voluntatis, quam hic inserunt quamplures, hujusmodi enim divisiones commodius tradentur singulæ in suis locis.

ARTICULUS IV.

Affectiones, & attributa qualitatibus declarantur.

124. Prima qualitatibus affectio est habere contrarium, illique convenit tam in concreto, quam in abstracto, frigidum enim contrariatur calido, & frigiditas caliditati, album nigro, & albedo nigredini; cum autem contrarietas ponitur qualitatibus affectio, non sumitur in toto rigore; quia in hoc sensu primis dumtaxat convenit qualitatibus, quæ ab eodem subiecto se invicem pellunt actione propria, sed absolute sumitur pro repugnantia duarum formarum magis inter se pugnantium, quam cum tertio, & ab eodem communi subiecto se formaliter expellentium, sive id fiat actione propria, sive actione alterius, aliquoquin justitia, & injustitia, albedo, & nigredo contraria non bene dicerentur, cum non se expellant a subiecto actione propria, sed solum actione suarum causarum, quod bene hic adnotavit Tatar. §. *Quarto sciendum*. Neque dicas contrarietatem sic sumptam non posse dici qualitatibus affectioem, quia competit etiam formis substantialibus, quæ formaliter ab eodem subiecto se pellunt invicem abque actione propria. Hoc enim assumptum est prorsus falsum, ut diximus qu. 1. hujus art. ult. nam forma substantialis absolute loquendo non excludit determinatam formam a subiecto, nec magis hæc, quam illam (quæ determinata repugnantia ad veram contrarietatem exigitur, quæ est qualitatibus affectio, ut dicemus d. 9. q. 1. art. 1.) sed æque excludit omnem disparatam, & cum quacumque eodem modo incompatibilem est, & ideo contrarietas sumpta pro hac determinata repugnantia inter duas formas circa eadem subiectum propria est qualitatibus, & illi soli convenit; licet enim tribui solet etiam actioni, & passioni, id totum sit ratione qualitatibus contrariarum, ad quas terminantur, & sic etiam dicitur relationibus convenire, ut postea dicemus.

125. Sed dubium est, an in hoc sensu competat omni (nam in primo sensu certum est solis primis quatuor qualitatibus convenire) Aristot. negative respondet, quia in coloribus mediis talis etiam contrarietas non reperitur; non enim pallidum viridi contrariatur: Nihilominus hæc affectio ita potest intelligi, ut competat omni qualitati, si ly *omni* distribuit pro generibus singulorum, inveniri enim potest hæc contrarietas in prima specie inter plurimos habitus, & dispositiones; inveniri potest in secunda sumendo præsertim naturalem impotentiam pro positiva ineptitudine ad aliquam actionem, sic in oculo qualitas facilitans usum potentia visiva contraria erit humoris noxio illum positive impediens; de tertia nemo dubitat, demum pro quarta species spectat ad hoc prædicamentum, etiam in ea potest assignari contrarietas aliqua inter sanitatem, & agritudinem, formositatem, & deformitatem; quo sen-

su dicebat D. Aug. in Ench. c. 17. nullus cibus, ut potus simul dulcis est, & amarus, nullum corpus simul ubi album, ibi & nigrum, nullum simul ubi deforme, ibi formosum: Imo cum negavit colores medios habere contrarietatem; intelligit non habere talem, qualis est inter extremos, alioqui ex majori, vel minori extremo participatio bene potest medius color extremo contrariari, sic viride dicitur albo contrariari, in quantum includit aliquid nigredinis, idque colligitur ex Arist. 5. Phys. c. 1. itaque medii colores non ratione sui, sed ratione extremorum, quæ formaliter, vel verius virtualiter continent, hæc proprietatem participare possunt, circa quam non est amplius immorandum, quia ejus perfecta intelligentia pendet ex dicendis infra disp. 9. cit. qu. 1. art. 1. de oppositione contraria, ibi namque ex professo hanc oppositionem explicabimus, contrariarumque definitionem, & aperiemus, qualis, & quanta sit distantia, quæ dici solent inter contraria versari; hoc solum est hic advertendum, qualitates quædam utique nullam habere contrarium; nam nec lumen, nec species sensibiles, nec intelligibiles contrarium aliquod habent, atque ideo diximus posse dici hæc proprietatem competere omni qualitati, si ly *omni* distribuat pro generibus singulorum, non autem pro singulis generum.

126. Secunda qualitatibus affectio est, suscipere magis, & minus, seu intendi, & remitti, una enim qualitas est intensior alia, unum calidum magis calidum alio, quia habet plures gradus caloris, quam illud, & idem in diverso tempore modo magis, modo minus calidum; & hæc proprietas, esse nimirum intensibilem, & remissibilem secundum gradus individuales formæ, est ita qualitati adæquata, ut illi soli competat, & omni, & semper, illi quidem soli competit, quia etiam relationes aliquæ, idem actio, & passio magis, & minus suscipere dicuntur, hoc plane eis convenit dependenter a qualitate, super quam fundatur illæ relationes, & ad quam terminantur in eadem actio, & passio: convenit etiam omni, nam esto Arist. videtur hanc negare figuris Mathematicis quarta speciei, id tamen nos conturbare non debet; tum quia quæ ponuntur in quarta specie, non sunt veræ qualitates; tum quia ut notat Doctor q. 36. prædicam. in fine nec etiam omnibus qualitatibus quarta speciei eam proprietatem denegavit, nam pulchritudo, & deformitas, sanitas, & agritudo suscipiunt magis, & minus, imo & figuris Mathematicis etiam in aliquo sensu convenire potest, quia unam lineam dicimus esse magis rectam, vel curvam alia, competit tandem semper, nam esto Arist. dicat non convenire qualitati in abstracto, quia non dicimus unam albedinem esse magis albedinem alia, hoc tantum spectat ad modum loquendi, quia cum per abstracta nomina denotentur quidditates, & essentia rerum consistant in indivisibili, non bene in abstracto diceretur magis, vel minus calor, alioqui de re ipsa non est ambigendi locus; vere enim ipsa forma, quæ est in subiecto, suscipit magis, & minus, & ideo unum calidum dicitur magis calidum alio, quia habet in se magis intensum calorem, imo etiam in abstracto solemus dicere magis, vel minus intensam caliditatem, itaut magis, vel minus cadat supra latitudinem graduum individualium, non autem immediate supra quidditatem in abstracto significatam, quæ in indivisibili consistit. Recte igitur art. 1. hujus quæst. essentiam qualitatibus explicabamus per habere partes intensivæ, tum quia per hoc evidenter distinguitur a quantitate, cujus essentia explicatur per habere partes extensionis; tum quia hæc proprietas est ita qualitati applicata, ut nullo sensu aliis convenire possit nisi per ipsam, & nulla possit qualitas assignari, quæ ipsam non participet, quod enim ajunt Thomistæ, intellectum, & voluntatem esse qualitates, nec tamen magis, & minus suscipere, est prorsus falsum, quia ut in lib. de Anim. dicemus ex Scoto 2. d. 16. q. un. sunt potentia cum ipsa animæ substantia realiter idem, non autem qualitates de secunda specie, ut ipsi opinantur.

127. Ultima affectio, quæ etiam qualitati in quarto modo convenire videtur, est, ut secundum eam aliquid simile, vel dissimile dicatur, sicut secundum quantitatem dicitur æquale, vel inæquale, & eodem prorsus modo hæc proprietas explicanda venit, quo explicata fuit illa in quantitate, quod nempe ly *secundum* dicat rationem fundamentalem, non formalem, & simile, ac dissimile accipiuntur, ut dicunt aptitudinem, non actum, & demum sicut ibi dicebamus, æqualitatem, & inæqualitatem sumi posse prædicamentaliter, & transcendentem, sic etiam in proposito dicimus de similitudine, & dissimilitudine, si namque ample sumantur, & absolute, pro quacumque convenientia, vel disconvenientia, ut accipi solent in communi modo loquendi, utique non est proprium qualitatibus, sed per omnia fere vagatur, duas enim relationes dicimus similes, ut duas paternitates, filiationem vero, & paternitatem dissimiles, & sic de aliis, ut si preste, ac determinate sumantur, sic in isto tantum prædicamento reperiuntur.

Post Prædicamenta absoluta sequitur Tractatio de respectivis; & quia Relationum in Philosophia frequentissimus est usus, nihil enim frequentius habent in ore Philosophi, quam hoc referri ad illud, materiam nempe ad formam, actionem, & passionem pro formali dicere relationem, &c. ideo de Relatione integram hic instituimus Disputationem, quæ quamvis re vera ad Metaphysicam pertineat, sicut & exacta tractatio aliorum Prædicamentorum: perfecta tamen, & absoluta cognitio relationis potius, quam aliorum Prædicamentorum in Logica est anticipanda ob relationum necessitatem ad Philosophiam tradendam præsertim Scotificam, quæ tota relationibus sciet; non igitur hæc tractatio ad Metaphysicam differenda fuit, quia ignorata relationis natura, via est possibilis ad Philosophiam ingressus, sed hic in Logica ex professo tradenda, pro nunc aggredimur.

QUESTIO PRIMA.

Quid sit Relatio realis, & quotuplex, ubi discrimen assignatur inter prædicamentalem, & transcendentalem.



Quoad primam quæstionis partem Relatio secundum suam rationem præcisam, sive sit realis, sive rationis, definitur, quod sit ratio formalis, quæ unum respicit aliud, & i. p. Inst. tract. 1. cap. 7. diximus in quacumque relatione tria considerari debere, subjectum, scilicet, seu fundamentum, quod refertur, rationem fundandi, per quam refertur, & terminum, ad quem refertur, hæc nimirum tria cernuntur in similitudine Petri ad Paulum in albedine, nam Petrus relatus est subjectum, seu fundamentum relationis, Paulus est terminus, albedo demum est ratio ipsam fundandi, quæ etiam suo modo in relationibus rationis interveniunt (de qua re infra quæst. 4. exactior erit sermo) sed quia de relationibus rationis satis dictum est disp. 3. & 4. hic solum est sermo de relatione reali & inquirimus, quid sit, quæve conditiones ad ipsam requirantur. Est autem, ut ibi diximus, quæ existit in rebus, vel saltem existere potest, secluso quocumque opere intellectus, ita quod suum esse non est suum intelligi, ut est in relationibus rationis, unde ibidem dicebamus tres conditiones requiri ad relationem realem ex Scoto 1. d. 31. qu. un. §. Ad quæst. & quol. 6. Ll. Prima est, quod extrema eius sint realia, ita quod in ratione fundandi, & terminandi ab intellectu non dependeat; Secunda, quod sint realiter distincta, quia idem ad seipsum non realiter referri potest. Tertia tandem, quod oriatur ex natura extremorum, & non per actum comparativum intellectus; quæ conditiones ab omnibus recipiuntur, ut est videre apud Complut. disp. 14. quæst. 3. Suar. disp. 47. Met. sect. 9. & alios; verum tamen est, hic potius præsupponi debere, quam probari, quia exacta earum cognitio pendet omnino ex infra dicendis de subjecto, & termino relationis. Hinc relatio rationis e contra dicitur illa, quæ non est a parte rei inter duo extrema, sed eis advenit per operationem intellectus; solet tamen frequenter appellari relatio rationis aliqua vera relatio eo præcise, quia deficit ei aliqua prædicamentum conditionum, ut notat hic Tatar. ex Scot. quol. 13. N. talis relatio est distinctio materiæ a privatione, & universaliter entis a non ente, quia hæc non distinguuntur per solam fictionem nostram, sed vere a parte rei; adhuc tamen illa relatio distinctionis dicitur rationis, quia non est ad terminum positivum, & realem, & hoc ipsum contingit in multis aliis relationibus.

2. Quoad alteram quæstionis partem, præcipua relationis divisio est in prædicamentalem, & transcendentalem, inter quas non idem ab omnibus assignatur discrimen. Aliqui posuerunt discrimen ex parte termini, quia prædicamentalis requirit terminum realem, & realiter existentem, & a fundamento realiter distinctum, unde supradictæ tres conditiones communiter tradi solent de relatione prædicamentali; at relatio transcendens non necessario petit terminum realem, ut constat de cognitione entis rationis, & privationis; nec realiter existentem, ut constat de scientia, & potentia respectu objecti possibilis; nec realiter distinctum, ut patet in scientia divina respectu essentiæ; inter quæ est relatio transcendens, non tamen realis distinctio. Cæterum licet sit verum illas tres conditiones esse præcipue relationis prædicamentalis, tamen negari nequit, quin etiam suo modo competant relationi transcendendi, quia & ipsa relatio realis est, non rationis; & quidem secunda conditio, quod scilicet sit inter extrema aliquo modo realiter distincta, æque necessaria est ad utramque, quia esse nequit respectus realis, sive prædicamentalis, sive transcendens ejusdem ad aliud, alioquin idem dici posset sibi ipsi æquale, & simile, & quoad hoc nulla prorsus afferri potest disparitas inter relationem prædicamentalem, & transcendentalem, unde negandum est, scientiam divinam transcendentem referri ad divinam essentiam, ut ejus objectum, præsertim in sententia nullo modo a parte rei actualiter distinguente attributa ab essentia; Imo non solum hæc conditio, sed etiam aliæ interdum inveniuntur

in relatione transcendentali, quando est actualis, & non aptitudinalis tantum, nam visio intuitiva creata dicit transcendentalem ordinem ad objectum actu existens, creatio passiva ad Deum, & demum idipsum constat de unione, actione, & passione, quæ per adversarios relationes important transcendentales, & intelligi nequeunt sine extremis realibus actu existentibus, ergo ex parte termini hæc ratione distingui nequeunt relatio prædicamentalis, & transcendens adæquate, quia relationes transcendentes actuales requirunt terminum realem actu existentem, & si interdum non requirunt, hoc eis convenit, quatenus sunt relationes aptitudinales, non transcendentales.

3. Idcirco Thomistæ alio modo colligunt distinctionem harum relationum ex parte termini, in hoc nimirum sensu, quod relatio prædicamentalis respicit terminum sub ratione puri termini, nullum munus exercendo circa illum, sed omnino gratis; at transcendentalis non respicit ipsum omnino gratis, & ut pure terminum, sed aliquid efficiendi circa ipsum, vel scilicet, producendo ipsum, vel amando, vel cognoscendo, vel uniendo, vel recipiendo, vel actuando, &c. ex quo fit, ut terminus harum relationum non pure terminus vocetur, sed objectum, subjectum, principium, vel aliquo alio nomine juxta diversitatem muneris, quod circa eum relatio exercet; ita Javell. 7. Met. q. 1. Complut. hic, Jo. de S. Th. Masius, & alii Thomistæ cum Cajet. c. 7. de ente, & essentia q. 15. sequuntur Fonsec. 5. Met. c. 15. q. 1. sect. 4. Suar. d. 47. Met. sect. 4. Conim. hic q. 1. Amic. q. 1. dub. 3. ar. 2. & alii quampures. Verum hoc discrimen optime relictis P. Faber. 5. Met. d. 20. c. 2. nam dicere, quod relationes transcendentes respiciant aliud, non ut purum terminum, est destruire in relationibus transcendentes veram rationem relationis, quam tamen in ipsis agnoscit, præsertim Suarez, cum illas ponat relationes secundum esse. Prob. assumptum; quia essentia relationis est esse ad, ergo distinguere relationes transcendentales a prædicamentibus penes aliud, quam penes ad, non est distinguere illas, quatenus relationes, sed penes aliquam aliam differentiam extraneam, & accidentalem. Tum quia etiam hoc modo possemus ipsas relationes prædicamentales inter se distinguere, ut paternitatem a similitudine, quia paternitas est ad filium, ut est suppositum vivens, similitudo ad album, ut singulare naturæ accidentalis. Tum quia discernendo per omnes relationes transcendentales, patet, quod omne illud, quod respiciunt, utriusque terminum respiciunt, ut constat de creatione, qua in omni sententia creatura Deum respicit transcendentem, & tamen respicit Deum, ut pure terminum, quia creatura nullum munus exercet circa Deum. Tum quia e contra relatio paternitatis in omni sententia est prædicamentalis, & tamen pater aliquid efficit circa filium, cum illum producat. Tum tandem quia illud speciale munus, quod ponitur relatio transcendens circa suum terminum exercere, dici potest aliud recipere non esse, quam ipsum respicere tali, vel tali modo, v. g. in unione unum extremum alteri conjungere est unionem respicere illud extremum tali modo, scilicet, conjungendo, in actu representare objectum est illud respicere tali modo, scilicet, representando, quæ diversitates etiam inveniuntur in relationibus prædicamentibus juxta diversitatem modorum, quibus suos respiciunt terminos, similitudo enim dicitur assimilare, æqualitas adæquare, servitus subjicere, &c. Atque ideo bene inquit Arriag. disp. 12. sect. 4. numquam capere potuisse, quid velint significare Auctores cit. per hoc, quod est respicere, ut pure terminum, & non ut pure terminum, quia nulla relatio sive prædicamentalis, sive transcendens ex tali respicientia ponit aliquid in termino, sed solum extrinsece illum denominant terminum, unde omnes illum respiciunt ut pure terminum.

4. Alii proinde distinguunt has relationes ex parte fundamenti, ita quod relatio transcendens est illa, quæ ita est de essentia subjecti, ut sit illi adæquata identificata, & essentialiter, unde etiam provenit, ut sine illa neque esse, neque intelligi possit, v. g. relatio actus ad suum objectum, unionis ad terminum, creaturæ ad Deum, potentia ad actus possibiles, &c. prædicamentalis vero est illa, quæ subjecto mere accidit, & ab eo separari potest, ut paternitas a Petro, similitudo ab albo, ita Hurt. disp. 15. Met. sect. 1. Ovviad. controv. 10. Met. punct. 1. Ar. cit. & Recentiores passim,

passim, qui omnes conveniunt in hoc, quod relatio transcendentalis sit de essentia fundamenti. Sed hoc quoque discrimen infringitur ex dicendis quæst. seq. ubi ex professo ostendemus nullam prorsus relationem, etiam transcendentalem, poni posse de essentia absoluti, imo hoc manifestam involvere contradictionem.

Alii distinguunt has relationes ex parte utriusque, nempe termini, & fundamenti, & inquirunt prædicamentalem illam esse, cujus totum esse est ad aliud se habere ex 2. definitione tradita ab Arist. c. ad aliquid, transcendentalem vero, cujus totum esse non est solum ad aliud, seu non est solum respectivum, sed partim absolutum, partim respectivum, unde non solum gerit munus referendi, sed etiam munus absolutum ex parte fundamenti, ut scientia v. g. non tantum refert intellectum ad scibile, quod est munus relativum, sed etiam illum qualificat, quod est munus absolutum. At etiam quæst. seq. constabit implicare entitatem per se unam, quæ essentialiter partim sit absoluta, & ad se, partim relativa, & ad aliud, quia tunc contradictoria verificarentur de ea, quod secundum eandem suam rationem formalem, qua talis est, esset ad se, & non ad se; ad aliud, & non ad aliud.

5. Scotista vero alia procedunt via, docent enim illas relationes esse transcendentales, quæ per plura vagantur prædicamenta, qualis est relatio creaturæ ad Deum, prædicamentales vero, quæ speciale constituunt prædicamentum, ut paternitas, similitudo, &c. ita Tatar. & Faber. loc. cit. & Lichet. 2. disp. 1. quæst. 5. §. Nunc solvenda, qui proinde advertunt, non omnem relationem fundamento realiter identificatam esse transcendentalem, neque e contra omnem transcendentalem esse subjecto realiter eandem; fundantur autem in dicto Doctoris 2. disp. 1. quæst. 5. in sol. ad 2. prin. ubi ex eo docet creationem esse relationem transcendentem, quia convenit enti, antequam in genera descendat, & omne, quod convenit enti in tali prioritate, est transcendens, & non est alicujus determinati generis, ut ipse prius docuit 1. disp. 8. qu. 4. N. & O. sequuntur plures exteri, unde Tolet. hic qu. 1. non vocat relationes transcendentales, nisi eas, quæ ita sunt communes, ut prædicentur de pluribus prædicamentis, sic etiam loquitur Suarez disp. cit. sect. 3. n. 10.

Sed sane, quamvis Doct. loc. cit. & etiam 1. disp. 19. qu. 1. C. hoc significatum relationis transcendens agnoverit, non tamen hoc dixit esse præcisum, & adæquatam significatum ejus, alioquin quampulrimas relationes rebus unius determinati prædicamenti communes, illisque realiter identificatas, ut sunt omnes aptitudines, ac peculiare rerum inclinationes, quæ ad illud prædicamentum determinate spectant, in quo res illæ inveniuntur, ab hoc membro excluderentur, & prædicamentales dici deberent, quod tamen falsum est, quia per relationem prædicamentalem intelligi solet, quæ quartum constituit prædicamentum, aut saltem unum ex aliis sex. Conseq. tenet, quia per hanc divisionem adæquate dividitur relatio realis, ita ut qualibet sub altero istorum membrorum debeat necessario contineri.

6. Ut igitur relationis transcendentalis adæquatam rationem assignemus in tota sua latitudine, investigandum est, in quo consistat ratio relationis prædicamentalis, hinc enim facile erit deducere rationem transcendentalem, quæ illi opponitur; plane Doct. cit. 2. disp. 1. quæst. 5. dicitur docet illas esse relationes prædicamentales, quæ suis accidunt fundamentis, ac proinde ab eis separabiles sunt, ergo e contra illæ erunt transcendentes, quæ eis non accidunt, sed sunt idem, non quidem essentialiter (quia hoc implicat, ut dicemus) sed realiter, sive ita sint actuales, sive aptitudinales, ac proinde sunt ab eis prorsus inseparabiles. Ex qua doctrina colligitur ratio quare relationes prioris ordinis dicantur prædicamentales, transcendentales vero ordinis posterioris, quia enim illæ rebus omnino accidunt, accidit enim huic albo esse illi simile, Petro esse filium, vel patrem Pauli, hinc peculiare genus accidentis constituere debent; at quia relationes posterioris ordinis, ut relatio creaturæ ad Deum, materiæ ad formam, transcendent, & quasi pervadunt ipsam rei entitatem, peculiare genus accidentis non constituunt, sed per reductionem spectant ad prædicamenta rerum, quibus realiter identificatas ponuntur; quamvis ergo quedam relationes speciali quodam titulo transcendentales dicantur, quia nimirum enti conveniunt, priusquam in decem prædic. descendat, & ideo per omnia illa vagatur, adhuc tamen & ita, & omnes aliæ fundamentis realiter identificatas dicuntur transcendentales ea generali ratione, quatenus per identitatem realem totam transcendent, & pervadunt entitatem fundamentorum suorum, ita ut generaliter loquendo omnis relatio transcendentalis sit realiter idem cum fundamento; & e contra, & rursus omnis prædicamentalis accidit fundamento; & e contra, ita ex nostris assignavit discrimen inter has relationes Mair. 1. disputat. 19. quæst. 1. artic. 3. & Joan. de Mag. hic quæst. 1. dub. 3. ubi dant talem regulam, Omnis relatio quæ non est realiter distincta a suo fundamento, est ex se transcendens, quia omnis relatio, quæ est directæ in genere relationis, vel in aliquo aliorum sex ultimorum prædicamentorum, & Belluti Tom. I. Logica.

dicam. est accidens realiter a suo fundamento distinctum; relatio autem, quæ est eadem cum suo fundamento, non est accidens sibi, ergo talis relatio non erit prædicamentalis, quare relinquatur, quod erit transcendens hæc illi; idem sentit Zerb. 5. Met. q. 17. §. Propter Tertium, & Bassol. 1. d. 30. q. 1. ad 3. prin. & Poncius hic.

7. Deinde alia præcipua relationis divisio tradi solet in relationem secundum esse, & secundum dici, quam manifeste assignavit Arist. c. de ad aliquid, non quidem de ipsa relatione in abstracto, sed de relativis in concreto, & revera hoc modo assignari debet, tum quia sic eam Arist. indicavit; tum quia ex eorum discrimine patebit hanc divisionem applicari non posse relationibus ipsis in abstracto, sed tantum in concreto, ut alia sint relativa secundum esse, alia secundum dici, quamvis autem omnes hujusmodi divisionem recipiant, non tamen omnes eodem modo explicant, & ejus membra distinguunt.

Thomistæ cit. putant hanc divisionem coincidere cum præcedenti, & ideo relativa secundum esse confundunt cum prædicamentibus, relativa secundum dici cum transcendentibus. Sed immerito, tum quia frustra assignaretur hæc divisio, ut distincta ab illa; tum quia relativa transcendentalia essentialiter dependent a suis terminis, & correlativis non minus, quam prædicamentalia, ergo vel magis, vel æque relativa secundum esse vocari debent; tandem si hoc verum esset, ita essentialiter referretur creatura ad Deum, ut ala ad alatum; nam ala, ut ait Arist. in text. refertur ad alatum secundum dici.

Neotherici quampures opinantur, hanc divisionem coincidere cum divisione relationis in realem, & rationis, unde relativa secundum esse confundunt cum relativis realibus, relativa secundum dici cum relativis rationis; a qua explicatione parum differt alia, quam tradunt Fonf. cit. Valsq. 1. p. disp. 173. n. 13. Conimb. hic q. 1. & Fab. cit. quod relativa secundum esse sunt illa, quæ vere a parte rei ad aliud referuntur, sive prædicamentally, sive transcendentally, relativa vero secundum dici, quæ non vere, sed voce tantum, & secundum loquendi modum referuntur ad aliud, ut ala ad alatum, quod exemplum attulit Arist. Sed neutra explicatio recipi debet, non prima; tum quia frustra assignaretur hæc divisio, velut distincta a divisione in realem, & rationis; tum quia relationes rationis computari debent inter relationes secundum esse, nam suo modo non solum dicuntur, sed etiam sunt ad aliud. Neque secunda, quia Arist. inter relativa secundum dici quadam enumerat, quæ vere dicuntur relationem ad aliud, ut sensum, scientiam, &c. ergo non omnia relativa secundum dici talia sunt secundum vocem tantum, neque hac ratione relativa secundum dici appellantur, sed potius quia accidentaliter, ac denominative sunt relativa ad differentiam relativorum secundum esse, quæ sunt relativa essentialiter, ut mox explicabimus.

Alii explicant, illa esse relativa secundum dici, quæ cum vere absoluta sint, solum apparentiam habent relativorum, unde non dicuntur relativa, quia ordinem dicant ad aliud verum, vel fictum, sed potius, quia alia referuntur ad ipsa, ita scibile dicitur relativum ad scientiam, non quia ordinem aliquem habeat ad scientiam, sed quia scientia refertur ad ipsum scibile; relativa vero secundum esse illa vocant, quæ habent relationem ad aliud veram, vel fictam. Sed hæc potius est explicatio alterius divisionis, qua relativa dividi solent in mutua & non mutua, ut illa dicantur, quæ adinvicem recipere referuntur reali relatione, ista vero non, sed unum dicitur ad aliud referri, quatenus illud ad ipsum refertur, seu terminat relationem alterius externi, accedit Ar. non scibile, sed ipsam scientiam, neque sensibile, sed sensum inter relativa connumerari, ergo prædicta explicatio non est ad Arist. mentem.

8. Melius ergo sic distinguuntur, ac ad Arist. mentem, quod relativa secundum esse sint illa, quæ sunt essentialiter relativa, ita ut eorum essentia sit ad aliud se habere; relativa vero secundum dici, quæ relativa sunt accidentaliter tantum, & denominative, formaliter vero, & essentialiter sunt absoluta; ita exponunt omnes Scotista hic Jo. de Mag. Orbell. Tat. Mair. loc. cit. Bassol. 1. d. 30. q. 1. art. 2. in fine, qua de causa Doctor quæst. 26. prædicam. hæc vocat æquivoce relativa; & colligitur hoc discrimen ex ipso Aristot. qui prima definitione complectens relativa omnia secundum dici, multa enumerat absoluta partes substantiæ, ut manus, caput, &c. habitum, sensum, scientiam, quæ plane ad alia spectant prædicamenta, neque in hoc reponi possunt, nisi denominative, quatenus nempe relationes aliquas fundant, eo modo, quo Petrus albus secundum albedinem denominative ponit in prædicam. qualitatis; at secunda definitione explicans sola relativa secundum esse enumerat duplum, & dimidium, melius, & pejus, & alia hujusmodi, quæ plane omnia secundum eorum essentiam ad aliud referuntur, ita ut nihil præter ordinem ad aliud de ipsis formaliter acceptis intelligere possimus, sic pater refertur ad filium, servus ad dominum, quia sub ratione patris aliud intelligere nequimus nisi quod ad filium refertur, licet fundamentaliter, & connotative ea ratione, qua accidens concipitur est, subjectum infinet; & hæc explicationem videret sequi Tolet. cit. Unum tamen circa

hoc Doct. advertit quod. 13. ad 1. princ. & cum eo Tat. hic not. 2. necessarium esse ad relativum secundum dici, quod importer absolutum, & relationem sub eodem nomine annexam, quod patet in ipso nomine scientiæ, quod impositum est, non solum ad significandam qualitatem intellectui inhaerentem, verum etiam relationem ad objectum scibile illi annexam, & totum hoc aggregatum significatur per illud nomen, licet unum primario, & aliud secundario; idem patet de nomine manus, capitis, & aliarum partium substantiæ, de quibus exemplificat Arist. quare res omnes absolute per nomen absolutum importata relativa, secundum dici non erunt, etiam si actualiter relationem aliquam fundarent, sed solum quando designantur nomine non pure absoluto, sed connotante relationem ad aliud. De hac divisione fufe agunt Averſa qu. 19. Log. sect. 3. Amic. tract. 15. q. 1. dub. 2. ubi alios inutiles modos referunt, qui facile ex dictis refelluntur.

Q U E S T I O II.

Qualis, & quanta sit identitas relationum transcendentium cum rebus.

Relationes transcendentales cum rebus identificari diximus qu. præced. imo ex hoc capite auctori sumus discrimen earum a prædicam. ut autem magis eluceat assignatum discrimen, & ipsa natura relationum transcendentium, quærimus in præsentibus qualis, & quanta sit talis identitas; ut enim ibi innuimus, Thomistæ, ac Neothetici passim supponunt huiusmodi relationes rebus identificari, non solum realiter, sed etiam formaliter, & quidditative, unde concludunt relationem transcendentialem a fundamento suo nullo profus modo ex natura rei formaliter distingui, sed esse penitus eandem entitatem absolutam fundamenti, quæ non est pure absoluta, sed in ipso intrinseco conceptu includit ordinem ad aliud, ita quod sine tali ordine essentialiter, & quidditative nequeat intelligi, & ultro fatentur in entibus creatis nullum esse ita absolutum, quin in sua essentia includat aliquem transcendentialem respectum, saltem quatenus est ens per participationem per se, & essentialiter pendens ab ente per essentiam, & quavis enim actualis dependentia esset relatio ex natura rei a creatura distincta, aptitudinalis tamen formalissime est ipsa creaturæ entitas; addunt etiam in rebus quamplurimis ab aliis in aliquo per se pendentes speciales relationes transcendentales includi, ita inveniunt in ratione potentia ordinem ad actum essentialiter imbibit, & in ratione actus ordinem ad objectum, & in ratione partis essentialiter incompletæ ordinem ad aliam partem, ut sunt materia, & forma, & sic in multis aliis; & hoc est principium metaphysicum apud ipsos ita communi calculo receptum, ut de hoc speciale dubitationem non moveant, sed ubique in singulis materiis velut indubitatum accipiant, ita Suar. disp. 47. cit. sect. 3. n. 12. cum Cajet. loc. jam cit.

Scotistæ vero e contra, licet concedant identitatem realem harum relationum cum rebus cum eorum Doct. 2. d. 1. q. 5. §. *Ad questionem istam*, & 4. d. 12. q. 1. F. negant tamen constanter formalem, & essentialiter cum eodem ibi, & quol. 11. artic. 4. & quol. 13. art. 3. & alibi frequenter, unde est principium metaphysicum in nostra Schola nullum profus respectum includi in conceptu quidditativo absoluto, & quia hic punctus est quam maxime necessarius in rebus Philosophicis, ac Theologicis, ideo diligenter est hic examinandus.

10 Dicimus 1. relationes transcendentales rebus realiter identificari. Ita Doct. cit. in 2. hanc concedunt omnes Thomistæ, & quamvis quidam Scotistæ cit. qu. præceden. quasdam relationes a rebus realiter distinctas vocent transcendentales, eo quia per plura prædicam. divagantur, qualis est actualis inhaerentia accidentis, quæ communis est novem generibus, certum tamen est in sententia Doctoris hanc, & consimiles relationes esse per se determinati generis, & solum denominative cæteris convenire, & ita docet ipse de inhaerentia accidentis 4. disput. 12. quæst. 1. §. *Ad questionem D.* & ideo formaliter, & quidditative hæc relationes erunt prædicamentales, quia per se sunt determinati generis, & solum denominative transcendentales, quatenus denominare possunt res aliorum generum, & ideo est quæstio de solo nomine. Nostra autem Concl. procedit de relationibus vere, & per se transcendentibus, & solum de probatur a Doct. in 2. loc. cit. hoc modo: Omnis illa relatio est realiter identificata cum fundamento, sine qua fundamentum esse implicat ab intrinseco, sed nulla res, etiam de potentia Dei absoluta, esse potest sine ordine, quem dicit transcendentaliter ad aliam, ut creatura sine relatione dependentiæ ad Deum, accidens sine dependentia aptitudinali ad substantiam, materia sine ordine ad formam, & sic de aliis, ergo &c. minor patet ex differentia, quam præced. quæst. assignavimus inter relationes transcendentales, & prædicamentales; hæc enim rebus accidunt, & possunt adesse, & abesse præter earum corruptionem, ut patet de similitudine, paternitate, &c. at transcendentales minime, sed cum ipsa re incipiunt, & desinunt; Major prob. a Scoto, quia intrinseca impossi-

litas separationis duorum ex triplici capite procedere potest, vel quia sunt simul natura, ut est de duobus relativis, vel quia unum est prius, & quo essentialiter dependet posterius, ratione cuius dependentiæ nequit esse sine eo, ut est de toto physico, ac ejus partibus, vel quia sunt idem realiter, unde postea inferit in eodem 1. disp. 2. quæst. 2. §. *Contra istud*, illud, quod si esset distinctum ab aliquo, esset posterius eo naturaliter, necessario esse idem illi, si impossibile est illud aliud esse sine isto, & quod nihil realiter distinctum ab alio, sine quo nequit esse sine contradictione, est prius eo, sed est posterius naturaliter, vel simul natura cum eo; sed fundamentum necessario est prius natura ipsa relatione fundata, ergo si fundamentum non potest esse sine tali relatione, & hoc implicat ab intrinseco, id erit utique ob identitatem realem cum ea, quia nunquam implicat ab intrinseco prius separari a posteriori, nisi ob id entitatem realem, ut constat de subjecto, & propria passione.

11 Consulto autem in illa majori addimus ab intrinseco, quia si talis inseparabilitas solum ab intrinseco procedit, non inferit realem identitatem inter ea, quæ sic inseparabilia dicuntur, ita monet Doct. loc. cit. 2. disp. 1. quæst. 5. N. ubi asserit exemplum de Cælo, quod secundum Philosophum implicat esse sine motu, nec ob id sequitur realis identitas inter illa, quia talis impossibilitas non provenit ab intrinseco, & ex natura ipsius Cæli, sed a causa extrinseca; idest ab intelligentia necessario Cælum movente; est etiam exemplum de partibus unitis, quæ sunt priores toto, nec possunt esse sine eo, & tamen distinguuntur realiter ab eo ex Doct. 3. disp. 2. q. 2. quia talis impossibilitas non provenit ex absoluta earum entitate, sed ab aliquo extrinseco, nempe ex earum unione, quæ illis accidit, & qua supposita nequeunt non causare totum, cum sint causa intrinseca, ut notat Lichet 2. disp. 12. quæst. 2. potest etiam asseri exemplum de veritate propositionum necessariorum, & contingentium, nam contingentes nequeunt esse sine illa, supposito Dei decreto, nec proinde identificatur cum illis, quia talis inseparabilitas provenit ab extrinseco, scilicet ex Dei decreto, & e contra in necessariis veritas est illis realiter identificata, quia nequeunt esse sine illa ex earum natura, & ab intrinseco. In opposito autem impossibilitas essendi creaturam absque dependentia ad Deum est ratione intrinseca ejus, sic etiam impossibilitas essendi accidens sine dependentia ad subjectum, & ideo hæc, & similesque alie relationes realiter fundamentis identificantur.

Hic tamen advertendum est, illam Scoti maximam pro majori assumptum in argumento a Scotistis communiter usurpari, *Omnis relatio, cujus fundamento repugnat esse sine termino, est identificata realiter cum eo*, quo sensu prolata graves patitur instantias, primo enim falsa videtur de omni respectu aptitudinali, quia fundamentum cuiuscumque talis potest existere sine actuali existentia termini, ut homo sine risu, & tamen risibilitas est cum homine realiter eadem, & quilibet talis respectus cum suo fundamento; Deinde humanitas a Verbo assumpta non potest esse in rerum natura, quin etiam Verbum existat, & tamen unio hypostatica non est ei realiter identificata, quas instantias Vallo solvere nititur tract. Formal. in explic. divisionis entis in dependens, & independens; sed melius est propositionem assumere, ut ponitur a Doct. loc. cit. in 2. & 3. dist. 1. quæst. 1. K. & 4. distinct. 12. quæst. 1. I. & alibi, quod nempe relatio omnis est eadem fundamentum, sine qua fundamentum implicat esse ab intrinseco, ita ut impossibilitas separationis a fundamento sit ipsius relationis, sic enim assumpta cessat omnis dubitatio, ut recte notat Gadius noster quol. 19.

12 Contra hanc Concl. objicies, hinc sequi omnia entia mundi esse relativa, quod veluti maximum inconveniens intulit Arist. 4. Met. contra asserentes omnes rerum veritates esse apparentes: Prob. sequ. quia omnia entia dicunt dependentiam ad Deum. Tum 2. ex Aug. 5. de Trin. c. 5. in creaturis, quicquid non secundum substantiam dicitur, restat ut secundum accidens dicatur, & infra cap. 16. aperte docet relationem omnem in creaturis esse accidens, dum ait illa esse accidentia relativa, quæ cum aliqua mutatione rerum, de quibus dicuntur, accidunt, ex quo deducit etiam relationem creaturæ ad Deum esse accidens, quod etiam expressus docet in fine cap. Tum 3. huiusmodi relationes spectant ad prædicamentum relationis, ergo accidunt rebus. Prob. assumptum, quia relationes istæ sunt relationes secundum esse, ex quibus prædicamentum relationis constituitur, & omnino competit secunda relativorum definitio tradita ab Arist. quia eorum esse est ad aliud essentialiter se habere. Tum 4. relatio transcendentalis essentialiter pendet ab extremis, ergo realiter a fundamento distinguitur, quia dependentia essentialis semper inferit distinctionem realem inter dependens, & terminum dependentiæ.

Resp. Doct. inconveniens esse ponere omnia ad aliud formaliter, & quidditative, ut asserit opinio ibi ab Arist. rejecta, non tamen realiter, & identice. Ad 2. concedit relationes in creaturis esse accidentia, si sunt ad illa, ad quæ essentialiter non dependunt, at si sunt ad illa, acci-

accidentia non sunt, nisi sumendo accidens pro extraneo a quidditate rei, & in hoc sensu ait Aug. sumere accidens, cum relationem creaturæ ad Deum vocat accidens, quod etiam dicit esse mutabile, non tamen manente fundamentum, sed per mutationem etiam ipsius fundamenti. Ad 3. neg. assumptum; ordo enim essentialis rerum ad suos terminos ponitur per reductionem in prædicam. ipsarum rerum; ad prob. dicimus, non quascumque relationes secundum esse constituere prædicam. relationis, & ibi definiti, sed illas tantum, quæ rebus accidunt, quales non sunt transcendentales. Ad 4. relatio transcendentalis dicitur essentialiter pendere a fundamento, eo modo, quo passio dicitur pendere a subjecto, quatenus nempe & sibi consubstantialis, & realiter identificata, proprie tamen dici nequit essentialiter pendere, quia non est ab eo realiter, & physice causata.

13 Dicimus 2. relationem transcendentialem formaliter distingui a fundamento suo absoluto, ita ut non intrat conceptum formalem quidditativum ejus; ita Doct. l. cit. præsertim in 2. quem seq. Smiglec. disp. 10. q. 8. Log. quod probat tum auctoritate allata Arist. 4. Met. ubi contra Heraclit. & Cratil. contententes veritates rerum esse apparentes, inferit, ut absurdum, quod omnia essent ad aliud, non inconvenient autem omnia esse ad aliud identice, & realiter, ut modo probatum est, ergo formaliter, & quidditative, ait Doct. Tum auctor. Aug. 7. de Trin. c. 2. dum ait omne, quod relative dicitur, esse aliquid excepto relativo, ergo fundamentum relationis est aliqua entitas formaliter non includens illam relationem, quam fundat, atque ideo eam primum, & principale fundamentum relationis sit aliquid absolutum, ergo utique formaliter non includit relationem fundatam. Tum quia id apparet in relationibus divinis, ubi est maxima identitas in fundamento, & tamen fundamentum non est formaliter relatio, quia tunc non esset perfectio formaliter infinita. Tum quia tunc in definitione hominis, equi, lapidis, &c. poni debet relatio dependentiæ ad Deum, quia definitio quidditativa continet, quicquid est de essentia definiti, & sine quo definitum nequit quidditative intelligi. Tum tandem ratione a priori, qua passim utuntur Scotistæ, realitas relationis non includit formaliter realiter absoluti, neque e contra, ergo necessario simpliciter entitas absoluta formaliter distinguitur a relativa. Probatur assumptum, quia entitas absoluta, ut sic, est formaliter ad se, relativa ut sic est formaliter ad aliud, ergo una non includitur in conceptu formali, & præcise alterius, alioquin eadem omnino entitas per eundem formalissime conceptum esset simul ad se, & non ad se, ad aliud, & non ad aliud, quod implicat. Prob. sequ. quia ea ratione, qua est ad se, non est ad aliud, & ea ratione, qua est ad aliud, non est ad se. Respond. argum. probare solum de respectu prædicamentali, quod non sit de conceptu absoluto, non autem de transcendentali. Contra, argumentum quantum ad hoc aequè probat de utroque & ostendit, quod talis res in suo per se conceptu contradictoria clauderet, ex eo enim quod est res absoluta, est formaliter, & quidditative ad se, non ad aliud, & ex eo, quod formaliter includit respectum, est formaliter ad aliud, non ad se, ergo secundum eundem conceptum formalem, qui ei conveniret, in quantum tale ens esset ad se, & non ad se, ad aliud, & non ad aliud: & sane parum refert ad contradictionem evitandam, quod sit ad aliud prædicamentali, vel transcendentali, quia utraque relatio essentialiter est habitudo ad aliud, & solum in hoc differunt, quod una accidit mere suo fundamento, non altera; tum quia ut bene arguit Bassol. 2. disp. 12. quæst. 1. §. *Contra tertium modum*, absolutum, & respectivum dividunt totam latitudinem entis, antequam in prædicamenta descendat, ergo præsciudendo etiam a respectu prædicamentali, respectivum nequit coincidere cum absoluto quantum ad conceptus quidditativos.

14 Respond. nullam sequi contradictionem, quod eadem res sit simul absoluta, & relativa transcendentali, quia in ea re huiusmodi rationes ad se, & ad aliud sunt distinctæ ab invicem, esto sint ambæ de integro conceptu illius rei; & ideo non secundum eandem rationem, sed diversas dicitur res illa simul, & semel relativa, & absoluta. Contra quamvis ponantur formalitates distinctæ, ponuntur tamen unum per se conceptum integrare illius rei, quatenus talis est, de isto igitur uno per se conceptu, quem constituunt, quaritur an sit formaliter relativus, vel absolutus, vel utrumque, & si tertium dicant, ecce statim implicancia, nam licet singulæ illæ formalitates partiales sint distinctæ, tamen combinatæ ponuntur efficere unum per se conceptum simul relativum, & absolutum; Neque juvat cum quibusdam recurrere ad conceptus diversos inadquatos; quia hic loquimur de conceptu adæquato illius rei absolute, quæ ponitur essentialiter imbibere transcendentalem respectum, & illam adæquate constituit in tali specie, & quærimus, an sit absolutus, vel relativus, vel simul uterque, & hoc ultimum impugnamus, velut conceptum omnino implicatorium, quia quilibet res est in una dumtaxat specie a thoma per unicam & ultimam differentiam specificam, ergo sicut nulla res constare potest ex

Mastrii, & Belluri Tom. I. Logica.

pluribus realitatibus specificis, a quibus prædicata contradictoria sumantur, ita nequeunt duo conceptus partiales illis correspondentes integrare unum totalem specificum, ita quod eadem res secundum suam rationem specificam, quæ unica est, sit ad se, & non ad se, ad aliud, & non ad aliud.

Resp. aliqui, quod relatio transcendentis non opponitur esse absoluto, sed tantum esse intranscendenti, atque ideo bene posse ejus formalitatem ingredi conceptum entis absolute absque contradictione, & solum ab eo excludi relationem prædicam. quia hæc sola opponitur enti absoluto, quia est purus respectus. Contra, quia relatio transcendens duo dicit, & rationem formalem relationis, & ipsam transcendentiam, quamvis igitur ratione transcendentia opponatur esse intranscendenti, tamen ratione relationis opponitur etiam esse absoluto; & falsum est, relationem prædicamentalem, quatenus prædicamentalis, opponi esse absoluto, quia ut sic opponitur esse transcendentis, opponitur vero esse absoluto, quatenus relatio, in qua communi ratione convenit cum relatione transcendentis, & ideo quantum ad hoc semper currit eadem paritas de utraque, vide disput. 2. Phys. q. 5. art. 5.

15 In oppos. obiic. 1. inveniuntur res quædam ex propria conditione ita imperfectæ, ut earum essentia intrinsecam dicat proportionem cum aliis, ad quæ ex natura sua ordinantur, sic accidentia referuntur ad substantiam, habitus, & potentia ad objectum, ad quod ita referuntur, ut illorum essentia, & distinctio omnino intelligi nequeat, nec quidem a Deo, & Angelis nisi per ordinem ad illa, licet ergo actus ad essentiam potentia non pertineat, nec objectum ad essentiam actus, cum sint res profus inter se diversæ, tamen ordo ad illa necessario, & essentialiter imbibitur in eis. Conf. non potest, nec quidem a Deo, concipi actus vitalis, ut a non vitali distinguitur, nisi cum ordine intrinseco ad principium vitale, ergo talis ordo pertinet omnino ad conceptum quidditativum. Rursum accidens realiter, & essentialiter est ens aptum inhaerere substantiæ, ergo dicit ordinem intrinsecum ad substantiam, & quidditative nequit concipi, & explicari, nisi per talem ordinem; quod constat ex ipso nomine accidentis, nam accidens est utique alicujus accidens, & quod accidit, alicui accidit, qua de causa accidens dicitur entis ens 7. Met. cap. 2. Demum si entitas creaturæ formaliter distinguitur a relatione dependentiæ, nec in ejus essentia includitur, quarit vel ut sic est a Deo dependens, vel independens, non secundum, ergo primum.

Respond. neg. assumptum, ad prob. dicimus, non ideo accidens definiti per subjectum, potentiam per actum, & actum per objectum, quia hi termini, vel habitudines ad ipsos sint de essentia illarum rerum, & ad conceptum quidditativum earum pertineant, quia tunc magis dependentia essentialis creaturæ ad Deum in definitione cuiuscumque entis creati poni deberet, cum hæc non sit habitudo minus essentialis aliis, ut docet Doct. in 4. disp. 12. q. 1. L. sed ratio est, quia hæc, & alia huiusmodi ob imperfectam eorum entitatem non habent perfectum conceptum quidditativum, & quietativum, nisi addatur illud, ad quod ordinantur, sic forma quælibet, nedum accidentalis, sed etiam substantialis, perfecte non exprimitur, & quietative, nisi insinuetur subjectum, cuius est forma, ut notat Doct. ibidem; potest igitur accidens concipi, & definiti sine ordine ad subjectum, sed hic non erit conceptus rei quietativus, sed tantum quidditativus, per quem perfecte Deus, & forte etiam Angeli attingunt quidditatem accidentis absolute. Ob eandem rationem, vel potius ob assignatam a Scot. quol. 13. ad 1. princ. potentia nequit perfecte concipi, nisi per ordinem ad actum, & actus, seu operatio per ordinem ad objectum, quia scilicet, communitate voces impositæ ad significandum operationes important relationem absoluto annexam, quare semper oportet cointelligere objectum in ratione termini, unde si vox præcise imponeretur ad significandam entitatem absolutam, quæ est in operatione, & per se in genere qualitaris, significatum illius vocis posset intelligi non cointelligendo objectum in ratione termini. Hinc Doct. quol. eod. sub Hh. & 2. d. 24. q. 1. in fol. 2. arg. ait auctoritatem Arist. 2. de Anim. 33. *potentia distinguuntur per actus, & actus per objecta*, debere intelligi extrinsece, & manifeste, objectorum enim distinctio manifestior est nobis distinctione actuum, & distinctio actuum distinctione potentiarum, non autem intrinsece, & essentialiter, quia sic propriis differentiis ab invicem secernuntur, quas utique attingunt Deus, & Angeli.

16 Ad Conf. neg. assumptum, sicut enim ad habendum conceptum quidditativum accidentis necessaria non est, immo impertinens inhaerentia aptitudinalis, sed sufficit attingere radicem talis aptitudinis, sic in proposito ad conceptum quidditativum actus vitalis non est necessarius talis ordo, nec actualis, nec aptitudinalis, sed sufficit attingere differentiam absolutam exigentiam talis ordinis, & ita universaliter dicendum est de quocunque absoluto dicente ordinem quidditativum spectat, non ordo ille, sed ratio absoluta postulans illum, quomodo solent explicari omnipotentia Dei a Theologis, & alia attributa ad extra; non enim dicendum est has perfectiones in

Deo includere relationes transcendentales ad creaturas, ut aliqui perperam arbitrantur, quia eadem ratio, quæ excludit a Deo rationes prædicamentales ad creaturas, excludit etiam transcendentales, ut infra dicemus.

Ad aliam accidens potest sumi dupliciter, ut notat Doct. c. in 4. S. Ad questionem, vel formaliter, & pro se significato, nempe pro ipsamet accidentalitate, & inhærentia accidentis, aut materialiter, pro denominato ab ista v. g. pro albedine, primo modo utique est quid relativum essentialiter, quia est ipsamet relatio accidentalitatis, ac inhærentiæ, & de accidente in hoc sensu procedit argumentum, non autem si accipiatur secundo modo, dicitur autem accidens esse ens, quia entis 7. Met. non quod ly quia notet causalitatem formalem, quasi formalis ratio entitatis in accidente sit inhærenter tali enti, idest substantia, universaliter enim causatum, quocumque causa in quocumque genere causæ est illud, quod est, quia taliter entis, idest talis causa in tali genere, & ordine causandi, nec tamen ista habitudo ad quancumque causam est formale, vel essentialitatis in causato, quia tunc nullum causatum esset formaliter absolutum, ita exponit Doct. l. c. sub G. Ad ult. entitas creaturæ absoluta præcise, & secundum se considerata neque est dependens, neque independens formaliter, sed est dependens fundamentaliter, quia ipsi debetur formalis dependentia, sicut homo formaliter, nec est risibilis, nec non risibilis in primo modo dicendi per se, sed tantum radicaliter, quatenus in secundo signo ei debetur risibilitas.

Q U Æ S T I O III.

An relatio prædicam. sit accidens extremis ejus superadditum, & ab eis reipsa condistinctum.

17 **F**atentur omnes, uno, vel altero discrepante, relationes transcendentales esse veras, & reales formas in rerum natura existentes modo præcedenti q. enarrato; at ingens est controversia de relationibus prædicamentibus, an sint formæ reales accidentales rebus ipsis superadditæ, & ab eis realiter, vel saltem modaliter distinctæ, nam pro parte negativa adfunt rationes tanti momenti, ut ab Auctoribus hujus sententiæ insolubiles reputentur, & quidem esto nos eas non censamus insolubiles, fatemur nihilominus magnam præferre apparentiam, & forte majorem, quam rationes pro parte affirmativa.

Tres itaque famosæ extant de hac re opin. duæ extrema, & una media, prima absolute negat relationes prædicam. esse veras, ac reales formas accidentales, sed asserit esse tantum denominationes extrinsecas desumptas ex collectione, seu combinatione rerum, itaut relatio prædicam. aliud non sit, quam concomitantia, & coexistentia duorum extraneorum, similitudo v. g. duorum alborum combinatio, æqualitas duorum quantitatum palmarum, vel bipalmarum, vel alterius certæ mensuræ coexistentia; dissimilitudo vero albi, & nigri combinatio, inæqualitas quantitatis palmaris, & bipalmaris coexistentia, & sic de aliis; ita Nominales passim 1. disp. 28. 29. & 30. Ocham. Greg. Gab. Marfil. Aureol. Mayr. Adam Hervens, quos sequuntur Recentiores nonnulli, qui ob nauseam, quam illis afferunt sententiæ Arist. D. Thom. & Scoti tones in Scholis decantatæ, libenter in Nominalismum junctis pedibus ruunt, unde in Logica negant relationes, in Philosophia indivisibilia, in Metaph. præcisiones objectivas, & naturas communes, quibus principiis negatis plane evertuntur præfatæ scientiæ, præsertim ut sunt ab Arist. traditæ, & institutæ, & SS. Patribus; negant igitur cum Nominal. relationes prædicamentales Hurt. d. 16. Met. sect. 2. & 3. ejus latere Arriag. disput. 12. Log. sect. 6. & seq. Aversa quæst. 25. Phys. sect. 1. & 2. & alii, quibus si objicias in hac opinione auferri unum prædicamentum, resp. nos irridendo non ob hoc auferri ab Ecclesia unum Sacramentum, aut Decalogi præceptum, in quam sent. lapsus est Vulpes 1. p. tom. 3. disp. 58. art. 9. n. 15. ubi solum prædicamenta absoluta admittit esse entia realia formaliter, alia identice tantum, unde septem demit prædicamenta.

18 Secunda opinio extrema affirmat relationem prædicamentalem esse veram formam accidentalem rebus superadditam, & ab eis reipsa distinctam, sive talis distinctio realis vocetur, sive solum modalis, eo quia relatio non sit proprie res, sed modus rei. Hac est sententia communis in schola Peripathetica, nam Arist. hic in Logica, & rursum 5. Met. statuit verum, & reale prædicamentum relationis, quod utique nequit ex sola denominatione extrinseca consisti, ut dicemus qu. seq. imo non solum in schola Peripat. sed etiam Platonica, quam perpetuo secuti sunt omnes Arist. Interpretes tam Arabes, quam Græci, & Latini, ut testatur Suar. disput. 47. Met. sect. 1. n. 10. & tota Realium Schola, Thomistarum, & Scotistarum, id namque ex professo docuerunt Angelicus Doct. p. 1. q. 13. art. 7. & quæst. 28. art. 1. & quæst. 7. de potent. art. 9. ac alibi sæpe, & Subtilis 2. d. 1. qu. 5. & 3. d. 1. qu. 1. & 4. d. 12. q. 1. & quol. 11. & alibi frequenter, adeo quod sola tot, ac tantorum auctoritas virorum hanc sententiam reddit opposita valde probabiliore.

Tertia demum opinio media, concedit quidem relatio-

nes prædicamentales esse veras formas accidentales rebus insidentes, negat tamen esse aliquo modo actu a parte distinctas ab eis, sed tantum fundamentalitate, ac ratione ratiocinata, formaliter vero, & actualiter solum distingui per intellectum; ita Henric. quol. 9. quæst. 3. Alenf. 5. Met. circa tex. 20. Bacon. 1. disput. 28. quæst. 1. artic. 4. dub. 3. Soncin. 5. Met. quæst. 28. quam opinionem ex integro postea cum aliis nonnullis amplexus est Suar. disput. cit. sect. 2. ubi vult relationem adæquate identificari cum fundamento, exigere tamen terminum, non ut partem formalem relationis, sed ut quid connotatum in obliquo, unde concludit, relationem esse formam absolutam, non absolute sumptam, sed ut respicientem aliam, quam opinionem tribuit Nominalibus.

ARTICULUS I.

Relatio prædicam. est accidens ab extremis reipsa condistinctum.

19 **U**t hæc veritas facilius deducatur, prius utramque sententiam a nostro adfero recedentem impugnavimus, & postea nostram statuemus.

Dicimus 1. quod relatio prædicam. non est sola duorum extremorum concomitantia, vel combinatio. Conclusio statuitur contra primam opin. & prob. primo, quia ex hac opin. tollitur prædicamentum relationis, quod certe constitui nequit in mera denominatione extrinseca, ut postea dicemus, & omnes relationes ponuntur mutue, quod plane totam evertit peripatheticam doctrinam; Hæc omnia gratis concedunt Adversarii parum curantes de eversione prædicamenti relationis dicentes, non ob id tolli aliquod Sacramentum ab Ecclesia, aut præceptum a Decalogo, sed sane negando relationes reales, ut omnino tollunt, aut valde labefaciunt mysterium SS. Triadis, ut hic urget Jo. de Mag. quod est maximum Sacramentum in fide nostra. At iniquum has negare in creatis, non in divinis. Contra, si relationes in divinis sunt reales, & non tantum extrema coexistentia, ergo etiam in creatis, conseq. patet, quia omnia attributa Deo, & creaturis communia, si in Deo sunt realia, etiam in creaturis, ut constat de ratione substantiæ, sapientiæ, &c. hoc solum interest, quod in Deo ob summam simplicitatem divinam cum divina substantia identificantur, non sic in creaturis. Resp. imo ex hoc capite nos non bene ex divinis relationibus deducere creatas accidentales, quia illas sunt substantiales, & transcendentales. Contra, quia hæc sunt prædicamenta communia Deo, & creaturis, ergo sicut scientia, quæ in Deo ponit substantiam, in creaturis ponitur accidens, quia scientia in communi abstractit a scientia increata, quæ est substantia in Deo, & a scientia creata, quæ est accidens in creaturis, sic pariter de relatione dicendum erit, nec poterit negari paritas, nisi negando relationem in creatis dicere accidens a rebus condistinctum, quæ sane esset manifesta petitio principii, id enim est, quod probare contendimus per assumptionem paritatem de attributis communibus Deo, & creaturis. Sed mittamus hanc rationem ex divinis relationibus deductam, quia nec Theologica est, non enim data opera eam adduximus, sed solum ut præfatos Auctores convinceremus, qui Theologi sunt, & Aristotel. auctoritatem aspernantur, quos etiam credimus facile negaturos relationes quoque divinas, nisi fides obviaret.

20 Jam igitur accingimur ad rationem naturalem, quæ funditus hanc evellit opin. dantur in creaturis denominationes pure relativæ, ergo dantur pure relationes, quæ sunt prædicamentales. Conseq. patet, quia effectus formalis non est, nisi forma ipsa a subiecto participata, assumptionem posset probari cum Scot. cit. 2. disput. 1. quæst. 5. ex denominationibus fundatis in actione, & passione, in unione, præsentia, & aliis sex prædicamentis, quia important puras relationes, ut quæst. ult. hujus disp. & filius in Phys. probamus; tamen quia Adversarii has negant esse relationes prædicam. sed ajunt esse transcendentales importantes absolutum cum respectu, ideo ad probationem assumpti inducimus denominationes similes, & dissimiles, æqualis, & inæqualis, & alias hujusmodi fundatas super unum, & multa ex 5. Met. 19. has enim concedunt esse denominationes relativæ pure prædicamentales; si ergo dantur istæ denominationes reales, utique & formæ reales relativæ dari debent, a quibus desumantur. Nec juvat dicere, has esse puras denominationes extrinsecas. Nam cum omnis extrinseca denominatio realia ex forma aliqua reali existente in aliquo subiecto semper desumatur, ut constat de esse viso, & cognito in objecto, plane hujusmodi relativæ denominationes extrinsecæ a forma alicui subiecto intrinseca sumi debent, & hæc utique debent esse forma relativæ, si enim absoluta foret, utique denominationem relativam dare non possit, quia denominatio formæ denominanti proportionari debet.

Respond. denominationem relativam utique ab una forma absoluta derivari non posse, bene tamen a pluribus, unde denominatio similis sumitur a duobus albis simul coexistentibus; hinc ait Hurt. cit. §. 39. relationem prædicam. esse duos

duos conceptus absolutos, qui eo quia non ab una re sola, sed a duobus simul existentibus desumuntur, propterea similiter dicitur ad aliud, album vero ad se, quia sumitur ab una albedine sola. Et subdit Arriag. c. 41. non esse denomin. prorsus extrinsecam, sed partim intrinsecam, quatenus dicit ipsum fundamentum, partim extrinsecam quatenus dicit terminum.

21 Hæc tamen responsio efficaciter rejicitur, quia similitudo non dicit præcise conceptus duorum albedinum, sed aliquid amplius, scilicet, habitudinem illarum, quæ explicatur per *sicut*, ergo &c. prob. assumptum, quia similitudo dicitur de unoquoque extremorum sejunctim, nam hæc albedo dicitur similis illi, quæ autem albedines simul existentes non ita prædicari possunt, non enim dici potest, quod hæc albedo sit duæ albedines simul existentes, ergo similitudo non est idem quod duæ albedines simul existentes, nec simile idem, quod duo alba simul existentia. Tum quia per hanc copulativam, Petrus est albus, & Paulus est albus, utique explicatur coexistentia duorum alborum, non tamen adhuc explicatur eorum similitudo, quia Petrus, & Paulus esse similes non tantum dicit Petrum esse album, & Paulum esse album, sed Petrum esse album, sicut Paulus, unde præter hanc, & illam albedinem dicit etiam comparationem unius ad alium ex natura rei, & non tantum per opus intellectus. Tum quia ex hac copulativa Petrus est albus, & Paulus est albus abique petitione principii bene deducitur hoc consequens, *ergo sunt similes*, non ergo similitudo est formaliter, & præcise coexistentia albedinum Petri, & Pauli, alioqui peteretur principium, & probaretur idem per idem. Tum quia albedo Petri, & albedo Pauli coexistentes secundum suos conceptus absolutos aliud non efficiunt, quam binarium albedinum, nec denominant illas albedines nisi esse duas, ut enim una albedo unum facit album, sic duæ albedines duo alba, quæ denominatio est absoluta spectans ad prædicamentum quantitatis, non vero relativa. Tum tandem quia explicare tenentur, quomodo hoc album, & illud album extrema dicantur, cur hoc dicatur fundamentum, & illud terminus, non enim recte dici possunt extrema, nisi detur quid veluti medium inter ea, cujus dicantur extrema; hæc enim ratione materia, & forma in composito dicuntur extrema nionis, neque etiam hoc extremum bene diceretur fundamentum relationis, neque illud terminus, si relatio dicit solum duos conceptus absolutos, non enim unus conceptus absolutus dici potest terminus alterius conceptus absoluti; neque sufficit recurrere ad habitudinem rationis, quia tunc non salvetur denominationem relativam esse realem.

22 Aversa cit. sec. 2. ut salvet in concomitantia extremorum absolutorum denominationem vere relativam, ait illam concomitantiam non ita debere explicari, ut dicat utrumque extremum in recto, & æque primo, sicut ajebat Hurt. sed ita ut primario, & directe dicat unum, nempe fundamentum, secundario, & in obliquo dicat, seu connotet aliud, scilicet, terminum, sic enim inquit explicari bene denominationem relativam. Sed non ob id evadit Aversa propositas difficultates. Tum quia etiam hoc modo explicando combinationem absolutorum non una res relativa erit relatio, sed duæ absolutæ, una in recto, altera in obliquo, imo cum non magis esse in, quam esse ad, sit de conceptu relationis, male ponitur terminus esse connotatum, & fundamentum solum principale significatum, unde juxta hanc viam melius loquuntur, qui tenent utrumque æque primo per revelationem importari. Tum quia licet ponendo terminum in obliquo, videatur exprimi conceptus relativus, & comparatio fundamenti ad terminum, re tamen vera nihil tale exprimitur, quia etiam si dicamus hoc album est simile illi, tamen in sententia istorum hoc tantum importat, quantum si diceremus, hoc est album, & illud est album, vel hæc sunt duo alba, quod si aliquid reale amplius exprimitur ultra hos duos conceptus absolutos, sane nil aliud erit, nisi verius ordo, ac realis comparatio unius ad aliud. Tum tandem, quia quocumque modo explicetur relatio per concomitantiam, vel combinationem duorum extremorum, male definirentur relativa ex Arist. esse, quæ hoc ipsum, quod sunt, ad aliud sunt, potius enim definiri deberent ad aliud esse illa, quorum esse est cum alio esse, cum relatio secundum istos non sit habitudo unius ad aliud, sed coexistentia potius, vel combinatio unius cum alio.

23 Denique prob. concl. ratione Mayr. 1. d. 39. q. 2. quæ etiam utitur Zerbius 5. Met. q. 17. quicquid est in duabus albedinibus simul existentibus, totum est in duabus succedentibus sibi invicem, ergo si similitudo non dicit aliquid reale supra entitates absolutas illarum, ita similis erit una albedo existens alteri futuræ, sicut alteri eodem tempore existenti, quod tamen communiter negatur etiam ab Adversariis, qui ad relationem prædicam. etiam ut ab eis connotatur, requirunt terminum actu existentem, assumptum patet. Prob. conseq. a pari, numerus duorum albedinum, quia nihil dicit super entitates absolutas illarum, præsertim secundum Nominales, ita salvatur in illis simul existentibus, sicut sibi invicem succedentibus, ergo etiam ita in proposito, quia similitudo nihil dicit præter entitates absolutas illarum. Si dicas, requirit similitudinem durationis

Maffrei, & Bellati Tom. 1. Logica.

nis ambarum. Contra urget Mayr. tum quia duratio est modus posterior ipsa re durante, ergo similitudo, quæ dicit præcise entitates absolutas duarum albedinum, non videtur pendere a duratione simultanea illarum; tum quia vel illa similitudo est aliquid reale præter illas albedines, vel non; si non, redit difficultas, si sic, vel hoc est absolutum, & adhuc urget eadem difficultas, vel respectivum, & habetur intentum, sicut enim illas similitudo ponitur relatio realis coexistentiæ, idem pariter dici debet de similitudine.

24 Dicimus 2. relationem prædicam. non esse aliquid superadditum fundamento sola ratione distinctum ab eo. Est Scoti l. c. contra 3. opin. quæ adæquate a parte rei relationem prædicam. cum fundamento identificabat. Et prob. nam in hac sententia vel relatio habetur in fundamento ad positionem termini de novo, vel supponebatur jam in fundamento quoad totum suum esse: si primum, ergo vel erit sola amborum extremorum coexistentia, aut denominatio inde desumpta, quæ erat Nominalium opinio, vel forma aliqua de novo resultans in fundamento ad positionem termini, quæ est nostra: si vero dicatur secundum, nempe supponi fundamentum identificatam ante adventum termini, tunc præterquam quod non salvetur esse verum accidens, quia hoc non identificatur cum subiecto, cum possit adesse, & abesse, semper in subiecto daretur tam ante, quam post existentiam termini, & semper subiectum actu denominaret relativum, quia effectus formalis relationis prædicamentalis est actu referre subiectum, unde Petrus albus similis diceretur Paulo nondum albo, & pater illius filii, quem nondum genuit. Et rursus sequitur, vel relationem secundum suam specificam rationem a termino non pendere, vel rem dependentem existere sine eo, a quo dependet.

Resp. Auctores 3. sent. relationem semper in fundamento reperiri quantum ad entitatem realem, quam dicit, quia hæc non est diversa ab entitate fundamenti, non tamen semper in eo reperiri cum denominatione relativa, quia hæc denominatio etiam pendet a termino, hanc vero termini necessitatem, ut habeatur in fundamento relativa denominatio, non omnes eodem modo explicant: Aliqui dicunt, relationem in fundamento desitescere in esse incompleto, & inchoato ante existentiam termini, compleri autem postea per adventum termini, & hac de causa antea non præbere fundamentum denominationem, ita Bacon. & Soncin. l. c. Sed contra, quia per relationem in esse incompleto vel intelligunt solam entitatem absolutam fundamenti, ex qua posito termino nata est resultare relatio, & hoc utique bene dicitur, sed non inferunt identitatem relationis cum fundamento, sed potius vera a parte rei distinctio, vel intelligunt veram formam relativam ratione solum, seu universaliter distinctam ab entitate absoluta fundamenti, & sic dicendo redit difficultas, quia secluso termino haberetur tota relationis essentia, ac proinde subiectum actu referret ante existentiam termini; Imo sic dicendo non tantum necessarius erit terminus ad denominationem relativam, sed etiam ad ipsam entitatem relationis, quia ante terminum ponitur inchoata solum.

25 Idcirco concedunt alii præexistere relationem in fundamento secundum esse completum quoad entitatem, non tamen ipsum referre, vel actu denominare, quia ad hoc requiritur terminus, vel necessaria conditio, unde expectatur terminus, ut complementum denominationis, non autem entitatis, ita Suar. cit. Contra, hæc evasio est minus rationabilis, quam præcedens, nam illa ante existentiam termini non concedebat relationem in fundamento actualiter, & formaliter, & hinc deducebat non posse actu denominare subiectum, sed tantum radicaliter, & inchoate, sed ista concedit ante existentiam termini relationem in fundamento secundum totam perfectionem suam formaliter, & in actu, & negat præbere denominationem actualem, unde duo dicit difficulta capta, unum est, quod dicitur relatio prædicam. actualis, & completa sine termino, alterum est, quod talis detur in subiecto, & tamen actu non denominet illud. Et nunquam isti explicabunt, quo pacto terminus sit necessaria conditio, ut relatio præexistens in fundamento secundum totam entitatem suam illud actu denominet relatum, nisi ponatur habitudo realis ad illud, quia si secundum essentiam nullam habet cum eo necessariam connexionem, cur habeat quantum ad denominationem? Nec tandem nunquam satis explicabunt, quomodo possit esse tota perfectio intrinseca similitudinis informans subiectum, nec illud denominet simile, & hæc fuit ratio Scoti 5. Met. q. 11. n. 22. ubi ait, si relatio uniformiter informat tam ante, quam post productionem termini, quare non uniformiter denominat?

Respondent multi ex Suar. cit. id esse proprium effectuum connotativorum, ut non tribuantur a forma informante subiectum, nisi ponatur id, quod necessario connotatur, ut multis constat exemplis, nam si visio peroreret in lapide, non faceret illum videntem, quia hic effectus connotat subiectum vitale, & negatio visus in eodem non ipsum denominat cæcum, quia cæcitas connotat in subiecto aptitudinem ad videndum, quæ deest lapidi: res in primo instanti dicitur creati, non conservari, & e contra in tempore sequenti dicitur conservari, non creati, non

quia desit aliquid reale ad creationem, aut conservationem requisitum, sed quia desunt connotata, scilicet respectus ad non esse immediate præcedens, vel respectus ad esse præhabitu, idem igitur dicunt de fundamento relationis, quod ante existentiam termini non denominatur per relationem esse relatam, non quia illi desit id, quod est intrinsecum formæ relativæ, sed quia desit terminus, qui connotatur.

26 In hac doctrinam de connotatis hic acriter invehuntur Hurt, Arriag, & Ovyied. in Met. contr. 9. punct. 4. imo Hurtad. passim ea carpit disp. 5. Phys. a §. 18. disp. 11. a §. 11. disp. 6. Met. a §. 39. & alibi, quia si semel admittatur hæc doctrina, quod possit variari denominatione ex sola variatione connotatorum extrinsecorum absque ulla pœnitente variatione facta in entitate formæ, sanè præbetur ania eludendi omnia argumenta, quibus probare solemus dari modos distinctos a rebus, sicut enim in proposito inquit dari similitudinem realiter in Petro albo ante existentiam albedinis Pauli, quoad entitatem, non quoad denominationem, sic pariter si fieret argumentum, quod materia, & forma existentibus non existit unio, & postea existit, ergo unio distinguitur a materia, & forma, responderi posset non existere unionem in materia quoad denominationem, existere tamen quoad entitatem, denominare autem materiam unitam, dum connotat formam, imo posset quodlibet paradoxum sustineri, ut ver. g. quod sola anima rationalis est homo intrinsece, & facta dissolutione animæ a corpore manere animam rationalem in esse hominis, quoad entitatem, non quoad denominationem, quia desit connotata requisita.

27 Sed quomodo utendum sit doctrina de connotatis, quæ utriusque non est proflua a scholis ableganda, ut isti putant, & quomodo connotativa non sint cum relativis confundenda, dicemus in fin. art. in quo puncto absque dubio deceptus est Suar, confundens hæc cum illis, cum tamen inter utraque sit magnum discrimen; multipliciter ergo deficit solutio Suarez. Tum quia cum non minus sit de conceptu relationis esse ad, quam esse in, male docet relationem importare entitatem fundamenti, & connotare terminum. Tum quia ut arguit Mayr, loco citato ista connotatio est idem proflua cum entitate fundamenti, sicque etiam de fructu termino stabit denominatio; aut est quid distinctum ab ea, & hoc idem dici poterat de ipsa relatione. Tum quia effectus formalis proportionatur causæ formali, itaquequod si effectus, seu denominatio est absoluta, causa etiam erit absoluta; si effectus est connotativus, pariter & causa, ergo si denominatio relativa, quia est effectus connotativus, necessario dependet a termino, qui est connotatum, idem quoque dicendum est de relatione, quod nimirum secundum se sit causa formalis connotativa. Tum tandem, quia forma relativa non solum quoad effectum formalem denominandi, sed etiam in abstracto secundum se sumpta pendet a termino, ergo secundum suam perfectionem propriam etiam præscindendo ab effectu formali denominationis non potest poni in fundamento, & ibi conservari non existente termino.

28 Respondent tandem quidam Juniores, entitatem fundamenti continere perfectionem relationis ante existentiam termini, quia in fundamento inest intrinsece relatio quædam transcendentalis ad terminum possibilem, quæ relatio transcendentalis sit prædicamentalis existente termino sine ulla mutatione intrinseca fundamenti, sed solum extrinseca, eo quod transcendentalis differat a prædicamentali, non secundum intrinseca, sed tantum ex connotatione extrinseca termini, non simpliciter, sed quoad varium modum essendi, ut verb. grat. albedo statim ac est solitarie producta, dicitur, ex vi ordinis transcendentalis assimilabilis albedini non existenti, cum vero est producta altera albedo, dicitur actu assimilata, quæ actualis assimilatio nihil intrinsecum ponit in priori albedine, sed tantum extrinsecum complementum, ratione cujus assimilabilitas fiat actualis assimilatio, & ait Amic. cit. tr. 15. quæst. 5. dub. 2. hunc esse probabilem modum defendendi 3. sent.

Cæterum illa opin. neque hoc modo recte defenditur. Tum quia impossibile est, quod relatio, quæ erat transcendentalis, ac proinde fundamento realiter identificata, expositione termini fiat accidentalis, & prædicamentalis, & ab eodem fundamento postea distinguitur. Tum quia quando etiam hæc metamorphosis concederetur, adhuc difficulter explicabitur, quomodo id contingere possit in illo fundamento absque ulla profusa sui mutatione, hoc enim privilegium vix divinæ conceditur voluntati, ut potens ad ali-quod obiectum terminari, actu terminetur ad illud sine sui mutatione. Tum tandem quia cum albedo solitarie producta potest alteri assimilari, actu deinde illi jam productæ assimilatur, illa similitudo, quæ fit actualis, non est ordo ille transcendentalis, quo dicitur assimilabilis cuiuscumque albedini possibili, sed est eadem similitudo in individuo, quæ prius erat in potentia objectiva, & postea fit in actu, sicut contingit in productione cuiuscumque alterius individui, quod prius erat in potentia objectiva, & postea fit in actu.

29 Dicimus tandem relationem prædicamentalem esse formam accidentalem fundamento superadditam, ut quid rei-

ipsa ab eo æqualiter distinctum, Ita D. Th. & Scot. l. c. & 5. Met. q. 11. cum eorum assensu, quam probat Doctor ratione, qua alii passim utuntur. Potest relatio prædicamentalis alicui fundamento superaddi, quod prius sine ea existerat, & etiam ab eo tolli, ita ut sine ea remaneat, ergo cum possit adesse, & abesse præter ejus corruptionem, plane erit accidens ab eo respectu distinctum. Conseq. patet ex definitione accidentis, & ex eo quia separabilitas est sufficiens inditium realis distinctionis inter aliqua duo; antec. constat experientia in omnibus relationibus, quorum fundamenta sine terminis esse possunt, nam album solitariam est sine similitudine, quæ postea in eo resultat ad alterius ortum, & evanet ad ejusdem interitum.

Resp. Auctores 3. sent. neg. conseq. quia dum Petrus albus fit similis Paulo dealbato, non acquirit novam entitatem super albedinem, sed tantum novam denominationem ex nova connotatione termini, quod confirmant exemplo actuum liberorum Dei; potuit enim Deus non velle mundum, qui actus quoad entitatem non potuit non esse, potuit tamen quoad denominationem; afferunt etiam instantiam de creatione, & conservatione, quæ non distinguuntur a parte rei, & tamen in primo instanti est creatio, & non conservatio, & in tempore sequenti est conservatio, non creatio.

30 Hæc est illa doctrina Suarez, quam acriter superius Hurt, & Arriag. reprehendebant, & quidem merito. Tum quia in hac solutione manifesta involvitur petitio principii, dum ajunt Petrum album habere totam entitatem similitudinis; qua dici possit similis alteri albo possibili, non tamen dici actu similem, quia non habet eam in esse denominationis, hæc sane est aperta petitio principii, est enim ac si dicerent, non dicitur similis, quia non denominatur similis, quod est respondere idem per idem. Tum quia ut ajebat Hurt, re vera ex hac doctrina de connotatis dici male adhibita præcluditur via probandi modos a rebus distinctos, nec poterit per argum. allatum probari unio v. g. distincta a materia, & forma, quo tamen argum. ad hoc probandum utuntur ipsi Adversarii. Nam semper negabitur conseq. & dicitur in materia præexistere unionem in ratione entitatis, non in ratione denominationis, & postea ex nova connotatione formæ unionem denominare materiam unitam. Tum quia hæc ipsa connotatio, quæ relationi in fundamento præexistenti in ratione entitatis confert rationem quoque denominationis, vel est nova relatio, & novus ordo ad terminum, vel semper adfuit in fundamento; si primum, idem dici poterat de relatione ipsa ab initio; si secundum, cur ergo tunc non connotabat terminum, modo autem connotat? Tum quia hujus diversitatis alia ratio reddi nequit, nisi quia facta est ei aliqua realis additio, non enim intelligi potest fundamentum habere novum, & intrinsecum ordinem ad terminum sine nova, ac intrinseca additione; sic albedo, antequam concipiatur in subiecto existens, non connotabat quid extrinsecum, postquam ponitur in subiecto, ex hac reali additione inhaerentia dicitur connotare subiectum. Exemplum vero, quod afferunt de actibus liberis Dei, potius est pro nobis, actus enim divinæ voluntatis ob suam illimitationem absque additione alicujus realis respectus dicitur terminari ad creaturam volitam esse, quod poterat non velle, absque ulla profusa sui mutatione, cum ergo in creatura talis limitatio non sit, non poterit in fundamento dari nova termini connotatio absque reali additione; vel ad summum fundamentum denominabitur relatum per meram denominationem extrinsecam ex positione termini extrinseci, cum ex hoc nihil intrinsecum illi addatur, quod tamen neque ipsi contrarii admittunt; si ergo illa denominatio est intrinseca, & nova, certe cum sit realis, & non rationis, aliquid reale additur fundamento ex positione termini, & ratio plane omnino convincit, ut notat Faber 5. Met. disp. 19. c. 4. Nec etiam instantia, quam afferbant, de creatura, & conservatione est ad rem, quia eo modo, quo hæc separantur, ita distinguuntur, separantur autem non ratione realis respectus dependentiæ, qui per utramque formaliter importatur, sed quoad respectus connotatos ad non esse immediate præcedens, qui connotatur a creatione, & ad esse præhabitu, qui connotatur a conservatione.

31 Resp. proinde Auctores 1. opin. per illud arg. bene convinci distinctionem similitudinis a solo fundamento, non tamen a fundamento, & termino, quia ab utroque separari impossibile est etiam de potentia absoluta, ex quo deducitur esse adæquati idem cum utroque, nec aliquid eis superaddere: Quæ solutio confir. quia dum volumus probare unionem, ubicationem, actionem, passionem, &c. esse modos rebus superadditos, ex eo probatur, quia possunt reperiri extrema in rerum natura sine illis modis, ut corpus, & anima sine unione, & hinc deducimus distinctionem ab eis, cum ergo de his relationibus prædicamentibus, similitudine, æqualitate, &c. oppositum experiamur, quod extrema sine illis reperiri nequeunt, oppositum etiam debemus deducere, quod nempe non sunt aliquid extremis superadditum, & ab eis condistinctum. Sed neque hæc solutio satisficit; tum quia non desunt, qui putent posse a Deo separari similitudinem a duobus albis, itant solum fundamentaliter maneat similia; tum quia licet separabilitas semper inferat realem distinctionem inter aliqua duo, non tamen

tamen inseparabilitas semper inferat identitatem, ut diximus d. 1. qu. 5. art. 2. atque ideo concedendo duo alba non posse esse sine similitudine, non rite hinc inferitur similitudinem identificari cum illis. Nec tandem valet assumptio paritas de unione, ubicatione, &c. quia illæ sunt relationes extrinsecas advenientes, non insurgentes, nisi facta extremorum approximatione, atque ideo extrema reperiri possunt in rerum natura sine illis, ac similitudo, æqualitas, & alia relationes, de quibus hic præsertim est sermo, sunt intrinsecas advenientes, insurgentes scilicet ex natura extremorum, atque ideo illis positus necessario refutat, & hinc est, quod extrema nequeunt sine illis in rerum natura reperiri; fatetur tamen hæc de causa evidenti ostendi per rationem aliarum distinctionem relationum extrinsecas advenientium ab extremis, quam intrinsecas advenientium, unde consulto eam præsertim Doctor arripit ad ostendendam distinctionem istarum a fundamento, non ab utroque extremo.

Deinde Joan. de Magistris hic assert ad idem aliam rationem factis evidentem, qua etiam utuntur Compl. impossibile est simul, & semel eandem formam intendi, & remitti, quia intentio, & remissio sunt motus contrarii, sed relatio potest intendi, quando suum fundamentum remittitur, & remitti quando intenditur, ergo relatio, & fundamentum non sunt una forma realiter. Prob. minor, quia supposito, quod Sortes sit albius Platone, si remittitur albedo Sortis, quod Sortes sit magis similis Platoni, si vero albedo Sortis intenditur, tunc fiet minus similis Platoni, eo quia albedo Sortis continuo recedit a gradu albedinis Platonis. Tandem aliis rationibus idipsum probat Doctor loc. cit. quæ apud ipsum videri possunt, & immerito carpuntur hic a Pontico, velut insufficientes, & non solum rationibus, sed etiam auctoritatibus Patrum & Philosophorum, scilicet Aug. 5. de Trin. c. 5. Amb. lib. 1. de fide ad Gratianum cap. 5. Hilarii 12. de Trin. Arist. 12. Met. c. 2. & tex. 52. Avicen. 3. Met. sue c. de relat. simpl. super prædic. qui omnes docent relationes prædicamentales esse accidentia rerum.

32 An vero præfata distinctio, quæ inter relationem, & fundamentum reperitur, dici debeat realis, vel potius modalis, sicut & an relatio dici debeat res, vel modus, est magnum inter Auctores 2. sent. jurgium. Compl. disp. 14. q. 5. contendunt esse realem, & relationem debere dici rem. Neoterici passim contendunt debere dici modum, ac proinde distinctionem ejus a fundamento solum esse modalem. Doct. in 2. d. 1. q. 5. §. Quod si adbe ait, hanc esse contentionem de nomine, utpote quæ pendet ex acceptione terminorum rei, & modi distinctionis realis, & modalis, & inquit Doctor relationem posse dici rem, & modum, potest dici modus, quatenus est imperfecta entitas ad quamcumque absolutam comparata per se existere non potens, sed fatali necessitate semper alteri affixa, quod modificat; potest dici res, quatenus essentialiter cadit sub divisione entis realis, & omne tale est res, ut a modo distinguitur, modi enim, proprie loquendo de modis, & in rigore, ut sunt gradus intrinseci rerum, non includunt ens formaliter, & quidditative, præsertim in Schola nostra, ut in Met. dicimus. Si etiam distinctio realis sumatur pro ea diversitate, quæ inter duo reperitur, quorum unum potest stare sine alio, sive id mutuo sit impossibile, sive non, quo sensu sumi posse, ac debere diximus disp. 1. q. 5. art. 2. sic distinctio, quæ inter fundamentum, & relationem reperitur, potest dici realis; si vero magis rigorose sumatur pro ea diversitate, quæ inter duo reperitur, quorum alterum potest esse sine altero reciproce, non potest dici realis, sed modalis. Præstat tamen absolute loquendo eam appellare realem, non modalem, tum quia non eo ipso, quod aliqua duo ita inter se distinguuntur ut unum esse possit sine alio, non e contra, dici debent solum modaliter distingui, eo enim genere distinctionis distinguuntur Deus, & creatura, quia Deus esse potest sine illa, non e contra, & tamen non sunt modaliter distincta, sed realiter; tum quia distinctio modalis in schola nostra in alio sensu accipitur, quam a Modernis usurperat, ut loc. cit. declaravimus; Ne igitur pariatur confusio in terminis, vocetur in schola nostra distinctio realis, ut ibi determinavimus, esto enim relatio nequeat esse sine fundamento, hoc non obstat, quin sint mutuo realiter distincta, sed tantum, quod non sint mutuo separabilia cum retentione propriæ existentie, quod addimus ob nonnullos, qui præfata distinctionem appellat realem, non mutuum, in quo valde falluntur, tum quia omnis distinctio realis est mutua, ut ibi probavimus; tum quia quod relatio nequeat esse sine fundamento, inferit solum, quod non sint mutuo separabilia, non autem, quod non sint mutuo realiter distincta, & hunc loquendi modum observamus in Phys. loquendo de Unione disp. 5. q. 9.

33 Pro complemento hujus art. advertendum est, quod licet relativa videantur cum connotativis habere affinitatem, quia utraque dicunt quendam ordinem ad aliud, & ab absolutis contradistinguuntur, re tamen vera si utrorumque natura perpendatur, in multis differre deprehenduntur; primo enim relativum per se primo, & directe aliud respicit, ut pater filium, connotativum vero secundario, & indirecte, ac minus principaliter, ut concretum accidentis, quod principaliter importat formam, secundario, & minus principa-

liter concernit subiectum; deinde relativum respicit aliud præcise, ut terminum præscindendo a quacumque alia ratione, connotativum vero respicit aliud per modum annexi, & accessorii præscindendo a ratione termini, album enim concernit parietem v. g. non ut terminum, sed ut subiectum, unde connotatio etiam in rebus absolutis reperitur, ut constat in exemplo adducto de albo; demum differunt, quod connotatio proprie pertinet ad modum significandi, non ad rem ipsam, ut dictum est 1. p. Inst. tract. 1. c. 4. & reperitur in nominibus, quæ ex eorum impositione unum significant, & ex modo significandi principalis significati dant aliud intelligere secundario, ut ibi declaratum est exemplo nominis *canis*, quæ ex vi nominis significat comestionem, tamen ex modo significandi principalis significati dat intelligere tempus vespertinum, & hoc dicitur connotatum; relatio autem pertinet ad res ipsas, & ideo quamvis tam relativum, quam connotativum distinguantur ab absoluto, hoc tamen interest, quod connotativum proprie distinguit terminos, quorum alter est absolutus, alter connotativus, relativum vero distinguit res ipsas, quarum alia sunt absoluta, alia relativa.

34 Quanta autem sit connotativorum necessitas, nemo est, qui non videat, passim enim in scientiis impingimus in hos terminos connotativos, unde inconsulto videntur illos ablegare Hurt, Arriag, & alii quidam Recentiores contententes hujusmodi nomina plura simul significantia diversæ naturæ, quæ proinde nos appellamus connotativa, significare illa plura æque primo, & per se, unde inquit v. g. veritatem in actu intellectus æque primo significat entitatem actus, & entitatem objecti, ita ut si denominatio partim intrinseca, partim extrinseca, sic etiam omnipotentiam significare simul perfectionem intrinsecam Dei, ac entitatem possibilem creaturæ æque primo, ac in proposito similitudinem dicere æque primo duo alba, hic modus dicendi est omnino novus, ac a veritate alienus; Logici namque dixerunt nomina connotativa plura significantia unum significare primo, & principaliter, alterum autem secundario, & minus principaliter, quia cum illæ res significatæ sint diversæ naturæ, non possunt sub una communi ratione significari æque primo, quia sicut non sunt nata facere per se unum, ita explicari nequeunt ratione per se una, faciendum autem, quid unum significetur primario, & aliud tantum secundario, non impeditur unitas conceptus, ut notat Doct. 4. d. 1. qu. 2. ergo dum isti Recentiores inquit res diversas per illa nomina importatas æque primo significari, plane destrunt unitatem conceptus, quia ob earum diversitatem nequeunt esse per se partes unius conceptus, non ergo recedendum est a consueto modo Logicorum explicandi nomina illa connotativa, & connotatio terminorum sic explicata non est damnanda, sed potius ab omnibus amplectenda, ut summe necessaria ad declaranda plura Philosophica, & Theologica; duratio enim, creatio, conservatio, & alia hujusmodi sine connotatione nequeunt perfecte explicari, ut suis locis dicemus.

Verum tamen est ex alia parte, non in omnibus fere terminis miscendam esse connotationem, ut faciunt Recentiores alii cum Suar. neque explicandam esse, ut ipse facit, quod possit alicui rei advenire nova connotatio, & ex hac insurgere in re nova, & intrinseca denominatio, quam prius non habebat, absque ulla profusa ejus mutatione; sic enim ajebat album, quod prius non erat simile, deinceps denominari simile (& quidem intrinsece, quia habebat in se totam similitudinis entitatem) post productionem alterius albi, plane hoc ipsius repugnat, quia nequit fieri realis, & physicus transitus a contradictorio in contradictorium sine aliqua reali mutatione, si ergo hoc album prius non dicebatur simile, & post productionem alterius albi dicitur realiter simile, certe si hæc denominatio est intrinseca, non resultat, nisi per aliquam intrinsecam novitatem, & mutationem illius, albi, nec unquam explicabit Suarez, quomodo præsertim in rebus creatis dari possit nova connotatio, & intrinseca denominatio, quam prius non habent, absque ulla profusa earum mutatione.

ARTICULUS II.

Nominalium fundamenta diviuntur.

35 **C**ontra resolutionem præced. art. arguunt Nominales 1. auctorit. Arist. 5. Phys. 10. ubi disertis verbis docet ad relationem non dari motum, quia advenit subiecto; ac recedit absque ulla ejus mutatione per solum mutationem alterius extremi. Idem inquit *alterere D. Ansel.* in Monolog. c. 24. ubi ait unum hominem ex nativitate alterius fieri ei similem, æqualem, &c. absque ulla sui mutatione, unde hæc de causa ibi de novo admittit in Deo denominationes relativas, quia ex ipsis nulla sequitur mutatio in eo, sicut ergo salvantur in Deo veræ denominationes relativæ absque distinctis relationibus, quæ mutationem faciunt, ita etiam in aliis omnibus salvari poterunt, ac debent, faceant autem mutationem, si essent formæ reales subiectis superadditæ.

Resp. Doctor. in 2. d. 1. q. 5. G. & 3. d. 1. q. 1. K. & quol. 1. R. Arist. ibi assignare, ad quæ prædicamenta sit per se motus,

motus, & quænam formæ propria acquisitione, ac novitate acquirantur, excluditque ab hoc genere formarum relationes hujus prædicamenti, utpote quæ nunquam propriam acquisitionem habent, eo quia necessario consequuntur extrema jam posita, sed semper per accidens acquiruntur, alio scilicet absoluto acquisito in altero relatorum; neque ibi negat motum per se ad quæscunque respectum, imo concedit motum ad Ubi, quia est de genere eorum respectuum, qui non necessario consequuntur extrema in esse posita, ideoque propriam habere possunt acquisitionem; noluit igitur Arist. ait Doct. negare per hujusmodi relationes subiectum mutari mutatione communiter dicta, quæ nil aliud est, quam subiectum aliter se habere nunc, quam prius; nam in hoc sensu concedunt motum ad relationem D. Amb. & Simpl. cit. expressissime, & Arist. ipse 11. Met. c. 4. dum ait, tot esse species mutationis, quot entis, sed tantum negavit mutationem proprie dictam, quæ scilicet est ad terminum propria novitate acquisibilem, & per se intentum ab agente; Imo ita se explicat ibid. 5. Phys. 10. nam postquam negavit ad relationem esse per se motum sensu explicato subdit, *quæ secundum accidens motus horum est*, ut bene hic notarunt Conimb. q. 1. Et sic etiam exponi debet Ansel. prætermittit, ut notat Suarez disp. 47. sec. 15. n. 10. quod si amplius præterdat, ut aliqui urgent ex ea auctor. dicimus Aug. Ambr. & alios PP. oppositum dixisse, & ideo si B. Ansel. non stat a nobis, alii Patres non deunt. Ratio autem, cur denominationes relativæ dicantur de Deo ex tempore absque ulla ejus mutatione est, quia dicuntur de ipso per solam denominationem extrinsecam, per terminationem nimirum relationis in creatura existentis, ut passim Theologi docent, neque quoad denominationem relativam licet argumentari a Deo ad creaturas, quia Deus est incapax accidentis; non sic creaturæ, ut notat Doctor 1. d. 30. q. 2.

36. Secundo arguunt ratione; positis duobus albis, quocunque alio præcise; illa dicuntur similia non tantum fundamentaliter, ut responderi solet, sed etiam formaliter, similia enim ex 5. Met. dicuntur, quorum qualitas est una, idest ejusdem rationis, talia autem forent illa duo alba absque nullo modo superaddito, nam modus superadditus (si daretur) non utique faceret illa ejusdem rationis, sed talia reperiret; sic etiam argui potest de duabus quantitativis palmaribus, quod quocunque alio secluso, præter earum entitates sint formaliter æquales, quia æqualia formaliter dicuntur, quæ sunt ejusdem mensuræ, nec plures partes continentur in uno, quam in altero. Idem argumentum, & cum majori evidentia, fit in relationibus disquiparantia, postea enim albo, & nigro, quocunque alio secluso, eo ipso sunt dissimiles, si enim singulis addas relationes dissimilitudinis, hæc potius convenientiam causant, quam discrepantiam, quia illæ duæ relationes sunt ejusdem rationis, & magis inter se conveniunt, quam album, & nigrum, sic etiam posita quantitate palmarum, & bipalmarum statim quocunque alio secluso sunt formaliter inæquales, quia formalis inæqualitas consistit in inclusione plurium partium, quam alia, sed hanc inclusionem habet bipalmaris formaliter, non fundamentaliter, imo quicquid fingitur addi, non potest facere inæqualitatem, quia non facit quantitatem majorem, vel minorem, cum non addat, vel detrahat partes, sed supponit excessum, quobipalmaris superat palmarem, & inæqualitas formaliter consistit in tali excessu. Rursus hoc magis adhuc evidenter ostenditur, quia Petrus est essentialiter diversus a Bucephalo, ergo relatio diversitatis, qua sic diversa dicuntur, nequit esse accidens eorum entitativis superadditum, quia tunc per illam formaliter denominarentur diversa accidentaliter, non essentialiter, non enim causa formalis potest producere effectum formalem seipsa perfectionem. Tandem præcise similitudine a duobus albis, distinctione a Petro, & Paulo, distantia a Cælo, & Terra, & sic de aliis, adhuc intelligitur, ita se habere hoc album, sicut illud, item Petrum esse distinctum a Paulo, cælum distare a terra, quantum prius. Si rursus dicamus data hypothese res fore similes fundamentaliter, sic etiam distinctas, & distantes. Contra urgent quærendo, unde motum habeamus ad ponendam aliam similitudinem præter illam, quam fundamentalem dicimus, nulla enim experientia id convincit, quia nec illa formalis similitudo in seipsa videri potest, nec ab ea ullus procedit effectus, ex quo a posteriori noscatur; ergo præter fundamentalem nulla alia similitudo admittenda est, neque distantia inter Cælum, & Terram, & illa ipsa formalis est dicenda.

37. Resp. ut ibi duo alba, & duo palmaria, secluso quocunque respectu, non esse similia, & æqualia, nisi fundamentaliter, sicut passim dicimus, substantiam sublata substantia non formaliter subsistentem, sed tantum fundamentaliter, ac etiam humanitatem præcise risibilitate remanere risibilem tantum fundamentaliter, non formaliter, unde cum hac doctrina ipsi Adversarii in aliis utantur, non est cur eam ita severe damnent in proposito, non enim facilius unum afferitur, quam aliud, ut ergo omnes priorum modos eliminant, aut etiam relationes admittant; ad impugnationem hujus solutionis deductam ex definitionibus similitudinis, & æqualitatis ex 5. Met. dicimus cum Scoto cit. in 2. H. ibi definitur per fundamenta, quia cum rela-

tio in se sic minime entitatis, ac intelligibilitatis, facilius per fundamenta dignoscitur, & definitur. Sic etiam resp. ad idem argum. factum in relationibus disquiparantia, nam in albo, & nigro requiruntur relationes dissimilitudinis, ut formaliter dissimilia dicantur, & licet illæ dissimilitudines inter se magis conveniant, quam album, & nigrum, tamen hanc denominationem illis non præbent, sed denominationem dissimilis, quia hæc præcise est earum formalis effectus, sic etiam de inæqualitate dicendum, quod non consistit formaliter in tanta entitate quantitatis, sed in respectu tantæ quantitatis ad alteram majoris, vel minoris, licet enim quantitates in seipsis formaliter sint tantæ, non tamen seipsis formaliter ordinantur inter se, sed per formam respectivam superadditam, quia forma absoluta non potest tribuere formaliter habitudinem ad aliud, unde relatio inæqualitatis non ponitur in extremis, ut addat, vel minuatur partes in illis, sed ut compleat denominationem inæqualitatis.

38. Ad idem argum. de relatione diversitatis factum dicimus relationes sæpe sæpius sumere denominationem ex natura extremorum, inter quæ versatur, sic unio inter materiam, & formam, licet in se sit accidens, tamen substantialis appellatur, quia est inter substantias & sub ratione substantiali unibiles, ut declaramus disp. 5. Phys. q. 9. sic etiam actio, qua compositum substantiale producit, dicitur, substantialis, esse secundum entitatem suam sit accidens; sic igitur in proposito relatio diversitatis, qua Petrus, & Bucephalus denominantur formaliter diversi, esto in se sit accidens, dicitur tamen substantialis, & essentialis, quia distinguit substantias per rationes effectuales diversas. Ad ut. resp. ut ibi, ad impugnationem dicimus, quod sicut quia videmus effectus quantitatis, vel qualitatis, quia substantia præstari non possunt, inde arguimus dari tales formas accidentales a substantia distinctas, sic etiam quia videmus dari hunc effectum in rerum natura, scilicet ordinari aliqua, & unum habere habitudinem ad aliud præter opus intellectus, qui præstari nequit ab entitatibus absolutis, hinc arguimus dari genus entitatis relativæ distinctum a genere absolutorum, nec esse necessaria ad hoc major experientia, quam in aliis formis accidentalibus.

39. Tertio arguunt ex absurdis, quæ sequerentur. Primo enim sequeretur, quod Petro movente digitum immutaretur totus Orbis, quia novi respectus distantia causarum in singulis entibus, & in ipso quoque e contra infiniti ferre respectus distantia resulerent. Secundo quod agens creaturæ agere posset ad quantamcumque magnam distantiam, & simul esset causa infinitorum fere effectuum, si enim existant ubique terrarum infinita alba, & hic Patavii de novo unum producatur album, hoc solum album produceret infinitas entitates relativæ in singulis illis albis quantumcumque distantibus, etiam apud Antipodas. Tertio quod pars esset æqualis toti, si enim in quantitate majori ponatur certa relatio ad quantitatem minorem, v. g. duplæ ad subduplam, vel relatio duplicitaris est divisibiliter in ea quantitate, ita quod sit tota in toto, & pars in parte, vel indivisibiliter, ita ut sit tota in toto, & tota in qualibet parte, quomodocunque dicatur, sequitur semper quamlibet partem illius quantitatis esse duplam, sicut tota ipsa quantitas, si enim ponatur esse in ea divisibiliter, certe cum partes duplicitaris essent singulæ ejusdem rationis cum ipsa tota duplicitate, sicut singulæ partes albedinis sunt ejusdem rationis cum tota albedine, eandem quoque denominationem præberent singulis partibus illius quantitatis, quam tota duplicitas præbet toti quantitati, sicut quamlibet pars parietis dicitur per albedinem alba, quod adhuc magis evidenter sequitur, si duplicitas inest toti illi quantitati indivisibiliter. Quarto sequeretur processum in infinitum in relationibus, nam si distinctio, & diversitas inter Petrum, & Paulum superaddit eis relationem realiter distinctam, ergo distinctio fundata in Petro realiter distinguitur ab ipso Petro, & sic etiam in Paulo, & per consequens relatio distinctionis Petri a Paulo realiter refertur ad Petrum, & per aliam relationem diversitatis distinguitur ab eo, & iterum hæc secunda relatio distinctionis est diversa realiter a prima, ergo per aliam relationem erit diversa, & de illa arguetur rursus, quod erit diversa per aliam relationem, & sic processus in infinitum. Quinto sequitur, posse saltem de potentia absoluta duo alba non esse similia, quia cum sint priora similitudine, possent ab ea separari, & sine ea conservari, & sic non essent similia, vel essent similia sine similitudine. Sexto tunc posset idem accidens esse simul, & semel in pluribus subiectis distinctis, & loco distinctis, nimirum relatio duplicitaris, qua numerus quaternarius hominum est duplus respectu binarii, insideret enim in illis quatuor hominibus, sicut ergo hac ratione negavimus superius numerum esse accidens realiter distinctum a rebus numeratis, sic in proposito de relatione dicendum, erit non esse diversam a rebus relatis.

40. Resp. ad 1. ex Mayr. cit. nullum esse absurdum, imo apprimè necessarium, quod si aliquid mutat ordinem in universo, omnia, quæ sunt in ipso, mutant ordinem ad illud, neque hoc est inconveniens, cum omnia, quæ sunt in universo, sint alinvicem ordinata, & connexa, imo ut

ut notat Doctor cit. in 2. §. *Quia*, contra negantes hoc potest obici verbum Philosophi 12. Met. text. sine com. quod tales inconnexam faciunt mundi substantiam; neque talis continua, & perennis mutatio in entibus inconvenit, quia ut dictum est ad primum, mutatio ad hujusmodi relationes est communissime dicta, itaut proprie nomen physica mutationis non mereatur. Nec etiam inconveniens est in uno, & eodem ente tot concedere relationes distinctionis, distantia, &c. quot sunt entia in universo, quia ut ait Mayr. quasi Adversariorum admirationes irridens eas portare nullum est onus. Nec dicat Averfa cit. quod esto non sit onus humero, magnum tamen, & intolerabile onus est intellectui, nam replicat Mayr. non esse onus, nisi intellectui grosso. Et sane quamvis hæc solutio tota videatur contrariis chimerica, re tamen vera nullam aliam habet apud eos confutationem præter admirationes, & exclamationes, ut ipse fatetur Hurt. cit. §. 28. & ideo bene ait, hoc argumentum, quod quidam tanti faciunt, nihil concludere, & adhuc minus urget in sententia S. Th. non multiplicantis relationes ad multiplicationem numerum terminorum, inquit enim, quod eadem similitudine, qua unum album respiciat alterum, respicit, & illud, quod de novo fit, & quando perit unum ex his, alterum non amittit similitudinem simpliciter, sed solum ad illud, unde in hac sententia non tanta varietas admittitur in universo, nec tanta relationum copia in eadem re; hinc merito hoc argumentum quidam argute *Tribunitium* appellant, eo quod non convincat, nisi plebem, & ignaros stupentes, dum audiunt ad motum digiti totum Orbem immutari.

41. Ad 2. varii sunt modi evadendi apud Mayr. cit. 1. d. 39. q. 7. & ad duos reducuntur: Primus est eorum, qui negant, relationem vere, & proprie produci, quidam enim dicunt relationes non causari, sed solum concitari, alii dicunt proprie non causari, quia relatio potius est sequela extremorum, quam eorum effectus, unde dicitur resultare, & dimanare ab extremis, non autem effici. Mayr. vero quem sequitur Jo. de Magistris, distinguit de actione physica, & metaphysica, seu Metaphysica (ut ibi vult Margo) & ait hæc secunda actione relationum produci a termino in fundamento, quia hæc non requirit determinatum situm inter agens, & patiens, sicut postulat actio physica. Hic modus respondendi ad propositam difficultatem, vel est omnino falsus, vel solum consistit in verbis, certum enim est, omne ens reale creatum in rerum natura existens habere causam sui productivam immediate, vel saltem mediate, cum omne tale sit vere causatum, & non metaphysice tantum, esto enim detur aliquis effectus ab aliqua causa, ut v. g. a finali metaphysice causatus, adhuc tamen debet ei assignari causa realis, & physica, non ergo sufficit dicere, quod relatio producit a termino actione metaphysica, nec etiam dicere sufficit, quod ejus causalitas sit metaphysica, quia per hanc non procedit a causa effectus realiter distinctus, cum non sit per verum influxum physicum, unde hoc modo nos Scotusæ dicere solemus passionem a subiecto causari, quia eam non distinguius realiter ab illo, si ergo hoc modo dicamus relationem causari ab extremis, non amplius eam realiter distingueremus ab illis. Nec etiam sufficit dicere, quod causetur per resultantiam, & naturalem sequelam, quia resultantia, & dimanatio naturalis non excludit veram efficientiam physicam, nisi quando sumitur pro causalitate metaphysica, ut ex professo ostendimus disp. 7. Phys. q. 2. & hunc dicendi modum refellit Mayr. ipse, quia si hæc resultantia, & sequela tollit veram causalitatem, tollitur via probandi aliquid esse causatum in universo, quia calor dicitur sequela ignis, compositum sequela materię, & formæ, & universam sequela Dei, non autem effectus eorum. Nec tandem sufficit dicere, relationem concitari, quia ut etiam bene urget Mayr. ex hoc, quod causetur cum alio, non tollitur, quin vere causetur, nam & Arist. 1. Phys. 64. docet formam non causari, sed concitari, quia non per se sola producit, sed ad productionem compositi, quod tamen non obstat, quin sit vere producta. Ex his impugnationibus, quas facit Mayr. deducitur ipsum sentire, quod relatio vere, & realiter causetur a termino, vel producente terminum. Sed certe dum subdit causari non per actionem physicam, sed metaphysicam, intentum suum non assequitur, vel potius nos non assequimur, quid intellexerit per actionem metaphysicam, cum non satis se declarat, ex quo aniam sumptit Margo dubitandi, an textus sit mendosus, & potius legendum putet actionem metaphysicam, quam metaphysicam; sed etiam sic legendum, non adhuc Mayr. probaret intentum, quia causalitas metaphysica non est realis; & per verum influxum in effectum, ut diximus; Ad pejus omnibus loquitur Vulpes, dum ait relationem pullulare ab extremis pullulatione rationis 2. p. tom. 1. disp. 7. ar. 3.

42. Alter modus dicendi est eorum, qui fatentur ingenue relationem vere, & realiter causari, & hi rursus divisi sunt, quidam enim dicunt causari a solo fundamento posito termino, veluti conditione, quidam et contra produci totaliter a termino in fundamento mere passive se habente, vel a producente terminum. Et ad difficultatem propositam ajunt, quod licet nequeat agens limitatum in quacunque distantia producere formam absolutam, posse tamen relativam,

ita Tat. hic Burlifer, & Vallo tract. Formalit. & Faber cit. ac etiam Ruvius, qui addit relationem produci ab agente, quod produxit terminum, propter correspondentiam ad fundamentum, & inter alios modos (excepto suo) hunc Mayr. commendat, ut magis de mente Doct. Verum sic respondendo manifesta committitur petitio principii; tenetur enim assignare rationem, cur productio effectus absoluti in quacunque distantia a limitatione agentis impediat, non autem productio relativi, nam agens æque manet limitatum in utriusque productione, nec ratio a Ruvio assignata sufficit, quæritur enim quid sit hæc correspondentia termini ad fundamentum, & quomodo hæc possit elevare virtutem agentis, ut agat in tanta distantia. Zerbius 5. Met. q. 17. prope finem tenens hunc dicendi modum, inquit, quod quivis agens in ordine ad effectum, quem per se primo producit, requirat contactum dimensionalem, vel virtuales cum passo, non tamen in ordine ad effectum, quem producit per meram concomitantiam, & hæc solutio est Bassol. 1. d. 39. ar. 2. quæ sane majus habet fundamentum, quam alia, ex his, quæ habet Doct. in 4. d. 10. qu. 4. & 5. ubi expresse videtur hanc tradere doctrinam, quem tamen Zerb. non citat, Cæterum hanc quocunque solutionem ostendimus esse insufficientem disp. 11. Phys. q. 9. in fol. ad 2. princ. ubi etiam explicamus Doctorem loc. cit.

43. Præstat igitur dicere relationem proxime, & immediate produci a solo fundamento, posito tamen termino, veluti conditione necessaria requisita, per resultantiam quandam, & naturalem sequelam, quæ tamen non excludat veram efficientiam, eo modo, quo descensum deorum in lapide dicimus naturaliter resultare ex ipsa lapidis gravitate, ad hanc tamen resultantiam concurrere removere prohibens, ut conditionem sine qua non; quia igitur terminus non concurrat per verum, & physicum influxum ad resultantiam relationis, hinc est, quod distantia non obstat, quo minus posito termino resultet relatio in fundamento in quacunque distantia, & multa in multis fundamentis; hunc dicendi modum, quem communiter sequuntur Recentiores, Compl. Amic. Morif. Jo: de S. Th. docuerunt nostri Lichet. 2. d. 1. q. 5. ad 2. Ocham, & quol. 11. respondendo ad instantias contra tertium dictum, & Bonet. in suis prædic. libel. de relationibus, ubi ab initio non longe sic eum egregie declarat in hac verba. Dicamus igitur, quod ista dependentia essentialis relationis ad terminum est quedam coexistentia, quia coexistit ipsum terminum, sicut illud sine quo non, quia nec produci, nec conservari a quocunque potest sine termino, & ex natura sua habet hoc, nam sicut voluntas non potest voluntatem elicere respectu alicujus objecti, nisi objectum sit præcognitum, & tamen cognitio objecti nec est causa productiva, nec conservativa, nec subjectiva voluntatis, ab illa tamen dependet coexistentia, similiter intellectus non elicit intellectum, nisi circa objectum, & tamen objectum a pluribus non ponitur causa effectiva, nec conservativa, nec subjectiva intellectus, palam autem quod sic conformiter est dicendum de dependentia essentiali relationis a termino, quoniam ipsa relatio est talis entitas, & ex natura est, quod non possit existere, nisi terminus existat; hæc ille satis erudite, hic denique dicendi modus tribuendi totam causalitatem relationis fundamento posito termino, ut conditione colligitur ex Doctore, qui loquens de origine relationis, & modo, quo producit, non semel ait, *relationem consequi fundamentum posito termino, seu termino non excluso*, ita loquitur 4. id. 13. q. 1. D. & quol. 11. & alibi sæpe.

44. Ad 3. resp. Zerb. cit. q. 16. §. *Propter tertium* in fine, nullam relationem in subiecto suo esse accidens extensum, aliter quamlibet pars ejus denominaret partem subiecti, in quo fundaretur, sicut & reliqua accidentia, & consequenter quamlibet pars hominis esset Pater: Sed hæc solutio præterquam quod admittit accidens indivisibile recipi in subiecto divisibili, quod solum conceditur animæ rationali ob ejus independentiam a subiecto, adhuc non evadit argumentum, imo si tota duplicitas est, non solum in tota quantitate v. g. palmarum, sed etiam in qualibet ejus parte, adhuc magis sequitur, quamlibet partem denominari duplam, ut inferebatur in argumento. Ideo Lichet. cit. 2. d. 1. q. 5. in fol. ad argum. Ocham. §. *Nunc restat*, ad penult. concedit & ipse relationem duplicitaris esse indivisibiliter in subiecto, subdit tamen non denominare partem, quia primo determinat sibi totum, & non partem, & sic nata est tantum denominare totum, quamvis ex consequenti dicatur etiam esse in partibus, quæ doctrina vera est, & poterat per eam Lichet. sufficienter argumentum satisfacere absque eo, quod concederet absurdum illud, quod relatio sit accidens indivisibile, & in subiecto residens indivisibiliter; dicimus ergo duplicitatem, æqualitatem, & alias hujus generis relationes esse divisibiles, & in subiecto extensas, non tamen partes subiecti eodem modo denominare, non quia partes illarum relationes sint alterius rationis, ac etherogenæ, ut hic dixerunt Compl. hoc enim omnino irrationabile est, sed ob rationem a Lichet. allatam, quia illa relationes requirunt integrum fundamentum, ut fiat denominatio, sicut anima, licet sit eiusdem

rationis in omnibus partibus, non tamen denominatur animal quælibet pars, sed totum dumtaxat, quia nimirum illud solum sibi determinat, ut perfectibile adæquatum, sic etiam modum subsistentiæ in sententia illum ponente positivum non denominat suppositum hanc, & illam partem aquæ, sed totam illam aquam, quæ non est alteri unita, terti modus hic etiam in partibus reperitur; imo in accidentibus etiam habemus exempla eorum, quæ denominant tantum subiectum adæquatum, etiam si sint quoque in partibus, nam longitudo palmaris v. g. est utique accidens, quod non solum est in toto palmo, sed etiam omnes, & singulas ejus partes attingit, sed quia has inadæquate tantum respicit, & totum sibi determinat, velut adæquatum subiectum, ideo totum dumtaxat palmare denominatum tantum, non vero partes, & ideo dicebat Arist. 2. Top. cap. 1. non semper tenere consequentiam ab inesse ad denominari; verum tamen est, multa quoque esse accidentia, & fere omnes qualitates ita se habere, quod indifferenter denominant tam subiectum adæquatum, quam inadæquatum denominatione ejusdem rationis, ut albedo in pariete, calor in aqua, lumen in aere, quorum exempla afferebantur in arg.

45 Ad 4. resp. Doct. cit. in 2. fol. ad 4. Henr. quod non quælibet relatio universaliter loquendo distinguitur realiter a suo fundamento, sed tantum illa, sine qua, & ejus termino fundamentum existere potest, si enim fundamentum sine illa relatione, & ejus termino potest existere, hoc est inditium manifestum distinctionis realis, cum ergo relatio nequeat existere sine fundamento, idque ab intrinseco sibi repugnet, sequitur, quod omnis ille respectus, quo ponitur, vel concipitur ad suum referri fundamentum, sive ad illud referatur, ut ad id, cui realiter inhaeret, vel a quo realiter distinguitur, vel alio modo, sit ipsum realiter identificatus, ita ut seipsa realiter ad fundamentum referatur, ut ab eo distincta, ut illi inhaeret, ut dissimilis, itaque in proposito relatio distinctionis Petri a Paulo utique est alia realiter a Petro, sed hæc aliter non est alia relatio realiter distincta a relatione diversitatis, qua Petrus distinguitur a Paulo, sed est sibi realiter eadem, ita ut seipsa realiter talis relatio distinctionis sit diversa a Petro, quam regulam adhuc magis declarat Doct. cit. sub N. quandam instantiam facit Ockham contra allatam Doct. solutionem, quam bene respicit Licher. cit. vide ipsum.

Sed dices, quamvis diversitas non alia diversitate, sed seipsa dicatur diversa a Petro, quia nequit esse sine illo, cum sit ejus fundamentum, tamen Petrus nequit dici seipso diversus a diversitate, qua differt a Paulo, quia potest esse sine illa, atque ideo indigebit alia relatione distincta, qua diversus dicatur a prima illa diversitate, & cum ab ista secunda diversitate rursus differat realiter, quia potest esse sine illa, rursus quoque alia indigebit relatione diversitatis, qua dicatur ab ea diversus, & sic in infinitum. Resp. quod sicut ex parte relationis datur status; cum talis est, quod fundamentum nequit esse sine illa, & ejus termino, ut dictum est, ita datur status ex parte fundamenti in eo genere, in quo relatio illud denominat, sic materia non dicitur alia unione unita unioni, qua iungitur formæ, nec productio dicitur alia productione producta, & ratio est, quia quod est Quo in aliquo genere, non presupponit in subiecto aliud Quo in eodem genere, unde Tat. hic dub. 2. in fine dat duas regulas ex Doctore elicatas, prima est quando aliquid est tale denominative, & aliud est formaliter tale, tunc standum est in illo, quod est formaliter tale. Altera est, quæ recidit in præcedentem, vel est ejus confirmatio, quoadcunque aliquid est medium in aliquo ordine, non oportet tali medio assignare aliud medium, sed ipsum seipso in tali ordine est medium, qua doctrina sæpius utimur in Phys. loquendo de his modis, præsertim loquendo de relatione productionis, & causalitatis disp. 7. qu. 2. quo modo non alia productione dicatur producta; Itaque ad replicam dicimus Petrum respectu relationis diversitatis non dici proprie diversum, sicut nec materia proprie dicitur unioni unita, & ratio est, quia sicut non habet Quo, ita nec potest dici Quod, sed solum dicitur diversus extrinsece per terminationem diversitatis, quam dicit prima diversitas ad ipsum Petrum, quæ est cum ipsa realiter identificata, pro quo vide dicta in Phys. loc. cit. quibus subscribit Pon. hic num. 117.

46. Ad 5. negant Scotistæ passim, & Thomistæ posse, aut relationem esse sine extremis etiam de potentia absoluta, ob essentialiam dependentiam ab eis, aut extrema sine relatione ob necessarium ejus sequelam ad ea, & hanc esse mentem Doct. testatur Lich. cit. in fol. ad hoc art. quod erat 3. Ockham. & Barg. 1. d. 28. qu. 3. quia ubicunque loquitur de relatione intrinsece adveniente, semper constanter docet sequi absolutam necessitatem positæ extremis, idque etiam tenet Zerb. cit. Et ad probationem rursus negant prius realiter distinctum a posteriori posse ab ipso separari, si hoc ex illo dimanet per naturalem sequelam, ac necessariam concomitantiam, & afferunt exemplum de substantia, quæ realiter distinguitur a natura substantiali, & est posterior ea; item figura a quantitate, & tamen secundum communem nequit Deus facere naturam sine aliqua

subsistentia, quantitatem sine figura, eo quia fatali quadam, ac indispensabili necessitate hi modi sequuntur illas entitates. At contra hanc communem solutionem instant Neoterici Suarez, Averfa, Amic. Blanc. quod cum Deus ad extra libere concurrat ad quemlibet effectum, postmo termino, & fundamento, potest suspendere concursum ad relationem, & certum est apud Theologos, Deum posse impedire omnem causalitatem causæ secundæ, si est in genere causæ efficientis, qualis a nobis ponitur, causalitas fundamenti in ordine ad relationem in ipso resultantem postmo termino; ergo &c.

47 Cæterum facile respondebunt Deum utique ad quemcunque effectum libere concurrere simpliciter, & absolute loquendo, ad aliquem tamen effectum, imo ad multos concurrere necessario necessitate secundum quid, & ex suppositione, quæ certe absolutam libertatem non tollit, supposito enim v. g. quod concursus præberit (ut sistamus in allatis exemplis) ad existentiam naturæ necessario tenetur concurrere ad naturalem resultantiam subsistentiæ ejus, & sic de figura respectu quantitatis, si ad horum modorum resultantiam necessarius est concursus distinctus ab eo, quo concurrat ad existentiam illarum, quarum sunt modi, quod addimus ob Lich. qui loc. cit. in 2. & in quol. 11. in fol. ad objectiones contra 3. dictum ad 6. tenet similes modos immediate manare a re, cujus sunt modi, velut a causa necessaria præcisa, & adæquata absque concursu extrinseci agentis, quo dato adhuc minus urget argumentum Recentiorum. Et sic etiam ad aliam prob. aut negandam est Deum adhibere distinctum concursum in resultantia horum modorum ab eo, quo concurrat ad existentiam rerum ipsarum, cujus sunt modi, vel si adhibet, impedire non posse sequelam illorum ob intrinsecam implicentiam.

48. Posset urgentius præfata solutio contra Scotistas impugnari ex eo, quod docet Doct. in hac q. sub M. quod nempe impossibilitas separationis duorum ex triplici capite pendere potest, vel quia sunt simul natura, vel quia unum est prius, a quo essentialiter dependet posterius, & ideo hoc nequit ab eo separari, vel demum quia sunt realiter idem, unde postea inferit 2. d. 2. q. 2. ab initio, quod prius nequens esse sine posteriori necessario est idem illi, quando hæc impossibilitas provenit ab intrinseco, ut constat de subiecto, & passione, & quod nihil realiter distinctum ab alio, sine quo non potest esse sine contradictione, est prius eo, sed est posterius naturaliter, vel simul natura cum eo: sane ex hac regula Scoti videtur manifeste inferri, quod si extrema sunt naturaliter priora relatione, & illis ab intrinseco repugnat sine illa conservari, hoc erit propter identitatem realem ejus cum ipsis, vel potius quod relatio nil aliud est, quam ipsa extrema simul posita, hæc de causa alia Scotistæ concedunt posse a Deo conservari extrema sine relatione, ita Bonet. in hoc prædic. Mair. & Faber cit. Tandem si placet tueri communem modum Scotistarum, occurri potest ex dictis qu. præc. quod illa regula Doct. valet quotiescunque talis impossibilitas prioris a posteriori provenit ab intrinseca natura prioris, non ab alio intrinseco, ut ipsemet explicat in hac q. sub N. sic autem est in proposito, quod impossibilitas separationis, & necessaria connectio extremorum cum relatione provenit, non ab intrinseca natura singulorum singularitatem, sed a similitudine durationis, cui ambo coexistunt, quæ utique illis est accidentalitas, quia unum destrui potest alio remanente; Sed quicquid sit de hoc, concludimus, quod si per possibile, vel impossibile a duobus albis auferretur relatio, non manerent similia formaliter, sed tantum fundamentaliter, ut dicebamus in fol. ad 2.

49 Ad 6. sicut numerus ex dictis disp. præc. q. 2. non est ens aliquod per se unum, sed solum multitudo, si relatio numeri majoris ad minorem, vel e contra, non est una relatio simplex, sed in quolibet subiecto sua relatio, quatenus est pars componens illam multitudinem, & comparative se habens in excessu, vel defectu ad partes alterius numeri; quod potest familiari exemplo declarari de pluribus navim trahentibus, nam in quolibet est relatio non trahentis simpliciter, & adæquate, sed coadjuvantis ad trahendum, & sic in solidum constituunt integram tractionem, ita colligitur ex Doctore 4. d. 1. q. 2. in fol. ad 1. princ. ubi loquitur cum particula dubitativa forte ob illos, qui statuunt numerum ens per se unum, non quia ipse oppositum teneret; argumenta quædam alia minoris momenti ad hanc quæst. attinentia videri possunt apud Licher. & Zerb. & Scotum ipsum loc. cit. omnibus enim adamusim fatiscunt; Neoterici enim in hac controversia, in qua ita gloriantur de sua sententia, nec quidem argumentum unum proprio Marte addiderunt, sed ad unguem omnia sumpserunt ab Ockham. Greg. Rub. & Aureol. 1. d. 30. p. 1. ar. 2. a quo præsertim magnam partem suæ novæ doctrinæ mutuaverunt, ut non immerito soleat a nobis appellari insignis ille Doct. Promptuarium Neotericoorum. Alia vero argumenta specialia relationes tangentia, ut actionem, unionem, inhaerentiam, ubicationem, &c. (has enim omnes negant veteres Nominales) in Phys. suis locis adducuntur, & diluuntur.

Poncius disp. 15. Log. num. 43. movet contra nostram sententiam difficultatem quandam, quam ait esse gravissimam, nec

nec de ea mentionem fieri solere; videtur enim, quod similitudo duorum alborum non sit distincta realiter a coexistentia illorum, sed illa coexistentia est relatio extrinsecus adveniens, ergo non datur relatio intrinsecus adveniens distincta realiter a relatione extrinsecus adveniente; minor patet, quia illa coexistentia non presupponit aliquid ex parte fundamenti, vel termini, ad quod necessario sequatur, ergo non est relatio intrinsecus adveniens; contentia est evidens; probatur major, in qua sola videtur esse difficultas, quia non est ullum signum distinctionis realis inter ipsa, neque enim possunt esse sine se invicem, neque unum est causa, seu principium alterius, neque subjiciantur in subiectis realiter distinctis, ut patet, ergo &c. Et quamvis (inquit) possent evadere facile difficultatem, quæ existimant cum Mair. duo alba per potentiam Dei absolutam posse simul existere sine similitudine, tamen in sententia probabiliori hoc negante valde urget proposita difficultas; & ob id inquit Poncius n. 45. judicare valde probabile quod non detur ulla relatio intrinsecus adveniens, quæ sit distincta realiter a coexistentia duorum extremorum, licet sit distincta realiter ab extremis, quæ coexistunt, & per eam referuntur. Attamen tenendo communione Scotistarum sententiam respondet postea negando majorem, quamvis enim coexistentia duorum v. g. alborum non possit esse, quin sit similitudo, nec similitudo etiam, quin sit coexistentia illorum, tamen potest esse similitudo sine ulla determinata coexistentia, quamvis enim varietur coexistentia, quia est quid successivum, nam dicit ordinem ad tempus, quod est quid successivum, tamen non variatur similitudo, sicut nec albedo, quæ est fundamentum proximum ejus; duo enim alba eadem numero similitudine semper referuntur ad se invicem, non autem eadem numero duratione semper durant, dum durant, neque eadem etiam coexistentia propter eandem rationem coexistunt.

Nullus tamen sanæ mentis ex adeo imbecilli ratione adduci debet ad judicandum probabile hoc absurdum, quod nulla detur relatio intrinsecus adveniens, quæ sit distincta realiter a coexistentia duorum extremorum, quam ait esse extrinsecus advenientem. Quamvis autem argumentum sit facilis solutionis, adhuc tamen non exacte solvitur ab ipso, esto enim concederetur similitudinem duorum alborum distingui a coexistentia illorum, quia hæc variatur, cum sit successiva, ad variationem temporis, cui coexistit, non vero similitudo, adhuc tamen postea argumentum urgeri de duorum Angelorum diversitate, quæ mensurantur ævo, & non tempore, unde eorum coexistentia ad communem durationem permanentem, qualis est ævum, consequenter erit permanens, & non successiva, argumentum igitur urgetur saltem de relationibus fundatis in entibus, quæ mensurantur ævo, quod est duratio permanens. Respondendum igitur aliter est ad argumentum, quod licet similitudo, & quælibet alia relatio supponat extrema coexistentia, adhuc tamen realiter distinguitur a relatione illa coexistentiæ amborum; quæ quidem realis distinctio licet dignoscitur, vel colligi nequeat ex earum separatione, adhuc tamen colligitur ex hoc, quod coexistentia extremorum est veluti causa relationis sequentis, cum actualis relatio non causetur, nisi ab extremis actu existentibus, & adhuc evidenter colligitur ex diversis effectibus formalibus earum, nam coexistentia v. g. duorum alborum nunquam illa potest denominare similia, nam ratione relationis coexistentiæ tam coexistere dicuntur duo alba, quam unum album, & unum nigrum, quia coexistentia in ipsis est ejusdem rationis, eo quod eidem durationi coexistunt; ut ergo aliqua duo similia, vel dissimilia dicantur, non sufficit amborum coexistentia, sed requiritur, ut participant qualitate ejusdem, vel diversæ rationis, in hac enim unitate, vel diversitate fundamenti proxime eorum similitudo, vel dissimilitudo, non autem in simplici, & pura amborum coexistentia, quia, ut dicebamus, quantum ad effectum formalem coexistentiæ extrema omnium relationum eodem modo denominantur; Confirm. hæc solutio, quia cum hoc quod duo alba simul coexistant, ac etiam unum album, & unum nigrum, quamvis quantum ad effectum coexistentiæ eodem modo se habeant, adhuc tamen hoc album aliter se habet in ordine ad aliud album coexistentem, quam in ordine ad nigrum, quia est illi simile, huic autem dissimile; ergo similitudo, & dissimilitudo diversam important habitudinem a coexistentia. Deinde neque minorem arbitramur veram, quod nempe coexistentia sit relatio extrinsecus adveniens, da enim duo entia actu existentia, quantumcunque sint inter se distantia, dummodo in eodem tempore, eidemque durationi coexistant, sequitur ad illa necessario, ac indispensabiliter relatio coexistentiæ, quam memorat Doct. 1. d. 39. §. Contra istud arguitur, & inquit esse realem, at non declarat, num sit intrinsecus, vel extrinsecus adveniens, sed quicquid modo sit de hac minori, sufficit pro solutione difficultatis falsam esse majorem, Ovid. contr. 9. Metaph. punct. 4. sequitur cum aliis Recentioribus suæ Societatis Nominalium placitum de indistinctioe relationis prædicamentalis ab extremis; sed non adducit, nisi confutas, & decantatas Nominalium rationes jam adductas, & solutas; quas esto

magnificare, & corroborare conetur variis verborum ornamentis, reipsa tamen nullam ingerunt ultorem difficultatem, quæ ex dictis sufficientissime non diluatur. Aureolus 1. d. 30. cit. ab initio quædam adducit argumenta §. Sed in oppositum, quæ tantum probant relationem non dari in rerum natura præter opus intellectus per modum cuiusdam intervalli inter extrema, ut tribuitur Henrico, de quo infra n. 59. alia vero argumenta, quibus probat ar. 2. nec relationes secundi, & tertii modi esse reales, quo sensu concludant, patebit infra q. 10. art. 2. explicando relationes illorum modorum.

Q U Æ S T I O I V.

An relatio prædicamentalis constituitur per esse in, vel ad, vel per utrumque.

50 Scotistæ communiter sentire videntur relationem essentialiter constitui præcise per esse ad, esse in autem ei convenire in secundo modo dicendi per se ad modum passionis realiter identificatæ, quod colligitur ex Scoto 4. d. 12. q. 1. ita Tromb. 7. Met. q. 1. Ant. And. ib. Mair. cit. q. 5. & 4. d. 12. q. 7. in fine, & sic etiam loquitur Bonet. cit. Alii ex adverso, ut refert Rada p. contr. 23. ar. 3. in fine habitudinem relationis ad fundamentum posuerunt essentialiter, non vero habitudinem ad terminum, Thomistæ vero ex D. Th. p. p. q. 28. art. 2. dicunt relationem constitui per utrumque, sed esse in convenire relationi secundum rationem genericam accidentis, & esse ad secundum rationem propriam relationis, quam habitudinem, ut præcendit a ratione essendi in, quidam dicunt non esse realem, sed abstrahere ab esse reali, & rationis, ita Cajet. & Canariens. p. p. q. art. cit. Capreol. 1. d. 23. q. 1. Sontcin. 5. Met. q. 25. Alii adhuc sic præcise sumptam volunt esse realem, ita passim Recentiores Thomistæ Bannes, Nazar. Ripa ar. cit. Gratiad. contr. 5. tract. 3. disp. 1. Compl. disp. 14. log. qu. 1. Vafq. p. p. disp. 124. c. 3. Suar. in Met. disp. 47. sect. 2. & alii communiter.

51 Dicendum est, relationem non tantum constitui per esse ad, reale, sed etiam per esse in, non tamen eo modo quo ponunt Thomistæ, quasi esse in concurrat præcise, ut ratio generica; Probatur, & explicatur concl. quoad omnes partes: Primo quod relatio constituitur per esse ad probat optime P. Rada cit. contra Auctores secundæ sent. & res est ita per se clara, ut probatione non indigeat, nam omnes cum Arist. rationem relatiivorum semper explicaverunt per hoc, quod est esse ad aliud, & nunquam aliter, unde Doct. 1. d. 26. qu. un. C. ait relationem, ut relatio est, esse ad aliud, adeo, inquit, quod si non sit ad aliud, utique relatio non est, hæc enim est differentia specifica, quæ ipsam distinguit ab accidentibus absolutis; imo hoc ita intelligendum est, ut ipsum esse ad aliud actualiter, & formaliter relationem constituat, non autem esse ad aliud aptitudinaliter tantum, & radicaliter, ut Auctores illi significabant, essentia enim relationis est ipsemet formalis, & actualis ordo, & habitudo, non vero quasi potentia, & facultas referendi unum ad aliud; quod adeo verum est, ut etiam in relationibus aptitudinalibus veritatem habeat, ipsa enim etiam aptitudinalis relatio actualiter suum munus referendi exercet; unde non dicitur aptitudinalis, quia fundamentum suum actu non referat, & actu relatum non denominet, sed quia terminus, ad quem actu fundamentum refert, non actu existit, sed aptitudine solum, & in potentia, qua de causa relatio illa, non actualis, sed aptitudinalis tantum nuncupatur, quod totum significavit Doct. quol. 13. in fol. ad 1. princ. sic mobilitas v. g. denominat corpus naturale actu mobile, & actu illud refert, ac ordinat ad motum, sed non ad motum in actu, sed in potentia tantum, sequitur Suar. disp. 47. sect. 5. n. 9. & magis explicabitur infra q. 8. in fine.

Secundo hæc ratio essendi ad aliud est vere realis, & non præcendens a reali, & rationis, ut dicebant illi Thomistæ; tum quia, differentia entium realium debent esse reales, cum ergo per esse ad contrahatur ens finitum, & accidens reale ad constituendum genus accidentium relatiivorum utique esse debet ratio vere, & essentialiter realis; tum etiam quia relatio prædicamentalis non solum est ens reale, & accidens reale, sed etiam relatio realis, nam per eam vere, & realiter subiectum refertur ad aliud non minus, quam vere, & realiter sit quantum per quantitatem, quale per qualitatem, ergo in relatione non solum ratio essendi in, quæ illi competit, ut accidens, est realis, sed etiam ratio essendi ad, quæ sibi convenit præcise, ut relatio; Demum rationes omnes, quæ probant relationem esse ens reale, ostendunt ly ad esse reale, quatenus probant realiter referre subiectum ad aliud.

52 Tertio, quod esse in constituit relationem, non minus essentialiter, quam esse ad; & non tantum ut ratio generica, sed etiam ut specifica, probatur, quia ut docet Barg. 1. d. 3. q. 5. a quo hujus quæst. resolutionem accipimus, in fundamento relationis creatæ, quæ est accidens, alia est ratio fundamenti, & alia subiecti, & ideo in ea duæ habitudines essendi in sunt distinguendæ, una ad fundamentum sub ratione subiecti, in quantum est accidens, quæ proprie dicitur inhaerentia, alia ad fundamentum re-

dupli.

duplicative sub ratione fundamenti, in quantum est relatio, & quod hæc duæ habitudines in relatione creata sint distinctæ, ex eo patet, quod relatio divina includit rationem *essendi* in veluti in fundamento, non tamen velut in subiecto, cum sit accidens, ut docet Doct. 4. d. 12. q. 1. in fine, & sequitur Amic. cit. q. 7. dub. 2. art. 2. Si igitur *esse in* sumatur pro ratione *essendi in*, velut in subiecto, concurrat ad constitutionem rationalis præd. velut ratio generica, quia sic vel est ipsa ratio accidentis in communi ad absolutum, & respectivum, vel saltem eam nobis circumscribit, si vero sumatur pro ratione *essendi in*, velut in fundamento, sane in hoc sensu concurrat ad constitutionem relationis, velut ratio specifica non minus, quam *esse ad*, quod multipliciter probatur. 1. quia relatio ut relatio, est habitudo essentialiter inter duo extrema, ergo talis habitudo æque essentialiter petit fundari, & terminari. Secundo non minus implicat relationem esse sine fundamento, quam esse sine termino, ergo si ratio *essendi ad* est essentialis relationi, ut relatio est, etiam & ratio *essendi in*. Tertio eadem sunt principia constituendi, & distinguendi, sed Ar. 5. Met. distinguit relationes, etiam penes fundamenta, ergo ratio *essendi in* constituit relationem quoque ut relatio est. Quarto ad constituendam relationem in suo esse proprio, & specifica non sufficit terminus, sed etiam requiritur fundamentum, ergo utraque ratio concurrat ad constitutionem relationis, ut relatio est. Demum licet ratio *essendi in*, velut in subiecto, universaliter conveniat omnibus accidentibus, ideoque ad relationis constitutionem concurrat, velut ratio generica, & communis, tamen ratio *essendi in*, velut in fundamento convenit præcise relationi, ut a cæteris entibus distinguitur, & relationibus prædicamentibus, ut ab accidentibus aliorum generum feceruntur, ergo relationi competit, ut differentia propria, & ratio specifica non minus, quam *esse ad*, imo id ita intelligendum est, ut ratio *essendi in*, & *ad* non sint duæ differentie, sed unam, & adæquatam nobis circumscribant constituentem genus relationum in tali esse suo; quia ratio *essendi ad* aliud in relatione re vera aliud non est in re, quam certus, & peculiaris modus efficiendi realiter suum subiectum, nempe referendo, & ordinando ad aliud; hoc idem docet Zerb. 5. Met. qu. 39. §. Propter tertium.

53. Quarto quod hoc sit de mente Doctoris, aperte colligitur ex his, quæ habet in 4. l. c. probando secundam conclusionem ubi loquitur de habitudine ad fundamentum sub ratione fundamenti, quia loquitur de illa, ut etiam convenit relationi divine, & hæc sunt ejus verba. *Secunda conclusio probatur, quia respectus est essentialiter habitudo inter duo extrema, & ideo sicut tollere terminum ad quem respectus est tollere, vel destruere respectum, ita tollere illud, cuius est respectus, est tollere respectum, & destruere rationem respectus, non ergo, quia accidens respectivum est accidens, ideo requirit subiectum, vel fundamentum, sed quia respectus est respectus, ideo requirit cuius sit, & ad quid sit, etiam in divinis.* Certe ex singulis verbis Doctoris bene penitatis colligitur, quod ratio *essendi in* velut in fundamento sit de essentia relationis, ut relatio est. Primo inquit, quod respectus est essentialiter habitudo inter duo extrema, ergo essentialiter petit illa duo, ut respectus. Secundo, ait, quod tollere fundamentum, vel illud, cuius est respectus, est tollere respectum, & destruere rationem ipsius, ergo ratio *essendi in*, velut in fundamento pertinet ad rationem propriam respectus. Tertio ait, quod respectus, quia est respectus, ideo requirit, cuius sit, & ad quod sit, ergo respectus, ut respectus, necessario petit fundari non minus, quam terminari. Tandem, cum ait, quod sicut tollere terminum ad quem, est destruere respectum, ita tollere id, cuius est, manifeste indicavit esse de intrinseca ratione respectus, ut sic, non minus *esse in fundamento*, quam *esse ad terminum*, quod etiam clarus docuit q. 2. illius dist. in fol. ad 3. princ. dum ait, quod dependentia relationis ad fundamentum est essentialissima, ita quod sine ea non potest esse ratio relationis.

54. Sed obiicit. 1. auctor. Simpl. super præd. dicentis, quod *esse in* non constituit relationem, sed *esse ad*. Secundo Ar. definit relationem semper per *esse ad*, & non per *esse in*. Tertio si utraque habitudo est de essentia relationis, ergo relatio est ens per accidens, quia duo non possunt facere unum per se, nisi unum sit per se actus, aliud per se potentia. 8. Met. tex. ult. sed istæ duæ habitudines non sic se habent, quia loquimur de ratione *essendi in*, ut in fundamento, non ut in subiecto. Quarto arguit Tromb. l. c. probans quod *esse ad* prius natura competat relationi, tanquam illum constituit in esse essentiali, & *esse in* posterius natura, tanquam passio, quandocumque aliquid commune dividitur per duas differentias pro quocumque signo una constituit speciem, etiam & alia, sed ens dividitur per absolutum, & respectivum, hæc enim duo sunt immediate opposita circa ens, & totam naturam entis evadunt, ergo pro eodem signo, pro quo absolutum est ad se, pro eodem respectivum est ad aliud, sed absolutum prius natura est ad se, quam in se alteri, ergo respectivum etiam prius natura erit ad aliud, quam in alio, & hoc est argumentum Mair. cit. q. 3.

55. Resp. Simpl. non loqui de *esse in*, ut in fundamento, sed ut in subiecto, neque ait *esse in* hoc modo relationem

non constituit, sed non constituit aliquid speciale *genus* accidentium, quia est ratio communis omnium. Ad 2. Barg. cit. inquit Ar. sic esse locutum, quia id solum de relatione intendebat explicare, quod non erat notum apud Veteres, scilicet quod esset ad aliud, quod enim esset in alio nemo ignorabat. Vel dicatur, quod semper supponit, ut manifestam rationem *essendi in*, quia si relatio est ordo ad aliud, certe est ordo alicujus ad illud. Ad 3. ait idem Barg. procedere ex falsa imaginatione, non enim cogitandæ sunt duæ habitudines in relatione, una ad fundamentum, altera ad terminum, ut videtur voluisse Bassol. l. d. 30. q. 2. art. 2. sed ipsamet relatio est una simplex habitudo fundata in fundamento, & terminata ad terminum, cui æque essentialis est fundari, sicut & terminari. Ad 4. Tromb. loquitur de *esse in* ut in subiecto, nos autem, ut in fundamento, & ideo nihil ad rem adhuc tamen ad arg. in se neg. min. tam primi syllogismi, quam subillatam secundi; neg. prima minor, quia ens prædicamentale prius dividitur in ens in se, & ens in alio, & hoc postea dividitur in absolutum, & respectivum; neg. etiam subillata minor, quod ens absolutum prius natura sit ad se quam in alio, accipiendo esse in alio radicaliter, sic enim vel esse in alio natura præcedit in accidente absoluto esse ad se, sicut communiora solent minus communia præcedere, vel saltem simul natura habeat utrumque, & idem erit proportione dicendum de esse in alio, & esse ad aliud in accidente respectivo.

56. Deinde obiicit, conceptum relationis, ut est ad non esse realem, quia æque convenit relationi rationis, ac reali, ergo quantum est de se, ab utroque præcendit. Resp. neg. assumptum, quia relationi reali, & rationis nihil abstrahi potest commune univocum, ut docet Doctor l. d. 26. q. un. Accedit, quod si ad esset commune, etiam in esset commune, quia hæc duo sunt necessario connexa, ut diximus in relatione, nec potest intellectus, quantumcunque fingat, referre ad aliud, nisi aliquid referat. Tandem etiam concederetur ad esse commune univocum utriusque relationi, negabitur semper consequens, quod constituit relationem prædicamentalem, est ad, quod convenit a parte rei.

In fine hujus, quæ notat, quod cum dicimus relationem essentialiter constitui per *esse in*, & *ad*, hoc non debet ita intelligi, quasi terminus, & fundamentum sint de essentia relationis, ac veluti partes illius intrinsecæ, licet enim id habeant dicere Nominales, quia faciunt relationem, veluti entitatem compositam ex fundamento, & termino, id tamen nullo modo asseri potest in sententia Realium, qui ponunt relationem esse formam simplicem dependentem tantum extrinsece a fundamento, & termino, necessario tamen, eo modo, quo dicimus potentiam, vel actum ab objecto pendere, cum tamen objectum non sit pars constitutiva potentie, vel actus; & quod in hoc sensu fundamentum, & terminus non sint de conceptu relationis, intrinsece nimirum, & constitutive, probatur ex Mair. cit. qu. 5. tum quia terminus, & fundamentum regulariter sunt absoluta, ergo nequeunt esse partes intrinsecæ relationis, quia res unius prædicamenti nequeunt esse partes intrinsecæ, & constitutive rei alterius prædicamenti, cum principia rei constitutiva ad idem prædicamentum pertineant cum re constituta, saltem reductive, tum quia terminus, & fundamentum non sunt genus, & differentia relationis, sed solum extrema illius, ergo sicut extremitates in linea non sunt partes lineæ, sic neque fundamentum, & terminus sunt partes relationis; tum tandem quia hoc dato multa sequerentur absurda, scilicet, Deum esse de essentia creaturæ, & filium de essentia Patris, vel relativa sunt, item albedinem de essentia similitudinis, &c.

57. Cum ergo dicimus relationem essentialiter constitui per *esse in alio*, & *esse ad aliud*, sumi debent in, & ad, ut dicant simplicem ipsam habitudinem, non autem ut etiam includant extrema ipsius habitudinis, unde ut bene notat Mair. cit. esse ad aliud (idemque dicendum de esse in alio, ut in fundamento) pariter est intrinsecum, pariter extrinsecum, intrinsecum quidem, quatenus dicit ipsam habitudinem expressam per ad, extrinsecum vero, ut dicit terminum illius habitudinis, primum est de intellectu relativi, secundum vero de intellectu, quia ponitur in tantum, ut additamentum in definitione ipsa relativi, & hinc est, quod potius dicitur relatio constitui per in, & ad, quam per esse in alio, & esse ad aliud, quia per illas particulas solitarie sumptas exprimuntur intrinseca relationis formaliter, & solum virtualiter, & ex consequenti insinuantur extrema, quæ sunt extrinseca. Ex quo colligitur fundamentum, & terminum nonnisi extrinsece, & terminative, necessario tamen velut addita, ingredi definitionem relationis, ut docet Doctor in 4. d. 12. q. 1. S. & quidem majori necessitate, quam subiectum ingrediatur definitionem accidentis, quia requiruntur propter formale esse relationis, nam relatio formaliter est habitudo unius ad aliud, unde Mair. cit. hoc discrimen ponit inter accidentia relativa, & absoluta, quæ etiam per additamentum definiuntur, quod definitio quidditativa in absolutis quietat intellectum distincte attingentem genus, & differentiam eorum, etiam aliud non cointelligat, velut additum, sed non ita in relativis,

An subiectum relationis debeat esse ens reale, & finitum, itaque nequeat esse infinitum.

nam quantumcumque habeatur conceptus sui generis, & differentie, non quietatur intellectus, nisi cointelligendo terminum & fundamentum, & hunc dicendi modum tenent Recentiores omnes, Suarez disp. 47. sect. ult. Amic. loc. cit. & alii passim.

Sed dices, illud est de essentia alicujus, sine quo nec esse, nec intelligi potest, sed relatio nec esse, nec intelligi potest sine fundamento, & termino, ergo &c. Resp. ex Barg. l. d. 28. q. 3. aliquid est de essentia alicujus posse dupliciter accipi, primo pro eo, sine quo res intelligi nequit, sive hoc intret definitionem, ut pars essentialis, sive ut additum, & sic dicimus subiectum esse de essentia accidentis, quia ejus definitionem ingreditur, ut additum, & in hoc sensu utique extrema sunt de essentia relationis; alio modo, quod fit pars essentialis, & intret definitionem, ut genus, vel differentia, & in hoc sensu extrema non sunt de essentia relationis, quia non intrant ejus definitionem in recto, sed tantum in obliquo, & veluti addita, pertinentæ ad cointellectum, non autem ad purum intellectum relativi, ut diximus ex Mair. cit.

QUESTIO V.

In qua consideratur relatio ex parte subiecti, seu fundamenti.

58. Quia ut diximus q. præc. Relatio prædic. constituitur ex esse ad, & in, ideo medullitus consideranda venit tam ex parte fundamenti, quam termini, primum præstabitur q. præfati, alterum q. seq. & quia relatio prædicam. accidens est, ideo fundamentum ejus etiam subiectum appellamus, quatenus ei inest per inhaerentiam, solet vero distingui duplex subiectum, seu fundamentum relationis, proximum, & remotum; proximum est illud, in quo immediate est relatio, remotum, in quo est tantum mediate, sic v. g. relatio æqualitatis proxime est in quantitate, remote in substantia, relatio similitudinis proxime est in quantitate, remote in quantitate, & substantia; notat autem Doctor 5. Met. tex. 20. in fine, & q. 11. n. 7. solum fundamentum proximum absolute dici debere fundamentum, remotum vero dici debere subiectum relationis, non fundamentum, quod etiam ex aliis locis sent. colligit P. Faber. 5. Met. disp. 22. c. 2.

Præter hæc assignari etiam solet ratio fundandi relationem, & frequenter conditio aliqua, sine qua non sequeretur relatio ad fundamentum, quæ duo non sunt confundenda, ut faciunt aliqui, cum sint omnino distincta, ut Doctor declarat quol. 12. C. in relatione paternitatis, cujus ratio fundandi est potentia generativa Patris, conditio vero prævia est actio generativa ejusdem, quæ statim transit, & ideo non proprie causa, sed tantum conditio prævia, sine qua relatio non sequeretur, appellari consuevit, in hoc autem præsertim ratio fundandi proxima a fundamento proximo distinguitur (licet multoties hæc duo confundi soleant, præcipue quando fundamentum proximum confertur cum remoto, tunc enim dicitur ratio fundandi, ut albedo, quæ dicitur ratio fundandi similitudinem inter Petrum, & Paulum) quod fundamentum proximum relationis non est ita Quo, quin etiam possit esse Quod, potest enim suscipere denominationem relationis, quia & quantitas dicitur æqualis, & qualitas similis, ad ratio fundandi est ita Quo, ut nequeat esse Quod, quamvis enim, & duas quantitates dicamus æquales, & duas albedines similes, non tamen unitas, quæ est ratio proxima fundandi hujusmodi relationes æquiparantur ex 5. Metaph. cap. 15. denominatur similis, æqualis, nec potentia generativa Patris dicitur pater.

59. Quamvis autem relationes ejusdem possint esse plura subiecto diversarum rationum cum subordinatione declarata, quod unum sit proximum, alterum remotum, ut declaratum est, tamen plura ejusdem rationis, & æque immediata omnino impossibile est, quia cum relatio sit verum accidens, & per se unum, unicuique etiam subiectum in hoc sensu postulat, unde prorsus abiicienda est e Scholasticis opinio, quæ tribuitur Henric. quol. 9. q. 3. asserens relationem esse veluti intervallum quoddam inter duo extrema, itaut fit una, ac eadem habitudo inter illa, & in ambobus insidens, velut in proprio, & adæquato subiecto; id sane ut prorsus irrationabile damnat Doctor cit. 5. Met. q. 11. n. 7. & sequitur Suar. disp. 47. sect. 6. n. 3. nam vel relatio, quæ intercedit inter illa abinvicem distantia, est etiam in medio, veluti corda, quæ necit cornua arcus, vel non, sed in extremis tantum; non primum, quia paternitas non recipitur in aere; neque secundum, quia idem numerus accidens nequit esse naturaliter in duobus subiectis realiter distinctis, & loco distinctis; relatio igitur est tantum in illo extremo, quod refertur ad aliud, & si illud aliud ad hoc refertur, dabitur in illo alio nova relatio, & sic non erit una, & eadem relatio in duobus, ut in uno subiecto, sed in uno, & ad aliud inquit Doct. cit. de hoc igitur in præfati quæst. & quia in hoc variæ sunt difficultates, duos instituumus articulos.

60. Reg. l. d. 28. q. 3. significavit relationes prædic. etiam in non entibus fundari posse, & quidem apud omnes in confesso est, privationem fundare relationem principii ad generationem; & pariter causa finalis dicitur fundare relationem causalitatis ad effectum, cum adhuc ipse finis non existit, ut constat de sanitate respectu deambulationis, & sic in multis aliis; quæ aniam præbuerunt dubitandi, an relatio prædicam. necessario petat subiectum reale, & existens; Concedit etiam ibi Greg. relationes prædicam. in Deo ad creaturas, quæ est communis Nominalium opinio, quare consequenter asserunt subiectum hujusmodi relationum non esse necessario finitum, & limitatum.

Dicendum tamen est, non esse idoneum relationis prædic. subiectum, nisi ens reale, ac finitum. Est communis in schola Realium, & necessario sequitur ex nostris principijs, si enim relatio sit accidens reale fundamento revera superadditum, sequitur necessario tale fundamentum esse entitatem realem, ac finitam, quia non ens nequit per modum subiecti sustentare verum accidens, & ens infinitum, sicut est Deus, est accidentis incapax, quia est ab omni potentialitate semorum, unde & Nominales ipsi ideo concedunt in Deo relationes reales ad creaturas, quia negant has superaddere fundamento veram realitatem accidentis, sed statuant ipsas in mera denominatione, & concomitantia rerum, ideo cum a nobis discrepent in principijs, etiam in conclusione dissentiunt, & hac de causa Nominalium sententia, licet repugnet communi modo loquendi Theologorum unanimiter negantium relationes prædicam. in Deo ad creaturas, quoad rem damnari nequit, ut multi inconsulto faciunt, quia non ponendo relationem accidens realiter a fundamento distinctum, nulla sequitur mutatio, aut compositio in Deo ex eo, quod ponatur in tempore referri de novo ad creaturas sub ratione creatoris, domini &c. solum ergo damnari potest quoad modum loquendi, qui sane inconstitutus est apud præfatos Theologos, nec graviore censura inuri debet Nominalium sententia, ut notat Suar. sect. 15. n. 17. at probemus conclusionem nostram quoad utramque partem singillatim.

61. In primis, quod subiectum relationis prædicam. ens reale debeat esse, & positivum, satis constat ex modo dictis, & docet Scot. 4. d. 6. quæst. 10. §. Sed restant, & probat Bassol. l. d. 30. art. 1. quia cum fit accidens reale, & positivum, consequenter nequit in non ente fundari, quia non ens non est aptum entis realis fulcimentum, tum quia ut constat ex dictis q. præc. art. 2. relatio suam entitatem realem habet a fundamento in genere efficientis causæ, ergo necessario debet esse ens reale, quia nemo dat, quod non habet. Verum tamen est, quod si relatio realis sumatur non in toto rigore, quæ scilicet habet illas tres conditiones, ex Scot. relatas in 1. qu. sed quatenus contra distinguitur a relatione rationis, quæ fit per actum collativum intellectus, ut Scot. loquitur quol. 13. P. & pro tanto realis non dicitur, quia non habet omnes illas conditiones, sed una, vel altera sibi deficit, potest relatio realis in hoc sensu fundari in non ente ad ens, & in hoc sensu dici potest privatio fundare relationem realem principii in ordine ad generationem, & admitti potest in eodem opin. Gregor. dicentis, relationes reales etiam non entibus convenire, non quod hujusmodi relationes sint entia realia positiva, quia verum accidens, & reale non potest in non ente subiectari, sed dicuntur reales eo sensu, quo tenebras, & cæcitate negationes reales appellare solemus, quatenus dantur nullo cogitante intellectu, sic enim nullo cogitante intellectu privatio suo modo concurrat ad generationem per modum principii; quo etiam sensu Doctor l. d. 28. quæst. 2. ad 2. ait, ingenium in Patre dicere relationem realem negativam; Difficultas autem nota de fine nulla est, quia ut dicimus in Phys. disp. 7. quæst. 8. art. 5. finis non est vere causa realis, & physica, sed tantum movere agens, ut det illud in ratione amati, & desiderati, quare non fundat relationem veram, & realem.

Sed dices, Arist. 5. Met. cap. 15. inter relationem prædic. connumerare relationem calefactivi ad calefactibile, & ejus, quod fecit, ad id, quod factum est, & ejus, quod factum est, ad id, quod faciendum est, ergo, &c. Resp. quod sicut res aliæ considerari possunt sub duplici statu, nempe existentia, aut solius possibilitatis, ita etiam, & relationes ipsæ considerari possunt, velut actu existentes, vel prout aliquando fuerint, vel futuræ sint, aut tanquam realiter possibiles, & in hoc secundo sensu eas consideravit Arist. loc. cit. per relationem enim calefactivi ad calefactibilem utique non intellexit aptitudinem calefaciendi v. g. in igne, quia hæc non est relatio prædicam. sed transcendentis, sed eam intellexit, quæ postea facta approximatione calefactivi, & calefactibilis actu insurgit, ubi prius ante approximationem habebat solum esse possibile; in præfati vero est sermo de relationibus prædicamentibus non

sub statu meræ possibilitatis, sed præsertim sub statu actualis existentia.

62 Altera vero pars, quod relationis realis subjectum esse debeat ens finitum, & limitatum, docetur a Scoto 1. d. 30. qu. 2. ubi cum communi Theologorum removeret a Deo relationes reales ad creaturam, idque efficaciter probat §. Ad 2. quæst. ex perfecta simplicitate, & ex perfecta necessitate Dei, quia enim Deus perfecte simplex est, nihil est in eo, quod non est ipsum secundum Aug. 11. de Civit. n. 10. ergo relatio realis nova in Deo ad creaturas nequit admitti in tempore, cum veram compositionem faciat cum eo, cui venit, ut probat Doctor 2. d. 1. q. 5. §. Ad primum aliter opinio. Sed quod neque etiam ab æterno, prob. ex necessitate, perfecta enim ejus necessitas est ex se esse tale; quod non variabitur ejus esse, quacumque hypothese posita, sive possibili, impossibili, circa aliud a se, quia alia non sunt necessaria, nisi secundario, ergo nulla potest in eo admitti realitas, neque ab æterno, neque in tempore, quæ necessario coexistat aliud a se, tale enim necessario coexistens aliud a Deo non esset illo coexistente non existente, & per consequens aliquid, quod perfecte esset idem, Deo non esset, aliquo alio, quod non est necessarium ex se, non existente, sed relatio realis de necessitate coexistit ad suum esse terminum ejus, ergo in Deo salva ejus indemnitatem constitui nequit relatio realis ad aliud a se. Neque satisfacit responsio, quæ tribuitur Gilberti. Porret. dari posse in Deo relationem realem ad creaturam, non utique illi inhærentem, sed veluti assistentem. Nam si illa relatio est accidens, ut supponimus, alicui subjecto hærebit necessario, nisi dicatur esse per se subsistens, quod est irrationabile profus, & accidenti directe repugnans. Restat ergo facta suppositione, quod relatio prædicamentalis sit accidens fundamento superadditum, solum ens finitum, & limitatum esse ejus idoneum subjectum.

63 Sed obicit. Relat. secundi modi relativorum, quæ nempe fundantur in actione, & effectu illius, ergo, &c. Deinde sicut forma est in aliquo, ita denominat illud, ergo si non est aliqua relatio in Deo ad creaturam realiter, Deus non est realiter creator, non est realiter Dominus, non est realiter a creatura distinctus.

Resp. ad 1. si teneamus relationes primi, & secundi modi in hoc tantum differre a tertio modo relativorum, quia in eis est mutuitas, non in istis, ut Doctor velle videtur loc. cit. 1. d. 30. §. Resp. ad 1. quæst. tunc neganda est minor, quia defectus istius mutuitatis omnes relationes creaturæ ad Deum, qualescunque sint, ad tertium modum spectant, ubi universaliter collocantur relationes non mutuas, & sic innuit ibi Doctor, & iterum in eodem 1. d. 3. q. 5. & d. 35. q. un. & quol. 13. Si vero dicamus diversitatem Dei a creatura in prædicatis propriis, & convenientiam in transcendentibus esse relationes primi modi, relationem in ratione causæ, & effectus esse secundi, neganda est universaliter major, quamvis enim relationes hujusmodi in creaturis sint mutuas, non tamen in Deo, nec oportet relatio tertiæ modi in hoc præcise differre ab aliis, quod in illis omnes relationes sint mutuas, in isto nunquam; per hoc enim sufficienter distinguuntur, quod in tertio nunquam sunt mutuas, in aliis vero sic, licet non semper, ita resp. Bass. 1. d. 30. qu. 1. ar. 4. & sequitur Suar. cit. sect. 15. n. 27.

Ad aliud concedimus Deum non dici realiter creatorem, dominum, & a creatura distinctum intrinsece, & subjective, sed extrinsece, & terminative, quatenus terminat realiter creationem passivam in creatura existentem, atque ita hæc propositio est vera, Deus est realiter creator, ut ly galiter determinat inhærentiam, id est, totam propositionem, non inhærens idem extremum propositionis, seu prædicatum, ita Doctor cit. in fine.

64 Sed contra hanc Doctoris resolutionem, quæ communis est in Schola Realium, dices 1. quo pacto salvantur hæc denominationes relativæ in Deo sine distinctis relationibus, poterunt etiam, ac debent salvari in rebus creatis sine tanta entium multiplicitate, & mutatione, ut ait Averfa q. 25. sect. 4. Secundo relationes oppositæ dant denominationes oppositas, ergo creatio passiva in creatura existens nequit Deum denominare creatorem, sicut filiatio nequit denominare Patrem. Tertio Deus dicitur Creator quatenus ad creaturas refertur, sed ad creaturas referri non potest per relationem, quæ est in creatura, ergo, &c. Tandem quando aliquid denominatur denominatione, quæ est in altero, accipit denominationem illius, ergo si Deus denominatur denominatione in creatura existente, diceretur creatura, ita urgebat Scotum Thomas Angelicus apud Barg. 1. d. 30.

Resp. ad 1. patere ex dictis qu. præc. denominatio enim relativa necessario fieri debet, vel per realem susceptionem relationis, vel per realem ejus terminationem ex Ar. 5. Met. cap. ad aliquid, dum assignat tres modos relativorum, cum igitur Deus non sit subjectum capax relationis, salvari debent in eo denominationes relativæ per realem terminationem, & quia creaturæ sunt cap. es relationum, salvari debent in eis per realem susceptionem, & cum

utrumque extremum est relationis capax, in utroque debet admitti, quia non est major ratio, cur potius in uno referretur, quam in alio, sicut sunt relationes primi, & secundi modi, ita innuit Doct. cit. infra Q. Ad 2. resp. relationes oppositas denominationes oppositas præbere subjective, & intrinsece, ac non inconvenientem eandem relationem unam denominationem præbere subjecto, cui inhæret, intrinsece, & subjective, & oppositam termino extrinsece, & terminative, ut patet de visione, quæ intrinsece, & subjective denominat oculum videntem, & extrinsece, & terminative parietem visum. Ad 3. Deus dicitur creator realiter, non quia ipse ad creaturas realiter refertur, sed quia creaturæ referuntur ad ipsum, sicut scibile ex eo præcise dicitur relativum scientiæ, quia scientia refertur ad ipsum, quia ratione Doctor cit. sub F. omnes relationes creaturæ ad Deum appellavit tertii modi, si tamen loquamur de denominatione formali, & intrinseca Creatoris, utique dicitur creator, quia refertur ad creaturas, sed talis relatio est rationis, in Deo a nobis excogitata. Ad 4. concluderet utique si uniformis esset denominatio, ac in proposito una est intrinseca, & subjective, alia extrinseca, & terminativa, & hanc Deus accipit a creatura, non illam; qui plura de hac re desiderat, videat Doct. loc. cit. & Barg. & Mair. 1. d. 30. q. 1. & 2. ubi fufe hanc materiam tractant, & luculenter.

65 Quæres, an saltem possint admitti in Deo relationes transcendentales ad creaturas? & ratio dubitanti est, quam assert. Doctor cit. q. 2. quia Deus natura rei seclusa intellectus operatione dicitur omnipotens, ac omnisciens, ista enim ponuntur in Deo, sicut attributa dicentia perfectionem simpliciter, & omne tale est ibi ex natura rei, sed ista dicunt respectum potentia, & scibilitatis ad creaturam possibilem, nam nequit Deus concipi omnipotens sine creatura possibili, & implicantibus creaturis Deus non esset omnipotens, quia nihil posset producere, ergo respectus saltem transcendentales ad creaturas poterunt, ac debentur in Deo admitti.

Mair. loc. cit. qu. 3. quem multi sequuntur Recentiores, hujusmodi respectus in Deo libenter admittit. Ceterum Doct. loc. cit. & ibid. Licher. Bassol. Barg. Vigerius, quia acriter Mair. insequitur, & alii Scotistæ passim hos etiam respectus negant in Deo ad creaturas, & quidem ratio Doct. allata ex necessitate Dei deducta urget etiam de transcendentibus, quia creatura, etiam quoad esse possibile, & scibile considerata, adhuc non est in eo gradu necessitatis necessaria, in quo est Deus, semper enim ejus necessitas erit participata, & ideo ponere creaturam non esse possibilem, non esset ita impossibile, sicut aliquam realitatem in Deo non esse, quia adhuc in esse possibili non est ita necessaria, ut Deus, & tunc ex hac positione minus impossibili videretur sequi impossibilium, non igitur ad creaturam etiam in tali statu necessitatis consideratam admitti debet in Deo relatio realis, quia Deus esset, etiam si omnis creatura repugnaret, nam sicut necessarium non pendet in suo esse a contingenti, seu (ne sit lis de nomine dependentiæ) illud non coexistit ad suum esse; ita neque magis necessarium pendet in suo esse a minus necessario, seu illud necessario coexistit, aliquoquin unum non esset magis necessarium alio, sed essent in aequali gradu necessitatis, nam implicat in adjecto dicere unum ens necessarium coexistere aliud ad suum esse, & adhuc esse magis necessarium illo, quia si concedatur magis necessarium posse deficere deficiente minus necessario, & e contra, jam illa duo essent æqualis necessitatis, quia ita unum coexistere aliud ad sui esse, sicut e contra; & hac ratione Scotica captivati Vasq. disp. 104. c. 6. Suar. disp. 47. cit. sect. 3. n. 6. & sect. 15. n. 15. & 1. p. tract. 1. lib. 2. c. 26. n. 14. Hurt. disp. 15. Met. sect. 9. & alii negant relationes transcendentales in Deo ad creaturas.

66 Ad rationem dubitanti allatam Doct. cit. §. Ad arg. 2. q. remittit se ad inferius dicenda de omniscientia, & omnipotentia Dei in sequentibus distinctionibus 35. 36. & 43. ubi docet hujusmodi perfectiones posse dupliciter spectari, uno modo fundamentaliter, & pro denominato, & sic sunt perfectiones absolutæ Deum denominantes fundamentaliter omnipotentem, & omniscientem, alio modo pro formali, & sic superaddunt respectum rationis, unde implicantibus creaturis adhuc Deus diceretur omnipotens ob perfectionem absolutam, quam in ipso omnipotentia importat, natam fundare respectum rationis ad creaturas, si possibiles forent; hoc ostenditur evidenter, quia etiam de facto non ideo Chimera dicitur impossibilis, quia Deus nequeat illam producere, & illi potentia desit, sed e contra potentia Dei non potest exire in actum circa chimeram, quia ipsi deest potentia passiva, ut producat, ergo defectus potentia passiva in creatura ad produci non infert in Deo defectum potentia activæ ad producere, aliquoquin verum esset dicere, chimeram esse non posse, non tantum quia ipsa ex se repugnet, sed etiam quia Deus non potest illam producere; cum ergo impossibilitas semper teneatur ex parte rei, non ex parte Dei, fatendum est, quod si homo esset in se impossibilis, ac etiam quælibet alia creatura, adhuc Deus esset omnipotens quantum ad intrinsecam perfectionem, & virtutem productivam ejus,

nam repugnantia hominis non oriretur ex Deo, sed ex ipso homine, sicut nunc oritur ex chimera; & hac solutione atuntur omnes relati Auctores.

Dices, omnipotentia in se est virtus activa, ergo in se est activa alicuius factibilis, quia non est activa sui, ergo necessario alicuius transcendentaliter aliud a se. Conf. ita se habet potentia factiva ad factibile, sicut visiva ad visibile, ergo sicut hæc concipi nequit sine objecto visibili, ita nec illa sine termino factibili. Resp. quod omnipotentia in Deo, ut est perfectio simpliciter, est virtus activa alicuius factibilis, non quod formaliter constituitur in suo esse per ordinem transcendentalem ad illud, sed solum quia est perfectio absoluta nata terminare dependentiam creaturarum possibilem ad ipsam, ac etiam ad illas, ut possibiles, fundare ordinem rationis, de quo vide Licher. 1. d. 30. q. un. in sol. ad arg. Gregor. Ad confirm. non currit paritas, quia potentia visiva in sua entitate dependet ab objecto, & ideo dicit ordinem transcendentalem ad illud, id autem ateri nequit de potentia factiva Dei, sed tota ejus formalitas debet indeminis salvari sine dependentia a creaturis, & ideo constitui debet in perfectione absoluta nata fundare respectum rationis ad creaturas possibiles, vel earum realem dependentiam in tali statu possibili terminare; quia ut sæpius dictum est, quantum ad denominationes relativæ non est ferendum idem iudicium de Deo, & creaturis.

ARTICULUS I.

An subjectum Relationis esse debeat necessario accidens, & hoc absolutum, ita quod nequeat esse respectivum.

67 Dicitur Thom. 4. contra gentes c. 14. negasse videtur substantiam esse posse proximum, & immediatum Relationis prædic. fundamentum, unde quidam Thomistæ solam verborum S. Doctoris superficiem attendentes, hanc sententiam, ut de ejus mente amplexati sunt, quibus favere videtur Zerbis noster §. Met. qu. 18. ad 4. §. Dicendum seriatim. Oppositum tamen docet, vel potius supponit Doct. §. Met. q. 12. & 2. d. 3. q. 1. & passim in sua doctrina, & cum eo Scotistæ omnes, ac Neotherici, Suarez, Ruvius, Blanc. & Thomistæ melioris notæ, Cajet. Ferrar. Soncin. Javell. Masius, Capreol. & alii, qui explicant D. Thom. loc. cit. locutum fuisse de Relationibus majori ex parte, quæ fundantur in accidenti immediate, nam posse quoque aliquas in substantia fundari expresse docet opusc. 48. tr. 5. cap. 4. & est expressa Arist. mens §. Met. cap. 15. ubi ait, unitatem in substantia facere identitatem, sicut in qualitate facit similitudinem, & in quantitate aequalitatem, idque probat Mair. 1. d. 29. q. 3. manifesta ratione, quia irrationabile videtur, quod duæ albedines habeant inter se conformitatem, quæ sit relatio prædicam. & dicitur similitudo, & quod duæ substantiæ ejusdem speciei, v.g. duo homines non habeant suam proportionatam conformitatem, quæ dicatur identitas essentialis, sicut enim in qualitatibus attenditur similitudo, vel dissimilitudo accidentaliter, ita in substantiis attenditur similitudo, & dissimilitudo essentialis in natura, quæ dicitur identitas, & diversitas, & sunt relationes prædicam. quia destructo v.g. Brunello non amplius Petrus dicitur ab eo actualiter diversus, sed solum potentialiter, sicut albedo non dicitur amplius similis alteri albedini jam destructa. Rursus dum ignis generat ignem, & homo hominem, generatio prius terminatur ad ignis substantiam, quam ad illum accidens, ergo in illo priori fundatur relatio effectus in substantia nullo medio accidente, & filiatio in homine ad patrem. Nec dicas, Paternitatem, & filiationem fundari in actione, & passione, quæ sunt accidentia. Nam inferius cum Scot. quol. 12. C. & 4. d. 6. q. 10. I. & d. 14. q. 1. V. id esse falsum ostendemus, quia illis transtatis manent præfatæ relationes, adeo quod immediate fundari debent in substantia Patris, & Filii, aut saltem in potentia activa, & passiva, quæ utique realiter non distinguuntur ab eorum substantia, ut accidens superadditum, ut dicitur in lib. de Anima.

Dices, unitatem, & pluralitatem genericam, & specificam in omnibus prædicam. reperiri, & sic etiam relationes super illas fundatas, scilicet identitatem, & diversitatem, ergo sunt relationes transcendentales, non prædicam. Neg. conf. quia relatio non dicitur transcendens ex eo præcise, quia per omnia, vel plura prædicam. vagetur, ut dictum est q. 1. sic enim inhærentia actualis esset relatio transcendens, sed quia identificatur cum suo fundamento, igitur quia identitas, & diversitas specificæ, vel genericæ realiter a suo fundamento distinguuntur, ideo ceteri debent relationes prædicam. & licet specialiter fundari dicantur in substantia, tamen suo modo fundantur etiam in aliis prædic. unde in quantitate, & qualitate fundantur ratione unitatis relationes duplicis generis, ambæ tamen ad primum modum relativorum spectantes, nam ratione unitatis in essentia fundantur relationem identitatis, ac ratione unitatis in gradibus intentionis qualitas fundat relationem similitudinis, & ratione unitatis in partibus extensionis quantitas fundat relationem aequalitatis, ex quo patet similitudinem, & aequalitatem non fundari in qualitate, & quantitate ratio-

ne essentia, nam hac ratione duæ albedines dicuntur eadem, sed ratione alicuius modi accidentalis. Videantur de hac re Mair. cit. & Ant. And. lib. sex. princ. q. 9.

68 Major est difficultas circa aliam quæstionem partem, an una relatio super aliam fundari possit. Negat D. Th. 1. p. q. 42. art. 1. ad 4. & q. 3. de potentia art. 3. ad 2. & cum ipso Thomistæ omnes Cajet. & Canar. 1. p. loc. cit. Ferrar. 2. contra gentes, c. 12. & 13. Soncin. §. Met. q. 29. Vasq. disp. 166. c. 4. Did. disp. 14. Log. q. 3. Compl. disp. cit. & alii passim. Affirmat Scot. 2. d. 1. q. 5. H. & iterum §. Ad quæst. ubi se citat in 1. d. 19. q. 1. §. Hic primo videndum, & 4. d. 6. q. 10. E. & quol. 6. §. de tertio, & alibi frequenter, & cum ipso Scotistæ omnes Mair. & Ant. And. jam cit. Licher. in 2. loc. cit. Tatar. & Jo. de Mag. in Log. Zerb. §. Met. q. 18. in fine; Fab. ib. disp. 24. Durand. 1. d. 7. q. 2. Suar. disp. 47. sect. 11. n. 11. & alii. Aliqui vero has opiniones quasi conciliare volentes, inveniunt, relationem posse considerari dupliciter, primo formaliter, & essentialiter, quo pacto est ratio referendi unum extremum ad alterum sibi oppositum, ut v.g. paternitas est ratio referendi patrem ad filium, & sic negant relationem esse posse fundamentum relationis, quia ut sic est ratio referendi, non id, quod refertur; secundo materialiter, & accidentaliter, quatenus scilicet una relatio convenit cum alia ejusdem rationis, ut paternitas comparata cum alia paternitate, ad quam fundat relationem similitudinis, vel identitatis, sic enim non est ratio referendi, sed id, quod refertur, & in hoc inveniunt relationem cum absoluto convenire, & accidere relationi, ut relatio est, quia ut talis non refertur, sed refert, dicunt igitur D. Th. negare relationem primo modo consideratam posse aliam relationem fundare, non autem secundo modo, in quo tantum sensu affirmavit Scot. ita videtur sentire Fland. §. Met. q. 16. Ruvius in Log. c. 7. q. 11. Blanc. disp. 11. sect. 8. Sed sane hæc conciliatio frivola est, quia quæstio non est de relatione in primo sensu, sed in secundo, & in eo negat S. Th. posse aliam fundare relationem, ut ex ejus rationibus constabit, & Scotus affirmat, quare præfati Auctores ita sentiendo stant a sententia Scoti, nam adamussim in eo sensu, quo ipsi declarant, intelligit Doctor posse unam relationem esse alterius fundamentum.

69 Dicendum itaque cum secunda sententia unam relationem posse super aliam fundari. Ita Scotus loc. cit. cum Scotistis, quos testatur Averfa q. 15. Phys. sect. 4. magis consequenter loqui, postquam semel concesserunt relationes reales distinctas a rebus quam ipsi Thomistæ; probat Doctor auctor. Euclid. 5. lib. Geometria, ubi definit proportionalitatem esse duarum proportionum similitudinem, sed proportio, & proportionalitas sunt relationes; ergo &c. Probant deinde Mair. & Ant. And. cit. ratione evidentissima, quæ Suarez, & alii moti sunt ad nobiscum sentendum, quia relationes etiam denominationes relativæ suscipiunt veras, ac reales, non minus, quam entia absoluta, duæ enim paternitates dicuntur inter se similes, sicut duæ albedines, similitudo est entitas diversa a filiatione, ac paternitate, & quod magis refert, est, quod hujusmodi denominationes sunt præfatis relationibus accidentales, stante enim paternitate, v.g. Petri, incipit de novo esse similis, si alia paternitas de novo ponatur, & definit esse similis, eadem destructa; incipit esse diversa ab albedine, si hæc de novo producat, definit esse diversa, si destruat albedo, ergo hujusmodi denominationes sent per relationes vere, & realiter superadditas, quia hoc fuit superius unum ex præcipuis fundamentis ad distinguendum relationes a rebus absolutis.

Resp. Thomistæ neg. paritatem, quia duæ paternitates sunt inter se similes fundamentaliter tantum, & negative, quatenus non sunt diversæ speciei, ac duæ albedines sunt similes positive per relationem superadditam. Hæc utique esset optima responsio, si assignaretur ratio, cur potius duæ albedines habeant inter se conformitatem positivam, non autem duæ paternitates, sed hic labor, hoc opus est, si autem hæc major ratio non assignetur, aut etiam in absolutis negandæ erunt relationes cum Nominalibus, aut etiam in ipsis quoque relationibus alias quoque fundari posse fatendum erit cum Scotistis. Dicunt igitur aliqui paternitates non posse fundare relationem similitudinis ad invicem, bene tamen albedines, quia relatio est minimæ, ac debilissimæ entitatis, unde non poterit esse causa, nec materialis, nec effectiva alterius formæ, & effectus.

70 Frivola tamen responsio, nam quantum spectat ad minus sustentandi, negant multi fundamentum esse semper majoris entitatis re fundata, nam materia prima est imperfectior ipsa forma substantiali, quam tamen sustentat; & quanto etiam id concederetur, inquit Zerb. cit. licet relatio sit diminuta entitatis respectu accidentium absolutorum, tamen intra seriem relationum poterit una esse perfectior alia, & consequenter idoneum ejus fundamentum. Tum quia relatio fundanda non est tanti sponderis, ut ad eam sustentandam alia relatio non sufficiat, imo cum sit debilioris entitatis, quam relatio fundans, non multum eam gravabit, & quando nimis gravaret, cum prima relatio supponatur fundata in absoluto, non est ruina timendum, nam sustentabit in virtute absoluti, cui tandem tota relationum frues imittitur. Quantum vero spectat ad minus efficiendi, cum relationum efficientia sit per modum effici-

plis resultantæ, & dimanationis, ut supradictum est, non est necessaria maxima entitas, & virtus ad illam, & si potest una relatio aliam causare in genere materialis causæ ipsam sustentando, ut probatum est, poterit etiam in genere efficientis præfato modo; nec talis efficientia videtur repugnare relationi fundanti, præsertim si ponamus eam in ordine relationis esse perfectiorem fundatam. Tandem hæc responsio non evadit difficultatem principalem, quomodo in relationibus salventur denominationes relativæ sine aliis relationibus, quæ ponuntur in aliis rebus.

Alii proinde aliam assignant disparitatem, quod relatio est modus rei, at modus non habet modum in eo genere, quo modificatur, unde actionis non est actio, neque figuræ figura, cum igitur relatio sit, qua alia referuntur, non per aliam relationem, sed seipsa refertur, & sic paternitas seipsa dicitur similis alteri paternitati, similitudo seipsa est diversa a paternitate, ita Sonc. Cajet. Ferrar. Fonseca. Valq. & alii ex D. Th. 1. p. q. 42. cit. & ratio hujus est illa universalis regula, quod in quocunque genere *id, quo aliquid est tale, seipso, & non per aliquid aliud est tale*, quam etiam nos recepimus supra q. 2. art. 2. in fol. ad 4. inconveniens.

71. Hæc etiam solutio facile rejicitur, quia licet modi non detur modus in eodem genere, quo ipse modificat, datur tamen in diverso, ut v. g. licet unio non indigeat alio unionis modo, quo ipsa uniat, vel uniat, indiget tamen actione a se distincta, qua producatur, quia unio non est ratio agendi; idem de ubi, de figura, & aliis modis ostendi potest, & ratio hujus est, quia quod est *Quo* in uno genere, potest esse *Quod* in alio, ut constat de cognitione v. g. lapidis, cum enim ipsa sit *Quo* repræsentatur lapis, non eget alia cognitione, ut ipsam repræsentet, tamen ut ipsa repræsentetur, indiget alia cognitione, quia sic evadit *Quod*. Sic igitur in proposito, licet relatio seipsa referatur ad suum terminum oppositum, ut paternitas ad filium, neque ad hoc alia indigeat relatione superaddita, quia respectu illius est *Quo*, ad disparitatem tamen seipsa non refertur v. g. ad aliam paternitatem in ratione similis, vel ad aliquid absolutum in ratione dissimilis, sed indiget nova relatione similitudinis, & diversitatis, & hujus ratio est, quia paternitas respectu filii utique habet rationem relationis, non tamen respectu albi, vel alterius paternitatis, sed habet rationem entis disparati; & ideo in ordine ad illa bene fundare potest relationem similitudinis, vel diversitatis absque quod relationis dicatur esse relatio, sicut de cognitione lapidis dicebamus, quod alia reflexa cognitione cognosci potest absque quod cognitionis dicatur esse cognitio, quia tunc non habet rationem cognitionis, sed objecti; unde ex hoc potius nostrum potest confirmari argumentum, quia sicut modus indiget alio modo in diverso genere ad habendum nempe effectum formalem diversum ab eo, quem ipse præbet, sic paternitas, ut dicitur similis alteri paternitati, indiget nova relatione similitudinis, quia esse simile est effectus valde diversus ab illo, quem ipsa præbet; illa vero regula *Id, quod aliquid est tale, &c.* intelligenda est formaliter, id est in ordine ad illud, respectu cuius habet rationem *Quo*, non autem respectu alterius, respectu cuius potest habere rationem *Quod*, ut constat ex allatis exemplis.

72. In oppos. obiic. 1. tenuissimam entitatem relationis, quæ proinde inepta est ad aliam sustentandam. 2. quia tria tantum fundamenta relationum posuit Arist. 5. Met. c. 15. unitatem substantiæ, quantitatis, & qualitatis pro primo genere; actionem, & passionem pro secundo, & mensuram pro tertio, sed relatio nihil horum est ut constat. Tertio quia in divinis darentur alie relationes reales præter quatuor, nam relationes illæ habent inter se distinctionem, & oppositionem, quæ essent alie relationes super ipsas fundatæ. Quarto actio non fit per aliam actionem 5. Phys. 10. ergo hæc relatio refertur per aliam relationem. Nec valet allata responsio modi posse esse modum in diverso genere modificandi. Quia hic semper sistimus in eodem genere, scilicet, referendi, sicut ergo actionis non est actio, quia in genere agendi ipsamet est ratio agendi, sic nec relationis est relatio, quia a toto genere ipsa est relatio referendi. Quinto tandem daretur processum in infinitum in relationibus realibus, si enim paternitas fundat relationem similitudinis ad aliam paternitatem, & e contra, hæc utique similitudo rursus fundat similitudinem ad aliam, & e contra, quæ similitudines erunt etiam inter se similes.

73. Nec valet responsio Scoti in 2. loc. cit. non dari processum in infinitum, sed dari statum in secundis relationibus, quæ seipsis referuntur, unde dum duæ paternitates dicuntur similes, utique tales dicuntur per similitudinem singulis additam, sed quando postea istæ duæ similitudines inter se dicuntur similes, hoc non fit aliis relationibus superadditis, sed seipsis, ratio est, quia implicat unam sine altera conservari, cum sint simul natura, est autem regula generalis a nobis ex Scoto in superioribus tradita, quod quando fundamentum nequit esse sine termino, ad quod refertur, relatio, qua refertur, non est ab ipso realiter distincta. Non valet, quia optime urget Ocham, quamvis identitas Sortis ad Platonem non possit esse sine identitate correspondente Platonis ad Sortem, atque ideo in his possit

responsio Scoti habere locum, tamen identitas Sortis ad Platonem potest esse sine identitate Joannis ad Paulum; vel stando in exemplo de paternitatibus, licet similitudo unius ad aliam nequeat esse sine similitudine alterius sibi correspondente, tamen similitudo duarum potest esse sine similitudine reperta inter alias duas, & sic in his responsio Scoti non valet.

74. Ad 1. satis patet ex dictis. Ad 2. ex Scot. 4. d. 6. q. 10. sub D. quod unitas, & pluralitas generica, & specifica, super quas fundantur relationes primi modi, reperiuntur in omnibus prædicamentis servata proportione, & analogia ad ipsum genus substantiæ, atque ideo etiam in prædicamento relationis reperiri potest sufficiens fundamentum relationum primi modi, quia una relatio cum altera computata vel est eisdem, vel diversæ rationis ab illa, & Arist. loc. cit. per unitatem substantiæ intelligit unitatem essentia, quæ etiam in accidentibus reperitur. Ad 3. Faber loc. cit. concedit relationes oppositionis, & distinctionis in divinis esse relationes distinctas a relationibus originis fundatas in illis; Sed potius neganda est consequ. quia per regulam Scoti cit. 2. d. 1. quæst. 5. infra N. ordo oppositionis relativæ unius relationis cum alia, & distinctionis ab illa, non debet esse alia relatio realiter distincta, quia implicat unam sine altera conservari, cum sint simul natura, unde Suar. cit. hæc Scoti doctrinam secutus, inquit, aliquos respectus esse intime inclusos in ipsis relationibus, ut qui sunt ad proprios terminos, & relationes oppositas, quam doctrinam immerito Faber non recipit, cum sit expresse Scoti, aliquos vero esse accidentarios, cuiusmodi sunt, qui respectu alios terminos, qui per accidens se habent ad tales relationes, ut v. g. in paternitate ex eo, quod est ratio referendi patrem ad filium; includitur intrinsece, & inseparabiliter oppositio cum filiatione, atque adeo distinctio, at vero respectus similitudinis unius paternitatis ad aliam non includitur intrinsece in ipsa paternitate, sed accidentaliter, quia una paternitas est terminus per accidens alterius, & una potest esse sine quocunque respectu ad aliam, ut v. g. si illa alia destrueretur. Ad 4. sicut actio creaturæ dicitur fieri per actionem Dei, quia respectu Dei non habet rationem actionis, sed effectus, quia non est Deo ratio agendi, sed creaturæ, sic relatio, licet respectu termini sui non dicatur referri, sed referre, respectu tamen termini extranei, ac disparati potest dici referri, quia respectu illius non habet rationem relationis, sed entis cuiusdam disparati, unde concedimus relationem, ut sic formaliter consideratam, non fundare aliam relationem, quia ut sic consideratur in ordine ad proprium terminum, ut constat ex dictis.

75. Ad 5. concedunt aliqui progressum in infinitum. Sed licet Doct. loc. cit. ipsum admittat in relationibus rationis, negat tamen omnino in rebus præsertim 4. d. 6. q. 10. E. in quibus est vitandus, quantum fieri potest, præsertim per se ordinatis, ut docet Arist. 2. Met. inter relationem vero, & fundamentum datur per se ordo, quare concludit Doctor, quod sicut in accidentibus datur unum sic ultimum, ut alterius subiectum esse nequeat, ita in relationibus, ideo alii negant progressum in infinitum, sed variant in assignanda ratione; quidam negant processum in infinitum, quia tandem deveniunt ad absolutum, quod est ultimum subiectum omnium relationum. Sed isti non capiunt argumentum, quod probare contendit processum in infinitum ascendendo respectu relationum, quia nunquam daretur ultima fundata. Alii proinde negant hunc processum, quia cum effectus procedens a causa eo sit imperfectior, & impotentior ad producendum, quo magis recedit a sua causa, ut patet ex calore producto ab igne uniformiter difformiter, nam devenitur ad calorem, qui non possit alium producere, fit ut relatio, quo magis recedit a primo fundamento, eo sit imperfectior, atque adeo deveniat ad relationem, quæ non habeat vim fundandi aliam, & hæc censet Amic. q. 6. dub. 3. art. 2. esse tutiorem solutionem, quæ dari possit. Ceterum neque ista satisfacit, tum quia quando salvabant isti denominationes relativæ in illis relationibus ultimis, quæ alias non fundant, salvari etiam debebant in cæteris relationibus absque additione aliarum; imo, & in ipsis absolutis absque ullis prorsus relationibus; tum quia hæc solutio nititur illi falsæ doctrinæ de tenuitate relationis, quod aliam sustentare nequeat supra refutata.

76. Itaque resp. solutione Scoti inter arguendum data, pro qua vide supra q. 3. art. 2. in fol. ad 4. absurdum. Ad impugnationem ibi factam negamus etiam progressum in infinitum, dabitur enim status in ea relatione, cum qua cæteræ, quæ conciperentur confurgere, conveniunt in ratione fundandi, & in ratione referendi, v. g. duæ paternitates fundant relationem similitudinis inter se, si hæc similitudo conferatur cum altera, quæ reperitur inter alias duas paternitates, ut est casus argumento positus, seipsa dicitur similis illi, & non alia superaddita, quia superius pergas, eandem semper reperias rationem, fundandi scilicet convenientia, & eandem semper rationem referendi, & terminandi scilicet ut simile; & pariter respondendum est, si argumentum fieret ad multiplicandas relationes dissimilitudinis, seu diversitatis eodem modo arguendo; Rationem hujus afferunt Ant. And. & Mair. cit. quia cum in unaquaque denominatione deveniendum sit ad aliquid, quod in illo ordine denominandi est ita *Quo*, ut nequeat esse *Quod*, ut

ut albedo nequit esse alba; quantitas quanta, & sic de aliis, sic in proposito sitendum semper est in illis relationibus, quæ dicuntur ad aliud per denominationem eisdem rationis cum illa, quam intrinsece secum afferunt, ut dum similitudo dicitur similis, diversitas diversa, ad suscipiendas enim hæc denominationes non indigent relatione realiter distincta, sed ad summum formaliter, qua solutione etiam utitur Suarez loc. c. & est doctrina Scoti 5. Met. q. 12. §. Ad argumenta, dum loquitur de identitate.

Sed contra hanc solutionem urget Averfa cit. quia relatio ad summum poterit per seipsam dici ad eundem suum terminum, non autem ad aliud terminum disparatum, sed ad hunc indigeat alia relatione, ut similitudo unius paternitatis cum alia poterit utique seipsa dici similis similitudini fundatæ in alia paternitate, quia est similitudo illi correlative opposita, at similis alteri similitudini in alio termino disparato fundatæ dici non poterit, nisi per novam similitudinem præsertim per Scotum, qui relationes multiplicat ad multiplicatam terminorum. Tum quia semper urget ratio fundamentalis distinguendi relationes a fundamento, similitudo enim duarum paternitatum dicitur similis similitudini aliarum duarum, quibus destructis non amplius dicitur similis, ergo non seipsa, sed per relationem similitudinis superadditam antea dicebatur similis. Tum tandem, quia poterit saltim hic relationum processus in infinitum trahi per denominationem semper diversæ rationis ab illa relatione, cui tribuitur, ut paternitas est similis alteri paternitati, hæc similitudo est dissimilis aliis rebus, hæc dissimilitudo est similis alteri dissimilitudini, & sic deinceps transeundo de una in aliam denominationem.

77. Resp. assumptum esse verum; quando relatio dicitur ad aliud terminum per denominationem diversæ rationis, quia sic habet rationem *Quod*, at sistendo in eodem genere denominandi, seipsa refertur ad quemcumque terminum, quia in illo genere semper est ratio formalis referendi, & est ita *Quo*, ut nequeat esse *Quod*, cum autem Scor. doceat in 3. d. 8. relationes multiplicari ad multiplicationem terminorum, intelligit, quod relationes eisdem rationis, & denominationis multiplicentur in eodem fundamento, præsertim absolute, itaque omnes immediate fundentur in illo, & non una super aliam, ut infra q. 6. a. 2. ad 3. conf. 4. arg. prin. Ad 2. valet illa ratio ad distinguendas relationes a fundamentis in aliis rebus, quia fundamenta illa sunt ita *Quod*, ut indigeant *Quo* ad suscipiendas denominationes relativæ, non autem valet formis relativæ in ordine ad formales denominationes, quas secum afferunt intrinsece, quia in illo genere denominandi sunt ita *Quo*, ut nequeant esse *Quod*, quare ad hæc, & similia argumenta negandum est similitudinem absolute, & in recto posse dici similem, & diversitatem diversam, sicut unio non potest ab alia unione denominari, nec præsentia ab alia præsentia, quæ doctrina passim etiam ad adversariis docetur. Ad 3. difficilior est responsio, quia processus in infinitum trahitur per denominationes semper diversæ rationis ab illa relatione cui tribuitur, potest tamen dici similitudinem, quæ denominat paternitatem similem, sufficere etiam ad denominandam similem dissimilitudinem in ipsa fundatam; Prævidit hæc responsionem Averfa, ideo conatur eam præcludere, quia relatio est modus, nec habet denominare, seu referre, nisi suum subiectum, cui inest; tum quia dum similitudo dicebatur dissimilis, & postea dissimilitudo similis, non potest denominari similis per eandem illam similitudinem, in illa enim tamquam in subiecto fundabatur, res autem debet referri, & denominari per relationem sibi inhaerentem. Hæc tamen ratio parum urget, quia non solum forma in subiectum, sed etiam subiectum in formam denominationem derivare potest, nam non solum quantitatem dicimus albam, sed etiam albedinem quantum, ut fufe ostendimus d. 3. Phys. q. 3. art. 2. sicut ergo quantitas, quæ mediat inter substantiam, & qualitatem, utramque denominat quantum, sic in proposito relatio similitudinis, quæ in coordinatione illarum relationum, veluti mediat inter paternitatem, in qua fundatur, & dissimilitudinem, quam fundat, sufficiens est ad utramque denominandam similem, unamquamque tamen in suo ordine, nimirum paternitatem alteri paternitati, & dissimilitudinem alteri dissimilitudini.

78. Solum contra hoc obiic. posset, quod cum hæc extrema sint non solum numero, sed etiam specie diversa, nempe duæ paternitates, & duæ dissimilitudines, non videntur per eandem speciem relationem referri posse, sed per aliam, & aliam; esto in gradu generico similis possint convenire. Sed hujus solutio dubii pendet ex infra dicendis de specificatione relationum ab extremis q. 10. art. 1. in fine, ubi ostendimus, satis probabile esse omnes similitudines, inter quæcumque extrema reperiantur, esse inter se eisdem rationis, quia admittit doctrina ibi probanda, absurdum non erit eandem numero similitudinem referre paternitatem, in qua fundatur, ad aliam, & etiam dissimilitudinem, quæ fundatur in ipsa, ad aliam pariter dissimilitudinem, quia enim simul, & semel afficit paternitatem, & dissimilitudinem modo prædeclaratam, idcirco quamvis formaliter sit una relatio, tamen virtualiter est duplex, & refert ad duos terminos; hæc responsio videbitur forte cuiuspiam voluntaria, sed cogitet iste quid melius, nos enim ingenue fate-

Mairii, & Bellui Tom. I. Logica.

mur aliam usque modo nos non videre viam evadendi; & libentius præfata responsioni volumus acquiescere, quam processum in infinitum admittere. Caveat tamen a Camer. qui quæst. 9. logic. ad evitandam hanc difficultatem, negat distinctionem, diversitatem, dissimilitudinem, & alia hujusmodi dicere relationes reales, afferens esse tantum negationes relationum oppositarum, quod constat ex dictis esse falsum.

QUESTIO VI.

In qua consideratur relatio ex parte termini.

Declarata natura relationis ex parte fundamenti, nunc venit consideranda ex parte termini, & quia etiam ex hac parte plures emergunt de relatione difficultates, ideo hæc quæstio in plures distribuitur articulos.

ARTICULUS PRIMUS.

An relatio realis necessario petat terminum realem, & actu existentem.

79. Relationem realem necessario petere terminum, in quem tendat, satis constat ex dict. q. 3. etiam si circa illam nullam exercent causalitatem physicam, & realem, ut dictum est q. 2. art. 2. in fol. 2. absurdum, quia ut docet Lich. quol. 12. in responsione ad instantias contra 3. dictum, licet terminus non requiratur ad relationem, velut causa totalis, vel partialis ejus, cum non causetur ab illo, requiritur tamen propter formale esse relationis, quia relatio formaliter est habitudo ad aliud, ita quod si nihil esset ad quod relatio terminaretur, relatio nullo modo esset; ita ut terminative causalit, tamquam conditio necessaria, quæ causalitas reductive pertinet ad causalitatem formalem extrinsecam, & iste concursus in genere causæ terminantis est ita necessarius, ut frequenter advertit Barg. ex Doct. 3. disp. 15. quæst. unic. in fol. princ. ut nec etiam a Deo suppleri queat, ut patet de actu intellectus, & voluntatis in ordine ad objecta, potest enim utique Deus supplere vices objecti in genere efficientis causæ, non tamen terminantis; sicut ergo nequit a Deo conservari relatio sine fundamento, ita nec sine termino, quantumcumque in abstracto consideretur; Non igitur quæstio præfata querit, num relatio possit per aliquam potentiam sine termino conservari, quia cum essentialiter dependet ab illo modo superius explicato, hic necessario supponitur ad relationem termini existentia, sed solum queritur, qualis esse debeat, id est num semper realis, & positivus, & in quo statu eam requirit, num scilicet semper in statu actualis existentia.

80. Et quidem non est quæstio de relatione transcendentali, omnes siquidem concedere videntur cum Mair. 1. disp. 29. quæst. 6. hos respectus, quos ibi fundamentales appellat, ad terminum non realem, neque actu existentem terminari posse, & patet manifestis exemplis, potentia enim respicit actum etiam ut possibilem, & non actu existentem, scientia habet ordinem ad scibile, non necessario existens, imo, & ad ens quod existere nequit, ut sunt negationes, & entia rationis, saltim, ut ad objecta terminativa, ut late ostendit Ovied. contro. 10. Met. pun. 2. & ita universaliter est de respectibus aptitudinalibus, quæ tendunt ad suos terminos, non ut existentes, sed ut possibles, & sub tali statu possibilitatis sufficientes sunt, ut tales respectus confurgant in fundamentis. Et sane minus recte ajunt aliqui, quibus consentit Faber 5. Met. disp. 22. & ex professo docuit Basf. 3. dist. 8. q. 1. art. 1. præfatos respectus esse rationis, non autem reales, nisi quando termini actu ponuntur, ut potentiam non dicere respectum realem ad actum, nisi quando ponitur in esse, hæc ratione convicti, quia relatio dicit esse *ad aliud*, ut ad terminum, at non ens, vel ens tantum in potentia nequit dici *ad aliud*. Non recte speculantur Auctores isti, quia inde sequeretur nullam passionem esse realem, siquidem omnes fere consistunt in respectibus aptitudinalibus ad actus eis consentaneos, aut saltem tales respectus necessario includunt, item potentiam materiam non esse realem, ut respicit formas possibles in ea recipi, & alia similia absurda, licet illi hæc omnia concedant; neque eorum ratio convincit, quia *ly aliud* ex vi suæ significationis non dicit diversitatem existentiam, sed essentiam, qualicumque sit, in quo sensu non ens bene dici potest aliud ab ente.

81. Remanet igitur sola quæstio de relatione prædicamentali, aut ad prædicamentalem reducibili (quod addimus ob aliquas relationes imperfectas, quæ non habent omnes conditiones ad realem exacte necessarias) & rursus non est quæstio de illa secundum statum essentia, & possibilitatis considerata, sic enim bene possunt hujusmodi relationes tendere ad terminos non existentes, sed possibles, unde etiam in communi modo loquendi dicere solemus unum album esse alteri simile, & quantitatem palmarem esse semipalmari majorem, etiam nullum album, & nullum quantum existeret, hæc enim enunciantur de illis secundum statum essentia consideratis, alioqui in statu realis existentia

non enunciantur, nisi utroque extremo existente; quæstio itaque est, an relatio prædicam. in statu actualis existentia considerata petat terminum realem actu existentem in rebus natura, & communis opinio contra Greg. cit. est affirmans, quam Doctor semper docere visus est, quotiescumque assignavit illas tres conditiones relationis prædicam. qu. 1. relatas, & ex professo defendunt Mair. cit. Bassol. 3. d. 8. qu. 1. art. 1. & 1. d. 30. qu. 1. art. 1. & Lich. ibidem, ubi solvit argum. Gregor. in oppositum, Faber. loc. cit. & sequuntur Thomistæ passim, & alii Neothomistæ unanimiter, quare pro resolutione quæstionis cum hac communi opinione.

82 Dicendum est, relationem prædic. petere terminum, realem, & actu existentem; est Scot. 4. d. 6. qu. 10. §. Sed resistent, & ab omnibus recipitur. Sed quamvis hæc conclusio sit communis, eam tamen non omnes eodem modo probant, quia difficile est huius assertionis assignare rationem, quæ æque non procedat de transcendentibus, ut bene Suarez advertit sec. 8. & quidem quamplures illæ rationes, quas affert Mair. citat. pro hac conclusione, quibus passim utuntur alii, hanc patiuntur calumniam, quod æque de transcendentibus convincere videntur, quas tamen ipse ultro concedit tendere ad non existentem, unde si probetur relationem prædicam. esse non posse ad terminum non existentem, quia ens reale, qualis est ipse, nequit pendere a non ente, & quia aliqui possent quoque ab ente rationis pendere, & quia relatio est nexus inter extrema, at non possunt realiter connecti, nisi extrema realia, plane huiusmodi, & similes rationes æque concludunt de respectibus transcendentibus, ut discurrenti constabit. Ideo Suarez aliter probat, primo nimirum ex proprietate relativorum prædicamentarium, quæ est ut dicantur ad convertentiam, quæ autem convertuntur, oportet, ut simul coexistant, alioqui converti non possent, quæ est una ex probationibus a Mair. adductis; deinde probat ex natura relationis prædicam. quæ ideo accidentaliter dicitur, quia refertur in fundamento ex positione termini, unde necessario supponere videtur extremorum existentiam, ut ex eis resultare dicatur. Sed neque hæc ratio convincens est, nisi melius deducatur, nam, & naturalis similitudo extremorum suo etiam modo exigitur ad relationem transcendentem, nam neque potentia materiam subsisteret, aut risibilitas hominis, nisi forma substantialis, & actus videndi forent possibilis, & etiam extrema suo modo supponuntur, antequam concipiatur in fundamento relationes transcendentales confurgere, ut v. gr. prius supponitur forma possibilis, quam intelligamus materiam potentem illam recipere, prius supponitur risus possibilis, quam homo intelligatur risibilis, & sic in aliis relationibus transcendentibus. Accedit, quod Suarez ibi colligit hanc probationem assertionis postæ ex quibusdam differentiis, quas ipse supra posuerat inter relationem prædicamentalem, & transcendentem, a nobis q. 1. refutatis.

83 Ratio igitur assertionis nostræ potius ex eo deducenda est, quia extrema relationis prædicam. ita se habent, quod fundamentum esse potest sine termino, & consequenter sine relatione ad illum, & ideo relatio dicitur illi accedere, nam si fundamentum sine termino esse non posset, jam relatio foret illi realiter identificata ex regula Scoti superius frequenter inculcata ad dignoscendam distinctionem, vel identitatem relationis cum fundamento; ex hoc autem sequitur relationem prædicam. non posse tendere in terminum, ut possibilem, sed necessario existentem, quia fundamentum ejus nequit esse sine termino possibili, bene tamen sine illo existenti, unde posita ad novam productionem, & existentiam termini dicitur per accidens resultare de novo relatio in fundamento. Et hinc est, quod relatio prædicam. ut a transcendentibus distinguitur, semper dicitur actualis, ratio est, quia, & si ad utramque terminus coexistat, ut dicatur resultare in fundamento, diversimode tamen id contingit utrobique, nam status meræ possibilitatis sufficit in termino, ut relatio transcendens actu a fundamento dimanet, ut constat in exemplis allatis, non tamen sufficit, ut resultet relatio prædicam. ut enim quis dicatur actu Pater, non sufficit, ut respiciat filium in solo statu possibilitatis, alioquin B. V. non posset dici Mater Christi, sed etiam aliorum, quia alios potuit habere filios, sed debet respicere filium in actu realis existentie, sic enim quia actualis existentia accidit termino, ideo etiam dicimus relationem prædicamentalem ab eo pendente accedere fundamento.

84. Hic tamen recolendum est, quod cum Tat. advertimus ab initio huius disp. ex Scoto quol. 13. sub N. & alibi frequenter dari posse relationem realem, etiam prædicamentalem, & actu subjectum denominantem, quæ terminetur ad non ens, seu ad aliquam negationem, vel privationem, talis est distinctio, qua forma dicitur a sua privatione distingui, & dependentia compositi physici a privatione in fieri, & respectus, quem dicit creatio ad non esse rei immediate præcedens ex Scoto quol. 22. art. 2. & respectus informationis ad non informationem immediate præcedentem, quem dicit mutatio ex eodem 2. d. 1. qu. 5. T. & 4. d. 11. qu. 11. F. hi omnes respectus, & alii quamplures his similes, sunt ad non ens, tamquam ad terminum; adhuc tamen dicuntur reales, tum quia ex natura rei se-

quuntur ad fundamentum; tum quia terminus eorum, esto quid positivum non sit, adhuc tamen non est ens rationis habens esse præcise per opus intellectus, sed est vera negatio realis, quæ etiam dici potest actu existens (eo modo, quo potest negationibus, & privationibus existentia competere) quatenus existit modo accommodato, ut relatio resultet in fundamento, & hæc est communis doctrina Scotistarum, qui hos, & similes respectus cognoscunt pro realibus, & aliquid ponentibus in fundamento, & solum reales non vocant, aut reales secundum quid, vel rationis, quatenus illis deficit una ex conditionibus requisitis ad relationem exacte realem. Neque absurdum est, dari posse relationem realem, cujus terminus non sit realis, & positivus, quia ut in superioribus declaratum est, relatio non causetur a termino, sed a fundamento, terminus autem est sola conditio sine qua non; non inconvenit autem negationem realem esse conditionem necessariam ad positionem alicuius effectus positivi, ita enim se habet privatio respectu compositi, quia concurrat ad minus, ut conditio, quod etiam constat in multis aliis.

85 Et opinio Greg. in hoc sensu intellecta nulla potest efficaci ratione refelli, quia si non inconvenit relationes transcendentales, esto sint forma reales, esse ad terminum non existentem, & ad non ens, ac ab eo pendere in suo relativo, idem dicitur pariter de relationibus prædicamentariis, nec unquam poterit afferri quoad hoc disparitas, quæ valeat; unde mirum est quomodo Lichet. cit. 1. d. 30. tam acriter Greg. opinionem reprehendat, cum, & ipse alibi cum Doct. passim tales respectus reales admittat ad non ens, & fateatur respectum in esse, & conservari a termino non pendere, nisi veluti a conditione necessaria, neque minus terminandi ex parte termini alio modo exercetur, quam per solam extrinsecam denominationem, unde non videtur, cur nequeat non entri competere posse, cum nihil reale in termino ponat. Verum tamen est relationem prædicamentalem tendere non posse in terminum, ut possibilem, quia hoc solum transcendentibus convenire potest, unde, & ipsæ prædicamentales, quando ad aliquam realem negationem terminantur, tendunt in illam veuti suo modo actu existentem, non autem veluti possibilem. Verum etiam est, exempla relationum, quæ Greg. affert ad id probandum, non esse ad rem, nam exempla illa de scientia in ordine ad scibile etiam non existens de potentia respectu effectus possibilis, de memoria respectu præteritorum, currunt de relatione transcendentali, quæ æque esse potest ad terminum existentem, ac non existentem; exemplum vero de statua Cæsaris, quæ dicitur illi similis, etiam si non existat, & quod abedo existens dicitur similis albedini possibili, parum etiam urget, quia nec statua Cæsaris fundat ad illum non existentem realem, & actualem similitudinem, ut bene ait Lich. cit. nec abedo ad aliam possibilem, sed solum potentialem, quatenus sunt fundamenta apra ad eas relationes fundandas terminis existentibus.

86 Restat igitur, ut fateamur, quod sicut respectus transcendentales esse possunt ad non ens, ita, & alii prædicamentales, vel si id negatur de istis, debet quoque pariter negari de illis cum Auctoribus. initio art. citatis, unde Bassol. ibi cit. ut loquatur consequenter, negat quoque relationes transcendentales ad terminum non existentem esse reales, unde negat materiam esse in potentia ad omnes formas per aliquam relationem realem ad illas terminatam, sed dicit esse in potentia fundamentaliter, quatenus est apta ex se referri existente termino, & etiam quia habet negationem repugnantiam ad formas recipiendas, quæ negatio dicitur potentia, convenienter materia a parte rei, & idem dicit de inclinatione animæ ad corpus, & inherencia aptitudinali accidentis separati ad subjectum, quam opinionem secutus est adamus Smiglec. disp. 10. log. q. 11. Sed hæc opinio non est tenenda, quia negat relationes, transcendentales reales, & solum illas ponit in conceptu absoluto cum relatione rationis, quod est falsum; tum quia inde sequitur omnes passiones esse formaliter respectu rationis; tum quia certum est aptitudinem aliquid aliud dicere ultra non repugnantiam, quia simplex non repugnantia constituit potentiam neutram in subjecto, non aptitudinem, tum tandem quia est contra communem.

ARTICULUS II.

An una, & eadem numero relatio possit plures respicere terminos.

87 **N**ON est quæstio de pluribus terminis specie distinctis, sic enim constat ad plures terminos, plures quoque, ac diversas tendere relationes, ut in eodem homine alia est relatio filiationis ad patrem, alia paternitatis ad filium, alia similitudinis ad album; sed est quæstio de terminis ejusdem rationis, & solo numero inter se distinctis; & quia isti sunt adhuc duplicis generis, quidam adequati, & totales, quorum scilicet singuli per se sumpti sufficientes sunt ad terminandam relationem suæ speciei, ut se habent plures filii in ordine ad paternitatem, quilibet enim solus, & per se sumptus sufficit ad terminandam paternitatis relationem, quidam vero sunt inadæquati, & pariales, itaut singuli per se sumpti insufficientes sunt

sunt ad terminandam relationem, sed simul sumpti constituunt unum totalem, & adequatum, quo sensu singula partes sunt termini inadæquati dependentiæ totius, & individua universalitatis speciei: quæstio in præsentem non est de terminis parialibus, & inadæquatis; constat enim unam relationem ad plures huiusmodi terminos tendere, quia in omnes illos tendit, velut in unum adequatum, & totalem, ut docet Doctor in 4. d. 1. qu. 2. in fine. Sed est quæstio de terminis totalibus, & adequatis, itaut sensus est, an quando unum relativum plures respicit terminos ejusdem speciei, ut simile plura familia, & pater plures filios, vel singulos respiciat, & attingat per distinctas numero relationes, vel per unam, & eandem numero extensam ad omnes.

Communis, & perpetua Thom. opin. affirmat plures terminos ejusdem rationis attingi per unam, ac eandem numero relationem, ita D. Thom. 3. p. q. 35. art. 5. quol. 1. art. 2. & quol. 9. art. 4. Cajet. & Medin. ib. & Alvarez disp. 45. n. 16. Complut. disp. 14. Log. q. 7. §. 4. ubi citant Capreol. Hervæ. Canariens. Ripam, Bannes, Palud. Soncin. Javel. Mas. Sanch. Did. seq. Joann. de S. Th. q. 17. art. 6. Ruvius hic q. 8. Fland. 8. Met. q. 9. art. 3. Aquir. 5. Met. dilucid. 9. Morif. disput. 8. Log. q. 8. Suesf. 7. Metaph. & fuit jam pridem sent. Henrici quol. 4. q. 2. & Alber. in prædicam. ad aliquid c. ult. Opposita sent. est Scot. 3. d. 8. qu. un. Lichet. ib. Tromb. 5. Met. q. 7. Bassol. 3. d. 8. qu. un. Zerb. 5. Met. tr. 15. q. 7. dub. 8. idemque tenentur juxta sua principia, Hurrad. disp. 15. Met. sect. 10. Averfa q. 25. Phys. sect. 5. Smiglec. disp. 10. q. 14. & alii Recentiores passim.

88 Dicendum est cum hac 2. sent. non posse unam relationem plures attingere terminos ejusdem rationis, sed relationes debere numericè multiplicari ad multiplicationem numericam terminorum. Ita Doctor l. c. quod probat solidissimis rationibus, quas quia conati sunt solvere Thomistæ excogitando varios modos salvandi unitatem numericam relationes ad plures numero terminos, ideo singulos adducimus, & rejiciemus, ut inde magis pateat evidentia hujus conclusionis, & soliditas rationum Doctoris, quibus passim alii utuntur.

Primus modus salvandi hanc unitatem relationis ad plures terminos satis frequens in Schola Thomistarum est, ad productionem novi termini ejusdem rationis, ut v. gr. novi filii non resultare in patre novam relationem paternitatis, sed priorem extendi ad illum, & sic deinceps; & ajunt extensionem istam ejusdem relationis ad diversos terminos non fieri per additionem relationis novæ, sed per explicationem præexistentis, quatenus ipsa de se respicit omnes terminos procedentes ex eodem fundamento, quando ponuntur in esse, absque mutatione intrinseca illius relationis, sed per solam extrinsecam denominationem sumptam ex nova existentia termini. Hocque multis declarat exemplis, sed præsertim habitus scientifici circa unam concl. quando enim habetur demonstratio circa aliam ejusdem objecti, non advenit novus habitus, sed nova extensio præexistentis ad illum, sic etiam dicunt unam, & eandem numero visionem, crescente numero hominum occurrentium, plura illa objecta attingere per solam extensionem ejusdem, & non per additionem aliarum visionum, eadem quantitas absque additione alterius, sed per solam extensionem ejusdem majorem occupat locum, & sic in multis aliis, unde concludunt novam extensionem relationis ad novum terminum nihil ponere præter coexistentiam novi termini, sicut si figuratur baculus in Fluvio, cui succedunt variz partes aquæ, dicitur illis de novo coexistere ex sola novitate partium aquæ succedentium.

89 Ceterum hic modus dicens semper graves passus est difficultates, tum quia in primis labefactat fundamentum, quo Thomistæ nobiscum consenserunt in distinctionem realem relationum prædicamentarium a fundamentis, & aniam præter Nominales illud eludendi, si enim antiqua relatio paternitatis non existente secundo filio non refert patrem ad illum, existente autem refert, nulla facta additione novæ entitatis præter novi termini coexistentiam, ita dicunt Nominales, entitatem patris non existente filio non extendi ad illum, seu non referre patrem ad filium, at existente filio eo ipso ad illum extendi, & illum respicere nulla additione facta novæ entitatis, sicut enim ajunt Thomistæ, paternitatem, quæ in Petro resultavit ad primi filii productionem, de se virtualiter tendere ad secundum, & tertium filium, & defectum formalis, & actualis tendentia solum procedere ex defectu illorum, sic pariter dicunt Nominales de ipsa entitate patris in ordine ad filium simpliciter, quod apta est dare denominationem relativam, & prius non dat ex defectu existentie. Tum 2. quia hæc extensio, vel est tantum per intellectum, & hoc non, quia a parte rei respicit novum filium, vel in re, & tunc debet accedere aliquis novus respectus, quia extensio ad hunc novum terminum (inquit Doctor) non potest esse formaliter, nisi relatio, cum enim non sit quid ab-

solutum, respectus esse debet. Tum 3. nequit intelligi extensio prioris relationis ad novum terminum per eandem præcise terminationem, quæ est ad priorem terminum, sicut neque anima intelligi potest extendi ad novam partem ex alimento additam per informationem priorem, sed per novam, ergo debet extendi per aliam terminationem, quæ non erit, nisi nova relatio. Tum 4. quia paternitas fundatur super generationem, vel saltem illam necessario sequitur, ergo sicut non generatione prioris filii attingit Pater quoque secundum, & tertium per majorem ejus extensionem, sed per novam generationem, ita etiam illum respicit per novam paternitatem. Tum tandem, quia exempla allata (etiam si duo priora idem contineant doctrinam, ut suo loco videbitur) idem convincunt, quia scientia de una conclusione, dum extenditur ad aliam circa idem objectum, realiter, ac intrinsece immutatur, ut fatetur Complut. visio etiam eadem numero non potest ad plura objecta extendi, vel si potest, id sane erit per novos saltem attingentia respectus additos, extensio quantitatis ad majorem locum ponitur ab omnibus novus modus a quantitate distinctus, tandem licet entitas absoluta baculi maneat invariata in medio fluvii fluentibus undis, tamen conjunctiones illius cum partibus aquæ variantur ad variationem illarum, quia quælibet conjunctio determinatur ab illa parte aquæ, ad quam est.

90 Secundus modus salvandi hanc unitatem relationis ad plures terminos est, ponendo ipsos pariales, ac inadæquatos, itaut conciant unum totalem, & adequatum, sed quia quilibet filius sufficit ponere relationem paternitatis, atque ideo est adequatus, & totalis, ideo distinguunt, de duplici adæquatione, una sufficientiæ, quæ scilicet sufficit, ut res tota existat, altera perfectionis, quæ existit secundum totam suam perfectionem illi debitam, sic dicere solemus animal adæquate existere in una specie adæquatione sufficientiæ, at vero non existit secundum omnes gradus suæ essentia, at vero non existit in una adæquate adæquatione perfectionis, quia exigit perfecti a pluribus specificis differentiis; in quo proposito existente uno filio, adæquate relatio existit adæquatione sufficientiæ, non tamen perfectionis, quia sicut potentia generativa, in qua fundatur, adæquate respicit omnes filios a se possibiles generari, singulos vero inadæquate, ita & paternitas.

Verum neque hic modus bene salvat hanc unitatem; tum quia ad hoc, ut quilibet filius possit, ac debeat propriam terminare paternitatem, satis est, ut singuli sint termini adæquati adæquatione sufficientiæ; tum quia inadæquatio perfectionis non petit, ut termini ita inadæquati unica relatione attingantur, nam pater successive plures generans filios unum post alterius interitum, singulos utique respicit, ut terminos inadæquatos quoad perfectionem, & tamen singulos respicit singulis relationibus; tum tandem quia aliud est loqui de potentia generativa, aliud de ipso actu generationis, quo illa reducit ad actum, & de ipsa paternitate, illa enim utique inadæquate respicit omnes filios, at non hæc, vel illa paternitas; hæc vel illa generatio; sed adæquate respicit hunc, & illum.

91 Tertius modus est aliorum distinguendum terminum formalem relationis, & materialem, ille est, qui per se primo respicit, & terminat relationis tendentiam, materialis vero est, qui per accidens terminat, & ratione formalis, paternitas ergo, quæ est in Petro, non respicit per se primo hunc, vel illum filium in particulari, quia illa supposita sunt termini materiales, sed per se primo respicit rationem filii, ut sic a se geniti, & quia hæc eadem ratio formalis interdum reperitur in pluribus, ideo potest una relatio terminari ad plures terminos materiales, quia terminatur ad illos sub una ratione formali, & hinc etiam fit, ut variatis terminis materialibus, si maneat ratio formalis in uno, non varietur, sed conservetur relatio; ita significant Complut. cit.

Sed etiam iste modus, esto quandam habeat apparentiam veritatis, non subsistit; tum quia dum multiplicatur termini, multiplicatur etiam in eis ratio terminandi, & cum hæc sit filiatio in proposito, præsertim secundum Thomistas, utique hæc multiplicatur in suppositis a Petro genitis, ergo etiam multiplicari debet relatio ad eam terminata; tum quia cum plures generat unum post alterius interitum, semper attingit singulos per distinctas numero relationes, etiam si eadem semper sit specifica ratio terminandi, non alia ratione, nisi quia numero multiplicatur, ad ita est etiam quando plures illos filios habet superstitēs; tum tandem quia penes terminum formalem, ut sic, idest penes communem rationem filii attenditur unitas specifica relationis; non autem numerica, sed hæc potius desumit debet ex peculiari ratione talis filii, nam, ut ait Tromb. relationes mutua ita se respiciunt, quod si una est singularis, etiam & alia, sed paternitas in hoc patre est singularis, ergo & relatio ei respondens, ut terminus primus.

92 Quartus modus salvandi hanc unitatem est, quod non utique prima paternitas, quæ est ad primum filium respicit singulos inadæquate, & omnes adæquate indivisibiliter, sed ita quod prima paternitas habeat pro adequato termino unum filium, alia vero duos, alia tres, quare ad

generationem secundæ filii novam relationem oriri, quæ indivisibiliter, & adæquate refert hominem ad duos filios, & primam perire, veluti superfluum, & ad generationem tertii filii istam inferre, & aliam de novo oriri, quæ ad tres filios adæquate refert, quorum nullus seorsim valeat talem relationem terminare; Sed neque iste modus est idoneus; tum quia esto dari possit aliqua relatio, quæ plura respiciat adæquate, quando illa plura necessaria sunt ad ipsam ex vi suæ speciei, tamen paternitas, similitudo, &c. non sunt hujusmodi; paternitas enim sufficienter resultat ad positionem unius filii solum; tum quia tunc non omnes paternitates forent ejusdem rationis, quia una ex sua ratione peteret unum terminum, alia duos, &c. tum quia genito secundo filio gratis omnino dicitur perire relationem ad primum, cum permaneat ipso superfluo tam ex parte fundamenti, quam termini, quicquid ad conservationem illius relationis exigitur; tum tandem quia ideo Thomistæ ab initio dixerunt per unam relationem posse fundamentum ad plures terminos referri, ne res omnes tot, tamque frequentibus mutationibus subicerent, sed ita dicendo in illud inconveniens labuntur, quod evitare contendunt, & quidem absurdum, quia quoties fieret novum album, cætera alba existentia suas similitudines permutarent.

Quintus modus est, quod una, ac eadem relatio potest modo incipere, modo desinere referre subjectum, posito nempe, vel ablati termino nulla prorsus additione facta novæ entitatis. Sed iste modus incurrit omnes difficultates primi modi; & præterea impugatur, quia relatio non se habet, ut potentia, & aptitudo referendi, quasi modo referre possit, modo non, sed est ipsemet actus referendi, sicut actio est actus agendi; tum quia si relatio modo exerceret, modo non exerceret actum referendi, jam actus ille referendi erit quid superadditum entitati ejus, & de eodem redibit difficultas, an possit tendere in plures numero terminos.

¶ Sextus modus est aliorum, qui concedunt in generatione secundæ filii novam relationem addi fundamento, & sic in generatione tertii, sed ad salvandam unitatem inquirunt, ex omnibus his relationibus unam integrari adæquatam, & totalem per quandam additionem quasi graduatam relationis. Sed modus iste dicendi re vera concedit totum, quod præcedimus, additionem nempe realem in relativum facta additione novi termini, ut bene notavit Suarez n. 19. & solum inter nos remanet questio de nomine, an illud additum sit distincta relatio, vel componat unam cum præexistente, sicut secundus gradus cum primo componit unum calorem; & sane quantum ad hoc attinet, nulla vera unitas inter eas relationes fingi potest præter extrinsecam, quam habent ex unitate subjecti, non quidem unitas compositionis, quia hæc fit ex actu, & potentia, quam proportionem non habent ad invicem illæ relationes, neque continuitas, quia nequeunt assignari indivisibilia, quibus illæ relationes continerentur ad invicem, nec tandem unitas alicujus per se connexionis, quia neque talis connexio reperitur inter terminos, a quibus relationes illæ dependent.

¶ Deinde probat Doctorem idem assertum ab inconveniēti, sequeretur enim, quod relativa non essent simul natura, quia pater nedom est correlativum primi, sed etiam secundæ filii, & tamen nedom natura, sed etiam tempore præcedit secundum cum relatione illi correspondente, & perente primo adhuc manet in esse relativo per eandem relationem, quæ ad ipsum terminabatur. Nec valet, quod ajunt, esse simul naturam cum primo filio secundum substantiam relationis, cum cæteris vero secundum extensionem ejus accidentalem. Quia respicere terminum non est accidentale, sed essentialiter relationi, cum totum esse relationis sit ad aliud, ergo relativa sunt simul natura secundum substantiam relationis, & non per solam extensionem accidentalem ejusdem relationis, quam adhuc non nisi verboritate explicaverunt Thomistæ; tum quia pereunte primo, debent assignare cum quo cæterorum evadat, pater simul natura secundum substantiam relationis, & cum nequeat magis hic assignari, quam ille, dici debet esse simul natura cum omnibus secundum substantiam relationis. Rursus sequitur, talem relationem essentialiter pendere ab unoquoque illorum terminorum, quia omnes, & singulos attingit, & relatio pendet essentialiter a termino, & ex alia parte sequitur non dependere, quia quolibet pereunte, eadem relatio manet. Nec respondere juvat ab uno tantum termino dependere indeterminato tamen, & vago. Quia relatio quoad existentiam pendet a termino existenti, ergo implicat dependere a termino vago, quia quicquid existit, nequit esse, nisi determinatum, ergo terminus, a quo dependet hæc numero relatio, est determinatus; tum quia sicut relatio in communi totum suum esse habet ad terminum in communi; ita hæc numero relatio habet totum suum esse ad hunc numero terminum signate, & non vage. Tandem sequitur eandem relationem simul intendi, & remitti, ut si sint tria calida, quorum duo in æquali gradu haberent similitudinem perfectiorem, & alterum esset in gradu inæquali, jam si calidum æquale recederet ab æqualitate illius, & alterum inæquale accederet ad æqualitatem cum eo, tunc similitudo in illo tertio calido respectu unius intendere, & respectu alterius remitteretur.

¶ In oppos. obiic. Thomistæ i. non possunt in eodem

subjecto recipi plura accidentia numero solo differentia, quia omnis distinctio numerica accidentium sumitur a subjecto, ergo nequeunt esse in eodem subjecto plures respectus solo numero differente; & hoc est unicum eorum fundamentum, ex quo etiam solvere præsumunt omnia argumenta in oppositum, ajunt enim quod licet secunda, & tertia generatio filii sufficiens esset, ut resularet relatio paternitatis in Patre, & tamen per accidens evenit, ut non producat, quia datur impedimentum ex parte fundamenti, quod non potest recipere plura accidentia solo numero diversa.

Resp. neg. assumptum, cujus probatio esto sit quoddam metaphysicum principium in Schola Th. est tamen prorsus falsum, ut Doctorem demonstrat l. c. quem sequuntur omnes Recentiores, omnes enim formæ tam substantiales, quam accidentales, non per se subjectum, quod illis est prorsus extrinsecum, sed per proprias hæcitateas individuantur formaliter, unde falsum est assumptum, non solum de accidentibus relativis, sed etiam absolutis, cum enim quis videt plures homines, unumquemque per propriam speciem, certe habet in oculo plures species intentionales solo numero distinctas; tunc agitur solum repugnant in subjecto eodem plura accidentia solo numero differentia, quando omnia tribuerent eundem prorsus effectum formalem, quod in casu nostro non evenit, quia hæc numero relatio refert ad hunc numero terminum, & alia ad alium, sicut hæc numero species repræsentat Petrum, illa Franciscum. Dices, accidens a subjecto accipit entitatem, ergo, & unitatem, & præsertim relatio, quæ effectivè pendet a solo fundamento ex dictis. Resp. Doct. 4. d. 12. q. 1. G. assumptum esse verum extrinsecè in genere, scilicet causæ efficientis, & materialis, non intrinsecè in genere causæ formalis; hinc autem non sequitur plura numero accidentia in eodem subjecto esse non posse, quia cum unitate causæ stare potest pluralitas effectus, ut fufus in Met.

¶ Secundo si plures numero paternitates possunt esse in eodem, jam iste non esset unus pater, sed plures, quæ ad multiplicationem abstracti multiplicatur & concretum. Resp. Doctorem cit. sub F. neg. conf. cum prob. quia ad multiplicationem concretorum non sufficit multiplicatio formarum, sed etiam requiritur multiplicatio suppositorum; ut dictum est disp. 2. q. 6. art. 2. quia concretum non solum significat formam, sed etiam subjectum connotat, quare utriusque purificationem necessario exigit, hæc de causa homo habens plures scientias unus sciens dicitur, & non plures scientes, ut notat Doct. quol. 11. H. sic igitur homo habens plures paternitates dicitur utriusque plures pater, sed non plures patres. Dices, Petrus habens plures filios est tantum unus pater numero, ergo per unam numero relationem ad omnes, & singulos, quia si per aliam numero, ergo non est idem numero pater respectu omnium, sed alius, & alius numero, quia una paternitate est unus pater, & hæc paternitate est hic pater, ergo alia paternitate erit alius pater. Negat rursus Doctorem conf. cum sua prob. & ait in illa forma arguendi, hæc paternitate est hic pater, ergo alia paternitate alius pater, committi fallaciam consequentis a destructione antecedentis, quia ad aliam paternitatem patris non sufficit alia forma, sed requiritur etiam alia suppositi, unde intereunte primo filio, & nascente secundo, utique etiam secundum Adversarios alia paternitate dicitur pater respectu illius secundi, nec tamen dicitur alius numero pater.

Tertio filius per unicum numero relationem filiationis respicit duos terminos, scilicet, utrumque parentem, species quidem distinctos, si mater non concurrat active, vel certe numero, si concurrat active, ut verius est, ergo &c. Resp. negando assumptum, quicquid alii dicant, duas enim relationes habet filius saltem numero distinctas, quarum una indivisibiliter respicit patrem, & alia matrem, & una manet sine altera, pereunte, scilicet, altero parentem; ut docet Zer. 5. Met. q. 19. §. Propter 2. & hoc idem fateri timentur Thomistæ, si dicunt matrem concurrere tantum passive, tunc enim potentia generativa utriusque parentis esset omnino alterius rationis, & consequenter eundem specie, & numero respectum terminare non possent, unde magis ipsi, quam nos tententes cum Scoto, & Galeno concurrere active, id coguntur asserere, sed etiam si assumptum admitteretur, adhuc negari deberet conf. quia pater, & mater sunt termini per se connexi dependentia filii, quia alter sine altero non sufficit ad generationem, & consequenter ad terminandam filiationem, at in proposito unumquique filius est terminus adæquatus, & totalis paternitatis, quare paritas prorsus negari deberet.

¶ Quarto tandem obiic. Tum quia quando plures filii nascuntur ex eodem partu, relatio patris non potest esse nisi unica, quia in eadem actione fundatur, ergo etiam quando per plures actiones producantur; per accidens enim est, quod potentia generativa reducatur ad actum per unam, vel plures actiones. Tum 2. quia effectus formalis relationis secundæ jam positus est per primam, ergo superflua secunda. Prob. assumptum, quia effectus illius esset constituere hunc patrem, sed sufficienter constituit hic pater per ipsam primam. Tum 3. unica potentia visiva plures respicit colores, una potentia materiæ plures formas, una risibilitas, multos

multos actus ridendi, & plures trahentes navim unica relatione respiciuntur a navi, ergo &c. Tum 4. multiplicatis terminis non multiplicatur omnia requisita ad relationem, quia non multiplicatur fundamentum, ergo neque relatio. Tum tandem ita dicendo infinitæ propemodum relationes forent similitudinis, equalitatis, diversitatis, &c. & omnes res tot, tamque frequentibus subicerentur mutationibus, ut hoc solum inconveniens hanc sententiam redeat improbabilem.

¶ 98 Resp. ad 1. negando assumptum, cujus probatio nulla est, quia falsum est parentes unica actione generativa attingere gemellos, & falsum est paternitatem fundari in prævia actione, cum potius ex se habeat veluti prævia dispositio, & quando etiam hæc omnia concederetur, adhuc probatio non concludit, quia super unum, & idem fundamentum possunt fundari plures relationes, tum successivè, tum simul, quia unitas prioris stat cum pluralitate posterioris. Ad 2. neg. assumptum cum prob. quia nec effectus primæ paternitatis, nec secundæ est constituere hunc patrem substantialiter, nam ille pater dicitur hic antecedenter ad quamcumque formam accidentalem; effectus igitur hujus numero relationis est referre patrem ad hunc numero terminum, & alterius ad alium numero terminum, & per unam numero relationem dicitur tantum una vice pater, & per plures dicitur plures pater, quod etiam dicere debent Th. cum successivè pater plures acquirat paternitates generando unum filium post alterius interitum. Ad 3. exempla illa non sunt ad rem, quia loquuntur de terminis inadæquatis, tales enim sunt singuli colores respectu potentia visivæ, singula formæ respectu potentia materiæ, singuli actus ridendi respectu risibilitatis, & singuli trahentes respectu tractus navis, ut notat Doct. 4. d. 1. q. 2. in fine. Dices, id etiam contingere in ordine ad terminos adæquatos, & totales, quia ut diximus q. 4. art. 2. in sol. ad 3. similitudo, quæ est in una paternitate ad aliam, non solum respicit similitudinem alterius paternitatis sibi correspondentem, sed etiam quocumque similitudinem disparatam inter alias duas paternitates reperitam absque ullo superaddito respectu in ipsa fundato. Resp. debere utique in eodem fundamento præsertim absoluto multiplicari relationes ejusdem rationis ad terminorum multiplicationem, non quidem ita ut una fundetur super aliam, quia cum omnes sint ejusdem rationis, una non potest ut

Quod suscipere denominationem alterius, sed ita ut omnes immediate in eodem subjecto fundentur, sic expresse docuit Scotus 3. d. 8. q. un. cit. §. Contra vers. præterea pater aliquo modo aliter respicit hunc filium, & illum, ibi enim ait debere in patre poni plures paternitates, non ita quod paternitas primi filii extendatur ad alios per respectus alios in ipsa fundatos, quia illi respectus essent paternitates; quando autem respectus sunt ejusdem rationis, superfluum est unum super alium fundare; sed ita quod omnes isti respectus immediate fundentur in absoluta entitate patris; quare in casu argumenti allati similitudo non fundat diversos respectus ad alias similitudines, quia illi essent respectus ejusdem rationis cum ipsa, atque ideo illos fundare non potest, unde vel seipsa dicitur similis, vel absolute similis non dicitur, cum in genere assumilandi sit ita Quo, ut nequeat esse Quod, quod valde adnotabis, quia instantia facta non est ita facilis solutio.

¶ 99 Ad 4. neg. conf. quia plurium filiorum ad eundem patrem sunt plures relationes, & plurium aliorum ad unum album plures similitudines, & tamen est unicus terminus, sicut ergo unicus terminus sufficit ad plures relationes terminandas, ita unicum fundamentum ad plures fundandas, non enim necesse est ad purificationem posterioris plurificari prius, sola ergo multiplicatio, vel terminorum, vel fundamentorum sufficit ad multiplicandas numerice relationes (loquendo de fundamentis, & terminis adæquatis, & totalibus) nec requiritur necessario utriusque extremi multiplicatio, sed sufficit illimitatio fundamenti ad plures relationes fundandas, & termini ad plures terminandas. Ad 5. neque in opposita sententia prorsus evitatur multitudo relationum, & frequens earum variatio quoad esse relativum; quare si hoc argumento terri Thomistæ, idcirco dixerunt unam relationem posse ad plures terminos ejusdem rationis referre, magis eis expediens erat negare prorsus relationes cum Nominalibus, quam illis admissis negare, quod necessario sequitur ad positionem illarum, unde bene inquit Averfa, magis consequenter loqui Scotistas, quam Thomistas, dum admissis relationibus concedunt unam posse super aliam fundari (si sint diversa rationis, & denominationis) & multiplicari ad multiplicationem etiam numericam terminorum, quæ omnia negant Thomistæ minus consequenter ad positionem relationum, in qua nobiscum conveniunt.

ARTICULUS III.

An terminus relationem terminet sub ratione absolutæ, vel respectivæ.

¶ 100 Sensus quaestio est, an id quod terminat relationem sit correlatio alterius extremi, num potius entitas absoluta illius, ut v. g. inter Petrum patrem, & Paulum filium filiationis Pauli sit terminus paternitatis Petri formalis, Maffrii, & Bellati Tom. I. Logica.

& primarius, an potius substantia genitæ Pauli, in qua difficultate tres sunt sententia, duæ extrema, & una media. Prima extrema asserit in omnibus relationibus tam mutuis, quam non mutuis terminum formalem relationis esse aliquam relationem in alio extremo correspondentem, hæc est communior in Schola Thom. Cajet. in Log. c. de relat. & 1. p. q. 13. art. 7. Bannes ibi dub. un. Nazar. contr. un. Zumul. q. 2. Fland. 5. Met. q. 16. Sanch. lib. 5. Log. q. 34. Complut. disp. 14. Log. q. 6. Fonsec. 5. Met. cap. 15. sect. 4. Altera extrema tenet ex opposito in omnibus relativis tam mutuis, quam non mutuis relationem terminari ad absolutum, est communis in Schola Scot. nemine discrepante, docet Scot. 1. d. 30. q. 2. ubi art. 1. Bassol. Barg. Licher. qui idem haber quol. 4. art. 2. Faber 5. Met. disp. 21. Zerb. 5. Met. q. 19. §. Propter primum, Jo. de Mag. in hoc c. Mayr. 1. d. 19. q. 4., & sequuntur Recentiores passim, Vasq. 1. p. disp. 159. c. 6. Suar. disp. 47. Met. sect. 16. Hurtad. ib. disp. 15. sect. 7. Vall. t. 1. Log. q. 11. c. 9. Onna hic qu. 1. art. 3. Ovvied. cont. 9. Met. punct. 5. Averfa q. 15. Phyl. sect. 7. Blanc. disp. 11. sect. 15. Murcia d. 1. qu. 6. Morif. disp. 8. Log. qu. 7. Didac. disp. 14. p. 2. qu. 1. Smiglec. disp. 10. q. 9. imo & Thomistæ celebres Capreol. 1. d. 30. q. 1. art. 2. ad 3. Soncin. 5. Met. q. 30. ad 2. & 3. q. 2. Joann. de S. Thom. quaest. 17. art. 5. Galleg. contr. 20. Ruvius hic q. 7. Valent. 1. p. quaest. 13. disp. 4. punct. 4. Niph. 5. Met. disp. 14. Hispal. 1. d. 3. q. 1. & alii.

¶ 101 Dicendum 1. est cum 2. sentent. cujus dux est Scot. omnem relationem non mutuum ad absolutum terminari. Hoc assertum probat Doct. cit. §. Respondeo igitur ad 1. q. de relationibus non mutuis ex Ar. 1. Met. c. 15. quia relationes hujusmodi, quæ dicuntur tertii modi, ut relatio scientiæ ad scibile, terminatur ad terminum, in quo nulla est correspondens alia relatio, & ideo dicitur non mutua, ergo non terminatur ad relationem, quæ ibi non reperitur, sed ad entitatem ejus absolutam. Nec valet dicere cum Fonsec. cit. sect. 4. terminum unius relationis esse relationem oppositam, vel realem, si est mutua; vel rationis, si non sit mutua, ut est in proposito. Nam contra instat Doct. l. c. vers. præterea, quia licet possit intellectus negotiari circa terminum alicujus relationis tertii modi, & in eo causare relationem rationis, tamen illa non erat ratio terminandi, talis enim relatio non est in hoc absoluto v. g. scibili, nisi dum actu consideratur ab intellectu, ac scientia realiter, refertur ad scibile nullo intellectu considerante, ergo illa relatio rationis in scibili non fuit ratio terminandi relationem scientiæ. At inquit Fonsec. non requiri ad talem terminationem, ut talis relatio rationis actu existat per actualem mentis operationem, sed satis esse, ut conveniat termino: potest autem relatio rationis convenire rei, etiam intellectu de illa non cogitante, sicut semper animal convenit homini, etiam si nullus homo, nec animal existeret; Cæterum hæc doctrina Fonsec. de relationibus rationis, quod actu possint convenire rebus ante earum objectivam existentiam in intellectu, a nobis explosa est disp. 3. q. 1. Neque exemplum de animali conveniente homine ante ejus existentiam est ad rem, quia hoc est prædicatum necessarium, & essentialiter hominis, atque ideo habens necessariam connexionem cum ejus essentia præcisa existentia, at relatio rationis respectu subjecti cui tribuitur, est prædicatum prorsus accidentale, & contingens, prædicata autem contingentia debent actu existere, ut cum veritate de rebus enuncientur. Accedit, quod relatio actualis terminatur a termino actu existente, non in potentia tantum. Demum difficile est explicare, quomodo relatio rationis suo fundamento conveniat, cum tamen in eo non existat, quod si explicetur talis convenientia, ita ut significet non actualem existentiam, sed debitum ineffendi tali fundamento, eo quod illi debita sit ex ratione fundandi talis relatio, & non alia, hæc quidem explicatio potest admitti, sed per hoc non concluditur, quod relatio terminetur ad relativum, quia non potest terminari, nisi ad fundamentum, cui debetur relatio, hoc autem est absolutum, nam relatio debita non potest illud constituere relativum, antequam sit in ipso.

¶ 102 Ideo Cajet. cit. & cum eo Complut. Nazar. & alii dicunt, quod quamvis in relativis non mutuis terminus a parte rei non habeat aliquam relationem sibi inhærentem, ratione cuius terminet, habet tamen relativam denominationem a relatione alterius extremi provenientem, per quam constituitur formaliter in genere relationis, & correlativum ejus, & subdunt hoc Arist. significasse, dum inquit 5. Met. c. 15. in relativis tertii generis alterum extremum dici ad aliquid, non quia ipsum dicitur ad aliquid, sed quia aliud dicitur ad ipsum, in quibus verbis esset manifesta implicatio (ait Cajet.) nisi sensus esset, alterum extremum esse formaliter relativum, non a relatione sibi inhærente, sed a relatione existente in alio extremo, & hoc sufficere, ut illud sit formaliter relativum seculæ quacumque operatione intellectus, unde Cajet. vult relativa non mutua esse ambobus vere, & realiter relativa, sicut sunt mutua, cum hoc solum discrimine, quod in mutuis utrumque extremum est.

est relativum per relationem sibi intrinsecam, sed in mutuis; unum tantum refertur per relationem sibi intrinsecam, aliud vero per eandem relationem refertur sibi extrinsecam.

103 Hæc doctrina Cajet. de relativis tertii generis merito ab omnibus rejicitur præsertim extra Scholam D. Th. (in qua etiam dissentiunt Ferrar. 2. cont. Gent. c. 11. & 13. cum S. Th. ib. & Sonc. 5. Met. qu. 29. & 30.) Tum quia terminus distinctus est a relatione, quam terminat, ergo implicat relationem in uno extremo existentem esse terminum sui ipsius in alio extremo, cui adheret. Tum quia refertur proprie est habere in se relationem, ergo implicat aliquid proprie refertur per relationem alteri inexistentem, unde Ar. consulto, & hic, & 5. Met. numquam dicit scibile refertur ad scientiam, sed ideo dicit relativum, quia scientia refertur ad ipsum. Tum quia ita dicens Cajet. incidere videtur in opinionem Henrici ab omnibus expiosam, ut diximus q. 5. ab initio, qui dicebat relationem inter duo extrema esse unam, & eandem habitudinem, sicut eadem est via Thebis Athenas, & e contra, & ratione termini a quo, & ad quem diversas respectus denominationes extremis, & quamvis Ar. 3. Phys. 22. docere videatur eandem entitatem motus dici posse actionem, ut ab agente, & passionem, ut recipitur in passio, non sequitur idem dici posse in proposito, quia entitas motus, seu formæ fluentis ita denominari potest ob diversos respectus, in ipsa fundatos importatos per a qua, & in quo, at in præsentis sermone est de una, & simplicissima habitudine, quæ perinde refertur non potest extrema referentis diversis, & oppositis, ut creaturam in ratione creaturæ, Deum in ratione creatoris. Nec dicas eandem relationem posse præbere diversas, & oppositas denominationes extremis, attingendo unum intrinsece, & subjective, aliud extrinsece solum, & adhæsitve, ut constat de visione, quæ denominat oculum videntem, & parietem visum. Quia terminus relationis potest bene denominari intrinsece, quatenus eam terminat, non tamen per eam refertur extrinsece, nam refertur necessario dicit intrinsecam denominationem in re relata, cum enim essentia relationis consistat in ordine unius ad aliud, ut tribuat effectum formalem referendi, debet inesse intrinsece in re relata, quia non potest ad aliud ordinari per ordinem existentem in alio. Tum tandem, quia prius natura intelligitur scibile terminare relationem, quam accipiat denominationem relativam a relatione scientiæ, nam quia terminat, denominatur ab illa relatione, ergo non est terminus illius relationis per talem denominationem relativam, quæ supponit terminationem factam.

104 Neque Ar. a Caj. cit. dum numeravit inter relativa scibile, & insensibile, voluit innuere, quod sint vere, & realiter talia, & quod formaliter spectent ad prædicamentum ad aliquid, imo negat ibi expresse esse vere relativa, quæ non referuntur, & ait in hoc tantum sensu dici posse ad aliquid, eo quod alia dicantur ad ipsa, id est pertinere ad genus ad aliquid, tamquam terminos, non vero tamquam relativa, ex quo concluditur contra Cajet. relativa non mutua non in eo consistere, ut ipse dicebat, quod utrumque extremum sit vere relativum reale, licet unum intrinsece, alterum extrinsece, sed in eo, quod in uno extremo sit intrinsece relatio realis, in altero vero non, sed sit ens absolutum, ut docet Doct. loc. c. 1. d. 30. Neque ex Ar. ibi dequitur quod relatio scientiæ terminetur ad scibile sub denominatione relativa ex eius terminatione in ipso derelicta, & sic universaliter contingat in relativis tertii modi, imo oppositum expresse docet, inquit in fine capituli, intellectum non terminari ad ipsum intelligibile, quatenus intelligibile, id est, quoad denominationem relativam ejus, quia alioqui idem bis diceretur, & idem explicaretur per idem, nempe intelligibile est, cujus est intellectus, & intellectus est ejus, cujus est intellectus, quæ foret inutilis repetitio, & hinc inferri visum debere dici ad colorem, aut lumen, non autem ad visibile, ergo manifeste expresse refertur tertii modi ad terminum secundum entitatem ejus absolutam, & non aliter, hic enim est germanus sensus illorum verborum, ut notat Zerb. c. 5. propter primum, ex Doct. quol. 13. in fine a. 2. sed fufam concertationem contra Cajet. habet P. Faber. loc. cit.

105 Dicitur 3. etiam relationes mutuas non terminari, nisi ad absolutum, ita ut licet in alio extremo inveniatur relationem correspondentem, illa tamen non est formalis ratio terminandi, sed entitas ipsa, in qua fundatur, unde ad summum illa relatio dici potest terminus concomitans. Ita Doct. loc. c. quam optimis rationibus inde deductis optime inter alios Scottistas probant Bassol. Mair. & Zerb. cit. quibus deinde alii passim utuntur; probatur igitur 1. quia relatio non tantum præxigit fundamentum, sed etiam terminum, ergo terminus unius relationis nequit esse opposita relatio, quia sic una relatio præsupponeretur alteri, sicut universaliter terminus supponitur relationi, at hoc est falsum, quia relationes mutue simul natura, & in eodem signo confluentur postis extremis. 2. hoc, quod est unum extremum terminare relationem alterius est inæta denominatio extrinseca proveniens præcise ex eo, quod aliud est ad ipsum supposita in ipso ratione terminandi, & non ex eo, quod ipsum sit ad aliud, quia termino, ut terminus est,

accidit, quod referatur, ut ait Doct. sub lit. G. ergo ratio formalis terminandi in termino non est refertur, seu ipsa mutua relatio, sed entitas ipsa absoluta termini, quia tendentia, & terminatio potius opponuntur, 3. sicut ratio fundandi est illa, quæ est proxima causa, ob quam una res ad aliam refertur, ita ratio terminandi est illa, quæ est proxima causa, ob quam aliud referatur ad illam, sed hæc causa in relativis mutuis æquiparantur eadem est ad fundandam relationem, & terminandam, ergo si una est absoluta, etiam & altera; minor pater, nam unum album est alteri simile in albedine, unde si queratur, cur hoc album fundet similitudinem ad aliud, assignatur albedo, & si queratur causa, cur illud aliud terminet similitudinem, adhuc assignatur albedo, non similitudo, quia in albedine comparantur, non autem in ipsa similitudine relatione. 4. hoc totum conf. manifestis exemplis, palmus est æqualis alteri palmo, non autem æqualitati illius palmi, album est simile alteri albo, non autem similitudini alterius albi; imo illi collatur est simile, quia albedo formaliter assimilatur albedini, & non similitudini. Imo hoc ita verum est, ut si paternitas ad aliam paternitatem referatur in ratione similis, adhuc dici non potest in sensu Adversariorum terminum talis relationis esse respectum sibi formaliter oppositum, quia similitudo unius paternitatis respicit formaliter entitatem alterius paternitatis, & non similitudinem mutuum illius, quare paternitas alia terminando relationem similitudinis, respectu illius non se habet, ut relatio, quia non est sibi opposita, sed perinde ac si esset quid absolutum, unde in tali casu terminus relationis, adhuc dici potest absolutus, esto non ut quid, saltem ut modus, ut universaliter verum sit, saltem in aliquo sensu, rationem terminantem esse absolutam, vel habere modum absoluti, quia re vera terminare non est tendere, sed potius tendentiam sistere, ut constat ex vi vocabuli. Quinto tandem probat Doct. quia omne relativum definiri debet, & explicari per suum terminum ex Ar. 6. Top. c. 2. si ergo una relatio mutua ad alteram terminaretur, utraque deberet per alteram definiri, atque ita sequeretur illud absurdum, quod Arist. cit. 5. Met. 15. inferebat, si intellectus ad intelligibile terminetur sub ratione relativa, nimirum quod idem bis diceretur, & explicaretur idem per idem, quod inconveniens evitatur, si relatio unius extremi definiatur per entitatem absolutam alterius, & e contra; Sed de modo definiendi relativa dicemus inferius.

106 Resp. ad hæc omnia Compl. Nazar. & alii Thomista, in quocumque relativo distinguendam esse duplicem rationem terminandi, unam formalem, aliam radicalem, & materiale, entitas absoluta utique est ratio materialis terminans relationem, at ratio formalis terminans est opposita relatio fundata in illa entitate absoluta, inquitur igitur allata argum. probare solum de termino materiali, non formali, & ex inadvertentia hujus distinctionis ait Rivius, nos decipi, quia numquam loquimur de formali, sed materiali termino, dum dicimus similitudinem terminari ad album, & ad illud refertur, non ad simile, inquitur tandem, ut solvant primam rationem, quæ sane evidentissima est, cum ajunt Dialectici relationem referre ex positione termini cum fundamento, loqui de termino materiali, non formali, quia si de isto sit sermo, non est dicendum, relationem dependere a termino, sed ad terminum, quia non præxigit terminum in hoc sensu, sed potius constituitur per formalem oppositionem ad illum, unde stat optime unam relationem esse rationem formalem terminandi aliam, & esse simul natura cum illa.

107 Sed falsum est nostram sententiam procedere ex inadvertentia præfate distinctionis, nam quando ab initio quæstionem instituumus de termino relationis, sermo fuit de ratione formali terminandi & hanc dicimus esse entitatem absolutam, quia in similitudine v. g. duorum alborum, sicut albedo in uno extremo est ratio formalis fundandi eam, ita in alio est ratio formalis terminandi. Tum quia ille dicitur terminus formalis relationis, qui sufficiens est ad specificandam relationem, hoc enim est esse formaliter terminum relationis, sed hoc totum habet entitas absoluta alterius extremi, ergo. Tum quia illud dicitur formaliter terminus relationis, quod habet rationem ultimi, & finis, in quem tendit relatio, talis autem est albedo unius extremi, non autem similitudo, quæ fundat ad aliud. Tum quia formalis, & per se terminus relationis ille dicitur, qui semper necessarius est ad terminandam relationem; talis autem est entitas absoluta, non relatio, ut constat in relativis non mutuis, ubi in termino nulla intervenit relatio. Tandem distinctio hæc de termino relationis formali, & materiali in sensu, quo explicatur a Thomistis, est penitus fictitia, & solum excogitata videtur ad eludenda nostra argumenta, semper enim Philosophi docuerunt, relationes pendere ab extremis, & referre in fundamento posito termino, & verisimile non est semper locutos fuisse de termino materiali, nunquam de formali, quia loquebantur de illo, ad quem dicitur esse relatio, sicut ad aliud, cum ergo hæc omnia dixerint de termino, ad quem est relatio, ut ad aliud, censendum est locutos esse de termino formali, & de hoc illa enunciasse, nec alium terminum agnovisse, qui sit simul natura cum relatione, quam terminat.

108 Resp. formalitatem termini in relativis non attendi penes

penes id, quod respicit relatio utcumque, sed quod respicit, ut oppositum, non constituitur autem in tali esse præcise per hoc, quod est ultimum, in quod relatio tendit, sed per correlationem e regione oppositam illi, & ideo de ratione termini formalis relationis, ut sic, est, quod sit ei oppositum oppositione relativa. Contra. Tum quia ut demonstrat secunda ratio allata pro concl. accidit termino relationis, ut terminus est, quod referatur, quia refertur, & opponi est ad aliud tendere, aliudque respicere, terminare vero est respici, & sistere tendentiam alterius ad seipsum. Tum quia in relativis non mutuis datur ex parte unius extremi vera relatio, quæ dicitur etiam ad aliud, quantum sufficit ad essentiam relationis, & tamen illud aliud est ens absolutum, non autem correlativum, vel oppositum. Tum quia concipi potest tota essentia relationis, etiam si non concipiatur relatio in termino, si enim esset paternitas in Petro, & non resulerat filiatio in Paulo genito ab ipso, sicut ait D. Th. 3. p. q. 35. quod datur in B. Virgine relatio realis maternitatis ad filium Christum, & tamen non datur in Christo filiatio realis ad ipsam, dato hoc casu adhuc paternitas non foret ens absolutum, sed relativum, quia non esset ad se, sed ad aliud, unde de ratione entis relativi est, quod non in se sistat, sed ad aliud tendat, qualecumque sit illud, ita quod non necessario tendat ad aliud relativum, Tum tandem, quia ut dicemus in fol. ad 2. in relationibus non est idem terminari, & opponi, vel saltem oppositio terminativa profertur distincta est a relativa.

109 Resp. proinde Auctores 3. sent. concedendo munus terminandi non convenire relationi, ut sic, quia interdum convenit relationi, ut in non mutuis, addunt tamen convenire relationi, ut mutua est, ubi enim sunt relationes mutue, ibi sicut est respectus mutuus, ita & mutua terminatio secundum illam rationem respectus, nam talis relatio ex natura sua exigit coexistentiam alterius relationis in termino; notat autem Jo: de S. Th. quod una relatio mutua non dicitur formalis terminus alterius, ut mutua est, id est ejusdem rationis cum illa, sed ut opposita, oppositio enim constituit formaliter terminum; Contra, quia relatio non dicitur mutua per rationem terminandi, sed per rationem referendi, quia utrumque extremum referatur ad aliud, ergo ut relatio dicatur mutua, necesse non est, quod sit ratio terminandi, sed satis est esse rationem referendi in utroque extremo, quod verum adhuc est, si absolutum terminari ponatur. Accedit, quod si relationi convenit munus terminandi rationi istius differentie contrahentis, nempe mutuitatis, non amplius poterit competere alteri, quod est extra genus relationis, cujus oppositum Auctores isti docent, sicut esse risibile, quia convenit animali ratione rationalitatis, utique nequit alteri competere extra genus animalis. Tandem semper obstat illa ratio, quod terminare potius est munus absoluti, quam relationis, sive sit mutua, sive non, quia terminare non est respicere aliud, sed respici, non tendere ad aliud, sed sistere tendentiam alterius ad seipsum.

Solvuntur Objectiones.

110 Primo objic. auct. Arist. in præd. relationis, ubi inter relativorum proprietates ponit, quod dicantur ad convertentiam, & declarans modum, quo fieri debet hæc convertentia, ait, fieri debere per relationes hinc inde, ita ut circumscriptis omnibus aliis a Domino, hoc solum relicto, quod Dominus est, semper servus ad ipsum dicitur, si autem relinquantur alia omnia, & solum præscindatur, quod Dominus est, auferatur etiam relatio servi ad ipsum; ex quo sic arguit, ille est terminus formalis, & præcise relationis, quo posito ponitur, & quo ablato auferatur relatio ad ipsum, sed posita, vel ablata ratione Domini ponitur, vel auferatur relatio servi, ergo terminus formalis, & præcise relationis est Dominus, ut dominus, id est relativum, ut relativum.

Resp. & Ruvium, & alios Auct. 3. sent. hoc argumento utentes teneri & ipsos ad ejus solutionem, quia Ar. ibi loquitur universaliter de omnibus relativis, tam mutuis, quam non mutuis, recenset enim etiam relativa tertii modi, & omnibus tribuit eam proprietatem, quod ad convertentiam dicantur; missis ergo aliorum solutionibus dicendum est cum Bargio in fol. ad Arg. Anglic. & Licher. in fol. ad 3. Suesian. non valere hanc consequ. omnia relativa dicuntur ad convertentiam, ergo unum est terminus alterius, aliud enim est relativa ad convertentiam dici, aliud unum terminari ad alterum, convertentia enim non semper est realis, sed multoties est rationis ex parte unius extremi, ut in relativis tertii modi, & sit cum unum relativum dicitur in ordine ad aliud sub habitudine alicujus casus, ut pater filii pater, filius patris filius, simile simili simile, &c. terminatio vero semper est realis, quia hæc datur a parte rei nullo fingente intellectu; unde ad argum. in re deductum neg. min. in sensu ab Adversariis prætenso (quia ex alio capite, nimirum ex naturali eorum similitudine, id concedi posset) præcise enim relatione domini remanent fundamentum, scilicet, potestate coercendi, jubendi, &c. adhuc maneret relatio servitutis, non tamen maneret reciprocatio, atque ita dominus, ut dominus, & univervaliter relativum, ut relativum est terminus conver-

tentia, & reciprocatio alterius relativi, at non terminus relationis, & hanc solutionem recipit quoque Amic. cit. Dices Arist. non loqui ibi de termino relationis, sed de correlativo, cum quo convertitur, & idem docet Basf. cit. art. 2.

111 Secundo, & est principale fundamentum oppositæ sent. relativæ, quatenus formaliter talia, exercent oppositionem relativam, sed oppositio relativa essentialiter includit rationes referendi, & terminandi, ergo utrumque munus exercent relativa per relationes, major pater, quia relativa per ipsas relationes, & non per fundamenta absoluta fortuantur formalem oppositionem, min. prob. quia oppositio mutua consistit in hoc, quod relativa mutuo se respiciant, & relationes sint rationes mutuo se respiciendi, sed mutuo se respicere est quodlibet respicere aliud, & ab eo respici, quod est terminare relationem ejus, ergo in mutua oppositione per relationes facta utrumque includitur munus referendi, & terminandi. Nec valet dicere ipsum respicere utique per relationes ipsas exercere, terminare autem exerceri per absolutas entitates, in quibus illæ fundantur, Tum quia in relative oppositis illud per se primo respicitur ab altero, quod per se primo illi opponitur, sed quod hoc modo alteri opponitur, est correlativum formaliter, ut tale, ergo ut sic respicitur, & consequenter, ut sic exercet munus terminandi, min. patet, prob. major, quia oppositum relative, quatenus tale, illud per se primo respicit, quod e regione sibi primo correspondet, contra-ponitur, & adversatur, non autem quod materialiter, & quasi disparate se habet, sed illud est correlativum, ut tale, ergo ut sic respicitur, & exercetur munus terminandi. Tum quia si relationes præscindantur a fundamentis, ut paternitas, & filiatio, adhuc opponeretur, & se invicem terminarent, ut relationes oppositas, ergo etiam mutuo terminandi exercent, ut relationes. Tum tandem, quia si relative opposita formaliter, ut talia, solum exercent munus referendi, non vero terminandi, sequitur oppositionem relativam non convenire relativis, ut talia sunt formaliter, sed tantum ratione fundamentorum.

Resp. Barg. & Basf. cit. absolute negando relativum, ut tale, posse exercere munus terminandi, inquit enim esse omnino diversa referri, & terminari, & oppositionem, ac terminationem, quare ad arg. princ. neg. min. ad cujus prob. concedimus unam relationem oppositam aliam respicere, & ab ea vicissim respici, hinc tamen non sequitur illam terminare a qua respicitur, quia unum proprie terminare respectum alterius est ita ab eo respici, ut illud vicissim non respiciat, quia ut sæpius inculcatum est, terminare non est tendere, nec ullo modo illud essentialiter includit, sed essentialiter est sistere tendentiam alterius ad seipsum, & ideo proprie est munus entitatis absolute, quæ ut sic ad aliud non tendit, unde bona est solutio inter arguendum data, si ita explicetur, Ad 1. impugnat, conceditur totum arg. sed neg. subillata consequ. quia non quicquid respicitur ab alio, dicitur illum respectum terminare proprie, sed quando ita respicitur, ut non vicissim respiciat illud, quod solum convenit absolutis. Ad 2. Barg. negat casum, velut implicentem per locum intrinsecum, eo tamen per impossibile admisso, inquit Basf. quod tales relationes a fundamentis separatæ essent utique oppositæ, essent mutue, & se invicem coexigerent, non tamen essent terminatæ, sed terminabiles, unde paternitas esset ad filiationem, velut ad oppositum, non vero tamquam ad terminum. Ad 4. neg. consequ. quia ad oppositionem relativam non exigitur essentialiter munus terminandi, sed sufficit, ut sic opposita se invicem e regione respiciant.

112 Dices relatio includit oppositionem cum suo termino, ut constat ex postpræd. c. de oppositis, ubi Ar. definiens relative opposita inquit, *quæcumque ut relativa dicuntur ea ipsa, quæ sunt oppositorum, dicuntur, aut quomodolibet aliter ad ea*, at oppositio relativa non tendit ad absolutum, sed ad correlativum, ergo &c. Barg. loc. cit. negat Mair. ad prob. ait, vel non valere hanc consequ. relativa dicuntur ad sua opposita, ergo terminantur ad ea, vel ibi capi oppositum pro fundamento, non pro formali; Tamen admittit majori potest negari minor, quia oppositio relativa duplex est; una est formalis, & est, quæ versatur inter relationem unius extremi, & alteram correspondentem in alio extremo, seu inter relativum, & correlativum ejus, & reperitur tantum in relationibus mutuis; altera dicitur foret terminativa, quia nimirum versatur inter relationem, & terminum ejus, cum enim relatio nequeat esse ejusdem ad seipsum, necessario debet esse ad aliud a se distinctum, atque adeo hac ratione inter se pugnant, & hæc oppositio est intrinseca omni relationi; Et relativum dicitur in ordine ad aliud sub habitudine alicujus casus, ut pater filii pater, filius patris filius, simile simili simile, &c. terminatio vero semper est realis, quia hæc datur a parte rei nullo fingente intellectu; unde ad argum. in re deductum neg. min. in sensu ab Adversariis prætenso (quia ex alio capite, nimirum ex naturali eorum similitudine, id concedi posset) præcise enim relatione domini remanent fundamentum, scilicet, potestate coercendi, jubendi, &c. adhuc maneret relatio servitutis, non tamen maneret reciprocatio, atque ita dominus, ut dominus, & univervaliter relativum, ut relativum est terminus conver-

relationis cum suo termino, & ideo proprie est relativa oppositio; & ex hac doctrina de oppositione relativa, quam passim admittunt Recentiores, præsertim Suarez & Amicus, adhuc magis enervatur fundamentum allatum Thomistæ, cuius vis tota in hoc erat, quod ratio includeret oppositionem relativam cum termino, & quod oppositio relativa versaretur solum inter relativum, & correlativum, unde statim deducebant correlativum esse terminum relationis; constat autem minorem non esse universaliter veram.

113 Tertio relationes divinæ respiciunt formaliter suos terminos quoad relationes mutuas oppositas, pater enim refertur, & terminatur ad filium, ut sic, & non ad aliud absolutum, tamquam ad terminum realiter distinctum, ergo idem erit de relationibus creatis. Conf. quia etiam in creatis relationes transcendentales terminantur ad correlativum formaliter, ut patet de materia, & forma inter se relatis, & actu, & potentia, quæ inter se referuntur secundum propriam essentiam, ergo etiam relationes prædicamentales, quia rationes, quæ de his concludunt, videntur quoque de illis concludere.

Resp. Maior. cit. negat majorem, & conatur ostendere, quod etiam relationes divinæ terminantur ad essentiam, at non satis explicat, quomodo possit essentia vere constitui terminum divinarum relationum, cum non sit ab eis realiter distincta. Bassol. inquit, quod sicut filius in creatis est terminus Quod relationis paternitatis, esto terminus Quo sit entitas eius absoluta, sic etiam in divinis, unde videtur velle, quod inter relationem, & eius terminum Quod requiratur reatis distinctio, non autem semper inter eam, & eius terminum Quo, in quam recidit solutio Fabri cit. c. 4. Præstat tamen dicere cum Bargio, quod si teneretur personæ divinæ per absolutam constitui, debet negari antecedens, at tenendo communem viam, debet negari consequens, quia ubi relatio constituit suppositum in esse personæ ab alia realiter distincta, nec ante relationem intelligitur in ratione personæ distincta, aut habet aliquid, quod terminet relationem personalem; non sic est in creaturis, ubi prius intelligitur res absoluta secundum entitatem suam, secundum quam terminare potest relationem alterius extremi; quam solutionem recipiunt Recentiores omnes.

114 At conatur evertere Complur. hanc responsum loc. cit. ubi probare contendunt, quod relationes divinæ terminari ad relativum oriatur ex ipsa formalissima ratione relationis, non autem ex eo, quod sint infinitæ subsistentes, & constitutive personarum, quia inquirunt omnia discrimina reperta inter relationes divinæ, & creatas oriri ex esse in, creatæ enim sunt in subiecto, non divinæ, creatæ accidentia sunt, non illæ, non autem ex esse ad, at relatio in sua formalitate constituitur per esse ad, non vero per esse in, quod ad eam omnino materialiter se habet, cum igitur quoad esse ad omnino conveniant creatæ, & divinæ, si ista sunt ad terminum relativum, etiam, & illæ. Verum constat ex dictis q. 3. huius doctrinæ falsitas, nam esse in velut in fundamento constituitur, concedunt relationis, non minus, quam esse ad, & quando etiam hoc concederemus, negabimus adhuc relationes divinæ, & creatas omnino convenire quoad esse ad, quia enim divinæ sunt personarum constitutive, quæ in nullo absoluto distinguuntur, ideo relationes ad absolutum non terminantur, e contra vero res se habet in creatis; unde potius dicendum est relationem ut sic tendere in absolutum, ut in terminum, ei tamen accedere, quatenus infinita, & subsistens, quod tendat in relativum. Ad Conf. qui tenent relationes transcendentales essentielles esse rebus absolutis, concedunt assumptum, sed negant consequens, at nos dicentes etiam relationes transcendentales esse superadditas, saltem formaliter rebus absolutis, nec esse idem cum ipsis, nisi realiter, possumus servata proportione paritatem concedere, & ita videtur sentire Doct. cit. lit. F. dum docet actum terminare relationem potentie sub ratione absoluta, quæ in ipso actu saltem formaliter distinguitur a relativa; & hæc solutio est magis expedita, quia nobis non incumbit onus ostendendi, quomodo rationes allatæ concludant de prædicamentibus, non autem transcendentalibus, sicut incumbit præfatis Auctoribus qui valde in hoc laborant.

115 Quarto si relatio non habet pro termino aliam relationem, sequitur relativa non esse simul natura, & cognitione, contra Arist. & eorum naturalem conditionem, Prob. assumptum, tum quia paternitas terminatur ad filium, non ut relativum est, sed ut absolutum, & substantia genita, ut sic autem est prior filiatione; ergo paternitas est prior filiatione; tum quia relatio, ut relatio, solum pendet a fundamento, & termino in esse, & in cognosci, ergo si terminus non est relatio opposita, non postulat illam in eodem instanti, nec pendet ab illa in sua cognitione, atque ideo non sunt simul natura, & cognitione. Resp. neg. conf. ad 1. prob. iterum neg. conf. quia ut ait Doct. cit. sub G. tam substantia generans patris, quam genita filii præcedunt relationes paternitatis, & filiationis Prioritate naturæ, & in secundo signo naturæ ambæ simul resultant per indivisibilem concomitantiam, unde paternitas non terminatur ad substantiam filii, quæ sit simul natura cum ipsa, ut videtur supponere argumentum. Ad alteram prob. neg. etiam consequens ob eandem rationem, quia

quantum ad esse illam necessario coexistit, cum in secundo signo naturæ resultent ambæ positæ extremis; possunt etiam dici simul cognitione, quia vera cognitio unius sit necessaria ad cognitionem alterius, nam ut bene per argumentum, & res manifesta est in relativis non mutuis, sufficit cognoscere absolutam, ad quod terminatur, sed quia cum fundamentum, & terminus sint causæ mere naturales, sicut ipsis positæ necessario causantur relationes in esse, ita etiam ambo extrema causantur necessario in eodem signo cognitionem earum, ut docet Lich. cit. in sol. ad 2. & 3. Sueli. aliter respondet Bassol. sed allata est sufficiens.

116 At dices, si una relatio non pendet ab alia, vel ad aliam, tanquam ad terminum, non est unde oriatur necessitas, ut posita una, ponatur alia, tum quia ex ipsa ratione attenditur similitudo earum; tum quia satis est ad positionem relationis poni fundamentum, & eius terminum necessarium. Rursus si ad cognitionem relationis cognosci debet absolutum, ad quod terminatur, non poterit cognosci dependentia creaturæ a Deo, nisi cognosceretur Deus secundum esse absolutum. Resp. neg. conf. nam similitudo naturæ inter relationes mutuas non oritur ex eo, quod una ordinetur ad aliam, sed ex necessaria connexion inter illas, hæc autem attendi debet ex concomitantia causandarum concurrentium ad utramque relationem, ex quibus necessario resultant relationes; neque illa concomitantia est accidentalis omnino, sed per se, quatenus eadem sunt extrema, ex quibus resultant relationes, licet diverso modo, extremum enim quod respectu unius concurrat, ut fundamentum, respectu alterius concurrat, ut terminus. Ad aliud conceditur conf. & ideo fatemur non posse naturaliter cognosci distincte a nobis relationem dependentie creaturæ ad Deum, ut Doct. innuit q. 1. Prolog. & ibi fute Lich. potest tamen cognosci utcumque, sicut etiam confuse attingere possumus perfectionem absolutam omnipotentie Dei, hinc tamen non sequitur Deum poni debere in definitione creaturæ, quia relatio dependentie non est de eius intrinseca ratione, & quidditativa ex dictis q. 1.

Demum arg. Tum 1. quia tunc pater non diceretur ad filium, nec duplum ad dimidium, ut dimidium est. Tum 2. quia omnia relativa essent tertii modi, quia omnia terminarentur ad absolutum in altero extremo. Tum 3. terminus debet esse ejusdem generis, cum eo, quod terminat, ut patet de subsistentia, quæ est terminus substantiæ, & indivisibilis, quæ terminant quantitatem, ergo terminus relationis nequit esse absolutum. Tum tandem, quia relativum debet definiri per suum terminum 6. Topic. 2. at definiri debet per suum correlativum ex eodem 6. Topic. ubi ait Arist. duplum sine dimidio non definitur, & ex Prædicam. ad aliquid, ubi ait cognoscentem definite unum relativorum cognoscere, & reliquum, & ex Porph. cap. de specie dicente in utroque rationibus oportere utriusque uti, ergo &c.

117 Resp. ex Barg. cit. est, utique patrem dici ad filium, duplum ad dimidium reduplicative ut sic; quia sub nomine relativo fieri debet convertentia, & reciprocatio relativorum, non tamen terminatur pater ad filium, duplum ad dimidium, nisi specificative, id est ad id, Quod est filius, & dimidium, vel si placet, dicas cum Bassol. quem sequitur Faber, filium, & dimidium, & universaliter constitutum ex absoluto, & relatione esse terminum Quod relationis, absolutum vero esse terminum Quo, vel ut in ipsa 2. conclus. innuimus, dicas ipsam relationem esse terminum concomitantem, non tamen per se necessarium, ut terminus primarius terminet, quia sine ipso potest absolute fieri terminatio, ut constat in relativis non mutuis. Ad 2. neg. conf. cum Lichet. loc. cit. non enim differunt relativa tertii modi ab aliis, quia hæc terminantur ad absolutum, non alia, sed quia absolutum, ad quod terminatur, non refertur realiter ad suum correlativum, ut expresse inquit Arist. 5. Met. ad 3. Zerb. c. absolute negat assumptum, quia re vera terminus non spectat ad prædic. rei terminatæ, nisi reductive, ut constat ex ipsis exemplis in arg. adductis, sic ergo dicendum in proposito de termino relationis, nec inconvenit terminum directe pertinere ad aliud prædic. & reductive solum ad prædicam. relationis, & per illum relationem definiri, quia talis definitio dicitur esse per additamentum, ut diximus quæst. 3. Ad 4. potius est ad oppositum, quia ut supra diximus ex Scot. in ult. ratione pro 2. concl. & magis infra declarabimus, melius definiuntur relativa per fundam. sui correlativi, quam per ipsum correlativum formaliter, unde si quando Arist. & Porph. ajunt relativa definiri debere per correlativum, explicari debent fundamentaliter.

Q U Æ S T I O VII.

Ubi consideratur relatio ex parte utriusque extremi quoad eorum distinctionem ab invicem.

118 Duplex occurrit difficultas examinanda in hac quæst. prima est, an requiratur distinctio in re inter fundamentum, & terminum, quæ dicuntur extrema relationis, & quanta esse debeat, quidam pauci dixerunt nullam distinctionem esse necessariam, quod probant ex relatione identitatis ad seipsum, quæ realissima videtur, quia

tam proprie, & a parte rei sine fictione intellectus est aliud quod ens idem sibi, sicut est diversum ab alio, vel simile alteri. Alii dixerunt debere utique terminum, & fundamentum ex natura rei formaliter distingui, non tamen semper realiter, quia eisdem ad seipsum potest esse relatio realis sub diversis formalitatibus consideratum, ut v.g. cum idem movet seipsum, ut voluntas producendo in se volitionem, vel grave dissentium, tunc enim voluntas in ratione movens realiter refertur ad seipsum, ut motam, ita Bassol. i. d. 30. q. 1. ab initio, ubi inquit, quod licet relationes causantis, & causati, producentis, & producti requirant distinctionem realem inter extrema, quia nihil potest seipsum causare, vel producere, id tamen necessarium non est in relationibus activi ad passivum, moventis ad motum, quia inter movens, & motum, agens, & patiens est relatio realis, & tamen voluntas agit in se causando actum suum, ita quod ipsa est agens, & patiens, movens, & mota, idem docuit Greg. i. d. 28. q. 2. & videtur mens Scoti i. d. 2. q. 7. & 2. d. 2. q. 10. & d. 25. q. un. sub I. ubi triplex distinguitur genus relationum, primum est earum, quæ dicunt dependentiam essentialem, ut relatio causati ad causam, secundum est earum, quæ dicunt solam originationem unius ab alio præscindendo a dependentia, ut sunt divinæ productiones, tertium tandem est earum, quæ dicunt solam dependentiam accidentalem, ut relationes activi, & passivi, moventis, & moti, & relationes primi generis, inquit, repugnare in eadem natura, & supposito, relationes secundi generis in eodem supposito, non natura, relationes tamen tertii generis nec etiam in eodem supposito repugnare, quia idem potest in seipso perfectionem accidentalem causare; unde postea inferius in sol. princ. ait, quod voluntas inquantum potentia activa, quæ potest elicere suam volitionem, est alia formalis ratio a potentia, vel ratione recipiendi suam volitionem ipsam perficientem, & cum dicitur, quod potentia activa est potentia transmutandi aliud inquantum aliud, inquit Doct. quod ly inquantum aliud reduplicat formalem rationem aliam, solum quando movens, & motum sunt indistincta subiecto, sed quando sunt distincta subiecto, reduplicat rem aliam, quibus verbis manifeste significat sufficere distinctionem ex natura rei formalem inter extrema relationis activi, & passivi, moventis, & moti, quæ utique est relatio realis, idque defendunt Formalistæ illi, qui docent distinctionem ex natura rei formalem præferre in re relationem positivam actualem, ut Vallo p. 2. form. art. 2. in fine.

119 Dicendum tamen est, relationem realem (proprie de ipsa loquendo) petere extrema realiter distincta, ita Doct. i. d. 31. & quol. 6. ubi enumerans condiciones ad relationem realem requisitas, hæc enumerat ut præcipuam, & est communis opin. Th. & Scot. quam docet P. Faber 5. Met. disp. 22. c. 3. Barg. i. d. 5. q. Vers. Ad hoc adducuntur, Lich. 2. d. 26. q. un. & alii passim, & probatur, quia per hoc probat Arist. 4. Met. identitatem ejusdem ad seipsum non esse relationem realem, quia relatio realis inter duo versatur, idem autem non est duo realiter, unde idem ad seipsum tantum ratione refertur idem sibi ipsi comparando, ac si essent duo extrema; dicitur autem quodcumque ens idem sibi sine ulla fictione intellectus, non quia illa identitas dicat aliquam relationem realem ejusdem ad seipsum, sed quatenus dicit negationem distinctionis realis, quæ negatio est realis suo modo. Deinde, vel terminus relationis realis est opposita correlatio, vel absolutum, in quo illa fundatur, quodcumque dicatur, semper concluditur realis distinctio fundamenti a termino, quia extrema nata sunt fundare relationes oppositas. Nec sufficit dicere ad hæc oppositionem relativam, quæ semper versatur inter extrema relationis, sufficere distinctionem ex natura rei formalem inter illa. Nam ex relativa oppositione inter divinas personas non bene colligetur Theologi cum SS. Patribus realem distinctionem inter illas, & præsertim cum hic sit fermo de relatione prædicam. quæ est verum accidens, non videtur posse inter formalitates ipsas cadere, quia formalitas non est sufficiens subiectum immediatum physici accidentis, quod solum subieciatur in re physica.

120 Neque Doct. loc. c. oppositum docuit, sed supposita communi doctrina de distinctione reali extremorum relationis, solum docere voluit, non esse necessariam æqualem in omnibus, sed juxta naturam ipsarum relationum, nam si important simplicem originationem, petunt realem distinctionem, tantum suppositorum, si ulterius importat dependentiam essentialem, petunt realem distinctionem non tantum suppositorum, sed etiam naturam; si vero important sciam dependentiam accidentalem, neutram requirunt, quia idem potest a seipso accidentaliter dependere causando in seipso aliquam perfectionem accidentalem, unde non ideo in tali casu excludit Doct. realem distinctionem quæcumque inter extrema relationis realis, sed tantum suppositalem, & sic in eo casu, vel neganda est relatio realis inter movens, & motum, & admittenda solum inter movens, & effectum de novo productum in moto, ut ait Barg. loc. c. & seq. Cavell. d. 3. de anim. sect. 13. n. 10. vel si concedatur etiam inter movens, & motum, tunc dicendum idem, ut non habens aliquam formam realem distingui realiter accidentaliter a seipso, ut illam habet, ut ait Lichet. cit. 2. d. 25. quod innuit Doct. ibid. in sol.

ad arg. prin. dum ait, quod inquantum medicus est sanans, est aliud a se ipso inquantum sanatur, dum autem ibi subdit, quod ly inquantum aliud, reduplicat rationem formalem aliam, non vero aliam rem, per hoc non intendit excludere inter movens, & motum omnem distinctionem realem, quando idem movet seipsum, sed tantum distinctionem realem suppositorum, quod si in tali casu intendit excludere ab ipsis omnem realem distinctionem, & solam formalem astruere, tunc negabimus inter movens, & motum realem relationem versari, quam ibi non exprimit Doct. inter ea versari.

121 Hinc igitur concludimus realiter distingui debere extrema relationis proprie dictæ, quod ideo addimus, quia si relatio realis minus proprie fumeretur, pro ea, scilicet, quæ non est penitus rationis, & pro quocumque ordine inter aliqua quomodocumque ex natura rei reperto, qui tamen non importet verum accidens, ita concedi potest relationem realem non petere extrema realiter distincta, & lis jam foret de solo nomine; in quo etiam sensu concedi potest distinctionem formalem importare realem relationem inter formalitates ex natura rei distinctas, non tamen proprie loquendo de relatione reali, ut diximus disp. 1. q. 5. art. 2. cum pluribus Scotistis, sic enim solum dicit negationem formalis identitatis.

Minime vero necessarium arbitramur, quod volunt aliqui, & sumperunt a Sonc. 5. Met. q. 29. tantam debere esse hujusmodi realem distinctionem, ut sit inter entia determinata, quæ non se habeant, ut totum, & pars, quod ideo dixerunt, ut evitarent infinitam propemodum multitudinem relationum partium proportionalium in continuo, sed sane nullam videmus necessitatem istius limitationis, nec numerus relationum inter partes continui proportionales majorem habet difficultatem, quam numerus ipsarum partium, unde quod dicitur de multitudine ipsarum partium, hoc idem dicendum erit de relationibus ipsarum adinvicem.

122 Altera difficultas inter Scotistas, & Thomist. est; an ratio fundandi debeat esse plurificata in extremis, ut illa dicantur realiter inter se referri secundum illam, ut v. g. an ut Petrus dicatur realiter similis Paulo, debeat albedo, quæ est ratio fundandi talem relationem, esse in illis extremis geminata. Affirmant Thomistæ passim cum D. Th. i. p. qu. 42. artic. 1. ubi ob hæc rationem negat æqualitatem, quæ est inter divinas personas, esse relationem realem, quia fundatur in essentia, quæ est eadem in tribus, unde Cajet. ibidem, Bannes, Molina, & alii inferunt consequenter, quod si una, & eadem albedo numero poneretur in duobus subiectis, ibi non esse similitudinem realem, sed rationis, & hæc etiam est communis sententia Neothericorum in Log. & Metaph.

Dicendum tamen est, hæc non esse conditionem necessario requisitam ad relationem realem, unde si eadem albedo numero esset in duobus subiectis, adhuc inter illa foret realis similitudo. Ita Doct. ex professo i. d. 31. q. un. & quol. 6. per totum, ubi hæc ratione tenet e contra æqualitatem, & similitudinem in divinis esse reales relationes, sequuntur omnes eius discipuli ibidem Faber in i. disp. 47. Rada i. p. controv. 26. art. 3. Vulpes 3. t. 1. p. disp. 68. art. 2. Bonetus in hoc prædic. & alii passim, esto deviet Bassol. i. d. 31. q. 1. art. 4. & quia Doct. probat assertum rationibus Theologicis, nos tantum ex ipso Metaphysicis deducemus; probatur itaque. Tum quia ad relationem realem tres illæ sufficiunt conditiones frequenter inculcatæ, quod extrema sint realia, quod sint realiter distincta, & quod oriatur ex natura extremorum citra opus intellectus, at ita res se haberet, si eadem numero albedo esset in Petro, & Paulo, quia hæc forent duo similia nullo cogitante intellectu, & realia, ac realiter distincta, ut patet, ergo &c. Tum quia æqualitas, & similitudo fundantur super unitatem quantitatis, aut qualitatis in distinctis extremis, ergo quanto major, ac verior est unitas aliquorum duorum in communi ratione fundandi, tanto major, ac verior æqualitas, vel similitudo erit inter illa; unde magis similia sunt duo alba, quia conveniunt in una ratione fundandi specifica, quam album, & nigrum, quæ conveniunt in generica, ergo si aliqua duo extrema convenirent in una ratione fundandi numerica, sicut hæc est unitas omnium major, ita & relatio esset vera, & realissima. Tum tandem, quia ut ait Rada, sane est res miranda, quod duo alba eademdem specie habentia sint invicem similia similitudine reali, & quod si illa haberent eandem numero albedinem, essent quidem similia nullo considerante intellectu, non tamen similitudine reali, sed rationis, cerre hoc album formaliter esset illi alteri simile, nec posset non oriri similitudo inter illa extrema ex natura rei, ergo esset vera similitudo realis.

123 Resp. omnes ex Cajet. cit. præter illas tres conditiones, requiri etiam aliam, quod ratio fundandi, seu fundamentum proximum sit in ipsis extremis plurificatum, ut v. g. alia sit albedo in Petro, alia in Paulo, ratio eorum est, quia fundamenta proxima sunt, quæ primo referuntur, remota vero, seu subiecta medianibus illis, ut albedo in Petro, & albedo in Paulo sunt primo similes, Petrus autem, & Paulus medianibus illis; imo inquirunt hæc conditionem includi in illis tribus, dum enim dicitur extrema rela-

relationis debere esse distincta, hoc certe non debet tantum intelligi de extremis materialibus, & remotis, ut sunt Petrus, & Paulus in similitudine, sed præsertim de proximis, & formalibus, hæc enim sunt, quæ primo referuntur; & rursum cum dicitur relationem debere oriri ex natura extremorum, utique debet intelligi de extremis ipsis formalibus, quia ut de se constat, inter Petrum, & Paulum non oritur similitudo ex natura ipsorum in se, sed ex natura albedinum eis inhaerentium, hinc postea dicunt ad alia argumenta, quod posita eadem numero albedine in Petro, & Paulo, essent utique vere, & realiter similia ratione fundamenti realis, non tamen ratione denominationis relativæ, quia hæc esset rationis, quo etiam sensu quodlibet ens dicitur esse idem sibi realiter extra quodcumque opus intellectus.

124 Hæc tamen responsio, in qua fundatur unice opposita sententia, labilis est, & fluxa, siquidem innititur ei, quod de facto contingit in fundandis relationibus, & hoc assumit ut conditionem per se necessariam ad relationem realem, ex quo capite irrepit tota Adversariorum deceptio; verum quidem est, ita de facto in creatis contingere, quod ratio fundandi est plurificata in extremis, ut v. g. albedo in duobus albis, & ideo albedines sunt fundamenta proxima, quæ primo referuntur per similitudinem, & rationem ipsarum Petrus, & Paulus: at hoc totum est per accidens ad realitatem relationis, procedit enim ex hoc, quod non est possibile in creaturis reperire extrema, quæ sint realiter distincta, & quod ratio fundandi in eis sit una numero, ex quo etiam fit consequenter, ut in creatis ratio fundandi sit in extremis geminata, at quantum est ex parte relationis hoc totum est per accidens, quia relationes, primi modi præsertim, exigunt unitatem in ratione fundandi 5. Met. tex. 20. non distinctionem, vel pluralitatem, imo ut ait Doct. quol. 6. §. *Harum quatuor rationum*, in divinis relationes ipsæ originis, quæ ad secundum modum attinere videntur, fundantur in essentia, quæ in tribus personis est omnino una, & indistincta; quare deducitur, quod si Deus deponeret eandem albedinem in Petro, & Paulo, similitudo inter ipsa esset relatio realis, tunc enim ipsa essent proxima fundamenta illius relationis, & primo relata per ipsam, & pariter relatio oriretur ex natura ipsorum, ut stant sub illa ratione fundandi, atque ita adhuc extrema relationis etiam formaliter accepta essent realiter distincta, quia licet tunc ratio fundandi unam relationem non distingueretur, a ratione terminandi, distingueretur tamen a termino totali, quia terminus totalis non esset præcisè albedo in altero extremo, sed ipsum extremum cum albedine, & similiter ex parte fundamenti, nam totale fundamentum esset subiectum cum albedine, atque adeo extrema totalia distinguerentur a parte rei, quod sufficeret ad realitatem relationis, sicut sufficit in divinis ad veram, & realem personarum productionem secundum Theologos, & colligitur ex Doctore 1. d. 7. q. un. infra Z. quod principium *Quod*, & totale realiter distinguitur a termino *Qui*, & totali, non autem necesse est, quod ita distinguantur principium formale, & terminus formalis, nam tenet paritas, quia non minor distinctio requiritur inter producentis, & productum ratione productionis, quam inter relatum, & terminum ratione relationis, quia ipsa productio relatio est, vel sine relatione concipi nequit; unde ex hoc a fortiori possit contra Thomistas deduci validum argumentum, quod si ad realitatem productionis non requiritur necessario extrema *Quo* esse realiter distincta, sed sufficit talis distinctio inter extrema *Quod*, ita quoque in relatione.

Probat etiam contra allatam responsionem, quod si Petrus, & Paulus eandem numero haberent albedinem, forent similia realiter etiam quantum ad realitatem relationis, & non solius fundamenti, tum ex modo dictis; tum quia subiectum non dicitur simile ex relatione fundata in albedine in abstracto, sed in albedine, ut ei tribuit suum effectum formalem, at in casu posito sunt duo effectus formales a parte rei distincti, etiam si sit una forma albi, quia destructo effectu formali informandi Petrum, potest adhuc remanere effectus formalis, & unio cum Paulo, ergo sunt duo extrema formalia relationis similitudinis, quia Petrus est similis Paulo proxime ratione effectus formalis, quem recipit a forma.

125 In oppos. objic. 1. rationem supra insinuatam, quod extrema referuntur realiter ratione fundamenti, v. g. albedinis, ergo ratio fundandi debet esse distincta in extremis, Prob. conf. quia fundamenta proxima sunt, quæ primo referuntur, & per ipsa referuntur extrema materialia, seu subiecta. Resp. Scotista communiter neg. fundamenta proxima esse, quæ primo referuntur, non enim una albedo dicitur alteri similis, nec una quantitas alteri æqualis, sed eadem in natura, & specie; fundamenta ergo proxima non referuntur v. g. albedines, sed remota idest subiecta habentia illas albedines, sunt, quæ primo, & proprie referuntur. Sed certe immerito negant quantitates duas non posse, ac debere dici æquales etiam præcisè subiectis, ac pariter duas qualitates similes, cum esse æquale, & inæquale, simile, & dissimile ponantur proprietates illarum, non autem substantiæ, cui inhaerent; & nemo sanæ mentis negabit dimensiones, & albedines duarum hostiarum consecratarum dici cum omni proprietate æquales, & similes inter se; & oppositum, non solum est manifeste contra rationem, quia

Mathematica demonstrat has passiones de quantitate separata a substantia, sed etiam contra Doct. in 4. d. 12. q. 2. ubi sub lit. A. & G. ex professo ostendit has relationes immediate fundari super singulares quantitates, & qualitates, itaut hæc sint extrema primo relata, etiam quando sunt in subiecto. Et cum dicunt unam albedinem, vel quantitatem non esse alteri similem, & æqualem, sed eandem in specie, & natura; perpendere debeant, quod observavimus supra q. 4. art. 2. ab initio, in quantitate, & qualitate ratione unitatis fundari posse relationes duplicis generis, nam ratione unitatis in essentia fundant relationem identitatis; at ratione unitatis cujusdam accidentaliter fundant similitudinem, & qualitatem, enim vero ratione unitatis in gradibus intensivis qualitas fundat similitudinem, & ratione unitatis in partibus extensionis quantitas æqualitatem.

Resp. ergo ex dictis, concedendo quantitates in extremis esse, quæ primo dicuntur æquales, & albedines similes, & ipsis mediatis subiecta dici talia, verum hoc totum accidit quantum attinet ad realitatem relationum, æqualitas enim, & similitudo potius petunt unitatem, quam pluralitatem in fundamento; unde si eadem albedo esset in pluribus subiectis, tunc illa dicerentur realiter similia, etiam quantum ad denominationem relativam, quia ipsamet subiecta in eo casu forent extrema, quæ primo referuntur, & etiam possent dici duo extrema formalia ratione duplicati effectus formalis, quos forma tribueret illis, ut explicatum est, & demum esset realis distinctio inter extrema totalia, & adæquata.

126 Deinde objic. quia extrema nata sunt fundare oppositas relationes; idque beneficio ipsius rationis fundandi, ergo hæc debet esse distincta in illis. Conf. æqualitas, & similitudo referunt extrema, ut unum, ergo quando unitas extremorum in ratione fundandi foret maxima, scilicet numerica, referrent illi, ut unum numero, atque ideo relatio æqualitatis, & similitudinis inter ea realis non esset, sicut nec relatio ejusdem ad seipsum.

Resp. oppositionem relativam relationum æquiparantiam, de quibus præsertim est præsens difficultas, esse minimam inter omnes, ut bene Suar. observat d. 47. Met. sect. 16. n. 40. consistit enim in hoc, quod duæ relationes singulares ita inter se opponantur, ut quævis habeant fundamenta ejusdem rationis, non tamen possint inesse simul uni, & eidem, quia nequit unum, & idem esse fundamentum, & terminus respectu ejusdem; palam autem est hujusmodi oppositionem non esse tantam, quin possit ab eadem etiam numero oriri ratione fundandi, si hæc in duobus extremis esset replicata, quia tam numero distinguuntur duæ similitudines exortæ a duobus albedinibus, quam illæ duæ, quæ oriuntur ab eadem albedine in duobus subiectis replicata, nec major oppositio esset inter illas, quam inter istas, quia tota earum oppositio utrobique consistit in hoc, quod e regione contraponuntur, quatenus, quod est fundamentum unius, est terminus alterius, & e contra, quæ etiam solutio notanda est, quia nec satis candide Scotista citat. ab hoc argumento se expediunt, ajunt enim extrema non opponi relative secundum se, sed merito relationum oppositarum, quod utique verum est; at nil respondent ad hoc, in quo consistit tota difficultas, quod relationes oppositæ oriuntur in extremis merito rationis fundandi, quæ proinde debet esse diversa in extremis. Ad Conf. facilius est solutio neg. assumptum, quia nihil realiter dicitur sibi simile, vel æquale, ac proinde vera, & realis æqualitas est inter duo extrema realiter distincta; verum tamen est id, in quo dicuntur assimilari, vel æquari, esse unum, at illa adinvicem realiter referuntur, ut plura, & inter se realiter distincta.

Q U Æ S T I O VIII.

Quotuplex sit Relatio Prædicam. & quanam constituat quartum Prædicamentum.

127 Doct. non semel relationem Prædic. ut a transcendentali fecerunt, divisit in intrinsecus, & extrinsecus advenientem, sic præsertim in 3. d. 1. q. 5. §. *ad illud in oppositum*, in 4. d. 6. q. 10. §. *hic dicitur*, & d. 10. q. 1. I. & d. 13. q. 1. §. *ad hujus autem*, & quol. 11. ar. 4. quibus in locis, præsertim duobus ultimis, hanc divisionem tradit velut suo tempore communiter receptam, & a præcisè Arist. Interpretibus traditam, & quidem etiam Auctor sex princ. eod. lib. c. 1. in fine hanc divisionem assignat, & velut famosam supponit, & de ultimis sex præd. agit, veluti de respectibus extrinsecus advenientibus, dum ait *ea vero, quæ extrinsecus contingunt, aut actus, aut pati, aut dispositio, aut esse alicubi, aut in mora, aut habere necessitudo erunt*, esto ibi sub accidente intrinsecus adveniente comprehendat quoque quantitatem, & qualitatem. Hanc tamen divisionem ut evertent, omnes fecere conatus Thomista; & Neotherici quamplures. Hervæus quol. 7. qu. 14. Capreol. 4. d. 4. q. 1. Sonc. 5. Met. q. 39. Cajet. 1. p. q. 63. art. 2. Sot. in hoc prædic. q. 1. & 5. Phyl. q. 2. art. 2. Suarez d. 48. Met. sect. 1. Ruvius hic, Hurrad. disp. 15. Met. a §. 147. Arriag. disp. 12. Log. sect. 2. Averfa q. 19. Log.

Log. & alii passim hanc divisionem inficiantur ex Aureol. 1. d. 30. p. 1. art. 3.

128 Dicendum tamen est, relationes prædicamentales posse, immo debere distinguui in relationes intrinsecus, & extrinsecus advenientes, & per illas hoc quartum constitui prædicam. per alias vero ultima sex prædicam. ut q. ult. dicemus. Ita Doct. l. c. cum tota Subtilium Schola circa eadem loca, vel in prædicam. & ex Modernis nostris fuisse defendit P. Faber 5. Met. d. 23. ex exteris vero eam admittunt Venet. 5. suæ Met. c. 36. & 37. Lovanienses hic Came. qu. 10. Log. Acer. lib. 5. qq. peripat. Probat in primis explicando, quid Doct. intelligat per relationem intrinsecus, & extrinsecus advenientem, per illam enim intelligit, quæ necessario confurgit posito fundamento, & termino, seu oritur ex natura extremorum, & non ex aliquo eis extrinsecus accedente, per istam vero intelligit, quæ insurgit, non ex natura extremorum, sed virtute alicujus, quod omnino ab extrinsecus evenit, nec pertinet ad rationem extremorum, ut extrema sunt, idest, ut habent rationem fundamenti, & termini, sed istæ peculiare rationes ostendunt naturam harum relationum esse essentialiter aliam, & aliam, ergo, & c. Conf. adhuc, & magis explicatur, quia dantur relationes quædam, quæ positis extremis in rerum natura, virtute ipsorum præcisæ, & alio quocumque secluso, insurgunt; dantur alia, quæ positis extremis non insurgunt, sed quædam alia requirunt penitus extrinsecus ratione fundamenti, & termini, divisio illa potest, ac debet admitti. Probat. assumptum, quia relationes similitudinis, & æqualitatis positis extremis in rerum natura etiam in quocumque distantia resultant, quasi ad eorum positionem nil aliud consideretur ultra ipsamet esse extremorum, sic relatio paternitatis, & filiationis; supposito homine generante, & genito, necessario resultat, e contra vero relatio actionis, positis extremis in esse v. g. igne, & ligno in rerum natura, etiam activo eodem modo se habente secundum potentiam activam, & passivo secundum passivam, ex solo defectu alicujus extrinseci, v. gr. debite approximationis non resultat, hoc vero adjuncto resultat, sic etiam & Ubi non oritur ex natura extremorum, quia tunc illis in esse positis, ut hæc cathedra, & platea, oriretur statim relatio præsentia litatis ejus ad plateam, quod est falsum, sed requiritur ulterius horum extremorum approximatio v. g. applicatio cathedræ ad plateam, ut Scot. doct. quol. c. Tandem ut Doct. arguit l. c. distinctio horum respectuum expresse colligitur ex 5. Phyl. tex. 10. ubi docet Aristot. ad genus ad aliquid non dari motum, quia non per se, sed per accidens relationes illius generis acquiruntur, scilicet ex ipsamet extremorum positione, affirmat tamen dari motum ad Ubi, quia habet propriam novitatem, & propria acquisitione acquiruntur, non vero ad acquisitionem alterius, quod habeat rationem fundamenti, vel termini, & tamen Ubi non est, nisi purus respectus locati ad locum, ut infra dicemus, ergo omnino debent distinguui hi duo ordinis respectuum intrinsecus, & extrinsecus advenientium.

Resp. Thomista communiter, quod non dicitur positis fundamento, & termino, in rerum natura, non illico poni relationem extrinsecus advenientem, & per hoc differre ab extrinsecus adveniente; vel sermo est de fundamento, & termino proximis, & sic falsum est illud assumptum de quacumque relatione, etiam extrinsecus adveniente, si de remotis est verum in omni relatione etiam intrinsecus adveniente, nam posito Petro, & Paulo, non statim insurgit similitudo, quia illa sunt fundamentum, & termini remota, at posita albedine in utroque illorum, statim insurgit relatio similitudinis, quia albedo est fundamentum proximum similitudinis; unde pariter in proposito si activo, & passivo positis, loco, & locabili, non ponitur relatio, hoc provenit, quia activum vel locabile non ponitur cum fundamento proximo, quod in casu est approximatatio, at posita approximatione, certe ita necessario sequitur actio, & præsentia litas, sicut quæcumque alia relatio. Scotus ergo in hoc deceptus est (inquit) quod de subiecto, seu fundamento-remoto relationis locutus est, non de proximo, & comparatione illius assignavit relationem extrinsecus advenientem, quod facere non debebat, quia sic etiam ipsa similitudo extrinsecus advenit, resultat enim in subiecto per accessionem alicujus extrinseci, nempe albedinis.

129 At certe potius decipiuntur ipsi, dum talem ferunt de Doct. nostro opinionem, nam ipse appellat actionem relationem extrinsecus advenientem comparatione fundamenti proximi, non remoti, ut constat in 4. d. 13. q. 1. E, hoc autem fundamentum proximum actionis non est approximatatio, ut ipsi arbitrantur, quia fundamentum proximum recipit denominationem relationis fundatæ immediate, ut albedo, quæ est ratio fundandi similitudinem, dicitur similis, at approximatatio non dicitur agens, neque patiens, sed est potentia activa, sicut & passioni potentia passiva ex 5. Met. cap. Imo acutissimus Doct. hanc responsionem Adversariorum prævidens 4. d. 6. q. 10. B. eam statim præcludit his verbis, *Si dicas respectum aliquem advenire extrinsecus subiecto, non tamen fundamento, hoc nihil est, quia relationes intrinsecæ, utpote similitudo, quæ*

consequitur albedinem, & hujusmodi, possunt extrinsecus advenire subiecto, quia fundamentum de novo advenit, ergo si illa sunt intrinsecæ, & alia extrinsecæ, erit differentia earum in comparatione ad fundamentum, diferte igitur Doctor docet, relationem debere appellari, & judicari extrinsecus advenientem, non ex comparatione ad subiectum, seu fundamentum remotum, quia sic omnis relatio esset extrinsecus adveniens, sed ex comparatione ad fundamentum proximum, unde si Thomista accurate magis Doct. nostrum evolverent, sane non tam frequenter de ejus subtilitate ita grosse sentirent. Denique falsum est etiam, quod ajunt, facta approximatione activi, & passivi ita necessario sequi relationem actionis, & passionis inter illa, sicut sequitur paternitas, & filiatio posito homine generante, & genito, docent enim Scotista relationes intrinsecus advenientes sequi ad extrema posita fatali quadam necessitate, itaut nec ab ipso Deo possint impedi, quod etiam sentiunt multi Thomista, ut diximus q. 3. art. 2. ad 5. conf. 3. arg. prin. at actio, & passio, etiam approximatatis extremis, possunt impedi, ut ostendit miraculum a Deo factum in fornace Babilonica in sacris litteris.

130 Et quia Adversarii nedum divisionem hujusmodi in se impugnant, verum etiam ipsamet vocabula relationis intrinsecus, & extrinsecus advenientis, adhuc ulterius prob. quod Scot. vocabulis non abutatur, sed proprie, & candide loquatur, quia Doctor sub hac divisione comprehendere non intellexit relationes transcendentales, ut ipsi putant, sed solas prædicamentales; prædicamentales vero feceruntur ab illis, quia istæ accidunt rebus, & eis adveniunt, ut accidentia mere extrinsecæ, non illæ, ut dictum est q. 1. ergo omnes relationes prædicam. ut in universum a transcendentibus feceruntur, recte vocantur a Scoto relationes advenientes, quia vere adveniunt, & accidunt rebus; at dupliciter hujusmodi relationes possunt extremis advenire, vel ex sola, & præcisæ eorum positione, & non ex additione alterius adventitii, & ita recte dicuntur hujusmodi relationes intrinsecus advenientes, quia ut sæpius ait Doctor l. c. *respectus non potest magis intrinsecus advenire fundamento, quam quod necessario sequatur ipsam posito termino*; vel non adveniant extremis ex eorum præcisæ positione, sed quidpiam aliud adventitium addi debet, non pertinens ad rationem fundamenti, vel termini, & istæ recte dicuntur hac ratione extrinsecus advenientes. Accedit, quod modus ille loquendi tunc temporis erat communiter receptus, ut ipse loco citato testatur, debemus autem vocabulis uti juxta communem usum, ut docet 4. d. 1. q. 2.

Postremo, quod solæ relationes intrinsecus advenientes hoc quartum constituunt prædicamentum, alia vero sex ultima prædicamenta, probat Doctor l. c. quia prædicamenta sunt decem, tria solum sunt absoluta, reliqua respectiva, ut postea dicemus, si igitur omnis relatio esset unius rationis generica, ita quod relatio in communi non habeat sub se sufficientes rationes formales ad constituenda plura suprema genera, non quidem simpliciter, sed in certa, ac determinata respectum serie, prædicamenta tantum quatuor forent, ergo ad salvandum famosum illum numerum denarium (ait Doctor) opportunior via non apparet, quam distinguendo relationem prædicamentalem in communi in intrinsecus, & extrinsecus advenientem, ita ut illa constituat quartum prædicamentum, ista vero veluti majoris ambitus per varias adhuc differentias contrahi possit ad varia genera relationum constituida, & quidem suprema in suo ordine. Accedit, quod Arist. recensendo relationes quarti prædicamenti meminit semper earum, quæ ex ipsamet extremorum positione resultant, & distribuendo alia sex prædicamenta recolit ea, quæ ultra extremorum positionem aliud quid extrinsecum exigunt, ut insurgunt, quod etiam observavit Auctor sex princ. loc. supra c. ergo & c.

In oppos. objic. 1. fundamentum suum jam insinuatam, nomine termini actionis, vel intelligitur passum v. g. aqua in calefactione, & in hoc sensu sumpto termino etiam existentibus Petro, & Paulo, potest non esse relatio similitudinis, sicut existente aqua, & igne, potest non esse relatio calefactionis, vel intelligitur terminus immediatus, & proximus, ut albedo Pauli est immediatus terminus similitudinis Petri, sed sic termino accepto, actio etiam necessario insurgit, non minus quam similitudo posita albedine in Paulo, quia terminus calefactionis immediatus, & proximus est calor aquæ inhaerens, sed calore inhaerente subiecto necessario est actio, itau neque per Dei potentiam impedi possit, quin sequatur in igne relatio actionis, & in aqua respectus passionis. Ex quo deduci potest valida conf. quia similitudo inter Petrum, & Paulum in ratione albi ideo dicitur intrinsecus adveniens, & ad quartum spectat prædicamentum, quia supposita albedine in Paulo, oritur necessario, nec habet propriam novitatem, & acquisitionem, quia acquiri nequit, nisi ad acquisitionem alicujus formæ absolutæ scilicet albedinis, sed ita est in casu de actione, & passione, quia nec actio, nec passio proprie possunt inesse, nisi prius aliquo absoluto causato in passu v. g. calore in aqua, quo in aqua posito, statim & ipsæ resultant, ergo & c.

131 Resp. terminum actionis proprie sumptæ v. g. calefactionis, esse passum scilicet aquam, non vero calorem, hic enim est terminus productionis, quæ respicit effectum, non actionis, quæ respicit subjectum quod patitur, & transmutatur recipiendo formam de novo productam, unde non dicimus calorem caleferi, & transmutari, sed produci, aquam vero non produci, sed caleferi, & transmutari per calorem in ipsa receptum, quæ omnia accurate declarat Doctor 4. d. 13. q. 1. & nos disp. 7. Phys. q. 3. Ex quo deducitur terminum proximum, & immediatum actionis esse aquam secundum suam potentiam passivam proximam, sicut terminus passionis est ignis secundum suam potentiam activam proximam. Cum vero dicitur; quod calore recepto in aqua necessario sequitur actio non minus, quam sequatur similitudo recepta albedine in Paulo. Resp. cum Licher. quol. 11. in sol. ad instantias contra 4. dictum, concedendo, quod etiam relatio extrinsecus adveniens necessario insurgit interdum positis aliquibus præter fundamentum, & terminum, sic positus absolute corpore, & loco naturali, non necessario sequitur Ubi, sed posito corpore in loco naturali, ut coextenso, naturaliter sequitur Ubi: posita materia, & forma, non necessario sequitur unio, sed posita forma in materia, necessario sequitur unio, & in casu posito igne, & ligno non necessario sequitur actio in igne, passio in ligno, sed inducta caliditate in ligno, necessario sequitur, sed non idcirco dici possunt relationes intrinsecus advenientes, ac necessario oriri, ut similitudo, quia necessitas similitudinis procedit ex natura termini, & fundamenti, & necessario oritur ab extremis absolute inspectis, non sic præfati respectus locationis, unionis, & actionis, & passionis, sed eorum necessitas procedit ab aliquo extrinsecus, quod rationem non habet, nec fundamentum, nec terminum.

Hinc ad conf. neg. min. similitudo namque dicitur respectus intrinsecus adveniens, quia acquiritur necessario ad acquisitionem albedinis in Paulo, quæ habet rationem fundandi unam similitudinem, & aliam terminandi, unde non potest esse nova sine novitate fundamenti, vel termini, at in proposito licet actio, & passio haberi nequeant, nisi prius aliquo absolute causato in passio, tamen absolute illud nullo modo pertinet ad rationem proximam fundandi, neque ad terminum, quia nec fundat passionem, nec terminat actionem, quæ Licher. doctrina valde notanda, sicut e contra prorsus abijcienda, quam tradidit Vallo tr. Formalit. super hanc divisionem, ibi namque ut hanc evitaret difficultatem, negavit respectum productus ad productum, seu educens ad educendum præcedere respectum agentis ad passum, sed ait rem e contra se habere, cujus oppositum demonstramus in Phys. l. c. & sane id est contra omnem rationem, quia nequit subjectum pati, & transmutari, nisi per formam in ipso receptam, & productam; si ergo passio supponit necessario respectum educens, ac productus ad educendum, vel productum, consequenter etiam & actio, cum sit simul natura cum passione.

132 Secundo e contra aliquæ sunt relationes, quæ ad hoc 4. prædicamentum spectare dicuntur, & tamen non oriuntur necessario existente utroque extremo, ita se habet relatio causæ ad effectum, quia non potest causa suum effectum producere in quacumque distantia, sed requiritur debita approximatitas, sic etiam se habet relatio propinquitatis inter Petrum, & Paulum, quæ non statim sequitur ipsis positis in rerum natura, sed in illis est tantum fundamentum quasi remotum, & oportet aliud adjungere, quod sit proxima ratio fundandi, & quasi excitandi relationem; sic tandem est de paternitate, quæ actionem expectat, ut resultet in Petro patre respectu Pauli filii, & sic universaliter est de relationibus secundi modi, quæ conditionem extrinsecam postulant, ut insurgant, & tamen spectant ad 4. prædicam.

Resp. neg. assumptum, ad 1. prob. dicimus omnino distinguendum esse inter actionem, & productionem, ut ex Doct. 4. d. 13. innuimus, & inter causam, ut agentem, & ut producentem, ignis enim v. g. ut agens respicit passum scilicet aquam, ut producat effectum, id est calorem in aqua productum; non igitur requiritur approximatitas ad causam producentem, sed passio ad causam agentem, ut scilicet in eo approximatitas, ac bene dispositio possit formam imprimere; itaque formalit. & per se requiritur approximatitas, ut resultet respectus actionis ad passum, non autem productionis ad effectum, nisi mere per accidens, & concomitanter. Ad 2. prob. negat P. Faber cum aliis Scotis assumptum, quia putant relationes distantias, & propinquitatis spectare ad prædicam. Ubi, forte quia Ubi est fundamentum proximum ipsarum, ut docet Doctor in 4. d. 10. q. 2. ad 2. prin. Sed plane concedendum est assumptum quoad hanc partem, quia suppositis duobus corporibus ubicatis in rerum natura, ita necessario confurgit inter illa relatio distantia tantæ, aut propinquitatis, sicut suppositis duobus corporibus albis, sequitur inter ea similitudo; & utique verum est, etiam tales relationes non sequi absolute entitates Petri, & Pauli, quia hæc sunt fundamenta remota, in ordine ad quæ iudicari non debet relatio intrinsecus, vel extrinsecus adveniens

scilicet enim omnes relationes forent extrinsecus advenientes, ut diximus ex Scoto; sequuntur tamen necessario entitates Petri, & Pauli, ut ubicatas, & ideo dici debent intrinsecus advenientes, quia necessario confurgunt inter extrema proxima. Ad 3. prob. dicimus disparem esse rationem; nam relationes intrinsecus advenientes expectant interdum conditionem ad hoc dumtaxat, ut ponatur terminus, ut constat in exemplo ibi allato de paternitate, quo posito statim necessario resultat, ac extrinsecus advenientes, adhuc posito termino, expectant aliam conditionem prorsus extrinsecam, & adventitiam rationi termini; in vero omnes relationes secundi modi sunt intrinsecus advenientes, videbitur infra.

133 Tertio tandem arguunt, quod non bene distinguuntur essentialiter per consequi extrema, necessario, vel contingenter, vel saltem non ita, ut constituant diversa prædicamenta. Tum quia necessaria consecutio, vel contingens non variat rei essentialiam, ut patet de nigredine, quæ est ejusdem speciei in corvo, & in homine, licet inhæreat illi necessario, homini vero non ita. Tum quia etiam ex necessitate, & contingentia consequendi fundamentum variarentur essentialiter specificæ relationes, non tamen inde sequitur, quod differant genere, imo cum omnes convenire debeant in communi ratione respectus, si est bona divisio, omnes quoque ad idem prædicam. pertinent. Tum etiam quia qualitates quoque sic se habent, quod aliquæ intrinsecus adveniunt, ut qualitates secundæ speciei, & quedam extrinsecus, ut qualitates primæ speciei, & tamen ab Arist. omnes ponuntur in eodem prædicam. ergo sic etiam in proposito. Tum tandem si relationes 4. prædicam. distinguuntur ab aliis per intrinsecus advenire, necessarium omnino erat in earum definitione hanc differentiam exprimere, sed hoc nec quidem insinuat Arist. sed prius tota, ac integra definitio relativorum quarti prædicam. convenit quoque relativis aliorum sex prædicam. ergo vel non per hoc differunt, vel omnino statui debent sub eodem prædicam., & hæc sunt argumenta Aureol. 1. d. 30. par. 1. art. 3.

Resp. ad 1. esto non semper ita sit, posse tamen interdum consecutionem necessariam, vel contingentem ab intrinsecus, vel extrinsecus esse, vel saltem circumscribere differentiam essentialiam accidentium, ut constat de qualitatibus primæ, & secundæ speciei, quæ per hoc ponuntur essentialiter differre, & sic est in proposito. Ad 2. gratis concedimus septem ultima prædicam. in conceptu generico relationis in communi convenire, & novem genera in conceptu quidditativo, & generico accidentis, & omnia denique decem in conceptu univoco entis finiti, quem etiam damus esse genericum, atque ita non dari, nisi unum prædicamentum, & genus simpliciter supremum, quod erit ens finitum, sed hoc non obstat quin postea per varias differentias valde communes, & amplas subdividendo ens finitum constitui queant plura prædicamenta, & plura genera secundum quid, id est in determinata rerum serie, & ordine juxta dicta disp. 6. q. 1. Ad 3. poterat utique Arist. sicut fecit de qualitatibus, ita respectus omnes tam intrinsecus, quam extrinsecus advenientes sub eodem concludere prædicam. tamen quia magna erat copia respectuum extrinsecus advenientium, placuit Philosophis ad commodiorem doctrinam, ut ait Smigle. illos distribuere in sex prædicamenta, & unum constituere ex intrinsecus advenientibus, utpote quæ non sunt in tanta varietate, & eadem ratione qualitates etiam omnes sub eodem prædicam. conclusit. Ad 4. constat ex q. seq. Alia quedam argumenta solent hic confici, quæ opportune magis adducuntur q. ult. contra constitutionem sex prædicam.

Q U Æ S T I O IX.

Quodnam sit supremum Genus quarti Prædicamenti, & an ab Arist. sit bene definitum.

134 Circa primam partem quæsti non est facile huic prædicamento supremum genus assignare, cum enim genus supremum in quocumque prædicamento unum esse debeat, videtur in hoc quarto prædicamento unum genus assignari non posse; ratio dubitandi est, quæ assertur a Scoto qu. 25. prædicam. in 3. arg. ad oppos. & adeo molesta est, ut utque in hanc diem Auctores angat; & est ita, quia non videtur posse assignari terminum adequatus relationis in communi, quæ dicitur supremum genus, nam si ponitur esse correlativum, jam erunt duo suprema genera adequata, si ponitur absolutum, cum necessario in termino sequatur correlatio, sequitur etiam idem absurdum, scilicet, dari correlativum adequatum suprema generi, & sic erunt duo suprema genera.

Dicendum tamen est hoc non obstat, dari unum supremum genus prædicamenti. Ita Doct. cit. & 1. d. 21. ad 3. prin. & falso Mafius illi impingit, quod hujus prædicamenti assignaverit duo suprema genera, est communis omnium sensus, & probat Doctor, quia secundum unam rationem dicitur de omnibus suis inferioribus, quæ ratio est habitudo unius ad aliud, & quia omnes relationes habent eundem modum denominandi substantiam, scilicet, in com-

comparatione ad aliud, ut accidentia, quæ eodem modo denominant substantiam, sunt unius generi. Accedit, quod sicut monstruolum est ponere in uno corpore duo capita, ita in uno prædicamento duo suprema genera; imo si fingatur hæc duo suprema genera, cum habeant convenientiam essentialiam inter se in ratione essendi ad aliud, jam ipsis poterit abstrahi conceptus communis utriusque essentialis, & hic erit genus supremum. Hoc igitur assertum de se clarum est, nec aliud restat, quam Gordianum illum nodum dissolvere, cuius certe tres solutiones sunt, quod capita, cum tamen solutio sit obvia, quam assignabimus, aliis prius breviter relatis, & rejectis.

135 Aliqui, ut Jo: de Mag. hic, quem sequitur Fonsec. 5. Met. c. 25. sect. 2. & ait supremum genus hujus prædicamenti non esse relativum in concreto, sed relationem in abstracto, relatio autem non refertur, sed tantum est principium referendi. Hæc solutio non satisfacit; tum quia sicut nominatur relatio in communi, ita & relativum in communi, in quo essentialiter conveniunt singula quæque relata, tum quia sicut cætera accidentium prædicamenta possunt nedom in abstracto, sed etiam in concreto disponi, ut dictum est disp. 6. qu. 3. artic. 2. ita quoque hoc prædicam. tum tandem quia etiam de relatione in abstracto redit eadem difficultas, cum enim sit habitudo unius ad aliud, designari adhuc debent hæc duo extrema in communi, quæ invicem fundare poterunt relationes mutuas. Nec valet, quod ait Jo: de Mag. hoc commune generalissimum esse principium referendi non diversa extrema ad invicem, sed idem ad seipsum, puta hoc commune relativum ad seipsum. Nam validissima est instantia, quam ipse ibidem urget contra hanc solutionem, quod tunc relatio, quam importat hoc genus generalissimum, est ratio realis, non realis, quia ejusdem ad seipsum non est relatio realis, ut prædicamentum reale debet habere supremum genus reale. Nec tandem valet, quod ait ad hoc, relationem ejusdem numero ad seipsum utriusque esse rationis, non tamen ejusdem genere, vel specie, ut est in proposito. Nam utique realior est identitas numeralis, quam generica, & specifica, ergo si ejusdem numero ad seipsum relatio realis esse nequit, tanto minus ejusdem genere, vel specie.

Alii proinde concedunt relationem, ac etiam relativum in communi esse hic supremum genus, sed negant referri actu exercito, adjuncte considerari tantum in actu signato, & mente concepto, & ideo non habere terminum in communi, ita Thomista passim, Mafius hic sect. 1. qu. 5. & Sanch. q. 39. Sed nec ista satisfacit, quia essentia relationis consistit in ordine ad terminum, ergo five consideretur in esse exercito, five signato, semper etiam cogitari debet terminus ejus exercito, vel signato, sicut a pari licet accidens in communi actu inherendi non exercet, adhuc tamen cogitur subjectum ejus in communi velut in esse signato, & sic etiam esse per visionem in communi non videamus, actumque visionis exercemus, adhuc tamen in esse signato cogitur visibile, ad quod tendit. Accedit, quod relatio in communi confert subjecto relatio in communi aliquod esse, & hoc utique non est absolutum, sed relativum, ergo ad aliud refert saltem in esse signato. Per quod etiam rejicitur signatum eorum, qui dicunt relationem in communi non referre actu subjectum, sed in potentia tantum. Nam implicat fundare actu relationem, & non actu referri.

136 Alii concedunt etiam relativum in communi referri, non tamen in se, & per se ipsam, sed per sua inferiora, & ideo non oportet assignare terminum in communi, ad quod refertur, sed satis est, quod singulis relativis respondeant sua proportionata correlativa, & hæc responsio dicitur esse gravium Auctorum Simpl. Boet. Albert. Jand. Burl. & videtur esse Scot. cit. 1. d. 21. ad 3. quam proinde recipiunt Tatar. hic dub. 3. & Zerb. 5. Met. qu. 19. §. Propter quartum in sol. ad 5. imo dicitur esse intentio Arist. qui hac ratione relativa definivit, ac nominavit in plurali, & non per modum unius, ac etiam D. Aug. cap. 11. Categ. ubi in universum ait relationem non posse generaliter considerari, sed tantum in singulari in quolibet relativo. Neque hæc satisfacit, & impugnat omnino, ut præcedens, & adhuc ulterius; tum quia sicut relatio numerica respicit terminum numericum, & specificum, ita generica genericum, unde aiebat Arist. 4. Top. cap. 4. si species est ad aliud, & genus erit ad aliud; tum quia relatio, & relatum in communi habent veram essentialiam relati, & relationis, ergo sunt ad aliud in communi, imo cum respiciere terminum sit essentialia prædicatum relationis, per se primo competit relationi in communi, & per se secundo relativis in particulari, non autem e contra, ut inquit hæc solutio; Nec valet dicere per ly aliud significari varios terminos in speciali; Nam sicut e variis fundamentis præscinditur fundamentum in communi, quod assignatur relationi in communi, ita etiam de termino loquendum est, nec unquam poterit assignari disparitas, quæ vincat.

137 Neque est intentio Scoti 1. d. 21. negare relativum in communi ad aliud etiam in communi referri; tum quia in Logica loc. cit. huic dicendi modum refellit, tum quia

ibi non loquitur de relativo in communi, sed de relativis equiparantibus, & dicit in hoc distinguere a relativis disquiparantibus, quod ista quando conceptibus nostris abstrahuntur, & in communi concipiuntur, in communibus rationibus specificis potest intelligi unum relativum commune ad aliud referri, aliudque respicere, non solum ut purum terminum, quod est commune omnibus relativis, sed etiam ut correlativum, & oppositum, sic pater in communi respicit filium in communi, Dominus servum, at relativum equiparantibus in communi, quamvis per seipsum ad aliud referatur, ut ad terminum, non tamen referri potest ad illud, ut ad correlativum oppositum, quia cum relativa hujusmodi sint ejusdem rationis, habent eundem conceptum specificum, unde in tali conceptu uniantur, & per modum unius concipiuntur secundum id, in quo conveniunt, ideoque non potest hujusmodi relativo in communi aliud æquale correspondere ab ipso distinctum, ad quod referatur; hinc ait Doctor ibi relativis hujusmodi non dari correlativum commune, ad quod referatur, ut simile non dicitur ad aliud simile in communi, nec æquale ad aliud æquale, sed solum ratione individuum, in quibus datur unum simile distinctum ab alio simili, relativa vero disquiparantibus; quia sunt diversarum rationum, non concipiuntur uno conceptu communi specifico, ideo abstrahi possunt duo conceptus communes specifici oppositi, & invicem correspondentes, atque ideo non solum in particulari, sed etiam in communi unum ad aliud referri in ratione correlativi; hæc est mens Doct. ib. Neque ex eo, quod Arist. relativa definivit in plurali, bene deducitur, quod non conveniant in una ratione generica, sic enim in plurali univoca definivit, & denominativa, quæ tamen omnia in una communi ratione generica conveniunt. Nec etiam D. Aug. dixit relationem non posse in communi considerari, cum eam sic ibi definivit, sed ait naturam ejus facilius dignosci in singularibus, cum scilicet unum singulare ad aliud singulare refertur, in ipsis enim realiter exercetur relationis munus dicendo, hoc est simile illi, hic homo est filius illius, ubi in communi, non realiter, sed tantum cogitatione nostra exercetur, vel potius signatur.

138 Alii proinde concedunt relativum in communi referri ad correlativum in communi, non tamen ei adæquatam, sed inadæquatam, ac proinde non sunt duo suprema genera, quia unum sub alio continetur, & hæc est prima solutio, quam Tatar. assignat l. c. Sed eam reiicit Doctor ipse in Log. l. c. nam relativum, & correlativum sunt simul natura, ergo unum nequit esse prius, & communius altero, quia superius est prius natura inferiori, debent ergo poni æqualia, & sic erunt duo generalissima.

Alii adhuc concedunt etiam relativum in communi terminum, & correlativum adæquatam, ad quod referatur, sed non tanquam ad aliud correlativum secundum aliam formam genere, sed per formam ejusdem generis, unde non sequitur dari duo genera suprema; Sed licet hæc solutio possit utrumque defendi cum aliqua explicatione, & insinuetur a Scoto c. in Log. ad 3. prin. tamen sic absolute sumpta non est a difficultatibus immunis, quia ex ea directe sequitur duo esse suprema genera hujus prædicamenti, nam parum refert, quod illa extrema referantur per relationes ejusdem generis, imo quia illæ relationes sunt ejusdem generis, & æque primæ, ob id constituent duo suprema genera ejusdem prædicamenti. Accedit, quod illa duo extrema in communi sic relata conveniunt essentialiter in tali prædicato, scilicet referri ad aliud, ergo potius hic conceptus utriusque essentialis erit commune genus.

139 Compl. denique dif. 14. qu. 6. Log. in fine supponentes doctrinam Cajet. 1. part. quæst. 13. artic. 7. de relativis non mutuis, quod nempe possit una, & eadem relatio vere, & realiter constituere duo extrema in esse relativo, unum informando intrinsecus, & per inhærentiam, aliud extrinsecus, & per adhærentiam, inquit ipsam communem rationem relationis, ut abstrahit ab inferioribus non exigere, ut in correlativo sit aliqua relatio illi inhærens, a qua intrinsecus denominetur correlativum, sed ad hoc sufficere, ut dicatur correlativum per denominationem sumptam a relatione, quam terminat, unde hæc denominatio non potest constituere aliud supremum genus, cum proveniant ab eadem relatione, a qua alterum extremum intrinsecus denominatur relativum, ac proinde ibi non dantur duo generalissima, sed eadem ratio communis relationis, secundum quam utrumque extremum denominatur relativum, constituit supremum genus hujus prædicamenti. Hæc tamen solutio, quamvis ingeniosa, in duobus deficit, primo quia fundatur in illa Caj. doctrina, quam prorsus falsam ex omnium consensu extra Scholam D. Th. demonstravimus q. 5. art. 3. concl. 1. deinde quia etiam ea admittit, non bene loquitur, genus enim debet ex æquo præscindere a speciebus, si ergo talem denominationem denominativam præbere extremis, ut per eandem relationem ambo extrema vere dicantur relativa, est proprium relationis non mutua, certe hoc competere nequit relationi in communi, quæ præscindit a mutua, & non mutua, sed alium modum denominationis relativæ præscindendam a propriis illarum assignare debent relationi in communi, quod sane non facile præstabitur.

140 Resp. itaque quod licet arg. valde Thomista tor-
queat ponentes unum relativum formaliter ad suum corre-
lativum terminari, nos tamen, qui dicimus terminari ad
entitatem absolutam, vel saltem habens modum absoluti,
ut constat ex q. 5. art. 3. parum, & nihil urget, dicimus
enim, quod terminus relationis in communi, ut sic, est
aliqua entitas, ut habet vim sufficientem ad terminandum,
quæ ut plurimum est absoluta, & si interdum est relativa,
ut cum una relatio fundatur in alia, id non habet, ut exer-
cet minus relationis oppositæ, sed ut habet conditionem
aliquam communem cum entitate absoluta; ratione cujus
terminat relationem, ut ibi explicatum est, unde non se-
quitur dari duo genera suprema, quia terminus relationis
in communi non est relativus, & hæc responsio est nobili-
sum Scotistarum Mair, r. d. 29. q. 5. in fine, & Zerb. loc. cit.
quam planiflimè amplectuntur Recentiores omnes Suar.
Tolet. Ruy. Did. Amic. Blanc. & alii, & certe aperte dedu-
citur ex illo Scotico principio contra Thomistas, quod re-
latio non terminetur ad relativum, ut sic. Dices ad hoc
modo constituendo unum genus relationis, hæc relatio in
communi esse nequit, nisi æquiparantia, nam erit princi-
pium referendi utrumque extremum secundum eandem for-
mam, & per appellationem ejusdem rationis in utroque,
nam relativum in communi dicitur relativum, atque ita omnes relationes,
& relativa inferiora erunt æqui-
parantia. Resp. genus hoc communissimum esse relationem,
vel relativum æquiparantia, ut modus, sed ut quid abstra-
here ab omnibus, & singulis relationum speciebus, quem-
admodum universale commune ad quinque universalis, ut
modus, dicitur genus ad illa quinque, ut quid autem,
abstrahit a singulari; vide aliam solutionem apud Scot. q. 25.
cit. prope finem hæc tamen est clarior, & sufficit.

141 Circa alteram quæsti partem dicimus, optimam esse
definitionem relativorum ab Arist. traditam, dum ait *Ad
aliquid sunt, quibus hoc ipsum esse est ad aliud se habere*,
cujus sensus est, relativa esse, quorum totum esse est
ad terminum referri. Ita Doctor q. 26. prædic. & prob. sin-
gulas explicando particulas, dicitur *ad aliquid*, seu relati-
va, quia ut inquit Doctor hic non definitur relatio in ab-
stracto, neque subjectum relationis, neque totum aggrega-
tum, sed relatio in concreto, ut nimirum informat sub-
jectum, ita quod ly *ut*, non dicat partem ejus, quod signi-
ficatur, sed modum significandi; dicitur *sunt*, quia hic de-
finiuntur tantum relativa realia, non rationis, cum enim
supra diviserit ens reale in 10. prædic. & nunc definiat re-
lationem quarti prædicamenti, consequenter loquitur de his,
quæ sunt ad aliud realiter; dicitur *quibus*, per quam par-
ticulam insinuat genus pro antecedente, ut sensus sit,
relativa sunt accidentia realia, quibus &c. superius enim
diviserat accidens reale in novem prædicamenta, unde per
hoc excluduntur relationes divinæ, quæ non sunt acciden-
tia, & etiam relationes omnes transcendentes, quæ non
accidunt rebus, dicitur *hoc ipsum esse est ad aliud se habere*,
id est quorum tota essentia in eo consistit, ut ad aliud re-
ferantur, per quod distinguuntur ab absolutis, & relativis
secundum dici, quæ non essentialiter, sed accidentaliter
tantum, & denominative referuntur, & tandem etiam per
eamdem particulam insinuat differentia a relativis alio-
rum prædicamentorum, si ita exponantur illæ particule *hoc
ipsum esse est ad aliud se habere*, id est quæ hoc ipso habent
esse, quod terminus intelligitur esse, quia relationes hujus
prædicamenti necessario pullulant in fundamento posito ter-
mino, quæ differentia magis adhuc explicatur postea per
eam proprietatem relativorum hujus prædicam. quod sunt
simul natura, & posita se ponunt, ac perempta se peri-
munt, quia per id non tantum innuere voluit, quod in esse
relativo habent necessariam connexionem, ut relativum cum
suo correlativo, quia in hoc sensu convenit etiam relativis
aliorum prædicam. sed etiam insinuare voluit, quod positis
extremis in rerum natura necessario sequitur relatio ex sola
amborum positione, & quod relatio petat ex sola amborum,
vel alterius destructione, in quo sensu non convenit relati-
vis aliorum prædicamentorum.

142 In opposit. objic. 1. relatio hujus prædic. est acci-
dens, ergo male dicitur totum illius esse consistere in or-
dine ad aliud, quia cum sit accidens, debet etiam exprimi
per esse in. Resp. Thomista ex D. Th. 1. p. q. 28. art. 1.
& Cajet. ibid. relationem posse considerari, ut accidens, &
ut tale accidens, & secundum primam considerationem ha-
bere esse in, at juxta secundam esse totaliter ad aliud, &
secundo modo consideratam hic ab Arist. definiti. Hac so-
lutio non satisfacit, quia in relatione non distinguuntur a
parte rei esse accidentis, & esse relationis, ergo fieri ne-
quit, ut sit realiter in subiecto, quatenus accidens, & non
secundum esse relativum, cum in ea realiter non distin-
guantur esse relativum, & esse accidentale. Respondent
quod saltem formaliter distinguuntur, & ut sic non est in
subiecto, sed ad terminum. Contra quia relatio prædicam.
etiam formaliter, ut relatio, est accidens, ergo etiam secun-
dum esse peculiare relationis dicit, esse in; 2. relatio etiam
formaliter, ut dicit esse ad, est ratio referendi unum ad
aliud, ergo quatenus relatio debet esse in eo, quod refert,
ergo ut relatio formaliter non solum dicit ad, sed etiam
in; & quidem paternitas secundum ultimum suum conce-

ptum denominat, & afficit patrem tamquam forma illius,
ergo petit esse in eo etiam secundum ultimam suam forma-
litate. 3. si relatio, ut relatio, non diceret esse in, ergo
secundum suam ultimam formalitatem nihil reale foret in
rerum natura, non esset substantia, ut de se constat, non
accidens, quia non dicit esse in, ergo nihil foret. Tandem
prædicando omnino a ratione accidentis adhuc relatio, ut
relatio, petit esse in velut in fundamento, & talis habitu-
do est ei essentialis non minus, quam esse ad, ut diximus
q. 4. ergo responsio Thomist. non satisfacit.

143 Resp. igitur neg. conseq. quia quando dicitur totum
esse relationis, ut relatio, est esse ad aliud, hoc modo lo-
quendi non intendit Arist. excludere a relatione esse in vel
accidens in subiecto, & etiam ut relatio in fundamen-
to, quia re vera utrumque habet prædicam. relatio, sed in-
tendit excludere esse in accidens absoluti, quia accidens ab-
solutum per suam inhærentiam ita afficit subiectum, ut ibi
sistat, & non ad aliud referat, at relatio, licet formaliter,
ut relatio, sit in subiecto, illudque afficiat, ita tamen af-
ficit, ut in ipso non sistat, sed afficiendo ipsum ordinet ad
aliud, unde peculiaris modus inhærendi, & afficiendi re-
lationum, ut distinguuntur ab accidentibus absolutis, est
afficere subiectum referendo illud, & ordinando ad aliud,
atque ita totum esse relationis dicitur ad aliud, non quia
non sit in subiecto, sed quia non sistat, & quiescit in eo.

Sed Dices, ergo relatio duas rationes habebit essendi in,
unam communem cum accidentibus absolutis, & aliam sibi
propriam, cum tamen una sufficere videatur. Resp. ita esse,
& unam non sufficere, quia sicut quodlibet accidens abso-
lutum habet duplex esse in commune, & particulare, &
hoc contrahit illud, quia albedo v. g. non solum est acci-
dens, sed etiam tale accidens; ita & accidens relativum
duplex esse in habet, commune ut accidens, & particulare,
ut tale accidens, verum tamen est rationem essendi in par-
ticularem in relatione non distingui a parte rei adæquate
ratione essendi ad, sed tantum per conceptus inadæquatos,
potius enim a parte rei ratio essendi in, & ad circumscri-
bunt nobis propriam, & adæquatam relationis differentiam,
ut ab accidentibus absolutis distinguatur. Sed urges, concep-
tus in est absolutus, conceptus ad est relativus, ergo non
dicunt eundem conceptum adæquatam a parte rei. Neg.
assumptum, quoad primam partem, quandoquidem hæc ra-
tio essendi in communis, nec particularis est absoluta, non
ratio communis, quia sicut accidens commune ad abso-
lutum, & respectivum, neutrum est formaliter, ita etiam ra-
tio essendi in communis, non ratio essendi in particulari,
quia hæc est pure respectiva, est enim certus, & peculiaris
modus afficiendi subiectum referendo illud, quare licet concep-
tus ad se sit absolutus, non tamen conceptus in se for-
maliter loquendo.

Secundo si relatio est essentialiter habitudo unius ad aliud,
ergo in abstracto concipi nequit sine fundamento, & ter-
mino, sed hoc est falsum; tum quia terminus abstractus est
ille, qui formam significat sine ordine ad subiectum; tum
quia terminus ultimata abstractione abstractus præcindit ab
omni eo, quod non est de ejus ratione in primo modo di-
cendi per se ex Scot. 1. d. 5. q. 2. Resp. neg. min. cum probat.
relatio enim ex peculiari sua ratione postulat terminum, &
fundamentum, ab eisque essentialiter dependet, ita ut sine
illis conservari nequeat, sive in concreto, sive in abstracto,
ut dictum est q. 3. unde dum in abstracto significatur, utri-
que non datur intelligi subiectum ex vi nominis per mo-
dum recipientis denominationem a forma relativa, bene ta-
men datur intelligi per modum extremi relationem fundam-
tis, & quamvis extrema non sint de essentia relationis in
primo modo dicendi per se, adhuc tamen ita pendet ab
eis, ut relatio sine illis concipi nequeat, nec divisiva, nec
præcisiva, & hoc non alia ratione, nisi quia relatio est, ut
dicit Doct. 4. d. 12. q. 1. & nos supra explicuimus q. 3.

144 Tertio in rerum definitionibus non exprimitur actus,
sed aptitudo, ut homo non definitur per actum, sed per
aptitudinem ratiocinandi, sed hæc definitio datur per actum
referendi, non enim dicitur totum esse relatiui consistere in
eo, quod ad aliud se possit habere, sed quod actu ad illud
se habeat; Conf. quia effectus formalis albedinis est facere
subiectum actu album, sicut relationis relativum, ergo sicut
non bene definitur albedo, quod sit forma, quæ facit al-
bum, sed dici debet esse formam, quæ potest facere album,
sic etiam in proposito.

Resp. aliqui concedendo totum cum paritate assumpta de
albedine, unde concedunt essentiam relationis consistere in
aptitudine referendi, non in actu, & consequenter distin-
guunt inter relativum, & relativum, & inquirunt relativum
dicere potentiam ad referri, relativum vero actuale exerci-
tium, atque ita concludunt per allatam definitionem ex-
plicari ad aliquid, non ut relativum, sed ut relativum, quo
sensu utique definiti debet per actum; & hoc præsertim
asserunt, quicumque concedunt posse Deum conservare re-
lationem separatam ab omni subiecto, sicut albedinem, &
alias qualitates, ut Mairon. in 4. disp. 12. qu. 1. & Ca-
non. 1. Phys. qu. 4. art. 3. quos sequitur Ledesma p. 4.
q. 28. art. 2. dub. 4. Quæ responsio merito communiter rei-
citur, velut innoxiam falso fundamento, quia ut docet Doct.
q. d. 12. q. 1. & 2. prorsus repugnat relationem posse sine

extremis conservari, ob dependentiam essentialiam ab eis,
ut ex præfesso in Met. disput. de Accidente ostendimus;
quorum Auctor adhuc magis hallucinatur illi, qui
ajunt posse relationem separari ab uno subiecto, & poni
in alio, imo ita factum fuisse cum Christus dixit in Cru-
ce, *Mulier ecce filius tuus*, deinde discipulo, *Ecce Mater
tua*, tunc enim filiationem Mariæ a se sejunxit, & posuit
in Joanne. Hoc enim est prorsus impossibile, non enim
concipi potest paternitatem poni in eo, qui non genuit fi-
lium, nec filiationem in aliquo in ordine ad eum, a quo
genitus non est, quia vel daretur pater sine filio a se ge-
nito, vel forma informans subiectum sine effectu formali,
unde neque illud factum est a Christo, nec fieri potuit,
quia in Joanne non erat ratio sua propria fundandi fili-
ationem ad Mariam, ut noravit Vallo tract. formal. pagin.
apud nos 80. unde verba illa moraliter intelligenda sunt
ex singulari affectu Christi in Joannem, & illud discernit
inter relativum, & relativum ab eis excogitatum est
omnino vanum, quia sunt prorsus idem, licet relativum,
quia habet vim participii, magis exprimat actum refe-
rendi.

144 Ideo Resp. passim alii essentiam relationis consi-
stere in principio actualis referentia, quia essentia est actua-
lis modus, unde fit, ut concipi nequeat actu existens sine
effectu formali actualis referentia subiecti, sicut nequit
concipi existens extra subiectum, in quo distinguitur ab al-
bedine, & aliis hujusmodi accidentibus, quia licet effectus
formalis albedinis sit actu efficiere album, tamen quia al-
bedo potest esse extra subiectum, ideo esse potest sine ef-
fectu formali. Quare illud axioma, quod in definitionibus
non exprimitur actus, sed aptitudo, intelligitur de illo
actu, qui accidit rei constitutæ, non de illo, quo ipsa
constituitur in esse, sunt autem res quamplures, quorum
essentia consistit in aliquo actu, nam Deus constituitur
per actualitatem existendi, quantitas per actualem exerci-
tatem partium, non per aptitudinalem tantum, substantia
per actualem perfectitatem, & sic de aliis, sic igitur in
proposito etiam relatio constituitur per actualem referen-
tiam.

Hæc est vera solutio, sed adhuc indiget explanatione,
nam adhuc objici potest, quod actus, seu exercitium refe-
rendi pendet ab existentia relationis, ergo cum existentia
non sit de essentia relationis, sed mere illi accidat, idem
dicendum erit de actu referendi: assumptum probatur,
quia relatio non actu existens, sed in potentia, non dicitur
actu referre, sed in potentia. Resp. actualitatem sumi
posse dupliciter, vel pro actualitate existentia, vel pro
actualitate quasi formali, prima utique accidit omnibus
essentiis creatis, at secunda non, nam essentia formarum,
quæ definiuntur esse actus in ordine ad effectus formales,
sive potentiales, sive actuales, illam de se habent intrin-
secam, sic igitur in proposito relatio etiam in potentia
tantum existens dicitur actu referendi, non ut actus ex-
cludit potentialitatem existentia, sed ut excludit potentia-
litatem referentia, & in hoc sensu negari potest assump-
tum, si tamen actus referendi sumatur pro ipsomet exerci-
tate referentia, potest concedi, quia relatio in potentia
dicit actualem referentiam potius in actu signato, quam
exercitio.

Q U E S T I O X.

Quæst. & quæ sint genera, & species relationum
quarti prædicamenti.

UT genera, & species investigemus seriem hujus prædi-
camenti constituentes, scrutandum prius est, unde
sumenda sit distinctio, vel unitas specifica relationum, &
declarandi sunt tres modi relativorum ab Arist. assignati
5. Met. hinc enim statim patebunt genera, & species hoc
prædicamentum constituentes.

ARTICULUS PRIMUS.

Unde sumenda sit unitas, vel distinctio specifica
relationum.

146 Consulto hic solum inquirimus de unitate, & di-
stinctione essentiali, & specifica relationum, non
autem de numerica, tum quia ex ea præsertim pendet sta-
tuere seriem hujus prædic. tum quia quid sit de numerica
dicendum, satis constat ex dictis q. 5. art. 2. Tres autem
præcipue extant in hoc negotio sententia, duæ extremæ,
& una media. Prima asserit relationes accipere adæquate
hanc unitatem, aut distinctionem a fundamentis, non vero
a terminis; Ratio ejus est, quia ad eundem specie, &
numero terminum possunt plures relationes specie diversæ
tendere, ut ad eandem albedinem relatio similitudinis al-
terius albedinis, & alterius nigredinis similitudo; si er-
go unus est terminus, & duplex specie relatio, sane uni-
tas, & distinctio specifica earum ex terminis attendenda
non erit, ita significat S. Th. 3. p. q. 35. ar. 5. & quol. 1. ar. 2.
& quol. 9. ar. 4. quem multi ejus discipuli sequuntur Fland.
5. Met. q. 16. ar. 10. Nazari. 1. p. qu. 32. art. 2. contriv. Cajet.
Mairii, & Bellui Tom. 1. Logica.

ibid. & q. 13. art. 7. Bannes ib. art. 3. dub. 2. ad 4. & alii. Al-
tera sententia e contra asserit relationes sumere unita-
tem, & distinctionem specificam a terminis, non a funda-
mentis; Ratio ejus est, quia in eadem omnino entitate
fundantur relationes specie diversæ, ut in eadem albe-
dine relatio similitudinis cum alia albedine, & dissimili-
tudinis cum nigredine, ergo cum hic sit duplex relationis
specie, & non duplex fundamentum, specificatio relatio-
nis a fundamento nequaquam sumi poterit, quæ opinio
communiter tribuitur Scotistis, eo quod sæpius ajunt re-
lationes specificari per terminos, seq. Sonc. 5. Met. q. 32. A-
raux 5. Met. q. 5. art. 6. concl. 3. & alii. Tertia tandem me-
dia, quæ verior est, & communior, statuit ab utroque de-
sumi, ita ex nostris quamplures, præsertim vero Jo. de Mag. c.
in hoc præd. q. 3. Zer. 5. Met. q. 19. seq. Suar. d. 47. sect. 17. n.
15. Ruvius hic q. 6. Mas. hic sect. 2. q. 6. Did. disp. 14. p. 2. q.
2. Sanc. l. 5. q. 38. Blanc. d. 12. sect. 17. Compl. disp. 14. q. 7.
Jo. de S. Tho. hic q. 17. art. 6. & alii passim.

Pro resolutione quæsti observandum ex Jo. de Mag. c.
& Zerb. in fol. ad art. relationum duplicem esse distinctio-
nem, unam intrinsecam, quæ nimirum attenditur penes
aliquod intrinsecum, & essentialia in relatione, extrinsecam
alteram, quæ attenditur penes aliqua, quæ licet nec-
cessaria sint ad relationis constitutionem, adhuc tamen ad
eam extrinsece concurrunt. Rursus recolendum ex dictis
fundamentum, & terminum relationis posse dupliciter sumi,
vel materialiter scilicet per entitates materialibus
eorum, vel formaliter per rationibus nempe formalibus fun-
dandi, ac terminandi relationem, hoc prænotato.

147 Dicendum est, distinctionem specificam intrinsecam
relationum sumi ex propriis, & intrinsecis earum differen-
tiis, extrinsecam vero sumi posse tam a fundamento, quam a termino,
non quidem materialiter, sed formaliter consideratis. Ita Doct. 2. d. 1. q. 5. in fol. ad 5. Hen-
rici, & 5. Met. q. 12. in corpor. quem sequuntur Scotistæ
omnes præsertim citati, & Recentiores passim 3. sent. Quo-
ad primam partem prob. quia rerum essentia distinguuntur
ab aliis essentialiter per eadem principia, quibus consti-
tuuntur, eadem namque sunt principia constitutiva, & di-
stinctiva, at relationes intrinsece, & essentialiter consti-
tuuntur per proprias differentias, cum enim sint acciden-
tia, non constant ex materia, & forma, & cum non sint
entia omnino simplicia, necessario exigunt compositionem
ex genere, ac differentia. Nec dicas, terminum, & fun-
damentum posse talem distinctionem intrinsecam conferre
relationi, tamquam partes ejus essentielles per modum ge-
neris, & differentia. Licet enim hoc dici possit in opi-
nionem Nominalium constituentium relationem ex termino,
& fundamento, velut ex partibus intrinsecis, quibus nil
prorsus superaddat; tamen in nostra sententia eam ab ex-
tremis distinguente realiter, nequaquam dici potest, quia
sicut distinguuntur ab entitate termini, & fundamenti, ita
habet sua intrinseca principia, quibus distinguuntur ab illis,
quæ sane alia esse nequeunt, nisi propria essentialia dif-
ferentia; tum quia genus, & differentia spectant ad i-
dem prædicamentum, ad quod res ipsa, fundamentum
autem, & terminus spectant regulariter ad aliud prædi-
camentum.

148 Quoad alteram partem prob. etiam, quia si termi-
nus, & fundamentum materialiter spectentur, utique ne-
quit penes illa sumi distinctio relationum specifica, quia
& super idem fundamentum in eo sensu fundari possunt
distinctæ specie relationes, & ad eundem terminum ten-
dere, ut bene probant prima, & secunda opinio. Cæte-
rum si spectentur formaliter, sane in hoc sensu relationes
specie diversæ petunt quoque terminum, & fundamentum
specie diversæ, aut saltem alterum eorum quod evidenter
ostenditur in ipsis exemplis pro prima, & secunda opinio-
ne adductis, nam albedo, ut dicit unitatem, fundat, vel
terminat relationem similitudinis, ut vero dicit pluralita-
tem, fundat, vel terminat dissimilitudinem, nam ratio for-
malis, & proxima fundandi, vel terminandi similitudinem
est unitas, dissimilitudinem vero pluralitas, ut art. seq. &
ex inadvertentia hujus distinctionis ortum est diffidium pri-
mæ, & secundæ opinionis, quia ut earum rationes ostend-
unt, loquuntur de termino, & fundamento materialiter
sumptis, non formaliter, igitur in hoc sensu verum est
posse relationes per fundamenta specificè distingui, ut de
facto distinxit Arist. 5. Met. cap. 15. & in eodem sensu
verum est quod frequenter ajunt Scotistæ posse quoque per
terminos distingui.

149 Dubium tamen est, an cum dicimus relationes spe-
cificari extrinsece a fundamento, & termino, id debeat in-
telligi conjunctim, itaut diversitas utriusque simul requi-
ratur ad diversitatem relationis, vel distinctum, itaut suf-
ficiat diversitas alterutrius. Hoc secundum asserit Joan-
de Mag. & probatur, quia sæpius videmus in eodem fun-
damento formali diversas specie relationes fundari ad di-
versos terminos formales, & e contra diversas specie re-
lationes super diversæ fundamenta radicatas ad eundem
terminum formalem tendere, quod constat, cum idem ef-
fectus terminat relationes diversarum causarum, & alterius
rationis, & e contra fundat diversas specie habitudines
dependentia ad illas, quia ex parte illius est semper ea-
dem.

dem ratio fundandi, & terminandi dependentias specie diversas, ergo ad diversitatem specificam relationum sufficit diversitas alterutrius scilicet vel termini, vel fundamenti; etiam si ad unitatem relationis specificam exigatur utriusque unitas, quod etiam affirmant Complut. cit. num. 8; esto exempla, quibus id probant, non sint ad rem, quia sunt de fundamento, & termino materialibus, videturque posse id probari ex illa Scoti generali regula 2. d. 1. q. 6. ad 1. princ. quod quacumque differentia sufficit ad distinguendum, sed non quacumque identitas sufficit ad perfectam identitatem aliquorum. Quod si tenere placeat cum aliis ad distinctionem specificam relationum necessariam esse distinctionem specificam utriusque simul, scilicet termini, & fundamenti, tunc dicendum cum eisdem, quod cum idem effectus terminat relationes diversarum causarum, non illas terminat sub eadem ratione formali; Sed alter modus dicendi magis aridet, quia hoc est multiplicare entia sine necessitate, & si percontemur, quænam sint ista diversæ rationes formales, sub quibus terminat, non erit ita facile ipsas assignare: Et juxta unum, vel alterum ex his dicendi modis resolyenda est difficultas de relationibus utriusque parentis ad eundem filium terminatis, quam Auctores, & præsertim Thomistæ hic tam anxie exagitant; vel enim negandum est relationes paternitatis, & maternitatis esse specie diversas; vel si id concedatur ob diversum modum concurrendi utriusque parentis, consequenter in filio quoque geminandæ sunt habitudines specie distinctæ ad singulos parentes in eadem ratione proxima fundatæ, vel in diversis, juxta relatos dicendi modos.

Hic vero observandum est, minus consequenter loqui Recentiores quamplures, qui tenentes cum Galen. l. 1. de femine, & Scot. 3. d. 4. q. un. matrem quoque esse principium generationis activum, statuunt etiam in patre, & matre unam specie relationem, quia inquirunt, secundum hanc viam eandem specie esse rationem fundandi in ambobus (sicut est virtus generativa ejusdem speciei) atque adeo respondet eis in filio una specie relatio. Falluntur Auctores isti, quia etiam si ambo ponantur concurrere active, virtutes tamen eorum, etiam in hoc genere activi concursus, sunt alterius rationis, quantum sufficit ad fundandas diversas specie relationes, ut innuit Doctor 1. d. 3. q. 7. §. Ad questionem, & Tat. notat 2. Phys. q. 2. §. Scientiam primo, ubi ait, quod licet pater, & mater sint causæ ejusdem speciei, in quantum quilibet est homo, non tamen secundum potentiam causandi, quia potentia generativa patris, & matris sunt alterius, & alterius rationis.

150 In oppos. objic. c. 1. relationem non posse specificari a termino, quia ab eo relatio habet unitatem, & distinctionem, a quo habet esse, quia eadem sunt principia essendi, & distinguendi, sed habet esse a solo fundamento, non a termino, ut dictum est q. 3. ar. 2. nam positio termino, ut condicione, efficienter dimanat a solo fundamento ex dictis ibidem, ergo a fundamento, & non a termino habet unitatem, & distinctionem. Resp. quod loquendo de unitate, vel pluralitate relationis quantum ad entitatem, & realitatem ejus, utique relationem non specificari, nisi a fundamento ob rationem allatam, quia re vera solum fundamentum est vera causa esse, seu realitatis relationis; cæterum quia inter alia accidentia hoc speciale invenitur in relatione, quod ultra habitudinem ad fundamentum, a quo accipit esse, & realitatem, ordinatur quoque ex propria natura ad terminum extrinsecum, ideo etiam inter alia accidentia hoc speciale habet, ut unitatem, & distinctionem accipiat, non solum ab eo, in quo, & a quo habet esse, sed etiam ab eo, ad quod est, & ratio hujus est, quia non habet esse a fundamento utcumque sed præcisè positio termino, quod etiam evenit in potentiis, quæ non dimanant ab actibus, & tamen ab eis specificantur extrinsecè, & actus etiam specificantur ab objectis, a quibus non semper accipiunt esse, ut habetur 2. de Anim. 33.

Dices, ergo re vera dici nequit relationem specificari a termino, quia cum non sit ejus causa, non videtur, in quo genere causæ possit hæc specificatio fieri. Resp. in rigore loquendo in nullo genere causæ ab eo specificari, sed tantum tamquam a condicione, & a quodam addito ad ejus esse, & intellectum necessario coæacto, quem specificandi modum solent Auctores reducere ad genus causæ formalis extrinsecæ, in quo etiam genere dicere solent potentias specificari per actus, & actus per objecta, atque ita inquirunt specificacionem relationis sumi a fundamento initiative, & radicaliter, quia est radix, & causa relationis, a termino vero complete, & formaliter, quatenus est id, in quo ultimo sistit relatio.

151 Secundo objic. e contra, quod nequeat specificari a fundamento, nam relatio similitudinis inter duas albedines, & relatio similitudinis inter duas nigredines, non distinguuntur specie, & tamen fundamenta specie distinguuntur. Resp. aliqui negando assumptum cum Jo. de Mag. cit. quia sicut albedo est alterius speciei a nigredine, sic & relationes unius albedinis, & unius nigredinis ad aliam specie ab invicem distinguuntur. Sed si isti concedunt unitatem unius albedinis, aut nigredinis cum alia esse ejusdem rationis utrobique, & ex sola diversitate entitatum albedinis, & nigredinis, præterdunt salvere diversitatem specificam

illarum relationum, parum consequenter loquuntur, nec argumento satisfaciunt, quia ad distinguendas specificè relationes non attenduntur fundamenta remota, ut sunt albedo, & nigredo, sed proxima, sicut sunt unitates, ut supra dictum est. Idcirco alii dicunt etiam fundamenta proxima specie distinguuntur, mirum etiam unitates ipsas, ac proinde relationes proxime in ipsis fundatas esse quoque specie diferentes, & quidem cum unitas sequatur naturam, velut ejus propria passio, ad diversitatem naturarum vero simile est etiam unitates ipsas variari; & hæc solutio absque dubio melior est præcedenti, si tenere velimus similitudines quoque variari specie ad variationem naturarum, in quibus reperitur.

152 Cæterum non desunt, qui sentiant similitudinem duarum albedinum esse ejusdem speciei cum similitudine duarum nigredinum, quia licet naturæ, quæ sunt extrema illarum relationum, sint alterius rationis, modus tamen unitatis, qui est ratio proxima fundandi illas, est utrobique ejusdem rationis, eo modo, quo dicimus proportionem duplicam inter duo, & quatuor reperiri esse ejusdem rationis cum ea, quæ reperitur inter quinque, & decem, etiam si numeri, qui illas fundant, specie inter se differant; sic etiam in relationibus rationis dicere solemus generalitatem in substantia fundatam esse ejusdem speciei cum ea, quæ fundatur in quantitate, quia nimirum idem est modus prædicandi utriusque; ita igitur dicunt in proposito, quod omnes paternitates sunt ejusdem rationis inter se, omnes item similitudines, & omnes dissimilitudines, quod enim reperiantur in his, & illis naturis profus accidentale est per se rationibus earum, & hunc dicendi modum Blanc. supra cit. judicat probabiliorum. Quod si dicas magis distinguuntur duas relationes similitudinis fundatas in albedinibus, quam duas, quarum alia inter nigredines fundatur, sed priores numero distinguuntur, ergo posteriores debent specie distinguuntur. Ad hoc sæpius dictum est in simili tractando de secundis intentionibus majorem illam distinctionem non esse essentialem, sed accidentalem, & hæc responsio, aut est probabilior præcedenti, aut certe magis necessaria ad sedandam gravem illam difficultatem superius motam quæst. 5. ar. 2. in fine de processu relationum in infinitum fundando unam super aliam, ut ibi innuimus; nec eam inficiari debet ullus Scotista, quia eam expressis verbis docuit Doct. 5. Met. q. 12. in sol. ad 1. ubi ait super duo generalissima fundari posse relationes ejusdem speciei, quia non est necesse tantam esse distinctionem in relationibus, quanta est in fundamentis, præsertim remotis, idem tenet Didac. disp. 14. 1. p. q. 2.

ARTICULUS II.

Declarantur tres modi Relativorum ab Arist. 5. Met. assignati.

153 Tres modos Relativorum assignavit Arist. 5. Met. c. 15. docens quædam relativativa dici secundum unitatem, vel numerum, seu multitudinem, ut simile ad simile, æquale ad æquale, duplum ad dimidium, quædam dici secundum activam potentiam, & passivam, ac etiam potentiarum actiones, ut calefactivum ad calefactibile, calefaciens ad calefactum, & omnino activum ad passivum, quædam tandem, ut mensurabile ad mensuram, & scibile ad scientiam; & scibile ad sensum; Itaque ex triplici fundamento, ut passim tradunt Interpretes, tria distinguit genera relationum, quarum primum est earum, quæ in unitate, vel pluralitate, seu numero fundantur, ut æquale, simile, & idem, quæ super extremorum convenientiam fundantur; duplum, & dimidium, quæ fundantur super disconvenientiam. Alterum est earum, quæ in actione, vel passione, seu potentia activa, & passiva, ut paternitas, & filiatio, & in universon relatio causæ, & effectus. Tertium denique illarum est, quæ fundantur super mensuram, & mensurabile, ut scientia, & scibile; & addit Arist. relationes hujus tertii generis non esse mutuas, quia scientia realiter refertur ad scibile, non tamen e contra; relationes vero primi, & secundi generis docet esse mutuas; cuius divisionis sæpius meminit Doctor, sed præsertim 5. Met. q. 12. & 1. d. 3. qu. 5. & d. 30. qu. 2. §. Respond. ad 1. quæst. & quol. 13. V.

Explicatur primus modus Relativorum.

154 Circa Relationes primi generis advertendum est, quod cum ait Arist. eas fundari in unitate, vel pluralitate, seu numero, pro unitate nimirum quantitatis continuæ, & numero orto ex divisione continui, quia tunc relationes istius generis, non nisi in prædicamento quantitatis essent, sed sumuntur transcendentaliter, quatenus suo modo in unoquoque genere reperiri possunt, ut docet Scot. 1. d. 19. quæst. 1. & in 2. disp. 3. quæst. 1. B. & D. Th. q. 7. de potentia art. 9. quem sequuntur Compl. hic q. 4. & passim alii; & quamvis exempla ab Ar. allata unitatem, ac multitudinem innuant quantitativam, satis tamen constat, ejus mentem fuisse fundamentum relationum hujus generis ad alia quoque prædicamenta extendere, in quantum in-

duant modum quantitatis, seu secundum quod in eis attenditur unitas, vel multitudo, nam postea subdit, eadem esse, quorum substantia est una; similia quorum qualitas una; æqualia, quorum quantitas una: quo autem sensu intelligi debeant Scot. & S. Th. dum 5. Met. docent relationes primi modi fundari super rem de genere quantitatis, bene explicat Zerb. 5. Met. q. 18. §. Propter tertium.

Rursus est observandum, quod cum inquit Arist. relationes hujus primi generis fundari in unitate, vel pluralitate sic sumpta, per unitatem non intelligit aliquid, quod reipia unum sit in extremis relatis, natura enim hominis, & Leonis, aut Petri, & Pauli non dicitur una in ambobus, quasi sit una, ac eadem entitas, ratione cuius inter illa extrema resultat relatio identitatis genericæ, vel specificæ, sed intelligit convenientiam in aliquo prædicato communi utriusque, quod proinde dicitur unum, non per inexistentialitatem, sed per solam indifferentiam, in quo sensu dumtaxat duo individua ejusdem speciei dicuntur unitas, & ejusdem naturæ, ut diximus disp. 4. qu. 1. art. 1. & ex professo dicemus in Met. quam unitatem Doct. in 2. disp. 3. qu. 1. vocat formalem, & essentialem, ut eam a numerica condistinguar, quæ dici solet materialis; atque ita per numerum, & multitudinem intelligit pluralitatem entitatum alterius, & alterius rationis, & disconvenientiam extremorum in prædicato communi.

155 Cum ergo tripliciter extrema possint convenire, & unam naturam participare in hoc sensu, idest naturam ejusdem rationis, & e contra tripliciter disconvenire, hinc Arist. tres species assignavit ex parte unitatis, & totidem ex parte multitudinis, ex eo enim quia duo extrema convenire possunt in essentialitate, & substantia (per substantiam si quidem intelligit etiam Arist. essentialitatem, & quidditatem, ut omnes hic exponunt) oritur identitas, quæ fundatur super unitatem substantialem, seu essentialem, quo sensu omnia individua tam substantia, quam accidentis dicuntur essentialiter ejusdem, & naturæ; Ex eo quia coavenire possunt in quantitate, quatenus quantitas unius non excedit quantitatem alterius, neque exceditur, oritur æqualitas, quæ fundatur in quantitativis, non quatenus sunt ejusdem naturæ, & rationis essentialis (sic enim fundant identitatem) sed ratione actualis extensionis, quatenus hæc tanta est in extensione, quanta est illa, ex eo tandem, quod convenire possunt in qualitate, oritur similitudo, quæ pariter fundatur in qualitativis, non quia sint ejusdem naturæ, ac essentialis (sic enim & ipsæ fundant identitatem) sed ratione ejusdem intensiois. E contra vero, quia extrema tripliciter disconvenire possunt, participando, scilicet, naturas alterius rationis, totidem species oppositæ oriuntur ex parte multitudinis; ex eo enim quod aliqua duo habent naturas alterius rationis, dicuntur diversa; ex eo, quod habent diversas qualitates, vel eandem, non tamen in eodem gradu, dissimilia dicuntur, & tandem ex eo, quod inproportionata sunt in quantitate, dicuntur inæqualia. Verum tamen est id, quod advertit Doct. in Met. loc. c. & 1. d. 19. q. 1. has omnes species vagari per totum genus entis, si metaphoricè sumantur, nam omne ens alteri comparatum est idem, vel diversum, in aliquo prædicato est æquale, vel inæquale quantitate virtutis; est simile, vel dissimile, quatenus quodcumque ens propriam habet differentiam, quæ ab Ar. 5. Met. appellatur qualitas.

Sed objicies, Unitas, quæ est fundamentum relationis, debet esse unitas plurium, nam unitas uniuscujusque ut sic, non fundat relationem ad aliud, sed omnis unitas plurium re distinctorum est unitas rationis, quia in creatis nulla una, ac eadem entitas realis reperitur in duobus re distinctis, ergo nulla relatio ex parte unitatis est realis. Item multitudo, & numerus pluralitate constituitur, ac divisioe, quæ in negatione formaliter consistit, unde inæqualitas v. gr. in hoc proxime fundatur, quod hæc quantitas aliquid non habet, quod habet alia, ergo nulla relatio ex parte multitudinis est realis, quia fundamentum reale, & positivum non habet.

156 Resp. concessa majori neg. min. cujus probatio concludit tantum de unitate formali per inexistentialitatem, nam quacumque talis in creatura nequit esse realis, at non probat de unitate formali, per indifferentiam; hæc enim est unitas realis, ut fuisse ostendit Doct. cit. 2. d. 3. q. 1. & hæc est, quæ ponitur fundamentum harum relationum primi generis. Ad aliud, licet multitudo aliquo modo negationem involvat, supponit tamen reales, & positivas entitates, quarum una est diversa rationis ab alia, atque ita relatio diversitatis v. g. fundatur in homine, & leone, non ratione illius negationis præcisè, sed ratione propriæ essentialitatis uniuscujusque, quatenus secundum unitates formales sunt plures essentialiter; relatio inæqualitatis dimidii ad duplum fundatur in dimidio, non ratione defectus magnitudinis extremi oppositi, sed in sua propria entitate, quatenus hæc tanta est, & non major. Non ob id tamen contendimus, omnes relationes ad hunc primum modum pertinentes esse reales, sicut enim Unum multiplex est, unum numero, specie, genere, & proportione, ita identitas fundata super hoc, & illud unum ad hunc primum modum spectabit, etiam identitas numeralis, quæ apud omnes est relatio rationis, quia est ejusdem ad seipsum, imo Arist. sub hoc

genere expressè recenset proportionem omnes inter numeros ab Arithmetice excogitatas, quæ utique omnino reales non sunt, cum assignari nequeat subiectum per se unum harum relationum, quia numerus non est re vera unum per se ens, quod de transcendentali concedunt omnes, in quo tamen proportionem fieri possunt, non secus ac in prædicamentis.

Solent hic Auctores disputare, an relationes reales hujus primi generis fundentur in unitate specifica solum, an etiam in generica, & analogica; & licet nonnulli id negent, fere tamen omnes affirmant cum Ant. And. 5. Met. q. 14. ad 3. posse fundari in his omnibus unitatibus etiam analogica, dummodo sit talis, quæ dicat unum conceptum objectivum intrinsece convenientem utrique analogatorum, quia non minus sunt similes a parte rei, Petrus, & leo in ratione animalis, quam Petrus, & Paulus in ratione specifica hominis, servata proportione, & idem arg. fieri potest de unitate, seu convenientia analogica. Nec refert, quod differentia specie, etiam si genere conveniant, dicantur simpliciter dissimilia, ut constat de albedine respectu nigredinis. Nam licet verum sit diversitatem specificam vocari absolute diversitatem, adhuc tamen identitas generica in suo ordine dicitur simpliciter talis. Imo etiam ipsamet unitas numeralis potest esse fundamentum relationum realium hujus generis, sensu superius explicato q. 7. ut si eadem numero albedo poneretur in duobus subiectis, dicerentur realiter similia, quod bene notavit Bonet. in hoc prædicamento.

Exponitur secundus Relativorum modus.

157 Circa Relationes secundi generis est dissidium nota leve de earum fundamento proximo, seu ratione fundandi, an sit actio, & passio, vel potentia activa, & passiva, proxima, & formalis, vel potius demum substantia ipsa, quæ est principium radicalis actionis, & passionis. Thomistæ passim docent esse ipsam actionem, & passionem ex D. Th. 1. p. q. 28. a. 4. & 4. contra gent. c. 24. & 3. d. 8. q. 1. a. 5. ita Cajet. 3. p. q. 25. a. 5. Javell. 5. Met. q. 21. Sanch. l. 3. Log. qu. 31. Scot. hic & 5. Phys. q. 2. a. 1. Compl. cit. Jo. de S. Th. & alii, quod probant, nam illud est proximum fundamentum relationis, quo positio etiam si cætera non ponantur, relatio ponitur, & quo sublato, etiam cæteris remanentibus non ponitur, talis autem est actio respectu paternitatis, v. g. nam eo ipso, quod verum est hominem genuisse, verum, ac necessarium est habere relationem paternitatis ad filium, & quousque non ponitur actio, etiam si alia adsint, non confurgit relatio, ergo &c.

Hanc opin. Doct. frequenter refellit, hæc præsertim ratione, quia ratio fundandi, seu fundamentum proximum tamdiu permanere debet, quamdiu manet relatio, sed manet paternitas transacta actione generativa, ergo &c. ita 5. Met. c. 15. & q. 13. circa finem, & in 4. d. 6. q. 10. l. & d. 13. q. 1. V. & quol. 12. C. & alibi frequenter. Resp. Compl. concedendo relationes secundi generis posse sine fundamento proximo manere, dummodo maneat fundamentum remotum, quod est subiectum inhesionis earum; ratio hujus est, quia ratio fundandi in his relationibus solum est necessaria in fieri, & in primo produci relationis, non autem in fieri esse, & conservari ejus, sed ad hoc sufficit perseverantia fundamenti remoti, cui inhæret, unde in hoc præsertim differunt relationes hujus secundi generis a relationibus primi, quod illæ inhærent immediate fundamento proximo, ut v. g. similitudo proxime inhæret albedini, & ipsa mediante parietis, at non ita est de relationibus hujus generis, quia paternitas proxime inhæret substantiæ hominis generantis, filiatio substantiæ geniti, non autem fundamento proximo, quæ doctrina est Ravii, Didaci, Morisani, & aliorum, & quamvis hanc opin. non teneant, quam libenter Comp. receperunt, quia non minus idonea est ad suam opinionem tuendam.

158 Hæc solutio, sicut & doctrina, cui innititur, rejicitur a Doctore loc. cit. præsertim vero 4. d. 6. quæst. 10. quia fundamentum proximum, & formale, non tantum est causa relationis in fieri, sed etiam in esse, quod evidenter deducitur ex superius dictis de fundamento, & termino, relatio enim pender, & specificatur ab extremis, non utcumque, sed sub ratione formali fundandi, ac terminandæ constituitur, sicut ergo Petrus, & Paulus non specificant relationem similitudinis, nisi ut stant sub albedine, quæ est ratio fundandi illam; ita Petrus pater, & Paulus filius nequeunt specificare relationes paternitatis, & filiationis, nisi ut stant sub ratione formali illas fundandi. Tum quia sicut secundum suas entitates absolutas, & materiales non sunt nata hujusmodi extrema illas fundare relationes, ita neque conservare, quia conservatio relationis pender a modo fundandi. Tum quia falsum est etiam hujusmodi relationes non inhære immediate fundamento proximo, sicut relationes primi generis, nam si ignis calefacit medio calore, ut potentia activa, quæ illi sit ratio agendi, & ratio fundandæ actionem, utique relatio actionis æque immediate inhæret calori, ut similitudo albedini, & calor ab igne separatus dicitur agens, & calefaciens, sicut albedo separata a subiecto, similibus, & idem dicendum foret de paternitate respectu potentias generativæ, si hæc poneretur accidens realiter distinctum a

potentia generantis, ut ponit Thomista. Nec refert, quod potentia generativa non denominatur pater, sed substantia ipsa patris, quia non est necesse accidens semper denominare subiectum proximum, cui inhæret, nam intellectio utique proxime inhæret animæ nostræ, & tamen denominatio toti convenit homini, quod etiam cernitur in aliis multis accidentibus. Tum quia cum relationi in communi, ut sic, essentialiter competat pendere a ratione fundandi, & fundamento proximo, nedum in fieri, sed etiam in esse, & conservari, hoc idem omnibus, & singulis relationum speciebus convenire debet, quia id eis convenit ratione generis, non autem peculiari ratione differentie, atque ideo male per hoc secernuntur a prædictis Auctoribus relationes huius secundi generis a relationibus primi. Tum tandem, quia si aliquis reperitur effectus pendens a sua causa, nedum in fieri, sed etiam in conservari, talis præsertim censeretur debet qualibet relatio ob tenuem ejus entitatem.

159 Idcirco Jo: de S. Thom. hæc communem Thomistarum responsum moderatur, & inquit, quod actiones non dicuntur fundare relationes, secundum quod sunt in fieri, sed secundum quod in facto esse, hoc autem ita declarat, quia licet actio in se transeat, tamen in causa relinquit determinationem quandam ad effectum jam positum, sive per habitum, sive per dispositionem, aut jus, vel aliquid simile, ratione cuius potest fundare relationem ad illum, quæ fuit responsio cujusdam Torceliani apud Flandiam 5. Metaph. quæst. 16. art. 4. talem autem relinquit in causa determinationem ex actione præterita ex eo arguit Jo: de S. Thom. quia transacta actione, causa non amplius ordinatur ad effectum, ut ante illam, quia ante illam ordinatur ad effectum, ut possibilem ab ea produci, at post illam ordinatur ad eum, ut impossibilem amplius ab ea produci, quia causa creata non potest reproducere eundem numero effectum, ceterum neque hæc solutio satisfacit, quia non apparet, quinam habitus, vel dispositio relinquantur ex actione, in quibus fundari possit relatio ad effectum; & quod idem numero effectus nequeat a causa creata reproduci, provenit ex solo extrinseco Dei decreto, ut ostendimus disp. 8. Phys. quæst. 3. art. 1. & quando etiam ab aliquo intrinseco proveniret relicto in causa ex actione præterita, quod eam redderet impotentem ad illum reproduendum, jam hoc non esset ratio fundandi relationem realem ad illum, ad hoc genus spectantem, sed potius positive impediret, ne talem relationem fundare posset. Tum quia admissio etiam, quod ex actione præterita talis relinqueretur dispositio, vel habitus in causa, in quo fundaretur relatio ad effectum jam productum, tunc relationes huius generis non immediate amplius fundarentur in actione, ut contendunt Thomista, sed super qualitate, quod neque ipsi concederent.

160 Alia proinde sententia est Scoti loc. cit. ubi docet, non actionem, & passionem, sed potentiam ipsam activam, & passivam esse fundamenta proxima huiusmodi relationum, explicat autem id non debere intelligi de respectu, quem de se dicit potentia, sed de absoluto, quod a respectu denominatur, neque de potentia nuda, sed ut jam ad actum reducta per actionem, ita ut actio, & passio sint solum conditiones, sive dispositiones necessario prærequisite, fundamentum vero potentia ad actum reducta, quæ est communis Scotistarum Ant. And. 5. Metaph. qu. 14. Bonet. in hoc prædicam. Zerb. quæst. 18. §. *Proprietæ tertium*, Fabri ibid. disp. 25. & sequuntur hic Recentiores multi, Ruvius, Didac., Morif., Smigl., & alii, ac etiam nonnulli Thomista Soncin. 5. Met. qu. 25. ad 2. Flandr. citat. Araux. ibid. quæst. 5. art. 9. Et quidem magnum habet fundamentum in Arist. ibidem, dum ait *activa vero, & passiva secundum activam, & passivam potentiam, & potentiarum actiones*, quibus verbis utramque pertinere ad fundamentum docuit, potentiam quidem, ut proprie fundamentum, actionem vero, ut conditionem necessariam, & præviam dispositionem, sine qua nequit potentia fundamentum proximum esse, unde ut ait Doctor 4. disp. 13. cit. bene salvatur dictum Arist. ibi, quod relationes secundi modi dicuntur secundum potentiam activam, & passivam, ut secundum fundamenta, & dicuntur secundum actiones potentiarum, ut secundum dispositiones prævias ad illas relationes, & conditiones omnino necessarias, quia hæc relationes non configuntur ex extremis utriusque formalibus utrunque, quia si Petrus modo pater, & Paulus modo filius ponerentur per creationem etiam cum suis potentiis activis, & passivis, non essent formaliter inter se relati per paternitatem, & filiationem, sed necessario requireretur, ut unum produceretur ab alio, & potentia generativa Petri dederetur ad fundandam relationem paternitatis per productionem Pauli mediante ipsa, & e contra potentia passiva Pauli.

161 Ceterum contra hanc opinionem urgent Suarez disp. 47. sect. 12. Hurt. disput. 15. Met. sect. 10. & alii eandem rationem, quam Scotus urgebat contra primam opinionem, quia Petrus vivente filio potest amittere potentiam generativam, ut v. gr. si castrum, tunc enim præciditur seminis officina, vel saltem a Deo auferri potest, & tamen adhuc remanet pater, ergo potentia gene-

rativa non est proximum fundamentum paternitatis, quia hoc ablato concidit relatio, ut contra Thomista arguebamus. Nec valet respondere cum Ruvius, Didac. Morif. & aliis absurdum non esse relationes huius generis manere in suis subiectis etiam ablato fundamento proximo, & ratione fundandi. Nam hæc solutio abunde nuper rejecta est. Neque etiam ipsi Scotista sunt ab hac difficultate immunes, eo quia Doctor non distinguit realiter potentias proximas agendi a radicalibus 2. disp. 16. quæst. unic. ut faciunt Auctores relati, Quamvis enim ita non distinguat illas, si accipiantur potentia organica incomplete, ut sunt partiales animæ perfectiones, tamen si complete accipiantur, pro constituto, scilicet, ex determinato organo, & partiali animæ perfectione, eas realiter distinguit, nec illis oppositum docet, quia sapius hominem videmus orbati potentis sic sumptis; certum est autem, cum inquit Doctor paternitatem fundari in potentia activa, loqui de illa in hoc secundo sensu, non in primo, quia potentia generativa in hoc sensu, est proximum principium, & fundamentum procedendi unius ab alio, ut de se constat, nam sine organo non est potentia generativa reducibilis ad actum, atque ideo nec relationem paternitatis fundare potest.

Idcirco Suarez, & Hurt. cit. cum aliis, ut melius viderent idemnitati relationis, asserunt eam neque in actione, neque in potentia proxima fundari, sed in radicali, id est in ipsa substantia proxime, & immediate, quia pater relationem paternitatis in actu habet, non solum postquam transit actio, sed etiam si potentia generandi amittatur. Verum neque hæc opin. placet, quia relationes huius generis sunt relationes originis, vel processionis unius ab alio, ergo proximum principium huius processionis est ratio fundandi tales relationes, tale autem principium non est ipsa substantia patris, sed potentia ejus generativa complete sumpta, ut dicebamus. Conf. quia ut Petrus referatur ad Paulum, ut pater ad filium, non sufficit intelligere substantiam utriusque præcisè, sed in substantia Petri debet concipi aliquid quasi pertinens ad rationem agendi, ut substantiam Pauli respiciat in ratione effectus, ergo nuda substantia nequit esse ratio fundandi paternitatem, cum sine potentia generativa effectum non attingat.

162 Pro resolutione huius dubii notandum est inter effectus aliquos esse, qui a causa secunda essentialiter dependent, non solum in fieri, sed etiam in conservari, ut constat de lumine, sono, &c. alios vero ab ea dependere solum in eo instanti, quo fiunt, deinceps vero nullo modo, ut domus ab edificatore, filius a patre, &c. Cum ergo relationes huius secundi modi sint relationes originis, & processionis unius ab alio, effectus primi generis, & in primo instanti productionis eorum, ac etiam deinceps fundat ad causam relationem realem dependentem, & causa e contra relationem oppositam ad ipsos, & si substantia ponatur immediate activa sine mediis potentiis realiter, vel formaliter ab ipsa distinctis, ut probabilis est (exceptis quibusdam animæ potentiis, ut in lib. de Anim. dicimus) tunc in ipsa immediate erunt fundatæ istæ relationes, si vero in quibusdam actionibus accidentalibus, & transentibus agit quoque media potentia accidentalibus, ut Sol illuminando, ita tamen ut & ipsa attingat effectum, tunc utrumque agens proportionatam fundabit relationem ad effectum, quia utrumque est verum agens in suo ordine; quod si non attingat effectum ullo modo, nisi media potentia accidentali, tunc in ipsa sola fundabit relatio.

Effectus vero secundi ordinis tantum in primo instanti fundant relationem realem dependentem ad causam, non autem deinceps, sed postea ex ipso actu causalitatis transacto remanet tantum denominatio, quod hoc fecit, & illud factum est, quæ utique est denominatio realis, non tamen relatio realis dependentiæ, & tales esse denominationes patris, & filii, nempe quod hic generavit, & ille genitus est, expresse docet Ar. 5. Met. c. 15. inquit enim, quod iste dicitur pater, quia fecit, ille filius, quia quid passum est; cui suffragatur communis loquendi modus, nam Paulum dicimus esse filium Petri, etiam ipso Petro defuncto, non alia ratione, nisi quia ab ipso genitus fuit. Et quod paternitas, & filiatio in creatis non dicantur relationes reales, probatur argueretur, quia tales utique forent causalitatis, & dependentiæ, sed postquam filius genitus est, non amplius a patre dependet in esse, ergo nulla ad est ratio deinceps fundandi relationes reales ad hunc modum spectantes, nam omnes istæ aliquam important dependentiam unius ab alio. Et in hoc sensu admitti possunt rationes Aureoli, quibus 1. disp. 30. part. 1. art. 2. probat relationes producentis, & producti ad secundum modum spectantes verb. gr. paternitatem, & filiationem non esse reales.

163 Dices, adesse etiam deinceps sufficientem rationem fundandi relationem, quia manent extrema, ad quorum positionem necessario resultat relatio intrinsecus adveniens, ut sunt paternitas, & filiatio. Contra, non quacunquæ extrema sufficiunt ad constituendam relationem intrinsecus advenientem, sed debent esse commensurata relationi, quæ inde insurgere debet, at talia extrema non sunt Petrus, & Paulus.

Paulus, qui fuit ab eo genitus, si secundum suas entitates considerentur, ergo præter illos oportet intelligi in uno extremo aliquid quasi pertinens ad rationem agendi, & in alio aliquam rationem dependentiæ, ut invicem referantur relatione reali huius generis, cum ergo perfecta generatione, nihil tale permaneat in extremis, fatendum est deinceps non invicem referri relatione reali huius generis. Confir. quia si urget alata objectio, etiam deberet dici generationem ipsam manere, cum maneat extrema, scilicet, generans, & genitum, & ipsa sit relatio intrinsecus adveniens, sicut ergo ipsa non manet, quia generans, & genitum secundum suas entitates non sunt extrema ejus formalia, sed materialia tantum, idem quoque de paternitate, & filiatione dicendum est; quod eo vel maxime est asserendum, quia paternitas, & generatio activa, filiatio, & generatio passiva non differunt, ut ex Scoto colligitur 3. d. 8. qu. unic. §. *Ad questionem*, ubi eas eodem modo definit, ut de se constat in relationibus divinis.

Dices, in divinis paternitatem, & filiationem esse reales relationes, ergo idem dicendum esse in creatis. Contra, immo ex hoc nostrum roboratur assertum, quia ideo in divinis id verum est, quia ibi actio generativa, & paternus influxus in filium perpetuo manet, ergo quia in creatis solum talis influxus ex parte causæ reperitur in primo instanti, & pariter dependentia ex parte effectus, deinceps vero hæc omnia cessant, remanente nuda entitate causæ, & effectus, asserendum est, paternitatem, & filiationem non dicere relationes reales, nisi in primo instanti, & tunc paternitas fundabitur super potentiam activam, ut fiat sub actu secundo; deinceps vero non dicere, nisi denominationes extrinsecas ex eo desumptas, quod ille genit, & iste genitus est. Neque ab hac sententia alienus est Doctor, nam in 3. d. 8. cit. sub D. proponens hoc dubium, an filiatio dicat relationem realem, tres adhibet responsiones, & quamvis tertiæ, quæ communis est, videatur adhærere, primam tamen, quæ est, quod filiatio fit sola realis denominatio ex actu generationis præterito, non improbat, sicut secundam, quam dicit esse absurdam, signum evidens illam censere probabilem, tertiæ tamen magis adhæret, ne a communi recedere videretur, & illa supposita locutus est de paternitate, quærens de illius fundamenti locis omnibus supradictis; Et hæc nostram opinionem de relationibus secundi modi, & ex eisdem motivis secutus est postea Poncius disput. 15. Log. num. 64. & seq. licet eam ibi proferat, tanquam suam, & proprio Marte inventam.

164 Pertinent autem ad hunc secundum modum relativorum, nedum relationes intrinsecus advenientes super potentiam fundatæ, sed etiam extrinsecus advenientes, præsertim de genere actionis, & passionis, ut Scot. notavit in 4. disput. 13. citat. in tertia explanatione, quam adhibet ad tex. 20. 5. Met. Arist. enim ibi in hoc secundo modo, nedum recentuit relationes causæ ad effectum, & producentis ad productum, sed etiam agentis ad passivum, & activi ad passivum, ut calefacientis ad calefactum; immo dicere possumus omnes in universum relationes extrinsecus advenientes sex ultima prædicamenta constituentes ad hunc modum reduci, quatenus in aliquo sensu omnes fundantur super potentiam activam, & passivam v. g. Ubi passivum fundatur in potentia passiva, quam habet corpus contentum ad locari, & Ubi activum in potentia activa, quam habet corpus continens ad locare, & sic de aliis. Spectant etiam ad hunc modum, nedum præfatæ relationes prædicamentales, sed etiam transcendentales, quæ fundantur super potentiam activam, & passivam, ut relatio productivi ad producibile, activi ad passivum, nam hic quoque enumerat relationem calefactivi ad calefactile, relationes enim huiusmodi si fumantur, ut dicunt naturalium aptitudinem v. g. ignis ad producendum calorem, aut calefaciendi aquam, sunt transcendentales, licet si fumantur, ut sunt ipsæmet relationes prædicamentales in esse possibili, & objectivo, adhuc in tali statu prædicam. dici debeant, quia ejusdem naturæ est homo actu existens, & homo possibilis, unde factum est, ut quedam relationes huius generis dicantur fundari in potentia abstracta ab actione, quales sunt illæ omnes, quæ respiciunt effectum, ut possibilem, aliæ vero fundantur in potentia, ut est sub actu secundo, quales sunt illæ, quæ respiciunt effectum in fieri, nam harum omnium atulit Aristotel. exempla in textu. Immo neque omnes relationes, quæ sub hoc modo recenset, sunt reales, nam quasdam enumerat, quæ fundantur in actione futura, ut quod facturum est, ad id, quod faciendum est, constat autem tales relationes non esse reales, quia non habent extrema actu existentia; nequit autem relatio habere majus esse in suis extremis; enumerat etiam relatio quædam, quæ dicuntur secundum privationem potentia, ut impossibile, & similia, de quibus omnino constat non esse relativa realia.

Explicatur tertius modus relativorum.

165 Circa relationes tertii generis est communis opinio, ut dicebamus ab initio art. distingui a relationibus, & Belluti Tom. I. Logi ca.

tionibus primi, & secundi modi penes fundamentum, quia nimirum istæ fundantur super mensuram, & mensurabile, non illæ, idque aperte docuit Scotus 5. Metaph. quæst. 13. dum ait in corp. quæst. hanc modum relativorum distingui a cæteris, non per mutuum dependentiam, vel non mutuum, sed per fundamenta alia, & alia, atque ita defendunt Ant. And. Faber, & enixe Zerb. 5. Met. loc. citat. Bargius 1. disp. 30. & alii Scotista, & passim Thomistæ omnes.

Verum hæc opinio, esto plausibilis, non est ad mentem Aristot. neque Scoti in lib. Sent. nec in se vera; non ad mentem Aristot. quia ipse 5. Met. text. 20. nunquam dixit has relationes fundari in ratione mensuræ, aut dici secundum rationem mensuræ, quemadmodum de relationibus primi modi ait dici secundum unum, & multa, & relationes secundi modi dici secundum potentiam activam, vel passivam; sed solum dixit quædam relatio dici, ut mensurabile ad mensuram, & scibile ad scientiam, & sensibile ad sensum, ubi potius hæc omnia posuit, vel distincta exempla, & non ut ostenderet scibile, & sensibile contineri sub mensura, & mensurabili, ut accurate notavit Suarez disp. 47. cit. sect. 13. Non satisfacit responsio Sanchez hic quæst. 50. ad princ. dum ait Arist. in illis primis verbis alia, ut mensurabile, ad mensuram explicasse communem rationem harum relationum, & fecisse propositionem universalem, quasi diceret, omnis mensura, & mensurabile est relativum tertii generis, & cum subiungit, & scibile ad scientiam, & sensibile ad sensum, resolvit illam propositionem universalem per copulativas, & ostendit per species, quod in genere dixerat, ut si dixisset, omnis homo est animal, & Petrus est animal, & Paulus est animal. Hæc solutio manifeste textum extorquet, quia in primis verbis dixit, alia dici ut mensurabile ad mensuram, si ergo hæc posteriora adhibuisset in exemplum priorum, ut contendit Sancius, colligere debuisset scibile se habere ad scientiam, & sensibile ad sensum, tanquam mensurabile ad mensuram, at res e contra se habet, quod scibile est mensura scientiæ, & sensibile sensus, & Aristot. eodem modo referri dixit mensurabile ad mensuram, scibile ad scientiam, & sensibile ad sensum; Non ergo tertium genus constituit Aristot. in ratione mensuræ, nec penes tale fundamentum a duobus primis distinguit, sed rationem ejus constituit in eo, quod intantum dicantur ad aliquid relatio huius generis, in quantum alia dicuntur ad ipsa, & distinguit a duobus primis, quia in illis est relatio realis mutua in utroque extremo, in hoc vero relatio non est mutua, quia non est realis, nisi ex parte unius extremi, unde ad hoc genus spectant relationes non mutue, ut sic, & denominationes in terminis earum resultantes ex tali terminatione.

166 Nec opinio illa est ad mentem Scoti, nam esto in Met. loc. citat. communior fecutus dixerit relationes tertii generis distingui a cæteris per alia, & alia fundamenta, non autem per dependentiam mutuum, & non mutuum; Tamen in lib. Sent. ubi majorem habet auctoritatem, & magis ex sententia loquitur, diserte docet hæc relatio præcisè distingui a relativis primi, & secundi generis, quod illa sunt mutua, non vero ista, ita in 1. disput. 3. quæst. 5. sub B. & disp. 30. §. *Respondetur igitur ad primam*, & §. *Ad argum. secund. quæst.* & infra disp. 35. idem reperit, & rursus quol. 13. sub V. & alibi frequenter, nec alium discretionis modum inter illa unquam memorat. Resp. Bargius loc. cit. distinctionem horum modorum dupliciter inquiri posse, uno modo effective, & extrinsece, & sic distinguuntur per fundamenta, alio modo intrinsece, & formaliter, & sic utique distinguuntur per mutuo, vel non mutuo referri, & quia id competit relationibus ratione diversitatis fundamentorum, nam relationes tertii generis ratione sui fundamenti non petunt in termino relationem realem oppositam, bene tamen relationes primi, & secundi, ideo prima differentia huiusmodi a primis duobus petenda est a fundamentis. Sed hæc responsio facile rejicitur, quia mox ostendemus hanc non mutuum dependentiam relativorum tertii generis illis convenire, non ratione sui fundamenti, quod ita postulet, sed potius ex difformi assignatione extremorum, quorum unum assignatur in actu, & aliud in potentia, unde hoc inducit inter relatio huius generis, & aliorum duorum potius differentiam accidentalem ex tali difformitate desumptam, quam essentialiam a fundamentis peritiam.

167 Ut igitur id magis pateat, & qualis sit distinctio huius tertii modi a duobus primis, an, scilicet, sit essentialis, num potius accidentaliter tantum, investigandum est, unde procedat, quod relationes huius generis non sunt mutue, aliorum vero utique. Supponimus autem ex dictis quæst. 6. artic. 3. concl. 1. illa dici relatio mutua, quæ a se invicem reciproce dependet per relationes oppositas utriusque realiter inhærentes, illa vero non mutua, quorum unum realiter fundat relationem, aliud vero tantum terminat, unde non tam est relativum, quam absolutum. Thomista passim hanc rationem asserunt, quia ut extrema invicem referantur relatione reali in singulis existentibus, debent esse ejusdem ordinis, sic enim innuit Div. Thom. part.

part. 1. quæst. 13. art. 7. & qu. 7. de pot. art. 10. & 2. contra gent. cap. 12. hæc autem conditio deficit in mensura, & mensurato, quæ pertinent ad hunc tertium modum, quia non sunt ejusdem ordinis, unde scientia referatur ad scibile, quia non est extra ordinem scibilis, sed scibile, quia est extra ordinem scientiæ, non referatur ad scientiam, sed hæc ratio passim rejicitur ab aliis, & præsertim a Durand. 1. disput. 20. quæst. 3. num. 7. Bassol. ibidem quæst. 1. artic. 3. & etiam ab ipso Scot. ibid. §. Contra primum, & quidem usque adhuc non ostenderunt Thomistæ, quæ, aut quanta esse debeat hæc communitas ordinis, nam vel intelligunt esse debere ejusdem ordinis idest invicem subordinari, & mutuo dependere, ut explicat Jo. de S. Thom. cit. & quia non ita se habent extrema tertii modi; ideo, &c. Et hoc non satisfacit, quia ut ait Doctor cit. est aperta petitio principii, id enim est, quod querimus, quare hæc extrema non sint mutuo subordinata. Vel intelligunt ejus ordinis idest prædicamenti, & hoc non, quia substantia, & accidens sunt hoc modo diversi ordinis, & adhuc inter se mutuo referuntur, vel intelligunt esse debere ejusdem ordinis idest generis naturalis, ut ait Fland. cit. art. 6. quomodo naturalia dicuntur esse alterius ordinis ab artificialibus, & supernaturalibus; & neque hoc, quia inter actus supernaturales, & potentias est relatio realis effectus, & causa; vel debent esse ejusdem ordinis idest ambo finita, & limitata, ut Hæru. 1. disput. 32. quæst. 1. qua ratione dicitur Deum ad creaturam non referri: & hoc in proposito non convincit, quia multa extrema relationum hujus tertii modi sunt ambo limitata, & tamen mutuo non referuntur: vel debent esse ejusdem ordinis idest ejusdem rationis quo ad causam relationis, ita ut inter ea sit solum relatio realis utrinque, in quibus est eadem causa referendi unum ad aliud, & eadem ratio fundandi relationes, quo modo duo alba dicuntur esse ejusdem ordinis, quia fundamentum relationis mutua est ejusdem speciei, & realitatis, ut videtur explicare Cajet. part. 1. quæst. 13. art. 7. & neque hoc satisfacit, quia tunc solæ relationes æquiparantur esse mutua. Tandem urget Bass. illa bene scibile in quantum efficiens scientiam est extra ordinem scientiæ, sicut in quantum mensurans, vel terminans, ergo si non obstante talis ordinis diversitate (quomodocunque explicetur) ut efficiens fundat ad ipsam relationem realem de secundo modo, sic etiam ut mensurans, & terminans, vel si talis diversitas ordinis hic impedit, etiam & ibi.

168 Ex alio igitur capite hæc ratio desumenda est, scilicet, ex difforni extremorum assignatione, ut supra innuebamus, & significat Doctor quæst. 12. Met. in fine, ubi proinde ait, quod si in hoc tertio modo extrema assignantur uniformiter, scilicet, vel ambo in actu, vel ambo in potentia, esset in eis mutua dependentia, sicut in aliis modis, in quibus uniformiter assignantur, quæ est communis doctrina Exposit. Arist. in hoc præd. Simpl. Boet. Amon. Porph. Cajet. Tol. & aliorum, quod amplius declarans Ant. And. 5. Met. q. 16. ad 2. notat scibile, & scientiam (quod pari modo de aliis relativis hujus generis dici debet) posse dupliciter accipi, uniformiter scilicet, ut ambo sint in actu, vel ambo in potentia, aut difformiter, idest unum in actu, alterum in potentia, primo modo habent mutuam dependentiam, & posita se ponunt, & perempta se perimunt, & sic scibile est ad aliud essentialiter, scilicet, ad scientiam in potentia, nec accidit scibili, quod sciatur in potentia, nam scibile non est scibile, nisi quia ejus potest esse scientia, quia si esset scibile, & ejus non esset scientia in potentia, esset scibile, & non scibile, simile est de scientia in actu, & scibili in actu; ad secundo modo non habent mutuam dependentiam, scibile enim non dependet a scientia in actu, quia potest esse scibile in potentia, cujus non sit scientia in actu, & sensibile in potentia, cujus non sit sensus in actu; unde hoc modo non sunt simul natura, nec posita se ponunt, ac perempta se perimunt, ut docuit Arist. in hoc prædico. juxta ergo hunc sensum, quem docuit in Logica, debet explicari in Metaph. quod nempe assignando relativa uniformiter, habent mutuam dependentiam, & ad primum, vel secundum modum pertinent; assignando autem difformiter mutuam dependentiam non habent realem, & ideo ad tertium modum spectant, cujus rei manifestum inditium est, quod assignando Aristot. relativa primi, & secundi modi, semper ea uniformiter assignat, ambo, scilicet, in actu, vel ambo in potentia, quod præsertim dignoscitur in secundo, ubi refert calefactivum ad calefactibile, scilicet, ad calefactum, deinde calefactum ad calefactum, quod ad id, quod fecit, & rursus, quod fecit, ad id, quod factum est, & id quod factum est, ad id, quod faciendum est, sic enim mutua semper ambo extrema præferunt dependentiam realem, vel saltem rationis in aliquibus; at assignando difformiter, non habent mutuam dependentiam, potest enim esse scibile sine scientia in actu, calefactibile sine calefactione in actu, mensurabile sine mensura in actu; & sic in aliis; quare ipsamet relativa primi, & secundi modi hoc modo assignata, nempe difformiter, spectant ad tertium modum, quod enim assignatur in actu, vere, & realiter referatur ad id, quod af-

signatur in potentia, ut scientia ab scibile, non e contra, quia scientia dependet a scibili, non scibile a scientia in actu: atque ita assignando hunc tertium modum Aristot. in Metaph. nil aliud docere voluit, quam illud idem, quod dixerat in Logica, relativa nempe difformiter assignata non mutuo referri, cujus rei inditium est, quod utrobique eisdem utitur exemplis scientiæ, & scibilis, sensus, & scibilis, nec revera intendit constituere hunc modum a duobus primis essentialiter distinctum.

169 Dices, etiam si extrema relationum tertii generis assignentur uniformiter, non ob hoc ambo referuntur realiter, ergo non ex difformitate assignationis eorum nascitur harum relationum non mutuitas, sed ex natura fundamenti hujus tertii modi essentialiter ab aliis condistincti. Probatur assumptum, nam assignata scientia in actu, & scibile in actu, scientia utique fundat relationem realem ad objectum, adhuc tamen in objecto nulla insurgit relatio, quatenus est terminus ejus, sed sola extrinseca denominatio sciti, & intellecti. Resp. neg. consequ. nam etiam in primo, & secundo modo dantur quædam relationes non mutua, ut relationes diversitatis, ac etiam causæ, & effectus inter Deum, & creaturam; hoc tamen non præjudicat mutuitati, quæ illis debetur ex ratione generica sui fundamenti, etenim non mutuitas interdum quibusdam convenit relationibus illorum modorum, non quidem per se ex ratione generica ipsarum, sed ex ratione specifica alicujus peculiaris fundamenti; sic etiam in proposito relationibus tertii modi convenit non mutuitas in universum ex sola difformitate assignationis extremorum, ita quod si uniformiter assignentur, reperitur in eis mutuitas, sicut in relationibus aliorum modorum; quod si interdum oppositum eveniat in quibusdam relativis, quæ etiam uniformiter assignata non referuntur mutuo, id non est ex ratione generica illorum, sed ex ratione specifica alicujus peculiaris fundamenti, & ideo non est sufficiens inditium, ut constituatur tertium genus ab aliis essentialiter distinctum. Accedit, quod esto assignando scientiam in actu, & scibile in actu, scibile non referatur realiter ad scientiam per relationem ipsi extrinsecam, tamen assignando ambo in potentia, tunc etiam scibile realiter referatur ad scientiam, & dependet a scientia in potentia, ut dictum est.

170 Tenendum ergo est, hunc tertium modum non distinguere essentialiter a duobus primis, sicut illa sunt inter se distincta ex essentiali fundamentorum diversitate, quia relativa aliorum modorum pertinent ad hunc tertium, quando uniformiter non assignantur, quod constat ex ipsis verbis Aristot. quæ non ponit aliam communem rationem relationibus hujus generis, nisi quia denominantur ex relatione existente in altero, ergo secundum ejusmodum in hoc genere non ponitur aliqua nova relatio, quæ sit intrinseca subiecto denominato, sed sola extrinseca denominatio sumpta a relationibus aliorum generum. Et hoc satis consentaneum est intentioni Aristotel. cap. illo 15. 5. Metaph. quia ut notat Doctor citat. 4. disput. 13. qu. 1. infra V. non intendebat ibi explicare solum naturam relationis prædicamenti, sed varios modos, quibus res denominantur relativæ (sicut in cap. de quali non tantum ponit species qualitatis, sed etiam modos) & distinguit duos generales modos, unum eorum, quæ denominantur, quia ipsa referuntur, & hæc dividit ex duplici fundamento, scilicet, quantitatis, & potentia; alia vero, non quia ipsa referuntur, sed quia alia referuntur ad ea, unde hic modus non addit novum genus relationis, sed solum specialem modum denominationis, quæ convenit terminis relationum pertinentium ad alia genera. Cum igitur scientia possit objectum suum respicere, vel sub ratione motivi, vel terminativi, vel mensurativi, ut notat Doctor 4. disput. 1. quæst. 1. sub S. relatione, quanz fundat ad illud in ratione motivi, spectat ad secundum modum, quia est relatio effectus ad causam; alia, quanz fundat ad illud in ratione terminativi, & vocat Doctor quol. 13. M. relationem attingentis, ac tendentis in objectum, spectat ad tertium modum, quatenus non est mutua, objectum enim quatenus terminus nullam fundat correlationem ad actum; si vero considereretur, ut fundatur in intrinseca proportione, & convenientia potentia ad objectum, ad primum spectat; relatio tandem ad illud, ut mensurativum potest esse duplex, sicut objectum potest bifariam constitui mensura scientiæ, potest enim esse mensura scientiæ quoad veritatem, quatenus notitia intantum vera est, in quantum exprimit objectum, sicut est, quo sensu de relatione mensurabilis ad mensuram locutus est Doctor quol. 13. citat. & proprie dici solet relatio conformitatis actus ad objectum, & sic appellatur a Doctore 1. d. ult. ad 1. & 4. d. 8. q. 2. V. quatenus actus debet esse expressa similitudo objecti, ut verus sit, non quidem per communicationem ejusdem formæ, sicut est albi ad album, sed per imitationem, sicut est ideati ad ideam ex Doctore quol. cit. O. & in hoc sensu quodlibet objectum est mensurativum sui actus, quia quilibet sum imitatur objectum, sicuti ideatum ideam; potest etiam objectum constitui mensura in perfectione, quatenus actus eo est perfectior, quo est perfectioris objecti, quo sensu de objecto men-

mensurativo loquitur Doctor cit. d. 1. qu. 1. & hoc modo non quodlibet objectum est sui actus mensurativum, quia mensurare hoc modo supponit in mensura majorem perfectionem, quam in re mensurata, ut notat Lic. quol. c. §. Sequitur in littera, cujus ratio est, quia mensura in perfectione fit per excessum perfectionis supra rem mensuratam, ut ait Doct. d. 2. q. 2. G. unde in hoc sensu potest objectum esse motivum, non tamen mensurativum, ut intellectio albedinis non potest per albedinem in hoc sensu proprie mensurari, quia albedo est accidens imperfectius ipsa intellectio; Itaque relatio mensuræ ad objectum in utroque sensu, si uniformiter assignetur extrema, ad primum modum spectabit, quia relativa illius modi dicuntur secundum convenientiam aliquam, vel disconvenientiam, sive secundum accessum quandam, vel recessum, mensuratur autem scientia ab objecto uno, vel altero modo per accessum ad illud, in conformitate quidem, & similitudine primo modo, & in perfectione secundo modo; potest etiam reduci ad secundum relativorum genus, si ex parte scientiæ spectetur ratio mensuræ passivæ, ex parte vero objecti ratio mensuræ activæ; Cum autem Doctor in 1. d. 3. q. 5. C. similitudinem præstat imitationis ait ad tertium modum spectare, non ad primum, ad quem rejicit tantum similitudinem univocationis, loquitur rigorose de primo modo.

171 Quæres, num omnes hujus tertii generis relationes sint transcendentes, an aliquæ etiam prædicam. & ratio dubitandi est; quia hæc relationes vel tendunt ad terminum in potentia; ut est relatio scientiæ ad scibile, sensus ad sensibile, vel tendunt ad terminum in actu, sine quo earum fundamentum existere nequit, quales sunt relationes creaturæ ad Deum quoad efficientiam, diversitatem, &c. Respond. non esse omnino certum, an omnes relationes tertii modi sint fundamento identificate, de relatione siquidem attingentia, quam habet actus ad objectum, Doctor manet anceps quol. 13. licet in 3. disput. 15. quæst. unic. ad 1. id affirmasse videatur, de quo in lib. de Anim. si ergo omnes hujusmodi relationes ponantur fundamento identificate, omnes erunt transcendentes, non autem si aliqua admittantur realiter distinctæ; aliquas autem tales dari in tertio modo est satis probabile, & forte talis est relatio dextri, & sinistri in animali in ordine ad columnam, quia in animali videtur esse realis, quia in ipso sunt cor, & alia organa, a quibus dextra pars trahit robur, & vires, in columna vero nulla respondet realis correlatio, sed dicitur dextra, vel sinistra sola denominatione sumpta a justa positione animalis.

ARTICULUS III.

An præfati tres modi sufficienter assignentur, ac velut adequata, & propria genera quarti prædicamenti.

172 Quidam asserunt, modos relativorum jam declaratos non esse sufficienter assignatos ab Arist. nec minus velut adequata, & propria genera hujus prædicamenti, quia Arist. ibi 5. Metaph. non intendebat tradere, nec adequatam totius relationis divisionem, nec propriam hujus prædicamenti, ita Averfa quæst. 19. Log. sect. 7. Alii e contra contendunt hanc esse adequatam totius relationis divisionem, & hæc tria genera acceptant velut adequata, & propria hujus prædicamenti. Alii tandem fatentur quidem esse sufficientem divisionem omnes modos relativorum complectentem, negant tamen membra illius constituere proprias, & adequatas species, vel genera hujus prædicamenti, quia divisio illa est longe majoris ambitus, ita significat Scotus 4. dist. 13. cit. quæst. 1. V. dum inquit, quod Arist. in hac divisione non tantum ponit species relationis, sed etiam modos, secundum quos aliqua dicuntur ad aliquid, quæ sententia verior est, & ad Arist. mentem magis accommodata.

Dicimus itaque primo tres modos relativorum esse sufficienter assignatos, ita Doctor c. & 5. Metaph. quæst. 12. ubi etiam Ant. And. Zerb. Faber, & alii Scotistæ, ac Thomistæ; Prob. quia esto Arist. non exprimat in particulari omnes relativorum modos, sed solum manifestiores, ut notat ex Scoto Zerb. cit. §. Propter secundum, illos tamen ita assignavit, inquit Zerb. ut omnes alii facile reducuntur ad eos per quandam similitudinem, & analogiam; hoc autem probari potest recensendo omnes illas relationes, quæ videntur facere difficultatem. Sunt autem in primis relationes causæ materialis, formalis, & finalis ad suos effectus, quæ non fundantur in unitate, & mensura, ut patet, nec in potentia activa, cum hæc sit propria efficientis. Est etiam difficultas de relationibus propinquitatis, & distantia, coexistentia, dextri, & sinistri inter columnam, & animal, non enim facile est assignare modum, ad quem pertineant, ex tribus illis. Insuper dubitatur de relatione unionis, quæ certe ad secundum, & tertium modum nequit reduci, quia est mutua, & non fundatur in actione, neque etiam ad primum, quia aliud est convenientia, & unitas, quæ ibi assignatur pro fundamento, aliud unio, & conjunctio duorum, quæ possunt

esse inter se omnino distincta, & genere, & specie, ut constat de unione accidentis cum substantia, humanitatis cum Verbo, &c. Rursus est dubium de relatione amoris ad amabile, & universaliter appetitus ad appetibile, quæ relatio realis est, & non fundatur in unitate, vel actione, ut constat, neque in ratione mensuræ, quia in amore non est veritas, quæ mensuratur per objectum amabile.

173 At si paulo latius sumantur fundamenta primi, & secundi modi, omnes præfate relationes, & alia confimiles ad illos reduci poterunt ratione fundamenti, & ad tertium, quando mutua non fuerint, ratione non mutuitatis, unde si potentia activa ample sumatur pro potentia causativa, quæ in omni causa reperitur ad suum effectum, sic omnes relationes causarum ad secundum modum spectabunt, & in tali potentia fundabitur propria causalitas. Et si fundamentum primi modi ampliuscule sumatur, unitas nempe, & multitudo, seu numerus pro convenientia duorum, aut disconvenientia in aliquo prædicato essentiali, aut accidentali, propinquitas, distantia, & coexistentia, & confimiles relationes ad primum modum attingent, nam sicut æqualitas duorum palmarum est convenientia in quantitate, duorum alborum in qualitate, ita propinquitas erit disconvenientia in loco, & accessus, distantia erit disconvenientia in loco, & veluti recessus abinvicem in illo prædicato, coexistentia erit duorum convenientia in hoc, quod ambo existunt in eadem duratione, & sic de aliis; relatio autem dextri, & sinistri, aut realis non est, sed mera denominatio extrinseca ex positione animalis desumpta, vel si est realis ex parte animalis, fundabitur in virtute motiva illius potente corpus collocare in tali, vel tali situ in ordine ad columnam, atque ita ratione fundamenti ad secundum modum spectabit, ratione non mutuitatis, quia ex parte columnæ non correspondet realis correlatio, spectabit ad tertium. Relatio unionis ad primum modum attingit, si unitas, quæ ibi fundamentum statuitur, ultra unitatem identitatis extendatur ad unitatem unionis, per quam aliqua duo in uno tertio associantur, ut docet Scot. 2. disput. 12. quæst. 2. ad 1. ut materia, & forma in composito, duæ quantitates in uno indivisibili, potest etiam reduci ad secundum, cum sit relatio extrinseca adveniens de prædicamento habitus, ut dictum est in Infit. & magis infra constabit, & omnia hæc illa ultima prædicamenta reduci possunt ad secundum ea generali ratione, qua unumquodque in activum, & passivum dividitur, ut dictum est art. præc. quod si inter aliqua extrema non sit mutua, ut est de unione humanitatis ad Verbum, ratione non mutuitatis spectabit ad tertium modum. De relatione tandem amoris ad objectum suum dicendum est, ut supra de relatione scientiæ ad scibile, quod si consideretur in actu amoris relatio attingentis ad objectum, qui respectus ei convenit, quatenus actus vitalis est, reducitur ad primum modum, quatenus actus fundatur in intrinseca illa convenientia, & proportionem, quæ necessario exigitur inter potentiam, & objectum, sed quatenus est non mutua ex parte objecti, spectat ad tertium: si referatur ad objectum, ut effectus ad causam; spectat ad secundum; si tandem ut mensurabile ad mensuram, non quidem in veritate, sed in perfectione, quatenus actus amoris eo perfectior est, quo tendit in objectum perfectius, spectabit ad primum modum, quia talis mensuratio in perfectione fit per accessum rei mensuratae ad mensuram in perfectione, accessus vero unius rei ad aliam in aliquo attributo non est, nisi convenientia aliqua hujus cum illa, sicut recessus in eodem est aliqua disconvenientia: quare sic ampliando fundamenta primi, & secundi modi ab Aristot. assignata, facile omnes relationes ad eos reducuntur, licet re vera Arist. solum manifestiores expresserit, ut inquit Doctor, ut inde alios deprehenderemus.

174 Dicimus 2. hæc tria relationum genera non esse propria, & adequata hujus prædicamenti, sed ex omnibus, & singulis illorum accipiendæ sunt relationes reales prædicam. intrinsecus adveniendæ, & constituendæ species hujus prædicamenti. Conclusio est Scoti loco citato 4. dist. 13. & prob. quoad omnes partes, & primò, quod non sint illi tres modi adequata genera hujus prædicamenti, quia re vera Aristot. ibi non intendit propriam, rigorosam hujus prædicam. coordinationem assignare, sed explicare omnes modos relativorum, ad quos unaqueque relatio potest fit aliquo modo reduci, non solum realis, sed etiam rationis, non solum intrinsecus, sed etiam extrinsecus adveniendæ, immo non solum prædicamentalis, sed etiam transcendentalis, ut ipsa Aristot. exempla ostendunt. Quod eo vel maxime credendum est, inquit Doctor. quia Aristot. in cap. præc. de qualitate etiam quædam enumerat, quæ non sunt de prædicam. qualitatis, quia non intendit ibi ponere tantum species qualitatis, sed omnes modos, quibus potest aliquid dici quale, ergo verisimile est eodem modo procedere in assignandis relativorum modis, atque ideo illa tria genera non sunt ab ipso assignata velut propria, & adequata hujus prædicamenti.

Quod autem ex illis generibus illæ solum relationes sint seligendæ, & ut species hujus prædicam. quæ sunt reales, & prædicam. ac intrinsecus adveniendæ, sequitur

ex prædictis, quia hoc genus non constituitur ex relationibus rationis, sed realibus, neque ex transcendentalibus, sed prædicamentibus, & his quidem intrinsecis advenientibus, non autem extrinsecis, quia illæ pertinent ad ultimam sex prædicam. Addimus autem huiusmodi relationes, & species affini debere ex omnibus, & singulis illorum generum ob nonnullos, qui hoc prædicam. continent solum ex relationibus primi modi, ut Averſa loc. citat. aut solum ex relationibus secundi modi, ut alii; sane hi, & illi falluntur, quia tam ex primo, quam ex secundo modo constructi potest, cum in utroque pariter adveniunt denominationes relativæ ad hoc prædicam. spectantes, immo etiam ex tertio modo poterit constitui, si in eo ejuſmodi adveniuntur denominationes. Non est autem opus subdividere, ut aliqui faciunt, relationes huius prædicamenti in relationes æquiparantæ, & disquiparantæ, item suppositionis, & superpositionis, vel divisione sibi propria, nam huiusmodi divisiones æque bene inveniuntur in relationibus extrinsecis advenientibus, de his vero divisionibus breviter diximus 1. part. Instit. tract. 1. cap. 7. & quia sunt parvi momenti, nil aliud occurrit addendum, de quibus tamen plura videri possunt apud D. D. D. in sua Dialect. cap. 50.

Q U E S T I O X I.

Declarantur affectiones relativorum.

175 **Q**uinq̄ue relativorum proprietates, vel potius attributa enumeravit Arist. cap. ad aliquid, & nos cum ipſo 1. p. Instit. tractat. 1. cap. 7. nimirum habere contrarium, suscipere magis, & minus, dici ad convertentiam esse simul natura, & esse simul cognitione, & definitione, circa quas nonnullæ occurrunt difficultates examinanda.

Primo circa primam dubium est, an solum competat relativis secundum dici, & transcendentalibus, an etiam relativis secundum esse, & prædicamentibus, & si his competit, num competat fundamentaliter solum, an potius etiam formaliter. Tar. hic not. 2. quem sequuntur Cajet. Complut. Didac. Suar. Ruv. Smigl. & alii, docet convenire relativis tantum secundum dici (de his enim exemplificat Arist.) secundum esse absolutum, quod importat, ut scientia, secundum esse absolutum, quod importat, contrariatur ignorantia, sed secundum relationem, quam eodem nomine dicit ad scibile, non dicitur habere contrarium. Alii extendunt hanc proprietatem etiam ad aliqua relativis secundum esse, quia Arist. 10. Met. 16. inter exempla contrariorum, non solum vitium, & virtutem enumeravit, sed etiam æqualitatem, & inæqualitatem, similitudinem, & dissimilitudinem, quæ sunt relationes huius prædicamenti, addunt tamen non formaliter, sed tantum ratione fundamenti contrarietatem his relativis accidere, ut simile, & dissimile contraria dicuntur, quia super qualitates contrarias fundantur, ita Scot. quaest. 16. prædicam. quem sequuntur Tolet. Amic. Masius hic citans D. Thom. opus. 38. c. de relat. Albert. Ammon. Simplic. Boet. Lovanicsf. & nos etiam dedimus ut communem 1. p. Inst. loc. cit.

176 Sed quamvis ita ibi docuerimus, tum ut tritam Tyronibus ostenderemus viam, ne statim ab initio peregrinis opinionibus eos deterreremus; tum quia communis illa opinio valde probabilis est, & Scoto consentanea loc. cit. addimus tamen nunc adhuc forte probabilius esse contrarietatem propriam competere quibusdam relativis secundum esse, etiam formaliter secundum esse relativum, ita videtur expressè docuisse Doctor 1. d. 3. quæ 7. T. & 2. d. 25. qu. un. L. ubi distinguit tres relationum realium secundi modi species, quædam important dependentiam essentialem, ut causæ ad causatum, aliæ sunt relationes originis sine tali dependentia, ut paternitas, & filiatio in divinis; aliæ tandem important dependentiam tantum accidentalem, ut movens, & motum; subdit deinde relationes tertii generis non repugnare in eodem subiecto, sicut repugnat albedo, & nigredo, bene tamen relationes primi, & secundi generis, quia idem non potest causare, neque producere seipsum: unde tandem concludit relationes aliquas repugnare in eodem subiecto, non ratione oppositionis relativæ, quia aliquæ relationes oppositæ possunt esse simul, ut relatio activi, & passivi, moventis, & moti, sed ratione dependentiæ essentialis, aut aliqua alia speciali ratione, ergo quibusdam relationibus secundum esse convenit contrarietas in Scoti sententia, quam etiam secutus est Ocham 1. part. suæ L. cap. 52 & nuper Averſa q. 19. L. sect. 8.

177 Prob. tum auctoritate Arist. 10. Met. 16. jam allata, nec sufficit dicere esse contraria fundamentaliter, quia æqualitas, & inæqualitas in quantitate fundantur, ubi non datur contrarietas, & dissimilitudo, potest etiam fundari in qualitatibus non contrariis, ut album ut duo, & ut sex, dissimilia quidem sunt, sed non contraria. Tum etiam ratione, quia certum est inter aliquas relationes esse repugnantiam circa idem fundamentum, ut paternitas, & filiatio, similitudo, ac dissimilitudo respectu ejuſdem, &

quidem ita repugnant adinvicem, ut non eodem modo pugnent cum alia disparata relatione, sed omnis talis repugnantia constituit oppositionem, ut patet disput. seq. quaest. 1. quia opposita sunt, quæ circa idem subiectum ita inter se repugnant, ut non æque pugnent cum tertio, cum ergo talis oppositio in istis relationibus non sit contradictoria, nec privativa, ut patet, nec relativa, cum non sint correlativa, ergo erit contraria. Nec sufficit dicere hanc contrarietatem non oriri ex vi ipsarum relationum, sed ex vi fundamentorum, quæ cum nequeant esse in eodem subiecto, consequenter, & ipsæ relationes incompossibiles sunt. Non valet; tum quia ad contrarietatem relationum ut dictum est, non semper est necessaria contrarietas extremorum; tum quia hoc ad summum convincit contrarietatem non ipsis convenire primario, non tamen convincit contrarietatem illam in ipsis quoque relationes formaliter non redundare. Confirm. tandem ex ipsa contrariorum definitione, nam ea sunt, quæ ab eodem subiecto se mutuo expellunt, & illi vicissim insunt, tales autem sunt similitudo, & dissimilitudo respectu ejuſdem termini, nequeunt enim esse simul in eodem subiecto, possuntque eidem successive inesse, quod enim erat alicui simile, postea fit dissimile, idque contingere potest etiam præcisa contrarietate formarum absolutarum, & quando contingit mediantibus formis absolutis, id ita fit, ut contrarietas non solum sit in formis absolutis, sed formaliter etiam in ipsis relationibus seu denominationibus relat.

Objicies. Tum quia Arist. cap. de quant. negat relativam habere contrarietatem, quod probat, quia si magnum, & parvum sunt contraria, idem simul contraria susciperet, nam idem simul est magnum, & parvum respectu diversorum; &c. ad aliquid dum ait relativam habere contrarium, exemplificat solum de relativis secundum dici. Tum quia formæ contrariæ activæ se expellunt ab eodem subiecto, ut constat de calore, & frigore in aqua, at non ita se expellunt similitudo, & dissimilitudo, etiam respectu ejuſdem termini, ab eodem subiecto. Tum quia contraria respiciunt subiectum, circa quod habent fieri, at relationes non respiciunt subiectum, sed terminum. Tum tandem, quia ut ait Cajet. tunc ad relationem daretur per se motus, ubi enim est contrarietas, ibi potest esse per se motus ex 5. Phys.

178 Resp. Arist. ibi negare voluisse relativam esse contraria ratione oppositionis relativæ præcise, quod utique verum est, quia ut ex Scoto diximus, quædam relationes oppositæ possunt esse simul, ut relatio activi, & passivi, moventis, & moti, licet ratio, quam ibi subdit Aristot. de magno, & parvo respectu diversorum, nihil concludat, quia in hoc sensu neque scientia, & ignorantia respectu diversarum conclusionum sunt contraria, unde Averſa ait Arist. ibi arguere ad hominem, quamvis autem cap. de relat. de solis relativis secundum dici exemplificat, non tamen alia excludit, unde 10. Met. 16. etiam de relativis secundum esse exemplificat. Ad 2. non est necesse formas contrarias activæ se expellere ab eodem subiecto, nam etiam secundæ qualitates, quæ habent proprie contraria, ut albedo, & nigredo, non se expellunt in genere causæ efficientis, sed formalis, quod sufficit. Ad 3. neg. min. cum enim relatio fit ratio referendi subiectum ad terminum, dicit ordinem ad utrumque. Ad 4. alia est contrarietas, quam Arist. 5. Phys. exigit ad motum, ab ea, de qua hic loquimur, nam per contrarietatem ad motum requisitam intelligit Arist. ibi distantiam terminorum motus, quam non nisi tempore potest mobile pertransire, unde ad quantitatem ponit motum, & tamen negat contrarietatem, de qua hic est sermo, non ergo ex ista contrarietate inferitur motus, sed ex illa; Accedit neque nos, neque Arist. negare motum ad relationem quomodocumque, sed motum per se primo, quia non acquiritur propria acquisitione, sed resultat ad positionem alterius.

179 Secundo altera affectio, scilicet, suscipere magis, & minus solet communiter explicari, quod quibusdam conveniat relationibus, non formaliter secundum se, sed tantum ratione fundamenti, aliquis enim dicitur magis, vel minus similis alteri secundum quod magis, vel minus participat qualitatem illi convenientem, atque ita etiam nos explicavimus in Inst. ut magis Tyronum capacitati inclinaremur. Verum si res ferretur pendatur, probabile est quædam relationes posse magis, & minus suscipere, etiam in suis entitatibus, & non in fundamentis tantum, ut ex professo docuit Mair. passu 31. super prædicam. quod etiam sentire videtur Tar. cit. dum in fine not. 2. concludit, quod relatio non suscipit primo magis, & minus, licet per se, & hoc mediante suo fundamento, quibus verbis significat hanc affectionem etiam per se in ipsis redundare relationes, licet dependenter a fundamentis, ut de contrarietate dicebamus. Prob. autem ratione a priori, quia licet quædam relationes consistant in indivisibili, ut æqualitas, duplum, & triplum, quæ fundantur in quantitate determinata, quæ proinde, ut in minimam variata, statim coincidunt relationes illæ, aliæ tamen non consistunt in indivisibili, sed habent latitudinem, ut notat Tatar. c. & tales præsertim sunt inæqualitas, & dissimilitudo, quia hæc dicuntur, cum alterum extremum deficit

ab illa indivisibili mensura, in qua fundatur æqualitas, & similitudo: cum ergo hic defectus non consistat in indivisibili, sed possit magis, & minus crescere, idem pariter est asserendum de inæqualitate, & dissimilitudine, quæ fundantur in eo; ubi nota, quod per talem defectum non intelligimus puram negationem, sed quantitatem, aut qualitatem illam indeterminatam, in qua talis negatio reperitur.

180 Resp. Complut. Averſa, Amic. & alii passim cum Fonsec. 5. Met. cap. 15. q. 5. sect. 2. relationes omnes consistere in indivisibili, ac proinde quando augetur, vel minuitur quantitas, vel qualitas, non augeri, aut minui relationes, sed variari, ita ut priores deperdantur, & acquirantur aliæ, unde esto quantitas, & qualitas, in quibus fundantur, habeant latitudinem, secundum quam possunt intendi, & remitti, non tamen quatenus fundantur relationes, quia ut sic habent rationem quamdam indivisibilitatis. Hæc tamen solutio facilius, & solide impugnatur, primo quia hoc inereſcit, ut dicebamus, inter æqualitatem, & inæqualitatem, quod illa in indivisibili fundatur, non ista, quia hæc fundatur in quantitate, ut deficit ab indivisibili mensura, in qua illa fundatur, talis autem quantitas habet latitudinem, quia quæcumque designatur, est divisibilis, & sufficiens ad fundandam inæqualitatem. Deinde cum duo colores sunt similes intensive, statim ac alter incipit remitti, incipit quoque dissimilis fieri, ita quod pari passu procedunt remissio, & dissimilitudo, & cum remissio fiat in tempore, etiam in tempore acquiri debet relatio dissimilitudinis, ac proinde suo modo debet habere latitudinem gradualem, vel si dicatur acquiri in instanti, cum dissimilitudo duret in toto motu, debentur admitti plura instantia immediata, ergo huiusmodi relationes, quæ habent latitudinem in fundamento, habent etiam latitudinem in se illi correspondentem, ita quod juxta intensiorem, & remissionem illius, etiam ipsæ in se intenduntur, ac remittuntur, ita etiam de inæqualitate dicitur Tatar. cit. dum ait fundari in quantitate indeterminata, & ad ejus variationem secundum majoritatem, vel minoritatem variari, non quidem indivisibiliter, ut ajunt Recentiores, ob rationem allatam, quæ etiam militat in augmento, vel decremento, sed divisibiliter, & continue. Hinc tamen non sequitur ad relationem posse dari motum per se primo, quia licet possit per se suscipere magis, & minus, non tamen primo, sed mediante suo fundamento, unde sicut non acquiritur, nisi ad acquisitionem alterius, ita non variatur in se per magis, & minus, nisi ad variationem alterius, ita notat Tatar. loc. cit. ubi etiam observat, quod cum dicimus relationes quædam posse in se magis, & minus suscipere, sed dependenter a fundamentis, hoc non debet intelligi, ita ut semper sit opus fundamentum in se suscipere magis, & minus, & variari eadem prout variatione, qua variatur relatio fundata, nam quantitas non suscipit magis, & minus, & tamen inæqualitas super eam fundata suscipit, & in exemplo allato de duobus coloribus in intensione similibus, dum alter remittitur, crescit, & intenditur dissimilitudo, non enim dici debet minui similitudo, quia hæc ponitur consistere in indivisibili; unde ob primum casum, inquit Tatar. ad hoc, quod relatio suscipiat magis, & minus, non semper requirit, quod fundamentum ejus suscipiat magis, & minus, sed sufficit, quod suscipiat majus, & minus, & ob secundum aut; quod aliquando relativum suscipit magis, quando ejus fundamentum suscipit minus, & contra, itaque ut relatio suscipiat magis, & minus, sufficit in fundamento qualicumque variatio, & mutatio, & hanc opinionem sequitur Smiglec. hic disp. 10. q. 14. Cæterum esto inæqualitas, & dissimilitudo habeant latitudinem quamdam, & forte etiam similitudo, quia duo colores pari passu intenduntur, crescit etiam proportionaliter similitudo inter illos; tamen inter inæqualitatem, & dissimilitudinem hoc versatur discrimen, quod inæqualitas proprie loquendo non suscipit magis, & minus, ratio est, quia cum latitudo sui fundamenti non sit secundum partes intensiōnis, sed extensionis tantum, consequenter etiam latitudo, quæ inde redundat in ipsam inæqualitatem, nequit esse nisi ejuſdem rationis, scilicet, extensionis, non intensiōnis, unde ex augmento, vel decremento quantitatis resultat proprie loquendo major, vel minor inæqualitas, non magis, vel minus inæqualis, ut notavimus cum Delphino 1. part. Inst. Quod eo vel maxime dicendum est, quia ut diximus disp. 7. q. 3. art. ult. suscipere magis, & minus est proprietates qualitatis sic adæquata, ut ipsi soli competat, & non aliis, nisi dependenter ab ea, unde non potest convenire relationibus, nisi in ipsa fundatis.

181 Tertio circa tertiam affectionem ajunt quidam relativorum convertentiam dicere mutuam dependentiam unius relativi ab alio per relationem realem in utroque extremo fundatam, atque ideo solis relativis mutuis convenire, & secundum esse; non autem relativis secundum dici, ita innuit Masius hic sect. 1. quaest. 9. Gregor. vero 1. d. 28. quaest. 1. ex hac mutua relativorum convertentia contendit semper, & in omni termino relationis inveniri aliam mutuan relationem realem, & omnia extrema esse correlativa, ac omnes relationes esse mutuas.

182 Verum communis omnium sensus est hanc esse affectionem omnibus relativis communem, mutuis, & non mutuis, secundum esse, & secundum dici, & consistere, non in mutua relatione reali sibi invicem correspondente, sed tantum in mutua denominatione, sive summarum ex relatione reali, sive rationis. Hoc totum deducitur ex ipſo Arist. progressu, tum quia inter alia exempla illud etiam adducit de scientia, & scibili, tum quia per huiusmodi convertentiam, & reciprocationem docere voluit mutuas denominationes relativas, quæ possunt exerceri ex parte utriusque extremi, non quod in omnibus reperiri voluerit veras, ac distinctas relationes, sed quod unum dicatur in ordine ad aliud, sive hic ordo sit realis, sive rationis, ut si dicimus Dominus servus dominus, valeat etiam dicere servus domini servus, sed huiusmodi denominationes exerceri valent, etiam si relatio sit realis ex parte unius extremi tantum, poterit enim fieri convertentia sumendo terminum sub relatione rationis, vel sub denominatione relativa ex terminatione relationis desumpta, hoc enim, vel illo modo semper extrema comparantur ad invicem, ut correlativa, quare non bene ex hoc intulit Gregor. omnes relationes esse mutuas, & omnia extrema esse realiter correlativa, quia hæc proprietates magis pertinet ad modum loquendi de relationibus, quam ad rem, & ad modum assignandi extrema earum, quatenus correlativa sunt. Oportet autem, ut docet Arist. in tex. convertentiam assignare relativam, ut inter ea fiat huiusmodi convertentia, si quis enim diceret servus hominis servus, non convenienter assignat, ut rite possit convertere, ut ergo fiat conveniens, ac idonea assignatio pro convertentia extremorum, assignari debet utrumque extremum sub nomine relativo, & fingere nomina, si non adsunt, sic enim assignata, semper utrumque extremum mutuo dicitur ad aliud; Ex quo deducitur hanc proprietatem competere omnibus, & solis relativis, quicquid hic dicant Soto, & Veracrucius quaest. 1.

183 At objicies, dici ad convertentiam esse esse simul natura, vel saltem illud inferri, at relativa non mutua non sunt simul natura, ergo non omnibus convenit relativis. Deinde e contra videtur etiam competere denominativis, nam album dicitur albedine album, & albedo albi albedo. Immo subiectum, & passio, & quædam propositiones solent dici ad convertentiam, ergo non competit solis relativis.

Resp. ad 1. quod relativa non mutua sunt ipsa quoque simul natura, ut substanti denominationi relativæ secundum quam dicuntur ad convertentiam. Ad 2. neg. assumptum, quia convertentia est mutua denominatio ratione alicujus habitudinis, denominatio autem non fit ratione habitudinis mutua. Ad aliud bene distinguunt Parisiens. nostri convertentiam, conversionem, & convertentiam, prima enim est proprietates rerum, vel terminorum inter se æqualis universalitatis, altera est propositionum, qua una vertitur in aliam mutata, vel servata quantitate juxta regulas Summulist. tertia tandem est mutua denominatio ratione alicujus habitudinis, quæ solum convenit relativis.

184 Quarta, ac insignis relativorum affectio est esse simul natura, id est simul naturali existentia, ita quod uno existente aliud etiam existere sit necesse, ita explicuit ipſemet Arist. in textu, unde subdit, quod posita se ponunt, ac perempta se perimunt: nam si Pater est, filius est, & contra, capiendo patrem, & filium, non quidem pro denominato, seu pro entitatibus absolutis, sed formaliter quoad ipsas denominationes relativas, nam in hoc sensu pater non est prior filio, sed simul natura cum eo, & genus cum specie, quamvis enim quoad primas intentiones in subsistendi consequentia non convertantur, convertuntur tamen, quatenus subsistant secundis intentionibus, & relationibus rationis generitatis, & specificitatis, immo in hoc sensu prius natura est simul natura cum suo posteriori, non quod res, quæ est prior, & res, quæ est posterior natura, sint simul natura, hoc enim manifeste implicat, sed quia relationes ipsæ prioritatis, & posterioritatis sunt simul natura, unde formaliter loquendo unum non dicitur prius, quousque aliud dicat 1. formaliter posteriorius, & sic quoad has denominationes relativæ dicuntur simul natura. Dices, quomodo possibile est, ut idem dicatur prius alio, & simul natura cum eo, cum prioritas, & simultas sint opposita? Resp. Doctor q. 27. prædic. sed clarius, & elegantius 4. d. 13. q. 1. T. non esse inconveniens opposita de eodem prædicari, dummodo non eodem modo id est unum quidditative, aliud denominative: nam hoc modo solemus etiam unum oppositum prædicari de alio, ut constat in intentionibus logicalibus, ratio autem, cur non inconvenit, est, quia sic non salvatur vera oppositio, cum sit difformis modus prædicandi: sic igitur erit in proposito, quod cum dicimus prius, ut relativum est, esse simul natura cum posteriori, prioritas prædicatur quidditative, simultas denominative, est prius ut quid, est simul, ut modus.

185 Porro ad hujus affectionis exactam cognitionem tria puncta sunt hic examinanda; Primum est, quomodo sit explicanda hæc naturalis relativorum simultas. Solet passim explicari per duas conditiones, quas colligunt ex Arist. in postpræd. cap. 3. una est, quod alterum cum al-

altero convertatur in subsistendi consequentia; alia est, quod neutrum sit causa alterius, his enim observatis conditionibus illa duo vere, & proprie dicuntur simul natura. Verum si loquamur de illa similitudine naturæ postprædicamentali, fatemur bene constitui per illas duas condiciones, sed certe illa similitudo, esto conveniat relativis, non tamen potest eorum dici proprietates, nam aliis etiam competit, ut duabus differentis idem genus dividendi, ubi enim concurrunt illæ duæ condiciones, nam una infert aliam, nec una est causa alterius, & idem dici potest de febili, & risibili in homine. Dicendum ergo est, similitudinem relativorum talem esse debere, ut se mutuo inferant in existendo non utcumque, sed ex ratione formali propria, non autem ex ratione alicujus tertii, in quo ununtur, ut est de duabus differentis idem genus dividendi, nam ex ratione formali propria una non exigit aliam, sed tantum ex ratione generis, quod dividunt: ita hanc relativorum similitudinem explicat Doctor 1. dist. 28. quæst. 3. F. dicens, quod relativa esse simul natura idem est, quod unum abique alio ab intrinseco sine contradictione existere non posse, quia si unum abique alio posset esse, jam diceretur ad se, nec relativum esset, unde patet hanc similitudinem sic explicatam ex intrinseca relativorum natura, quatenus talia, originem habere, nec aliis competere posse.

186 Alterum difficultatis punctum consistit in explicanda radice necessitatis hujus connexionis. Quidam opinantur fundari in mutua relativorum dependentia, putant enim unum correlativum ideo sine alio existere non posse, quia unum exigit alterum, ut terminum, quæ opinio fundatur in eo, quod relationis terminus formalis sit alia correlatio, & non potius absolutum, in quo fundatur. At hoc suse impugnativimus supra quæst. 6. art. 3. ubi etiam ostendimus, quod dependentia tollit similitudinem naturæ, non autem ponit, & ideo cum relatio dependeat a termino, non potest esse simul natura cum ipso. Dicendum ergo est ex dictis ibid. præsertim in sol. ad 4. hanc necessitatem fundari in concomitantia causarum concurrentium ad utramque relationem, quæ sunt terminus, & fundamentum, nam cum fundamentum formale unius sit terminus formalis alterius, & e contra, cum in uno extremo resultat una relatio, debet illico in altero infurgere opposita correlatio, quia utrobique ponitur terminus, & fundamentum utriusque relationis, his autem positis necessario infurgit relatio, ita significat Doct. 1. d. 13. quæst. 2. sub G.

Demum de hac proprietate dubitatur, an conveniat omnibus relativis, etiam non mutuis. Arist. exprimit in textu non convenire, quia ablato sensibili, & scibili, utique aufertur sensus, & scientia, at non e contra, multa enim extant objecta scibilia, quorum actu nulla datur scientia. Hoc tamen non obstante, quamplures hanc affectionem extendunt ad omnia prioris relativa, si uniformiter sumatur, ut v. g. utrumque in actu, vel utrumque in potentia, sic enim sunt simul natura, & mutuo se inferunt, nempe scientia in actu scitens, & e contra, scientia in potentia scibile, & e contra. Arist. autem oppositum docuit, quia non uniformiter extrema assignavit, nam, ex una parte accepit scientiam, & sensum in actu pro actuali cognitione, & sensatione, & ex altera scibile, & sensibile in potentia, quod scilicet, potest sciri, potest sentiri, ita Cajet. hic Scot. Toler. Mas. Veracru, Averta citantes Burl. Simpl. Porph. Boet. Ammon. & alios Arist. Expositores. Cæterum quamvis tota illa doctrina vera sit, & nobis gratissima, ut constat ex dictis quæst. præced. art. 2. in explicatione tertii modi relativorum, tamen si hanc relativorum similitudinem accipere velimus secundum existentiam, ut solet communiter sumi, & re vera sumit Arist. sane in hoc sensu nequit competere omnibus relativis, etiam debite, & uniformiter comparatis, quia sæpe existit unum, & non existit aliud, ut constat de scientia de rosa in hyeme. Quare ex uniformi assignatione solum concludi potest similitudo quoad denominationem relativam, quia sic assignata se invicem inferunt relative, non tamen semper quoad realem existentiam, at similitudo quoad denominationem relativam potius spectat ad præcedentem proprietatem. Verum est tamen, quod si naturalis similitudo accipiatur pro quadam naturali exigentia, quam unum relativum habet alterius uniformiter sumpti, nam causa v. g. in potentia exigit effectum in potentia, & causa in actu effectum in actu, sic naturalis similitudo est communis omnibus relativis uniformiter sumptis, nec pertinet ad præcedentem proprietatem, quia re vera Arist. non tantum convertit relativa uniformiter sumpta, sed etiam difformiter, inquit enim scientia scibilis scientia, & scibile scientia scibile, & accipit scientiam in actu, & scibile in potentia, ut patet ex contextu.

187 Circa quintam proprietatem esse simul cognitione, & definitione, est difficultas, quomodo intelligi debeat, quamplures enim ita explicant, quod sicut ex vi præcedentis proprietatis extrema relationis sunt simul formaliter, & quoad denominationes relativis, ita per istam si-

gnificavit Arist. simultaneam intelligentiam, quoad esse relativum utriusque extremi, ita ut sicut existere nequit Pater, ut sic, nisi filius existat, ita cognosci nequit pater in ratione patris, nisi cognoscatur filius in ratione filii, unde inferunt unum relativum debere definiri per alterum, eo quia Arist. ait, si definite cognoscitur unum relativorum, definite etiam debere cognosci alterum, ita tradunt Thomistæ passim.

Dicimus tamen, non sic bene explicari hanc proprietatem, quasi relatio paternitatis distincte attingi nequeat sine cognitione relationis oppositæ in filio, nec pater definiri queat, nisi in definitione assumatur filius ut filius, Probatur, quia relatio ut relatio respicit terminum, & relativum sufficienter explicatur, ut sic, cum exprimitur ordo ejus ad suum terminum, at relatio respicit terminum quoad entitatem absolutam, & hac præcise est ratio terminandi quamcumque relationem, ut dictum est quæst. 6. art. 3. ergo ut cognoscatur relatio, sufficit cognitio absoluti, in quod tendit, etiam ignorata relatione mutua in alio extremo. Et ut aliquod definiatur in esse relativi, sufficit assumere entitatem absolutam correlativi, non vero ipsum correlativum, ut sic, quia exacta relationis cognitio dependet a fundamento, & termino, nec alterius cognitio necessaria est, quod etiam probatur ex Scot. 1. d. 30. §. Respondeo igitur ad quæst. quia si pater definiatur per filium dicendo pater est, qui habet filium, cum loco nominis in definitione positi liceat ponere suam definitionem ex Topicis, loco filii licebit ponere definitionem ejus dicendo, pater est, qui genuit eum, qui habet patrem, in qua definitione præter nugationem, & quod ignotum per æque ignotum definitur contra regulas bonæ definitionis, quæ debet tradi per priora, & notiora, committitur vitiosus circulus ab Arist. damnatus 5. Met. cap. 15. illis verbis: non est autem intellectus ad illud, cujus intellectus est, idem enim profecto bis esse dictum, quare non vult intellectum terminari ad intelligibile, quatenus intelligibile, idest quoad denominationem relativam ejus, quia aliqui idem bis diceretur, & idem explicaretur per idem, nempe intelligibile est, cujus est intellectus, & intellectus est ejus, cujus est intellectus, quæ foret inutilis repetitio, & ita esset in proposito, nam si pater definitur per filium, & rursus filius per patrem, a primo ad ultimum pater definitur per semetipsum.

188 In eo igitur sensu hæc affectio intelligenda est, quem tradit Licher. 1. d. 30. quæst. 1. in sol. ad 2. Suesan. quod, scilicet, cum fundamentum, & terminus cognita necessario pariant cognitionem relationis, extrema cujuscumque relationis cognita necessario parient cognitionem utriusque relationis mutua, ut v. g. cognitio paternitatis dependet a fundamenti cognitione in patre, & absoluti in filio, igitur definite cognoscens patrem definite cognoscit rem, quæ est pater, & rem, quæ est filius, & quia fundamentum, & terminus sunt causa meæ naturalis, sequitur, quod res, quæ est pater, & res, quæ est filius, causant necessario cognitionem relationum, paternitatis scilicet, & filiationis, & hoc est, quod communiter dicunt recentiores nobiscum sentientes, quod cognitio relationis non pendet formaliter a cognitione correlationis, sed tantum concomitanter, quatenus dum cognoscitur terminus formalis, simul cognoscitur correlatio inde resultans. In hoc eodem sensu intelligitur, quod definite cognoscens patrem, definite cognoscet & filium, & quia tota relationis cognitio ex extremorum notitia dependet, hinc recte infert Arist. quod si indeterminate, & in generali cognoscatur pater, indeterminate etiam, & in universali cognoscatur id, cujus est pater, & si determinate cognoscatur, quod scilicet est talis pater, determinate etiam cognosci debebit terminus scilicet, quod talis filii est pater, unde re vera Arist. ly definite sumptis pro determinate, & ideo ex hoc male inferunt aliqui, quod unum relativum per aliud definiri debeat. Et quando etiam sic diceret Arist. inquit Tatar. cap. de specie, & hic in prædicam. relat. not. 4. exponi debere in sensu materiali, quod scilicet relativum definiri debet per correlativum, idest per fundamentum sui correlativi, ita enim Arist. ipse solet relativa definire, nam 1. Pol. cap. 3. definit servum; homo, qui est alterius juris, & non per ordinem ad dominum, ut formaliter correlativum: & patrem, qui genuit vivens simile in natura, & 5. Met. cap. 15. definiuntur similia, quorum qualitas est una, æqualia, quorum quantitas est una, & hunc modum definiendi relativa acceptant omnes fere Auctores extra Scholam D. Th. quia melior eorum pars cum Scoto defendunt relationem terminari ad absolutum, illumque docet Doct. passim. 1. d. 26. & 28. q. 3. & d. 30. 35. & 43.

189 Objic. si relativa sunt simul cognitione, ergo unum nequit esse prius origine alio, quod est falsum, quia pater est prior origine filio, cum similitudine enim naturæ stat prioritas originis ex Scoto 1. d. 28. q. 3. F. in 4. d. 13. q. 1. S. conseq. prob. quia aliqua possunt habere ordinem in intellectu, quæ tamen non possunt habere ordinem extra intellectum, ergo quæ nullum possunt habere ordinem in intellectu, omnino nullum possunt habere ordinem extra

tra intellectum, quia hæc similitudo veluti maxima videtur omnem a parte rei ordinem destrueret prioris, & posterioris. Deinde probatur unum relativum debere definiri per alterum; nam ita docet Aristot. 6. Tor. cap. 3. & Porph. cap. de specie, & certe in personis divinis, quæ sunt relativæ, id non videtur posse negari, cum ibi relationes originis terminentur ad correlativum ut sic, non ad absolutum, ut concessum est q. 6. art. 3. ad 3.

Ad 1. negat Doct. cit. 4. d. 13. quæst. 1. S. conseq. ad prob. inquit, quod esse simul in intellectu potest intelligi dupliciter, vel quod illa similitudo determinet actum intelligendi ut transit super objecta, vel quod determinet ipsa objecta, quæ intelliguntur, vel aliter (& recidit in idem) similitudo potest dicere modum objectorum, ut intelliguntur, seu ut comparantur ad actum intelligendi, vel modum ipsorum secundum se: primo modo positio est falsa, quæ sunt simul in intellectu, &c. quia quantumcumque oporteat esse cointelligi, non propter hoc tollitur aliquid, quod convenit eis secundum se. Dices, ut sub propriis rationibus intelliguntur, habent similitudinem omnimodam in intellectu, ergo nullum ordinem. Resp. Doct. propriæ rationes eorum habent quemdam ordinem inter se, & tamen ipsa ut habentia ordinem habent etiam similitudinem, scilicet per comparationem ad actum intelligendi; sic Deus unico actu simul, & semel intelligit subjectum, & passionem, & effectum, & causa attingendo prioritatem naturæ, quæ inter ipsa vertatur ex natura rei, cum intelligat res, licet fuit, ita ut similitudo se tenet ex parte actus, ordo ex parte rerum cognitarum, nec unum impedit aliud.

190 Ad 2. constat ex dictis, quomodo illæ auctoritates sint explicandæ: ad rationem deductam ex relationibus divinis multa solent afferre Recentiores, nos dicimus ob eam rationem posse probabiliter teneri, quod relativum potest definiri per suum correlativum, hoc enim tenuit Doct. quæst. 15. Universi, in sol. ad penult. & q. 28. prædic. ad 1. princ. & velut probabile defendunt insignes Scottistæ, Mauri. quæst. cit. Universi. Verb. 5. Metaph. quæst. 19. §. Propter tertium, Vers. dicendum secundo, Barg. 1. d. 30. §. Hoc etiam probatur generaliter; Immo Doct. loc. cit. solvit ex professo rationem superius adductam pro parte opposita dicens, non esse necessarium in relativis, ut quicquid ingreditur definitionem, sit prius, & notius definitio, sed tantum in absolutis, & loco nominis in definitione positi licet definitionem ejus ponere, quando illud ponitur in definitione, tanquam pars definitionis intrinseca, & non tanquam mere additum ab extrinseco, ut est in proposito, unde cessant omnia illa incongruentia, quæ inde inferuntur, quam solutionem multum commendat Mauritiu, & omnes adhibent Thomistæ. Quando autem Doct. in 1. d. 30. ait relativum non debere definiri per correlativum, sed per fundamentum ejus, debet intelligi (inquit Bargius) de definitione data per prius, & notius, & non de definitione absolute; quomodo autem bene possit exponi textus ille 5. Metaph. cap. 15. de intellectu, & intelligibili, ita ut non officiat, videatur Doctor. quol. 13. X.

QUESTIO XII.

De ultimis sex Prædicamentis.

191 Parum, vel nihil immoratur Arist. in tractatione horum prædicamentorum, non quia res sit parvi momenti, & facillimæ explicationis, ut quidam ajunt, nam & hæc suos habent tribulos, & spinas non minus, quam quatuor præcedentia, sed quia potius pertinent ad libros Phys. quam ad logicum institutum, de actione siquidem, & passione, Ubi, & Quando, agit in 3. & 4. Physic. quamobrem nos quoque paucis hoc negotium expediemus, cum de his ex professo agamus in lib. Phys. igitur prius in communi de ipsis agemus in uno articulo, de hinc singulis singillatim in altero.

ARTICULUS I.

Quid formaliter dicant ultima sex Prædicamenta.

Conveniunt omnes in hoc, quod hæc prædicam. consistant in aliquo ex adjacentia alicujus extrinseci desumpto, sed in hujus assignatione non conveniunt. Aliqui solent ea constituere in mera denominatione extrinseca, ita ut nihil reale dicant præter formas absolutas, a quibus tales sumuntur denominationes, unde Ubi v. g. nihil aliud est, quam denominatio illa extrinseca, quæ provenit substantiæ a superficie continente, Quando a tempore mensurante, habitus a veste adjacentem, &c. tribuitur D. Th. 3. Phys. sect. 4. & 5. Met. sect. 9. sequuntur Heru. quol. 1. q. 9. Javell. 5. Met. q. 23. Scoto in hoc cap. Mas. ibidem q. 1. Sonc. 5. Met. q. 40. & 41. Fonsec. 5. Metaph. cap. 15. quæst. 7. sect. 3. Niger in clyp. quæst. 61. Alii concedunt quidem has formas prædicamentales resultare in rebus ex adjacentia alicujus extrinseci, non tamen solas denominationes extrinsecas ponere, sed aliquid reale, in

cujus explicatione postea non conveniunt, nam quidam volunt esse modos absolutos, ut Morisani. disp. 9. quæst. in. Jo. de S. Tho. quæst. 19. art. 1. Complur. disp. 16. quæst. 1. qui alios citant. Alii statuunt esse puros respectus, quos vocant extrinsecos advenientes, ut eos fecerunt a relationibus quarti prædicamenti, quas appellant intrinsecos advenientes, ita Scottus, & Scottistæ omnes cit. supra quæst. 8. Alii demum utrumque conjungunt asserentes præferre absolutum cum respectu, ut v. g. Ubi dicere locum cum respectu ad locatum, ita Ruyvius in quæst. generali pro ult. prædicam. qui contendit hanc esse sententiam omnium Interpretum Arist. Pro resolutione quæstus

192 Primo statuendum est, hæc ultima sex prædicamenta saltem omnia in sola denominatione extrinseca salvari nec posse, nec debere, nam vel hoc ita intelligitur, ut sit unumquodque horum pura denominatio extrinseca a forma reali desumpta, vel quod sit ipsa forma realis, ut extrinsece aliquid denominans subjectum: non primum, quia denominatio extrinseca, ut sic, nihil reale ponit in subjecto denominato, & ex his prædicamentis multæ sunt formæ denominantes, ac immutantes intrinsece subjectum, quod efficiunt, nam aliqua eorum sunt sufficientes termini motus, & mutationis, ergo saltem ista nequeunt constitui in extrinsecis denominationibus. Neque secundum, quia forma denominans, ut se tenet ex parte subjecti, quod intrinsece denominat, jam supponitur esse in suo prædicamento, ut visio, quatenus actus oculi est in prædicamento qualitatis; neque ex hoc, quod aliud extrinsece denominat verb. gr. parietem, in alio reponitur distincto prædicamento, ergo hæc prædicamenta non salvantur per solas denominationes extrinsecas, quomodocumque explicentur.

Secundo nequeunt salvari per modos mere absolutos ex adjacentia alicujus extrinseci in rebus resultantis; probatur, quia quantum ad intrinsecam eorum rationem dicunt ordinem ad aliquid extrinsecum, quo ablato destruantur, nam ablato effectu, vel passo, tollitur actio; ablato loco, & veste, tollitur Ubi, & habitus, ergo non sunt formæ mere absolutæ. Nec valet, quod ajunt aliqui, ista prædicamenta dependere ab aliquo extrinseco, non ut a termino, sed ut a principio, vel forma, a qua sumitur denominatio. Nam constat, actionem v. gr. respicere effectum, vel passum, & ad illam intrinsece ordinari, nonnisi tanquam ad terminum, sicut ordinatur paternitas ad filium; nam actio alicujus est actio, & in aliud tendere debet, ut sit actio, & effectus apud Philosophos proprie dicitur terminus actionis, unde potest nos rem tam exploratam probare, esto illos non pudeat id negare; Videatur disp. 11. Phys. q. 3. art. 2. quo loci probamus Ubi non esse formam absolutam, nam illæ rationes procedunt de cæteris istis sex prædicamentis, & hoc totum docuit Boet. de Trin. dum inquit, septem esse prædicamenta relativa, & tria absoluta.

193 Tertio non bene constituuntur ex absoluto, & respectu simul, nam hæc duo non faciunt conceptum per se unum, qualis esse debet conceptus cujuscumque prædicamenti. Nec juvat respondere cum quibusdam Thomistis, absolutum importari in recto, respectum in obliquo, quod non impedit unitatem conceptus. Non juvat, quia absolutum, & respectivum, sic conjuncta, non possunt unum aliquod prædicamentum constituere, sed necessario sunt in diversis prædicamentis; ut patet de relativis secundum dici, ut sunt manus, caput, pes, ergo, &c. Nec minus satisfaciunt dicere cum Recentioribus utrumque importari in recto, quia ordo, quæ ratio horum prædicamentorum dicunt ad aliud, est de numero relationum transcendentium, & in eis essentialiter imbitur, ac proinde ex eis fit unum per se, unde dicunt modos horum prædicamentorum esse essentialiter relativos in hoc sensu, non tamen mere relativos, quia non sunt totaliter ordo ad aliud, ut modi quarti prædicamenti; sed partim ad se, partim ad aliud, in quo distinguitur relatio transcendentis a prædicamentali. Non satisfaciunt hæc solutio; tum quia supra quæst. 2. jam probatum est ex absoluto, & respectu conceptum per se unum non coalescere, etiam si respectus sit transcendentis; tum quia falsum est hæc sex ultima prædicamenta relationes transcendentales importare, quia per se constituunt prædicamenta diversa non minus, quam relationes quarti prædicamenti, & non minus accidunt rebus, quam illæ, ita enim accedit Perro esse filium, esse similem, &c. ac esse agentem, patientem, locatum, &c.

194 At, inquiunt in relatione transcendentali considerari debere id, quod proxime, & immediate denominatur ad aliud, non vero remote, quia comparatione subjecti remoti etiam transcendentis relatio dicitur accedere subjecto; sic scientia dicitur essentialiter referri ad scibile relatione transcendentali, intellectus vero accidentaliter tantum, quatenus sibi accidit ipsamet scientia, quæ est subjectum immediate relatum per relationem transcendentalem; sic in proposito, quamvis esse agentem, patientem, locatum, &c. accidant subjecto remoto, scilicet, Perro, non tamen subjecto immediate relato, qui est forma, seu modus ipse actionis passionis, Ubi, &c. hæc enim

enim essentialiter denominantur ad aliud, & sunt essentialiter modi relativi. Hæc tamen solutio labilis est, nam falsum est, actionem, passionem, Ubi, &c. aliquo modo referri, re enim vera non sunt relata, sed rationes referendi, actio v. gr. est secundum quam in id, quod subicitur, agere dicimus, Ubi non refertur ad corpus ambiens, aut spatium, sed immediate refert rem locatam, & sic de aliis, ergo omnes istæ formæ relativæ sunt ita accidentales subiectis suis etiam proximis, ut formæ relativæ quarti prædicamenti, atque ideo non sunt transcendentales, sed prædicamentales, sicut illæ.

195 Quarto igitur dicendum restat sex ultima prædicamenta esse puros respectus, & ratio est, quia in omnibus istis aliquid reperitur distinctum, nisi per superadditam relationem, ergo respectus erit formalis ratio constitutiva eorum, cum sit distinctiva; prob. assumptum discurrendo per singula, nam actio, & passio dicunt eandem formam fluentem, quæ est in alio genere, & distinguuntur ab ea, & a se invicem per superadditos respectus, ut Arist. declarat 3. Phys. 29. Ubi dicit superficiem quæ pertinet ad quantitatem, & distinguitur ab ea per respectum superadditum continentis; Situs dicit partes quantitatis, sed vario modo ordinatas ad locum. Quando dicitur tempus, ut mensuram rei temporaneæ, & denique habitus dicit rem alterius prædicam. ut ab alio habitam; Quia vero huiusmodi respectus non insurgunt ex natura extremorum, sed ultra illa petunt aliquid extrinsecum pro eorum resultantia, scilicet eorum approximationem modo jam explicato quæst. 8. ideo Doct. 3. d. 1. quæst. 1. & 4. d. 13. quæst. 1. & quol. 11. art. 4. & alibi eos appellat respectus extrinsecos advenientes cum Gilbert. lib. 1. cap. 1. in fine, & per hoc distinguuntur a relationibus quarti prædicamenti, quæ omnes sunt intrinsecus advenientes; & hanc sententiam præter Scotistas ibi cit. sequuntur Lovanienf. hic Venet. 5. Met. cap. 36. & alii. Observandum tamen est, non ita debere constitui in respectibus extrinsecis advenientibus hæc prædicamenta, quasi singula præferant respectus reales, ut passim videtur docere Scotistas, quia ut mox constabit, prædicamentum Quando non potest dicere respectum realem, cum formaliter, & complete non confurgat in rebus, nisi per opus intellectus, potest tamen etiam ejus formalitas constitui in respectu extrinsecis adveniente, quatenus ad instar ejus efformatur ab intellectu.

In oppos. objic. 1. quod sint meræ denominationes extrinsecæ ex rebus aliorum prædicam. desumptæ, nam ita significavit Auctor sex princ. cap. 1. in fine, distinguit enim ibi, quæ extrinsecus contingunt, ab his, quæ intrinsecus se habent, & illa distribuit in sex principia. Resp. Auctorem sex princ. ideo hæc ultima sex prædicam. appellasse formas extrinsecas, quia sunt relationes extrinsecus advenientes, ut ait Doct. quol. 11. R. non autem quia importent solas denominationes extrinsecas. Vel dicatur, res ab his prædicamentis posse denominari tum intrinsece, tum extrinsece, intrinsece quidem a modis ipsis inhærentibus, extrinsece vero ab aliquo extrinseco adjacente, ex cuius adjacentia talis modus resultat in subiecto, & quia illud extrinsecum adiacens notius est, quam modus realis intrinsece subiecto inhærens, hinc sepe explicari solent hæc prædicam. per denominationes extrinsecas.

196 Secundo objic. Complur. quod non dicant respectum, quia propria ratio relationis est esse ad, seu referre unum ad aliud, id autem non convenit his prædicam. ut constat discurrendo per singula, nam quatuor ultima prædicam. ex propria ratione dicunt esse in, siquidem Ubi facit rem esse in loco, Quando in tempore, Situs disponit partes in loco, & habitus resultat ex eo, quod vestis sit in corpore. De actione item & passione idem patet, tum quia ex propria ratione non dicunt ad, sed actio dicit esse ab agente; passio vero in passio, tum etiam quia si essent veræ relationes, necessario essent mutæ, quod tamen esse nequit, quia actio, & passio non sunt simul natura, illa enim est actus activi, hæc vero passivi, ex 3. Phys. 29. activum autem est causa passivi, & prius illo ut de se constat.

Resp. neg. min. ad prob. dicimus Ubi facerem in loco aliud non esse, quam facere rem ordinari ad locum, & idem pariter suo modo dicendum de Quando, Situ, & Habitu, nam etiam inhærentia facit accidens esse in subiecto, unio facit formam esse in materia, & tamen adhuc important quid relativum; ex hoc ergo inferre non licet huiusmodi prædicamenta non esse relativa, sed solum in suo genere habere peculiarem modum denominandi, qui tamen adhuc relativus erit, diversæ enim relationes diverso modo suos respiciunt terminos pro earum diversitate, semper tamen relativo modo, unde Ubi facere rem in loco, Quando in tempore, &c. aliud non est, quam respicere ipsum terminum, respicere tamen tali, vel tali modo. Sic etiam dicendum ad aliud de actione, & passione, & dum actio dicitur esse ab, hoc non est intelligendum de ipsa actione pro formali, ut hoc prædicamentum constituit, sed pro materiali; & pro re acta, seu forma fluente; ut dicimus in Phys. gratis etiam

concedimus actionem, & passionem, si pro formali considerentur, esse mutas relationes, & esse simul natura, ac etiam activum, & passivum, nam sub denominatione relativa unum non est causa alterius, nec prius alio, sed tantum pro materiali, ut dicitur de patre, & filio.

197 Tertio arguit Suar. probans non esse relationes extrinsecas advenientes, nam vel omnes relationes extrinsecas advenientes, quæ sunt distinctæ rationis, habent vim constituendi distinctum prædicamentum, vel non, primum constat esse falsum, nam unio secundum Scotum est relatio extrinsecus adveniens, & tamen non pertinet ad aliud ex sex prædicamentis, nec constituit novum prædicamentum, sed pertinet ad prædicamentum formæ, quam unit, si vero dicatur secundum, tunc debet assignari regula discernendi in quibus relationibus sit sufficiens ratio ad constituendum distinctum prædicamentum, & in quibus non; vel sicut ex relationibus intrinsecis advenientibus constituitur unum dumtaxat prædicamentum ita ex extrinsecis advenientibus debet constitui alterum; Nec enim videtur ratio, cur tot debeant constitui prædicamenta harum relationum, & non illarum præsertim, cum non minor copia sit relationum intrinsecis, quam extrinsecis advenientium.

Resp. Faber 5. Met. disp. 23. cap. 3. ad 7. concedit relationem unionis non pertinere ad aliud illarum sex prædicam. nec ab illis exhaustiri totam multitudinem huiusmodi relationum. At contra hanc solutionem directe procedit instantia Suar. & quamvis verum sit respectum unionis, & alios quosdam per varia prædicam. vagari denominative, & per accidens, adhuc tamen assignari debet aliquod determinatum ex illis novem, in quo per se, & quidditative reponatur, ut ait Doct. 4. d. 12. quæst. 1. §. Ad questionem, ubi etiam innuit, & clarior quol. 11. art. 4. respectus omnes extrinsecus advenientes in illis sex prædicam. contineri. Quare ibid. in 4. ait quod forte attinet ad genus passionis, ut sic passio dicat non tantum respectum passivi ad agens, sed ad formam, vel forte ad genus actionis, ut sic actio dicat non tantum respectum agentis ad patientem, sed formæ informantis ad illud, quod informat; & quia Doct. dubitative loquitur, ideo Mair. 1. d. 29. quæst. 1. art. 3. ait pertinere ad prædicam. habitus, quod nos quoque docuimus 1. part. Inst. & amplius declarabimus art. seq. Ad argum. igitur conceditur primum membrum, & neg. falsitas; constituta sunt autem plura genera, & prædicam. ex relationibus extrinsecis advenientibus, quam ex aliis, non ex natura rei, nam æque bene poterat unum ex illis, sicut ex istis constitui, sed totum id factum est ad commodiorem doctrinam, nam major cernitur diversitas in modo denominandi inter relationes extrinsecas advenientes, quam in aliis; sicut etiam licet accidens, & substantia sint duo membra ens in communi dividentia; quia tamen major quadam diversitas cernitur inter accidentia ex diversis eorum numeribus, ideo novem genera accidentium constituta sunt, & unum substantiæ: Alia quadam contra hoc fieri solent argumenta, quæ potius tangunt prædicamenta quadam in specie, ideo commodius infra adducentur. Demum arguit Auvol. 1. d. 30. p. 1. art. 3. quod sex prædic. non sunt respectus, quia hodie, hic stare, sedere, & cetera non dicuntur habitudinem ad aliud, tum quia respectus, & ad aliud sunt idem, sed ista non sunt ad aliud, ut patet ex Arist. in Log. & 5. Met. 20. Negatur assumptum, immo ista nequeunt explicari sine habitudine ad aliud, ut mox patebit explicando rationes singulorum; non vocat autem Arist. hæc ad aliud, quia per ad aliud antonomastice intelliguntur solum relationes quarti prædicamenti, unde Formalistæ nostri tract. formal. art. 1. notant solum habitudines quarti prædicamenti proprie relationes appellari, ceteros autem dici dumtaxat respectus, quamvis re vera id sit solum discernim in nomine, quia relatio, & respectus idem sunt in rigore loquendo.

ARTICULUS II.

De singulis sex prædicamentis; & primo de Actione, & Passione.

198 Actio, ut quintum constituit prædicamentum, definitur a Gilberto, quod sit illa, secundum quam in id, quod subicitur, agere dicimus, id est ut explicuimus 1. part. Inst. tract. 1. cap. 8. cum Scoto 4. disp. 13. quæst. 1. est respectus ipsius agentis ad passum, quo agens dicitur formaliter agens; circa quam definitionem non immoramur, quia ibidem sufficienter est explicata; Hic autem investigandum manet, quanam actiones ad hoc prædicamentum spectent.

Primo quaeritur, an actio, quæ hoc prædicamentum constituit, debeat esse productiva sui termini (eo modo, quo dici quidpiam potest relatione producti, ut nimirum principio formali denominandi producens, non autem ut ratione formali producendi, ut Doct. explicat in 4. loc. cit. sub P. & Tatar. quæst. ult. prædic. dub. 3.) id est respicere esse-

effectum pro termino, & communis sententia, affirmat talem esse debere; immo apud Thomam est ita certum, ut id potius supponat, quam probent, sequuntur Recentiores omnes nemine discrepante, quod etiam videtur innuere Doct. 1. disp. 3. quæst. 6. ad 1. princ. & 4. d. 11. quæst. 3. M. & quol. 13. Dd. & tenet Bonet. in hoc prædicam. Ceterum quamvis in communi modo loquendi soleat actio sumi pro illa, quæ est productio termini, & agere pro actu efficiendi, & producendi, tamen proprie loquendo de actione, ut hoc constituit prædicamentum, non est, quod sit productiva termini, sed transmutativa subiecti, ita ut pro termino respiciat non aliquem effectum per ipsam factum, sed aliquod subiectum per ipsam transmutatum, quare dum ignis calefacit aquam; actio hujus prædicamenti non respicit pro termino calorem, sed aquam per calorem transmutatam, ita Doct. 4. loc. citat. §. ad hujus autem difficultatis, ubi discrete hos distinguunt respectus, & relationem causæ productentis ad effectum productum rejicit ad quartum prædicamentum, velur intrinsecus advenientem, respectum autem causæ transmutantis ad subiectum transmutatum in hoc prædicamento reponit, ut intrinsecus advenientem, sequuntur Scotistas omnes Zerbin. 5. Metaph. quæst. 20. §. Propter primum, Tatar. loc. citat. Ant. And. lib. sex princ. quæst. 6. & alii passim. Probatur autem, tum ex ejus definitione a Gilbert. allata, nam id, quod subicitur actioni agentis, non est effectus pro ipsum productum proprie loquendo, sed materia, circa quam agit, tum ex exemplis ab ipso Arist. adductis in hoc cap. de calefacere, & frigidificare, calefieri, & frigidificari, & tristari, ignis enim dicitur calefacere aquam, non calorem, & aqua calefieri, non calor, voluntas dicitur tristari, & delectari, &c. tum quia subiectum dicitur passum, non effectus, ita ut passio est in subiecto, non in effectu, ergo agens, ut respicit passum, non dicit habitudinem productivi, sed potius transmutantis; tum demum quia ut arguit Doct. citat. in 4. G. potentia activa est principium transmutandi aliud, in quantum aliud, 5. Met. 16. ergo actio est transmutatio alterius, in quantum est alterum, sed respectus productionis non est proprie transmutatio, quia non respicit aliud, in quantum aliud, sed potius facit aliud. Neque Doct. locis in oppositum cit. voluit oppositum asserere, sed actionem de genere actionis vocat productivam juxta communem modum loquendi, & in 4. disp. 13. ubi de hoc agit ex professo, suam profert sententiam, vel per actionem proprie dictam & de genere actionis intelligit illam, quæ non tantum grammaticaliter dicitur actio, quo sensu operatio vitalis spectans ad prædicamentum qualitates dici solet actio, quæ explicatio colligitur ex ipso contextu.

199 Secundo dubitatur, an sola actio transiens spectet ad hoc prædicam. ut vult Soncin. 9. Met. quæst. 21. Matus hic quæst. 2. & alii, an potius etiam actio immanens. Et dicendum est, quod licet accipiendo actionem immanentem pro operatione vitali; ut sumit Arist. 5. Met. 16. non spectat ad hoc prædicamentum, quia in hoc sensu non est vera actio, sed acquivoce solum, & grammaticaliter; quatenus significatur per verbum activum, & grammaticaliter; &c. unde proprie spectat ad genus qualitatibus, ut notat Doct. quol. 13. DD. tamen accipiendo actionem immanentem pro ea, quæ est ad terminum manentem in agente, seu qua idem seipsum immutat, ut actio, qua aqua calida se reducit ad pristinam frigiditatem, sic spectat ad hoc prædicamentum; non quidem ea ratione, qua est productiva termini, sed quatenus transmutativa subiecti, quod non est ab agente diversum, quia, ut dictum est; sola actio transmutativa ad hoc prædicam. attinet, & idem dicendum est de actione transeunte, ut est species hujus prædicamenti.

Dices, potentia activa est principium transmutandi aliud, in quantum aliud 5. Met. 17. ergo sola actio transiens est species hujus prædicam. Deinde ex alia parte etiam actio immanens sumpta pro operatione vitali videtur ad hoc spectare prædicamentum, quia Arist. hic enumerat delectari, & tristari, quæ sunt operationes vitales. Resp. ad 1. ex Doctore 2. disp. 23. qu. un. ad 2. princ. re vera Aristot. ibi non tantum definire potentiam activam, ut aliqui contendunt, sed etiam activam, assert enim exemplum de medico seipsum medente, verum est observandum non dicere absolute potentiam activam esse principium transmutationis in altero, sed subdit, vel prout alterum est, medicus enim sanat seipsum, qui tamen non est aliud a seipso, sed in quantum medicus est sanans, est aliud a seipso, sed in quantum sanatur, sanatur enim in quantum infirmus, non in quantum medicus, non ergo per hoc excludere voluit actionem transeuntem. Ad aliud adumbravit Arist. actiones vitales in hoc prædicam. ob aliquam similitudinem, quam habent cum actionibus hujus prædicam. quatenus scilicet eorum esse in fieri consistit, & cum continua dependentia ab agente, ut declarat Doct. cit. 1. disp. 3. qu. 6. ad 1. princ. & quol. 13. Dd. non autem quia vere sint actiones hujus prædicamenti, vel ideo eas hic enumeravit, quia in actibus vitalibus semper intervenit actio etiam de genere actionis, cum objectum immutet potentiam, & potentia dicitur intentionaliter pati.

200 Tertio dubitatur, an sola actio successiva spectet ad hoc prædicamentum, Affirmat Soncin. loc. cit. quia Arist. 3. Phys. 19. docet actionem esse motum, qui utique successivus est, ac proinde excludit ab hoc prædicam. omnes actiones instantaneas; idipsum videtur docere Doct. loc. nuper cit. 1. disp. 3. q. 6. & 9. O. & quol. 13. Omnino tamen dicendum est, etiam actionem instantaneam debere sub hoc prædicam. recludi; tum quia actioni instantaneæ conveniunt omnia, quæ de actione hujus prædicam. solent enunciari; tum quia in alio prædicam. convenientius collocari nequit, si enim dicas ad prædicam. sui termini pertinere, hoc idem de actione successiva dici poterit. Nec Aristot. oppositum docuit, quia non sumit ibi motum precise pro eo, qui successivus est, sed potius prout etiam mutationem complectitur, nec verum est, motum esse essentialiter successivum, nam etiam in instanti fieri potest, ut dicimus in Phys. Nec etiam oppositum docuit Scotus, nam 4. disp. 43. quæst. 5. G. & H. ait, animationem fieri in instanti; & tamen concedit ibi intervenire actionem hujus prædicam. & quod amplius est, concedit posse interdum actionem, & passionem fieri sine quocunque motu, & mutatione, ut cum subiectum formam recipiens non præcedit tempore sub ejus privatione, Ar. autem 3. Phys. inquit semper esse conjunctas cum motu, quia sic regulariter sunt. Immo etiam quol. cit. actionem, qua intellectus seipsum immutat in instanti, dicit esse hujus prædic. in 1. autem d. 3. q. 6. solum dicit actionem esse in continuo fieri, id est in continua dependentia ab agente, quamdiu durat, non tamen quod necessario debeat esse successiva, & in quæst. 9. ait, actionem successivam magis proprie dici actionem, quam instantaneam, quia in successiva acquisitione formæ in subiecto, ut calor in aqua per rotam horam in toto illo tempore non dicitur aqua calefacta, sed tantum calefieri propter continuam successionem formæ in subiecto, sed in acquisitione instantanea, ut luminis in aere, quamvis propter continuam dependentiam formæ ab agente dici possit ac illuminari, potest tamen etiam illuminatus dici, cum sit actio tota simul, ob quam denominationem videtur a ratione actionis, & passionis deficere, quæ solent res denominare in fieri, non in facto esse.

201 Quarto dubitatur, an sola actio accidentalis ad hoc pertineat prædicam. num etiam substantialis; & quamvis Suar. disp. 48. sect. 6. num. 5. opinetur solas accidentales hoc prædicam. constituisse, dicendum tamen est, etiam in ipso substantialis contineri: tum quia formaliter, ac entitative ita est accidens actio terminata ad quantitatem, & qualitatem, sicut terminata ad substantiam, ut apud omnes est in confesso, unde generatio substantialis solum talis dicitur extrinsece denominatione a termino sumpta, qui est substantia: tum quia tantam connexionem habet actio accidentalis cum suo termino, sicut substantialis cum suo, ergo vel omnes reduci debent ad prædicamentum sui termini, vel omnes ad istud; tum quia alia relationes fundatæ in substantia, & ad substantiam terminatæ, adhuc spectant ad prædicam. relationis, non substantiæ, ut docet ipse Suarez disp. 47. sect. 7. n. 4. ergo idem dicendum de actione, & hic est communis omnium sensus contra Suarez. Nec obstat, quod ipse ait, substantiam, & accidens analogice convenire, non univoce, atque ita idem dicendum esse de actionibus ab ipsa terminatis. Nam falsum est assumptum, ut dicemus in Met. quo etiam concessio adhuc neg. conseq. quia opus non est tantam esse distantiam inter actiones ipsas, quanta est inter terminos, ut patet in actionibus terminatis ad prædicamenta.

Cum autem dicimus actionem substantialem, & accidentalem esse species hujus prædicam. non utique loquimur de actionibus productivis, quæ scilicet terminantur ad substantiam, vel accidens per ipsas productum, quia in hoc sensu spectant ad quartum prædicamentum: sed per actionem substantialem, eam intelligimus, qua agens subiectum transmutat per inductionem formæ substantialis, & per accidentalem, qua transmutat subiectum per inductionem formæ accidentalis, ita enim sunt species actionis transmutativæ, quæ proprie est genus hujus prædicamenti. Ubi tamen observa non ita specie secerni sub hoc genere actionem successivam, & instantaneam loquendo tam de productiva, quam de transmutativa: tum quia actio illuminandi medium fieri potest in instanti, & etiam in tempore, per successivam nempe approximationem corporis luminosi: tum etiam quia tempus, & instans non sunt nisi mensuræ harum actionum, non autem intrinsecæ earum differentia.

202 Passio, licet multiplicem habeat acceptionem, ut passim Auctores notant, tamen formaliter sumpta, ut hoc constituit prædicamentum, accipitur pro respectu opposito actioni, qui subjective residet in passio, sicut actio e contra in agente, unde definitur a Scoto 4. quæst. 13. citat. quod sit respectus passivi ad agens, seu transmutari ad transmutans; a Gilb. vero, quod sit effectus, illatioque actionis, quod quidem intelligi non debet de sola illatione consecutionis, ut notavimus 1. part. Inst. sic enim non tantum actio passionem, sed etiam passio actionem infert, cum sint relationes mutæ, sed de illatione causationis, quo sensu causa dicitur

citur inferre effectum, non e contra: quod nec etiam in toto rigore intelligendum est, quia passio non est proprie effectus actionis, cum actio huius prædicamenti non sit productiva, ut dictum est, sed intelligendum est per quandam analogiam, quatenus nimirum concipitur quodammodo consequi ad actionem, quia enim agens agit, dicitur passum pati, non e contra, unde non est sola illatio consecutionis, sed etiam quodammodo causationis. Quia vero passio prædicamentalis adæquatur cum actione prædicamentali, etque opponitur, consequenter omnes illas divisiones habebit, genera, ac species, quas habet actio, cum tot modis unum dicatur oppositorum, quot reliquum, unde servata proportione prædicamentum hoc ad instar præd. actionis coordinari poterit, ac debebit.

203 Sed hic quaeri solet, cur passio distinctum constituat prædicamentum ab actione, quia relativa mutua ad idem solent spectare prædicamentum. Nec valet, quod ait Tat. hoc solum verificari in relativis intrinsicis adventibus. Quia id etiam cernitur in extrinsecis adventibus, ubi enim activum, & passivum, quando activum, & passivum, &c. unum duntaxat constituit prædicamentum. Accedit, quod bene cogitari potest ratio essentialis communis actionis, & passionis, sicut cogitur communis ubi activo, & passivo. Sed ad hæc omnia constat ex dictis disp. 6. quæst. 1. ubi docuimus distributionem illam prædic. plane naturalem non esse, ac necessariam, sed artificiose inventam pro commodiori captu ad evitandam rerum confusionem. Et utique concedendum est posse excogitari rationem actionis, & passionis communem, sub qua continentur, velut sub genere communi, ut dicimus de ubi activo, & passivo; quare autem potius ex actione, & passione duo constituta sunt prædicamenta, quam ex aliis scilicet ubi activo, & passivo, &c. ratio est, quia alia quatuor ultima prædicamenta non participant veram, & propriam rationem actionis, & passionis, sed potius grammaticaliter. Et quia de formalitate actionis, & passionis, de earum distinctione ab invicem, & a motu, deque subiecto illarum agimus ex professo in Phys. disp. 7. q. 3. non amplius immoramur; de affectionibus vero earum sufficere, quæ in Inst. dicta sunt, est enim res parvi momenti. Hic valde faste tractat Poncius de natura actionis, & passionis, cujus doctrina longiori indiget examine, si enim unquam a semita Scoti exorbitat, id est in præsentia materia, opportuna autem id fieri disp. 6. Met. q. 1. art. 5. ubi rursus de hac re sermo redibit, & art. 4. opinionem Aureoli consutamur de actione, & passione.

De Ubi, & Situ.

204 **E**Xacta quoque de his tractatio pertinet ad 4. Phys. quare hic solum breviter tangemus, & resolvemus difficultates ibi ex professo exagitandas.

Primo dubitatur an præter locum extrinsecum, qui a Peripateticis ponitur superficies ambiens corpus ab extrinsecis, ab aliis vero spatium, vel vacuitas quadam ab ipso corpore occupata, & repleta, sit admittendum ubi, ut accidens superadditum, quo res formaliter dicatur locata, & ubicata, & ad hoc prædicamentum directe spectans. Nominales id passim negant asserentes ubi non esse, nisi denominationem extrinsecam a loco, in quo res esse dicitur, sive esse ipsum locum realem extrinsecè denotantem, quod etiam tuetur Masius hic quæst. 5. Coninch. de Sacram. ad q. 75. art. 4. dub. 1. & quidam alii, qui ajunt esse simplicem indistantiam loci, & locati, quæ non est, nisi negatio distantie.

Verum opposita sententia communis est Scotistis, & Thomistis, quam contra Nominales propugnamus disp. 11. Phys. q. 3. art. 1. cum Doct. quol. 11. & 2. d. 2. q. 6. & 4. d. 10. q. 1. & 2. alibi; unicum fundamentum, quo cæteri utuntur, assertur a Doct. quol. 11. art. 3. nam potest esse Petrus in rerum natura, & etiam hæc superficies, sive spatium, & quod Petrus non sit hic, seu in isto loco, ergo Petrus esse hic, seu habere hoc ubi, est aliquid superadditum entitatibus loci, & Petri, (qua ratione desumpta ex separabilitate solent communiter contra Nominales probari entitates, quas Neotherici appellant modales, rebus ipsis superadditæ) Nec sufficit dicere ubicationem Petri hic esse solum indistantiam ipsius ab hoc loco; quia hoc novum superadditum non potest esse simplex negatio, nova enim negatio non datur, nisi per ablationem alicujus positivi præcedentis, dum autem Petrus de novo est in hoc loco, non amittit, nisi existentiam in alio, & distantiam ab isto, si ergo hæc sunt positivum quid, positiva etiam erit, & realis indistantia, quam per motum acquirit in hoc loco, eadem enim est ratio de distantia, & indistantia ab hoc, & illo loco. Nec sufficit dicere ubicationem Petri hic esse novam denominationem extrinsecam ab hoc loco; tum quia non potest dari nova denominatio realis sine mutatione nova reali, ut docet Doct. 4. d. 16. q. 2. si enim res eodem modo permanent, eadem quoque manebunt denominationes ab ipsis desumptæ; tum quia vel hæc denominatio provenit a loco in Petrum virtute alicujus de novo superadditi, vel non; si primum, habetur intentum, si secundum, ergo quamdiu Petrus, & iste locus existant in rerum natura, semper Petrus eodem modo de-

nominabitur. Si dicas non manere semper eandem denominationem, quia non semper habetur debita applicatio Petri huic loco ad suscipiendam illam denominationem. Contra est, quia de hac applicatione inquirimus, num sit quid a Petro distinctum, nec ne, si non est quid distinctum, semper manebit eadem denominatio, quia eadem applicatio, si est quid distinctum de novo superadditum, hoc est, quod contendimus. Nec tandem sufficit dicere ubicationem Petri, non unum quid, sed duo importare, scilicet Petrum prout hic, seu Petrum cum connotatione huius loci. Semper enim urget eadem difficultas, quid dicat *Petrus prout hic*, & hæc nova connotatio, vel enim est quid superadditum entitatibus loci, & Petri, & habetur intentum, vel non, & sic semper Petrus erit hic.

205 Hinc bene advertit Arriag. disp. 14. Phys. num. 7. ubi optime hanc rationem profequitur, quosdam Recentiores Nominales non nisi vocibus multiplicatis, & astute variatis Scoticum eludere argumentum, dicunt enim corpus, hoc distare ab illo non esse aliquid intrinsecum, sed esse, quod possit inter utrumque tanta quantitas intercepti, esse autem propinquum, esse, quod nihil possit intercepti, sed mutuo se tangant. Hæc plane sunt mera voces, nam de hac ipsa intercapedine, de hoc contactu, &c. semper inquirimus, an sit quid de novo superadditum positivum, vel negativum, & semper urget eadem difficultas quibuscunque vocibus, & thecnis conentur isti negare ubicationes. Rationes autem, quibus isti moventur, diluimus in Phys. l. c. cum quibusdam objectionibus Coninch. quem ex professo nuperrime infestat Jo. de Lug. disp. 5. de Sac. Euchar. sect. 4. & 5. Concludimus ergo ex applicatione rei ad locum resultare in loco ubi activum, & in re locata passivum ambo spectantia ad hoc prædic. ut dictum est in Inst.

At obliques ex Coninch. sensu percipimus aliquem esse in loco, in quo antea non erat, non percipiendo in eo aliquid realem modum, qui antea non perciperetur, ergo, &c. Resp. Mair. 1. d. 39. q. 1. art. 4. neg. assumptum, ait enim visum percipi distantiam, & rem esse a dextris, non a sinistris, hic, non ibi, quod postea fute probat Arriag. disp. 4. de Anim. a. n. 63. Alii tamen non concedunt immediate videri ubicationem, sed solum arguitive dignosci ex eo, quod experimur, & sentimus diversam applicationem oculi, & pupillæ ad videndum idem objectum nunc, quam antea, unde colligimus objectum esse in alio loco, quam prius, ita Valq. 1. p. disp. 101. c. 2. & seq. Jo. de Lugo cit. ubi fute de hoc diserit; sed quicquid sit de hoc, quod spectat ad lib. de Anim. certum est hunc arguendi modum esse fallacem, quia nec etiam quantitas immediate visa percipitur, nec etiam interdum motus, ut cum quis intra cameram navis inclusus movetur cum navi, & tamen Coninch. ista non negat; alia quamplura objicit ibi hic Auctor; quæ facile dissolves, si videbis disp. cit. Phys. præterquam quod singula accurate retorquet, & diluit Jo. de Lugo cit.

206 Secundo dubitatur, qu'nam sit proprius, & per se terminus, in ordine ad quem attendi debet ubi passivum rei locatæ. Thomista passum, ut referunt Complut. disp. 16. q. 3. dicunt esse superficiem extrinsecam, & fundantur in definitione de ipso tradita a Gilb. qui inquit esse circumcriptionem corporis a loci circumcriptione provenientem, sola autem superficies ambiens proprie est locus, ut constat ex 4. Phys. & sic etiam loquuntur Scotistæ ex Doct. quol. 11. Ex adverso Neotherici omnes, quibus prævit Suarez disp. 51. Met. sect. 1. inquit modum ubi per se non pendere ab ullo corpore extrinsecis ambiente, sed a certo, & determinato spatio, cui per tale ubi res dicitur intime præfens, etiam ablato quocunque corpore ambiente, ut constat de ultima sphaera, quæ vere, & proprie habet ubi, nec tamen circumscribitur ab alio corpore, & de motu factio in vacuo, si daretur, per quem virtute acquireretur ubi sine ullo ordine ad corpus ambiens, addunt tamen, quod quia modo motus fit in pleno, ideo hoc idem ubi per accidens etiam respicere superficiem ambientem. Coeterum uterque dicendi modus suos habet tribulos, & spinas; primus enim difficulter assignat terminum realem, & positivum motus in vacuo; nam quod inquirunt quamplures Thomistæ, & Scotistæ tunc acquiri majorem, vel minorem distantiam, & propinquitatem, rejicitur a nobis disput. 12. Phys. q. 3. art. 1. & absolute non valet, tum quia distantia, & propinquitas sunt relationes intrinsicæ adventientes, ut ibi offendimus, ac proinde nequeunt per se primo terminare motum; tum quia non fundantur in nuda substantia corporum, alioqui semper essent eodem modo propinqua, vel distantia, sed supra ubicationes illorum, quæ determinatæ sunt ad fundandam tantam distantiam, vel propinquitatem, ut docet Doct. 4. d. 10. q. 2. R. ac proinde semper remanet difficultas, penes quid attendi debeant ubicationes illæ, tum tandem quia allata responsio nequit habere locum in vacuo interminato, ubi nullum esset corpus præter illud, quod in eo moveretur, in ordine ad quod posset attendi distantia, vel propinquitas, qua de causa nonnulli negant in tali vacuo posse fieri motum, sed certe absque fundamento, nam qua ratione concedunt motum in vacuo terminato, coguntur etiam ipsum concedere in interminato.

207 Alter quoque dicendi modus ægre explicat præsentiam realem in ordine ad spatium imaginariæ, tum quia hoc spatium nequit habere rationem loci, & ejus numerari exercere, ut fute offendimus disp. 11. Phys. q. 1. art. 1. tum quia cum nihil fit, nequit terminare respectum realem distantie, propinquitatis, & præsentie, ridiculum enim est dicere rem distare a nihilo, vel esse nihilo præsentem, ut offendimus ib. q. 3. art. 2. qua de causa Arriag. cit. sect. 3. & Jo. de Lug. sect. 6. ingenue fatentur, quod cum dicunt hoc ubi respicere tale spatium, nolunt explicare aliquem ordinem, quem tale ubi dicitur ad illud spatium, sed tantum significare tale ubi fundare talem ordinem distantie ab alio ubi, unde concludunt ubicationes in re, tam esse absolutas, ac albedinem, & nigredinem, & quod sicut albedo a seipsa habet constituere album, & non nigrum, vel dulce sine ullo respectu ad connotata diversa, ita de ratione ubicationis huius est constituere Petrum hic præsentem, & non alibi, & ipsum constituere in tanta, vel tanta distantia ab alio ubi. Verum quamvis Recentiores præteritum ex Societate posuerint ubi modum absolutum, nullus tamen huicque sic pure absolutum stauerunt, ut præcitati Auctores, nam ad minus dixerunt esse relativum secundum dici, & includere relationem transcendentalem ad spatium; & sane hic videtur communis omnium sensus, quod ubi non fit modus mere absolutus, quia videmus ejus effectum esse relativum, non enim constituit rem in ordine ad se, sed ad aliud, nimirum in tali loco, vel spatio: tum quia si per modum ubi non constituitur res alteri præfens, sed solum sibi ipsi, frustra ponitur, quia ut aliquid sibi ipsi sit præfens, sufficit existentia, qua est in rerum natura, nec enim alium effectum addere potest præsentia ad se præter existentiam, hæc autem habetur per productionem, non per motum, sicut habetur ubi: tum quia si ubicationes sunt res absolutæ, sicut albedo, sane ficut duæ albedines possunt esse in diversis subiectis, ita & duæ ubicationes ejusdem rationis, & sic plura corpora poterunt esse naturaliter in eodem spatio, vel loco: & est profus voluntarie dictum, quod inquit Arriag. cit. illas duas ubicationes talis esse naturæ, ut naturaliter una petat, ne alia existat in rerum natura. Quia hoc non videmus in aliis formis absolutis quantumcumque incompossibilibus, possunt enim omnes existere in rerum natura, si habeant diversa subiecta.

208 Itaque ad has angustias evitandas juxta dicta in Phys. l. c. distinguendum est duplex ubi, unum locale, alterum præsentiale, illud attenditur in ordine ad superficiem ambientem, quæ proprie est locus, & est per se terminus motus localis, quia hic nequit fieri, nisi in pleno, quatenus localis est, alterum vero attenditur in ordine ad diversas partes, non quidem formales, sed virtuales divinsæ substantiæ ubique diffusa, cum enim hæc fit virtualiter divisibilis, habet consequenter virtutem terminandi diversas præsentias, ut ex Scoto colligitur 2. d. 2. quæst. 7. ad 1. princ. & 4. d. 10. q. 3. ad 3. & alibi sæpe, dicitur autem hoc ubi præsentiale simpliciter, non locale, quia divina substantia proprie non est locus corporum, cum intime illis illabatur, & hoc ubi est per se terminus motus latioris, qui esto factus in pleno coincidat cum locali, tamen secundum se æque fieri potest in pleno, ac in vacuo, quia habet pro per se termino aliam, & aliam præsentiam ad alias, & alias partes virtuales divinsæ substantiæ, ubique diffusa, etiam in vacuo, & spatiis imaginariis, quæ omnia fufus declarantur in Phys. l. c. & quia quilibet respectus præsentie spectat ad hoc prædic. ut docet Scot. 3. d. 10. q. 1. K. ideo hoc ubi præsentiale, non minus, quam locale ad hoc spectabit prædic.

Ex qua doctrina bene intellecta facile solvitur difficultas, circa cuius solutionem adeo insudat hic Poncius disp. 17. n. 65. & inde, arguit enim ibi, quod ubi non importet respectum, quia si unus solus Angelus esset in rerum natura extra Deum, & nulla alia creatura producta, utique hic haberet suum ubi intrinsecum, nam posset terminare actionem Dei realem loco motivam, posset enim Deus realiter ipsum transferre de una parte spatii imaginarii ad aliam partem ejusdem spatii, posset siquidem ponere ipsum taliter in spatio imaginario, ut si iterum crearetur mundus, sicut modo est creatus, Angelus ille haberet locum suum in Hibernia v. g. & posset ipsum postea ponere taliter in spatio, ut si produceretur iterum mundus, haberet locum suum in Italia; hoc autem non posset contingere, nisi in spatio imaginario Angelus haberet aliud, & aliud ubi, tanquam formam absolutam, quia non haberet quid reale extrinsecum in spatio imaginario, ad quod terminaretur. Ad quam difficultatem solvendam tres ibi adducit Poncius solutiones, una alia pejorem, nam in prima concedit posse dari ubi absque termino reali, & realiter existentem, dummodo sit possibilis, quod adhuc sit respectus extrinsecus adventiens, qua etiam ratione concedit de potentia Dei absoluta posse poni in materia respectum actualem unionis absque forma, cui dicatur unita, quo nihil absurdius, & implicantius cogitari potest. Alia responsio dicit posse in tali casu Angelum de una parte spatii ad aliam transferri, sed quod illa actio non esset realis positiva, quia per eam nihil produceretur positivum, sed tan-

tum in distantia, quæ est negatio distantie. Quæ solutio adeo vana est, ut nec ipsi arrideat, nam sic respondententes tenentur assignare terminum illius distantie, vel indistantie, quo semel assignato ille idem dici poterit terminus ipsius ubi, vel præsentie, quam negant tali motu acquiri. Denique ipse responderet, quod in tali casu non posset Angelus moveri de una parte spatii imaginarii ad aliam partem, & quod Angelus productus in spatio imaginario folus esset ex se indifferens, & inde terminatus ad quamcunque partem mundi, & propterea Deus, ut determinaret ipsum ad unam partem v. g. Hiberniam præ Italia, aut e contra, deberet tum cum produceret Hiberniam, aut Italiam, producere respectum extrinsecus advenientem in ipso ad unam, & non ad alteram. At hæc solutio pejor est præcedentibus, quia manifeste negat posse fieri motum in vacuo contra veritatem, quam ipse tenet in Phys. & contra expressam Doctoris intentionem 2. disp. 2. qu. 9. tum quia falsum est, quod Angelus in spatio imaginario, ubi modo productum esset univertum, solus productus foret indifferens, & indeterminatus ad quamcunque partem Mundi; hinc enim sequeretur, quod esset quoque indeterminatus ad quamcunque partem spatii imaginarii, in quo modo extat Mundus, quod etiam est falsum, quia cum substantia illius Angeli non correspondeat omnibus partibus illius spatii, quia non est immensus, sed quibusdam, consequenter si mundus produceretur, Angelus illi provincie feret præfens, quæ corresponderet parti spatii imaginarii, in quo antea erat Angelus. Medius ergo occurrit præfata difficultati ex doctrina allata dicendo Angelum in tali casu habiturum suum ubi intrinsecum, non quidem locale, sed præsentiale, & quod a Deo transferri posset de una parte spatii imaginarii ad aliam, & quod diversas acquireret præsentias, quæ non essent formæ absolutæ, sed relative, & pro termino respicerent, vel diversas partes spatii imaginarii, neque enim opus est terminum respectus realis esse semper realem, & positivum ex dictis supra n. 84. vel potius diversas partes virtuales divinsæ substantiæ ubique per spatium imaginarium diffusa, ut magis l. c. in Phys. explicabitur.

At contra hunc dicendi modum videtur dubitare Bonet. 8. Phys. suæ c. 4. quia non variatur respectus præsentie ad divinam substantiam secundum variationem locorum, cum prima intelligentia sit omnibus in quocunque loco existentibus æqualiter indistans, seu præfens, unde aliquis existens in Occidente est ita præfens divinsæ substantiæ, sicut si esset in Meridie, vel in Oriente, ita ille quod sane legimus hilariter, ne allata distinctio de ubi locali desumpto a superficie, & præfentiali desumpto ex ordine ad divinam substantiam a nobis imputetur, ut nova, & chimerica, jam enim patet hanc doctrinam in Schola Scotistarum non esse novam, præcos enim Scotistas non latuit, imo neque Bonet. ibi contra eam dubitat, nisi ex aliorum placito, ut legenti confabit; nec illa dubitatio in se multum urget, falsum enim est, divinam substantiam non posse ob ejus virtutem divisibilitatem varios respectus præsentie terminare, ut docet Scot. l. c. cum enim Deus sit ens illimitatum quoad locum, non sequitur (ait Doct.) qui est simul cum Deo Romæ, & qui est simul cum Deo Parisiis, esse simul inter se, quia nimirum valet Deus diversas terminare præsentias ob suam illimitationem, unde etiam si idem corpus in diversis replicetur partibus Universi, adhuc per diversos respectus dicitur Deo præfens; idque potest efficaciter probari ex paritate æternitatis, & immensitatis, quia enim æternitas habet partes virtuales, coexistit pluribus partibus temporis; idem ergo erit de immensitate quoad locum. Sed adhuc fortius instabit, idem corpus, dum movetur, sive in pleno, sive in vacuo, non acquirere aliam, & aliam præsentiam ad divinam substantiam ubique diffusam, quia manentibus, & invariatis eisdem extremis, manet omnino idem semper respectus, quæ ratione probat Doct. quol. 12. creationem, & conservationem eundem importare realem respectum, sed in allato casu manent semper eadem extrema, nimirum idem mobile, ac eadem divina substantia ubique diffusa, ergo semper permanet idem respectus præsentie. Resp. divinam substantiam, quamvis simpliciter, & actualiter sit summe una, ac indivisibilis, tamen ob suam immensitatem est multiplex quoad locum virtualiter, ob quam virtutalem multipliciter æquivalens infinitis corporibus per totum spatium imaginarium locabilibus, quare sicut illa corpora possunt varias, & multas terminare præsentias, sic modo pariter divina substantia, & Doct. l. c. cum probat creationem, & conservationem eundem importare respectum, ex eo probat, quod ejusdem re, & ratione ad idem re, & ratione, semper permanet idem respectus, in proposito autem divina substantia considerata, ut coexistens diversis partibus spatii imaginarii v. g. orientali, meridionali, occidentali, non est in se eadem re, & ratione, sed habetur ut virtualiter multiplex, atque ideo diversas potest terminare præsentias ejusdem omnino mobilis ad seipsam.

209 Arriag. quoque d. 14. cit. a n. 32. assert quorundam inventum, qui dixerunt spatium imaginarium nil aliud esse, quam infinitas Dei virtualitates, quibus correspondet infinitis corporibus possibilibus, unde in eadem divina

divina substantia indivisibili dant unam virtualitatem, quæ fit Romæ, & non sit Praga, & hoc a parte rei; quem dicendi modum acriter ibi inestatur hic auctor. Verum quamvis prima facie hic dicendi modus videatur cum nostro coincidere, valde tamen differunt, nos enim solum asserimus, divinam substantiam ob ejus limitationem in ordine ad locum æquivalere terminis distinctis diversarum præsentiarum, quod etiam ipse Arriag. ultro concedit sub n. 38. at illi Auctores quid amplius volebant? & ideo objectiones, quas contra illos congerit, contra nos directe non procedunt, licet prima facie videantur procedere, unde data recta nostræ sententiæ intelligentia, facile solvetur, si contra nos adducantur; quæ plane haberi nequit nisi ex disp. 11. Phys. ubi etiam videbis, quomodo immobilitas loci, & ubi attendi quoque debeat in ordine ad divinam substantiam ubique diffusam, quæ est prorsus immobilis, & consistens, quamvis enim hunc etiam modum salvandi immobilitatem loci conetur rejicere Bonet. cit. cum multis aliis dicendi modis Thomist. Scotist. Averroist. & Nominal. quod ibi valde accurate refert, & refellit, re tamen vera hic est ceteris probabilior: & tres modi, quos ipse ibi offert, ut de mente Ar. & Com. sunt prorsus insufficientes, nam primus modus tribuit immobilitatem solum locis Cælorum, quatenus superficies concava unius est locus perpetuus, & incorruptibilis alterius, secundus tribuit immobilitatem solum locis elementorum, quatenus singula habent sua loca determinata, & invariabilia; tertius tandem tribuit utique immobilitatem cuicumque loco, non tamen secundum considerationem naturalem, sed tantum secundum mathematicam, quia hæc, abstrahit a motu, & materia sensibili, atque ideo singuli isti modi deficiunt, quia vel non salvant immobilitatem cuicumque loci, cum tamen de loco in genere immobilitatem asseruerit Ar. ut constat 4. Phys. 41. & rationes pro immobilitate loci æque convincant de omnibus: vel non salvant illam, ut omnino oppositam motui locali: vel demum non secundum considerationem naturalem, sed tantum mathematicam, cum tamen per rationes naturales, & physicas demonstrat immobilitas loci etiam, ut ad physicum spectat, ut suo loco dicemus.

Tertio dubitatur, quibus rebus conveniat ubi hujus prædicam. hinc enim facile postea colligemus species hujus prædicam. Ad hujus puncti resolutionem opus est breviter ex Phys. recollere, quamnam res proprie dicantur esse in loco, quæ enim proprie sunt in loco, singula habent proprium ubi hujus prædicamenti. Aliqui res omnes prorsus tam corporeas, quam incorporeas, ac etiam Deum ipsum in loco reponunt, licet non in certo spatio reclusum, sed ubique in omni loco diffusum, ac consequenter affirmant, non solum ubi creaturarum, sed etiam ipsum ubi Dei immensitatem ad hoc spectare prædicam. ita Fous. 5. Met. 15. q. 9. sect. 3. & 7. Alii e contra excludunt ab hoc prædicam. non solum ubi immensitatem Dei, sed etiam ubi angelicum, eo quia non proprie ponunt Angelum in loco per intimam præsentiam suæ substantiæ in tali loco, vel spatio, sed per operationem, & applicationem virtutis, unde talis denominatio essendi in loco potius pertinere videtur ad prædicam. actionis, ita Thomistæ 1. part. quæst. 52. art. 1. & 2. ubi proinde ait S. Thom. Angelum æquivoce esse in loco cum corpore, quia Angelus potius continet locum, quam continetur a loco, id ipsum clarior docet opusc. 48. c. 1.

210 Verior sententia, quam docemus disp. 11. Phys. q. 4. & est communis extra scholam S. Th. negat Deum esse proprie in loco, quod manifeste docuerunt Aug. lib. 83. qq. q. 20. & Ansel. in Monolog. c. 22. ubi inquit melius dici Deum esse cum loco, quam in loco, quia contineri in loco limitationem innuit: affirmant autem ex alia parte, medium corporibus, sed etiam Angelis proprie convenire esse in loco per applicationem substantiæ ad certum locum, & spatium; unde quamvis in specie longe diversi sint modi essendi in loco rerum corporalium, & spiritualium, quia corpora dicuntur esse in loco circumscriptive, id est cum extensione partium, spiritus vero definitive, seu incircumscriptive sine tali commensuratione: nihilominus in genere convenire possunt in aliqua ratione communi univoca ab illis præcisa, & hæc erit continentia passiva, seu realis præsentia rei locatæ ad locum, a quo continetur, ut abstrahit a circumscriptiva, & definitiva, quæ univocatio poterit ostendi rationibus illis, quibus probari solet univocatio quorundam transcendentium: Quare ubi Angelicum quoque ad hoc spectabit prædicamentum, cum sit forma inhærens Angelo, per quam formaliter constituitur in loco, & eadem ratione ad hoc quoque spectabit prædicamentum ubi sacramentale, quo Christus dicitur esse indivisibiliter sub speciebus consecratis, ut docet Scot. 4. d. 10. q. 1. K. quia est modus ejusdem rationis cum Angelico. Nec refert, quod corpus Christi non constituitur sub illis, velut in loco, quia non tantum respectus continentiæ activæ, vel passivæ, qualis est præsentia localis, ad illud artinet prædicam. sed quilibet alter respectus præsentiam importans quomodocunque; nec etiam refert, quod Gilb. tantum definit ubi circumscriptivum, quia verum est ipsum non assignasse rationes generales illorum

prædicam. in tanta amplitudine, sicut assignari poterant, ac debebant, ita Doct. loc. cit. e contra vero, quia Deus proprie non est in loco, sed potius abusive, nec ejus ubi immensivum est forma accidentalis, nam si sumatur radicaliter pro aptitudine, quam habet ad essendum in omni loco, est ipsum immensivum attributum, si sumatur actualiter pro eo, quod Deus dicitur actu esse ubique, est pura denominatio extrinseca, idcirco ubi immensivum est a prædicam. rejiciendum.

211 Quarto igitur ad inveniendas hujus prædicam. species ita dividi debet modus essendi in loco, unus indefinitus, & immensivus sine ullo limite, qui solo Deo competit, nec spectat ad hoc prædicam. alter essendi in loco definite, id est in loco determinato, & intra certos fines, qui convenit rebus finitis, & creatis, & hoc ubi directe spectat ad istud prædicam. ut genus supremum, & dividitur in duo genera subalterna, scilicet in ubi circumscriptivum, quod est præsentia rei extensa in loco, ita ut sit tota in toto, & pars in parte, & in ubi incircumscriptivum, quod est præsentia rei inextensa in loco, ita quod sit tota in toto, & tota in qualibet parte, ac etiam dici solet ubi definitivum nomine dividi applicato uni membro dividendi. Deinde ubi circumscriptivum dividitur in penetrabile ex sua natura, & hoc convenit omni substantiæ, & accidenti corporeo seclusa quantitate, nam manent extensa per locum, sed possent ab alia re penetrari, & ejus præsentiam admittere in eodem loco; & in impenetrabile ex sua natura, quod convenit soli quantitati, quæ est radix impenetrabilitatis, & cæteris per ipsam. Tandem ubi incircumscriptivum, seu definitivum aliud est naturale, & loquax, & hoc ex natura rei spiritibus convenit; aliud est supernaturale, nec ex natura sua determinatum est ad certum spatium, & etiam immensivum non sit, & hoc est ubi, quod Deus communicat corpori Christi in Eucharistia, nam ibi est totum in toto, & totum in qualibet parte hostiæ, & potest esse in quibuscunque hostiis consecratis, & proprio nomine appellatur a Theologis ubi sacramentale.

Quæritur hic ulterius, an esse propinquum, vel distans sint relationes hujus prædicamenti; cui quæstio respondet hic Poncius disp. 17. Log. n. 70. vel quæri de propinquitate, & distantia duorum locorum adinvicem, vel de propinquitate rei localis ad locum, vel locorum aliorum; si de primo queratur, affirmative respondet ex suppositione, quod duo loca sint mobilia, & aliquando possint habere majorem, aliquando minorem distantiam, aut propinquitatem, quia ex tali suppositione non præsupponunt aliquid, ad quod necessario sequantur, & cum quo habeant necessariam connexionem, ergo sunt extrinsecus advenientes; ex suppositione autem, quod loca sint immobilia, & quod propterea nunquam possent fieri, ut eorum propinquitas, vel distantia mutetur, respondet negative, quia erunt relationes intrinsecus advenientes, tam enim necessario sequuntur illa duo extrema posita simul, quam similitudo sequitur necessario duos homines simul positos, si de secundo queratur, respondet adhuc affirmative, quia nihil præsupponitur ad illam propinquitatem, aut distantiam, ad quod necessario sequantur, & cum quo habeant necessariam connexionem. Oppositum manifeste colligitur ex Scoto 4. d. 10. quæst. 2. R. ubi ait, quod positus duobus corporibus hic, & ibi, necessario inter ea resultat tanta distantia vel propinquitas, quia hujusmodi relationes non immediate fundantur supra res, sed supra ubicationes illarum; quæ determinatæ sunt ad fundandam tantam distantiam, vel propinquitatem; ex quo pater fundamentum Poncii falsum esse, cum agebat nihil præsupponi in corporibus ad propinquitatem, vel distantiam, ad quod necessario sequantur, & cum quo necessariam habeant connexionem. At respondet Poncius etiam hoc concessio negando hinc sequi esse relationes intrinsecus advenientes, quia licet non possint esse istæ duæ præsentiæ, quin sit ipsa propinquitas, vel distantia, tamen bene potest esse propinquitas, quin sint præsentia, nam duo Angeli possunt habere distantiam, & propinquitatem adinvicem, quamvis non existerent ulla loca, quibus essent præsentis: itaque ut relatio sit intrinsecus adveniens, debet necessario præsupponere aliquid, sine quo non potest existere, cum ergo propinquitas duorum locorum, & distantia possit esse sine præsentia eorum ad loca, sequitur quod quamvis non possint esse tales præsentia sine propinquitate, quod tamen ista propinquitas non sit intrinsecus adveniens.

Verum hæc solutio manifeste contradicit Doctori loc. cit. & veritati, inquit enim Doctor hujusmodi relationes propinquitatis, & distantia non immediate fundari supra res, sed supra ubicationes illarum, quæ determinant res ubicas ad fundandam tantam, vel tantam distantiam, falsum ergo est posse duos Angelos tantam, vel tantam distantiam fundare, vel propinquitatem absque ubicationibus, quia si non haberent ubicationes locales, quæ nimirum sumuntur in ordine ad locum, haberent saltem præsentiales, quæ defumuntur in ordine ad spatium, vel ad partes virtuales divinæ substantiæ ubique diffusæ. Conf. quia destructis omnibus locis illi duo Angeli, quos adhuc

ponis per leucam v. g. distare, vel per suas proprias entitates fundant talem distantiam, vel per aliquid superadditum; si secundum, hoc esse nequit nisi ubicatione; si primum, ergo duo illi Angeli semper talem retinerent inter se distantiam, quamdiu propriæ manerent entitates; quia illa ponuntur rationes fundandi talem respectum: tum quia adhuc sequitur esse respectum intrinsecus advenientem, quia necessario sequeretur ad entitates proprias illorum Angelorum, si in eis immediate fundaretur. Concludendum igitur est, quod five sit fermo de propinquitate, & distantia duorum locorum adinvicem, five duorum locorum, semper hæc relationes sunt intrinsecus advenientes, quia necessario sequuntur extrema; & quidem quod ait Poncius propinquitatem, & distantiam duorum locorum esse respectus extrinsecus advenientes ex suppositione, quod sint mobilia, est omnino vanum, & inutile, quia præcipua loci affectio est esse immobilem, tum quia ex suppositione etiam, quod loca essent mobilia, non adhuc sequitur intentum, quia tunc eadem esset ratio de locis, & locatis, modo autem quamvis locata sint mobilia, adhuc tamen distantia, & propinquitas inter illa sunt relationes extrinsecus advenientes, ut probatum est ex Scot. loc. cit.

212 Quoad prædicamentum situs, qui alio nomine dicitur positio, Doct. 4. d. 10. quæst. 1. §. Dico ergo, distinguitur duplicem positionem, unam, quæ dicit formaliter ordinem partium in toto, & per hæc circumscriptivam differentiam quantitatis continuæ, aliam, quæ dicit ordinem partium in loco, & constituit hoc prædicamentum, vel saltem directe ad illud spectat, quod ideo additur, quia etiam positio primi generis, esto per eam circumscriptivam differentiam quantitatis, debet saltem reductive in hoc prædicamento reponi, ut hic notat Ant. And. cum sit respectus extrinsecus adveniens, nam partes totius, quæ sunt extrema hujus positionis, possent esse invicem separate, & tunc non esset ordo illarum partium in toto: five autem positio primo modo sumatur, five secundo modo, certum est, non nisi ad res corporeas pertinere, quia incorporeæ nullas habent partes integrales, ratione quarum dicantur situatæ, ac etiam esse denominationem intrinsecam, quia non dicitur quis sedens a sede, sed a sessione, ut a forma ei intrinseca. Præcipua vero difficultas est, quomodo situs constituat diversum prædicamentum ab Ubi: Solent Scotistæ ex eo ista distinguere, quod Ubi dicitur habitudinem totius circumscripti ad totum circumscriptum, positio vero, seu situs habitudinem partium circumscripti ad partes loci circumscriptibentis, hoc enim solum discrimen assignavit Doctor loc. cit. & quia interdum invariato Ubi, mutatur situs, ut notavimus in Inft. cum enim vinum in vase agitatur, totum vinum semper eundem retinet locum totalem, sed partes variant locum partialem, quia successive respondent diversis partibus vas; hinc tanta videtur argui distinctio inter illa, quanta sufficit ad constituenda diversa prædicamenta. Et hæc ratio aptior est ad ostendendam distinctionem ex natura rei inter Situm, & Ubi, quam allata a nonnullis, quod potest mutari Ubi immutato situ, ut si quis sedens, aut jacens curru feratur, variat Ubi, quia successive est in alio, & alio loco, non tamen variat situm, quia semper manet sedens eadem sessione. Sane hoc est impossibile prorsus, quia situs est forma loco ad dicta non minus, quam ipsum Ubi, ergo sicut situs absolute sumptus respicit necessario locum, ita talis situs talem locum, ita quod omnino implicat remanere eundem situm corporis, si variatur locus, & Ubi, unde quando quis sedens fertur rheda, vel navi, & cæteris remanet eadem sessio, quatenus manet quoque idem Ubi immediatum respectu navis, quam respicit, ut vas, non ut locum, ut etiam dicimus de aqua delata in amphora: & dicitur mutare Ubi mediae solum, & per accidens, quatenus tota navis, quæ est id, quod per se movetur, continuo acquirit alium, & alium locum, ut habetur 4. Phys. Immo Arriag. 5. Metaph. num. 43. ait re vera mutari sessionem, & solum moraliter censer eandem, quatenus succedunt alia positiones omnino similes in ordine ad distantiam partium inter se.

213 Alii tamen hanc situs explicationem impugnant, quia si non est, nisi ordo partium locati ad partes loci, jam non discriminatur ab Ubi circumscriptivo. Prob. consequ. quia per hoc Ubi ita ponitur corpus in loco, ut totum corpus sit in toto loco, & partes locati in partibus loci, ergo jam in ratione formali istius Ubi includitur ordo partium locati ad partes loci, atque ideo in tali ordine nequit situs consistere, alioquin non constituitur distinctum prædicamentum ab Ubi, cum ad ejus integritatem spectet. Accedit, quod cum totum integrale non sit aliquid realiter distinctum secundum probabiliorum, a suis partibus, sic in proposito respectus totalis ipsius corporis ad totum locum non erit aliud ab ipsis partialibus simul sumptis, nam sicut se habet fundamentum ad fundamentum, ita respectus ad respectum. Et tandem respectus partium locati ad partes loci non sunt, nisi plura Ubi partialia, sicut respectus totius locati ad totum locum est Ubi totale, ergo tam hic, quam illa spectant ad prædicamentum Ubi. His rationibus concludit Bonet. in suis prædic. ordinem partium

locati ad partes loci non esse de genere situs, at iniquit passum alii Scotistæ, sed de genere Ubi: unde ibidem ita explicat situm, ut sit modus quidam ipsius Ubi sic, quod Ubi dicat absolute præsentiam rei in loco, situs vero specificet modum præsentia, sic, vel sic, scilicet, jacendo, stando, vel sedendo, unde secundum hanc viam, quam communiter sequuntur Recentiores illi, qui distinguunt situm ab Ubi, situs fundatur in Ubi, & est accidens ejus, & dividitur in sessionem, sessionem, &c. ut genus in specie, quod etiam videtur innuere Doc. cit. dum inquit, quod positio specificat Ubi.

214 Certe hæc explicatio situs magnum habet fundamentum, tum in definitione a Gilb. allata, ait enim, quod positio est quidam situs partium, & generationis ordinatio, secundum quam dicuntur stantia, vel sedentia, &c. tum in ipso Arist. qui per stare, federe, jacere, &c. explicat rationem situs; & rationes etiam, quibus subtilis hic Scotista probat ordinem partium in loco pertinere ad prædicamentum Ubi, sunt magni ponderis; unde fatemur, quod volentes constituere situm prædicamentum distinctum ab Ubi, facilius id assequuntur tenendo hanc secundam viam, quam primam. Nobis tamen magis expediens videtur tenendo primam viam negare situm esse prædicamentum distinctum ab Ubi, quam tenendo secundum multiplicare entia, & modos sine necessitate, tum quia, ut ait Arriag. cit. n. 42. sufficienter intelligitur res situata per illum ordinem partium ipsius locati ad locum, quem rejicit Bonet. ad præd. Ubi, per illum enim intelligitur sic ubicationis, vel sedens absque additione alterius modi, tum quia licet modi dari possint in diverso genere modificandi, non tamen in eodem genere, at sessio, statio, &c. si sunt modi ipso Ubi superadditi, sane sunt ipsi quoque modi præsentiales, seu præsentiam importantes, unde cum ipsum quoque Ubi præsentiam importet, jam daretur præsentia præsentia, ergo magis expedit negare situm esse distinctum prædicamentum ab Ubi, quam illum statuere, ut novum modum præsentialitatis ipsi Ubi superadditum; tum quia divisio illa præd. non est necessaria, & ex natura rei, tum quia Arist. 1. Post. 148. & 5. Ph. 9. & 5. Met. c. 7. recentius prædicamenta hujus non meminit; tum tandem quia etiam Scotus ipse loc. cit. in 4. non inquit absolute esse prædicamentum distinctum ab Ubi, sed ita poni a quibusdam, unde non multum anxii de hac re esse debemus, nec etiam solliciti de solutione rationum Boneti, quibus probat ordinem partium locati ad partes loci spectare ad prædicamentum Ubi, atque ideo non in eo consistere rationem situs, quia tunc non constitueret prædicamentum distinctum ab Ubi. Nam concessio ant. neg. consequ. ultro concedentes distinctum prædicamentum non constitueret. Adhuc tamen libet singulis satisfacere in gratiam eorum, qui vellent ea distinguere.

215. Ad 1. non inconvenit rem unius prædicamenti interdum concurrere ad integritatem rei alterius prædicamenti, nam secundum commanem figuram est de prædic. qualitatis, & pertinet ad integritatem quantitatis, unio etiam substantialis concurrat ad constitutionem compositi substantialis, & tamen est de genere accidentis essentialiter, & solum denominative substantialis, & sic in multis aliis, ita ergo in proposito poterit situs concurrere ad constituendum Ubi circumscriptivum, etiam si sit diversum prædicamenti. Ad 2. constat ex exemplo allato de vino in vase agitato præsentiam totius locati ad totum locum distinctam esse a singularibus præsentia partium, & ratio est, quia licet totum integrale non sit quid realiter a partibus distinctum, sæpe tamen in omnibus illis simul sumptis, & sub unione conceptis fundatur talis respectus, qui nequit fundari in singulis distributive sumptis, aut etiam collective, sed non sub unione, ut constat de æqualitate unius palmi ad aliud, quæ postulat pro fundamento totam quantitatem palmarem, ut sic, & est uniea, & simplex relatio, non autem una totalis ex multis æqualitatibus composita, quæ fundentur in singulis partibus. Ad 3. concedimus respectus illos partium locati ad partes loci esse Ubi partialia, & idcirco non spectant ad prædic. Ubi, in quo solum ponuntur præsentia totales, in prædic. vero situs partiales.

Petes, an situs sit modus solius quantitatis; Videtur affirmare Doct. loc. cit. quia illum ibi appellat modum quantitativum; dicendum tamen est situm convenire cuicumque rei extensæ in loco, quare cum substantia materialis secundum nos possit esse extensa in loco etiam seclusa quantitate, licet penetrabiliter, ita quoque proportionatum situm habebit, & ideo sicut dividebatur hæc de causa Ubi circumscriptivum in penetrabile, & impenetrabile, sic etiam situs dividendus est, potest tamen appropriate dici situs modus quantitatis, licet aliis conveniat, ea ratione, quæ diximus disp. præced. quæst. 3. art. 2. figuram dici modum quantitatis, etiam si consequatur rem omnem extensam, an vero corpus in vacuo esset situatum, respondendum est, sicut de Ubi dicebamus; & de eodem an rarum, densum, asperum, & lene, ad hoc prædicamentum pertineant, dicimus in lib. de gener. & corrupt.

Poncius disp. 17. Log. quæst. 7. inquit, situm importare non posse respectum extrinsecus advenientem subjectatum in re locata, & terminatum ad locum, quia omnis talis

respectus aut est Ubi, vel saltem realiter identificatus cum ipso, atque ideo non constitueret diversum prædicamentum ab ipso Ubi, quod ibi quibusdam rationibus comprobare conatur; Quare concluditur, quod ponendo Situm constituere diversum prædicamentum ab Ubi, dici debet, quod consistat in dispositione partium in ordine ad se, ratione cuius si poneretur in loco, diceretur res sedere, aut stare, aut jacere, &c. quæ dispositio est respectus extrinsecus adveniens; Quod probat, quia hæc dispositio est aliquid tam per se collocabile in aliquo prædicamento quam Ubi, & est omnino distinctum ab Ubi, quia hæc dispositio potest esse eadem numero in diversis locis, in quibus variaretur Ubi; & præterea non potest intelligi situs sine ipsa, ergo dicendum est, quod sit Situs, Conf. quia si sic explicetur ratio Situs, potest salvari distinctio realis, & essentialis inter Ubi, & Situm, & ex altera parte nihil aliud potest assignari, quod sit Situs salva tali distinctione, ergo quandoquidem detur talis dispositio a parte rei, magis congrue dicitur, quod sit Situs, quam aliquid aliud.

Hæc tamen explicatio Situs nequaquam subsistere potest, quia, ut supra dicebamus, Situs est forma loco addita non minus, quam ipsum Ubi, ergo sicut Ubi nequit explicari, nisi per ordinem ad locum, ita quoque Situs. Tum quia dispositio partium in ordine ad se potius circumferibit differentiam quantitatis continuæ, ut supra dictum est num. 212, quam positionem de genere Situs. Quod si dicat Poncius ipsum non loqui de dispositione partium in eo sensu in ordine ad se, sed de ea dispositione in ordine ad se, ratione cuius si res poneretur in loco, diceretur sedere, stare, vel jacere; Contra statim est, quod hæc manifesta videtur implicancia, si enim ea partium dispositio talis est, ut ratione illius res dicatur sedere, stare, vel jacere, ergo non est dispositio partium in ordine ad se, & abstrahens a loco, sed omnino locum concernens, & partes loci; Probatur consequentia, quia implicata apprehendere corpus sedens, stans, vel cubans per talem partium dispositionem, quæ omnino abstrahat a loco; ergo si situs consistit in dispositione tali partium, ratione cuius corpus dicatur stare, vel sedere, debet talis dispositio explicari per ordinem ad locum, & non præcise per ordinem ad se; quare concludendum est, situm explicari debere per ordinem partium rei locata in ordine ad locum, vel partes ejus altero ex duobus modis jam relatis. Neque rationes ejus multum valent, nam ad primam dicendum est, quod licet illa partium dispositio in ordine ad se sit aliquid in prædicamento collocabile, & ab Ubi distincta, non hinc sequitur in hoc prædicamento constitui debere saltem directe, nam potius spectat ad prædicamentum quantitatis, & ejus differentiam explicat, ut inquit Doctor loc. cit. Ad Conf. negatur assumptum, quia data explicatione Situs altero ex duobus modis jam assignatis, bene salvatur distinctio realis Situs ab Ubi, ut declaratum est, & rationes quibus oppositum ostendere nititur num. 73. & 74. specialem difficultatem non continent, quæ superius non sit soluta, unde minime opus est eas adducere, & sigillatim diluere.

De Quando, & Habitu.

216 Quidam res non tantum dicuntur esse in loco, sed etiam in tempore hoc, vel illo, ut heri, hodie, superiori anno, ut Aristot. exemplificat in ante prædic. cap. 5. sicut per Ubi constituitur in spatio loci, ita per Quando in spatio temporis, & durationis. Ut autem appareat penes quam durationem debeat hoc prædicamentum attendi, sciendum est duplicem durationem realem solere distingui, unam extrinsecam, quæ, scilicet, comparatur ad aliam rem, ut mensura illius, qualis est duratio motus horologii respectu aliorum motuum, alteram intrinsecam, per quam res in seipsa durat, quocumque alio extrinsecum mensurante ablato. Suarez disp. 50. Met. sect. 12. num. 8. quem sequuntur hic Amic. Blanc. & alii, constituit hoc prædicamentum in duratione intrinseca rerum, sed sane minus consequenter, quia ut dicimus in Jusd. & tenet ipse Suar. duratio intrinseca rei non est nisi ejusdem existentia perseverans, at existentia non ponitur in diverso prædicamento a re, cuius est, præsertim cum in sententia nostra, & Suar. realiter ei identificatur, ergo &c. Nec valet, quod inquit, Suar. ita saltem distingui a re durante, ut licet non prædicetur de ea, ut accidens Physicum, prædicatur tamen ut accidens Logicum, & hoc sufficere, ut sit distinctum prædicam. Non valet, tum quia existentia etiam prædicatur accidentaliter Logicè de creaturis; tum quia accidens prædicabile non sufficit ad constituendum accidens prædicamentale ex illis novem generibus, nam substantia esse potest accidens prædicabile, non tamen prædicamentale. Deinde etiam in sententia realiter distinguente durationem intrinsecam a re durante, non bene poneretur hoc prædicamentum ex ea constitui, nam hoc prædicamentum nec tempus, nec rem temporalem importat, sed quod ex adjacentia temporis in re temporali

derelinquitur, ut constat ex ipsa Gilb. definitione, Quando est id, quod ex adjacentia temporis in re temporali derelinquitur, quare sicut Ubi non dicit formaliter locum; sed quod ex applicatione loci resultat in loco, sic in proposito Quando non dicit tempus, sed quod ejus applicatione resultat in re temporali, & mensurata per ipsum. Tandem proprie loquendo res durare, & esse in tempore, non sunt idem, nam esse in tempore ex 4. Phys. 117. est contineri, ac mensurari tempore, durare vero est perseverare in esse, sed Quando importat rem esse in tali, & tali tempore, ut heri, hodie, &c. ergo.

217 Alii proinde communiter docent, hoc prædicamentum non constitui per durationem intrinsecam rerum, sed potius per coexistentiam ad aliquam extrinsecam, nempe ad motum primi Cœli, qui ut regulatus, & uniformis dicitur mensurare durationem illarum, dicitur tempus extrinsecum, ut diximus in Insit. unde nec ipsum tempus, ut est intrinseca duratio motus primi Cœli, spectat ad hoc prædicamentum, sed ut ponit adjacentiam suam in rebus, quas mensurat; & hæc est vera explicatio istius prædicamenti, res enim præcise per coexistentiam ad motum primi Cœli in ratione mensuræ dicuntur tanto, vel tanto tempore durare, idest per diem, vel annum, dicuntur esse hodie, heri fuisse, &c. quæ sunt vere denominationes hujus prædic. ut constat ex exemplis ab ipso Arist. allatis, unde S. Th. op. 48. cap. de Quando, per adjacentiam temporis ad rem temporalem intelligit mensurationem: quod ergo ex mensuratione tali in re temporali derelinquitur, est id, in quo formaliter consistit hoc prædic. ut saltem directe ad istud spectat.

Sed quamvis hic sit communis omnium sensus in constitutione prædic. Quando, non tamen omnes conveniunt in explicatione illius, quod ex adjacentia temporis relinquitur in rebus sibi subjectis; Thomistæ passim insinuant esse accidens reale, ut videre est apud Compl. cit. qn. 4. & Sanch. lib. 6. Log. q. 9. idem quoque videntur sentire Scotistæ hic in Log. dum inquirunt ex adjacentia temporis ad rem temporalem resultare in tempore Quando activum, & in re temporali passivum, quos significant esse respectus reales extrinsecos advenientes; fundatur hæc opinio præsertim in paritate ex Ubi desumpta, sicut enim ex extrinseca circumscriptione loci resultat in re locata Ubi, ut accidens reale, per quod formaliter dicitur esse in loco, sic ex incidentia extrinseca temporis mensurantis res temporales resultat in eis Quando, ut accidens reale, per quod formaliter dicuntur esse in tempore. Quem dicendi modum sequitur Poncius hic, ubi tamen nota male ab ipso describitur Quando esse convenientiam rei creatæ durantis ad aliam rem durantem, nam non coexistentia unius rei ad aliam, sed coexistentia rei ad tempus est Quando, adeo ut terminus istius coexistentiæ pertinet ad hoc prædicamentum sit tempus primi mobilis, non autem quacumque alia res durans, ut Poncius velle videtur.

218 Dicendum tamen est, Quando non importare in rebus temporali subjectis formam intrinsecam, & realem, sed solum denominationem extrinsecam sumptam a tempore, cui res coexistunt, & in quo esse dicuntur, atque denominantur esse hodie, heri fuisse, &c. Prob. quia si quando formam realem importaret in re durante, hæc utique foret relativa, ut est Ubi, non autem absoluta, sed nullam talem relationem realem importare potest, quæ spectet ad hoc prædicamentum, ergo &c. Prob. min. quia per Quando non potest in re temporali importari relatio ad tempus, seu motum primi Cœli, nisi mensurati ad mensuram, ut constat ex declaratione allata rationis ejus, sed hæc relatio non est realis, sed rationis, ut notat Doctor quol. 13. N. quia versatur inter extrema non ut habentia esse reale, seu cognitum, unde relatio mensuræ fundatur in objecto, ut cognitum, quatenus mensura concipitur ut medium ad cognoscendum mensuratum, & relatio mensurati fundatur in re mensurata, ut notificata per mensuram; & denique d. 13. Ph. q. 4. art. 2. ostendimus tempus extrinsecum in ratione mensuræ non esse quid reale, ergo relatio importata per Quando nequit esse realis. Si dicas, saltem relationem mensurabilis ad mensuram esse realem, & hanc derelinqui a tempore extrinseco in re temporali. Contra, hoc falso dicitur, quia hoc non convenit illi ex vi temporis, sed ab extrinseco, etiam si per impossibile nullum esset tempus extrinsecum, quia ex vi suæ intrinsece durationis dicitur sic mensurabilis. Si dicas, hanc relationem realem esse ipsam coexistentiam rei temporalis ad tempus, unde pluviam heri fuisse est coexistisse circulationi hesternæ primi Cœli, esse hodie est coexistere hodiernæ. Contra, quia vel ista coexistentia importat solum amborum existentiam in rerum natura, & hoc dici non potest, quia non esset major ratio, cur unum sit mensura, & aliud mensuratum; si est relatio coexistentiæ ut mensurati ad mensuram, jam constat non esse realem. Accedit, quod coexistentia sumpta pro amborum simultanea existentia est relatio intrinsecus adveniens, quia posita re temporali, & motu primi Cœli, necessario sequitur talis coexistentia.

219 Nec valet, quod inquit Scotista ex Ant. And. in hoc prædicam. si lapis moveretur modo extra Cœlum, tunc motum lapidis non coexistere motui primi Cœli coexistentia istius prædicamenti, quia non mensuraretur per illum, unde

unde inquirunt res debere approximari primo Cœlo, ut inter ipsas, & motum ejus resultet respectus quando, censeferi autem sufficienter approximatas eo ipso, quod intra ambitum hujus universi continentur. Non valet, tum quia jam concedunt ex ipsa responsione, quando, non importare qualemcumque coexistentiam rei temporalis ad tempus, sed coexistentiam in ratione mensurati ad mensuram; tum quia gratis etiam dicitur videtur motum brachii factum a Beato extra extimam partem Cœli non mensurari e motu primi Cœli, quia sicut motus primi Cœli ideo mensura dicitur motuum factorum intra ipsum, quia ob ejus uniformitatem assumitur a nobis ad hoc munus, ita quoque potest assumi ad mensurandum motum lapidis factum extra Cœlum, si Deus nobis ostenderet illum motum; Potius ergo dicendum est consistere in denominatione extrinseca sumpta a tempore, & dici respectum extrinsecus advenientem, quia ad instar talis respectus nata est concipi, cum motus primi Cœli non dicatur mensurare hos inferiores, nisi prius facta per intellectum applicatione ipsius veluti mensuræ ad illos, quæ se habet veluti approximatio inter extrema, ut resultet ille respectus, quod utique proprium est respectu extrinseci.

Fundamentum vero oppositæ sententiæ facile diluitur neg. paritatem assumptam de Ubi, & Quando; tum quia Ubi est terminus motus, & actionis, quæ in motu intervenit, ergo necessario esse debet quid reale, at Quando nullius actionis realis, nulliusque motus est terminus; tum quia potius Ubi, & Quando oppositas habent condiciones, nam ut res dicatur successive præfens alteri, & alteri spatio locali, locus debet esse immobilis, & locatum debet continuo mutari, ut vero dicatur successive præfens alteri, & alteri spatio durationis, duratio ipsa debet esse fluens, & transiens, res vero ipsa concipitur ut immobilis, & eadem perseverans; ex quo patet, Quando bene munus suum obire per solam extrinsecam denominationem, non autem Ubi, de quo disp. 13. Phys. n. 9.

220 Quæres, quibus rebus possit applicari denominatio hujus prædicamenti, Masius quæst. 4. vult convenire solum rebus corruptibilibus, quod colligit ex Arist. 4. Phys. 117. Sed potius asserendum est, hanc denominationem posse omnibus rebus aliquo modo accommodari per coexistentiam ad tempus, non enim solum successive, sed etiam permanentia dicuntur esse in tempore; & mensurari tempore per coexistentiam ad illud, immo ipse quoque immortales substantiæ, ut Angelus, & anima, unde dicimus Angelos hodie esse, & in omni tempore, licet non transire cum tempore; quod eo vel maxime dicendum, quia falsum est eorum durationem intrinsecam mensurari posse per coexistentiam ad ævum primi aviterni, sicut communiter putatur, ut ostendimus ex professo in Phys. loc. cit. Neque Arist. 7. Phys. vult negare absolute substantiis immortalibus esse in tempore, sed solum non esse in tempore, sicut subalternaria senescendo, & deficiendo, nam ratione coexistentiæ non minus sunt in tempore, quam subalternaria; Immo Fontec. 5. Met. cap. 15. quæst. 10. ratione istius coexistentiæ ad tempus tendit hanc denominationem ad Deum ipsum, quia denominatur omni tempore fuisse, & esse, & de filio Dei dicitur: *Ego hodie genui te*, quod sine scrupulo concedi potest, cum denominatio hujus prædicamenti sit solum extrinseca. Aliqui negant accommodari posse rebus instantaneis, quia de ipsis interrogare non licet, quando fuerunt, vel erunt. Sed cum, & ipsa dicantur esse in instanti, potest & ipsis suo modo hæc denominatio competere. Quidam etiam excipiunt a denominatione hujus prædicamenti ipsum motum primi mobilis, quoniam non extrinsece, sed intrinsece denominatur a quo tempore. Sed cum ipse Cœli motus possit mensurare seipsum secundum partes, idest motum unius partis assumi ad mensurandum motum alterius, hoc sensu poterit, & ipse hanc denominationem participare. De speciebus autem hujus prædicamenti non oportet esse admodum sollicitos, quia ut Scot. docet 1. d. 8. q. 3. O. & Tromb. 1. Met. q. 1. ad 4. vel paucas habet, vel nullas.

221 At objicitur aliqui, param denominationem extrinsecam non sufficere ad constitutionem unius prædicamenti, quia deberent constitui plura alia prædicamenta juxta multitudinem harum denominationum, unum, scilicet, ex denominationibus, quibus objecta denominantur ab actibus, aliud ex eis, quibus Deus denominatur ab effectibus creator, redemptor, &c. aliud ex eis, quibus columna dicitur dextra, sinistra, &c. sicut igitur hæc denominationes non constituent prædicamenta diversa, sed reducantur ad prædicam. formarum, a quibus sumuntur, vel subjectorum, quæ denominantur, ita de Quando dicendum esset, si foret pura denominatio extrinseca. Resp. nos non esse ita sollicitos de indemnitate decadis prædic. ut sunt nonnulli, qui contendunt, omnia novem genera esse vera, & physica accidentia; hoc enim falsum est, quia hæc novem genera potius distincta sunt, ac enumerata ex speciali modo denominandi primam substantiam, quam inhærendi, ut notavit S. Th. opus. 48. cum ergo denominatio Quando necessaria sit, & frequentissima inter homines, non minus, quam denominatio Ubi, dicimus enim res esse in loco, & in tempore, sicut Ubi constituit unum prædicamentum, Masius, & Bellui Tom. I. Logica.

ita visum est sapientibus ex Quando aliud constituere speciale prædicamentum magis, quam ex aliis denominationibus, quæ non videntur ita necessaria, quod mirum esse non debet, quia ut sæpius dictum est, hæc prædicamentorum divisio est arbitraria, & famosa, non necessaria; quod autem ex his novem generibus hoc sit accidens, & forma realis, illud sola extrinseca denominatio, non est pendendum ex aliqua generali ratione omnibus communi, sed ex specialibus rationibus singulorum, atque numeribus.

222 Circa prædicamentum habitus, sane ridicula est, ac Philosophis indigna constitutio hujus prædicamenti, quam passim assignant Auctores, innixi enim exemplo, quo Arist. hoc explicuit prædicam. scilicet, *Calceatum esse, armatum esse*, solum illam denominationem, ajunt, hoc constituere prædicamentum, quia quis dicitur habere circa se vestes, & indumenta, quam aliqui ponunt solum extrinsecam a vestibus desumptam, alii etiam intrinsecam, ita ut cum quis se vestit, præter modum intimæ præsentis ad sua membra, quem producit in vestibus, etiam in seipso producat modum quemdam realem, quo illas dicitur habere; quod si quis habeat anulum in manu, aut in aure florem, quidam negant resultare talem modum habendi, qui spectat ad hoc prædicamentum, quia res illæ non habent munus induendi; quæ etiam ratione Suarez disp. 53. Met. sect. 2. num. 14. ait sola arma defensiva, ut galea, & lorica, non autem offensiva, ad hoc spectare prædicamentum, quia illa sola munus exercent induendi; alii vero concedunt, quia sufficit, quod habeant modum ornamenti. Rursus volunt aliqui ex adjacentia vestium tantum circa corpus humanum resultare denominationem ad hoc prædicamentum spectantem, ita ut si induatur statura, vel equus armetur, hæc, & similia non dicantur vestita, vel armata proprie loquendo, unde quidam curiosam, & dignam inducunt disputationem, an cum Simia humanis vestibus induitur, dicatur vere vestita, & negative respondent, quia ex Arist. 3. de partibus anim. cap. 1. natura cunctis animalibus contulit vestes, arma, & ornamenta, ut autem, pilos, lanam, squamas, cornua, ungues, & similia, hominem vero nudum fecit, atque ideo illi soli aptitudinem quandam peculiarem indidisse inquirunt ad vestimenta suscipienda, quæ tunc reducitur ad actum, cum ea sibi applicat. Miramur sane, viros doctos in hæc scurrilia attramentum impendere, & tam ridiculas movere dubitationes, de quibus merito proferre possemus, quod argute, inquit Doctor 4. d. 6. quæst. 3. §. *Ad istam*, de illa dubitatione mota a quibusdam de materia Sacramenti Baptismi in cap. *De viate*, quod aqua per se non sit Sacramentum, sed tantum conjuncta cum verbis, nam aliqui contingere possent, ut alius biberet Sacramentum, ista sunt, inquit Doct. *Objectiones, & subtilitates Bernardicæ, & quidem satis asine timendo, ne asinus bibat Sacramentum*, sed plane non minus ridicula est dubitatio proposita de Simia.

223 In alio igitur sensu magis digno explicanda est constitutio ipsius prædicamenti, ut nimirum per habitum intelligatur habitio illa media, qua subjectum dici solet habere formam, ita ut ad hoc prædicamentum spectet omnis unio absoluti ad absolutum, omnis respectus subjecti ad formam, & e contra, omnis denique realis connectio inter partes adinvicem, siue essentielles sint, siue integrales, ita valde egregie explicuit hoc prædicamentum; ac serio dimissis nugis, Bonet. in suis prædicam. libel. 10. ubi inquit, quod per *armatum esse, & calceatum esse*, nil aliud intellexerunt progenitores nostri, quam unionem, & connexionem inter arma, & corpus, inter calceamenta, & pedes, & quod de ista connexione extremorum actu divisorum exemplificauerunt, quia notior est illa, quæ reperitur inter extrema, quæ non sunt actu divisa, sed tantum potentia, qualis est unio, quæ reperitur inter materiam, & formam, inter subjectum, & accidens, ac inter partes continui, quæ etiam de causa dixit Gilb. habitum esse corporum, cum tamen & alia, quæ non sunt corpora dicantur habere formas sibi inhærentes, & plane ita explicuisse videtur rationem habitus Arist. 5. Metaph. 25. & hunc dicendi modum tenet Bassol. 4. d. 11. quæst. 1. art. 1. sic etiam videtur explicare Averfa constitutionem hujus prædicam. quæst. 28. Phys. sect. 5. (etiam ibid. Bassolii opinionem non recipiat) inquit enim in corpore quæstus, quod quamvis denominatio habitus sumatur a locali præsentia vestis cum corpore, tamen non sumi per meram concomitantiam localem, sed sumi potius per quemdam modum informationis, & sustentationis, illa ergo denominatio, quæ sumitur a præsentia per meram localem concomitantiam spectat ad idem prædicamentum, quod dicitur Ubi; at vero hæc alia denominatio, quæ sumitur per aliam habitudinem, veluti informationis, & sustentationis, est in hoc alio prædicamento, unde concludit in fine sectionis habitum dici penes illas res, quæ adjacent subjecto ad instar formæ, & subjectum dicitur illas in se habere, & veluti sustentare tamquam formas, ergo & ipse Averfa nescivit aptiori modo hoc prædicamentum constituere, quam per unionem, & hanc informativam.

224 Et probatur valida ratione, quia unio præsertim informativa digna est, ut ei speciale assignetur prædicamentum, nec valet, quod communiter ajunt, pertinere ad prædicamentum formæ, quam unit, & novum prædicamentum non constituere, quia est modus imperfectus. Non valet; tum quia unio est perfectior, quam sit actio, quæ est unio, cum actio sit via ad unionem, & tamen actio constituit prædicamentum per se; tum quia si unio ponitur in prædicamento formæ, quam unit, ob connexionem, quam habet cum ea, pari ratione, & actio non constitueret speciale prædicamentum, sed poneretur in prædicamento formæ, cujus est productiva ob necessariam connexionem, quam habet cum ea. Nec valet, quod inquit alii, spectare ad prædicamentum compositi, quod constituit, quia intrinsece pertinet ad ejus integritatem nequendo ejus partes, non sic autem actio productiva ejus. Nam quando id concederetur de substantiali composito, de accidentali tamen concedi nequit, quia concretum accidentale non ponitur in prædicamento, ut importat ex æquo formam, & subjectum unita, sic enim est ens per accidens exul a prædicamento, sed solum ut importat formam connotando unionem, & subjectum, ergo inveniendum est prædicamentum, in quo per se ponantur uniones, saltem accidentales; tum quia sicut omnes actiones quantumcumque sint ad diversos terminos, adhuc talem habent inter se convenientiam, ut omnes in una recludantur categoria, idem pari modo de unionibus dici poterit, ac debeat.

225 Hoc autem supposito, quod unio debeat, & possit directe, & per se in aliquo concludi prædic. probat inductione Bonet. sub nullo ita proprie contineri posse, sicut sub isto, nam ad prædic. absoluta substantiæ, quantitatis, & qualitatibus satis constat pertinere non posse, cum sit essentialiter relativa, est enim nexus duorum, & implicat unionem intelligi ad se, & conceptu absoluto, non ad prædicam. relationis, quia non oritur ex natura extremorum, sed eorum applicationem petit ut infurgat; non actionis, & passionis (licet probabile id Scotus indicaverit 4. disp. 12. q. 1. C. ampliando rationes eorum) quia unio actio,

qua agens unit formam cum materia, & unum extremum cum alio, est alia ab unione formali, qua ipsa extrema uniuntur, cum hæc sit terminus per illam productus; nec passionis, quia a passione v. gr. dicitur subjectum calefactum, sed ab unione caloris dicitur calidum, in qua denominatione exprimitur sola receptio, & informatio; non autem passio, quia cum passio sit actus hujus ab hoc, non dicit receptionem formæ quocunque modo, sed ut est in fieri ex vi agentis, unio autem denominat in facto esse, ac in esse quieto sine ullo respectu ad agens. Nec Ubi, ut arbitratus est Mair. 1. d. 29. q. 1. ar. 3. ob intimam præfentialitatem formæ ab subjectum, quia informatio aliquid amplius addit supra præfentialitatem, & posset Deus facere animam intime corpori præsentem per simplicem assistentiam, quod tamen non animaret, & Intelligentia posset dici Cælo unita per informationem, quia est ei intime præfens. Nec situs ob eandem rationem, ac etiam quia situs est corporum, at habitus potest etiam reperiri inter ea, quæ non sunt corpora, restat ergo, ut reponatur in prædicam. habitus, & rationabiliter quidem, ut ait Bassol. unio formæ ad subjectum est aliquo modo derelicta ex adjacentia accidentis ad subjectum, vel potius est ipsamet adjacentia talis, & quidem Gilb. ipse recenfer in hoc prædicam. esse, & quantum esse idest respectum subjecti ad albedinem, & quantitatem, & talis unio formæ ad subjectum est, quæ vere constituit hoc prædicam. potius quam unio vestis ad corpus, quia illa re vera est modus superadditus extremis, ut probamus in Phys. disp. 5. quæst. 8. art. 2. non autem ista, unio namque vestis ad corpus nil prorsus addit reale supra intimam præfentialitatem, & contactum, quem habet ad membra: de hac tamen attulerunt specialiter exempla Philosophi, quia peculiari quadam modo nomen habitus illi appropriatur, vestis enim populariter dici solet habitus: Adversus hanc resolutionem quædam objicit Aversa qu. 21. Phys. sect. 3. quæ nos diluimus loc. nunc cit. quæst. 9. Sed jam ex dictis constat, nec ipsum aliter potuisse explicare denominationem prædicamenti hujus, quam per modum unionis informativæ.

DISPUTATIO NONA.

De Postprædicamentis.

Explicatis Prædicamentorum quidditatibus, & passionibus, quedam subjungit Arist. quæ multum conferunt ad ipsorum cognitionem, qua ratione Postprædicamenta dici consueverunt, sunt autem numero quinque: Opposita, Prius, Simul, Motus, & Habere. Conducunt vero hæc quinque ad prædic. intelligentiam, quoniam de his quinque in illis mentio facta est, de oppositis enim contrariis, & relative mentionem fecit Aristot. in prædicam. substantiæ, & quantitatis, dum dixit, nihil contrariis illis opponi, magnum, & parvum relative tantum opponi, & in prædicam. qualit. dum asseruit habere contrarium: de priori, & simul mentionem fecit in prædic. relationis, cum posuit relativa simul natura; item de motu facta est mentio in cap. de agere, & pari, nam non sit actio, & passio sine motu; habere tandem confert ad cognitionem ultimi prædicamenti, explicat enim diversos habendi modos ad illud prædic. reducibiles. Postposuit tamen horum traditionem cognitioni prædicamentorum, quamvis ipsi maxime inseruiant, quia ut notat Aversa quæst. 22. Log. in præf. hæc conveniunt rebus, non quidem ut in seipsis considerantur, sed in ordine ad aliud, ut patet in primis tribus, quæ sunt quedam rerum comparationes, at cognitio respectiva alicujus præsupponit cognitionem absolutam ejusdem, ut docet Scot. quæst. 3. prol. G. & quia de motu hic non nisi cognitionem quandam nimis confusam trahere possemus, cum ejus completa traditio sit Philosophica, quam tradidimus jam disp. 15. Phys. per totum; de habere autem præter ea, quæ adduximus in præced. disp. quæst. ult. dum de hoc prædic. egimus, nihil aliud dicendum occurrit; idcirco solum de primis tribus in præfenti erit sermo.

QUESTIO I.

De Oppositis.

Oppositio, si amplissime sumatur, convertitur cum distinctione, & diversitate, at si communiter accipitur, eadem est cum repugnantia, propria vero est quid strictius ipsa repugnantia, & ab Arist. hic dividitur in quatuor species, scilicet in oppositionem contrariam, relativam, privativam, & contradictoriam, ut igitur propriam rationem veræ oppositionis cognoscamus, debemus investigare naturam generis, quod est repugnantia, & per quod ad oppositionem proprie dictam restringatur; sed prius advertendum, quod hic non loquimur de repugnantia, & oppositione complexorum, satis enim diximus in 1. part. Instit. tract. 2. cap. 7. & 9. sed de repugnantia rerum incomplexarum, & simplicium, nam est sermo de oppositione earum, quæ in prædicam. reponuntur, qualia sunt incomplexa, non complexa.

Repugnantia igitur est relatio duorum extremorum simplicium, quatenus nequeunt habere identitatem quandam formalem, aut realem, vel quatenus eidem rei singulari simul secundum eandem rationem, & respectu ejusdem nequeunt inesse. Dicitur relatio, quia repugnantia est quedam diversitas, & distinctio, quæ formaliter est relatio, & si extrema erunt realia, & existentia, erit relatio realis sim-

pliciter, si vero unum extremum erit non ens, vel non existens, erit relatio realis secundum quid; & si extrema possunt esse sine oppositione, erit relatio prædicamentalis, sin autem, transcendentalis juxta dicta disp. præced. dicitur duorum extremorum simplicium, ad differentiam repugnantis propositionum; dicitur, quatenus nequeunt habere identitatem, &c. ut repugnantia disparata, & compossibilia comprehendantur, ut dicemus; additur, vel quatenus eidem, &c. quia quedam sunt, quæ non solum non sunt idem, sed nequeunt esse in eodem subjecto, unde habent etiam repugnantiam subjectivam; ad cujus intelligentiam additur rei singulari, quia universalis v. gr. animalis potentialiter conveniunt rationale, & irrationale, homini in communi album, & nigrum, dicitur simul, quia diverso tempore contraria possunt eidem inesse; dicitur secundum eandem rationem, quia res divisibilis in una parte potest esse alba, in alia nigra; & indivisibilis secundum diversas rationes potest opposita suscipere, ut intellectus secundum quod producit speciem, dicitur agens, ut eandem recipit, dicitur patiens; dicitur respectu ejusdem, quia respectu diverforum idem potest esse magnum, & parvum, simile, & dissimile.

3 Quamvis autem opposita, seu repugnantia formaliter dicant relationem, fundamentaliter tamen, ut dicunt extrema per relationem repugnantis relata, solent dividi in disparata, & in opposita proprie sumpta ex Scot. 1. d. 11. quæst. 2.

Disparata sunt illa, quæ ita inter se repugnant, ut eadem

Quæst. I. De oppositione relativa, & contraria. Art. I. 309

dem ratione indeterminate, & indifferentur cum quolibet alio diverso repugnant, ut homo, & equus ita pugnant inter se, ut eodem modo, & indifferentur quocumque aliud diversum respiciunt ut repugnans, nec habent aliquod cui speciali modo, & determinate repugnet; & hæc sunt duplicis generis, ut colligitur ex Scot. cit. lit. D. alia sunt, quæ solum habent impossibilitatem formalem, quia unum nequit esse alterum, ut albedo, & dulcedo, nam ratio albedinis non est ratio dulcedinis; alia sunt, quæ habent quoque impossibilitatem subjectivam, quia neque in eodem possunt esse subjecto, ut duæ formæ substantiales dicuntur etiam disparate repugnare, quia etsi ab eodem subjecto mutuo se excludant, hæc tamen ratione indifferenter respiciunt quancumque formam substantialem non subordinatam, non vero unam speciali modo a subjecto determinate excludunt.

4 Opposita proprie dicta dicuntur illa, quæ speciali modo, hoc est determinate, se respiciunt tamquam terminos illius repugnantis, ut non ita se habeant respectu alicujus tertii, ut calor ita repugnat frigori, ut non eadem ratione, & habitudine respiciat tamquam diversa albedinem, vel ignem, ita ut per hoc, quod est determinate modo, & certa habitudine repugnare, differunt opposita proprie dicta ab oppositis, & repugnantibus disparate, quæ sine certa lege, & indiscriminatim se respiciunt in repugnando.

Horum autem oppositorum quatuor genera assignat Arist. nam aliqua sunt opposita contrarie, alia relative, alia private, & alia contradictorie; cujus divisionis sufficientiam assignat Doctor q. 38. prædic. nam oppositio alia est simpliciter realis, cujus extrema sunt entia in eodem genere contenta, & horum, aut unum respicit aliud, & sic est oppositio relativa, aut non; & sic est oppositio contraria; alia oppositio est secundum quid realis, quatenus unum extremum est non ens, quod aut nullum sibi determinat subjectum, & sic est oppositio contradictoria, aut determinat sibi aliquod subjectum, & est oppositio privativa. Alteram sufficientiam tradit 5. Metaph. tex. com. 15. quia opposita vel ponunt se, & sic sunt relativa, quæ propter mutuam dependentiam simul sunt, & non sunt; vel se excludunt, & tunc vel utrumque extremum ponit aliquid, vel nihil, si primum, sunt contraria, quæ dicuntur duas naturas positivas sub eodem genere; si alterum, est nihil, vel est negatio simpliciter, & sunt contradictoria, vel est negatio in subjecto apto, & determinate, & sunt opposita privativa. De his quatuor generibus est agendum.

ARTICULUS I.

Relativa, & contraria oppositio declaratur.

Incipit Arist. a relative oppositis, quia minus opponitur, & ait, quod opposita relative ea sunt, quæ id, quod sunt, oppositorum esse, aut aliquo alio modo ad illa dicuntur, hoc est illa dicuntur relative opposita, quæ secundum id, quod opponuntur, ad invicem se respiciunt, quod non convenit aliis oppositis, quia licet ut unum oppositum fundat oppositionis respectum, respiciat aliud oppositum; nam album dicitur opponi nigro, tamen secundum propriam entitatem non respicit, nec dicitur ad aliud referri, ut album non dicitur nigri album, at relative opposita fundamentaliter accepta, hoc est secundum proprietatis entitates, quæ fundant oppositionem, ad invicem se respiciunt, quia sunt relativa, sic dimidium non solum dicitur duplo oppositum, sed dicitur quoque dimidium dupli; quod genus oppositionis satis declaratum est disp. 8. quæst. 6. art. 3. in sol. ad 1. ubi etiam innuimus, quo sensu convenire possit omnibus relativis tam æquiparantia, quam disjunctantia, esto in istis clarius appareat, ac etiam non solum relativis mutuis, sed etiam non mutuis, nam de his quoque exemplificat hic Arist. 5. de scientia, & scibili, ex quo colligitur, non tantum dari oppositionem relativam formalem rationem relationum, sed etiam terminativam, ut ubi diximus.

Opposita contrarie definitur possunt ex his, quæ hic habet Arist. & 10. Met. cap. 6. & alibi, quod sint forme reales, quæ sub eodem genere maxime distant, & ab eodem subjecto mutuo se expellunt, cui vicissim successive nata sunt inesse, pro cujus definitionis notitia singularæ particulæ sunt examinandæ. Primo dicitur, quod sint forme reales, per quam particulam differant a privativis, & contradictoriis, quorum unum est non ens. Ubi nota: quod contrarietas aliquando sumitur late, ut quicunque oppositioni convenit, sic 1. Phys. 42. & seq. principia, quæ sunt forma, & privatio, dicuntur contraria, termini positivi motus, ut duæ quantitates, duo Ubi dicuntur contraria propter impossibilitatem in eodem subjecto, & tamen numero differunt, sic 10. Met. 25. masculinum, & femininum vocat contraria; duæ formæ substantiales, quamvis disparate opponantur, aliquando dicuntur contraria, quare hic in strictiori acceptione sumitur, prout ab aliis oppositionum generibus distinguitur.

6 Secundo, dicitur sub eodem genere, quod alioqui intelliguntur de genere Physico, seu subjecto, non de genere Logico, quia multe formæ, etiam prædicamento distinctæ, & Belluti Tom. I. Logica.

etæ, contrariantur, ut calefactio, quæ est respectus, & frigus, quæ est qualitas; alii de genere etiam Logico, non necessario proximo, sed vel proximo, vel remoto, eo quia hic recenfer Arist. tam albedinem, & nigredinem, quæ sunt sub eodem genere proximo, quam actus virtutis, & vitii, qui genere subalterno communi gaudent, scilicet habitu, alii tandem restringunt ad genus proximum, quia sic videtur sentire Arist. 10. Met. 13. & 14. Sed non est a secunda sententia recedendum, quæ communis est; nam cum debeat esse mutua transmutatio inter contraria, non debent prædicamento differre, numquam enim terminus a quo positivus in motu differat prædicamento a termino ad quem, imo sunt aliquando ejusdem speciei, ut patet in augmentatione. Nec urget, quod calefactio, & frigus sint in diversis prædicamentis, quia calefactio non ex se contrariatur frigori, sed ratione proprii termini, scilicet caloris, a quo specificatur, formæ autem contrariæ ex seipsis debent opponi; cum igitur debeant esse ejusdem prædicamenti, nec necessario debent sub genere proximo esse collocata, ut patet in exemplo adducto, & in mille aliis, dicendum erit, hoc genus vel proximum, vel remotum significare; Arist. autem cit. locutus est de contrarietate non in tota amplitudine, sed de illa determinata, quæ in formis ejusdem generis reperitur.

Dices, Arist. hic ait contraria alia esse sub eodem genere, ut albedo, & nigredo, alia sub diversis generibus, ut justitia, & injustitia, alia esse ipsa genera ut bonum, & malum, ergo contraria poterunt prædic. differre. Resp. Ammon. per genera ibi sumere Arist. non prædicamenta, vel propria genera, nam hæc bono, & malo nequeunt convenire, sed metaphoricè pro quibusdam conditionibus generalibus, quatenus quodlibet contrarium respectu subjecti, vel est conveniens, & habet rationem boni, vel disconveniens, & habet rationem mali. Vel dicendum cum Simpl. loqui ad mentem Pythagor. potentium bonum, & malum, ut duo principia universalis rerum.

7 Tertio, dicitur maxime distant, per distantiam hic non intelligitur disconvenientia, nam minus conveniunt homo, & album, quam album, & nigrum, & tamen homo, & album non dicuntur contraria, sed intelligitur repugnantia, & impossibilitas, ut notat Scot. 1. d. 7. q. un. L. & est quedam locutio metaphorica, nam sicut in distantia locali datur principium, medium, & finis, & principium, & finis maxime inter se distant, non ita cum medio; sic in formis sub eodem genere repugnantibus dantur aliqua, quæ maxime repugnant in illo ordine, & genere, ut in ordine colorum albedo, & nigredo, in ordine saporum dulcedo, & amaritudo, quæ se habent ut principium, & finis, dantur quoque saporis, & colores medii, qui non tam distant, sicut primi. Quæ maxima distantia est duplex, alia negativa, ut in illo ordine; & genere non detur alia major, licet alia similis, & æqualis detur; quedam vero dicitur maxima positiva, quia sola reperitur in illo ordine, ut non sit alia major, nec ejusdem rationis, hic nam positive sumitur, quam negative, nam in genere qualitatium tangibilium dantur quatuor primæ qualitates contrariæ, calor, & frigus, humidum, & siccum.

Sed pro majori intelligentia not. quod repugnantia est duplex, alia effectiva, alia formalis, prima est, quia una res alteri repugnat, quia potest producere effectum illi contrarium, ut sol dicitur frigori contrarius, & repugnans effectivè, quia potens est producere calorem, & calor in igne dicitur effectivè repugnans frigori in aqua, quia potest producere calorem in ipsa aqua; repugnantia formalis est, quia duo inter se ex suis rationibus formalibus repugnant, & sunt impossibilia, ut calor in aqua, & frigus, in eadem repugnant formaliter, non effectivè, ut cum Scot. 4. d. 1. q. 6. F. notavimus d. 5. Ph. qu. 3. art. 3. eo quia talis repugnantia, & expulsio frigoris a calore provenit media informatione, & per exhibitionem propriæ entitatis, ideoque in genere causæ formalis, in præfenti non sumitur repugnantia pro effectiva, sed pro formali, nam loquimur de contrariis, prout impossibilia sunt in eodem subjecto, & per consequens, ut sunt ipsius informativa, ipsique tribuunt proprios effectus formales: tum quia albedo, & nigredo sunt contraria, non tamen effectiva.

8 Hæc autem repugnantia formalis est multiplex, præsertim apud Scotum, nam primo aliqua dicuntur formaliter repugnare, quando simpliciter, & omnimode repugnant, ita ut nullo modo per quancumque potentiam simul esse possit, non solum in subjecto, sed nec etiam in eodem instanti, & hæc repugnantia repugnant contradictoria, quorum rationes formales, quia consistunt in exclusione alterius oppositi, numquam poterunt esse simul in eodem instanti, & de hac repugnantia formalis locutus est Scotus 2. d. 2. q. 2. Q. ubi ex oppositione formali inter esse caloris, & non esse ejusdem reperta colligit impossibilitatem eorum in eodem instanti. Secundo, formaliter repugnant, quæ ex suis rationibus formalibus nequeunt in unum per se convenire, neque in se per compositionem alicujus tertii, etiam spectata quancumque potentia, ut homo, lapis, formæ disparate; &c. quæ ita repugnant, ut præfendendo a quancumque potentia, adhuc intellectus divinus cognoscit in ipsis hanc impossibilitatem; & hæc repugnantia minor est prima, nam quæ hoc modo repugnant, possunt

In eodem tempore esse, neque ita se habent immediate, ut statim ac aliquid ab uno istorum recedit, sit sub opposito, ut non statim ac aliquid est non homo, est lapis, sicut venit in contradictoriis, in quibus si aliquid ab esse alicujus recedit, statim est sub non esse opposito, ut notat Doct. 4. d. 1. q. 1. F. & 1. d. 2. q. 2. Z. & de hac repugnantia loquitur Scot. 1. d. 43. E. dum ait, aliqua etiam esse in se ipsis possibile, sed formaliter impossibile, ut non possint esse simul unum, vel aliquid tertium ex eis; sed hæc impossibilitas non est in ordine ad idem subjectum, sed in ordine ad constitutionem unius per se. Tertio, formaliter repugnant, quæ ex suis rationibus formalibus speciali modo opponuntur, ut non cum aliis eodem modo pugnent, ex quo sequitur impossibilitas in ordine ad subjectum idem, quatenus unum naturam est aliud expellere ab eodem subjecto, quomodo loquitur Doct. 2. d. 7. citat. & cum in 4. d. 49. q. 16. B. negat duas dimensiones adinvicem formaliter repugnare, quia vere una quantitas non opponitur alteri, cum sint ejusdem speciei. Tandem alia est formalis repugnantia, quæ duo repugnant ratione suorum effectuum formalium, sive sint primarii, sive secundarii, sive ex seipsis formaliter repugnent, sive non; quomodo intelligitur Scot. 4. d. 1. q. 5. F. cum ait, contraria, & dimensiones se invicem formaliter expellere, qui modi ita sunt subordinati, ut primus inferat alios, secundus tertium, & quartum, & tertius quartum, non e contra; & hæc distinctio est valde not. multum enim infervit ad lib. de Gen. cum de compossibilitate contrariorum in eodem subjecto agitur. Hic formalis repugnantia sumitur tertio modo; nam prima convenit contradictoriis tantum, secunda repugnantibus disparitatis, quia est repugnantia indeterminata, quarta non est proprie formalis, sed ratione effectuum.

9 Solent adhuc dubitari, an de ratione contrariorum sit maxima distantia, an vero minor sufficiat, & si primam afferatur, sola extrema dicuntur contraria, non media. Sed facillime solvi potest distinguendo cum Recent. quod contraria alia sunt perfecta, alia imperfecta, illa requirere maximam distantiam, de quibus locutus est Ar. 5. Met. 15. & 10. Met. 14. dum per hanc maximam distantiam definitur contraria, imperfecta vero non exposcere hanc maximam distantiam, sed minorem sufficere, ut contraria dicantur, sicut medium, quamvis non distet a principio, ut distat finis, non ob id tamen absolute negatur distare.

Ex quo liquet solutio alterius dubitationis, nam ex hoc, quod contraria maxime distant, inferitur unum non nisi uni contrariari posse, non pluribus, quam conditionem assignavit Arist. 10. Met. 14. & seq. Hoc enim est univocaliter verum de contrariis extremis, nam maxima distantia solum inter duo extrema versatur, at contraria imperfecta non necessario requirunt hanc conditionem; albedo enim licet soli nigredini perfecte contrarietur, imperfecte tamen rubori, pallori, &c. & si aliquando plura videantur extrema contraria, nihilominus ad unum genus possent reduci, ut error opponitur scientiæ, & opinioni, generice vero cognitioni veræ; ita Aversa q. 22. sect. 1. Alii hanc conditionem exponunt de contrarietate adæquate, non de inadæquate, sic liberalitas inadæquate opponitur avaritiæ, & prodigalitati, adæquate vitio illis communi. Alii aliter explicant, quod quando oppositio est secundum eandem rationem, non nisi inter duo cadere potest, at si est secundum diversam rationem, sic plura poterunt eidem opponi; prima oppositio fundamentum habet in Ar. ibi, & in Sc. in comm. nam Arist. ex hoc, quod contrarietas est perfecta, & maxima differentia, infert, uni non nisi unum contrarium esse, ut ibi explicat Doctor; quamvis in re parum differant istæ expositiones.

10 Quarto dicitur ab eodem subjecto, &c. his verbis explicatur effectus formalis contrariorum, quæ est expulsio ab eodem subjecto; & notanter additur cui tamen vicissim, &c. nam non ex hoc, quod aliqua formæ nequeunt reperiri simul in eodem subjecto, debemus arguere contrarias esse, quia poterit provenire ex subjecti incapacitate, ut est albedo, & intellectio, quæ nec simul, nec successive possunt esse in subjecto eodem, quare requiritur expulsio quidem formalis a subjecto; sed cum hoc, quod subjectum illud sit utriusque capax. Not. etiam ex Sc. 4. d. 49. q. 13. B. quod hæc expulsio non debet intelligi de quibuscumque contrariis acceptis secundum numerum, nec de quocumque subjecto eodem secundum numerum, quia albedo hæc, quæ est in A. & hæc nigredo, quæ est in B. non possunt nec in hoc; nec in illo se expellere, aliter migrarent de subjecto in subjectum, & tamen contraria dicuntur, quare sufficit, ut istud verificetur de contrariis secundum speciem acceptis, quatenus aliqua albedo, & aliqua nigredo possunt sibi succedere, non quidem in omni subjecto, aliter nullum subjectum determinaret sibi unum contrarium, sed in aliquo subjecto. Quibus addendum non sufficere, imo nec requiri ad contrarietatem expulsionem numeralem, nam duæ albedines, duæ intellectiones numero distinctæ sunt in eodem subjecto impossibiles, non tamen contrariæ dicuntur, proinde requiritur expulsio, & impossibilitas specifica, id est quarum formarum specie distinctarum.

Insuper not. quod hæc expulsio potest dupliciter accipi,

vel aptitudinaliter, quatenus quodlibet contrarium naturam est oppositum expellere a subjecto, vel actualiter, quando scilicet actu expellit. Quidam ut Dat. in Postp. q. un. S. Secundo sciendum, sustinent hic intelligi de expulsionem actuali; at quoniam vident contraria in gradibus remissis simul reperiri, ut patet de aqua tepida, hinc negant hanc expulsionem convenire formis contrariis in gradibus remissis, sed tantum in gradibus intensis, & consequenter solum in gradibus intensis esse repugnantes affirmant, non in remissis, nec ex suis rationibus formalibus. At quia ex propriis rationibus formæ repugnant, & non propter graduum intensiorem, album enim ut unum vere nigro, ut uno opponitur; potius est dicendum, expulsionem aptitudinalem esse effectum contrarietatis, actualem vero esse accidens separabile, ut est de risu, & risibilitate, separatur autem propter aliquod extrinsecum impedimentum, qualis est illimitatio subjecti, quia enim quodlibet subjectum est capax qualitatis ut octo, propter istam capacitatem possunt reperiri in illo quatuor gradus caloris, v. g. & quatuor frigiditatis, vel quinque caloris, & tres frigiditatis, ita ut octavus numerus non excedatur; idcirco calor, & frigus in illo non repugnant actualiter, habent tamen aptitudinem ad repugnandum, quod eveniret, si novi gradus adderentur, vel capacitas subjecti restringeretur. Non negamus tamen dari quocumque formas aliquas indivisibiles, quæ semper actualiter quarunt expellere se mutuo, ut duæ intellectiones oppositæ; de his fufus in lib. de Gen.

11 Dices Scot. 1. d. 17. q. 3. VV. ait, impossibilitatem in eodem subjecto qualitibus intensis convenire, non remissis. Resp. Scotum, ut patet ex dictis, absolute repugnantiam hanc vocare formalem, præcipue in 4. d. 49. q. 13. A. quod non esset verum, si solum ratione graduum opponerentur; quare dicimus ibi loqui de actuali expulsionem, vel arguere ad hominem.

Deinde Ar. dividit contraria in immediata, & mediata: prima sunt, quæ carent medio, & quorum alterum necessario inest subjecto capaci, ut sanum, & ægrum respectu animalis; secunda sunt, quæ habent medium, & quorum alterum non necessario inest subjecto capaci, ut album, & nigrum. Duplex vero potest assignari medium inter contraria, primum per negationem extremorum, ut inter amicum, & inimicum, quæ sunt contraria, datur medium, quod est non amicus, inter errorem, & scientiam datur ignorantia, & infans non dicitur temperatus, nec intemperatus, sed non temperatus. Secundum per participationem utriusque extremi, quod potest evenire, vel per veram mixtionem cum permanentia entitatum utriusque extremi, ut tepidum dicitur medium inter calorem, & frigus, & quælibet qualitates contrariæ in gradibus remissis, vel per quandam apparentiam, ut notat Scot. 2. d. 15. q. un. B. ut sunt media specie distincta ab extremis, quæ dicuntur participare de extremis, non quia realiter ex illis componantur, sed quia magis conveniunt cum extremis, quam extrema inter se, ut colores medi inter albedinem, & nigredinem, virtutes vitis extremis oppositæ quoad esse reale, & physicum, ut liberalitatis habitus dicitur medius inter avaritiam, & prodigalitatem, nam assimilatur avaritiæ, ut prohibet sumptus superfluos, prodigalitati, ut præcipit necessarios, vide Scot. q. 39. prædicam.

ARTICULUS II.

Privativa, & contradictoria oppositio explicatur.

12 DE privative oppositis plura diximus d. 4. Phyl. q. 1. & 2. ideo hic pauca dicemus: definiti solent, illa esse quorum unum est privatio alterius, & alterum est habitus, seu forma, & habent fieri circa idem subjectum tempore a natura determinato; unde visus, & surditas non opponuntur privative, quia unum non est privatio alterius, nec habent fieri circa idem subjectum; neque visus, & negatio ejusdem in lapide, quia & si unum sit alterius carentia, non tamen respiciunt subjectum commune, quod sit utriusque capax, nec visio, & ejus negatio in castello ante nonum diem dicuntur privative oppositæ, quia est subjectum ex se sit capax, non adest tamen tempus determinatum a natura, nam ante nonum diem non debetur visio castello; hinc tres requiruntur conditiones ex Scot. 1. d. 28. q. 2. B. ut sint circa idem subjectum; ut subjectum sit utriusque capax, & in tempore determinato a natura. Ex quibus sequitur contradictoria a privative oppositis disterre connotat scilicet subjecto apto; item inter privative oppositæ dari posse medium, scilicet in subjecto non apto ex Scot. 2. d. 41. D. de quo neutrum affirmari possit, ut lapis nec est cæcus, nec videns.

13 Addit Arist. aliam conditionem, & proprietatem, scilicet quod quamvis ab habitu ad privationem fiat progressus, non datur tamen a privatione ad habitum regressio, quæ tamen conditio multas patitur instantias, nam non videns modo sit postea videns, aer tenebrosus sit denuo lucidus, non calidum potest de novo acquirere calorem; quapropter ait Doct. 4. d. 43. q. 3. F. non esse conditionem universalem, sed particularem. Discrepant autem Doctores in assignatione

Quæst. I. De oppositione relativa, & contraria. Art. II. 311

gnatione regulæ, qua dignosci possit, a qua privationem possit fieri regressus, & a qua non. Scot. cit. ait verificari in ordine naturalis generationis secundum descensum, quia post privationem ibi non redit habitus, quia non redit forma immediate præcedens illam habitum secundum ordinem generationis; hoc est, dantur aliquæ generationes, quæ ordinatim multas alias prærequirunt, ita ut genita per illas non ex quolibet, sed ex aliquibus determinatis exposcunt fieri, ut acetum, ut fiat, prærequirit humorem a terra provenientem in vite, qui deinde in succum, postea in vinum convertatur, & tandem in acetum; sic nutritio multas præexigit substantiales mutationes alimenti in cibum, in chylium, in sanguinem, quod deinde in carnem per nutritionem convertitur; quando ergo natura in generatione alicujus ordinate procedit, quasi ascendendo a forma imperfectiori ad perfectiorem, si forma posterior recedit, non datur ad illam regressio, quia descendendo natura non inducit formam præviam, v. gr. quando caro corrumpitur ex sanguine aggregata, non potest de novo forma carnis redire, quia neque forma sanguinis redit, quæ immediate præcesserat ad carnem, sed necessario debet fieri resolutio usque ad materiam primam, & de novo per illas formas prærequiritas quasi per quosdam gradus ascendere ad formam carnis. In postp. vero quæst. 41. alias regulas assignat, scilicet quod privatio alia privat, seu tollit solum actum, alia actum, & potentiam ad actum, a prima est regressio, non a secunda, vel privatio alia est habitus, cujus principium est intrinsecum, ut cæcitas, alia est formæ, cujus principium est extrinsecum, ut tenebra in aere, a prima non est regressio, sed a secunda, contra quas instant Conimbr. contra primam, nam per potentiam fit intelligitur vitalis, est vera, at patitur instantiam de actu, qui statet pro qualibet alia forma, nam calvus, & edentulus non amplius acquirunt capillos, vel dentes, & tamen habent potentiam, solum actu carent. Contra secundam, quia frigus in aqua est a principio interno, & tamen quando est calida, adhuc redit ad primitivam frigiditatem. Sed potest dici per potentiam intelligi potentiam proximam subjecti, quæ tunc auferitur, quando est cum dispositionibus positive contrariis ad recipiendam formam, nam tunc subjectum non manet proxime aptum erga formam, ut est in oculo noxio humore gravato; non sic quando potentia ista non est impedita, ut aer tenebrosus. Ad 2. regulam verificari, quando principium interdum laeditur, non quando integrum manet, nam claudens oculos dicitur non videns, sed potens videre.

14 Opposita contradictoria, seu negative sunt illa, quorum unum cum sit verum, aliud est negativum ejusdem; vel ut alii dicunt, sunt, quæ secundum affirmationem, & negationem opponuntur, ut sedere, non sedere; lapis, non lapis; quæ ratione differunt a privative oppositis, quod hæc necessario connotant commune subjectum capax, illa vero a tali subjecto præcindunt ex Sc. 1. d. 28. q. 2. C. Contradictoria sunt duplicia, alia complexa, & sunt oppositiones contradictories, ut Petrus currit, Petrus non currit, de quibus egit Ar. in lib. Periherm. alia incompleta, & sunt termini contradicentes, ut animal, non animal, de quibus hic agit Ar. illa, ut contradicant, præcipue debent pro eodem instanti sumi, ista vero, ut notat Sc. 2. d. 2. q. 9. R. absolute sumpta pro quocumque tempore contradicant. Verum ut exactius contradictoriorum naturam indagemus, tria sunt examinanda; an possit inter ipsa dari medium: secundo, an hæc oppositio sit omnium maxima: tertio, an ad salvandam contradictionem sufficiat virtualis distinctio.

Quoad primum, non est sermo, an inter contradictoria datur medium susceptivum unius ex contradictoriis, vel utriusque successive, hoc enim ab omnibus admittitur, nam datur subjectum, de quo verum erit affirmare, vel negare alterum ex contradictoriis: sed queritur, an possit dari medium aliquod participans de contradictoriis extremis, aut per abnegationem utriusque, ita ut neutrum contradictorium conveniat illi.

15 Dicimus, quamvis inter incompleta contradictoria sumpta cum aliquo sincathegoremate in propositionibus possit dari medium per negationem utriusque extremi, inter ipsa tamen absolute sumpta, sive complexa, sive incompleta nequit dari medium, nec per participationem, nec per abnegationem extremorum. Conclusio docetur a Scot. 4. Met. q. 4. & 1. d. 2. q. 7. KK. & d. 4. q. 1. E. & d. 5. q. 1. L. quem sequuntur Scotista, ut Ant. And. 4. Met. q. 6. Zerb. q. 16. Favent. ib. disp. 15. & fufè prosequitur Amic. tract. 21. disp. 4. q. 3. dub. 1. estque communis. Primo, quod inter contradictoria incompleta sit medium, si sumantur in propositione cum aliquo sincathegoremate; probatur, nam contradictoria incompleta, ut homo, & non homo, vere dicuntur contradictoria ex Scot. 2. d. 2. q. 9. Z. etenim opponuntur, & non nisi hæc oppositio: tum quia communitur dicitur, quod contradictoria non ambo simul, sed alterum de quolibet prædicatur, quod nequit de complexis verificari, quia propositiones non prædicantur, quare incompleta sunt vera contradictoria, & tamen ut notavimus 1. p. Inst. tract. 2. c. 7. istæ propositiones sunt ambæ falsæ, animal per se est album, animal per se est non album, nam

si alterum illorum per se conveniret; numquam oppositum ei competere posset, sicut quia homo est per se rationalis, numquam erit non rationalis.

16 Secundo, quod inter contradictoria absolute sumpta non datur medium per participationem, probatur ex Ar. 4. Met. c. 4. & seq. nam vel istud medium dicitur de contradictoriis participare, quia sit compositum ex utroque, vel quia utrumque simul recipere potest: non primum, quia nulla res ex oppositis intrinsece componitur, esse, & non esse sunt opposita: tum quia talis res media non posset generari, & corrumpi, quia ex illa, & in illam non posset fieri mutatio, hæc enim est inter ens, & non ens, quorum unum est terminus a quo, alterum terminus ad quem, qui numquam sunt simul, ergo si illa forma de ente, & non ente participaret, non posset generativa mutatione acquiri, quia non haberet pro termino a quo, non ens, sed pro termino ad quem, neque corruptiva mutatione deperdi, quia non terminaretur ad non ens, quod potius esset terminus a quo, idem diceretur, si hoc medium poneret, quid præcindens, & eminenter continens utrumque contradictorium.

Neque dicendum secundum, quia sequeretur ambas propositiones contradictorias esse veras, quod implicat, sequela patet, quia si v. g. album, & non album simul essent in ligno, esset verum dicere lignum est album, & simul lignum est non album, ex eo enim quod res est, vel non est, oratio dicitur vera, vel falsa: implicantia probatur: tum quia hoc est primum principium, a quo omnia alia principia scientiarum dependent, quo destructo, ruerent omnes scientiæ; tum quia nulla res haberet determinatam essentiam, sed quodlibet esset quodlibet, nam si v. g. homo esset animal, & non animal, quia non animal est negatio extra genus, jam homo esset lignum, esset accidens; imo chimera, quia isthæc omnia sunt non animal; tum quia nulla daretur falsitas in rebus, hæc enim datur, quatenus res non ita se habet, ut enunciatur, at si contradictoria essent in eodem, non posset res aliter enunciari, quam sit in seipsa, tandem hoc ipsum colligitur ex ipsis adversariis, nam si sustinent hanc propositionem esse veram, scilicet, inter contradictoria dari medium, & hæc esse falsam, inter contradictoria non dari medium, eo ipso fatentur contra seipsos contradictoria esse immediata, & medium non admittere, aliter utrumque deberent concedere.

17 Tertio, quod non datur medium per abnegationem extremorum, sicut datur inter privative opposita, ostenditur, quia tunc ambas contradictorias sequeretur esse falsas, quod implicat, sequela Prob. nam falsum esset album de ligno affirmari, quia illud non habet, falsum esset album de ligno negari, quia hoc esset tribuere ligno negationem albi, quam tamen supponitur non habere; & si esset verum, jam non daretur medium per abnegationem, utriusque implicantia ostenditur istdem rationibus, ac præcedens, tum quia natura contradictoriorum est, ut unum sit formaliter alterius destructio, ergo si unum removeretur a subjecto, non haberet in subjecto proprium esse, sed destructum, ergo in illo reperiretur oppositum, quod formaliter est ipsius destructio.

Dices: istæ propositiones contradicunt, omnis homo est albus, omnis homo non est albus, quia idem prædicatum affirmatur, & negatur de eodem, secundum idem, & respectu ejusdem, & tamen sunt ambæ falsæ. Tum secundo, etiam contraria immediata mediis carent, ergo carentia ista non est propria contradictoriorum. Tum tertio, animal nec est rationale, nec irrationale, numerus nec par, nec impar, ens nec idem, nec diversum, quæ videntur contradictoria. Tum quarto, si inter incompleta cum aliquo sincathegoremate datur medium, ergo etiam ut absolute sumuntur, non enim est major ratio hic, quam ibi. Tum quinto, quæ solum per instantes durant, incipiunt simul, & desunt, ergo habent simul esse, & non esse. Tandem est gravissima difficultas de propositionibus de futuro contingenti ante decretum divinæ voluntatis, nam istæ, Petrus cras leget, Petrus cras non leget, non sunt veræ, nec falsæ, quia omnem determinatam veritatem, aut falsitatem a divino decreto accipiunt, a quo, ut antecedunt, præcindunt.

18 Resp. ad 1. propositiones illas non esse contradictorias, sed universales contrarias, ideo ambas falsas, nam ut ait Doct. in Metaph. cit. ad hoc ut duæ propositiones sint contradictoria, requiritur, ut subjectum non sit aliquod commune, quod in plura inferiora distribuatur, quia tunc poterit prædicatum ratione unius suppositi affirmari, ratione alterius negari. Ad 2. illa contraria carere mediis in subjectis aptis, quia se habent ut privativa, non in ineptis, unde lapis nec est sanus, nec æger: at contradictoria universaliter carent medio; hinc recte definitur illa Arist. 1. post. 5. per non habere medium secundum se. Ad 3. differentias illas esse quasi contrarias, cum dicant quid positivum, non contradictorias. Ad 4. ratio disparitatis est, ut colligitur ex Sc. 1. d. 4. q. 1. E. quia ad hoc ut propositiones sint contradictoria, vel de contradictoriis incomplexis, ita ut una sit vera, altera falsa, oportet, ut quicquid affirmatur in una, totum id negetur in altera, modo in his propositionibus homo est per se albus, homo est per se non albus, non hoc intervenit, quia in prima affirmatur de homine

ly albus perfectissimus cum modo, in secunda negatur solum ly albus, & affirmatur denuo perfectissimus, ratione cuius est propositio falsa, non autem quia incompleta non sunt nata de quolibet disjunctim predicari; idcirco quando absolute sumuntur, necessario una est vera, & altera falsa, quia non habet illa propositio vera, unde possit falsificari, ut accidit, cum adest aliquod fincathegorema. Ad 5. illud instans dicitur primum esse rei, & ultimum esse, in quo res incipit, & desinit intrinsece, ac proinde non habet simul esse, & non esse, ut sufficit disp. 14. Phys. qu. 2. art. 1. & 4.

19 Ultima difficultas petit longiorem discussionem de veritate futurorum contingentium in intellectu divino, quæ non est Logici muneris; at pro nunc, quod aliqui dicunt, quod vera contradictio attenditur penes instans temporis, non naturæ, vel rationis, est falsum, ut docet Scot. quol. 4. §. *Contra istam rationem*; tum quia in primo modo dicendi per se fieri possunt contradictoria, & tamen primus ille modus, ut præcedit secundum modum dicendi per se, dicit instans rationis, vel naturæ, non temporis; alii vero dicunt de essentia contradictoriarum esse, quod pro quolibet signo si una est vera, altera falsa, & e contra, & quod repugnet esse simul veras, vel simul falsas pro eodem signo, hoc autem convenit illis propositionibus, quia neutra est vera, vel falsa. Contra, quia contradictio complexa est oppositio, cuius secundum se non est dare medium, ergo absolute loquendo semper una est vera, altera falsa; & redeunt omnia argumenta superius adducta. Dicimus ergo, quod creaturis ante decretum divinæ voluntatis, quo determinat illas producere, vel non producere, non conveniunt, nisi prædicata essentialia, non contingentia, quæ idem est considerare creaturas ante decretum divinæ voluntatis, ac ipsas considerare solum quoad essentialia, & hæc propositiones ante decretum divinæ voluntatis mundus erit, ante decretum divinum mundus non erit, æquivalent istis, mundo quoad essentialia considerato conveniet existentia, mundo quoad essentialia considerato non conveniet existentia; sicut ergo ex illis secunda est vera, prima falsa, ita de illis dicendum; quæ negatur, neutras esse veras, aut falsas, ad probationem concedimus veritatem, aut falsitatem propositionum de futuro contingenti pendere a decreto divino, quando illa futura absolute enuntiantur de subiecto, in tantum enim modo *Antichristus erit* est vera, & opposita est falsa, quia determinavit Deus Antichristum producere; at quando futurum enuntiat de re cum aliquo fincathegoremate perfectissimus, tunc propositiones illæ non sunt amplius in materia contingentis, sed impossibiles, quia contingens enuntiat ut quid essentialia, sicut quamvis hæc propositio *homo est albus* sit contingens, tamen hæc alia *homo per se est albus*, est in materia impossibilis, cum implicet contingens esse necessarium, sic accidit hic, quia præcisio divini decreti, est præcisio quoque rei a quocunque contingenter convenit.

20 Dices, ergo si hæc, *mundus per se non erit*, ante decretum divinum est vera, & opposita falsa, non possit per divinum decretum reddi vera, quia nequit immutatem rerum essentialia, & tamen ante mundi constitutionem erat verum dicere *mundus erit*; tum quia Scot. quol. 14. S. ait propositiones contingentes esse neutras ante divinum decretum, nec veras, nec falsas. Resp. neg. conseq. quia decretum divinum non facit, quod hæc propositio, *mundus per se erit existens*, sit vera, semper enim hæc erit falsa, quia in materia impossibili, solum ergo istam aliam reddidit veram *mundus erit*, quæ est contingens, nam ante decretum nulla propositio est contingens, sed quælibet necessaria, vel impossibilis, & hoc vult asserere Scotus, cum ait propositiones contingentes esse neutras, quia tunc non possunt ut contingentes formari, cum præcendantur a causa omnis contingentia, & solum sub disjunctione contradictoria possunt de re enunciari, quomodo erit quadam propositio hypothetica disjunctiva necessario vera, nam hæc *mundus aut erit, aut non erit*, æquivalent huic, *mundus habet potentiam ad essendum, & non essendum*, quæ est necessaria. Adest quoque difficultas de propositionibus exponibilibus adducta 1. part. Inst. tract. 2. c. 10.

Quoad 2. an hæc oppositio sit omnium maxima, not. quod non loquimur de contradictoriis materialiter, ut scilicet dicunt subiecta, de quibus enuntiantur contradictoria incompleta, nam eadem res v. g. potest dici similis, & non similis respectu diversorum, sed formaliter sumptis, pro affirmatione, & negatione, nec loquimur de majoritate perfectionis, in ordine ad perfectionem entitativam extremorum, quia sic perfectior erit oppositio contraria, vel relativa, quæ versantur inter entia positiva, quam contradictoria, quorum unum extremum est non ens: sed de majori, vel minori perfectione in ratione repugnantia, hæc enim est essentialis perfectio, & intrinseca in oppositionibus, quia ipsæ essentialiter sunt repugnantia, ergo quæ majorem dicit repugnantiam, erit perfectior, & major, & quæ maximam dicit repugnantiam, erit perfectissima, & maxima oppositio.

21 Dicendum inter oppositiones omnium maximam esse contradictoriam; ita Zerb. 4. Met. q. 6. ex Sc. ib. q. 4. seq. Amic. 11. 19. q. 7. dub. 2. & Conim. hic q. un. art. 6. probatur,

& explicatur simul, nam illa est maxima oppositio, quæ majorem dicit repugnantiam, & impossibilitatem, sed contradictoria extrema ex suis rationibus formalibus sunt ita impossibilia, ut non solum nequeant esse in eodem subiecto, sed nec etiam in eodem tempore, unde universaliter quodcumque medium excludunt, ut notat Scot. 2. d. 2. quæst. 9. Q. quod aliis oppositis non convenit, nam privativa admittit medium per abnegationem extremorum, contraria quoque immo quedam in esse remisso conveniunt in eodem subiecto relative opposita, medium per abnegationem etiam habent; accedit autoritas Arist. 10. Met. 15. & 4. Met. 27. ubi hoc specialiter probat ex universalitate hujus oppositionis, quia de quolibet unum contradictoriarum necessario affirmari, vel negari debet. Succedunt his privative opposita, quia extrema minus conveniunt, quam contraria, & relativa, illa enim se habent ut ens, & non ens, ista ut duo entia positiva, nec possunt simul esse in eodem subiecto. Deinde relativa, & ultimo contraria contra Zerb. cit. nam ista naturaliter in esse remisso, & supernaturaliter in esse intenso possunt simul esse in eodem subiecto; at opposita relative quatenus opposita, id est quatenus respiciunt eadem extrema, non possunt esse in eodem subiecto, nequit enim idem respectu ejusdem dici pater, & filius, dominus, & servus, quamvis non implicet respectu diversorum, sed ut sic proprie non repugnant.

Dices, ex minori oppositione non inferitur major oppositio, sed ex contrarietate inferitur contradictio, nam si duo sunt album, & nigrum, sunt album, & non album, non tamen e contra, ergo &c. Tum 2. inter contradictoria datur medium, ergo non opponuntur maxima oppositione, Antec. prob. non album, & albidissimum sunt contradictoria, inter quæ mediat album, nam magis distat a non albo albidissimum, quam album, sicut enim se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis, &c. Tum 3. magis distat contraria, quam contradictoria, ergo magis opponuntur, patet conseq. quia distantia est quadam repugnantia, antec. prob. quia necesse, & impossibile plus distat, & sunt contraria, quam possibile, & impossibile, quæ sunt contradictoria; item quælibet alia opposita includunt contradictionem, & aliquid aliud addunt; & tandem quia facilius non album sit album, quam nigrum fiat album, ergo major distantia erit inter nigrum, & album, quam inter album, ergo non album.

22 Resp. ad 1. neg. ad positionem contrariarum semper inferri contradictionem, ut patet de contrariis in esse remisso; assumptum autem esse verum de oppositione speciali, quæ in aliquibus reperitur; non de universali, & quæ adest in omnibus, ut est contradictio, nam radix omnis distinctionis est contradictio; tum quia non inferitur per locum intrinsecum, sed a concomitanti; immo ex hoc arguitur maxima perfectio in genere repugnantia, quia ipsa est radix omnis oppositionis. Ad 2. neg. ant. ad probat. dicimus ex Scot. 4. d. 1. q. 1. F. verum esse perfectius ens magis distare non entre, quam imperfectius, quatenus majorem entitatem ponit in esse, unde duo contradictoria magis distant, quam alia, æque tamen sunt impossibilia, tam enim repugnant Deus, & non Deus, quam album, & non album, ideoque omnia æqualiter excludunt medium, sive per participationem, sive per abnegationem.

Ad 3. neg. antec. ad 1. probat. dicimus possibile, ut fiat pro contingenti, minus opponi impossibili, non vero ut est quid commune ad necessarium, & contingens, quomodo contradictoria est oppositum: ad 2. concluderet, si illud additum causaret majorem perfectionem in ratione repugnantia. Ad 3. major, vel minor oppositio non debet sumi ex majori, vel minori resistentia ad vincendum oppositum, ut patet in ipsis contrariis positivis, nam magis cum frigore contrariatur febris ephymera, utpote intensior, quam ethica, & tamen hæc difficilius expellitur a subiecto, est ergo de per accidens hæc resistentia, sed per se debet accipi ex majori, vel minori convenientia, repugnantia, & impossibilitate.

23 Quoad 3. an sufficiat distinctio virtualis, seu rationis ratiocinata ad salvandam contradictionem, sive ut de eodem prædicata contradictoria verificentur, an vero requiratur distinctio actualis ex natura rei, pauca dicemus, quia est res metaphysicæ, & aliqua in disp. 1. q. 5. art. 2. & disp. 4. qu. 1. art. 1. & disp. 5. quæst. 3. art. 2. tetigimus, dum distinctionem graduum metaphysicalem explicavimus: est ergo Thomist. opinio sustinens distinctionem rationis cum fundamento in re sufficere, ut de illa re in esse objectivo considerata, atque adeo ut actu multiplicata per intellectum, quamvis in re extra sit formaliter una, verificentur duo contradictoria prædicata, quia tunc non se habent ut unum subiectum, sed ut duo propter diversos conceptus objectivos inadæquate experimentes rem illam; quam opinionem sequuntur omnes Recentiores præter Amic. 11. 21. disp. 4. q. 3. dub. 2. qui cum Scoto 1. d. S. q. 3. & Scotistis omnibus oppositum asserit, requiri scilicet distinctionem ex natura rei actualem, quando prædicata contradictoria sunt realia a parte rei, nam quando sunt rationis, & ab opere intellectus dependent, clarum est hanc distinctionem actualem non requiri, ut patet in terminis abstracto, & con-

& concreto, qui differunt inter se, & contradictoria verificantur de ipsis, & tamen significatio unius est omnino idem a parte rei cum significatio alterius, eo quia prædicata illa dependentur conveniunt ab opere intellectus.

Probatur igitur hæc nostra sententia, quæ solum ratione ratiocinata differunt, quamvis in esse objectivo sint plura, a parte rei tamen sunt unum omnino actualiter, ergo de ipsis nequeunt verificari contradictoria realia. Prob. conseq. idem non potest simul esse, & non esse, nec de eodem secundum idem possunt duo contradictoria verificari, sed a parte rei illa distincta sunt unum actuale, ergo &c.

Respon. sufficere quod sint plura in esse objectivo, eo quia contradictio non est in rebus ante opus intellectus, si formaliter sumatur, nam consistit in affirmatione, & negatione, quatenus sunt enunciatiæ, quod est opus intellectus; ita cum cæteris Thomistis Pasqualig. tom. 2. Met. disp. 59.

24 Contra, est contradictoria complexa, seu propositiones contradicentes sunt opus intellectus, attamen incompleta independenter ab intellectu dantur a parte rei, nam nullo intellectu cogitante negationes, & privationes reales dantur in rebus, ergo sicut non potest de eadem re affirmari forma, & privatio formæ, quamvis multiplex sit in esse objectivo, ita nec de eadem re a parte rei poterit affirmari forma, & negatio ejusdem, & si multiplicata sit ratio. Tum quia magis sunt impossibilia ex suis rationibus formalibus contradictoria incompleta, quam opposita, privativa, relativa, vel contraria ex dictis, sed ista non possunt de eodem in re extra verificari, sed requirunt subiecta multiplicata, quia independenter sunt in rebus ab intellectu, ergo illa, quando sunt prædicata rebus convenientia præter intellectum, non poterunt dici de eodem a parte rei. Tum quia veritas, & falsitas propositionum non est convenientia, vel disconvenientia ipsarum cum re, ut habet esse objectivum, sed ut habet esse reale, ergo licet in esse objectivo res illa sit multiplex, si in esse reali est una, jam de eodem contradictoria verificentur. Tum quia si fundata requirunt necessario distincta fundamenta, itant implicet in eodem fundamento reperiri, si sunt actu realia, requirunt actu diversa fundamenta, si sunt actu per rationem, requirunt fundamenta actu diversa per rationem, quia nec fundatum habere majorem entitatem suo fundamento, sed aliquando contradictoria sunt actu realia independenter ab opere intellectus, & requirunt fundamenta actu diversa, ergo ista erunt actu a parte rei diversa; minor patet, nam convenire in essentia, & non convenire in essentia sunt contradictoria, & actu ante opus intellectus sunt in homine respectu equi, plus enim conveniunt homo, & equus, quam homo, & lapis, & minus conveniunt homo, & equus, quam Petrus, & Paulus, ergo in homine debent dari fundamenta actu distincta a parte rei convenientia, & non convenientia, & non per opus intellectus, aut virtualiter distincta, nam hæc virtualis distinctio non ponit actu fundamenta a parte rei, ergo jam de eodem illa contradictoria verificentur.

25 In oppos. arg. distinctio rationis ratiocinata, quod in se erat unum, facit in esse subiectivo plura, & diversa, ergo sufficit, ut de illis contradictoria prædicentur, non contradictorio modo, sed cum veritate. Conseq. prob. quia tunc cessant esse contradictoria, non enim verificantur de eodem, secundum idem, sed secundum diversas formalitates objectivas, quarum una non est alia. Tum 2. ad tollendam repugnantiam inter contradictoria non requiritur tanta distinctio in fundamentis, quanta est in ipsis contradictoriis, nam distinguere realiter, & non distinguere realiter sunt prædicata inter se realiter diversa, & tamen in divinis essentia, & relatio, quæ sunt fundamenta horum prædicamentorum, non differunt realiter, ergo sufficit ad tollendam repugnantiam distinctio conceptuum objectivorum. Conseq. patet, quia si sufficit minor distinctio, non est major ratio, cur requiratur ex natura rei actualis, vel conceptuum; maxime quando contradictoria formaliter tantum distinguuntur. Tum 3. repugnantia contradictoriorum causatur ex unitate reali, formali, & conceptibilitatis fundamenti, hæc omnia enim requiruntur, ut aliqua contradictoria repugnent, ergo si unum istorum amoverit, tollitur repugnantia, distinctio autem in esse objectivo tollit unitatem conceptibilitatis.

26 Resp. ad 1. neg. conseq. cum probat, quando prædicata nata sunt convenire independenter ab intellectu. Ad 2. neg. antec. nam ut plurimum quando prædicata sunt physica formæ, non possunt convenire cum suis negationibus eidem rei physica, quamvis sit multiplex formaliter, quia non possunt eidem rei simpliciter convenire, sed requirunt distinctionem realem, ut patet de albo, & non albo, quæ de eodem nequeunt dici secundum diversas formalitates, sed bene secundum diversas partes integrales, quæ sunt realiter distincta; quando vero prædicata dicunt diversas formalitates, & opposita contradictorie negationes harum formalitatum, sufficit in fundamento distinctio actualis formalitatum, quarum uni conveniat positivum, alteri negativum; quia non implicat de eodem simpliciter enunciari, unde res eadem dicitur simul convenire, & dif-

ferre, sic sunt prædicata assignata, nam licet identitas, & distinctio realis sint effectus realiter distincti, non tamen est necesse, quod rationes identitatis, & diversitatis sint realiter distinctæ, non enim necessario tanta est distinctio in principiis, quanta in principiatis, & consequenter esse rationem differendi, & non esse rationem differendi, quamvis exigant distinctionem formalem inter essentiam, & relationem, non tamen realem. Ad 3. neg. conseq. quando contradictoria nata sunt convenire ex natura rei. Posset argui in speciali de transcendentibus, quæ diversitatem conceptuum dicunt, & tamen fundat contradictoria, nam ens dicitur commune Deo, & creaturis, essentia divina non ita, & tamen virtualiter differunt. Sed de hoc in Met. Pro nunc dicimus prædicata illa non convenire independenter ab opere intellectus nisi virtualiter, & fundamentaliter, quæ ratione hanc solum inferunt distinctionem, & hæc de oppositis dicta sufficiant, de quibus plura desiderans videat Bonet. lib. 4. sup. Met. c. 2.

QUESTIO II.

De modis Priorum, & Posteriorum.

27 **P**riora, & posteriora illa dicuntur, quæ taliter sunt inter se ordinata, ut unum præcedat alterum aliquo modo; ex quo sequitur, quod cum ordo sit quadam relatio, prioritas, & posterioritas sunt relationes in extremis sic ordinatis fundatæ, quæ ut plurimum non sunt simpliciter reales, quia quando est per se ordo inter aliqua, non semper realiter distinguuntur, ita colligitur ex Scot. 4. disp. 13. qu. 1. S. & patet, quia prius relative dicitur ad posterius, ergo prioritas, & posterioritas formaliter sunt relationes.

Dices prius non est simul natura cum posteriore, ergo relative non respicit illud, cum relativa sint simul natura; Antec. prob. prius ut prius formaliter est prius posteriore, & posterius formaliter est posterius priore, ergo prius formaliter non est simul natura cum posteriore. Responso patet disp. præced. qu. 11. cum Scot. lit. T. quod quando prius sumitur in primo modo dicendi per se, simul vero denominative, idem respectu ejusdem potest dici simul, & prius; sicut posterius etiam dicitur, simul, & posterior respectu prioris.

Arist. hic, & 5. Met. 16. plures modos prioris, & posterioris enumerat, qui a Doctoribus usque ad sexdecim multiplicentur, nos potiores, & qui maxime ad Trinitatis mysterium conferunt, explicabimus; ex quibus præbent etiam modi posterioris.

28 Primo modo aliquid potest dici prius dignitate, vel physica, quomodo dicit perfectiorem quidditatem, ut homo inter animalia dicitur præstantior, & nobilior, vel morali, ut cum propter gradum, & officium quis antecedit; ut Summus Pontifex est cæteris prior in dignitate.

Secundo aliquid dicitur prius ordine; ubi ordo specialiter accipitur hic, quam in definitione prioris, & posterioris in communi, ibi enim universaliter sumitur pro ratione ordinis in se, hic vero pro quadam habitudine in aliquibus reperta non ex natura rei, sed arbitraria, ut est in locatis, vel in rebus numeratis, arbitrariæ namque hic est primus in loco, vel ab hoc incipit aliqua numeratio; licet alii aliter explicent hunc modum.

Tertio, aliquid dicitur prius secundum locum naturalem. Universi, qui soler dividi in superiorem, & inferiorem, dextrum, & sinistrum, sic ignis est prior aere respectu loci superioris, posterior respectu inferioris.

Quarto, aliquid dicitur prius tempore, & duratione, quod alterum duratione præcedit; & hæc prioritas est præcipua, quia in comparatione ad istam cæteræ desumuntur, & assignantur; explicatur autem in ordine ad aliquod determinatum instans secundum propinquitatem majorem, & minorem; & quia Aristot. mundum posuit ab æterno sine principio, idcirco istud nunc determinatum assignavit præsens, itant in præteritis, quæ magis distant, dicuntur priora, quæ minus distant, posteriora, e contra in futuris, quæ minus distant, sunt priora, quæ remotius, posteriora; at quoniam secundum veritatem mundus habuit determinatum principium durationis; in ordine ad istud sumitur prioritas, & posterioritas, & illud dicitur prius, quod magis est propinquum principio durationis, posterius, quod est remotius.

Quinto, potest addi modus prioris secundum rationem, quo illud prius altero dicitur, quod licet re ipsa non sit prius eo, concipitur tamen ut prius a nobis, ut in secundis intentionibus liquet, nam in hac propositione *homo est homo*, homo est a parte rei subiecti prior seipso a parte prædicati. Ad sunt quoque duo alii modi prioris, scilicet naturæ, & originis; sed quia speciales habent difficultates, seorsim in sequentibus art. examinabimus.

ARTICULUS PRIMUS.

Declaratio prioritatis nature.

29 **U**T perfectam habeamus notitiam prioritatis nature, tria videbimus, quid, & quotuplex sit; Secundum, an sit realis, vel rationis: Tertium, an per ipsam possit contradictio salvari.

Quoad primum mirum est, quam discrepent inter se Doctores, ut vix duo uniformes inveniantur in explicanda prioritatis nature; & præsertim Formalistæ nostri tract. formalit. art. 4. de identitate, & distinctione reali disputant, an prioritatis nature sit inter extrema, quorum unum sit in aliquo signo nature, in quo non sit aliud, vel tantum sit præsuppositio hujus ab hoc; in qua controversia Canonici 1. Phys. quæst. 4. art. 2. tenet, quod esse prius natura non est esse prius in aliquo signo, in quo non sit posterius, sed est tantum simplex præsuppositio hujus ab hoc, itaque ordo nature est tantum inter illa, quorum unum præsupponit aliud; Tromb. vero tr. Formalit. artic. cit. quem sequuntur ibi Aret. Jo. Dudovet. & alii Formalistæ, enixe sustinent ordinem nature non tantum dicere præsuppositionem hujus ab hoc, sed etiam veritari inter extrema, quorum unum sit in uno signo, in quo non est posterius, & maxime loquendo de ordine nature positivo, cui subscribere videtur Faber 1. disp. 25. num. 27. Movetur ad hoc asserendum Tromb. ex Arist. 5. Met. cap. de priori, & 5. Met. text. 3. & 4. ubi prius natura definit per hoc, quod potest separari a posteriori, & esse sine illo; addit etiam rationem ex mutatione instantanea deductam, quam infra num. 36. referemus, & solvemus; Tota hæc controversia est fere de nomine, & quia ejus solutio pendet ex variis acceptationibus prioritatis nature, ut omnis confusio tollatur in modo loquendi, operæ pretium est ad decisionem quæsti variis, & multiplices prioritatis nature actiones præmittere, & nos præsertim addecimus illas, quæ magis sunt Arist. Scoto, & rationi conformes.

Primo igitur modo prioritas nature sumitur pro prioritatis invertibilitatis, quando, scilicet, non convertitur substituendi consequentia; præterquam aliam agnoscere non videtur Bonet. lib. 6. suæ Met. cap. 2. quod potest intelligi vel quoad existentiam, ut cum arguitur ab est secundo adjacente ad est secundum adjacens, ut fumus est, ergo ignis est, non tamen e contra, non enim ignis semper est simul cum fumo, vel potest secundo intelligi quoad essentialiam, cum scilicet aliquid non prærequiritur aliud in sua essentiali, licet istud in sua essentiali præexigat illud; prior tamen explicatio est communior, & traditur a Scot. 1. d. 7. qu. un. in fin. & 2. disp. 3. qu. 2. ad 3. ubi advertit hanc prioritatem non necessario inferre causalitatem in priori natura respectu posterioris, nam potest esse, quod causa existentia inferat quidem existentiam effectus, non e contra, ut quando causa est necessario productiva alicujus effectus, qui tamen ab alia causa potest produci, ut est ignis, qui necessario producit calorem, calor autem non solum ab igne, sed a Sole potest produci, unde valet, ignis est, ergo calor est, non e contra, calor est, ergo ignis est; quapropter illud dicitur natura prius hac prioritatis, cujus existentia inferatur per existentiam alterius, non tamen e contra, sive sit causa, sive effectus. Aliqui tamen nolunt hanc esse prioritatem nature, eo quia non dat intelligere causalitatem in priori natura respectu posterioris, unde Ar. hic eam distinguit a prioritatis nature, & solum appellavit prioritatem secundum invertentiam. Attamen 5. Met. 16. prioritatem nature definit, quod sit inter ea, quorum unum potest esse sine alio, non e contra; idcirco potest dici prioritatis nature non rigorose.

30 Secundo modo prioritas nature sumitur pro prioritatis independentiæ, seu naturalis præsuppositionis, quo sensu dicit præsuppositionem unius ab alio ex natura rei, & hæc prioritas multiplex est; nam vel cadit inter duo quoad convenire alicui tertio, & hæc non semper est prioritatis causalitatis, sed naturalis præsuppositionis in essendo, quatenus unum prius dicitur alicui tertio convenire, quam alterum, quia hoc præsupponit illud, ut loquitur Scot. 2. disp. 1. q. 2. A. & 3. d. 3. qu. 1. D. quæ adhuc duplex est, sicut duplex est ordo essendi, qui potest inter illa reperiri est Scot. c. alter est ordo essendi positivus, qui cadit inter duo positiva vere, & realiter alicui tertio convenientia, ut genus, & differentia respectu speciei, ambo enim instant speciei, sed prius natura genus, quam differentia, quia differentia præsupponit genus, cui intelligitur advenire; alter est ordo privativus, qui cadit inter privative opposita, quatenus ordine nature privatio dicitur præcedere formam materia in priori natura, etiam si materia esset simul cum forma producta, non quod vere conveniat, & insit materiei, sed quia ex se inest, & conveniret, si agens non impediret producendo formam in materia.

31 Vel hæc prioritas cadit inter duo, non in ordine ad tertium, sed inter seipsa quoad proprias entitates, quatenus entitas unius necessario præexigit entitatem alterius existentem, non e contra; quod tripliciter adhuc potest

contingere, primo, itant quod præsupponitur, dicatur causa illius, a quo præsupponitur per verum, & realem influxum, quo sensu Scot. 2. d. 1. q. 2. E. causam aut esse naturaliter priorem effectui, quia in suo esse non præexigit effectum existentem, sicut effectus necessario præexigit causam existentem; imo causa, quantum est ex se, potest esse sine effectui, cum ab illo essentialiter non dependeat; at effectus cum sit causatus, & a se non possit causari, necessario dat intelligere causam existentem; & dicitur a Scot. 1. d. 7. q. un. in fin. & 3. d. 2. q. 2. ad 3. prioritatis causalitatis; Secundo cum præsuppositum non est vera, & Physica causa, sed vel Metaphysica per simplicem emanationem, ut est subiectum respectu passionis, vel saltem est ratio fundamentalis, & radix, a qua aliquid pullulat sine omni profusa causalitatis umbra, & dependentia, ut est essentia divina respectu attributorum, imo unum attributum respectu alterius, nam immutabilitas secundum communem est ratio eternitatis divinæ, Deus enim est æternus, quia immutabilis, unde se habet velut causa virtualis, ut explicavimus in 2. p. inst. tr. 1. c. 2. & hac ratione dicitur prius natura, quia potest intelligi non intellecto posteriori ut existente; Tertio, tandem, si id, quod præsupponitur, non se habet ut causa, neque Metaphysica, neque virtualis, sed ut necessario prærequiritur ad esse posterioris, quia ratione potest intelligi non intellecto posteriori, non e contra; sic intellectus naturaliter dicitur præcedere voluntatem, & intellectus volitionem ex Scot. 2. d. 25. qu. unic. ad 3. pro opin. & duo effectus ordinate ab eadem causa provenientes se habent eodem modo.

Ex his facile resolvitur potest controversia illa superius insinuatam inter Scotistas de proprietate nature, nam sit inter extrema, quorum unum sit in aliquo signo nature, in quo non sit aliud; an vero consistat in simplici præsuppositione unius ab alio; si namque nature prioritas sumatur pro proprietate invertibilitatis, vel realis, & physica causalitatis, itant quod præsupponitur, dicatur causa illius, a quo præsupponitur, per verum, & realem influxum, sic utique prioritas nature bene explicatur per posse esse unum sine alio, non e contra, & veritatur inter extrema, quorum unum possit esse sine alio; unde ex vi prioritatis, quam dicunt invertibilitatis, animal potest existere sine homine, & universaliter superius sine inferiori, non e contra; & pariter ex vi prioritatis physice causalitatis potest causa esse sine suo effectui, cum sit ab ipso independens, non tamen e contra, cum sit ab ipsa dependens; & de tali genere prioritatis nature loquebatur Arist. locis a Tromb. cit. in Met. cum dicebat priora natura esse illa, quæ possunt esse sine aliis, non autem alia sine ipsis, ut mox explicabitur infra num. 36. et si sermo sit de aliis modis prioritatis nature, explicanda est per solam præsuppositionem unius ab alio prædicando ab hoc, quod prius potest existere sine posteriori, vel non potest.

32 Quo ad 2. princ. quidam negant hæc instantia nature absolute dari a parte rei; quidam vero negant dari instantia nature inter prædicata essentialia, sed hæc dicunt esse instantia rationis, licet cum fundamento in re, eo quod negant etiam prædicata a parte rei distingui, sed solum ratione ratiocinata, ita Hurt. disp. 8. Phys. sect. 6. cum aliis Recentioribus, admittunt tamen inter causam, & effectum.

Dicendum est, hæc instantia vere dari a parte rei, etiam inter essentialia prædicata prædicando ab opere intellectus, quæ sunt in unico instanti temporis; ita passim Scot. cit. & in 1. d. 1. qu. 1. H. & Scotista omnes, sed præcipue hanc concl. explicat, & probat Zerb. 5. Met. q. 2. quem sequitur Amic. tr. 19. qu. 7. dub. 2. non loquitur autem de prioritatis nature secundum invertentiam consequentiæ, hæc enim potius est prioritas logica, sed de prioritatis nature naturalis præsuppositionis; Probatur autem, quia eodem instanti temporis vere a parte rei nullo intellectu considerante possunt duo dari cum naturali præsuppositione, sive cum causalitate, sive non, modo explicato, ergo in eodem instanti temporis possunt dari plura instantia nature. Antec. patet, quia essentialia a parte rei prius conveniunt, quam accidentalia, quia res prius est in se, quam extrinseca recipiat, & inter essentialia, quæ sunt communiora, prius conveniunt, quam specialiora, quia hæc illis adveniunt; Conseq. patet, quia hæc instantia nil aliud dicunt, quam ordinem præsuppositionis unius ab alio, & quia hic ordo non solum in rebus realiter distinctis, verum etiam in prædicatis reperitur, quæ formaliter distinguuntur, ut innuimus disp. 5. qu. 3. art. 2. & qu. præced. art. 2. idcirco hæc instantia a parte rei erunt.

Dices, ergo indivisibile temporis, quod est instans, erit divisibile per instantia nature, & sic haberet partes. Tum quia in tantum unum dicitur prius natura altero, quia potest concipi abque illo, ergo hæc instantia sunt per intellectum, & rationis. Tum 3. quando causa dicitur prior nature effectui, vel est sermo de causa, & effectui formaliter sumptis, & est falsum, nam ut sic sunt relativa, & simul natura; vel quoad proprias entitates, & sic quia non solum causa v. g. ignis potest concipi sine calore, sed etiam calor sine igne, uterque prius natura dicitur. Tum 4. causa naturalis nequit esse sine suo effectui, & si virtus illius

illius concipiatur, hæc dicit ordinem transcendentem ad effectum, quare cum sit naturalis, ad intellectionem causæ concipiatur effectus existens, ergo non debet dici prior effectui naturaliter, prob. conseq. nam hæc prioritas arguitur ex hoc, quod potest concipi sine effectui. Tandem si hæc instantia sunt realia, ergo creata; & sic posteriora dicentur, & sic processus in infinitum, neque Deus potest dici prior natura, quia nullum ens creatum recipit in se.

33 Resp. ad 1. neg. conseq. quia non sunt instantia durationis, sed solum naturalis præsuppositionis, qua ratione unum potest concipi, altero non intellecto, non e contra; hinc non recte Amic. cit. hæc instantia ait esse instantia a quo, non in quo: nam ut dicemus art. seq. prioritas a quo dicitur originationem unius ab alio, & a prioritate nature distinguitur, & potest esse sine illa, ut patet in causa, & effectui, ut relativa sunt, quæ dicuntur simul natura, sed causa prior origine effectui, quia est a quo aliud, & e contra datur prioritas nature sine isto ordine a quo aliud, ut est prioritas simplicis præsuppositionis absque illa causalitate, instantia igitur nature dicuntur instantia in quibus, non quod in uno detur prius, in quo non sit posterius, ut dicemus, aliter essent instantia durationis in quibus, sed quatenus in uno instanti præsupponitur aliquid esse, non necessario præsupposito posteriori; quod non est in relativis, in quibus est simul natura, quia unum non præsupponitur alteri, ut sine illo concipi potest, ut in qu. seq. dicemus. Ad 2. resp. cum Amic. & Hurt. instantiam istam dicere in recto entitatem causæ independentem quoad existentiam a posteriori, in obliquo nostrum concipiendi modum; hinc non ideo causa dicitur prior natura, quia independens concipitur, sed quia talis est in se, qua ratione fundamentum, & occasionem præbet nostræ intellectioni. Ad 3. resp. Arriag. disp. 7. Phys. sect. 7. causam secundum entitatem, non secundum relationem, dici priorem effectui physico, sine quo esse potest, at effectus, licet inadæquate conceptus, potest concipi, non intellecta causa, adæquate tamen necessario dat intelligere causam, quam præsupponit in esse. Ad 4. ex eodem causa naturalis, ut adæquate concipiatur secundum virtutem, & actum primum, quem habet cauandam, non requirit effectum existentem, sed potenter existere, quia erit causa naturalis necessario producat effectum, hoc non est de ratione causæ ut sic, ut patet in causa libera, & saltem potest a Deo impediri; at effectus, quia concipitur existens, necessario etiam præsupponit causam existentem; ideo causa dicitur prior natura. Hæc tamen, & præcedens responsio valent de prioritatis nature secundum veram causalitatem, ubi causa potest esse sine effectui propter distinctionem realem, non in aliis, ubi causa est realiter cum effectui identificata. Quapropter dicimus ad prioritatis nature sufficere præsuppositionem in entitate, qua ratione non ita necessitatur intellectus ad intellectionem posterioris præsupponentis, sicut necessitatur, intelligendo posterioris, intelligere quoque præsuppositum; unde est aliquando prius natura neque concipi divise sine posteriori, potest saltem præcisive, itant quantum est ex se, si aliunde non impediretur, scilicet, ab identitate reali, potest esse sine illo. Ad ult. hæc instantia proprie non dicunt nisi entitates priores, & posterioris taliter adinvicem dependentes, & præsupponentes, quæ præsuppositio non dicit quid realiter distinctum ab illis; unde debent explicari per connotata.

34 Quoad 3. princ. Aliqui Scotista, ut Tromb. in Formal. art. 4. in explicacione hujus prioritatis, quia talem prioritatem ita explicant, ut præsuppositum est, ut prius sit, vel esse possit in aliquo signo, in quo non sit posterius, consequenter asserunt in eodem instanti temporis, si sunt duo instantia nature, posse de eodem duo contradictoria verificari, sed non contradictoria modo, nam in primo instanti nature conveniunt non contradictoria, in quo non conveniunt alterum, sed in 2. instanti, unde volunt per instantia nature mensurari rerum existentias, quatenus hoc esse prius natura illo, non est tantum hoc præsupponi ab illo, sed est hoc esse in aliquo priori, in quo simpliciter non sit posterius; faver hinc modo dicendi P. Faber 1. disp. 25. num. 21. dum ait, quod in omnibus prioritatis hoc modo loquendo in illo priori, in quo est unum, non est ad aliud, bene utitur, & per hanc formulam recte explicantur prioritates.

35 Dicendum est, non posse salvari contradictionem per instantia nature, quæ explicentur per esse in uno instanti, in quo non sit aliud, sed solum quod in uno prius intelligatur, in quo non intelligitur posterius, ambo tamen sunt in eodem instanti temporis, si est ordo natura positivus. Ita major pars Scotist. ut Lich. Tat. super loca Scoti adducta Canon. 1. Phys. q. 4. art. 2. Rada 1. p. contr. 5. est q. communis apud Recentiores; & expresse docetur a Scot. 2. d. 1. q. 2. A. & 3. ad 3. q. 1. ad 3. dum duplicem illum ordinem nature positivum, & privativum assignat, clare enim ait privationem dici priorem forma in materia, non quia vere in priori natura insit materiei, sed quia inest, nisi per adventum formæ impediretur, quod non esset verum, si instantia nature mensurarentur existentias, nam potest dici vere privationem inesse materiei, & in 2. instanti expelli a forma; & probatur; impli-

cat, contradictoria simul esse in eodem, sed quæ sunt in eodem instanti temporis, quamvis in diversis instantibus nature, simul sunt, ergo &c. Tum quia quod est posterius natura, vel coexistit toti instanti temporis, vel parti; si secundum, ergo indivisibile haberet partes: si primum, ergo quia prius natura coexistit eidem instanti, jam prius, & posterius natura simul existent, ut non possit dici in aliquo signo prius esse, in quo non sit posterius. Neque dicas instans temporis esse virtualiter divisibile, quæ ratione poterit unum coexistere secundum unam partem, alterum secundum aliam; ut est in anima. Nam hanc virtutem divisionem respicimus disp. 9. Phys. q. 2. art. 1. contra Salmaticenses ponentes in continuo puncta tumentia. Tum quia non duo, sed plura instantia nature assignantur in eodem instanti temporis, quæ si dicerent veram successivam in existentia a parte rei, non videtur, quomodo possit salvari indivisibilitas instantis durationis; poster enim quis dicere instans temporis esse unum ex illis instantibus nature. Tandem, quia sequeretur in eodem instanti temporis materiam esse sub diversis formis, eundem hominem simul vivam, & mortuam, in peccato, & in gratia, imo genus sine specie, & speciem sine individuo, quæ sunt absurdæ; conseq. prob. quia hæc omnia salvari poterunt per plura instantia nature, vide disp. 4. Phys. ubi de hac re egimus qu. 4.

36 In oppos. arguit Tromb. ex 5. Met. 16. ubi per separabilitatem a posteriori definit prius, & 7. Met. 3. & 4. probat substantiam esse priorem accidente, quia potest esse sine illo, ergo non repugnat prius esse in aliquo signo, in quo non sit posterius. Tum 2. mutatio instantanea non est sine suis terminis, quæ sunt forma, & privatio, ergo in eodem instanti temporis erunt hi termini in subiecto; nam quod privatio præcesserit in tempore antecedenti, est de per accidens ad mutationem instantaneam, quia postea Deus creare materiam, & in eodem instanti illam igni applicare, quo casu materia mutaretur, & tamen non nisi in illo instanti habuisset privationem; idem etiam sequeretur, si aliqua creatura fuisset ab æterno producta, cujus non esse natura præcederet esse. Tum 3. quia vere ab intellectu unum abque alio concipitur, ergo ne sit falsus intellectus, ita se debent habere a parte rei.

Resp. Arist. loqui de priori natura prioritatis causalitatis, quod cum sit realiter a posteriori distinctum, recte explicat illud per separabilitatem, ex qua arguitur independentia, non per separationem actualem, aliter esset prius tempore, non natura. Ad 2. patet ex dictis disp. 15. Phys. quæst. 4. ubi ostendimus terminum a quo debere tempore præcedere formam in materia, aliter nulla esset mutatio; quare de per se ad mutationem requiritur, quod materia prius tempore dicitur privata; ac proinde disp. 14. qu. 1. art. 1. negavimus cum Scot. 2. d. 1. qu. 3. in creatione ab æterno esse aliquam mutationem, & si non esse dicitur natura præcedere, hoc est in instanti nature privativo, non positivo. Ad 3. illa conceptio non est divisa, sed præcisiva, quatenus unum intelligitur, non quidem sine alio, sed alio non intellecto, ad quam, ut sit vera, non requiritur actualis separatio a parte rei.

ARTICULUS II.

Quid sit prioritas originis.

37 **H**unc prioritatis modum non assignavit Arist. quoniam in creatis non reperitur abque causalitate, quod enim est altero prius origine, est etiam illius causa, ut videbimus, unde ad prioritatem causalitatis in sententiis ipsius habet reduci; at secundum veritatem, quia datur productio abque imperfectione, & dependentia, sicut ratio producentis, quæ nullam includit causalitatem, idcirco Theologi præter ordinem nature alium posuerunt originis appellatum, qui in hoc formaliter consistit, quod plura dentur inter se ordinata, eo quia unum est ab alio tanquam a principio producente, unde dici solet ordo a quo aliud; & quia Filius in divinis est a Patre, ideo originatus dicitur a Patre; & hic est ordo perfectus, & per se est originis; dantur enim alii ordines originis, qui non simpliciter, sed secundum quid originis dicuntur, quia non sunt inter originatus, & originatum, sed inter originationes ipsas, sed de his in Theologia, sufficit modo ordinem originis simpliciter explicare.

Dubium est, an quæ sic ordinata intelliguntur, possint dici priora, & posteriora. Thomista negant cum D. Thom. 1. p. q. 42. art. 3. eo quod putant prioritatem, & posterioritatem involvere semper inæqualitatem, imperfectionem, & causalitatem, quæ omnia sunt a Deo removenda, & tamen ponitur originis ordo. Scotus affirmat præcipue 1. d. 5. q. 2. O. d. 12. q. 2. & d. 28. q. 3. F. & 2. disp. d. 1. q. 1. H. & aliis in locis, quem fere omnes Recentiores sequuntur Canar. 1. p. qu. 42. artic. 3. Zumel ibid. Suarez disp. 12. Met. sect. 1. num. 8. & 9. Vafq. 1. par. disp. 168. Hurt. d. 8. Phys. sect. 6. Arriag. disp. 7. Phys. sect. 7. Amic. tract. 19. qu. 3. dub. 7. & alii, & quamvis sit quæstio de nomine, nam esse prius origine alio solum intelligimus ab illo aliud originari, & produci, & esse

esse posterius concipimus esse ab alio productum, non a se, modo vere Filius in divinis est a Patre, & Pater producit Filium secundum omnes, & solum est discrepantia, quod non possit dici Pater prior, Filius posterior, quare in re conveniunt omnes, & differunt in modo loquendi; probatur tamen quod hic ordo originis, five sit cum causalitate mixtus, five sejunctus, inferat prius, & posterius; nam ut arguit Mayr. 1. d. 12. q. 2. art. 1. & 2. ubi ponitur aliquis ordo, ibi ponitur prius, & posterius, quia ordo est inter ea, quæ non sunt simul, qua ratione ordinata secundum ordinem naturæ non dicuntur simul natura, nec ordinata ordine originis sunt simul originæ, at ubi non est simultas, ibi est prius, & posterius, ergo ordo quicunque etiam in divinis inferat prius, & posterius in tali ordine. Tum quia principium, & si non dicat habitudinem causæ, semper est prius termino ea ratione, qua est principium, unde privatio est non dicatur causa generationis, est prior generatione; ergo principium originans, etiam ut a causalitate præcindit, erit prius originato. Et tandem quia hic loquendi modus a Sanctis Patribus comprobatur, nam præcipue Basil. 1. contr. Eunomium loquens de divinis personis ait, *Nam in his priorum esse causam dicimus, posterius vero, quod ab ipsa est; quoniam igitur patris rationem habet, ordinem in his negare, in quibus est prius, & posterius non positione nostra, sed naturali quadam consuetudine?*

38 Datur igitur prioritas originis quæ formaliter dicitur a quo, præcindens a prioritate naturæ, & in quo, non quod nequeat cum illa reperiri, ut videtur docere Hurt. nam ut optime arguit Arriag. ex hoc, quod aliquid ab alio præcindit, non ob id dicitur illi impossibile; sic etiam videbimus, quod productio in sua ratione formaliter præcindit a causatione, & ut sic reperitur in divinis, & tamen adest etiam in creatis cum causatione; quapropter causa efficiens non solum dicitur prior prioritate naturæ, & in quo, sed etiam prioritate originis, & a quo, unde generatio viventis definitur solet, quod sit origo viventis a vivente, & effectus dicitur originatus, & posterior tam natura, quam origine sua causa: in divinis vero principium productivum, sicut non dicitur causa, neque erit prius prioritate naturæ, cum Pater, & Filius sint simul natura, sed tantum prioritate originis, & a quo, solum enim prioritatem temporis, vel naturæ excludere debemus a divinis personis.

39 Hinc patet, non esse omnino vanam distinctionem illam a pluribus Scottis receptam de signis originis in quibus, & a quibus, ut ait P. Faber 1. disp. 15. nu. 21. ubi contendit prioritatem originis esse prioritatem in quo, licet non in ordine ad durationem, & non bene explicari per a quo, quia Doctor ponit signa originis inter intellectum, & voluntatem, & generationem, ac spirationem, quorum unum non est ab alio. Sed sane fallitur, quia Sc. formalitatem hujus prioritatis perpetuo explicavit per a quo, & forte nunquam per in quo, unde 1. d. 12. qu. 2. ait patrem prius origine filio spirare, & filium posterius, quia pater a se, filius ab alio spirat, & 2. d. 1. qu. 1. ait patrem prius origine filio intelligere lapidem, quia pater a se, filius ab alio intelligit, & quol. 8. O. ait prius origine causare, est causare a se; posterius est causare ab alio, expressius 1. d. 10. q. un. in fin. ait distinguendo inter instantia originis non distinguitur inter durationem, & durationem, sed tantum a quo quis sit, & quol. 4. §. De primo ait, ordo autem originis non requirit, nisi quod hoc sit ab hoc, sic etiam alibi frequenter. Verum tamen est, ut observat Rada 1. p. contr. 5. Doctorem aliquando per signa originis intelligere signa naturæ, & in hoc sensu inquit intellectum origine præcedere voluntatem. Bene ergo distinguebant illi Scotti de signis originis a quibus, & in quibus, nam in divinis dicuntur a quibus, in creatis vero, ubi originatio est cum causatione connexa, dici possunt in quibus, non ratione proprie formalitatis, sed prioritatis naturæ adjunctæ, quæ est prioritas in quo.

40 Dices, si filius in divinis esset origine posterior, non erit in primo signo originis, sed in secundo, ergo non ab æterno. Tum quia non potest assignari quid formaliter dicant hæc prioritas, & posterioritas originis, an scilicet quid distinctum ab ipsis originibus, an aliquid idem. Resp. ad 1. cum filius dicitur esse in secundo signo originis, non in primo, non est sensus, quod non habeat existentiam etiam in primo, sed solum quod non habet esse a se, hoc enim significat esse in primo signo, sicut cum dicimus homo in primo signo naturæ non est risibilis, sed in secundo instanti, non est sensus, quod tunc vere non habeat risibilitatem, sed quod non habeat illam intra essentiam, hoc enim denotat ly in primo instanti naturæ; attamen ut omnis equivocatio tollatur, rectius erit instantia naturæ explicare per verbum intelligi cum præcisione, & instantia originis per esse a se, vel ab alio. Ad 2. Zerb. ait hoc prius, & posterius dicere entitates extremorum, quæ ex seipsis habent hunc ordinem, quatenus originatio passiva formaliter est respectus denominans originatum, quod ab alio, quod est esse posterius origine, originatio activa est respectus denominans producens a quo aliud,

quod est esse prius origine; hinc Scot. 1. disp. 28. qu. 3. F. paternitatem ait formaliter esse prioritatem originis; at Mayr. vult ordinem esse quid distinctum saltem tamquam passionem ab ipsis originationibus; primum videtur probabilius, quamvis ab Amic. secundum magis approbetur; sed de hoc alibi.

Tandem pro complemento hujus quæst. advertere debemus ex Scot. 2. d. 1. qu. 1. H. quol. 4. art. 2. quod ex his modis prioris solum prius tempore respicit durationem, alia præcindunt, & præcipue prius natura, & origine, de quibus frequentior est in scientiis sermo, quia in eodem instanti temporis possunt aliqua esse priora, & posteriora natura, quia causa, ut causa, non necessario debet tempore præcedere effectum, sed sufficit, ut in eodem instanti temporis sit, quomodo dicitur adhuc prior natura effectus; possunt quoque dari plura instantia originis; quare hi tres ordines sunt subordinati, ut cum simultate temporis fiet prioritas naturæ, non e contra; cum simultate naturæ fiet prioritas originis, non tamen necesse est e converso cum prioritate originis stare prioritatem naturæ; ut diximus, de hac prioritate vide plura apud Bonet. 16. Met. cap. 2.

Q U E S T I O III.

De modis simultatis.

41 Explicat Arist. post modos prioris, tres modos simultatis, quibus aliqua simul esse dicuntur, non quod tres dumtaxat sint modi simul, quia cum opponatur prior, & quot modis dicitur unum oppositorum, tot dicatur & reliquum, tot erunt modi simul, quot modi prioris; sed quia alii, ut not. Doctor q. 43. prædicam. ex modis prioris sufficienter haberi possunt; vel quia sufficiebat Aristot. ponere modos illos, qui sunt ad propositum, & prædicamentis inserviunt.

Primo modo aliqua dicuntur simul tempore, quæ scilicet sunt in eodem tempore, & dicuntur simul inceptio; si vero aliqua sint in eodem tempore existentia, quamvis unum prius altero incæperit, possunt dici simul tempore in duratione, & conservatione.

Secundo modo quedam dicuntur simul natura, ad quæ duas condiciones exigit Arist. prima est, quod dicantur ad communi vertentiam, secunda quod unum non sit causa alterius, ut se habent relativa mutua, quæ ut sic formaliter accepta sunt simul natura, quas condiciones tergit Doctor 1. d. 28. qu. 3. F. dum explicans simultatem naturæ relativorum, ait consistere in hoc, quod unum non possit esse sine alio absque contradictione, & ab intrinseco; dum dixit unum non posse esse sine alio, innuit primam conditionem, quæ non sufficit, nam etiam subiectum, & passio ita se habent, & tamen subiectum est natura prius passione; dum addidit absque contradictione, & ab intrinseco, denotavit secundam conditionem, quod unum non sit alterius causa, quia causa ab intrinseco est prior causata, nec est de ratione causæ, quod sit necessario conjuncta cum effectu.

Dices, datur duplex prioritas naturæ, una secundum inconvertentiam consequentiam, altera secundum causalitatem ex dictis qu. præc. art. 1. cum ergo simultas sit prioritati opposita, quæ secundum convertentiam dicuntur, habent simultatem oppositam primæ prioritati, ergo simul natura dicuntur, quamquam unum sit causa alterius. Resp. quod sicut prima prioritas non dicitur rigorose prioritas naturæ, sed large, ita simultas illi opposita erit large simultas naturæ, Aristot. autem assignavit condiciones primæ simultatis naturæ.

42. Tertio modo quedam dicuntur simul divisione, ut sunt duæ differentie ex æquo dividentes idem genus in species per eas constitutas; tunc autem duæ differentie ex æquo dividunt genus, cum æque proxime dividunt, non media alia differentia vel specie, ut rationale, & irrationale immediate, & ex æquo dividunt animal, non vero rationale, & aquatile, nam aquatile dividit animal, ut contrahitur per irrationale. Hac simultas daretur quoque naturæ, hoc est, ut aliqui explicant, simultas in natura communi, quia simultas specierum universaliter debet attendi in natura communi generis, in qua conveniunt, non in propriis differentiis specificis, nam aliqua species sunt, quæ secundum proprias rationes formales præsupponuntur aliis, ut in quantitate linea præsupponitur superficiæ, & superficies corpori, in qualitate actus præsupponitur habitus, ac proinde non sunt simul natura. Sed melius dicitur, sub hoc modo Arist. non omnem speciem comprehendere, imo excludere species illas quæ aliis præsupponuntur in suis rationibus propriis, nam si species considerasset solum, ut in natura generis conveniunt, ut sic non possunt dici plura simul, sed unum; illæ igitur differentie dicuntur simul divisione, & natura, quæ immediate dividunt genus, & non una alteri præsupponitur, ut ipse Arist. explicat in textu. Quæ ratione optime Doct. q. 43. cit. docuit, hunc modum esse oppositum etiam prioritati naturæ, ut hæc dicit ordinem quandam naturalis præsuppositionis, quamvis Toletus ipsum opponat prioritati ordinis.

DISPUTATIO DECIMA.

De Enunciatione.

1 Post explicationem Prædicamentorum, ubi de principiis remotis syllogismi, scilicet de terminis, subjungit Arist. libros de Interpretatione, in quibus de principiis propinquis, quales sunt Enunciationes, sermonem instituit, ut possit deinde ordinatim ad structuram totius syllogismi declarandam progredi in lib. Prior. inscripsit autem hos libros de Interpretatione, Græce vero Perihermenias, non quidem prout Interpretatio dicitur vocem articulatam prolata cum intentione aliquid significandi, ut notat Doctor hic qu. 1. nam sic etiam incomplexis convenit, transcenditque limites horum librorum, sed prout dicitur vocem articulatam significantem aliquid esse, vel non esse, seu significantem verum, aut falsum, quomodo cum Enunciatione vocali coincidit; non quod ipsa vocalis Enunciatio hic per se consideretur, quia ex dictis q. Proem. Logica non est per se de vocibus, sed solum ut expressiva sunt mentalium conceptuum, quæ ratione de vocibus, & signis multa docuit Arist. Neque est necesse, ut semper librorum inscriptio a fine, & subjecto desumatur, ut q. cit. diximus. Ex quibus deducitur subiectum in his libris esse Enunciationem mentalem, ut per vocalem exprimi potest, communem categoricæ, & hypotheticæ, ita Doctor cit. Ant. Andr. ibid. Tat. q. 1. §. Dubitatur primo, Jo. de Magistris. ibid. Ruvius in proem. horum lib. Blanc. ibid. & alii, quod patet, nam hic agitur de principiis syllogismi propinquis, ista sunt Enunciationis categoricæ, & hypotheticæ, sicut duplex est syllogismus categoricus, & hypotheticus, de quibus egit Arist. in lib. Prior. & quamvis de hypothetico prolixam tractationem non instituerit, ut fecit de categorico, non ob id sequitur de illo per se non egisse, quia syllogismus communis utriusque est instrumentum tertie operationis intellectus directivus, unde datur quoque demonstratio hypothetica, quæ ducit ad impossibile, de qua locutus est 1. Post. pauca tamen de hypothetico syllogismo explicavit, quia reducibilis est ad categoricum, qui magis obsequio, & perfecte concludit, quæ ratione etiam in his libris non multum de hypothetica propositione differuit. Tum quia hic determinatur propter ipsam absolute sumptam determinatur, nam agitur de nomine, & verbo, ut de partibus integralibus ejus, de Oratore, ut de ipsius genere, ejus definitio proponitur, species assignantur, & declarantur, & tandem proprietates ipsius explicantur, ut oppositio, equipollentia, conversio: Et quoniam de his omnibus fuisse egimus in 1. p. Infit. tract. 2. ubi multas dubitationes dissolvemus, hic nonnulla solum de Enunciatione dicemus, data opera ibi prætermissa, utpotè alioris indaginis.

Q U E S T I O PRIMA.

An Enunciatio sit Ens reale, vel Rationis.



Upponimus distinctionem illam Enunciationis in mentale, vocalem, & scriptam, quarum duas posteriores non sumuntur hic materialiter, ut dicuntur voces illas articulatæ, & characteres efformatos, quo sensu nulli dubium est esse entia realia, sed accipiuntur formaliter, ut scilicet dicuntur significationem ex libero hominum beneplacito illis convenientem.

Prima sent. asserit enunciationes omnes esse entia realia, tam mentale, quam scriptam, & vocalem, ita Blanc. disp. 1. de Enunc. sec. 1. Secunda affirmat de mentali, negat de aliis, ita Masc. lib. d. de ora. q. 2. Addit Ruy. q. 2. quod licet mentalis quoad ordinem intellectus sit ens reale, tamen si spectetur, ut subsistat ordinariè in ratione subiecti, & prædicati, in qua ratio enunciationis consistit, est ens rationis, ab ista opin. parum distat Amic. tract. 2. disp. 2. q. 2. dub. 2. estque communis.

3 Facilis tamen est solutio hujus quæst. Nam enunciatio vocalis, & scripta formaliter acceptæ non sunt entia realia, sed entia rationis materialia, quia ut sic solum dicuntur relationem signi, non naturaliter significantes, sed ad placitum, quæ relatio est mera denominatio extrinseca ab humana voluntate proveniens ex dictis disp. 2. q. 2. denominatio vero extrinseca, quamvis realis dicatur, non recte tamen dicitur ens reale, ut vult Blanc. cit. sed ens rationis materiale, & fundamentale ex dictis disp. 3. quæst. 2. art. 1. Deinde oratio mentalis est duplex, alia formalis, alia objectiva, formalis est actus ipsius intellectus, quo unum de altero affirmat, vel negat, & consequenter est ens reale, nam actus realiter ab intellectu producitur; naturaliter representans objectum, & fundans relationem veritatis, aut falsitatis ex dicendis qu. sequ. Oratio objectiva adhuc dupliciter sumi potest, vel in esse exercito, & sic dicit objecta cognita ab intellectu, & ad invicem unita per affirmationem, aut ab invicem disuncta per negationem, & quoniam hæc objecta possunt esse, vel realia, vel rationis, unde propositiones tam sunt in entibus realibus, quam rationis, idecirco oratio mentalis objectiva erit, vel ens reale, vel rationis in esse exercito cognitum ab intellectu, quæ passiva cognitio erit quædam extrinseca denominatio ab actu intellectus proveniens. Vel oratio mentalis objectiva sumitur in esse signato, quo sensu erit secunda intentio enunciationis, cujus definitionem explicavimus 1. p. Infit. tract. 2. c. 3. Ratio est, quia ut sic dicitur ordinationem terminorum ad invicem in ratione subiecti, copulæ, & prædicati, quod est comparare objecta in aliquo attributo rationis experiente rem extra suum ordinem.

4 Rationes in contrarium sunt illæ, quibus prob. significationem vocum, & denominationes extrinsecas universaliter esse entia realia, vel entia rationis formalia, quæ locis cit. sunt solutæ.

Cæterum solet hic a DD. disputari, an enunciatio mentalis formalis sit una simplex qualitas, an vero ex pluribus actibus composita; item an intellectus eodem omnino

actu apprehendat propositiones, & assentiatur, an vero diversus sit actus judicativus ab apprehensivo propositionis, & alia hujusmodi, quæ spectant ad exactam cognitionem secundæ operationis intellectus; attamen est res potius animalica, ideoque ad lib. de Anim. reducemus; solum hic de veritate, & falsitate cognitionis agemus, nam licet ad animalicos etiam pertineant, maximam tamen habent affinitatem cum rebus Logicis, nam Logica dicitur scientia discretiva veri a falso, & enunciatio definitur, quod sit oratio verum, vel falsum significans; præstat igitur naturam veritatis, & falsitatis hic investigare.

Q U E S T I O II.

De unitate, & falsitate.

5 Veritas est triplex, prima dicitur veritas in essendo, & transcendentalis, quia est passio entis, & omnibus rebus convenit, etiam cognitioni falsæ, nam & ipsa est ens reale, de qua veritate agit Metaphysicus; secunda dicitur in significando; & convenit proprie vocibus, & signis, de qua satis diximus disp. 2. & in Inst. præcipue 1. p. tract. 2. c. 3. ubi declaravimus, quo pacto propositio vocalis dici possit vera, aut falsa: tertia dicitur in representando, seu in cognoscendo, & convenit conceptui intellectus, quando vere exprimit, & representat rem, sicuti est, & de ista loquimur hic: & præcipue de veritate, quæ in secunda intellectus operatione reperitur, & licet sit dubium, an veritas reperitur in prima operatione, imo in actibus sensitivis, an vero solum in actu judicativo intellectus; negari tamen nequit, quin speciali modo huic actui conveniat, quamvis in cæteris etiam admittatur (de quo in lib. de An.) nam judicium est, cui tamquam principali analogato tribuitur veritas, aut falsitas, sicut in vocibus principaliter dicitur veritas convenire propositioni vocali, quam voci incomplexæ, qua ratione Arist. 1. de interp. c. 1. & 3. & 9. Met. c. ult. 3. de An. c. 6. videtur veritatem, & falsitatem tantum secundæ operationi tribuere, & hæc veritas dicit conformitatem conceptus representantis ad objectum in se, ut dicemus art. 3. sicut falsitas negationem talis conformitatis, & disformitatem ad objectum.

A R T I C U L U S I.

An veritas sit in conceptu formali, vel objectivo.

6 IN qualibet intellectione tria præcipue, ut ad præsens spectat, interveniunt, adest intellectus ipsa, quæ dicitur conceptus formalis: est objectum cognitum, ut cognitum, & terminans intellectionem, & dicitur conceptus objectivus: & adest objectum in se consideratum: veritas nequit consistere in conformitate conceptus formalis ad objectivum, ut communiter conceditur, quia ab eo, quod res est, vel non est, ratio dicitur vera, vel falsa ex cap. de subit. tum quia nulla cognitio est falsa, nam quælibet ita representat rem, sicut representatur in conceptu objectivo, & per consequens quælibet talem habet conformitatem; tum quia esset conformitas ejusdem ad seipsum: nam esse objectivum realiter est ipsemet cognitionis actus

constituens rem in esse objectivo. Cum igitur conformitas ista sumi debeat in ordine ad rem in se, quae sit terminus istius conformitatis, ut art. 3. dicimus, quærimus de subiecto, an sit conceptus formalis, vel objectivus.

Durand. 1. d. 19. q. 5. Hervæus quol. 3. q. 1. art. 2. & 3. Vulp. 1. p. disp. 76. Blanc. disp. 1. de Enunc. sect. 4. & ex nostris Vulp. 1. p. tom. 2. disp. 32. art. 4. Bonet. 5. Met. cap. 2. sustinent veritatem fundari in conceptu objectivo ad rem in se. Ex altera parte Suar. disp. 8. Met. sect. 1. citans Cajet. 1. p. q. 16. art. 2. Ferrar. 1. cont. gent. cap. 59. & 60. & alios asserit convenire conceptui formali, quæ opinio est etiam Mol. 1. p. qu. 16. disput. 1. Fonf. 4. Met. c. 2. q. 6. sect. 7. & 8. Conimbr. 1. de interp. cap. 1. qu. 5. art. 1. Moris. disp. 10. Log. quæst. 8. Amic. tract. 21. disp. 1. qu. 2. dub. 1. Hurt. disp. 9. de Anim. sect. 1. & ut veram supponit Arriaga disput. 14. Log. per totam sect. 1. ex nostratibus illam amplectuntur P. Faber de pœnit. disp. 9. num. 33. Gavelius de An. disp. 3. sect. 6. Tat. 3. periherm. q. 1. dub. 2. Ant. And. ibid. q. 3. & 6. Met. q. 6. Smifinch. tract. 3. de Deo uno disp. 1. num. 29. & ipse Vulp. art. 10. eam videtur docere. Addit Averfa secundario saltem, & minus principaliter convenire etiam conceptui objectivo, ita qu. 3. Log. sect. 4. idem fere asserit Meurisse lib. 2. Met. c. 3. q. 2. concl. 3. imo nullum poni discrimen inter has opiniones, nisi in modo loquendi, quod Faber cit. etiam docet.

7 Dicimus veritatem proprie, & formaliter ac denominatione intrinseca esse in conceptu formali, in objectivo vero solum dependenter a formali, & intrinseca denominatione. Prima pars est expresse Scot. 6. Met. q. 3. in fine, & in 1. d. 3. q. 3. C. ubi habet hæc verba: *Quod potentia cognoscens assimilatur cognito, verum est per actum suum cognoscendi, qui est quedam objecti similitudo*, quod explicat exemplo æris, nam æs assimilatur Cæsari per figuram inductam, in qua consistit ratio imaginis, & quæst. 7. S. Ad quæstionem respondeo, probat objectum active concurrere ad intellectionem, quia est ipsius similitudo, quod etiam asserit q. 8. ad 2. & quol. 13. O. docet actum dicere ad objectum relationem mensurabilis ad mensuram, & dependere tali dependentia, qualis est ejus, quod est similitudo per imitationem, vel participationem ad illud, cuius est similitudo, sed veritas, de qua loquimur, est similitudo, seu conformitas ad objectum, ergo objectum veritatis de mente Doct. est formalis conceptus: quol. 18. S. ait, quod eadem veritas formaliter est ipsius intellectionis, a qua derivatur in objectum, ut est in intellectu: ex ista doctrina elicitur probatio conclus. nam conceptus formalis est species, & imago expressa objecti, sicut species impressa dicitur imago virtualis objecti, dependet ab objecto, in ratione mensurata ad objectum, & veritatem. Tum quia sicut se habet oratio vocalis ad res per illam significatas, ita conceptus formalis ad objectum, nam sicut oratio est signum ad placitum significans res ex dictis d. 2. q. 1. ita conceptus est signum naturaliter representans, sed veritas orationis non consistit in conformitate rei ut significatæ per orationem ad seipsam ut in se, sed in conformitate ipsius orationis ad rem in se, ergo idem de veritate conceptus formalis dicendum; min. male negatur a Vulpes; nam præterquam quod asseritur ab Arist. in prædicam. c. de subit. ex eo, quod res est, vel non est, oratio dicitur vera, vel falsa, probatur adhuc, quia de ratione signi est in se fundare relationem signi ad signatum, ut impletur concedit ar. 11. n. 7. cum Scot. 4. d. 1. q. 2. D. sed oratio vocalis est signum rei, & si est vera, dicitur signum verum, & conforme, ergo &c. Tum quia cognitio denominatur vera, non res cognita, ergo veritas est in cognitione.

Nec valet, quod ait Blanc. veritatem esse in objecto cognito, ut in subiecto inhætionis, in cognitione, ut in subiecto denominationis, sicut visio est in oculo, & denominat parietem visum. Non valet, quia potius res e contra se habet, quod scilicet res cognita dicatur conformis a conformitate cognitionis, nam ut notat Averfa, sicut hæc causalis est vera, ideo res cognita representatur, quia cognitio ipsam representat, & esse representatum in re dependet a representatione activa cognitionis, ita ista alia est vera, ideo res cognita representatur conformiter, & vere, quia cognitio illam vere, & conformiter representat, ergo potius denominatio veritatis in cognitione erit intrinseca a veritate in ipsa existente, quam extrinseca a veritate existente in re cognita. Confirm. a pari, quia auctus voluntatis non dicitur bonus formaliter bonitate objecti voliti, sed propria bonitate, neque dicitur liber formaliter libertate actus potentie inferioris, & subordinatæ, quia hæc est libertas dependens, & participata, illa independentis, ergo neque cognitio erit vera formaliter veritate conceptus objectivi, quæ est dependens a cognitione. Tandem creatura in mente divina habent esse objectivum verum, & tamen divina veritas est in cognitione Dei, non in creaturis cognitis, ergo idem de cognitione creata, & ejus objecto dicendum.

8 Secunda pars colligitur ex Scot. quol. 18. S. & ex 1. d. 48. in fine, ubi ait, *quod veritas intellectus non dependet, nisi a solo objecto, quod objectum, si ita se habeat, si*

cut intelligitur, verus est intellectus; & aliis in locis a Vulpes citatis, & satis liquet ex dictis, quia conceptus objectivus dicitur conformis rei in se, dependenter tamen a conceptu formali, qui si non recte representaret rem, neque recte res in conceptu objectivo representaretur; ergo in isto erit aliqua veritas secundaria, in illo primaria; huc spectat axioma Aristotelicum, Propter quod unumquodque tale, & illud magis.

Sed contra arg. quod veritas sit in re, & primario. Tum quia quod est tale representativum, representatum dicitur formaliter tale, ut imago dicitur forma representativa, ergo homo representativus erit formaliter simus, sed cognitio dicitur vera representativa, quatenus representat verum ens, & quia ejus veritas est veritas in representando, ergo res representata erit formaliter vera. Tum 2. quia ex eo, quod res est, vel non est, oratio dicitur vera, vel falsa, id est ex eo, quod res est in intellectu conformis sibi, ut in se existit, vel non est, oratio dicitur vera, vel falsa, ergo veritas conceptus objectivi est radix veritatis cognitionis. Tum 3. concepta conformitate rei cognitæ sibi ipsi in re existenti concipitur intellectus verus, ergo veritas in tali conformitate consistit. Patet conseq. per locum ab effectu formali ad causam formalem. Antec. prob. quia tunc nequit concipi intellectus falsus, ergo concipitur intellectus verus. Tum 4. oratio vocalis est signum rei veræ, sed oratio est signum rei conceptæ, non cognitionis, ergo &c. Tum 5. veritas est conformitas in representando, sed hæc in hoc consistit, quod res intellectui representativæ, sicut est, in quo consistit ratio conceptus objectivi, ergo in tali conceptu fundatur veritas. Tum 6. si ex eo, quod cognitio representat, dicitur formaliter vera, ergo species intelligibilis, & sensationes, quæ representant rem, sicuti est, essent formaliter veræ, quod est falsum, aliter veritas non esset passio secunda, operationis, & propositionis. Tandem urina, quia est signum sanitatis animalis, dicitur sana sanitæ animalis, non propria, ergo quia cognitio est signum veritatis rei, non habet in se veritatem.

9 Resp. ad 1. assumptum valere de prædicatis ab ipsa representatione diversis, ut patet in exemplo adducto de similitudine, non vero de ipsa representatione, non enim sequitur, imago est representativa Cæsaris, ergo Cæsar est representativus formaliter, modo veritas cognitionis est ipsa representatio conformis rei, & idem est dicere, cognitio dicitur vera representativa, ac cognitio vere representat; estque constructio intransitiva, quapropter sicut imago dicitur representativa, non representans, quæ sit in objecto, sed representatione in ipsa formaliter existente, idem de cognitione dicendum. Ad 2. non recte explicatur auctoritas illa a Blanc. sensus enim est, quod oratio est vera, si conformis est rei in se existenti, falsa, si non est conformis. Ad 3. disting. antec. concipitur intellectus verus primario propter talem conformitatem, negatur, quia dicitur verus primario a conformitate conceptus formalis, sicut per talem conceptum dicitur primario rem exprimeret, secundario, & consequenter quatenus ad conformitatem conceptus formalis consequitur conformitas conceptus objectivi, & concedimus. Ad 4. oratio est signum rei veræ veritate in essendo, non representando, de qua loquimur; neque oratio est signum rei conceptæ, sed rei in se, ut d. 1. q. 1. Ad 5. vera est minor de conformitate conceptus objectivi, quæ non est primaria, ideo enim res presentatur intellectui, sicuti est, quia cognitio sic illam representat, & exprimit, quæ representatio est primaria veritas. Ad 6. patet ex dictis initio qu. quomodo veritas aliis etiam competere possit; & urget, etiam si formetur contra conceptum objectivum. Ad 6. paritas consistit in hoc, quod sicut urina solum extrinsece denominatur sana a sanitæ animalis, quæ dicitur sanitas in essendo, ita cognitio extrinsece dicitur vera a veritate rei in essendo, quæ est radix, & causa veritatis cognitionis, cum hoc tamen fiat, quod formaliter, & intrinsece dicitur vera propria veritate in representando, de qua loquimur, quo sensu etiam urina (licet sic dicere) possit dici intrinsece, & formaliter sana sanitæ in representando; imo argumentum urget contra conceptum objectivum, qui verus dicitur, quatenus ordinem dicit ad veritatem rei in essendo. Alias rationes adducit Vulpes ex quibusdam locis Doctoris desumptas; sed tantum probant in conceptu objectivo reperiri aliquam conformitatem, quod concedimus, non tamen ostendunt primitatem conformitatis.

ARTICULUS II.

An enunciatio possit de vera mutari in falsam, & e contra.

10 Proponitur difficultas præcipue de Enunciatione mentali, & cognitione complexa: quia Enunciatio est triplex, necessaria, impossibilis, & contingens, ista, vel est de præterito, vel de presenti, vel de futuro, propositio de presenti alia est, quæ determinatam, & certam partem temporis significat, ut *Petrus per totam horam studet*, alia, quæ indeterminatam, & confusam temporis partem significat, ut *Petrus studet*; cognitio etiam est duplex

duplex ex Scot. quol. 13. art. 2. alia intuitiva, quæ causatur ab objecto existente, ut existens est, alia abstractiva, quæ abstractit ab existentia objecti, de istis omnibus loqui debemus, & sensus quæstii est, num veritas ita distinguatur ab his propositionibus, & actibus ut eadem numero enunciatio de vera in falsam possit successive mutari, vel saltem si postquam vera est, & mutari nequit successive hoc modo in falsam, poterit eadem prolixo numero ab initio esse vera, vel falsa: de propositione vocali jam diximus in 1. p. Infit. tract. 2. cap. 3.

Et ut certa ab incertis separemus enunciations necessarias ab adeo veræ, & impossibiles sunt adeo falsæ ex sui natura, ut vera nequeat mutari in falsam, vel e contra, idem dicitur de actibus circa illas; ratio est, quia necessaria veritas in ipsis provenit ex ipsa necessitate, & immutabilitate objecti, quod non potest aliter se habere, quia essentia rerum sunt invariables, & ideo propositiones de prædicatis spectantibus ad essentiam rei in primo, vel secundo modo, nequeunt non conformari objecto; & e contra propositiones in materia impossibili propter repugnantiam terminorum non possunt conformari objecto. Hac de causa dicuntur æternæ veritatis, vel falsitatis, quatenus si fuissent etiam ab æterno prolata, semper fuissent veræ, aut falsæ, unde copula dicitur absolvi ab omni temporis differentia, ut docuimus in 1. p. Infit. tr. 1. c. 11.

11 Rursus, actus intuitivus, quo videtur Petrus currere, non potest successive mutari de vero in falsum, quia cursus Petri existens se habet ad actum intellectus vel objectum formale, & motivum, judicium enim intellectus Petrum currere, quia ita experitur esse a parte rei, & non movetur ab aliqua conjectura diversa, ut facit in actu abstractivo, & ideo cessante cursu a parte rei, cessat etiam actus intuitivus, qui dependet ab eo. Similiter propositiones contingentes de presenti significantes certam temporis differentiam sunt adeo veræ, ut non possint successive in falsas mutari, quia in uno instanti illius horæ Petrus, v. g. non studeret, propositio, *Petrus studet per totam horam*, est absolute falsa, nam se habet ut propositio copulativa copulans omnes partes illius horæ cum studio Petri, ad falsitatem vero copulativæ sufficit, ut una pars sit falsa. Remanet igitur difficultas de propositione contingenti de presenti confusam temporis partem significante, an possit successive de vera fieri falsa, & de propositione contingenti de presenti significante certam partem temporis, ac propositione contingenti de præterito ab initio an poterint esse veræ, vel falsæ; de propositione de futuro dicemus infra.

Negant Hurtad. dif. 9. de Anim. sect. 3. & 4. Ovviad. contr. 7. de Anim. punct. 2. Smifinch. de Deo Uno tract. 3. disp. 1. n. 33. non solum propositionem contingentem successive fieri posse de vera falsam, sed etiam posse ab initio fieri falsam; quæ modo est vera, aut e contra, unde asserunt hanc propositionem v. g. *Petrus currit*, ita essentialiter representare ex sui natura cursum Petri, ut si Petrus non curreret, & ab intellectu pro eo tempore eliceretur ista propositio, (quæ propter non existentiam cursus Petri esset falsa) non esse, inquit, eandem, sed diversam ab illa. Averfa tamen q. 24. Log. sect. 7. & Arriaga. disp. 14. Log. sect. 1. & 2. admittunt propositionem contingentem ab initio posse esse veram, aut falsam, negant vero posse de vera in falsam, aut e contra successive mutari, quod sequitur Poncius hic.

12 Dicimus tamen propositionem contingentem de presenti, & de præterito eandem numero ab initio potuisse fieri veram, aut falsam, at illam de presenti indeterminatam partem temporis significantem etiam successive posse de vera in falsam, aut e contra mutari. Conclusio aperte docetur a Doctore 4. d. 8. q. 2. V. dicente veritatem esse propositioni accidentalem, ut possit adesse, & abesse, estque communis tum apud veteres, tum apud recentiores, ut Suarez d. 8. Met. sect. 2. Ruv. 1. Perihier. c. 4. q. 5. & probabiliorum putat Amic. tract. 21. dif. 4. q. 1. dub. 2. & universaliter quicumque veritatem realiter a propositione distinguunt, uno excepto Cavello, d. 3. de An. sect. 8. qui ut veriorum existimans distinctionem formalem inter cognitionem, & veritatem, admittit adhuc respondendo ad arg. posse actum ex mutatione objecti veritatem amittere, & in falsum mutari.

Prima pars conclus. quod potuerit propositio contingens ab initio esse vera, aut falsa, probatur, quia inter propositiones contingentes, nulla est, quæ majorem necessitatem habeat, quam præterita, quia absolute nequit fieri, ut præteritum non fuerit, & tamen adhuc contingens dicitur, ergo propositio tam de præterito, quam de presenti contingens ab initio fuit indifferens ad veritatem, & falsitatem. Prob. conseq. hæc est differentia inter propositionem necessariam, & contingentem, quod illa est ita vera ex sui natura, ut nullatenus fieri possit falsa, & e contra: hæc vero indifferens sit ad veritatem, & falsitatem, quod manifestat hoc nomen contingens.

Resp. propositionem dici contingentem, non quia ipsa in se possit esse vera, vel falsa, sed quia significatum prædicati contingenter convenit subiecto, unde tota contingentia se tenet ex parte objecti, non propositionis, & sic

inferunt, propositionem dici contingentem, non quia eadem possit falsificari, sed quia alia de eisdem terminis potest esse falsa. Contra non tantum ratione materia propositiones necessaria, & contingens dicuntur differre, sed seipsis intrinsece, & formaliter, nam propositio necessaria dicitur scientifica, quia sempiternæ veritatis, quatenus intrinsece ipsius nequit cadere falsitas, sed si hæc propositio *Petrus currit*, cursu Petri existente sit ita vera, ut non potuerit esse falsa, jam in se considerata esset sempiternæ veritatis, & per consequens necessaria, & scientifica: quod autem alia falsa reperiri potuerit, puta si Petrus non occurrisset, de per accidens est illi, si intrinsece, & formaliter ita sit vera, ut absolute non potuerit esse falsa; imo Arist. 9. Met. 22. ex necessitate, vel contingentia rerum infert necessitatem, vel contingentiam veritatis propositionis.

13 Deinde in sent. Hurt. de cursu Petri duæ propositiones affirmativæ formari possunt essentialiter distinctæ, una vera, altera falsa, si Petrus vere currit, intellectus elicit cognitionem veram dicendo *Petrus currit*, si non currit, & intellectus diceret *Petrus currit*, hæc cognitio, seu mentalis propositio erit falsa, & essentialiter distincta a prima, nam prima est essentialiter vera, secunda est essentialiter falsa. Ex qua doctrina sequeretur, ut plerimum actum falsum causari, & a nullo causari, quod implicat, nam cum sit ens creatum, debet esse ens productum ab aliqua causa, & tamen in sent. Hurtad. nulla potest assignari causa producens. Prob. ista sequela, detur aliquis intellectus, qui ex conjecturis, & motivis moveatur ad iudicandum Petrum currere, cum revera sit falsum, quia Petrus vere non currit; talis actus falsus necessario pro causa respicere debet, vel intellectum, vel objectum, vel Deum, aliud nequit assignari; intellectus non est causa, quia ex se intendit actum verum specie distinctum secundum Hurtad. producere, estque determinatus, & applicatus tam a voluntate imperante, quam a conjecturis moventibus ad actum verum, ergo nequit exire in productionem hic, & nunc actus falsi; nec objectum potest dici causa, tum quia non producit aliquid in actu sine intellectu concursu: tum quia hoc objectum esset cursus in conjecturis representatus, quo pacto dicit potius conformitatem cum actu, quam difformitatem, ergo ut sic potius est causativus veritatis, quam falsitatis, & tandem quia nulla res producit difformitatem sui ipsius; ut est falsitas. Neque hic actus erit a Deo, qui non determinat ad peccatum, vel errorem, ut docent Theologi; ergo potius dicendum eundem actum species esse, quo affirmatur cursus de Petro, sive ita se habeat a parte rei, sive non, nam sic causa illius erit intellectus motus a conjecturis ad affirmandum cursum, in quo iudicio resultet relatio conformitatis cum cursu, si est a parte rei, vel difformitatis, si non est: eadem enim entitas actus utramque relationem potest fundare, sicut paries albus potens est fundare similitudinem ad alium parietem, si erit albus, vel difformitatem, si erit niger.

Conf. entitas cognitionis non pendet ab objecto, ut est in se, sed ut relucet in specie, qui ipsum exprimit, quomodo representatur a specie, veritas dependet ab objecto, ut in se, non ut in specie, ergo sicut potest esse invariatio representationis objecti in specie cum variatione objecti in se, poterit quoque stare invariatio substantiæ actus cum variatione veritatis. Neque dicas, cognitionem essentialiter esse representationem, & similitudinem objecti in se. Hoc enim impugnat, quod ratio similitudinis in his propositionibus non sit de intrinseca ratione, sicut videmus in imagine, in qua adest entitas colorum, adest representatio Cæsaris, cuius est imago, & adest ratio similitudinis, quia representat Cæsarem, sicuti est, quæ potest separari, nam si colores illi, & lineamenta similia non fuissent in Cæsare, adhuc potuisset efformari talis imago numero cum iisdem coloribus, licet falso Cæsarem representans: idem de cognitione dicendum, de quo etiam art. seq. concl. 1.

14 Secundam partem probat Doctor ex Arist. in præd. de subit. ubi ex professo docet eandem orationem, & opinionem circa contingentia successive de vera mutari in falsam, quod repetit 1. de interp. c. 8. & 9. Met. 22. & loquitur Arist. non de diversa oratione, ut asserunt Hurt. & Averfa, sed de eadem numero, ut patet legenti textum: neque solum mentionem facit de oratione vocali, ut ait Arriaga, sed etiam de mentali, opinio enim est actus intellectus, quam docet, veram, & falsam esse posse successive, neque tandem loquitur de relatione veritatis, quæ competit cognitioni, quatenus per aliam reflexam cognitionem comparari potest ad suum objectum in ordine ad varia tempora, quomodo potest conformis, & difformis successive concipi, secundum se tamen nominis unum respicit tempus, pro quo vel semper est vera, vel semper falsa, ut exponit Smifinch. Etenim præterquam quod hæc propositio contradicit Doct. c. & super textum Met. extorquet etiam textum ipsum; ait enim Arist. c. de subit. *Eadem oratio falsa, veraque videtur esse, nam si vera est hæc oratio, quempiam, inquam sedere, si ille surgat, eadem hæc oratio falsa erit; idem & in opinione fieri videtur, nam si quispiam opinatur quempiam sedere, si surgat ille, falso opinabitur, qui de isto eandem habet opinionem, quibus verbis docet,*

docet, eandem opinionem in se, non ut cognitam reflexe, posse coexistere sessioni, & deambulationi ejusdem successive.

Probatur etiam ratione, si quis ex prudenti motivo, & probabilissimis conjecturis indicaret Petrum currere; cursu Petri existente iudicium illud est verum, si cessat Petrus currere, & idem iudicium permaneat, evadit falsum propter carentiam conformitatis cum objecto in se, ergo potest eadem propositio de vera in falsam transire.

15 Multipliciter respondet; Primo, quod in tali casu deberet iudicium mutari quoad entitatem, quia mutatur circumstantia objecti, scilicet tempus, quod sufficit, ut patet de actu connotante certam temporis differentiam, qui nequit aliam representare, quamvis sit etiam objecti circumstantia. Secundo dicunt, quamlibet propositionem de presenti necessario significare certum tempus, non indeterminatem presentem, non prateritum, aut futurum; & per consequens si pro illo tempore Petrus currit, semper propositio erit vera, etiam post illud tempus permaneret, quia non representaret Petrum semper currere, sed semper representaret Petrum currere pro illo tempore, quod erit verum, quia tantum dicit cursum Petri, & tempus illud simul coexistere, ut patet in divina scientia, qua Deus ab aeterno vere scivit, & in aeterno sciet, Adamum esse in tali tempore, quamvis non fuerit ab aeterno, nec modo sit, ut fufius dicitur in tract. de divina scientia, atque ita se haberet propositio illa ad modum certum tempus significatum, quae nequeunt successive fieri verae, & falsa. Tertio respondent admittendo, significare tempus indefinitum, & confusum, non ob id tamen posse esse veram, & falsam successive, sed necessario esse vel absolute veram, vel absolute falsam, nam dupliciter potest illa propositio explicari, vel copulative, vel disjunctive, copulative, si fiat descensus copulativus dicendo *Petrus currit*, id est & in hac parte temporis currit, & in ista currit, & in ista alia currit, &c. disjunctive, si fiat descensus disjunctivus, scilicet, vel in hac parte currit, vel in ista alia currit; si primo modo explicetur, est absolute vera, si semper currit, vel absolute falsa, si in aliqua parte non currit, quia ad falsitatem totalem copulativae sufficit, ut una sola categorica sit falsa; si secundo modo explicetur, erit quoque, vel absolute falsa, si nunquam currit, vel absolute vera, si in aliqua saltem parte currat, quamvis in aliis non currat, quia ad totalem veritatem disjunctivae sufficit veritas unius categoricae.

16 Sed prima responsio non juvat, nam ut diximus, substantia actus solum pendet ab objecto, non ut in se, sed ut representato in specie, & per apprehensionem; species autem non representat objectum cum circumstantia temporis, ut optime notat Amicus, sed ut in se est; aliter, inquit ipse, phantasma semper vere representaret objectum cum omnibus circumstantiis, & eadem reali temporis differentia, quas habet a parte rei, quod est falsum, igitur si non mutatur objectum formale actus, scilicet motum inducens intellectum ad illud iudicium ferendum, a quo essentialiter pendet, parum refert temporis variatio; nec exemplum de actu connotante certam partem temporis valet, quia actus ille pendet ab objecto representato cum tali differentia, & ideo ad variationem istius sequitur actus variatio, non ita se habet actus abstractus a determinata temporis differentia, de quo nunc loquimur.

Secunda responsio est falsa, nam in productione illius propositionis intellectus explicite attendit solum ad inhaerentiam praedicti cum subiecto, non cogitando actu de differentia temporis, at tamen quia tempus datur intelligi tanquam connotatum a verbo, idcirco dicitur implicite significari in illa propositione, & per consequens confuse, vage, & indeterminate, nam partes illae confunduntur ab intellectu, & quia latitudinem habet multarum partium sibi invicem succedentium, poterit in una parte propositio esse vera, in altera falsa secundum diversas coexistentias ad illas partes, ad variationem quarum actus quo ad entitatem non variatur, quia implicite illas significat.

17 Tertia responsio valde reddit probabilem opin. oppositam; impugnatur tamen, ponamus casum, quod intellectus perseveret in illo actu affirmationis cursus de Petro per horam nunquam determinate, & explicite descendendo ad partes illius horae, sed solum confuse, & implicite illas significando, & quod Petrus in ultima quarta parte horae non currat, in ceteris currat, tunc si responsio varet, sequeretur propositionem illam explicare objectum, ut in se est, & tamen esse falsam, quod implicat, quia simul esset conformis objecto, nam explicat illud sicuti est, & diffinis, quia esset falsa; Sequela prob. quia si regula illa copulativae propositionis hic varet, jam esset falsa totaliter, & absolute illa propositio per non existentiam cursus in ultima parte, & per consequens etiam in principio horae esset falsa, ut etiam ipsi concedunt, & tamen in primis tribus partibus propositio esset objecto conformis, quod est esse veram, ergo simul esset vera, & falsa. Neque dicas propositionem illam explicari debere in sensu disjunctivo; Quia quando intellectus enunciat cursum de Petro, absolute illum affirmat implicite significando tempus

coexistens illi affirmationi propter motivum, quod habet ad id iudicandum, non conditionate, & quasi dubitative, ergo propositio illa nequit aequivalere disjunctive propositioni.

18 Verum quia ex hoc pendet veritas, vel falsitas nostrae, aut oppositae sententiae, exactius examinandum est, quapropter advertendum, quod ad hoc ut aliqua propositio de presenti sit vera, requiritur, ut eo tempore, in quo formatur praedictum, quod affirmatur in ea, vel negatur de subiecto, actu a parte rei conveniat, vel non conveniat subiecto, aliter non esset conformis objecto in se, ex quo fit, quod quando in propositione sumitur terminus aliquis communior permanentis significans, recte sub illo potest fieri descensus, vel copulatus, si supponit collective, vel copulativus, si supponit distributive, vel disjunctive, aut disjunctivus, si determinate, aut confuse supponit, quia cum inferiora simul sint, potest propositio de illis verificari, vel conjunctim, vel disjunctim, quia potest fieri convenire praedictum, & in hoc sensu optime assignantur regulae illae de veritate propositionis copulativae, vel disjunctivae. At quoniam tempus est quoddam totum successivum habens partes non simul, sed successivas, si significatur confuse, & vage in propositione, ut cum dicitur *Petrus currit*, non potest fieri descensus disjunctivus dicendo, vel in hac, vel in illa parte temporis currit, tum quia sic supponeret determinate; tum quia suppositio proprie convenit termino communi in ordine ad sua inferiora, non in ordine ad ea, quae ut concomitantia se habent, quale est tempus respectu verbi; tum quia tempus significatum vage, & indeterminate in illa propositione, potius ut copulatum quoddam significatur, quam ut quoddam disgregatum, & divisum, neque proprie illa propositio potest explicari per unam hypotheticam copulativam, ita ut omnes categoricae tunc verificentur simul, ut sit, cum dicitur, *omnis homo currit* (nam valet dicere, ergo Petrus currit, Paulus currit, &c. quae omnes simul sunt verae) ratio est, quia partes temporis non sunt simul, sed successive, ideoque nequeunt illae categoricae simul verificari, sed necessario una independentem ab alia, & post aliam, sicut partes temporis sibi invicem succedunt existente actu intellectus affirmante cursum de Petro; unde debet quasi explicari per plures categoricas abque aliqua conjunctione, vel si conjunguntur per copulam &, non conjunguntur, ut simul omnes verae, sed successive. Ex quo liquet, quod ad veritatem copulativae primi generis requiritur, ut omnes sint verae, quia praedictum enunciat, ut omnibus simul conveniens; at ad veritatem copulativae secundi generis, quia una categorica verificatur post aliam, non valet talis regula, aliter esset propositio simul vera, & falsa, ut arguimus.

19 Quando vero in propositione explicite tempus exprimitur, ut *Petrus hac hora disputat*, tunc tempus se habet ut totum quoddam determinatum, & objective saltem simul acceptum, & sic optime fit descensus copulatus, ita ut ad unius partis falsitatem tota propositio reddatur falsa, neque poterit una simul esse vera, & falsa; quod discrimen est valde ponderandum in hac re, nam in illa propositione *Petrus currit* intellectus non advertit explicite partes temporis, sed solum significatur secundum coexistentiam illam successivam, quam dicunt ad propositionem in intellectu permanentem, & consequenter una post aliam significatur, & independentem ab altera, quapropter si cursus existit in una parte, & non in alia subsequente, propositio erit vera in una parte prioris temporis, non in alia, eo quia non variatur quoad entitatem propter istam temporis variationem, ut diximus, at in ista propositione, *Petrus tota hora disputat*, intellectus explicite advertit ad omnes horae partes, illasque simul in unum colligit, simul tamen obiectiva, & se tenente ex parte cognitionis, non reali, & praedictum confertur subiecto, ut inhaerentia ipsius coexistens illi, unde debet verificari de subiecto, aliter propositio tota erit falsa.

Solvuntur Objections.

20 Contra praedicta arg. primo ostendendo omnem propositionem esse vel absolute veram, vel absolute falsam; Tum quia haec propositio, *Petrus currit*, cum sit in materia contingenti, aequivalet particulari, & facit hunc sensum *Petrus currit aliquo tempore*, ergo vel significabit certum tempus, & sic absolute vel est tota vera, vel tota falsa, vel significabit tempus indeterminatum, & sic etiam erit absolute vera, si in aliqua parte currit, & si in aliis non currat, sicut ista, *aliquis homo currit*, est tota vera, si vel unus tantum currat; vel erit tota falsa, si in nulla parte currit. Tum 2. quia illa propositio necessarie significat tempus praesens, dum profertur, non aliud, sed tale tempus est determinatum, in quo necessario Petrus vel currit, vel non currit, ergo illa propositio est absolute vera, aut falsa; major probatur, quia motivus intellectus est species representans objectum accepta ex conjecturis, quae representant objectum pro tempore praesenti, in quo est, sicut conjecturae movent pro praesenti tempore, non pro futuro. Tum 2. quia nequit actus de novo representare novum

Qu. II. An enunc. possit de vera mutari in falsam. Art. II. 321

novum tempus sine sui mutatione, ergo nequit representare objectum pro tempore subsequenti. Anteced. patet, quia propositio representat cum tempore quatenus representat aliquid in illo fieri, sicut non potest cognosci aliquid fieri in gymnasio, quin cognoscatur gymnasium ipsum, & si abstrahit a tempore, nequit esse successive vera, & falsa, sed vel tota vera, vel tota falsa, nam illa successio dicit partes temporis, a quibus ponitur abstrahere. Tum tandem, quia tam determinate concipimus tempus praesens, cui propositio coexistit, quam objecta, de quibus est propositio; cum enim dicimus *Petrus currit*, non concipimus solum Petrum, & cursum, sed etiam cursum praesentem, non prateritum, aut futurum, ergo ista propositio necessario significat tempus praesens, & per consequens determinatum, ita arguit Hurr. cit.

21 Resp. ad 1. ex dictis in probat. concl. concedendo propositionem illam aequivalere particulari, non enim est sensus, quod omni tempore currat, sed in aliquo tempore indeterminato, in quo permanet illa propositio, non quidem illud ut totum simul significando, sed successive secundum coexistentiam, quam dicit ad illam propositionem, qua ratione negatur sufficere ad veritatem, quod in aliqua tantum parte verificetur; nec est eadem ratio de illa propositione *aliquis homo currit*, & de ista *Petrus currit*, ut diximus. Ad 2. distinguimus maj. significat tempus praesens explicite, & distincte negamus, implicite, & confuse, concedimus, quatenus permanentibus istem conjecturis, permanet idem iudicium, cui tempus secundum diversas partes coexistit successive; nec est necesse, ut species representent objectum distincte cum omni circumstantia, sed potius datur tempus intelligi ex significato verbi, quare negatur min. quod tempus illud ut quid determinatum, & distinctum representetur. Ad 3. verum est assumptum, si tempus illud explicite representaretur secundum omnes partes, ut patet in exemplo de gymnasio, quod non evenit in actu abstractivo, qui implicite concernit tempus non attendendo ad partes ipsius priores, & posteriores, quod est confundere partes illas, & confuse significare, potestque haec doctrina exemplo confirmari, nam non minus coexistit ad tempus est circumstantia objecti, quam praesentia localis, & actionis, verbum non solum concernit tempus, sed etiam locum, unde dicendo *ignis comburit*, est sensus, quod in aliquo tempore, & in aliquo loco comburit, & tamen si ignis comburendo mutaret locum, non mutaretur adhuc propositio, sicut mutaretur, si diceretur *ignis in hoc loco comburit*, non alia ratione, nisi quia in prima confuse, & vage connotatur locus, in secunda distincte, explicite, & determinate; in prima locus pertinet ad objectum materiale, in secunda pertinet ad objectum formale, ita de tempore dicendum.

Ad 4. negatur assumptum, & ratio liquet ex dictis. 22 Secundo ex eodem argum. ubi variatur objectum, variatur etiam cognitio, tam intuitiva, quam abstractiva attingens tale objectum, sed dum intellectus indicat Petrum currere etiam confuse, & abstractiva; & Petrus desinit currere, jam variatur objectum cognitionis, ergo, &c. Tum 2. quia illa cognitio *Petrus currit*, essentialiter habet representare cursum Petri, non ut sic, sed ut verum, & realem, ergo ut existentem, ergo non existentem cursum, non erit ille actus, qui per suam essentiam habet intellectui exprimere inexistenciam cursus in Petro. Tum 3. quia omnis propositio affirmans cursum Petri respicit illum ex suppositione, quod sit, quo supposito necessario est, quia omne, quod est, quando est, necesse est esse, ergo propositio illa necessario respicit cursum Petri, ut existentem. Tum 4. non minus dependet actus ab objecto in se, in ratione veri, quam in ratione representantis, sed ut sic necessario representat, ut non possit non representare, ergo necessario est verus, ut nequeat esse falsus. Tandem haec propositio *Christus est in Hostia*, est contingens de praesenti significans tempus confuse, & potest permanere usque ad corruptionem specierum hostiae, quo tempore definit Christus esse in hostia; tunc sic, si illa propositio ad destinationem specierum, & praesentiae corporis Christi adhuc permaneret, & evaderet falsa, sequeretur fidem supernaturalem posse concurrere ad actum falsum, quod implicat, sequela prob. quia prius actus ille, quo fidelis affirmabat Christi praesentiam in hostia, erat supernaturalis ob concursum habitus fidei infusae, & verus, quia exprimebat rem, sicut erat a parte rei, ergo si post destinationem praesentiae Christi adhuc idem permanet, & evadit falsus, fides infusa concurreret ad illum actum falsum, ergo dicendum actum, etiam quoad substantiam desinere ad destinationem objecti a parte rei, quod etiam affirmari debet de qualibet alia propositione contingenti.

23 Resp. cursum Petri dupliciter posse considerari ex Scot. 3. disp. 25. quaest. 1. H. vel secundum suam essentiam, quomodo abstrahit ab existentia, & dicitur ens reale nominaliter, vel secundum existentiam exercitam a parte rei, & dicitur ens verbaliter, seu existens; secundo modo cursus non est objectum cognitionis abstractivae, nec motivum, nec terminativum, quatenus cognitio est, & ut dicitur relationem attingentiae, & representationis ab objectum, etiam si actu existat, ut docet Doctor quolib. 13. *Mastrii, & Bellui Tom. I. Logica.*

art. 2. quia cognitio abstractiva praescindit ab existentia, sed solum primo modo, at si consideretur cognitio ut vera, & sub relatione conformitatis, respicit cursum ut existentem; tunc ad arg. dicimus majorem valere de objecto formali, non de materiali, ut monet Doctor in 1. disp. 1. quaest. 2. modo cursus ut existens est objectum materiale cognitionis, ut cognitio est, formale, si ut vera spectetur, ideo ad ipsius variationem variatur cognitio ut vera, non ut cognitio quoad substantiam; sic enim dependet ab objecto, ut in specie, non ut in se. Ad 2. actus ille representare debet cursum ut verum ens reale nominaliter, non verbaliter, & existentiam cursus de Petro affirmatam esse objective, non exercitam, & a parte rei, ut optime notat Amic. & Arriag. cit. Ad 3. neg. major, si de existentia apprehensa, quod sit a parte rei, five postea detur, five non; ut patet in qualibet propositione falsa, sed concepta, ut vera. Ad 4. etiam neg. major ex saepe dictis. Ad 5. supposita essentiali differentia actus supernaturalis a naturali, de quo alias, dicimus fidem infusam inclinare ad istam propositionem in universali, *Christus est in omni hostia vere consecrata*, non vero ad propositionem de aliqua hostia in particulari, quia hoc pendet solum a fide humana, & naturali, potest enim ei subesse falsum, si scilicet Sacerdos non sit verus Sacerdos, aut non habeat intentionem consecrandi, quare cum illa propositio sit circa hostiam in particulari, potest esse vera, & falsa.

24 Dices, saltem illam universalem posse falsam reddi, si omnes hostiae in mundo deficerent. Tum quia si Judaeus ante Christi nativitatem eliciisset hunc actum dicendo *Christus nascetur*, & ipsum continuasset usque ad Christi nativitatem, si esset omnino idem ante, & post nativitatem, jam de vero fieret falsus, & prius erat actus fidei supernaturalis, si diversus, ergo ex mutatione objecti secundum se variatur actus quoad entitatem, ut supra arguebatur. Respon. sensum illius propositionis esse, quod Christus sit sub omni hostia rite consecrata, quare praesupponit conditionate existentiam alicujus hostiae in mundo; ad hoc ut actus supernaturalis fidei infusae dicatur, cui scilicet, nequit subesse falsum, quare si nulla daretur hostia, adhuc propositio esset vera. Ad 2. Recentiores negant propositionem de praeterito distingui essentialiter ab illa de futuro, si sunt de eisdem extremis, & ajunt esse eandem secundum diversas solum extrinsecas denominationes temporum, quam opinionem refert Doctor in 3. disp. 25. quaest. 1. H. ubi oppositum verius esse docet, eo quia quae modo est de praeterito, est necessaria, quae prius erat de futuro, erat contingens: illa de praeterito prius fuisse falsa, modo est vera, hac de futuro modo est falsa, tunc erat vera, quare dicendum quod propositio illa, *Christus nascetur*, ut a fide proveniret, debebat inspicere tempus nativitatis Domini a Deo praestitutum, ut abstractum a respectibus ad partes temporis praeteritas, & futuras, quia hujusmodi respectus non includuntur in tempore nativitatis Domini, quo sensu admittit Doctor citat. propositionem de praeterito non differre a propositione de futuro, quando est de istdem extremis, & consequenter illa propositio *Christus nascetur*, hoc modo intellecta erit semper vera, etiam post nativitatem Dominicam, quia solum enunciat coexistentiam nativitatis Christi, & temporis a Deo determinati, cui accidunt respectus praeteriti, & futuri, qui conveniunt illi, non in se considerato, sed ut ordinem dicit ad partes temporaneas praecedentes, & subequentes.

Denique Ovyied. loc. citat. num. 6. asserit rationem, quam inquit esse magni ponderis; ad hoc ut propositio in hoc instanti sit vera, debet supponi illius objectum, non solum in hoc instanti, sed etiam in omni tempore importato per copulam, eo modo quo per copulam importatur, sed eo ipso, quod in hoc instanti supponitur objectum propositionis existens in omni tempore importato per copulam, implicat postea in aliquo tempore importato per copulam non existere, ergo implicat postea propositionem fieri falsam; major probatur: ad hoc, ut haec propositio, *Petrus semper currit*, in hoc instanti sit vera, non sufficit Petrum currere in hoc instanti, sed debet in omni instanti currere, & ratio a priori est, quia veritas consistit in conformacione actus cum toto objecto significato, ergo ad hoc ut propositio sit vera in hoc instanti, debet in hoc instanti conformari cum toto objecto significato, ergo si objectum significatum dicit durationem non solum praesentem, sed praeteritam, & futuram, debet propositio conformari cum objecto, quatenus dicit durationem non solum praesentem, sed etiam praeteritam, & futuram; minor est per se nota, quia implicat supponi in hoc instanti objectum futurum in instanti venturo, & postea in illo non existere.

Resp. majorem verificari praesertim, quando propositio contingens de praesenti significat certam temporis partem, tunc enim supponi debet objectum ejus existens pro quacumque illius temporis parte, si enim in una deficeret, tota propositio falsa esset: & hoc solum indicat probatio illius majoris, nam illa propositio, *Petrus semper currit*, determinate significat per omnes, & singulas temporis partes

partes Petrum currere, adeo ut si in aliqua parte non curreret, tota propositio esset falsa; nam se habet, ut propositio copulativa copulans omnes, & singulas temporis partes cum cursu Petri, & ad falsitatem copulativam sufficit, ut una pars sit falsa; at quando propositio contingens de presentibus non significat certas, & determinatas temporis partes, sed indeterminatas, & confusam, de qua sola hic est questio, tunc falsum est obiectum supponi debere existens pro quacumque temporis differentia per copulam in eo instanti importata, quia in eo actu intellectus explicite attendit solum inherentiā predicati cum subiecto non cogitando actu de aliqua temporis differentia, quia tamen tempus connotatur a verbo, sic etiam implicite connotantur temporis partes ex vi copulæ, non tamen determinate, sed confuse, indeterminate, & vage, & ideo ex vi copulæ non necessario supponitur obiectum existens in quacumque temporis parte determinate, sed in quacumque indeterminate, cum quo fiat, ut in aliqua illius temporis parte possit obiectum desistere, & propositio falsificari; Possit etiam concedi maior, cum non absolute assumat, ut propositio in hoc instanti sit vera, debere supponi illius obiectum pro omni tempore importato per copulam, sed addit *eo modo, quo per copulam importatur*, cum qua limitatione concedi potest, nimirum quod si per copulam importantur partes temporis determinate, etiam in singulari determinate supponi debeat obiectum propositionis; si vero indeterminate, & confuse, eodem quoque modo eius obiectum supponi debeat in illis existens: sed tunc, cum in minori interatur, eo ipso quod in hoc instanti supponitur obiectum propositionis existens in omni tempore importato per copulam, implicat postea in aliquo tempore importato per copulam non existere, hoc verum est de omni tempore importato per copulam determinate, non autem si solum importetur indeterminate, & confuse, ut est in proposito; alias quaedam rationes adducit Oyvied. loc. c. sed coincidunt cum adductis ex Hurtad. & Arriag. Urgent etiam contra hanc conclusionem rationes, quibus probari solet veritatem esse essentialē actui, de quo ar. seq.

ARTICULUS III.

Quid formaliter sit veritas cognitionis.

¶ Quamvis apud Antiquos hæc difficultas non fuerit magni momenti, Recentiores tamen lites texunt immortales; nam Hurt. disp. 9. de An. sect. 3. asserit veritatem ex natura rei, & formaliter esse eandem cum entitate actus, licet non de primo conceptu ipsius, sed de secundo, quia est attributum actus, cum pendeat ab affirmatione, vel negatione, & obiecto, hæc enim causalis est vera, ideo actus est verus, quia affirmat, vel negat obiectum, non e contra: ab hac opinione parum distat Bann. 1. p. q. 16. art. 3. Sminch tract. 3. de Deo uno disp. 1. num. 31. & Cavellus disp. 3. de An. sect. 8. ajunt enim veritatem dicere entitatem actus, quamvis a nobis explicetur per relationem, vel rationis, ut Ban. vel transcendentalem, ut Cavell. & Sminch. quod etiam docet Averfa q. 3. l. 5. addens etiam connotationem obiecti, quæ opinio fuit Ocham. 1. Per. c. 1. sustinentis veritatem dicere formaliter entitatem actus, non ut sic, sed ut connotat obiectum, cui conformatur, & sequitur Suar. d. 8. Met. sect. 2. Moril. d. 10. Log. q. 8. quem obiecti connotationem respicit Hurt. Arriag. vero, quia est hostis acerrimus contra relationes, & connotata, docet d. 14. Log. sect. 1. veritatem formaliter dicere denominationem partim intrinsecam propositioni mentali, seu cognitioni, partim extrinsecam: intrinsecam, ut dicit propositionem v. g. affirmantem cursum Petri; extrinsecam, ut dicit ipsum cursum Petri; illam dicit in recto, hanc in obliquo, utrumque tamen formaliter, & quidditative, eo modo, quo relationes explicat disp. 12. Log. idem tenet Oyvied. contr. 7. de An. punct. 1.

Nec minor dissenso est inter relationum propugnatores, Durand. enim Vasq. & Blanc. ar. 1. citati asserunt, conformitatem hanc, in qua veritas consistit, solum dicere relationem rationis, non realem. Alii, quod sit relatio realis conformationis, vel similitudinis dicta, ita Tar. 1. Perihier. q. 1. d. 3. Meurif. l. 2. Met. c. 3. q. 2. concl. 4. & probabilem putat Cavell. cit. addit P. Faber disp. 9. de ponit relationem non semper esse cum omnibus conditionibus ad veram relationem realem requisitis. Alii, quod sit relatio realis præcendens ab actuali, aptitudinali, & potenciali, nam in intuitiva ponunt realem actualem, & in abstractiva realem aptitudinalē, etiam quando obiectum est existens, ita Vulp. 1. p. disp. 32. art. 1. Alii, quod in relatione consistat præcendens a reali, & rationis, in aliquibus enim actibus est rationis, in quibusdam realis, ita Fland. 6. Met. q. 23. Javel. qu. 13. Zumel. 1. p. qu. 16. art. 1. disp. 2. Amic. tr. 21. d. 4. q. 1. d. 2. & innuitur a Conim. 1. de interp. c. 1. q. 5. art. 1. Tandem quidam concedunt veritatem esse relationem conformitatis ad obiectum in se, ut ad mensuram in cognitione speculativa, negant tamen in cognitione practica, quæ potius est re-

gula, & mensura obiecti, quam e contra, ita Moril. disp. cit.

26 Pro resolutione questio advertendum, quod aliter est speculandum de divina cognitionis veritate, aliter de veritate creatæ cognitionis divina enim cognitio, cum perfectissima sit, & ab essentia divina solum ut ab obiecto moveatur divinus intellectus, eique perfectissime adequatur, tam in essendo, quam in representando ex Scot. 3. d. 14. p. 1. P. nec possit a creaturis moveri, ex eodem pluribus in locis præcipue 1. d. 35. H. sequitur, quod nullam realem relationem fundat ab objecta scibilia, non enim ad essentiam, quia est realiter cum ipsa summe identificata, & adequata, neque ad creaturas, quia nulla Dei ad creaturas est realis relatio, ut diximus disp. 8. qu. 5. art. 1. aliter esset in Deo formaliter aliquid non necessesse, esset scilicet hæc relatio; non enim relatio potest habere perfectius esse suo termino; quapropter veritas ipsius divina cognitionis formaliter consistit in entitate illius actus, ut monet Doctor d. 35. cit. F. & quol. 13. Q. quatenus intellectus divinus media intellectione unitur, & vitaliter attingit obiectum, sicut est, & per consequens veritas est ipsi essentialis, quia est ista essentialiter talis, ut nequeat attingere obiectum aliter, quam sit, de quo vide Vulp. disp. 32. cit. ar. ul. at nostra cognitio, quia est finita, limitata, & ab obiecto dependet, fundat relationem ad ipsum obiectum, vel realiter distinctam, vel realiter identificatam; quod discrimen multi ex ipsis adversariis quoque fatentur debent, nam in divina cognitione nullam ponunt relationem transcendentalem ad obiectum, illam tamen admittunt in nostra cognitione, similiter in causis creatis admittunt relationes ad effectus, non tamen in Deo; accedit etiam, quod nostra cognitio non est ita essentialiter vera, ex sui natura, ut dicemus, sicut cognitio divina, quapropter prætermissa divina veritate, de creatura loquimur.

27 Dicimus primo, veritatem cognitionis non dicere entitatem actus, neque ipsum actum, & obiectum, sive hoc dicat formaliter, sive, ut connotatum, sed relationem, non rationis, sed realem. Conclusio est Scoti infra citandi & prob. 1. quod veritas non dicat entitatem actus, si sit de obiecto contingenti, patet ex dictis art. præced. ubi ostendimus eandem propositionem posse amittere veritatem; quod adhuc confir. nam si propositio contingens ex sui natura esset essentialiter vera, vel falsa, sequeretur, quod hæc propositio *Petrus currit*, non currente Petro, diceret ordinem essentialē ad duo contradictoria, quod est falsum; implicat enim, quod idem omnino pendeat in esse a duobus contradictorie oppositis; sequela prob. nam cognitio falsa de cursu Petrensi diceret duo, scilicet representare cursum Petri, quatenus cognitio, & quatenus falsa (quod non est quid diversum, essentialiter per Hurt. ab actu, ut cognitio est) dicit ordinem ad negationem talis cursus a parte rei; imo deberet duo contradictoria in se intentionaliter representare, quia ut sit falsa, debet affirmare cursum existentem, & capentiam ipsius, nam si non representaret cursum existentem, diceret verum, si non representaret carentiam cursus, nullum ordinem diceret ad illam, sed solum ad cursum existentem, & per consequens non differret ab actu vero, qui talem ordinem tantum includit. Tum quia, ut arguit Arriaga, Angelus intuitivè cognoscit suos actus, quo ad ultimam realitatem, aliter non esset intuitiva cognitio, quæ est rei existentis, ut existens est, & sicut est, & per consequens attingit veritatem, vel falsitatem suorum actuum, quæ ab Hurt. ponuntur essentialēs differentie; quapropter, si eliceret hanc propositionem de futuro, *Petrus damnabitur*, vel *curret*, quia haberet determinatam veritatem, vel falsitatem ex dicendis infra, quam differentiam cognosceret, jam de futuris contingentibus haberet propriis viribus certam, & infallibilem cognitionem, sciret enim si actus ille esset verus, aut falsus; negare autem Angelo hanc cognitionem, ut facit Hurt. est prorsus voluntarium, quia actus ille est in sua potestate totaliter, per ipsum fertur in obiectum futurum, & non se habet, ut secreta cordium, quorum cognitio de lege ordinaria non debetur illi, quia non est in sua potestate.

28 Deinde, quod actus necessarius non sit essentialiter verus, patet ex his, quæ diximus in disp. 8. qu. 2. quod nullus transcendentis respectus potest esse de essentia absolvi, at veritas formaliter dicit respectum ad obiectum, ut dicemus, & admittunt adversarii, ergo &c. Tum quia quod actus necessarius representat rem semper vere, quasi per accidens, ac secundario convenit illi de sua enim formali ratione habet representare, quod homo fit v. g. risibilis, sed quod vere semper representat, provenit ex immutabilitate obiecti, nam si per impossibile, ut notat Amicus, obiectum mutaretur, actus adhuc representaret hominem risibilem. Tandem quia si actus esset essentialiter veritas, non posset proprie dici verus, sicut albedo non dicitur alba, nec calor calidus.

Secundo, quod non dicat actum in recto, & obiectum in obliquo, sive ut connotatum, sive ut partem constituentem, prob. iisdem rationibus, quibus disp. cit. ostendimus dari a parte rei relationes reales a fundamentis distinctas, & præ-

& præcipue contra Suarez urgent admittentem illas relationes; at si hæc opinio esset vera, sane nullam prorsus habere possemus rationem ad ostendendum relationes similitudinis, aequalitatis, &c. esse reales, ut notat Averfa, quia posset adversarius dicere, esse tantum denominationes reales ex coexistentia extremorum ad invicem ortas. Specialiter vero contra Arriagam est, quod ponit formalitatem, & essentiam veritatis, quæ per se una est, esse unam per accidens ex rebus diversorum generum, imo ex ente reali, & rationis constitutam, si obiectum esset aliud quod ens rationis; item quod detur actu entitas alicuius abque omnibus partibus componentibus in actu talem entitatem, ut in ista *Antichristus erit*, datur veritas actu abque obiecto in actu, quod ab ipso ponitur, ut pars constitutiva veritatem, licet in obliquo.

29 Tertio, quod dicat relationem, est Scot. quol. 13. artic. 2. & 1. disp. 3. quæst. 4. artic. 2. & in 4. disp. 8. quæst. 2. V. & locis in artic. 1. citat. & patet, quia veritas formaliter est conformitas cum re, ut ait Aristot. cap. de subst. *Ab eo, quod res est, vel non est, oratio dicitur vera, vel falsa*; & etiam quia cognitio comparatur ad rem, ut signum naturale, veritas autem signi consistit in conformitate ejus ad signatum, ut exprimat illud sicuti est, sed conformitas est quædam intentionalis similitudo, & imago, ergo est quædam relatio. Responder Sminch. actum sua entitate dici imaginem obiecti, sicut sua entitate est representativus obiecti, consequitur autem respectus transcendentis, per quem explicatur conformitas, & veritas absoluta actus. Contra, nam responso non habet locum in propositionibus contingentibus; ergo neque in actibus necessariis, nam si veritas est conformitas formaliter, & hæc est ab actu aliquando realiter distincta, ut possit separari, sequitur, quod quando est realiter identificata cum actu, sicut evenit in necessariis, formalitas ipsius non erit actus, sed respectus, actus vero fundamentum.

Tandem quod sit realis, non rationis, patet, quia hæc pender a negatione intellectus, & fictione, veritas autem propositionis est independens a qualibet fictione, & comparatione intellectus; tum quia ante opus intellectus propositio vera, ut vera differt a falsa ut sic: tum quia impertinens est, quod propositio vera formaliter dicatur dependenter a fictione intellectus, & consequenter a falsitate, & qualis est illa fictio.

30 Dicimus secundo, hanc relationem conformitatis, quam præfert veritas, non esse determinate prædicamentalem, aut transcendentalem, neque determinate realem perfectam, scilicet cum omnibus requisitis conditionibus ad veram relationem realem, sed indifferenter se habere, nam in uno actu est transcendentis, in alio prædicamentalis, in uno erit realis perfecta, in altero realis imperfecta; quæ a Doctore sapientis vocatur relatio rationis, ut contradistinguitur a reali cum omnibus conditionibus juxta dicta in disp. 8. quæst. 1. Conclusio quoad omnes partes sequitur ex dictis, & prius explicamus ipsam, deinde quoad omnes partes probabimus; exemplum aptissimum est imago materialis, in qua tria sunt, entitas absoluta scilicet colores, deinde respectus representantis ad representatum, ratione cuius constituitur in esse imaginis v. gr. D. Petri, demum alius respectus conformitatis inter imaginem representantem, & Petrum representatum, ratione cuius illa pictura constituitur in ratione imaginis veræ, & hæc tria sunt inter se omnino distincta, possunt enim reperiri colores abque relatione imaginis ad D. Petrum, possunt etiam reperiri cum tali relatione imaginis, sed sine tertia relatione, ut patet, nam aliqua D. Petri imago adoratur, quatenus est ipsius representativa, & tamen ipsum adamusum non representat, ut erat a parte rei. Sic pariformiter dicendum de cognitione, quæ est imago quædam spiritalis obiecti, quod scilicet in ipsa tria reperuntur, entitas nempe absoluta actus, deinde relatio representantis fundata in entitate actus, & terminata ad obiectum, quod representat, per quam constituitur in esse representationis, & notitia, & vocatur a Scoto quol. 13. art. 2. relatio attingentia, & tendentia in obiectum ut in terminum; tandem est alius respectus conformitatis actus representantis vere ad representatum, sicuti est, & per istum constituitur in ratione notitiæ veræ, quæ quandoque est realiter identificata cum actu, quandoque realiter distincta, quandoque perfecte realis, quandoque imperfecte realis, probantur singula.

31 Primo actus necessarii, qui ex sui natura semper sunt veri, habent veritatem realiter identificatam, & per consequens veritas in ipsis est relatio transcendentis, nam ex dictis disp. 8. quæst. 1. hæc est differentia inter relationem prædicamentalem, & transcendentalem, quod illa est realiter distincta, hæc realiter eadem, assumptum prob. quia illa est relatio realiter identificata fundamento, sine qua fundamentum esse includit contradictionem ab intrinseco ex dictis ibid. cum Scot. disp. 1. quæst. 5. sed isti actus nequeunt esse sine conformitate cum propriis obiectis abque contradictione ab intrinseco proveniente, quia sunt invariabiles, sicut essentia rerum, quæ representant, immutabiles sunt, ergo &c. Idem dicendum de actibus intuitivis, qui necessario dependent ab obiectis, ut hic, & *Masfui*, & *Bellari Tom. I. Logica*.

nunc existentibus, & per consequens, quamvis existentia obiecti sit variabilis, actus tamen, quia ab obiecto ut existente reduplicative dependet, necessario illud taliter representat, ut non possit aliter representare. Hæc tamen differentia reperitur inter actus necessarios intuitivos, & abstractivos, quod illi necessario dicunt ordinem ad obiectum existens, & actuale ut sic, quare semper ordo ille est inter extrema realia actu: isti vero necessario abstractant ab existentia obiecti, & quamvis obiectum sit existens, de per accidens est illis, quia illud respiciunt non ut existens, sed ut abstractit ab existentia, qua ratione propositiones istæ sunt sempiternæ veritatis, & verbum in ipsis absolviatur ab omni temporis differentia, quapropter de ratione formalis conformitatis istorum actuum est, quod non sit inter extrema realia, & actu existentia; eo vel maxime, quia possunt ad non entia terminari.

32 Secundo in propositionibus contingentibus, sive de præterito, sive de futuro, sive de præsentibus determinatam, vel indeterminatam partem temporis significantibus veritas est ab ipsis realiter distincta contra Cavell. cit. est Scot. in 4. d. 8. q. 2. Ubi non loquitur de relatione aptitudinali, ut falso exponit Cavell. sed de prædicamentali, & realiter distincta, eo quia possunt istæ propositiones amittere veritatem, vel saltem ab initio poterant esse falsæ, ergo veritas est ab illis realiter distincta. Nec valet responso Cavell. quod actus amittit veritatem, non quia aliquid reale deperdat, sed solum formalitatem illam apti nati conformari obiecto, quæ, cum ab obiecto dependeat, mutatur ad mutationem ipsius, sicut si hæc vox *homo* imponeretur ad significandum bovem, non esset amplius signum aptum ad significandum hominem, & tamen nihil reale amitteret. Non valet, quia si veritas dicit quid formaliter tantum ab actu distinctum, ut ipse asserit, necessario manebit in actu, quandoque manet actus, aliter realiter ab illo distingueretur, nam licet inseparabilitas non sit adequatum signum identitatis realis, separabilitas tamen ut diximus d. 1. q. 5. a. 2. est sufficiens signum distinctionis realis. Tum quia vel veritas formaliter dicit quid reale, vel nihil; non secundum, ut patet; si primum, ergo actus deperdendo veritatem, amittit aliquid reale: quod comprobatur exemplo adducto de voce hominis, homo enim dicit relationem signi ad naturam humanam, quæ, cum sit ad placitum, est relatio rationis, si tamen imponeretur ad significandum bovem, amitteret relationem illam rationis; cognitio vero, quia est signum naturale, ratio signi non est rationis, sed realis in ipsa, ergo quia ad mutationem obiecti deperdit rationem signi veri, amittit aliquid reale.

33 Tertio si obiectum istarum propositionum contingentium non est aliquid existens, ut sunt propositiones de præterito, de futuro, & quæ non entia respiciunt, illa relatio non erit perfecte realis, quia deficit prima conditio, quod sit inter extrema realia; si vero est aliquid existens, & positivum, quamvis actus sit abstractivus, erit tamen realis perfecte contra Vulpes d. cit. a. 1. n. 8. dicentem numquam in cognitione abstractiva relationem esse realem actualem: Probat, quia est abstractiva cognitio non potest, ut cognitio est, terminari ad rem, ut existentem, atramen ut vera respicit obiectum, ut existens a parte rei, si est de præsentibus, vel ut fuit existens, si est de præterito, vel ut aliquando existens, erit, si est de futuro, qua ratione diximus in 1. p. Inst. tr. 2. veritatem propositionum de præterito, & de futuro dependere a veritate propositionis de præsentibus; in tantum enim nunc est vera ista propositio *Antichristus erit*, quia aliquando erit verum dicere *Antichristus est*, & ideo ista modo est vera *Adam fuit*, quia quandoque fuit verum dicere *Adam est*, cum ergo istas propositiones respiciat obiectum secundum existentiam, quatenus veræ, sequitur, quod quando propositio de præsentibus abstractiva formatur, & obiectum existit, inter ipsa sit vera, & perfecta realis relatio, cum adsint omnes conditiones requiritæ, nec verbum in istis propositionibus absolvatur a temporis differentia, ut est in propositionibus necessariis. Ex quibus omnibus patet, quomodo veritas non sit determinate transcendentis, vel prædicamentalis relatio, perfecte, vel imperfecte realis, sed indifferenter se habeat.

Diluntur rationes in oppositum.

34 Contra doctrinam traditam arg. primo probando, quod veritas non dicat relationem conformitatis supra actum. Tum quia cognitio non est obiecto conformis, cum cognitio sit accidens, obiectum sæpe est substantia, ens rationis, & alterius speciei ab ipsa cognitione. Tum 2. cognitio entis rationis, quod sit ens fictum, est vera, & tamen non habet cum illo conformitatem, quia nequit ad illud referri ut mensuratum ad mensuram, ut Sc. quol. 13. M. & 4. d. 1. q. 1. S. & ratio suadet, quia mensura, & regula est prior mensurato, ens rationis est posterius cognitione, a qua fit. Tum 3. cognitio entis rationis, & non entium nequit conformari illis, ut sunt in seipsis, cum nullum esse habeant a parte rei, nec sint res, sed in intellectu, at veritas sumitur in ordine ad rem, ut est in se, ergo in hac cognitione veritas non dicit relationem conformitatis. Tum 4. quia non solum cognitio est obiecto conformis, sed etiam obiectum est conforme cognitioni, ergo utrumque denominabitur verum. Tandem saltem cognitio practica est vera, & tamen non habet talem conformitatem ad obiectum tamquam ad mensuram, X 2 quia

quia ipsa cognitio est regula, & mensura in practico non obiectum, ut v. g. cognitio ista practica est casto vivendum, est regula, & causa castitatis in homine.

Resp. ad 1. ex Scot. 1. d. 3. quæst. 3. C. & quol. 13. O. conformitatem inter actum, & obiectum non esse in modo essendi, & entitative, sed in representando, & intentionaliter, sicut imago est similis Casari, non in essendo, sed representative. Ad 2. dicimus, quod duplex est cognitio entis rationis; ut colligitur ex Scot. 2. d. 1. qu. 5. B. una practica, qua primo fit, & fingitur ad modum entis, alia speculativa, & quasi reflexa, qua jam factum consideratur, secundum propriam naturam, in prima cognitione non est veritas, imo fictio, in secunda adest veritas, quia consideratur sicuti est, respectu cuius potest dici mensura, non quidem quoad perfectionem, quo sensu asserit Doctor ens rationis non esse propria cognitionis mensuram, sed quoad veritatem, ut diximus disp. 8. q. 10. art. 2. declarando tertium modum, quatenus potest esse terminus illius conformitatis, ut videtur docere Scotus 1. d. ut, in fine. Ad 3. quando dicimus veritatem esse conformitatem ad rem, sicuti est in se, res non accipitur proprie & positive, ut a non ente distinguitur, & venit a ratur, rata, ratur; sed sumitur pro obiecto, quod cognoscitur, qualemque illud sit, & ut venit a reor, veris; nec per se sicuti est in se, insinuat semper existentia a parte rei, sed potius natura, conditio, & essentia illius, quod cognoscitur (quam habent suo modo entia rationis, & negationes, & existentia obiectiva in cognitione practica. Ad 4. veritas proprie, & formaliter, de qua loquimur, non est quælibet conformitas, sed ea tantum, quæ est ad mensuram illius, in quo fundatur, quæ regula modo est obiectum, ideo potest dici verum causaliter, & radicaliter, licet formaliter dicatur etiam verum veritate in essendo, non in representando. Ad 5. Resp. obiectum dupliciter considerari posse, vel secundum essentiam, & in ratione obiecti, & ut sic est mensura cognitionis practice, & causa veritatis ipsius, in tantum enim cognitio distans esse casto vivendum est recta, & vera, quia castitas est obiectum eligibile, quia habet suam bonitatem præponderantem, & obiectivam, estque conformis Legi superioris, a qua proxime obiectum, dicitur bonum, & eligibile in moralibus; sicut etiam idcirco in artefactis cognitio domus est vera, quia distat omnes conditiones, quas debet domus habere iuxta exigentiam propria conditionis, ut possit inservire fini, ad quem est ordinata, & non ideo domus est vera, quia sic cognoscitur; alio modo consideratur ut producibile ad extra, ut effectus, & secundum exercitium existentie, & sic obiectum dicitur mensuratum, cognitio mensura actionis, qua producitur obiectum illud a parte rei; ita Suarez cit. & cum eo omnes Recentiores.

35 Secundo, quod ista conformitas sit essentialiter ipse actus, vel saltem non quid distinctum, probatur omnibus illis rationibus, quibus impugnat distinctio rationis ab extremis, ut vidimus suo loco, superius disp. 8. q. 3. art. 2. a. n. 36. imo eisdem rationibus de facto utitur Ovviad. contr. 7. de Anim. punct. 1. §. 1. ad id probandum, nam antequam concepiatur hæc relatio conformitatis inter actum, & obiectum, in qua formaliter dicimus consistere veritatem, iudicium constituitur verum formaliter, ergo superfluit talis relatio, probatur assumptum, quia adhuc in eo signo supponitur obiectum ita se habere a parte rei, ut affirmatur per iudicium, ergo antecedenter ad relationem est formaliter verum, hoc enim est actum esse formaliter verum, quando de obiecto iudicatur, sicut se habet a parte rei. Hoc eodem argumento probari solet bonitatem moralem in actibus humanis non consistere in relatione conformitatis ipsorum ad rectam rationem, quia antecedenter ad talem relationem dicuntur actus illi eliciti iuxta rectam rationis dictamen, & ideo sunt formaliter boni. Unde hæc, & similia argumenta hic non faciunt speciale difficultatem, & solvi debent, sicut quando fiunt contra distinctionem relationum ab extremis, quod nimirum extrema antecedenter ad relationem dicuntur talia fundamentaliter solum, & radicaliter, non vero formaliter, quod de bonitate morali in actibus humanis omnes fere concedunt, quare idem pariformiter in proposito de veritate dicendum, ac etiam de falsitate, ut constabit art. seq. num. 41. cum enim veritas, & falsitas actuum mentis sint quedam similitudo, vel dissimilitudo eorum intentionalis cum suis obiectis, debemus servata proportione de ipsis discurre, ut de relatione prædicamentali similitudinis, & dissimilitudinis. Sed dimissis his rationibus deductis ex communibus, adhuc specialius probatur conformitatem in actu vero non dicere relationem illi superadditam, quia veritas est perfectio simpliciter, cum sit attributum Dei, relatio non est perfectio simpliciter, ex Scoto quol. 5. ergo veritas non erit, nisi absolutum actus. Tum 2. quia si veritas esset quid distinctum ab actu, & in actu fundatum, jam postea actus intrinsece suscipere contraria, veritatem scilicet, & falsitatem, contra Arist. cap. de subst. dicentem orationem esse capacem contrariorum sine sui mutatione. Tum 3. vel actus secundum suam essentiam assimilatur obiecto, vel non; si primum, ergo per suam

essentiam solum esse similitudo vera obiecti, non per relationem superadditam; si secundum, ergo per suam essentiam est formaliter falsus, nam falsitas in non similitudine consistit, ut infra. Tum 4. actus per suam essentiam est representatio Petri, quod sit homo, & sicuti est, quia per suam essentiam exprimit identitatem Petri, & hominis, ergo per suam essentiam est verus. Tum 5. esse representativum intentionaliter obiecti essentialiter dicit entitatem absolutam actus, ad quod consequitur relatio transcendentis representationis ad obiectum, per quam secundum nos circumferitur differentia essentialis actus, ergo quia saltem in propositionibus necessariis actus ex sua natura est essentialiter representativus obiecti, sicut est, veritas erit actus essentia, ad quam consequenter relatio transcendentis conformitatis illam circumferens.

36 Resp. ad 1. min. non esse universaliter verum, & cum Scotus quol. 5. negat relationem dicere perfectionem, loquitur in divinis de relationibus originis. Vel dicimus, quod veritas est perfectio, non formaliter accepta, sed ratione fundamenti, & substantie actus, qui natus est ex se fundare talem relationem, quam nequit fundare actus falsus. Ad 2. concedimus sequelam, Arist. vero loquitur de mutatione per se immediata non supponente aliam priorem, quomodo non mutatur oratio, nam hæc præsupponit mutationem obiecti. Ad 3. dicimus actum per suam essentiam esse fundamentaliter assimilabilem, etiam per impossibile non resuleret relatio, non autem formaliter, ut in simili diximus de relatione, & id sufficit, ne per essentiam dicatur falsus per idem. Ad 4. tum quia actus essentialiter est representativus, non tamen est essentialiter representativus vere, sed secundario, quia provenit ex immutabilitate obiecti. Ad 5. in probatione concl. arguendo contra Sminch. assignavimus rationem disparitatis, cur representatio sit quid actui intrinsece, & explicetur per relationem transcendentem, non vero idem de veritate dicendum.

Tertio ad idem; relatio prædicamentalis fundatur in extremis habentibus illam rationem, sub qua referuntur, relatio enim patris, & filii supponit patrem, & filium in ratione generantis, & geniti, relatio causæ supponit jam causam, & effectum in ratione causæ, & effectus, ergo relatio veri simpliciter debet supponere jam ipsum actum verum, aliter non posset illum referre sub ratione veri. Tum 2. actus scientificus essentialiter differt ab actu non scientifico, sicut scientia, opinio, & error essentialiter etiam differunt, sed actus scientificus ab actu omni non nisi per veritatem est diversus, ergo veritas est illi essentialis. Tum 3. quia actus fidei supernaturalis, quamvis sit circa contingens, ut sunt actiones Dei ad extra, est intrinsece, & essentialiter verus, ut nequeat esse falsus, unde si quis comprehenderet actum fidei de incarnatione Verbi, statim deveniret in cognitionem Verbi incarnati, quod ponitur obiectum, & hoc propter ordinem, quem dicit obiectum in representando, ergo quia talis ordo reperitur in quocumque actu, si quis perciperet hanc veram propositionem: *Petrus currit*, etiam perciperet cursum petrensem, ergo etiam in his conformitas est actui essentialis.

37 Resp. ad 1. neg. antec. quia si extrema relationis supponerentur constituta in ea ratione, sub qua refert illa, effectus formalis præcederet causam formalem, & *Quod præcederet Quo*, & omnino superflueret relatio subsequens, nam relatio insurgit inter patrem, & filium, ut Petrus dicatur formaliter generans, & filius formaliter genitus, idem de aliis relativis dicendum; extrema ergo ante relationem supponuntur solum habere in se rationes fundandi, nam causa ante relationem habet potentiam activam, effectus potentiam passivam, duo alba communicant in eadem natura specifica albedinis, sic relatio veritatis non supponit actum formaliter verum, sed solum rationem mensurabilem, quæ est ratio fundandi relationes tertii modi. Ad 2. actus scientiæ ab actu erroris differt per propriam differentiam essentialem, quæ est tendentia in proprium obiectum, ut taliter representatum, per veritatem vero differt tamquam per aliquod proprium, & consequens necessario ad propriam naturam, quo sensu dicimus equum ab homine differre per hinnibilitatem. Ad 3. resp. actum fidei supernaturalis dici necessario verum, quia fertur in obiectum sub ratione revelati a Deo, quæ ratio formalis est certissima; contingencia vero obiecti in se est obiectum materiale fidei, quare si quis perciperet actum representantem incarnationem Verbi, perciperet incarnationem representatam, quia est obiectum illius actus sub ratione cognitionis, sicut perciperet cursum Petri, at ut cognoscat veritatem actus, requiritur, ut ultra representationem percipiat conformitatem, vel cum obiecto ut revelato, ut in fide, vel cum obiecto a parte rei, ut in aliis actibus; non ergo est par ratio de actu fidei, & de cæteris circa contingencia.

38 Quarto, ostenditur hanc relationem non esse realem. Tum quia hæc relatio est indifferens ad rem existentem, vel non existentem, ita enim verus est conceptus de rosa, cum existit, sicut cum non existit, ergo non est realis, sed rationis. Tum 2. æque verum est iudicium, quo quis iudicat hominem esse animal, ac illud, quo iudicatur ad non esse lapidem, sed hæc conformitas, cum sit ad negationem,

nem, nequit esse realis, ergo nec illa, quamvis sit ad esse positivum. Tum 3. saltem in cognitione abstractiva contingenti de præsentia, ait Vulpes, nequit esse perfectæ, & simpliciter realis, alioquin periret differentia intercedens inter notitiam abstractivam, & intuitivam, quam Scotus assignat quol. 13. art. 2. quod scilicet in cognitione intuitiva relatio esset actualis, in abstractiva vero minime. Tum 4. relatio ex parte obiecti mensurantis est realis, ergo neque relatio ex parte conceptus mensurati. Tum 5. Scot. multis in locis ait, verum esse idem realiter cum ente, ut est videre apud Cavellum. Tandem relatio non suscipit magis, & minus, veritas suscipit magis, & minus, datur enim unum ens magis verum, quam aliud 2. Met. 4. & 4. Met. 8.

Resp. ad 1. ex dictis in probat. concl. ostendere solum illam relationem esse rationis, ut distinguitur a relatione simpliciter, & perfecte reali, non quod sit relatio per actum collativum intellectus causata. Ad 2. per idem; vel dicimus cum Scot. 1. d. 23. G. conceptum, qui natus est fieri immediate a re sine opere intellectus negotiantis duplicem esse, positivum, quo iudicamus rem esse talem, negativum, quo iudicamus rem non esse talem, & utrumque causari a positiva re mensurante illos conceptus, tam secundum id, quod est, quam secundum id, quod non est; quare conceptus negativus habet pro termino ens positivum. Ad 3. dicimus, Scotum ibi loqui de relatione attingentis, quæ in abstractiva non terminatur ad rem, & existentem, non de relatione conformitatis, quia bene potest cognitio abstractiva conformari obiecto in se existentem; neque hæc & illa distinguuntur specificè in esse notitiam veræ, sed tantum in esse notitiam simpliciter. Ad 4. negatur paritas, quia relatiæ tertii modi non sunt mutua. Ad 5. dicimus, Scotum loqui de veritate in essendo, quæ est passio entis, vel de actibus intuitivis, & necessariis. Ad 6. patet in seq. art.

ARTICULUS IV.

Quid sit falsitas cognitionis.

39 Sicut ad Metaphysicum spectat considerare veritatem rerum, quæ dicitur in essendo, ad Logicum vero alioquo modo explicare veritatem in representando, quæ est cognitio maxime complexa, ita quæ oppositum est eadem disciplina, falsitas in essendo, seu rerum (si datur) pertinet ad Metaphysicum, ad Logicum tantum falsitas in representando, & illa præsertim, quæ cognitionis complexa, & propositionis convenit, & consistit in difformitate ad rem in se; duobus autem modis potest intellectus obiecto non conformari, vel ree negative, ut cum totaliter illud ignorat, & hæc proprie non dicitur falsitas, sed nescientia, & ignorantia, secundo positive, quando percipit rem, aliter ac sit in se, ut si conciperet Petrum currentem, quando sedet, & dicitur error, & ignorantia positiva, ita Arist. 1. Post. 109. in præsentia loquimur de secunda, nam loquimur de cognitione, & propositione falsa.

Quod datur istæ propositiones falsæ in nobis, probat Arist. 4. Met. 19. 21. & 28. contra aliquos antiquos omnem nostram cognitionem asserentes esse veram, eo quia res quælibet talis est, sicut a quocumque putatur esse, quod dictum impugnat, quia sic contradictoria essent simul vera, si ab uno unum contradictorium ab alio alterum ut verum apprehenderetur; tum quia esse rerum penderet a nostra cogitatione, & tandem quia experimur nos aliquando non explicare res, ut sunt in seipsis, unde in aliam vertimur sententiam, re melius ponderata. Datur itaq; falsitas in representando, quæ veritati in representando opponitur, fundaturq; immediate, & primario in formali conceptu secundario, & dependet in conceptu obiectivo, quando conceptus formalis aliter attingit rem, ac sit in se, ut de veritate diximus, & iisdem rationibus ostendi poterit ibi pro subiecto veritatis adductis.

A quo tamen proveniat, quod tam sæpe in huiusmodi labamur errores, & difficultatem in assequenda veritate sentiamus, dicitur disp. 5. Met. q. 9. art. 1. pro nunc dicimus, aliquando ortum ducere a causis extrinsecis, & concurrentibus impedimentis, scilicet ex indelita obiectorum distantia, vel ex defectu nostrorum sensuum, quibus sæpe representantur res, aliter quam sunt; & tandem Scot. 2. Met. q. 2. totam rationem difficultatis redegit in imperfectiorem nostri intellectus, qui in cognoscendo dependet a sensu, & per species intelligit a sensibus mendicatas: unde autem oritur hæc dependencia, inquit Doctor quol. 14. P. & probat ex Aug. 15. de Trin. c. 27. oriri præcipue non ex natura potentie, sed ratione status, quippe qui non est naturalis, sed penalis ob peccatum originale commissum a nostro primo parente.

40 De hac igitur falsitate quærimus, quid formaliter dicat; & quidem ex dictis art. præc. patet, quod non dicit præcisè entitatem actus, vel actum cum obiecto, sed aliquid addere supra actum, de quo est difficultas, maxime an sit quid privativum, ita ut falsitas sit simplex carentia conformitatis, an vero addat supra actum relationem positivam difformitatis, & si talem adiciat quamnam sit, & quomodo distincta.

Maffrii, & Belluti Tom. I. Logica.

D. Th. 1. p. q. 17. art. 4. ubi Cajet. & alii Thomistæ, insuper Mol. ibi. disp. un. circa Sminch. Valen. to. 1. disp. 1. q. 17. pun. 3. & ex nostris Sminch. tract. 3. de Deo uno disp. 1. nu. 38. asserunt falsitatem contrarie opponi veritati, & per consequens quid positivum formaliter dicere. Cavellus tamen disp. 3. de An. sect. 9. Paqual. 2. p. Met. disp. 71. sustinent quid negativum solum formaliter significare.

Dicendum est, falsitatem addere supra cognitionem, seu mentalem propositionem realem relationem disconvenientiam, & difformitatem, de qua idem est dicendum quoad distinctionem, & realitatem, quod de veritate diximus. Concl. datur a Tat. 1. Perher. q. 1. dub. 3. ubi loquitur de falsitate contingentis propositionis, a qua realiter distinguitur, & potest separari, & ab Ant. And. ibid. q. 3. ubi adducit doctrinam, imo verba formalia, quæ tradit Scotus 9. Met. super tex. 22. & 6. Met. q. 3. §. *Dico ergo ad questionem*, Veri. *Secunda autem veritati*, ubi asserit veritati complexæ opponi privative ignorantiam, quæ falsitas negativa etiam vocatur, & contrarie falsitatem, quando scilicet ununtur, quæ in re non sunt unita, vel e contra; si ergo falsitas proprie dicta, de qua loquimur, contrarie per Scotum opponitur veritati, non privative, nequit consistere in aliquo negativo formaliter, sed in positivo, qualis est relatio difformitatis; & quamvis infra Veri. *Respondeo*, ponat falsitatem in carentia veritatis formaliter, loquitur tamen ibi de falsitate opposita veritati rerum in essendo, nam hæc veritas convenit rei in ordine ad intellectum, quatenus potest se manifestare, quantum est de se, cuicumque intellectui potenti talem manifestationem agnoscere, quod convenit cuicumque enti tamquam passio, unde cum ente convertitur, & per consequens falsitas opposita debet esse non ens, quia dicit negationem talis potentie, aliter si esset quid positivum, haberet talem potentiam, & veritatem, quod est impossibile.

41 Probatur autem Concl. hac unica ratione; relationes primi modi fundantur super unum, & multa, ita ut ubi est unitas naturæ, ibi est relatio identitatis; ubi est unitas, & convenientia in quantitate, ibi est æqualitas; ubi est convenientia in qualitate, ibi est similitudo, & e contra; ubi est multitudo naturarum in specie, ibi est relatio diversitatis, & distinctionis; ubi est multitudo, & disconvenientia quantitatum, ibi est relatio inæqualitatis, & tandem quæ in qualitate disconveniunt, dicuntur dissimilia per relationem dissimilitudinis, quæ relationes non sunt simplices negationes oppositarum, dissimilitudo enim non est præcisè carentia similitudinis, sed est relatio positiva opposita contrarie similitudini, quam doctrinam fufe exposuimus disp. 8. q. 10. art. 2. ergo sicut cognitio vera, quia habet quandam convenientiam cum obiecto in esse representativo relationem conformitatis ad obiectum, quæ est quadam intentionalis similitudo, sic cognitio falsa, quia habet disconvenientiam cum obiecto, nam illud non exprimit, ut est in se, fundabit relationem difformitatis positivam ad obiectum, quæ est quadam intentionalis dissimilitudo, in qua formaliter consistit falsitas. Dices, talem relationem per accidens se habere ad denominationem falsi, nam si per impossibile non resuleret, adhuc cognitio per simplicem carentiam similitudinis representativæ cum obiecto, in qua consistit veritas, diceretur formaliter falsa. Contra, nam si hæc responsio valeret, idem posset de relatione diversitatis, inæqualitatis, & dissimilitudinis sustineri, & per consequens nulla esset ratio ostendens dari debere tales relationes, tum quia posset quis oppositum sustinere, scilicet, quod falsitas sit quid positivum, veritas tamen carentia istius difformitatis, nam eo ipso, quod non adest difformitas in cognitione, est per impossibile non resuleret relatio conformitatis, esset illa cognitio vera, quia non falsa; & universaliter omnes rationes, quibus ostenditur distinctio relationis ab extremis probant etiam distinctionem positivam falsitatis a cognitione.

42 Quod autem eodem modo sit philosophandum de ista relatione quoad realitatem, & distinctionem a propositione, ut sumus locuti de veritate, patet ex ibidem dictis; non enim hæc relatio est rationis, sed realis, quia independens ab opere intellectus, nec semper est simpliciter realis, nam licet propositio contingens de præsentia, quando est negativa, dicat relationem actualem simpliciter realem, ut si quis currente Petro dicat *Petrus non currit*, hæc propositio dicit relationem realem difformitatis ad cursum Petri existentem, quem respicit, attamen propositio in materia impossibili, quæ abstrahit ab obiecto existente, & eius copula absolvitur ab omni differentia temporis, cum sit sempiterna falsitatis, ut *homo est lapis*, & illa, quæ est de præterito, & futuro, & quæ est de præsentia, sed respicit quid negativum, cui difformatur propter affirmationem oppositi, ut non currente Petro, si dicitur *Petrus currit*; omnes istæ propositiones dicunt relationem realem secundum quid, cum non sit inter extrema realia. Similiter propositiones illæ, quæ nequeunt mutari in veras, vel saltem ab initio non poterant esse veræ, habent falsitatem realiter identificatam, reliquæ vero realiter distinctam.

Contra arg. primo; si falsitas consistit in relatione difformitatis

mitatis ad rem, quia non exprimitur, sicuti est, ergo quando intelligitur Petrus, ut animal solum, talis conceptus esset falsus, quia Petrus non tantum est animal, sed etiam rationalis. Tum 2. sicut se habet malitia ad bonitatem, ita falsitas ad veritatem, nam sicut malum est quidam voluntatis defectus, ita falsum est quidam defectus intellectus ex 6. Eth. cap. 2. ergo sicut malitia formaliter dicit privationem bonitatis ex Scot. 2. d. 37. ita falsitas erit privatio veritatis. Tum 3. si falsitas diceret quid positivum, ergo Deus concurreret, & esset causa falsitatis in intellectu nostro, & ita posset aliquem decipere, quod repugnat summæ ejus veritati, & perfectioni. Tum 4. sicut carentia potentiz videndi est cæcitas, etsi nullus noxius humor adveniat in oculo, ita carentia conformitatis ad objectum erit præcise falsitas, quamvis nullum positivum sequatur in actu. Tum 5. sequeretur, quod alia res a Deo posset dari, quæ non crearetur a Deo, quod implicat, pro sub. seq. ista propositio *Deus creat aliquid de novo*, potest esse falsa, cum sit contingens, cujus falsitas non erit a Deo, aliter illa propositio esset vera, ergo aliquid esset de novo, puta positivum illius falsitatis, quod non esset a Deo.

43 Resp. ad 1. cum dicimus nunc propositionem esse falsam, quando concipitur res aliter ac sit, non est sensus de conceptu præcisivo, qualis est ille, Petrus est animal, nam in hoc adest conformitas, saltem partialis cum objecto, sed vel de divivivo, si quis conciperet Petrum esse solum animal, vel de positive erroneo, ut homo est lapis, & universaliter quando rei tribuitur, quod non habet a parte rei, vel ab ipsa removetur, quod habet. Ad 2. paritas valet de falsitate opposita veritati in essendo, non de opposita veritati complexæ, & quamvis in aliquibus valeat, non tamen in proposito, tum quia malitia est defectus voluntatis, qui ex sua ratione formali dicit non ens, unde in omissione potest reperiri, at falsitas est deceptio, quæ dat intelligere semper actum positivum intellectus; tum quia bonitas, quæ conformitatem ad legem formaliter dicit, a parte rei est solum denominatio extrinseca in actu, & malitia est carentia talis denominationis, quæ postea accedente opere intellectus concipitur ad modum positivæ relationis difformis ad legem; at veritas, & falsitas conveniunt intellectui a parte rei, ideoque insurgunt ex natura extremorum; quare sicut malitia est relatio rationis positivæ per intellectum, falsitas erit relatio positivæ præscindendo ab actu intellectus negotiantis. Ad 3. aliud est dicere, Deum concurrere ad actum erroris, & ad aliam entitatem falsitatis, aliud posse nos decipere; primum est verum, quia concurret cum causis secundis tamquam universalis causa, & cum finat illas motus suos agere, concurret ad deceptionem illarum; secundum est falsum, quia tunc esset author, & totalis causa erroris, quod repugnat; sic etiam concurret ad entitatem actus peccaminosi, imo ad ipsam entitatem formalem peccati in sententia Cajet. ponentis peccatum in positiva entitate, non tamen debet decipere se causa peccati, sed per accidens, quia præter intentionem ipsius eveniunt peccata; concurret etiam ad monstra, & alios naturales defectus, non tamen dicitur causa imperfectionis, quia hæc provenit ob imperfectionem causæ secundæ, cum qua concurret. Ad 4. neg. paritas, quia humor noxius in oculo est materiale privationis, nec cæcitas a parte rei in suo conceptu formali includit habitudinem ad aliud, ut falsitas, ideo si actus conciperetur præcise, ut habet carentiam conformitatis, diceretur falsus eo modo, quo actus verus diceretur talis, si præcise cum carentia difformitatis conciperetur; & paries albus nigro diceretur dissimilis, si, ut carens similitudine, consideraretur, scilicet, materialiter, & fundamentaliter, non formaliter. Ad 5. respondet Tat. cit. idem argumentum fieri posse de veritate, quod aliquid de novo fiat, & non a Deo, nam ista propositio *Deus nihil creat de novo*, potest esse vera, & hæc veritas non esset a Deo, aliter propositio esset falsa; quare responderetur casum implicare, nam si Deus nihil de novo creat, non potest dari propositio illa de novo, nam implicat aliquem de novo producere propositionem aliquam, ad quam non concurrat Deus; similiter nulla esset propositio vera, dato casu propter eandem rationem; quapropter istæ erunt propositiones seipsas falsificantes, de quibus diximus I. p. Inst. tract. 2. cap. 10.

44 Secundo arguit Pasqual. ens communissime sumptum dicit rationem veri tamquam passionem, cui falsitas opponitur, ergo falsitas nequit esse ens positivum, quia extra ens communissime non datur aliquid positivum; quod si falsitas, ut sic negative opponitur veritati, qualibet etiam falsitas negative opponeretur, quia inferiora servant naturam superioris. Tum 2. quia si dicit entitatem positivam, jam haberet, unde posset se manifestare cuicumque intellectui, ergo haberet veritatem, & sic non esset opposita veritati, quia oppositum tollit, non includit rationem alterius oppositi.

Resp. committit fallaciam, quia arguitur a veritate in essendo ad veritatem in representando, & a falsitate illi opposita ad falsitatem huic contrariam, concedimus enim ens communissime dicere rationem veritatis in essendo, & falsitatem oppositam esse quid negativum, sed negamus falsitatem in representando esse quid negativum, & in-

ferius ad illam falsitatem, nam sunt alterius, & alterius rationis, & solum æquivoce analogice falsitatem in communi dici de hac, & illa, ut innuit Doct. 6. Met. q. 3. in simili de veritate communi ad veritatem in essendo, & in representando; nisi velimus concedere falsitatem in communi abstrahere a positivo, & negativo, ut diximus de ratione principii in communi ad formam, & privationem in Physic. disp. 1. q. 1. Ad 2. similiter dicimus falsitatem in representando opponi veritati in representando, cujus rationem tollit, non includit; non opponi veritati in essendo, quam includit, ut passionem, recte enim potest intellectus reflectere supra cognitionem falsam, & intelligere falsitatem in illa repertam, cui falsitati, ut objecto esset illa cognitio reflexa conformis.

45 Tertio relatio proprie non suscipit magis, & minus, falsitas suscipit magis, & minus, ergo non est relatio; min. prob. Primo, quia magis mentitur, qui dicit hominem esse lapidem, quam qui affirmat esse equum; item si duobus tantum currentibus, quis dicat tres currere, minus mentitur, quam si diceret octo, vel viginti currere, quia magis a veritate recedit. Secundo quia actus mali sunt inæquales in malitia, ergo & actus falsi. Tertio si quis efformaret tres propositiones falsas, magis diceret falsum, quam qui unicam tantum, ergo si quis conficeret unicam propositionem falsam ex subjecto copulato æquivalentem illis tribus, falsior erit hæc propositio, quam illa, quæ esset de subjecto simplici. Nec valet Hurtadi responso disput. 11. Log. sect. 2. §. 27. & seq. quod illa, quæ est de subjecto copulato, consistit in indivisibili, ideoque tam aberrat a veritate, qui falsum enunciat de quatuor, quam qui de viginti, considerantur enim illa plura, ut partes subjecti, ad quæ indivisibiliter fertur actus, & ut distincta materialiter se habent ad illam propositionem, sicut æque non moratur Venetiis, qui est Roma, quam qui est Bononia, quamvis hic minus distet; & hoc, quia absentia illa consistit in indivisibili, & per accidens habetur illa major, vel minor distantia. Non valet, quia ut arguit Arriaga disp. 14. Log. sect. 3. sequeretur non magis ultimam esse inæqualem semipalmo, quam palmum, & habens unum gradum albedinis non esse dissimilium nigro, quam habens albedinem ut octo, quod est falsum. Neque copulatio illa aliquid salvat, nam non affirmatur cursus de illis necessario simul sumptis, & cum necessaria dependentia unius ab alio, sed confuse, & sine ordine, qua ratione patitur divisionem, & latitudinem, ut possit magis, vel minus falsum enunciari. Tandem quia veritas propositionis suscipit magis, & minus, ergo falsitas etiam opposita, antec. patet ex Arist. cit. in præc. art. tum quia propositio necessaria magis distat a falsitate, quam contingens vera, cum illa nequit fieri falsa, sicut ista, illa est certior, & evidentior, ergo verior, tum quia idem experimur in bonitate morali, quæ magis, & minus suscipit in actibus voluntatis.

46 Resp. difficultatem hanc perere solutionem illius dubii, an una propositio sit verior, vel falsior altera, negant hoc de veritate Hurt. & Arriag. cit. item Amic. ut. 26. disp. 1. q. 5. dub. 5. art. 1. & Ruvius I. Post. c. 2. q. 4. loquendo de veritate formali, non fundamentali, de falsitate negat etiam Hurt. affirmant Arriag. & Ruvius, utrumque probabile censet Amicus. Sed ut rem breviter explicemus, not. quod veritas potest sumi, vel pro propria formalitate, quomodo dicit adæquationem, & commentationem actus cum objecto, vel pro concomitantibus ipsam, qualia sunt necessitas objecti, vel contingentia, major, vel minor perfectio entitativa ipsius objecti, major, vel minor efficacia rationum, quibus movetur intellectus ad assensum, & similia: primo modo adhuc potest dupliciter considerari, nam, vel illa adæquatio sumitur extensive in ordine ad numerum prædicatorum objecti, ita ut actus nihil representet, quod non reperitur in objecto, & nil sit in objecto, quod non representetur ab actu secundo intensive, ut actus representet objectum, quantum est representabile. Falsitas deinde potest sumi dupliciter, vel negative ut dicit carentiam veritatis, vel positive, ut significat recessum a veritate, & distantiam, quæ consistit in illa relatione inæqualitatis, sicut absentia Veneta potest sumi, vel ut dicit carentiam Venetæ præsentiz, vel ut significat distantiam positivam, scilicet, distantiam Romanam, vel Bononiensem.

Ut igitur declaremus, an una propositio sit verior, vel falsior altera, supposito, quod loquamur de mentali propositione, seu de cognitione intellectus (nam vocalis propositio improprie dicitur vera, vel falsa) videndum est, an veritas, & falsitas in omnibus propositionibus consistit in indivisibili, an vero in omnibus, vel saltem in aliquibus propositionibus respiciant objectum divisibile: nam si primum concedatur, nequit una propositio esse altera verior: si secundum, debet admitti in veritate, & falsitate magis, & minus eo modo, quo in relationibus datur, ut explicavimus disp. 8. q. 10.

47 Dicimus ergo, quod si veritas sumatur pro concomitantibus ipsam, sic una propositio est verior altera, patet, quia una propositio est de perfectiori, de magis necessario objecto, & pro statu isto una est alia evidentior, qui-

evidentiora motiva concurrunt ad assensum ipsius; ita colligitur ex Scoto qu. 14. Univ. cum ait verius non habere suam veritatem a minus vero; hoc etiam voluit Doctor, cum quol. 18. T. ait, *Consimiliter multe conclusiones sequentes ordinatæ ex eodem principio habent veritates proprias distinctas, & forte prior est verior, & magis necessaria, quia in necessitate sua non pendet a posteriori, sed e converso*. Si etiam veritas sumatur pro adæquatione actus cum objecto extensiva quoad numerum prædicatorum, potest admitti aliquam latitudinem, præterquam in transcendentibus, nam si una res habet in se plura prædicata, & actus solum unum representet, alter vero omnia, certe conformior erit secundus, quam primus: sicut duæ quantitates magis æquales dicuntur, si sint æquales secundum omnes dimensiones, quam si secundum unam tantum; at si considerentur duæ propositiones de eodem prædicato, vel de omnibus, simul sic una non est verior altera extensive, quia consistunt in indivisibili, vel enim affirmant, quod convenit objecto, vel negant, quod disconvenit; & quia transcendentia habent conceptum simpliciter simplicem, propositiones de ipsis ex hoc capite erunt æque vere, propter indivisibilitatem objecti; Si tandem considerentur veritas quoad intentionem representationis, sic duæ propositiones de eodem objecto possunt esse inæquales in veritate, quod probatur, quia de eodem objecto omnino possunt dari intellectiones, quarum una clarius, & distinctius præsentet illud, altera obscurius, ut non representet objectum, quantum est representabile, ergo potest dari una propositio verior altera de eodem objecto intensive. Conseq. prob. quia veritas formaliter consistit in representatione objecti, ut in se est, ergo perfectior, & intensior representatio formaliter erit perfectior, & intensior veritas, antec. prob. perfectior actus, perfectior, & clarius attingit objectum, quam imperfectior, quamvis uterque attingat adæquate adæquatione extensiva: & quo ad numerum prædicatorum; sic Theologi admittunt cum Doct. in 4. d. 50. q. 4. & 5. unam visionem de Deo perfectiorem altera, quamvis quilibet Beatus attingat omnia prædicata divina, & Deum videat, sicuti est, & nulla creata visio representat Deum, quantum est representabile, sola visio divina ipsum adæquat intensive, & extensive, & ideo dicitur comprehensio, tum quia formalitas veritatis non consistit in simplici adæquatione, sed in similitudine quadam intentionali, sed similitudo suo modo dicitur suscipere magis, & minus, ergo & veritas; tum quia in corporeis rebus idem evenit, nam idem objectum visibile, vel propter perfectiorem potentiam visivam, vel propter intensius lumen potest perfectius, & distinctius videri ab uno, quam ab alio, licet uterque attingat omnes partes objecti. Demum probari potest ex doctrina de comprehensione apud Scot. 3. d. 14. q. 2. F.

48 Dices, veritas consistit in adæquatione actus cum objecto, sed æqualitas inter duo nequit recipere magis, & minus, quia consistit in indivisibili, unde non magis æquales dicuntur duo aurei palmi, quam duo lignei, & D. Aug. epist. 29. ait omnia recta esse æqualiter recta, ut patet de linea. Resp. veritatem non esse solum adæquationem extensivam, sed etiam intensivam cum objecto, ut representet illud, & sicuti est, & quantum representabile est, idcirco admittit latitudinem quandam, ut possit suscipere magis, & minus, sicut explicatum est. Neq. inferas, ergo actus non representans objectum, quantum est representabile, est falsus; Non valet, aliter actus præcisivus esset etiam falsus, quod est inconveniens, ut diximus ad primum: D. autem Aug. loquitur de rectitudine mathematica, quæ consistit in indivisibili, non de speculativa, aliter etiam moralis esset talis, & sic omnes actus virtutis essent ejusdem omnino bonitatis.

De falsitate dicendum est etiam, quod possit esse una propositio falsior, si scilicet privat perfectiori veritate, & magis necessaria, unde falsior est dicere, *Deus non est*, quam *Mundus non est*; potest etiam esse falsior, si plura negat prædicata, quam si unum solum, hinc falsius est dicere *homo est lapis*, quam *homo est equus*, quia prima removeat ab homine, & rationalitatem, & animalitatem, secunda solum rationalitatem, & per consequens dici illa majorem inæqualitatem, & difformitatem, quam ista, sicut arguebat Arriaga.

Dices, falsitas formaliter consistit in recessu a veritate, ergo quia qualibet propositio falsa a veritate recedit, qualibet erit æque falsa; de per accidens enim est, quod parum, vel multum recedat; sicut cum quis Eucharistiam sumit non jejunus, peccat, & nil refert, quod parum, vel multum comederit. Resp. falsitatem non dicere solum carentiam veritatis, sed positivam difformitatem, ideoque potest actus magis vel minus esse difformis objecto, sicut alium potest esse magis vel minus dissimile, verum est tamen, quod si objectum consistit in indivisibili, tunc una propositio de illo nequit esse falsior, ut est in exemplo adducto, præceptum enim sumendi Eucharistiam ante comestionem consistit in indivisibili, ut scilicet jejune sumatur, ideoque si non jejunus quis accipit, parum refert si abunde comedit, vel non; non sic semper evenit in falsitate, nam ipsa distantia a veritate major, vel minor inducit majorem, vel minorem difformitatem cum objecto, in qua consistit falsitas, & Belluti Tom. I. Logica.

fitas, ut potest exemplificari in multis actibus peccaminosis, plus enim peccat, qui centum furatur, quam qui decem. Ex quibus patet responso ad argum. quamvis enim veritas, & falsitas suscipiant magis, & minus, adhuc formaliter dicunt relationem, cui tanquam proprietas convenit hæc susceptio, ut diximus in suo loco.

ARTICULUS V.

An propositiones de futuro contingenti absolute sint determinate vere, vel false.

49 Difficultas hæc est potius theologica, quam logica, agitur tamen hic a Doctoribus, quia eam tangit Arist. in fine 1. lib. Periher. pro cuius intelligentia, not. ex Tat. hic qu. ult. quod futurum est duplex, unum necessarium, quod scilicet impossibile est non fore, ut Antichristus erit homo, alterum contingens, & hoc est triplex, vel quod raro evenit, ut inventio thesauri ex fossione, vel ut in pluribus, ut hominem habere duos pedes, & de istis non loquimur, tertium dicitur contingens ad utrumlibet, quod scilicet est indeterminatum ex se ad esse, vel non esse, ut quod Sortes erit, vel non erit; de quo potest fieri propositio universalis, ut omnes homines cras current, vel particularis, ut aliquis homo cras current, vel singularis, ut Petrus cras current; & qualibet istarum propositio- num potest rursus esse duplex, vel absoluta, vel conditionata; absoluta, dicitur illa, quæ futuram existentiam enunciat de re absque alia conditione, ut Petrus leget, non quod lectio crastina non pendeat a multis conditionibus, & circumstantiis, in sui existentia, sed quia hæc dependentia non exprimitur; sed solum per propositionem categoricam affirmatur, vel negatur futura existentia rei; conditionata vero est, in qua per conditionem hypotheticam affirmatur, vel negatur futura existentia rei dependenter a conditione, ita ut si non ponitur in esse illa conditio, neque erit res illa, ut si cras veniet Petrus, Sortes leget.

50 Secundo not. quod dissidium est apud Doctores, quid per determinatam veritatem, & falsitatem intelligatur. Quidam enim intelligunt veritatem necessariam, ut a contingenti distinguitur. Sed non placet, quia propositio contingens de præsenti est determinate vera, non tamen necessario, sed contingenter. Quidam intelligunt veritatem evidentem: Sed falso, nam multæ propositiones de præsenti etiam necessariae, sunt inevidentes, & tamen determinate veræ. Quidam vero Recentiores distinguunt, quod propositio de futuro potest comparari ad duo, vel ad significatum formale, quod significat, vel ad causas illius effectus, & formalis significati, conformitatem cum significato formali vocant veritatem simpliciter, conformitatem cum causis appellant veritatem determinatam; quæ veritates possunt ab invicem separari, nam poterit esse, quod aliquid in se sit verum, sed hic, & nunc cum suis causis comparatum, ex quibus movetur intellectus ad propositionem de futuro formandam, non sit determinate, & certitudinaliter verum, quia causæ non sunt hic, & nunc determinatæ ad illud producendum, & e contra; sit exemplum, si instante principis electione, qui diceret, *Petrus erit princeps*, eo quia attendit ad animos electorum bene dispositos erga Petrum, si Petrus erit princeps, dicit verum simpliciter, quia illa propositio conformatur cum significato formali futuro, & dicit quoque determinate verum, quia conformatur cum causis hic, & nunc dispositis ad talem electionem; si tamen non erit Princeps, dicit falsum simpliciter, sed determinate verum, quia respiciendo causas illius electionis, illud iudicium habet conformitatem, & juxta verum motivum pronunciat illa propositio; quapropter in sententia istorum determinatio veritatis attendi debet ex conformitate cum motivo impellente intellectum ad aliquod iudicium eliciendum. Sed quamvis hæc acceptio posset admitti, quando vere attingitur connexio causæ cum effectu, tamen, cum ex conjecturis solum inferat, potius hæc habitudo ad causas, & ad motiva denominare debet illud iudicium prudens, vel temerarium, quam verum, vel falsum, qui enim ex levi causa, vel ex insufficienti movetur ad aliquid affirmandum, vel negandum, non dicitur tunc vere, vel falso iudicare, sed recte, vel male, prudenter, vel insipienter, tum quia veritas propositionis non nisi ex ordine ad proprium significatum formale sumi debet. Quare per determinatam veritatem intelligimus simplicem veritatem, & conformitatem propositionis cum suo significato, & propositionem esse determinate veram, est illam in se fundare veritatem, non falsitatem, sive illa veritas sit nobis occulta, sive nota, hoc enim est de per accidens illi propositioni.

51 Tertio not. hanc propositionem dupliciter posse dici determinate veram, vel determinatione de inesse, vel de possibili, in primo sensu illa est propositio determinate vera, quæ solum significat prædicatum inesse subjecto, non excludendo potentiam ad oppositum, ut *Antichristus erit* dicit existentiam futuram convenire subjecto, cum hoc tamen sit, quod habeat potentiam ad non essendo; tunc autem propositio dicitur determinate vera determinatio- ne de possibili, quando etiam excludit potentiam ad oppo-

ditum, ut homo est animal, his duabus determinationibus opponitur duæ indeterminaciones, de inesse, & de possibili, hæc dicit indifferentiam ad posse esse, & posse non esse, illa dicit indifferentiam ad essendum, vel non essendum, quæ indeterminaciones nulla res dici potest indifferens, & indeterminata, quia qualibet est determinata determinatione de inesse, nam vel est, vel non est; cum hac tamen determinatione potest stare indeterminatio de possibili, quia res contingens cum est, potest non esse, & cum non est, potest esse, quæ distinctio suo modo applicatur etiam causæ liberæ, quatenus potest agere, & non agere.

In præsentem loquimur de propositione de futuro, nam quæ est de præsentem, vel de præterito, patet, quod est determinate vera, vel falsa; nec de quolibet futuro, sed contingenti, & absoluto; nam necessarium est semper determinate verum, quia copula in his propositionibus absoluitur ab omni differentia temporis, conditionatam vero spectat ad Theologiam, nam sequitur assert gravissimas difficultates Theologicas. Item loquimur de propositionibus singularibus, non de universalibus, vel particularibus; nam particularibus sunt determinate veræ, universales determinate falsæ, non simpliciter, & absolute, sed moraliter loquendo, & secundum communem naturæ cursum; nam cum ad falsitatem propositionis universalis sufficit, ut prædicatum non conveniat uni contento sub subiecto, si est universalis affirmativa, vel negativa, si est negativa, videtur impossibile, quod prædicatum contingens ab omnibus individuis removeatur, vel omnibus conveniat; idcirco propositiones universales sunt determinate falsæ, & particulares determinate veræ; solum igitur de singularibus est difficultas.

52 Insuper loquimur de veritate determinata in sensu explicato, non quidem determinatione de possibili, hæc enim repugnat cum contingentia, quia ponit necessitatem, sed determinatione de inesse, quæ stat cum indeterminacione de possibili, explicatur enim, ut notat Doctor in 1. d. 39. G. per duas categoricas virtualiter in illa inclusas, in quarum una de inesse tribuitur subiecto prædicatum, & oppositum illius prædicati tribuitur in altera, non quidem de inesse, quia implicat, sed de possibili, ut Petrus curvet, non explicatur Petrus sic curvet, ut etiam non curvet, sed Petrus sic curvet, ut potest etiam non curvere, in qua indeterminacione stat ratio contingentia. Sensus igitur questi est, an quando enunciantur istæ propositiones, si sint contradictoria, ut Petrus cras leget, Petrus cras non leget, una istarum sit determinate vera, altera falsa, vel si una tantum proferatur, Petrus cras leget, ista sit vera determinate, vel falsa, an vero neque sit falsa, neque vera, sed præcincta.

Est una opinio asserens, quod propositiones de futuro contingenti, si considerentur ut contradictoria, integrant unam hypotheticam disjunctivam, ut Petrus cras leget, vel Petrus non leget cras, sive disjunctam, ut Petrus cras leget, vel non leget; similiter si considerentur una categorica disjunctam in ordine ad veritatem, & falsitatem v. gr. Petrus leget, vel est vera, vel falsa, tunc qualibet istarum erit determinate vera, ea quia inter contradictoria nequit dari medium, at si qualibet categorica in se spectetur, ut Petrus leget, vel ista alia, Petrus non leget, neutra istarum erit vera, vel falsa determinate, sed una erit vera, altera falsa indeterminata, & confusa, quia est vaga una sit vera, nulla tamen determinate potest dici vera, sicut hæc propositio, aliquis calamus est necessarius ad scribendum, est vera indeterminata, vaga, & confusa, non determinate, quia nequit assignari determinate calamus aliquis, cui conveniat necessitas ista, sicut assignatur, quando terminus determinate supponit, ex dictis 1. p. Infit. tr. 1. d. 38. q. 1. a. 3. Cather. opusc. de verit. enunc. Mol. 1. p. disp. 17. & 18. Masio hic c. 6. sect. un. qu. 4. Cordub. lib. 1. qu. q. 55. dub. 1. & a Conimbr. citantur Basfol. in 1. d. 38. q. 1. ar. 3. ad 1. & Barg. d. 39. ad argum. princ. sed falso, nam ille solum asserit futurum contingens secundum se consideratum nullam habere determinationem ad esse, vel non esse, & consequenter ut sic nullam habere determinatam veritatem, aut falsitatem, at si spectetur, ut subest divinæ voluntati, sic est determinatum, vel ad essendum, vel non essendum, ad veritatem, vel falsitatem; quod est verissimum, quia futurum, cum sit indifferens ad esse, & non esse, requirit determinari a propria causa, a qua dependet, quare non negavit absolute non habere modo determinatam veritatem, vel falsitatem; Bargius vero loquitur in sent. Arist. non secundum veritatem, ut ipsemet se declarat.

53 Dicendum est propositiones de futuro contingenti absolute esse vel determinate veras, vel determinate falsas, ita ut hæc propositio, Petrus leget cras, habet determinatam veritatem, vel falsitatem; ita Scot. 1. d. 39. § Viso de contingentia, & §. Ad arg. princ. estque communis apud Theologos, & Philosophos veteres, tum recentiores, quos longum esset recensere, & præcipue optime illam probat Greg. 1. d. 38. qu. 1. art. 2. a quo omnes fere recentiores rationes desumpserunt, refert tamen Moris. hic disp. 10. qu. ut oppositam sententiam fuisse a Sixto IV. damnatam contra Petrum Arin. quæ censura manuscripta aservatur in

Acad. Loyan. & rationabiliter quidem, nam non solum evadent a Patribus asseritur, sed etiam habetur in sacra Scriptura, nam Dan. 3. dicitur de Deo, Qui nos omnia, antequam fiam, & Apoc. 21. dicitur de Deo: Et abstergit omnem lacrymam ab oculis eorum, quæ propositio est de futuro contingenti singulari, & ibid. asseritur esse veram, unde Joanni dicitur, Scribe, quia hæc verba fidelissima sunt, & vera, & passim habentur tales propositiones, & prophetiæ, quæ sunt determinate veræ, aliter Deus potuisset mentiri, & nos decipere, quod est impium; eo vel maxime, quod multa sub juramento per prophetas suos, tanquam vera promulgavit, & ipse Christus ore proprio, ut cum Petro prædixit trinam negationem, & latroni possessionem, & ingressum Paradisi. Tum quia Deus ab æterno præcivit omnia futura, non quidem sub disjunctio, quod forent, vel non forent, nam hoc modo a nobis præcivuntur, nec proprie esset præcivencia, sed cognitio quadam confusa, & imperfecta, præcivit ergo determinate juxta illud Psalm. 138. Intellexisti omnes cogitationes meas de longe, & omnes vias meas prævidisti, igitur ab æterno propositiones fuerunt determinate veræ, vel falsæ, ergo quando nos illas pronunciamus, si erunt conformes illis in mente divina ab æterno existentibus, erunt veræ, si difformes, falsæ; neque dicas cum Cather. has propositiones esse Theologicæ veras, non Logicæ; quia illæ propositiones antecedenter ad divinam cognitionem habent determinatam veritatem, vel falsitatem, non enim ideo sunt veræ, quia sic cognoscuntur, sed vere cognoscuntur a Deo, quia sic sunt in seipsis, sive hanc infallibilem veritatem divina scientia habeat ex coexistentia futurorum cum æternitate, sive ex ideis, sive a decretis divinis, parum refert, in præsentem enim quæritur factum, non causam, & modum facti: Quod adhuc potest probari, quia quod non est determinate in se verum, vel falsum, non est cognoscibile, quare si futura cognoscuntur a Deo, erunt determinate cognoscibilia, & quamvis nos non cognoscamus determinate, & certe, non ob id negari debet illis determinata veritas, vel falsitas, nam etiam multas de præsentem, & necessarias certo nescimus, & tamen in seipsis habent determinatam veritatem, aut falsitatem.

54 Secundo, prob. hæc propositiones sunt determinate conformes, vel determinate difformes proprio objecto, quando proferuntur, ergo sunt determinate veræ, vel falsæ, consequentia patet ex definitione veritatis, & falsitatis, Antec. prob. hæc propositio, Antichristus erit, significat Antichristum fore in certo tempore futuro; in quo necessario vel erit, vel non erit Antichristus, medium non potest dari, si erit, ista propositio est conformis, si non erit, est difformis. Nec obstat nos nescire determinate an sit vera, vel falsa, nec absentia objecti officit, aliter nec propositiones de præsentem, neque de præterito erunt determinate veræ, vel falsæ, si objectum ignoretur a nobis, vel sit absens, ut in illis de præterito. Si dicas, ut effectus sit futurus, requiritur determinationem causæ liberæ ad illum producendum, quia si est adhuc indeterminata, & in æquilibrio suspensa, effectus nequit dici, quod erit, vel non erit, hoc enim habet a determinatione causæ, at in probatione propositionis de futuro, causa est indeterminata, & ideo etiam effectus intelligitur indeterminatus ad esse, vel non esse, & consequens propositio erit indeterminata vera, vel falsa, quod non evenit in propositionibus de præsentem, & de præterito, quæ in sua significacione involvunt determinationem causæ.

Contra, propositio de futuro, licet nunc proferatur, in quo causæ est indeterminata, tamen non significat objectum pro nunc, sed pro tempore futuro, in quo necessario causa est determinata ad producendum, vel non producendum, & effectus ad esse, vel non esse, ergo nunc propositio erit determinate conformis, vel difformis, si enim non involveret determinationem causæ, sed indeterminacionem, seu potentiam, quam habet ad producendum, vel non producendum, quia talem potentiam habet causa in probatione propositionis, sequeretur, quod illa propositio non esset de futuro, sed de præsentem, non de inesse, sed modalis de possibili, non contingens, sed necessaria; prob. sequela, si enim hæc propositio Antichristus erit, significat Antichristum, ut possibilem produci, vel non produci, & sub indeterminacione causæ de possibili (non enim potest dari aliqua causa, quæ sit indeterminata indeterminacione de inesse, nam qualibet vel agit, vel non agit) ergo faceret hunc sensum, Antichristus poterit produci, & non produci, seu possibile est, Antichristum produci, & Antichristum non produci, quæ propositio est modalis, & necessaria, & per consequens absoluitur copula a temporis differentia, & erit etiam præsens, quia talis potentia modo reperitur in Deo, ut in causa. Tum quia adhuc haberemus intentum, quia illa propositio esset determinate vera quoad utramque partem, nam esset copulativa ad quam requiritur veritas utriusque categoricæ, nec esset contradictoria, quia negatio non cadit supra modum, sed supra dictum, ut diximus tr. 2. c. 5. & 9.

55 Tertio prob. hæc propositio Antichristus erit, vel est determinate vera, & habetur intentum, quod non erit vera, ergo non erit Antichristus, patet conseq. ideo propositio affirmativa non est vera, quia ejus significacionem non ita se habet

habet a parte rei, ut exprimitur per propositionem, aliter esset conformis, & vera, si ergo Antichristus non erit a parte rei, ergo contradictoria illius affirmativa est vera, quia est conformis objecto, ut est a parte rei. Tum quia nequit objectum esse indifferens ad esse, & non esse, nequit enim Antichristus cras neque esse, neque non esse, sed vel erit, vel non erit cras, ergo neque propositio de futuro exprimens existentiam crastinam Antichristi potest esse indifferens ad veritatem, & falsitatem; aliter si non esset verum dicere, Antichristus cras erit, neque Antichristus cras non erit, poterit inferri, ergo Antichristus cras neque erit, neque non erit, quia ex propositione copulativa, cujus partes sunt duæ singulares negativæ, valet consequentia ad categoricam singularem negativam de prædicato copulato ex prædicatis partium copulativæ, ut Petrus neque currit, neque Petrus loquitur, ergo Petrus neque currit, neque loquitur, & sic duæ contradictoriae essent veræ; vide Greg. cit.

Contra istam veritatem arg. Tum quia si propositiones de futuro contingenti habent determinatam veritatem, sequeretur, Deum aliquando dixisse falsum, quia multa per Prophetas prædixit ut eventura, quæ tamen non fuerunt in esse posita, ut cum Isa. 38. prædixit Ezechia, Dispone domui tuæ, quia morietur, & Jo: 3. Abus quadragesima die, & Ninive subvertetur, & tamen neque mors Ezechia, neque civitatis subversio contigit. Tum 2. Futurum ut contingens de sua ratione formali est indifferens ad utrumlibet, ergo de sua ratione formali est indeterminatum, ergo nequit vere concipi, ut determinatum. Tum 3. si hoc esset, ergo futura necessario evenirent, quia si possent non evenire, illa propositio posset fieri falsa, ponatur ergo, quod non eveniant, quaritur, quando propositio, quæ erat vera, incipit esse falsa, non quando est vera, quia nequit esse simul vera, & falsa, non ante, vel post, quia quod est aliquando verum, semper est verum. Tum 4. nulla esset differentia inter propositionem necessariam, & contingentem, quia ambe essent sempiternæ veritatis. Tum 5. omnia immutabiliter evenirent, & per consequens frustra essent consultationes de rebus futuris, ut arguit Arist. Tum 6. si Deus determinate cognosceret futura contingentia, quia hæc possunt aliter se habere, sequitur, quod Deus posset decipi, nam si Deus novit Petrum festurum cras, & non sedebit, Deus decipietur, ergo si novit Petrum festurum cras, & potest non sedere, Deus posset decipi, quia sicut ad duas de inesse sequitur conclusio de inesse, ita ex una de inesse, & altera de possibili sequitur conclusio de possibili. Tandem est authoritas Arist. negantis de futuris contingentibus dari posse determinatam veritatem, vel falsitatem.

56 Respi. has rationes non solum asserere a nobis, si valeret, notitiam certam futurorum, sed etiam a Deo, unde Cicero lib. 2. de divin. his permotus omnem Deo futurorum præcivenciam negavit, quapropter ab omnibus Catholicis solvi debent. Ad 1. igitur dicimus propositiones illas non esse de futuro absoluto, sed conditionato, sensus enim est, quod Ezechiel debebat mori inspecto ordine, & cursu secundarum causarum, & Ninive destrui, nisi egisset penitentiam, & quod de aliis similibus est dicendum: quia ergo eventus illi debebant poni in esse dependenter a conditione, ista sublati, auferuntur illi, & per consequens Deus non prædixit falsum. Ad 2. dicimus futurum ut contingens esse indeterminatum indeterminacione de possibili, quatenus potest poni, & non poni in esse, & in hac indeterminacione consistit formalitas contingentia, dicitur tamen determinatum determinatione de inesse, quæ stat cum indeterminacione de possibili, & contingentia, sicut contingens, quando existit, est determinatum de inesse, dicitur tamen contingens, quia potest non esse. Ad 3. concedimus propositionem de futuro, semel quod sit vera, esse semper veram, sed distinguimus de necessitate, nam est duplex, una dicitur absoluta, simpliciter, antecedens, & consequentis, & est illa, quæ cadit inter duo extrema ex propriis ipsorum naturis; ut quod homo sit animal, alia dicitur ex suppositione, secundum quid, consequens, & consequentia, & est, quæ aliquibus convenit facta suppositione alterius, ut si Petrus currit, necessario movetur; ad arg. dicimus futura necessario evenire necessitate consequentia, ex suppositione, & in sensu composito supposita, scilicet, determinatione causæ ad agendum, quæ stat cum libertate, quia supponit usum liberi arbitrii in causa, sed determinantis ad productionem, non necessitate absoluta, & consequentis, & in sensu diviso. Ad 4. neg. sequela, quia propositiones necessarias dicuntur sempiternæ veritatis absolute, & necessitate simpliciter, quia non solum sunt ab æterno veræ, sed neque poterant non esse veræ, contingentes ab æterno fuerunt veræ ex suppositione, unde poterant reddi falsæ, si causa se determinasset ad oppositum. Ad 5. neg. seq. quia futura eveniunt immutabiliter ex suppositione, non simpliciter, quod sufficit, inquit Doctor, lit. P. cum possit absolute pars altera contingere. Ad 6. responder idem lit. Q. & Y. breviter tamen dicimus, quod si contingentia non evenirent, nec Deus illa cognosceret, nec posset cognoscere propter infallibilitatem scientiæ divinæ; quia futurum ut sic non subsequitur actum divinæ cognitionis, imo concipitur ante-

cedere, prius enim futurum est futurum per decretum divinæ voluntatis determinantis illud producere, & postea intellectus divinus illud concipit ut futurum; quare si non esset futurum, non posset terminare actum divinæ cognitionis, & per consequens nec Deus decipi posset, nec valet paritas de inesse, & de possibili, quia falli est rem cognoscere aliter ac sit, posse falli est posse sic cognoscere rem, quæ potentia non est in Deo, non enim sequitur, res potest non esse, ergo Deus potest rem cognoscere aliter ac sit, sed bene sequitur, ergo potest cognoscere rem non esse, vide Scot. cit.

57 Ex quibus deducitur futura contingentia, etiam ut scita a Deo, non esse absolute necessaria, nam hæc necessitas, ex duplici capite posset provenire, vel ex ratione futuritionis, vel ex Dei præcivencia (ut ad præsens spectat) non ex primo, quia futuritio non mutat naturam effectus, prius enim est effectum produci debere in aliqua temporis differentia, cui dicatur præsens, postea quia hæc pars alias habet antecedentes, respectu quarum dicitur, idcirco effectus etiam dicitur futurus, quare cum futuritio consequatur naturam effectus, si effectus est contingens in se, & libere producibilis, etiam ut futurus erit contingens, & libere producibilis. Neque ex divini præcivencia potest necessitas simpliciter, & absolute provenire, quia hæc etiam se habet ut consequens, & relinquit effectum in suo proprio esse connaturali; exemplum aptissimum adduci solet a Theologis, si quis loquens in platea videatur a Petro existente in aliqua domo, certum est, quod ille libere manet ibi, & loquitur, ita ut posset recedere, vel non loqui, etiam tunc a Petro videatur, nam hæc visio non imponit illi necessitatem manendi in platea, & loquendi, nam se habet ut consequens, locutio vero ut antecedens, & in ratione objecti; attamen in sensu composito, scilicet supposito, quod ibi permaneat, & loquatur, necessario videretur a Petro necessitate consequentia, & suppositio; quæ stat cum libertate.

58 Quomodo autem etiam cum decretis divinæ voluntatis, quibus ab æterno præcivenciam omnes actiones a voluntate creata futuras, bene cohæreat earum libertas, spectat ad Theologum explicare; nec nos in melle alienam manum mittere volumus. Nobis semper valde placuit modus, quem tradidit in suis doctissimis manuscriptis tract. de Concordia causæ primæ cum secundis P. Mag. Joseph Neapolis a Drepano, ubi inter sententias extremas eorum, qui ponunt divinam voluntatem omnino antecedenter ad nostram præcivenciam actus ab ea futuros, & aliorum e contra asserentium præcivenciam consequenter, quatenus divinus intellectus in priori signo rationis prævidet, quid esset factura creata voluntas in hoc, vel illo rerum ordine, mediagraditur via ex Scoto desumpta ponendo divina decreta non mere antecedentia, & præcivencia a nostra determinatione cum primis, nec mere illam consequentia cum secundis, sed concomitantia, quam concomitantiam refundit in continentiam eminentialem ipsius voluntatis creatæ in voluntate divina secundum totam ejus virtutem, & differentiam agendi, ratione cujus statuere potest, quicquid creata voluntas factura est in quolibet rerum ordine, nulla præmissa scientia media de effectibus ab ea futuris, sed sola simpliciter intelligentiæ de effectibus ab ea possibilibus; quam sententiam quamplures ex nostra Religione eruditissimi viri amplexi sunt, & inter alios P. Mag. Anteus Saxius a S. Joanne alterius nostrum Præceptor humanissimus, & nunc Archigymnasi Bononiensis Metaphysicus publicus; dum olim in hoc Patavino Collegio Regentis munere fungeretur, eam legit, & firmis rationibus adhuc munivit, & ampliavit. Et eandem postea typis tradidit P. Vulpes in sua Summa tom. 2. 1. p. disp. 30. & tom. 1. 2. p. disp. 6. & 7. hunc igitur Auctorem legat, qui hujus sent. cupit fieri capax.

Ad auct. Arist. aliqui ipsum absolute negant, ut a fide, imo a naturali ratione aberrantem, ita ex Recentioribus Vasq. Suar. Conim. Hurt. Amic. Arriag. & alii: Quidam vero nituntur ipsum explicare, & ad bonum sensum reducere, unde asserunt non negasse absolute dari de propositionibus contingentibus determinatam veritatem, vel falsitatem, sed negasse veritatem necessariam; vel secundo quod negavit determinatam veritatem, vel falsitatem quoad nos, non simpliciter; vel tertio negavit ab illis determinatam veritatem, aut falsitatem, ut considerantur non in seipsis, sed in causis, quæ ante productionem indeterminatæ concipiuntur ad producendos effectus, vel non producendos, quo sensu effectus illi non habent determinatum esse neque determinatam veritatem possunt causare.

Q U Æ S T I O III.

De regulis bonæ prædicationis ad veras enunciations efficiendas.

59 Prædicatio est unius de alio enunciatio, & attributio, & quia non nisi in terminis concretis, vel abstractis exercetur, ideo supponendum ex 1. p. Infit. tr. 1. c. 3. quid sit terminus concretus, & abstractus; concretus est, qui formam significat non per se stantem, sed ut al-

teri adjacentem, quod ex modo significandi concernit; abstractus, qui ab illo abstrahit, & solum formam in se, non ut alteri adjacentem significat; & quia termini possunt unum; & plura consignificare; & concernere prater propriam formalem significatum, consequenter multiplex potest fieri abstractio.

Hinc notat Doctor 1. d. 5. q. 1. A. quod aliter fit abstractio in substantiis, aliter in accidentibus absolutis, & aliter in relativis, in substantiis enim concretis, quia dant intelligere supposita, in quibus reperitur significata formalia, una abstractio potest fieri scilicet a suppositis, ut homo formaliter significat naturam humanam in suppositis, scilicet in Petro, Sorte, &c. unde pro illis aliquando supponit, at humanitas abstrahit ab illis, & solum significat hominis quidditatem, & dicitur terminus ultimata abstractione abstractus, & a Recentioribus dicitur abstractum metaphysicum. Accidentia absoluta possunt duo concernere, puta subjectum, cui inhaerent, & propria individua, hinc duplex fit abstractio, ut album dicitur concretum ad subjectum, puta parietem, pro quo etiam aliquando supponit; at albedo praescindit a concretionem ad subjectum, & solum dicit qualitatem illius coloris, & ut sic vocatur a Modernis abstractum physicum; attamen quia, ut sic respicit propria individua hanc, & illam albedinem; potest fieri ulterius abstractio dicendo *ratio albedinis*, vel *albedineitas*, quae solum dicit quidditatem puram albedinis, & est abstractum metaphysicum, & terminus ultimata abstractione. Respectiva tandem possunt pro pluribus supponere, nam causa concernit subjectum; scilicet ignem; potest dari terminus abstrahens a subjecto, scilicet potentia causandi, quae licet pro subjecto non supponat, potest tamen fundamentum, scilicet calorem, quo ignis calefacit aquam, connotare; & deinde potest dari terminus ab isto abstrahens, qualis est causalitas: calor enim non est causalitas; & tandem, quia causalitas respicit hanc, & illam causalitatem in individuo, potest ab illis fieri ultima abstractio dicendo *ratio causalitatis*.

60 Et quia ex hac doctrina de abstractionibus pendet solutio hujus questionis, quae non bene percepta, causa fuit, quod Didac. a Jesu intelligibilem, imo ridiculam putavit nostram sententiam, idcirco diligentius est expendenda. Not. igitur est, quod quamvis Scotus cit. unicam tantum posuerit abstractionem in substantiis, revera tamen plures sunt admittenda; ut in accidentibus absolutis, sicut non una, sed plures sunt concreciones in substantiis, ut monet ipse Scot. d. 5. cit. E. in illo extra; & in 3. d. 7. q. 1. ad 2. & advertit Barg. 1. d. 5. q. 1. non solum enim dantur in substantiis concreta ad supposita, verum etiam dantur concreta ad singularia, singulare namque est realiter a supposito distinctum, ut patet in Christo, in quo est natura humana cum singularitate, sed absque propria suppositalitate, & per consequens quamvis homo sit concretum ad suppositum, & humanitas praescindat, & abstrahat ab illo, non ob id tamen debet humanitas dici ultimata abstractio proprie loquendo, quia respicit singularia, & pro illis potest supponere, sicut albedo in communi dicitur concretum ad singularia propria, quae tamen sunt extra suam rationem formalem, hinc potest fieri ulterius abstractio concipiendo humanitatem praecise secundum propriam rationem formalem, & talis conceptus erit ultimata abstractus, potestque vocari ratio quidditativa humanitatis, sicut in albedine dicitur, vel albedineitas, vel quidditas albedinis, nec ulterius progreditur intellectus in abstractionibus; quamvis enim possit ab humanitate abstrahere rationem generis, vel differentiae, nil refert, quia in tali abstractione non concipitur amplius humanitas, sed animalitas, vel rationalitas, ideoque recte conceptus quidditatis humanitatis praecise dicitur ultimata abstractus in ordine ad humanitatem, quia tali conceptu concipitur praecisissime ab omni eo, quod est quocumque modo extra rationem quidditatis, in quo consistit formalitas ultimata abstracti, ex d. 5. cit. C. Similiter in generibus dicendum, quod fit duplex concretio, & ad inferiora specifica, & ad propria singularia generica, unde animalitas licet abstrahat a speciebus, concernit adhuc individua generica, hanc scilicet, & illam animalitatem, pro quibus supponit.

61 Ratio vero, cur Scot. d. 5. cit. asseruerit in substantiis unicam tantum esse abstractionem, est, ut notat Barg. quia substantia non abstrahit a supposito alieno, ut faciunt accidentia, quorum supposita, & fundamenta sunt alterius praedicamenti, sed a proprio eisdem praedicamenti, sumendo suppositum large prout convertitur cum singulari; & quamvis in Christo humanitas abstrahat a supposito divino, tamen divinum suppositum ibi gerit vices proprii suppositi creati, quod sufficit, ut notat Lich. ibid. nisi velimus dicere tunc loqui de suppositis, ad quae natura habet aptitudinem, quale est solum creatum. Quare est una abstractio in substantiis a supposito, quae habet plures gradus, unus est a supposito incommunicabili, alter a singulari; non curavit autem Doctor hos gradus distincte assignare, quia satis erat ipsi exemplificare de abstractione a supposito, ut posset explicare ultimatum abstractionem divine essentiae, quae cum sit singularissima, unicam tantum admittit abstractionem, imo quasi suppositum humanitatem

esse ultimata abstractam; at in 3. cit. satis expresse innuit hanc multiplicem abstractionem, & in illo extra distincte quinz.

Notanda est etiam differentia, quae reperitur inter abstracta substantia, & accidentalia, quod accidentalia media abstractione abstracta concernunt, si sunt generica; non solum propria individua generica, sed etiam species, ut color potest supponere, & pro hoc, vel illo colore, & pro albedine, vel nigredine, unde est divisibilis per differentias essentielles in species, ratio est, quia ut sic habetur totius in ratione habentis, ut explicatam est disp. 5. q. 1. art. 4. at abstracta substantia, etsi generica sint, solum supponunt pro propriis individuis, non pro speciebus, ut animalitas pro hac, vel illa animalitate, non pro humanitate, vel equinitate, & hoc, quia ut sic in proprio conceptu est pars, cum non se habeat in ratione totius habentis, pars autem non potest de toto praedicari, sed bene de individuis propriis, ut est videre in partibus physicis, anima enim non praedicatur de vivente, sed de hac, vel illa anima; unde diximus disp. cit. naturas genericas, cum de individuis generice praedicantur, habere rationem speciei, non generis.

62 Ex his ergo terminis concretis, & abstractis multae, & diversae consueverunt praedicationes, sed nimis longum esset referre omnes praedicationis divisiones adductas a DD. principales tangemus, & illas, de quibus praecipue in Inst. Log. nulla facta est mentio; nam de praedicatione per se, & per accidens, naturali, seu directa, & innaturali, seu indirecta satis diximus, in 2. p. Inst. tr. 1. c. 3. similiter divisiones enunciationis sunt etiam divisiones praedicationis, de quibus 1. p. Inst. tr. 2. & tandem de praedicationibus aliqua diximus disp. 2. q. 8. art. 2. cum de praedicationibus secundarum intentionum de primis, & de se invicem locuti sumus.

Thomista communiter dividunt praedicationem in identicam, disparatam, & median; prima est, in qua idem enunciat de seipso; secunda, in qua praedicatum nullam habet connexionem cum subjecto, ut homo est lapis, homo non est equus; media, in qua extrema habent aliqualem connexionem, sed non totalem identitatem.

Sed rectius, & subtilius cum nostris Formalistis distinguendum est in tr. Formal. art. 3. & aliis super loca Doctoris citanda, quod praedicatio est duplex, alia formalis, alia identica, formalis, ut colligitur ex Scot. 1. d. 4. q. 2. B. & d. 5. q. 1. & d. 8. q. 1. ad 1. princ. & d. 26. q. un. Y. & quol. 3. O. & alibi, est illa; in qua praedicatum dicitur convenire subjecto per quamdam adjacentiam, & inhaerentem, & est duplex, vel essentialis, vel accidentalis, & denominativa; prima est, in qua praedicatum adjacet subjecto quidditative, & essentialiter, ut homo est animal; secunda, in qua praedicatum adjacet subjecto accidentaliter, ut homo est albus, & haec peculiariter modo dicitur denominativa, nam si velimus rationem denominativi ampliare etiam ad quidditativa praedicata, sic praedicatio denominativa convertitur cum formalis in communi, ut notat Doctor quol. cit. quod supra explicavimus disp. 2. q. 6. art. 1. Rursum praedicatio denominativa est duplex, alia intrinseca, in qua praedicatum intrinsece adjacet, & efficit subjectum, ut homo intelligit, nam intellectus inhaeret ipsi homini, alia extrinseca, in qua praedicatum non inhaeret subjecto, sed alteri, ad illud tamen habet habitudinem, ut paries dicitur visus visione in oculo existente, & ad parietem terminata.

63 Praedicatio identica est, ut docet Lich. 1. d. 4. q. 2. in qua praedicatum enunciat esse idem realiter cum subjecto, non per modum formae adjacentis, & haec est duplex, alia est omnimode identica, qua ratione a Doct. d. 26. cit. dicitur prima identitas praedicationis, & est illa, in qua idem praedicatur de seipso, ut homo est homo, & a Jo. de S. Th. p. 2. Log. q. 5. art. 2. dicitur identica formaliter, quia ex vi significationis terminorum idem significat unus, ac alter; alia est non omnimode identica, ut quando duo, quamvis propriis rationibus formalibus sint diversa, identificantur tamen realiter, qua ratione possunt ad invicem praedicari, haec autem identificatio ex duplici capite provenire potest, vel quia sunt eadem realiter alicui tertio, qua ratione inter se postea identificantur, ut sunt genus, & differentia in specie, nam animal, & rationale sunt idem realiter ratione tertii, scilicet, hominis, cui identificantur; & si ab illa unione in tertio praescinderetur, dicendo, animalitas, & rationalitas, unum non esset idem realiter alteri.

Et possunt aliqua inter se realiter identificari, etiam ut a tertio praescindant, quia ambo, vel unum eorum est infinitum, infinitas enim est ratio identificationis realis, quod explicat Tromb. in Formal. art. 3. §. Pro declaratione praedicationis identice, quia cum implicet dari plura infinita realiter distincta, ut fise probat Doct. 1. d. 2. q. 3. & quol. 5. quicquid convenit alicui infinito, transit in eius perfectam identitatem realem, & per consequens quantumcumque duo abstrahantur a tertio, si saltem unum illorum sit infinitum, habebit in se, unde possit perfecte realiter identificare sibi, quicquid est sibi compossibile, sic in divinis haec propositio est vera identice, *Sapientia est bonitas*, quia

quia licet ut sic abstrahant a tertio, scilicet, Deo, in quo realiter uniuert, attamen propter infinitatem, quam habent, sunt adinvicem realiter identificata, cum sint inter se compossibilia, & nequeant dari duo infinita realiter distincta. Dividunt etiam Formalistae hanc identicam praedicationem, in identicam simpliciter, & identicam identice; sed haec divisio parum habet utilitatis, idcirco illam dimittimus. Tandem potest addi praedicatio, qua dicitur causalis, ut cum causa dicitur de effectu, vel in recto, ut ira est accensio sanguinis circa cor, vel in obliquo, ut homo constat ex anima, & corpore.

Est tamen hic not. ut advertunt Compl. disp. 4. qu. 3. quod omnes istae praedicationes dividuntur in affirmativam, & negativam, nam istae sunt formales, *homo est visibilis*, *homo non est visibilis*, quamvis una vera, altera falsa, item haec sunt identice, *homo est homo*, *homo non est homo*, licet affirmativa sit vera, & negativa falsa.

Cum igitur omnis praedicatio fiat in terminis concretis, vel abstractis, quadrupliciter possunt inter se combinari, & quod concretum praedicatur de concreto, vel quod praedicetur de abstracto, tertio quod abstractum dicatur de concreto, tandem quod abstractum de abstracto enuncietur.

ARTICULUS I.

De concretis possunt de aliis concretis, & de abstractis praedicari.

64 Quoad primum concedunt omnes concreta tam substantia, quam accidentalia posse de se invicem affirmativa praedicari, dummodo habeant quamdam identitatis habitudinem inter se, ratio est, quia ut docet Scotus cit. praecipue d. 8. q. 4. in quantum aliqua praedicatio affirmativa est vera, in quantum extrema sunt idem aliquo pacto inter se, & in propositione non accipiuntur termini, ut a tali identitate praescindunt, imo ut consignificant habitudinem illam; sed concreta ex modo consignificandi, quem habent, imbibunt habitudinem identitatis, quatenus concernunt supposita, ergo in ipsis est vera praedicatio affirmativa; min. pater, nam haec est vera, homo est animal, est rationalis, quia dicuntur de homine ut habente, & includente illa essentialiter, a qua habitudo, & inclusione tam activa, quam passiva illi termini non praescindunt, haec etiam est vera, homo est albus, propter eandem rationem, nam homo cum albedine facit unum accidentaliter: istae quoque sunt verae, animal est rationale, album est dulce, non solum identice, propter habitudinem ad tertium, in quo uniuert, vel essentialiter, & realiter, ut animal, & rationale in homine, vel accidentaliter, ut album, & dulce in lacte, tanquam in subjecto, sed etiam formaliter, quia ut ait Scotus cit. in creatis omnis praedicatio identica est etiam formalis, cum debeat fieri in concreto, unde quando dicitur album est dulce, est sensus, id, quod habet albedinem, habet quoque dulcedinem, & respectu identitatis in tertio, ut in subjecto, quae est ratio veritatis propositionis; qua de causa in Christo duae naturae adinvicem in concreto praedicantur, Deus est homo, homo est Deus, quia in concreto sumpta concernunt identitatem suppositi. E converso ut concreta adinvicem negative vere praedicantur, requiritur, ut nullam habeant identitatis habitudinem inter se, & si aliquam habent, & aliquam non habent, ut recta, & vera sit propositio, debet in illa explicari negatio illa unitatis, in qua propositio negativa fundatur, ut Petrus si habet albedinem, & per consequens habet cum albedine identitatem inclusionis, quamvis essentialiter differant, ut recta fiat praedicatio, non debet absolute dici Petrus non est albus, sed Petrus non est essentialiter albus. Notandum est tamen, quod ad hoc, ut unum concretum recte dicatur de alio, requiritur, quod se habeat, ut quoddam totum quoad modum praedicandi, ut est explicatum disp. 5. q. 1. art. 4.

65 Quoad 2. partem difficultatis, an possint concreta de abstractis praedicari; Communiter fere ab omnibus conceditur, nullum concretum posse praedicari formaliter de proprio abstracto; unde non vere dicitur *humanitas est homo*, *albedo est alba*, *justitia est iusta*, ratio hujus est, quia abstractum, cum significet formam in se, & absolute, se habet ut *Quo*, & ut formalis ratio constituendi, concretum vero, quia significat formam in subjecto, se habet ut *Quod*, & constitutum, seu ut habens formam, ergo nequit concretum de abstracto dici, aliter *Quo* mutaretur in *Quod*.

Dices, istae sunt verae, *Deitas est Deus*, *entitas est ens*, *existentia est existens*, *quantitas est quanta*, *linea est longa*, & similia, ergo concretum potest de proprio abstracto praedicari. Resp. primam propositionem non esse veram formaliter, quia quod Deitas sit habens Deum, sed solum identice, & datur intelligi, quod Deitas, & Deus sint una res a parte rei, & hoc propter infinitatem formalem, quam habent; secunda & tertia de rigore sermonis sunt falsa formaliter, quia sunt *Quo*, non *Quod*, admittunt tamen, vel ex usu, vel quia *ly ens*, & *ly existens*, ut notat Blanc. disp. 2. sec. 17. non significant concreta illo modo abstractorum, sed prout quid significant a nihilo distinctum, & faciunt fere identicam praedicationem, scilicet, *entitas est aliquid*, seu *entitas est entitas*; similiter quar-

ta, & quinta, si *ly quanta*, & *ly longa* stricte sumantur ut vera concreta, sunt falsa de rigore sermonis, sed conceduntur, quatenus significant quamdam extensionem, nam valet dicere quantitas est extensa, linea est extensa. Vel dicendum, quod peculiare hoc est quantitatis, quae non solum habet quod sit alterius mensura, & sit *Quo*, sed etiam, quod sit per aliam mensurabilem, qua ratione potest esse *Quod*, & denominationem concreti suscipere.

Dubium est, an aliqua alia concreta possint de abstractis praedicari, ut an possit dici, *humanitas est ens*, *humanitas est animal*, *est rationalis*, *est alba*, *albedo est colorata*, & in divinis an istae sint concedendae, *Deitas est bona*, *est sapiens*, *est paternitas*, & similes; circa quod maxima est varietas inter Doctores tum Scotistas, tum Neothericos, quas singularem referre laboriosum est, & tadium non modicum afferret Lectoribus, breviter ergo, quae conformia sunt Scoticae sententiae, & veritati adducemus.

66 Dicimus primo de his, quae non sunt ultimata abstracta, posse praedicari concreta, quorum significata formalia in illis abstractis subjectantur, includuntur, & connectuntur, dummodo ex vi significandi non concernant subjecta, a quibus abstracta illa praescindunt, conclusio est fere communis, nam si ratio veritatis alicujus propositionis est identitas, vel connexio extremorum a parte rei, sequitur, quod non ultimata abstracta, cum possint a parte rei esse subjecta aliorum accidentium, & illa includere, vel cum illis connecti, a quibus per abstractionem jam factam non praescindunt, possunt etiam in propositionibus inservire pro subjectis, unde haec propositiones sunt verae, *albedo est color*, *est similis*, *quantitas est aequalis*, *quasi color*, & similitudo sunt in albedine, etiam ut a subjecto praescindit, sicut aequalitas in quantitate, haec vero est falsa *albedo est quanta*, in quantumvis ex usu loquendi permittatur, ratio est, quia haec denominatio provenit a quantitate, quatenus est subjectum albedinis, & radix ipsius est connexio inter quantitatem, & albedinem, sed albedo praescindit ab ista connexione, cum sit abstractum a subjecto, ergo illa propositio de rigore non est vera: similiter istae sunt falsae, *albedo est colorata*, *ambulatio movetur*, quamvis sint verae, *albedo est color*, *ambulatio est motus*; fundamentum est, quia coloratum, & moveri dicuntur habitudinem ad subjectum, quod connotant, ergo non possunt cum veritate praedicari de terminis a subjecto abstrahentibus, non sic est color, & motus.

67 Dicimus 2. quando termini sunt ultimata abstracti, de ipsis solum illa concreta possunt formaliter praedicari, quae in primo modo conveniunt, unde concreta adjectiva, quia tantum formaliter nata sunt praedicari, si non sunt in primo modo non vere praedicantur; concreta tamen substantiva, quia possunt etiam identice praedicari, etiam si in primo modo non conveniant, si adest infinitas, saltem ex parte unius extremi, consueverunt propositionem veram identice. Conclusio docetur a Scoto locis in princ. qu. cit. prob. & explicatur simul; abstractum ultimata praescindit ab omni eo, quod est extra quidditatem, & ipsa quidditas concipitur in tali abstractione absque habitudine ad quodcumque, quod est posterius, & extra propriam rationem ejus, quia hoc abstractum includit hoc inaelegorabile per se primo, ut concedunt Logici, quare rationabiliter inquit Avic. 5. Met. cap. 1. & 2. equitas est tantum equitas, ergo si ut sic praescindit ab omni extrinseco, praescindit ab habitudine, quae est causa veritatis propositionis, ergo quamvis in re multa praedicata conveniant illi naturae, tamen de ipsa ut sic considerata nequeunt verificari in propositione, quia veritas propositionis non solum pendet ab essentia rei significata per terminos, sed a modis significandi, qua ratione conceditur illa, *homo est albus*, non tamen haec alia, *homo est albedo*, ut dicemus, quia albedo praescindit ab habitudine ad subjectum, & si album, & albedo idem formaliter significant: cum igitur adjectiva solum formaliter possint praedicari, eo quod significant per modum inhaerentis, & adjacentis, & quidditas ut ultimata abstracta non includat significatum adjectivi, quod non est in primo modo, numquam potest fieri in ipsis recta praedicatio; at substantia, quia possunt identice praedicari, quomodo praedicatum non consideratur ut adjacens subjecto, sed tantum ut eadem res cum illo, sic poterunt de ultimata abstracto praedicari, etiam si in primo modo non conveniant, quod evenit solum in divinis propter infinitatem formalem extremorum, quae est causa perfectae identitatis, non in creatis, in quibus non potest dari praedicatio identica, nisi sit etiam formalis, ex Scoto 1. d. 8. q. 4. ad 1. eo quia in quantum extrema sunt inter se unita, quia respiciunt tertium, in quo conveniunt, ut diximus in princ. hujus quaest.

68 Ex quibus deducitur primo contra Recentiores, has propositiones esse falsas, *humanitas currit*, *est alba*, *est visibilis*, *humanitas est obiectum intellectus*, *essentia divina est bona*, *sapiens*, *summa*, *obiectum fructuosis*, *distincta*, *abstracta*, & similes, quia omnia ista praedicata sunt adjectiva, & non in primo modo convenientia; & quamvis a parte rei vere conveniant, nequeunt tamen enuncitari propter modum consignificandi istorum terminorum, verum est tamen, quod multae ex his propositionibus conceduntur,

ut notant Lich. r. d. 5. q. 1. Barg. ib. Vallo. in formalit. pag. nobis 357. vel ex usu loquentium, vel ob carentiam exprimentis conceptus, quamvis de rigore sermonis sint falsae; unde istae propositiones, *essentia divina est communicabilis*, *unde obiectum fructuosis, est distincta a creatis, &c.* debent sic exponi, *Deus sub ratione essentia; vel deitatis est communicabilis, est obiectum, &c.* & hoc expeditius est asserere, quam cum aliis Scotistis praecipue Mayr. limitat regulam traditam de ultimate abstractis ad aliqua praedicata, nam ratio probans de uno praedicato concludit de omnibus.

Secundo, deducitur, has propositiones, *essentia divina est paternitas, est sapientia, est pater, &c.* esse veras identice propter rationem adductam de praedicatis substantivis.

Tertio, colligitur cum Lich. has propositiones, *humanitas est ens, est substantia, corpus, animal, rationalis*, esse formaliter veras contra Vig. Barg. Vallo cit. Bratav. super q. 16. univ. & alios, quod probatur, quia non praescindit humanitas ab istis praedicatis, cum illa includat, ergo de ipsa possunt praedicari cum veritate, patet conseq. quia radix veritatis in propositione est identitas extremorum. Tum quia Doctor ait, *quandocumque est subjectum abstractum ultimata abstractione, & praedicatum ex sua ratione non potest praedicari, nisi formaliter, non potest propositio esse vera, nisi sit per se primo modo, sed haec praedicata praedicantur formaliter, & in primo modo ergo vere praedicantur.* Tum quia si tantum de ultimate abstracto nonnisi ipsum potest praedicari, ut inquit Scotista cit. non diceret Doctor, quod possit dari propositio vera formaliter, dummodo sit in primo modo, quia idem de seipso non formaliter, sed identice praedicatur.

Resp. non esse veras istas propositiones, quia humanitas, & animal non sunt infinita, nec uniantur in tertio, at Doct. 1. d. 8. cit. dixit extrema debere habere unitatem in tertio, unde nunquam concessit in creatis praedicationes in abstracto, nisi cum idem de seipso praedicatur. Vel dicitur non esse veras, quia humanitas non integratur ex animali, sed resultat. Caeterum nulla istarum solutionum valet: prima si esset vera, haec propositio esset falsa, *Seres est homo, est albus, &c.* quia non uniantur in tertio, quapropter sufficit, quod extrema sint unita vel in tertio, si sunt disparata, ut animal, & rationale, de quibus loquebatur Doct. cit. vel inter se per inclusionem, communicationem, aut informationem; quas praedicationes implicite concessit, cum assignavit regulam traditam, ut diximus; Falsum etiam est, humanitatem non integrari ex animali, & rationali, imo quia resultat ex illis, integratur ex illis, sicut totum ex suis partibus resultat, & componitur, a quibus nequit abstrahere, cum sint de quidditativo conceptu illius.

69 Sed contra doctrinam allatam argum. quia haec propositio, *intellectus intelligit*, est vera, & tamen intellectus est ultimate abstractus, & intelligere non convenit ipsi in primo modo; quod sit ultimate abstractus, prob. quia in substantiis, inquit Doctor, sit unica abstractio, intellectus est abstractus ab intellectu, sicut voluntas a volitivo. Tum 2. Scotus in 2. d. 3. q. 1. Et exponens dictum Avic. quod equinitas est tantum equinitas, ait, quod secundum prioritatem naturalem, quam habet natura ad unitatem, pluralitatem, particularitatem, universalitatem, non est de se aliquid istorum, quamvis nunquam sit realiter sine aliquo istorum, & ut sic est, quod quid est, per se obiectum intellectus, est a metaphysico considerabilis, exprimitur per definitionem, & alia attributa convenire asserit, quae non dicuntur in primo modo de natura abstracta. Tum 3. natura ut abstrahitur ultimate, vere terminat actum intellectus abstrahentis, vere concipitur, ergo extrinsece potest abstrahi, concepta, & praecisa denominari, & per consequens tales denominationes possent concipi ad modum entis, & efficientia rationis formalis, & de illa enunciari. Tum 4. humanitas in Christo dicitur unita, assumpta, corrupta in triduo, quo sensu non concernit suppositum humanum, tum quia hoc non adest, tum quia illae propositiones non recte formantur de homine; nec suppositum divinum, quia isti non convenit assumi, sed assumere, ergo in substantiis de termino abstracto a suppositis, qui est secundum Scotum ultimate abstractus, possunt praedicata, quae non sunt in primo modo, praedicari. Tum 5. iste syllogismus expositivus concludit in divinis, Pater generat, Deitas est Pater, ergo generat; & tamen generare non convenit Deitati in primo modo. Tandem accidentia recipiuntur in humanitate, sicut rationale in humanitate includitur, ergo si est verum, humanitas est rationalis, ita humanitas est alba, quia receptio, & communicatio praedicati cum subjecto est causa veritatis propositionis, antequam pater in Christo, in quo abedo non potest attingere suppositum Verbi, sed solum humanitatem ut subjectum proprium, & connaturale.

70 Resp. neg. intellectum esse ultimate abstractum, nam ut ipse Doctor notat, aliud est loqui de substantiis, aliud de perfectionibus substantialibus, in illis una sit abstractio, in istis, quia modum habent praedicandi in quale, duplex sit abstractio, sicut in accidentibus absolutis, unde intellectum concernit suppositum, sicut album, intellectus ab-

strahit a supposito, non ab individuis, ut albedo. Ad 2. respondet Maur. q. 13. univ. dub. 4. quod aliud est dicere naturam a parte rei, ut praescindit a singularitate, convenire esse obiectum intellectus, considerabilem a Metaphysico, &c. aliud est dicere haec omnia praedicari posse de natura ultimate abstracta, primum est verum, quia vere a parte rei attributa illa sunt cum natura identificata realiter; secundum est falsum, quia ad veritatem propositionis non sufficit veritas rei significata, sed requiritur etiam veritas modorum significandi, & quia natura ut abstracta, quamvis in se contineat illa praedicata, abstrahit tamen ab illa continentia, & solum praedicata primi modi respicit propter sinecathogorema inclusum per se primo, idcirco illae propositiones sunt falsae. Ad 3. per idem resp. nam quamvis illa praedicata conveniant, nequeunt tamen enunciari de ipsa propter repugnantiam modorum significandi, natura enim ut sic non respicit ista praedicata, & ista in significando concernunt adjacenciam naturam. Vel dicendum cum multis Scotistis, regulam Scoti non valere de praedicatis consequentibus actum intellectus, sed de illis, quae a parte rei conveniunt, nam quamvis in se praescindat tam ab ente reali, quam rationis, & ideo de ipsa in se considerata non possunt praedicari praedicata realia, quae non sunt primi modi, & multo minus praedicata rationis, ut arguit Lich. ex Ocham, attemen ipsa, ut substat actui intellectus reflexo, dicitur habitudinem ad praedicata rationis: prima responsio est expeditior. Ad 4. humanitas in Christo non est ultimate abstracta, imo est natura humana singularizata, nos loquimur de humanitate, prout praecise dicit quidditatem hominis abstrahentem ab omni eo, quod est extra essentiam. Ad 5. resp. Doct. d. 5. cit. committit fallaciam, quia mutat praedicatio, nam major est vera formaliter, minor est vera identice, si pater substantive sumatur; si vero adjective, ut est denominativum paternitatis, sic est falsa, sicut haec, Deitas est bona, quia praedicaret formaliter. Ad ultimum patet ex dictis ad 4.

71 Secundo argum. quod ista sit falsa, *humanitas est animal*. Tum quia concretum substantiale ex se concernit suppositum, sic animal potest pro hoc, & illo animali supponere, sed humanitas praescindit a supposito, ergo animal nequit recte de illa praedicari. Tum quia valeret dicere animal currit, humanitas est animal, ergo humanitas currit, in quo syllogismo est eadem formalis praedicatio, tam in majori, quam in minori.

Resp. discrimen esse inter terminum absolute sumptum, & in propositione, in se enim est ponens pro pluribus supponere, pro quibus deinde in propositione non supponit, quia restringitur, vel propter copulam, vel per positionem substantivam inferioris, vel alicuius adjectivi: sic animal non solum concernit species, sed etiam individua, & tamen in hac propositione, homo in communi est animal, non concernit individua, & supposita, aliter propositio esset falsa, quia homo in communi ab illis praescindit; quare ejus suppositio restringitur ad concretionem specierum, sic in proposito cum dicimus, humanitas est animal, ly animal non concernit supposita, a quibus praescindit humanitas, sed solum praedicatur, ut species respicit, quomodo respicit humanitatem. Ad 2. patet per idem, quia etsi non variatur praedicatio, variatur tamen suppositio, quia in majori ampliatur, in minori restringitur; & idem argumentum potest fieri de ente, quod tamen omnes concedunt, posse de abstractis inferioribus praedicari, per quod constat ad rationem Poncii d. 3. Log. num. 95. oppositum tenentis.

ARTICULUS II.

An abstracta possint de concretis, & de aliis abstractis praedicari.

72 Quoad primam partem dubii pars negativa communiter conceditur, unde haec sunt falsae, *homo est humanitas, lignum est albedo, album est color, &c.* ratio sapientis est insinuat, quia abstracta praescindunt a subjectis, & suppositis, concreta concernunt illa, quare cum in modo significandi subjectum, & praedicatum non communicent inter se, tollitur radix omnis veritatis propositionis. Tum quia abstractum significat partem concreti, quod habet rationem totius, pars autem ut pars, five physica, five metaphysica, non potest de toto praedicari. Sed quia haec ratio non concludit in divinis, nam abstracta, etsi a communicatione cum suppositis praescindant, habent tamen in se unde possunt identificari realiter, scilicet, infinitatem, idcirco propositiones, in quibus abstracta dicuntur de concretis in divinis, sunt vere identice.

Dices, istae sunt verae, *album est accidens, ens est entitas, ens est bonitas, genus est universalitas, & tamen accidens, & caetera praedicata sunt abstracta.* Resp. de rigore sermonis omnes illas propositiones esse falsas, quod maxime ostenditur in prima, nam ly accidens proprie non est concretum ad subjectum, aliter esset verum dicere, lignum est accidens, sicut est verum, lignum est album, quod magis declarabitur ex mox dicendis.

73 Circa secundam partem certum est primo in divinis quando saltem unum extremum est infinitum, tales praedi-

caiones esse identice veras propter rationem saepius replicatam. Deinde secundum omnes admittuntur istae praedicationes in abstractis accidentalibus media abstractione, quando se habent ut superius, & inferius, ut albedo est color, est qualitas, &c. quia non sunt ultimate abstracta, & superiora in ordine ad inferiora se habent, ut concreta, cum illa concernant, & per modum totius, ut in princ. quae dicebamus. Insuper fere omnes concedunt propositiones, in quibus abstractum genericum praedicatur de abstracto differentiali, vel e contra, esse falsas, ut animalitas est rationalitas, & e converso, quia intantum unum de altero praedicatur, inquantum uniantur in specie, quam unionem concernunt per nomina concreta, & a qua per abstracta praescindunt, ergo ut abstracta non possunt adinvicem praedicari. Idem quoque esset dicendum de abstractis, quae in ordine ad alia accidentaliter praedicari nata sunt, ut humanitas est albedo, vel albedinitas, nisi quod Valsq. 1. p. d. 130. cap. 3. limitat hanc veritatem, praecipue quantum per praedicatum abstractum denotatur officium, & actus subiecti abstracti, ut *rationalitas est differentia, visibilitas est proprietas, &c.* Major difficultas est de abstractis generico, & specifico, an illud possit de isto praedicari, praecipue in substantiis, in accidentibus quoque loquendo de abstractis ultimate; item an abstractum differentiale possit de specifico dici, ut *humanitas est animalitas, est rationalitas, albedinitas est coloretas, &c.*

74 Hurt. disp. 3. Log. sect. 3. concedit tam genericum, quam differentiale abstractum vere dici de specifico, quem sequitur Averf. quaest. 24. Log. sect. 4. at Blanc. disp. 2. sect. 17. hoc solum de generico concedit. Alii distinguunt, quod abstracta superiorum possunt dupliciter considerari, vel ut in confuso continent rationes, & perfectiones inferiorum, & ut sic possunt de illis praedicari, vel secundum gradum praesens, quem formaliter dicunt, & ut sic falso praedicantur, ita Mas. sect. 4. de univ. qu. 6. Soto qu. 3. Sanchez lib. 3. qu. 13. Suarez disp. 6. Met. sect. 10. Dacus a Jesu disp. 5. qu. 2. dub. 2. Compl. disp. 4. qu. 4. & alii; a quibus parum distat Fonsec. 5. Met. qu. 13. sec. 4. & Jo. de S. Th. 2. p. qu. 5. ar. 4. dicentes abstracta, si specificative fumantur, confuse dicere rationes inferiorum, & posse ut sic praedicari de illis, si vero reduplicative, ut substat conceptui praesens, in hoc sensu non posse praedicari de inferioribus. Amic. tr. 4. qu. 9. dub. 5. istas praedicationes, tanquam probabilis dictum asserit esse falsas, solum concedit illas, quibus abstracta dicuntur de suis immediatis inferioribus, sub eadem abstractione, & nomine significatis, ut *haec humanitas est humanitas, haec rationalitas est rationalitas, haec animalitas est animalitas, &c.* quod ex nostris asserunt Barg. r. disp. 5. qu. 1. §. Ibi hoc nomen Deus, & Maur. sup. qu. 13. univ. dub. 4. imo ipse Doctor 1. disp. 5. q. 1. E. in illo extra asserit, quod non potest dari conceptus ita ultimate abstractus, quin possit de propriis singularibus praedicari, unde concedit propositiones istas, *haec animalitas est animalitas, haec albedinitas est albedinitas, non tamen istam, humanitas est animalitas, quia humanitas non est singulare animalitatis, Tandem communis est opinio apud Scotistas, transcendentia posse de aliis abstractis dici, ut humanitas est entitas, est bonitas, &c.* quia ad veritatem propositionis, saltem identicam, inquit sufficere infinitatem permissivam, & transcendentia talem habent infinitatem, cum sint communia Deo, & creaturis, ideo poterunt in abstracto de aliis praedicari.

75 Dicendum est, nullam propositionem in creatis, in qua ultimate abstractum praedicatur de altero ultimate abstracto, vel de suis immediatis inferioribus sub eadem abstractione, & nomine significatis, esse veram, five accidentaliter, & denominative, five essentialiter, five transcendentiter praedicatur, ita Doctor cit. quem praeter Scotistas sequitur Ruvius tract. de modo praedicam. Morif. disp. 1. Log. qu. 17. imo hanc sententiam voluerunt asserere Mas. Suarez, & alii illis distinctionibus de abstractis, & praecipuum fundamentum est formalitas termini ultimate abstracti, illum enim intelligimus cum Scoto d. 5. saepe citat. quaest. 1. C. qui significat quidditatem absolutissime sumptam, & praecisissime ab omni eo, quod est quocunque modo extra rationem quidditatis, ergo ut sic praescindit a qualibet habitudine ad quocunque extrinsecum, five essentialiter, five accidentaliter cum illo abstracto habeat communicationem, ergo de nullo alio poterit praedicari, quia ut saepe dictum est, radix veritatis cuiuscunque praedicationis est identitas, connexio, & communicatio extremorum, non solum ut sunt a parte rei, sed ut talibus nominibus significantur. Conf. quia nequit unum praedicari de alio, nisi illud concipiatur ut inexistens illi, & aliquo modo cum eo conjunctum quia ut dictum est, radix veritatis propositionis est unio, & connexio extremorum, sed quando concipitur terminus ultimate abstractus, ut animalitas v. g. non consideratur ut conjuncta cum humanitate, vel equinitate, ergo cum veritate nequit in tali abstractione de ipsa praedicari.

Deinde potest prob. conclusio singillatim quoad omnes partes: & primo quod nullum abstractum possit de alio denominative praedicari, etsi officium, & actum illius di-

cat; nam vel est fermo de operatione, officio, & actu secundo, sicut est risus respectu risibilitatis, intellectus respectu intellectus, & hoc est falsum, quia nec intellectus est intellectus, nec risus est risibilitas, nec rationalitas est constitutio hominis, sed principium constitutum; vel est fermo de officio, & actu primo, & cum hic sit intrinsecus subjecto, non poterit praedicari accidentaliter, & denominative, ut dicebat Valsq. sed essentialiter, nam risibilitas formaliter est passio, rationalitas formaliter differentia; quod si per passionem, & differentiam intelligatur secundae intentiones, sic est praedicatio denominativa, sed non est de ultimate abstractis, nam & proprietates concernit hanc, & illam proprietatem, & risibilitas, hanc & illam risibilitatem.

76 Secundo contra Hurt. prob. quod istae sint falsae, *humanitas est rationalitas, est animalitas*, ad hominem, negat enim hanc, *Petrus est humanitas*, quia licet Petrus in se humanitatem includat, tamen ultra illam habet substantiam, praedicatum autem debet saltem confuse significare, quicquid dicit subiectum, subsumimus, sed humanitas ultra rationalitatem includit animalitatem, quam rationalitas ut sic abstracta, nec confuse dat intelligere, ergo nequit vere dici de humanitate, idem dicendum de animalitate respectu rationalitatis. Sed neque ambo conjuncta poterunt praedicari, quia ut sic rationalitas deberet praedicari ut differentia divisa generis, & constitutiva speciei, & per consequens, ut unum adjacens; qui modus significandi repugnat ultimate abstracto. Tum quia negat etiam ipse hanc propositionem, *Deus voluntas intelligit*, quia ut sic datur intelligi conceptus noster, quo voluntas reduplicative sumitur, & concipitur ut principium operans, sed etiam in his propositionibus involvitur noster conceptus, quo reduplicative animalitas secundum se, & rationalitas in se concipitur, praescindendo a quocunque alio, ergo &c. non enim abstracta dantur, nisi per intellectum. Nec valet, quod ait Averf. rationalitatem tunc non praedicari in quale, & ut differentiam, sed in quid, & ut genus; hoc enim jam fuit supra impugnatum disp. 6. qu. 4. ostendendo veritatem illius regulae. *Diversorum generum non subalternam positivum, &c.* Accedit etiam, quod abstracta ultimate se habent ut pars, quae nequit de toto praedicari ex dictis disp. 5. qu. 1. art. 4. & hanc eandem rationem adducit Aureol. 1. d. 4. p. 2. art. 2.

77 Tertio contra diversas acceptiones ultimate abstracti a Suar. Fonsec. & aliis adductas urgetur, quia sunt distinctiones implicitoriae, nam ultimate abstractum ex sua ratione formalis abstrahit ab omni eo, quod est extra propriam quidditatem, ut ex vi nominis deducitur, ergo nequit sumi, ut aliquo modo respicit inferiora, aliter non esset ultimate abstractum. Per quod ostenditur etiam ultimate abstractum non posse de suis singularibus praedicari, quia ab illis non abstraheret; & tum quia etiam albedo possit dici ultimate abstracta, quia tantum concretionem habet ad propria individua, quod est falsum, nec implicat praescindere rationem communem a suis inferioribus, aliter nulla daretur abstractio inter universalis.

Tandem quod conclusio verificetur etiam in transcendentibus (quod etiam sustinet Vallo super art. 3. Formal. pag. nobis 359. & probabile putat Maur. cit.) probatur, infinitas illa permissiva nil aliud est, quam communitas, & indifferentia ad creata, & increata, sed quando sumuntur transcendentia ut ultimate abstracta, praescindunt ab ista indifferentia, quae se habet ut passio, & est extra rationem formalem entitatis, ergo non potest esse ratio identice veritatis, ut est infinitas formalis, & positiva in divinis; patet conseq. nam ideo animalitas non potest de humanitate dici, quia abstrahit a potentialitate, & habitudine ad inferiora, ergo idem de identitate dicendum. Tum quia ait Doctor, quod omnis identica praedicatio in creatis est formalis r. d. 8. qu. 4. ad 1. sed entitas ut abstracta nequit formaliter praedicari, aliter diceret concretionem ad id, cui adjaceret. Nec juvat, quod aliqui dicunt, peculiare esse abstractis transcendentibus de omnibus dici, quia primus conceptus, quem de re aliqua formamus, est, quod non sit nihil, sed aliquid, non juvat, quia concedimus rationem entis includi in conceptibus inferiorum, & aliud est de illis praedicari ut ultimate abstracta, nam entitas ut sic dicit rationem entis ut ab inferioribus praecisam, falsum est autem, humanitatem esse rationem entis praecisam.

78 Sed contra praedicta argum. quod saltem praedicata essentialia possint in abstracto praedicari de inferioribus. Tum quia vere superiora essentialiter includuntur in inferioribus, ergo poterunt de illis praedicari; ab eo enim quod res est, vel non est, oratio dicitur vera, vel falsa. Tum 2. sicut homo definitur per animal, & rationale, ita humanitas definitur per animalitatem, & rationalitatem, at partes definitionis possunt de definito praedicari, ergo erit verum dicere, *humanitas est animalitas, & rationalitas, vel saltem humanitas est animalitas rationalis.* Tum 3. considerando has duas naturas, humanitatem, scilicet, & equinitatem, concipimus illas convenire, & differre, ergo poterit abstrahi conceptus communis ab illis in quid praedicabilis, talis erit conceptus animalitatis, & quae ratione

ratione Ar. 7. Met. 43. adducit hanc prædicationem differentie superioris de inferiori in abstracto, scilicet pedum est pedalitas quadam; & Scotus ipse d. 5. cit. E. concedit hanc, hæc humanitas est humanitas, hæc albedineitas est albedineitas, & subdit quod non oportet, quod in aliqua abstractione abstractum non prædicatur de aliquo, nec aliquid de ipso, quia hoc est impossibile, sed sufficit ad propositum hoc, quod ultimata abstractum, hoc est ab omni alterius nature, & a supposito proprio, non a singulari, de illo non prædicatur aliquid formaliter, nisi prædicetur per se primo modo.

Resp. ex dictis ad 1. non sufficere ad veritatem propositionis veritatem significatorum, sed etiam veritatem modorum significandi requiri, nam quando res significatur ut prædicandus ab alia, & postea de illa prædicatur, non conformatur rei illa propositio, ut est in se, quia licet res illa denotetur, non tamen ut alteri communicata, quando vero est a parte rei, aliter ista essent vera, *Perrus est albedo, hæc humanitas* &c. Ad 2. non potest in recto humanitas definiti per animalitatem, & rationalitatem, quia hæc prædicantur ab illa, sed in obliquo, unde non possunt in recto prædicari, sed in obliquo, dicendo humanitas constat ex animalitate, & rationalitate, sicut in definitione physica homo non dicitur anima, & corpus, sed ex anima, & corpore; & sicut non recte diceretur homo est corpus animatum (loquendo de corpore pro altera parte compositi, non de genere subalterno) eo quia corpus est pars, non totum, sic non recte diceretur humanitas est animalitas rationalis, quia animalitas se habet ut pars, non ut totum, ut diximus disp. 5. sæpe citat. Ad 3. talem conceptum non esse conceptum animalitatis, sed animalis, qui ita erit abstractus, ut ordinem etiam dicat ad illa, a quibus abstrahitur, & ut sic totum sit quoddam potentiale, animalitas autem ab illis prædicandis. Nec urget autoritas Ar. nam præterquam quod differentia superior non proprie de inferiori prædicatur, ut diximus disp. 5. q. 3. art. 3. adhuc tamen non est prædicatio de ultimata abstracto, sed de non ultimo, idem dicendum de hac prædicatione, hæc humanitas est humanitas; negamus vero illam aliam de hac albedineitate esse veram, quia hæc albedineitas dicit quidditatem albedinis cum differentia individuali, & sic nec differret ab hac albedine, neque erit ultimata abstracta, negamus etiam quodlibet abstractum esse ultimatum necessario respicere singularia, non enim diceretur abstractum ab illis, sed concretum ad illa, & autoritas Scoti non urget, quia est unum extra, & oppositum deducitur ex tota illa quaestione, ut notavimus in princ. hujus q.

79 Secundo arg. ad idem, Tum quia a concretis ad abstracta tenet consequentia, etiam in ultimata abstractis, nam valet dicere in divinis, Sapiens est justus, ergo sapientia est iustitia. Neque dicas, esse verum identice pro-

pter infinitatem extremorum, quia cum infinitas sit modus intrinsecus, & per consequens extra quidditatem sapientie, & iustitie, & ultimata abstractum prædicandam ab omni eo, quod aliquo modo est extra rationem formalem, iam illa extrema prædicantur ab infinitate, ergo infinitas non est ratio veritatis illius prædicationis. Tum 2. humanitas, & animalitas ratione solum distinguuntur, at hæc distinctio sicut non auferit identitatem realem, ita nec veritatem propositionis. Tandem hæc est vera, anima rationalis est anima, & tamen est inter abstracta.

80 Resp. a concretis ad abstracta tenet consequentia, quando non sunt ultimata abstracta, & non se habent ad modum partis, ut notat Doct. q. 16. univ. ad 3. princ. prob. dicimus esse veras prædicationes similes in divinis in sensu identico propter infinitatem, ad impugnationem possumus dicere sapientiam, bonitatem, iustitiam, &c. non esse ultimata abstracta: & ideo non prædicantur ab infinitate, unde possunt ad invicem prædicari in sensu identico, quod non evenit in creatis; ultimata autem abstractum sapientie erit quidditas divinæ sapientie, quo sensu forte non est vera hæc propositio, in Deo ratio sapientie divinæ est ratio divinæ iustitie, quamvis hæc sit vera, ratio Deitatis identice est ratio sapientie propter radicalem infinitatem, quæ est in essentia, etiam ut ab infinitate formali prædicandis. Possumus adhuc respondere, quod modus intrinsecus prædicatur in primo modo juxta dicta in 2. p. Instit. tract. 1. cap. 3. & consequenter, quod ab ipso ultimata abstractum non abstrahat, nam cum Doct. ait ultimata abstractum prædicandis ab omni eo, quod est quocumque modo extra rationem rei, debet intelligi positive; modus enim intrinsecus (et si poneretur in secundo modo prædicari) non dicitur ita esse extra rationem rei, sed tantum negative, quæ expositio videtur de mente Doct. quol. 5. C. & 1. d. 8. q. 3. Y. dum ait, quod abstrahendo sapientiam, & bonitatem a quocumque est extra rationem ejus formalem, utraque adhuc remanet formaliter infinita; sed hoc est negotium theologicum. Ad 2. antec. est falsum, quo admisso, negatur etiam consequentia, quia cum ex modo concipiendi significentur illa extrema explicitè, ut distincta cum fundamento in re, nequit deinde unum de altero enunciari, nam esset dicere hoc ut ab illo distinctum est idem cum illo, ut optime notat Amic. Ad 3. negamus animam in communi esse ultimata abstractam.

Quæ hucusque diximus de modis prædicandi in abstracto, & in concreto quoad primas intentiones, eadem omnino verificantur, de terminis secundarum intentionum tam inter se, quam in ordine ad primas, ita ut in propositionibus accipiantur termini ut communicationem quandam, & connexionem dicunt ad invicem, non ut prædicantur a tali communicatione.

DISPUTATIO UNDECIMA.

De Syllogismo in Communi, seu Discursu.

1 **P**ost Libros de interpretatione, in quibus de Enunciatione, & ejus speciebus egit Arist. subjungit deinde libros Priorum, in quibus de Syllogismo secundum formam tractat, ut ab omni materia, sive necessaria, sive probabilis, sive impossibili prædicandis, ejus principia declarat, multasque passiones de ipso demonstrat, ut videmus 1. p. Instit. tract. 3. Ex quibus deducitur Syllogismus in se, & secundum virtutem continentiam esse in his libris subiectum, ut cum Scoto 1. Prior. quæst. 2. docuimus in quæst. Proem. Nec facillit, quod Arist. 1. Prior. cap. 1. dicat se velle de Demonstratione disputare, quasi quod finis ipsius sit absoluta cognitio Demonstrationis, & consequenter quod objectum horum librorum sit Demonstratio, quæ auctoritate permoti aliqui dixerunt, Priorum, & Posteriorum libros unum tractatum conficere. Nec urget, quia communis opinio tenet, libros Priorum esse distinctum tractatum a libris Post. sicut distincta debet esse explicatio subiecti totalis, qualis est Syllogismus, & partialis, ut est Demonstratio. Solum igitur innuere voluit Aristot. cognitionem Syllogismi in Communi deservire Demonstrationi, sicut cognitio cujuslibet superioris prærequiritur distinctæ cognitioni cujusque inferioris. De isto igitur Syllogismo in Communi post Disp. de Enunc. agimus in præsentis, vestigiis Aristotelicis inherentes; & quia fere omnia, quæ ad formam pertinent ipsius, in 1. p. Instit. tract. 3. juse explicavimus, pauca hic subjungemus, data opera ibi prætermissa, quia altioris speculationis.

QUÆSTIO I.

An Discursus differat ab Argumentatione.

2 **D**ocumentum est Ar. 2. de An. 146. quod ponens differentiam inter duo, utrumque oportet cognoscere, igitur ut videamus, an Discursus differat ab Argumentatione, seu Syllogismo (pro eodem enim sumimus Syllogismum, & Argumentationem) necesse erit prius considerare, quid sit Discursus, & quid Argumentatio.

Discursus ergo est tertia intellectus operatio, quæ ex uno noto aliud ignotum deducit, & infert, unde dicitur discursus, quasi quidam cursus, motus, & progressio, quæ ex noto tanquam a termino a quo, intellectus pergit ad ignotum tanquam ad terminum ad quem; ex qua definitione colligitur, non sufficere, quod intellectus duo cognoscat unum post aliud, nam sic plures apprehensiones, vel judicia dis-

crete sibi invicem succedentia essent discursus: sed requiri, quod unum per aliud cognoscat, quod dupliciter potest contingere, vel ut ly per dicat ordinem, & habitudinem objectivam, ut si quis cognosceret Solem esse, diem esse, & diem a Sole ut a causa dependere, & hoc non sufficit ad discursum, nam hoc potius pertinet ad secundam intellectus operationem, essetque vel unum, vel plura judicia illorum objectorum ad invicem dependentium, sicut etiam plura complexa possunt per primam operationem apprehendi, quæ operatio non est judicium, sed iudicium, & complexi objecti apprehensio; secundo contingere potest, ut ly per dicat habitudinem inter assensus illorum objectorum, ita ut intellectus assentiat uni, quia habuit ad aliud assensum, & ex vi illius eliciat assensum alterius; & hoc modo intelligi debet definitio discursus.

3. Quapropter tria interveniunt ad discursum, cognitio noti, cognitio ignoti, & illatio; seu deductio ignoti ex noto, primum dicitur antecedens, secundum consequens, tertium

Quæst. I. An discursus differat ab argument.

tertium consequentia, quæ est nexus utriusque, potestque explicari exemplo secundæ operationis, nam sicut in iudicio adest apprehensio subiecti, apprehensio prædicati; sic in discursu adest iudicium antecedens noti, & consequentis ignoti. & sicut in iudicio adest connexio terminorum per copulam est significata, in qua formaliter consistit iudicium, ita in discursu adest connexio propositionum per ly ergo significata, in qua connexionem, & illationem consistit discursus formaliter, ut notat Licher. qu. 3. prol. in illa collat. qu. An Theologia sit scientia. Adest tamen secundum aliquos hæc differentia, quod iudicium in secunda operatione quandoque est affirmativum, quandoque negativum, unde duplici nomine compositionis, scilicet, & divisionis circumscribi solet, at discursus formaliter semper est affirmativus, quamvis enim aliquando conclusio sit negativa, tamen illatio semper est affirmativa, quatenus intellectus judicatur consequens recte ex antecedenti deduci; sed hoc potius verificatur de cognitione reflexa, quæ intellectus post discursum iudicat talem discursum esse rectum, quam de ipso conclusionis assensu, seu cognitione dependente ex præmissis, ut fufius in lib. de Anima dicemus.

Hinc tres conditiones requiruntur ad discursum, ut notat Barg. q. 4. prol. §. Ergo Theologia in se non est scientia, ex Maur. super qu. 26. univ. prima, quod intellectus intelligat hoc post hoc, secunda, quod intelligat hoc per hoc, tertia, quod diversis actibus concipiat antecedens, & consequens; prima deducitur ex eo, quod discursus est quedam via a termino a quo ad terminum ad quem; prior autem est terminus a quo; secunda provenit quia objecta habent ad invicem dependentiam in cognoscendo. tertia est necessaria, quia ut diximus, non sufficit ordo inter objecta, sed exigitur quoque inter assensus, quare discursus sit, cum ex noto progredimur ad ignotum, sive notum sit causa, sive effectus, quas conditiones in sequentibus discutiemus. Unum est hic advertendum, quod cum dicitur consequens debere esse ignotum, non intelligitur in ipso actuali discursu, quia tunc adest assensus, & cognitio illius, sed ante, non quod semper debet esse necessario totaliter ignotum, quia sapius discurremus de his, quæ sunt nota nobis, sed vel quod sint ignota quoad illationem, & dependentiam ab antecedenti, vel saltem quoad actualem cognitionem, licet habitualiter cognoscamus illa.

4. Concludendum est igitur, tunc intellectum discurre, cum assentit consequenti per antecedens tanquam per causam saltem in cognoscendo. Ceterum an de ratione discursus sit assensus, tam antecedentis, quam consequentis, & num illatio illa sit actus a cognitione consequentis distinctus realiter, vel solum formaliter, & num ultra hos actus requiratur cognitio quedam reflexa, quæ intellectus advertit consequens illud esse secundum regulas logicales deductum, virtute cujus reflexionis firmiter adhaereat conclusio, pertinet ad animaliticos decidere: pro nunc posset dici cum communiori assensum antecedentis esse quidem necessarium, non tamen ut formaliter, & essentialiter integram discursum, sed ut causam illius, ratio esse potest, quia tertia operatio non est quid aggregatum ex pluribus actibus, sed una simplex qualitas, sicut ceteræ operationes, & potius assensus antecedentis pertinet ad secundam operationem, quæ necessario præsupponi debet ad tertiam. Neque illatio debet poni assensu realiter ab assensu conclusionis distinctus, sed erit ipse assensus ut causatus ab assensu antecedentis, quod videtur innuere Scotus quæst. 3. prol. in quæst. 4. collat. A., & Licher. ibi, dum ait ad discursum sufficere, quod principium sit prius naturaliter notum, & ut sic sit causatum alterius extremi discursus, unde illatio erit casualis, & dependentia assensus conclusionis a præmissis, quod etiam patet ex ipso nomine, nam deductio, & illatio dicitur habitudinem deducti ad id, ex quo deducitur, casualis vero ex dictis in Phys. disput. 5. qu. 2. dicit relationem effectus ad causam. Tandem non videtur semper necessarius actus ille reflexus, quia præmissa, quando sunt evidenter nota, habent sufficientem virtutem movendi intellectum ad assensum Concl. quo casu virtualiter intellectus iudicat illam consequentiam esse rectam, & juxta regulas, & logica præcepta; in aliquibus tamen casibus, quando non est ita evidens deductio ex præmissis, potest contingere, ut maneat suspensus intellectus, quousque reflectendo supra actum cognoscat bonitatem illationis, qui actus non videtur formaliter discursus, sed potius approbatio quedam, & affirmatio rectitudinis illius, unde semper est affirmativus, quando discursus est rectus, & negativus, quando est falsus, sive conclusio deducta sit affirmativa, sive negativa; & hæc sat erunt pro declaratione discursus in præsentis.

5. Pro explicatione alterius termini, scilicet, argumentationis, solum recolenda sunt, quæ diximus 1. par. Instit. tract. 3. ubi definitionem argumentationis, ejusque species declaravimus, & præcipue, quod in qualibet argumentatione sunt tria, scilicet antecedens, & dicitur terminus inferens, consequens, qui terminus vocatur illatus, & consequentia, seu illatio: item quod entimema, inductio, & exemplum non differunt essentialiter a syllogismo, unde in rigore syllogismus, & argumentatio sunt idem inter se, & non nisi accidentaliter possunt differre.

Quæst. I. An discursus differat ab argument.

His præhabitis, quoad quæstum principale, qui sufficere syllogismum essentialiter esse præmissas recte dispositas, conclusionem vero esse terminum, & effectum syllogismi, quales fuerunt Alb. tractat. 1. Prior. capit. 5. Achill. quæst. de potest. syllogism. Nyphus 2. Prior. capit. 2. com. 2. dub. 2. Marf. ibi quæst. 1. & alii; similiter, qui asserunt syllogismum essentialiter includere præmissas, & conclusionem, ut Conim. 1. Prior. capit. 1. quæst. 2. artic. 2. ad 4. Alriaga disputat. 15. Logic. section. 2. Morif. 1. Prior. dub. 2. & 3. & ex nostris Orbell. super lib. Prior. cap. primo, nisi idem asserant de discursu, necessario debent argumentationem a discursu distinguere.

Sed facilliter resolvitur quæstio, si diversas syllogismi acceptiones prænotabimus; syllogismus enim vel sumitur idealiter, & in actu signato, & ut sic accipitur ut unum intelligibile, incomplexum, definibile, &c. vel sumitur exercite, quatenus scilicet id, quod signabatur in syllogismo idealiter, exercetur ab intellectu a parte rei, & ut sic adhuc potest sumi dupliciter, vel objective, quomodo dicitur objectivas propositiones in modo, & figura dispositas, vel formaliter, & significat actum intellectus cognoscens propositiones objectivas; quod adhuc tripliciter potest esse, sive objective, sive formaliter accipiantur, nam vel significat totum id, quod intervenit in argumentatione, & sic dicitur tam præmissas, quam conclusionem, imo & terminos ipsos, licet remote, non propinque; sicut termini sunt materia remota, & etiam illationem, vel formaliter, si syllogismus formaliter sumitur, vel objective, si accipitur objective, vel sumitur ut dicit præmissas solum, vel conclusionem solum, ut tamen a præmissis illatam.

6. Itæ acceptiones ostendi possunt ex attributis, quæ de syllogismo ab Arist. & Doctoribus solent enunciari; nam de syllogismo dicitur, quod est instrumentum sciendi; directivum tertiæ operationis intellectus, quod verificatur de ipso in actu signato sumpro, nam in actu exercito potius est operatio directa, quam instrumentum dirigens, & in hoc sensu, quia habet dirigere tam præmissas, quam conclusionem, utrumque respicit tanquam objectum, & materiam, circa quam versatur, unde tam præmissa, quam conclusio reponuntur in ejus definitione. Dicitur etiam syllogismus constare ex tribus terminis, & duabus propositionibus 1. prior. cap. 25. eodem syllogismo posse plures conclusiones inferri 2. prior. cap. 1. syllogismus demonstrativus per conditiones præmissarum definiti 1. Post. cap. 2. ostensivum a ducente ad impossibile differre penes præmissas 1. prior. section. 2. cap. 2. item habere vim probativam, esse causam conclusionis, & similia, quæ verificantur de syllogismo in actu exercito, non quidem ut conclusionem dicit, sed ut solum præmissas significat. Dicitur etiam syllogismus esse unionem extremitatum, ex una universali, & altera particulari fieri syllogismum particularem, ita 1. prior. cap. 5. & seq. syllogismus monstrari 2. prior. cap. 11. syllogismus dialecticum ex probabilibus esse collectum 1. top. cap. 1. declarare passiones, & accidentia 1. Post. text. 57. multa alia, quæ non nisi de syllogismo, ut dat præcisè intelligere conclusionem, verificantur. Dicitur quoque syllogismus constare ex præmissis, & conclusione, ut in ipsius definitione, præmissas esse materiam, conclusionem formam syllogismi, & 1. Post. 3. tria esse in demonstratione, id, quod monstratur, & est conclusio, ex quibus idest principia, & de quo, scilicet, subiectum, item esse quoddam totum artificiale; quæ omnia tribuuntur syllogismo, ut est quid ex præmissis, & conclusione aggregatum. Nec est mirum, si tam diversas habet acceptiones, quia vocabulorum significationes ex utroque quantum proveniunt.

Proprie tamen loquendo syllogismus exercite conclusionem significat ut ex præmissis illatam, probatur, quia proprie loquendo syllogismus in actu exercito debet concipi ut unum per se, ergo non potest significare præmissas, & conclusionem, quia esset quid aggregatum, neque præmissas solum, quia syllogismus est quid pertinens ad tertiam operationem intellectus, præmissa vero sunt aliquid secundæ operationis, & solum præsuppositive spectant ad tertiam, sicut secunda operatio, & solum prærequiritur tertiæ; at conclusio illata, si objective sumatur, est objectum tertiæ operationis, si formaliter, est ipsamet tertia operatio; tum quia syllogismus est notitia discursiva, sed hæc notitia est cognitio conclusionis ex præmissis, ut ait Arist. 1. Post. 1. omnis doctrina discursiva ex præmissis fit cognitio, ergo, &c.

7. Ex his patet solutio quæstionis, nam si argumentatio idealiter sumatur, erit a discursu distincta, ut directio a directo; si in actu exercito, & objective, erit etiam distincta, sive pro conclusione, sive pro præmissis, sive pro utroque simul accipiantur, sicut actus ab objecto distinguitur. Si vero formaliter, & pro præmissis tantum accipiantur, distinguatur, sicut secunda operatio a tertiæ; at si pro aggregato, esset distincta sicut totum integrale ab aliqua parte, nisi nomen discursus velimus extendere ad omne illud, quod necessario intervenit in tertiæ operatione, ut faciunt aliqui: attamen proprie loquendo discursus, & argumentatio non differunt, quia ut patet ex dictis, per utrumque significatur conclusio, ut ex præmissis deducta.

Sed contra prædicta argum. primo, quod syllogismus proprie loquendo dicitur præmissis, & conclusionem, & per consequens, quod proprie sit a discursu distinctus; tum quia propria, & formalis acceptio syllogismi est, quæ per definitionem exprimitur, sed in definitione syllogismi tam præmissis, quam conclusio exprimitur. Tum 2. quia syllogismus est quidam motus de præmissis notis ad conclusionem ignotam, sed ad rationem motus spectat uterque terminus a quo, & ad quem. Tum 3. non minus est de essentia alicujus compositi forma, quam materia, sed conclusio est forma, præmissæ materia, ergo, &c. Tum 4. divisio syllogismi per figuras, & modos est divisio syllogismi proprie accepti, sed hæc fit penes variationem præmissarum, & conclusionis, ergo, &c. Tandem Arist. 1. Elench. cap. primo, negat syllogismum peccantem in forma esse verum syllogismum, & tamen tunc intellectus adhuc discurreret, ergo discursus, & syllogismus differunt.

8 Respond. hæc argumenta consilii posse de discursu, quod significet formaliter tam assensum præmissarum, quam conclusionis, itaut sit quid ex secunda, & tertia operatione aggregatum, quod est falsum; dicimus ergo, vel definitionem illam competere syllogismo in esse ideali, & signato, quo sensu tam præmissæ, quam conclusio non sunt de essentia, sed potius connotata, & extrinseca; vel definiti, ut utrumque significat; vel tandem si in propria acceptio definitur, essentia ipsius consistit in ly *neceffe est aliud evenire*, præmissæ vero ponuntur tamquam terminus habitudinis conclusionis. Ad 2. per idem, tum quia magis pertinet ad motum terminus ad quem, unde specificatur, quam terminus a quo; tum quia non est proprie motus, sed metaphorice. Ad 3. præmissæ, & conclusio dicuntur forma, & materia syllogismi, quatenus est artificiosum quoddam, tum quia metaphorice sunt materia, quatenus conclusio ex illis deducitur, in quibus erat potentialiter. Ad 4. ut illa divisio dicatur propria generis in species, debet accipi syllogismus ut unum per se, quomodo sumitur, vel in esse ideali, vel ut dicitur conclusionem ex præmissis deductam, qua ratione ex diversitate præmissarum colligitur divisio syllogismorum tamquam ab extrinsecis, nam alia, & alia conclusio est formaliter, quæ a diversis principiis demonstratur, quamvis sit de eodem subiecto, & prædicato; quia medium spectat ad objectum formale in syllogismo, a quo movetur intellectus ad conclusionis assensum. Ad ult. patebit disp. 14. q. 3.

Secundo potest idem ostendi ex alio capite, scilicet, quod est syllogismus dicitur conclusionis assensum, ut ex principiis causatum, non tamen hunc assensum dicitur discursus. Tum quia discursus formaliter consistit in iudicio illativo, sed hoc supponit assensum præmissarum, & conclusionis, sicut iudicium secundæ operationis præsupponit apprehensionem terminorum. Tum 2. iudicium illativum est causa, vel saltem causatio assensus conclusionis, ergo non est ipse assensus. Tum 3. quia assensus iste est secunda operatio intellectus, & illa dependentia a præmissis non variat essentialiter conclusionem, nam etiam termini in apprehensione possunt adinvicem dependere, & tamen hæc dependentia non variat essentialiter primam operationem, ergo assensus iste non erit tertia operatio, quæ est secunda essentialiter diversa. Tum 4. formalitas discursus explicatur per ly *ergo*, qui non correspondent præmissæ, quia præcedunt, non conclusio, quia succedit, ergo aliquid aliud erit formalitas discursus. Tandem in falso syllogismo, vel ex non significantibus formato, adest syllogismus, non tamen assensus intellectus; item propositio hypothetica conditionalis est quædam argumentatio, quia dicitur habere vim illativam, & tamen nullus est assensus intellectus, imo propter conditionalem particulam manet intellectus suspensus, ergo syllogismus est a discursu distinctus.

9 Resp. hæc argumenta petere majorem discussionem de formalitate discursus in lib. de An. d. 6. q. 10. art. 3. proponendam; pro nunc supposita adducta opinione de quidditate discursus tamquam communiore; ad 1. dicimus iudicium illativum esse actum intellectus cognoscens, cuius objectum necessario vel erit conclusio, vel præmissæ, ut eam inferentes, aliud enim non datur in syllogismo; illatio enim fertur in dependentiam conclusionis, quæ est realiter cum conclusione identificata, quia nequit dari conclusio, ut conclusio, sine dependentia ad præmissas, quamvis possit esse in ratione simplicis propositionis; quapropter negatur omnimoda paritas, quia termini possunt cognosci absque illa connexione, & ideo ut connexi cognoscantur actu distincto ab apprehensione; non sic conclusio, quæ statim ab cognoscitur ut conclusio, cognoscitur cum illa dependentia, & consequenter iudicio illativo; nisi velimus dicere cognosci simpliciter iudicio, ut propositio est, quo sensu concedimus iudicium illativum esse ab illo assensu distinctum. Ad 2. illatio illa se habet ut causalitas passiva in conclusione, in præmissis vero ut causalitas activa, & quia habitudo illa est realiter identificata, ideo non dicimus discursum esse solum illationem passivam, sed iudicium illatum. Ad 3. neg. Assumptum, nam per istam illationem, & deductionem differt 3. operatio a 2. quæ dependentia non reperitur in simplici apprehensione, nam ut notat Averfa quæst. 25. sec. 1. potest aliquando intellectus

per apprehensionem unius termini excitari, & facilitari ad apprehensionem alterius, sicut ex cognitione unius complexi ad cognitionem alterius. propter quandam affinitatem, propinquitatem, & similitudinem inter illa reperta, nunquam tamen apprehendit unum ex vi apprehensionis alterius, quæ apprehensio fit causa inferens aliam, ut evenit in discursu. Ad 4. potius est pro nobis, nam per ly *ergo* explicatur dependentia conclusionis, & per consequens discursus erit cognitio conclusionis illatæ. Ad 5. resp. Averfa, in illis casibus non dari in intellectu discursum, sed solum 2. operationem, quia apprehendit syllogismos illos objectivos, & iudicat esse bonam, vel malam consequentiam iudicio quodam approbativo, ut diximus explicando formalitatem discursus; idem dicendum de propositione hypothetica conditionalis, quæ intantum dicitur illativa, quia potest resolvi in argumentationem, itaut sit absolute assentiret intellectus antecedenti, jam deduceretur statim consequens, at quoniam manet suspensus assensus circa antecedens, suspenditur etiam circa consequens assensus, non ob id tamen syllogismus pro formali conceptus erit a discursu distinctus, sed tantum pro conceptu objectivo.

Q U E S T I O I I.

An assensus conclusi. debeat esse distinctus ab assensu præmissarum.

10 Cham. q. 3. prol. qu. 8. collat. concl. 3. Gabr. ibi. qu. 8. sustinent non necessario præmissarum assensum debere distingui ab assensu conclusionis, sed eodem actu præmissas, & conclusionem attingi, citatur ab Amic. pro hac sententia Doctor, sed falso, ut videbimus. Alii quamvis concedant diversitatem assensuum, non solum considerando principia in se, ut ex terminis sunt intelligibilia, & conclusionem ex se, ut est quedam propositio ex cognitione terminorum cognoscibilis, hoc enim ab omnibus conceditur, & pertinet ad 2. operationem, verum etiam ut habent inter se ordinem, & dependentiam, quatenus conclusio intelligitur propter præmissas, qui est actus tertiæ operationis, addunt tamen, quod quamvis præmissæ cognoscantur diverso actu, assensus conclusionis deinde non solum attingit conclusionem, sed etiam præmissas, ita ut intellectus attingat principia primo assensu principiorum; deinde assensu conclusionis per quandam repetitionem iterum cognoscit principia: quod aliqui explicant, quia principia sunt objectum formale motivum intellectus ad assentiendum conclusioni, quæ est objectum materiale, eodem autem actu attingitur objectum materiale, & formale, hinc inferunt, assensum principiorum formaliter includi in assensu conclusionis: ita Capr. 1. d. 1. q. 2. ad arg. contra 4. concl. Sonc. 6. Met. q. 10. Cajet. p. 2. q. 8. art. 3. Met. ibid. Ruv. 1. Post. c. 1. q. 8. Arriaga disp. 15. Log. sect. 4. Amic. tr. 23. disp. 2. q. 5.

11 Dicimus diverso actu intellectum attingere principia, & conclusionem, nec attingendo conclusionem eodem actu attingit principia, quamvis dependentem a principiis eliciatur conclusio assensum. Conclusio est Scoti qu. 3. prol. in 4. collat. A, ubi docet scientiam, quæ est cognitio conclusionis, causari a cognitione principiorum, esseque diversum actum, idem habet in 3. d. 24. q. un. B. ubi ponit essentialiter dependentiam evidentiam conclusionis a principiis; & d. 28. in fine ponit distinctionem realem, quibus in locis videtur etiam docere secundam partem, quod scilicet non requiritur illa repetitio notitiæ principiorum, nam absolute docet habitum principiorum præcedere, & habitum conclusi. subsequi; quod etiam clare insinuavit 1. Post. quæst. 8. & 9. ubi loquens de ordine cognitionis præmissarum, & conclusionis, nullam fecit mentionem de illa repetitione, ipsum sequuntur Scotistæ omnes Lich. Tar. Barg. super pro l. cit. Poncius hic, & Averfa q. 25. sect. 2. Prima pars, quod sint distincti actus, prob. ex Arist. 1. Post. c. 1. dicente, omnem notitiam discursivam fieri ex præexistenti cognitione, ex quo deducit notitiam conclusi fieri ex præexistenti cognitione præmissarum. Tum 2. quia principia, & conclusio valde differunt, nam illa sunt notiora, priora, & causæ, conclusio est minus nota, posterior, & effectus; illa quandoque sunt universalis, & affirmativa, hæc quandoque particularis, & negativa, vel e. contra, quæ omnia inferunt actuum distinctionem. Tum quia habitus speciei distincti solum ab actibus diversæ speciei producuntur, non eisdem speciei, sicuti habitus isti ad actus specificos diversos inclinant; sed habitus principiorum, qui dicitur intellectus, est speciei distinctus ab habitu conclusionis, qui est scientia, ergo &c. Tum quia ad discursum exigitur dependentia, non solum inter objecta, verum etiam inter actus, ut dicebamus in præc. q. Tandem in demonstratione ab effectu præmissæ dicuntur causæ conclusionis, quod nequit verificari de rebus per præmissas significatis, quia in illis continetur effectus, in conclusione causa, ergo de cognitione præmissarum, seu de effectu, ut cognito, quatenus intellectus ex cognitione effectus infert, & elicit cognitionem causæ, ergo hæc cognitio erit ab illa realiter distincta, cum sit causata, & illa sit causa.

12 Secunda pars potest primo prob. iisdem arg. adductis; si enim concludunt diversis actibus cognosci necessario

debere conclusionem, & principia probant etiam assensum conclusi non attingere formaliter principia, aliter idem actus produceret habitus principiorum, & conclusionis; ut terminaretur ad principia, esset causa sui ipsius, ut respicit conclusionem, idem terminaretur ad objecta, tam inter se diversa, ut sunt principia, & conclusio, & alia sequuntur consimilia absurda. Resp. Ruvius, & Amic. non sequi ea absurda, quia principia non attinguntur ut *Quod* ab assensu conclusionis; sed ut *Quo*, quia sunt rationes assentiendi, at ab assensu principiorum attinguntur ut *Quod*, implicat autem eundem actum habere principia, & conclusionem, ut objecta *Quæ*, non autem quod conclusio sit objectum *Quod*, & principia objectum *Quo*: explicant exemplo lucis, & coloris, nam lux est ratio, qua videtur color, & sine luce non videretur, & tamen attingitur, ut *Quo* eadem visione, sic assensus principiorum se habet, ut manifestans veritatem conclusionis; addunt deinde assensum principiorum includi in assensu conclusionis intrinsece, sed quia assensus conclusionis ordinem dicit essentialiter, & intrinsecum ad illum.

Sed hæc responsio est tantum verbalis, in re tamen coincidit cum nostra sententia, cum enim dicitur principia respectu assensus conclusionis esse objectum *Quo*, vel intelligunt assensum illum terminari ad aggregatum ex principiis, & conclusionem explicite, & formaliter, & hoc est falsum, quia illud terminat assensum conclusionis, quod explicatur per ipsam conclusionem, ut recte ait Averfa, tale autem est subiectum, & prædicatum, & ly *ergo*, quod solum significat dependentiam conclusionis a principiis, dependentia autem formaliter non est id, a quo aliud dependet, sed respicit illud ut terminum, ergo sicut conclusio objectiva non includit nisi majorem, & minorem extremitatem; & dependentiam a præmissis, ita conclusio formalis, qui est assensus, non nisi ad illa terminabitur; vel intelligunt assensum illum terminari ad conclusionem, ut dependentem a principiis, qua ratione principia pertinent ad assensum conclusionis, ut terminus illius dependentiæ, & hoc est verum, non recte tamen deinde inferunt, assensum principiorum includi in assensu conclusionis, & eundem esse, sicut neque cum cognoscimus creaturam, ut dependentem a Deo, & universaliter cum cognoscimus effectum provenientem a causa, sequitur causam includi in effectu, Deum in creatura, & cognitionem unius esse cognitionem alterius.

13 Præterea de ratione syllogismi est, quod medium non includatur in conclusione, sed tantum in præmissis, aliter conclusio non differret a præmissis, sed si assensus conclusionis attingeret præmissas, iam attingeret medium contra regulas optimi syllogismi.

Responder Arriaga, medium non debere reperi, in concl. per vocem, quia loco ipsius ponitur ly *ergo*, at in mente debet repeti, quæ repetitio dicitur, ly *ergo*. Contra, regula syllogismorum non datur de vocali, nisi in quantum exprimit mentalem, & quodcumque vocalis conformatur cum mentali, itaut exprimat illum sicuti est, rectus est, & verus syllogismus censetur, ergo si in vocali non debet fieri repetitio medi in concl. multo minus in syllogismo mentali. Tum quia si ly *ergo* in mente significaret repetitionem medi, & principiorum, itaut idem sit dicere *homo est animal, Petrus est homo, ergo Petrus est animal*, ac dicere, *homo est animal, Petrus est homo, est etiam animal, quia est homo, & homo est animal*, ut vult Arriaga, iam conclusio non esset una categorica propositio, sed hypothetica; imo esset totus syllogismus, quod est falsum, ergo assensus concl. non exprimit conclusionem, & principia. Tum quia hæc principiorum repetitio non videtur fieri, nisi per actum quemdam reflexum, quo intellectus cognoscit conclusionem illam esse recte deductam ex principiis in virtute illius principii, quæ sunt eadem unitertio, sunt eadem inter se, ut ipsemet Arriaga advertit sect. 3. qui actus non semper requiritur necessario ad discursum, nec est tertia operatio intellectus, sed secunda, vel prima, ut diximus q. præc. & dato, quod requiratur, saltem est necessario ab assensu conclusionis distinctus, hic enim est actus rectus, & procedit viam compositivam a principiis ad conclusionem, ille reflexus, & procedit resolutivæ a concl. ad principia resolvenda, ergo per assensum concl. non attinguntur denuo principia. Quibus rationibus impugnat etiam responsio Ruvii dicentis medium non repeti in concl. ut *Quod*, sed ut *Quo*, nam nisi velit tantummodo circumscribere dependentiam illam, necessario deberet fieri concl. esse propositionem hypotheticam, totum syllogismum, & includere actum reflexum.

14 Contra arg. primo ostendendo eundem omnino actum posse esse respectu concl. & præmissarum. Tum quia quando pluribus actibus unum per aliud cognoscitur, est discursus, ergo quando per unum actum æquivalentem illis pluribus unum objectum per aliud cognoscitur, talis actus erit discursus, sed potest hoc facere intellectus, quia quæ sunt in inferioribus dispersa, sunt in superioribus unita, ergo si cogitativa v. g. pluribus actibus potest cognoscere unum propter aliud, intellectus poterit ista cognoscere unico actu. Tum 2. quia si hoc modo non explicaretur tertia operatio, sed quia unum iudicium est ab alio causatum, non

differret a secunda essentialiter, sed esset quid aggregatum ex multis secundis operationibus. Tum 3. sapientia est habitus principii, & concl. simul, ergo idem actus erit utriusque, quia unus habitus ab unico actu specie causatur, antec. prob. per hoc enim differt a scientia, & intellectu, quia illa est habitus conclusi. iste vero principiorum, at sapientia est utriusque, & eminenter est uterque habitus, unde dicitur 6. Eth. c. 7. sapientiam esse scientiam, & intellectum, scilicet eminenter, & cap. 8. sapientis esse, non solum circa conclusionem, sed etiam circa principia dicere verum, insuper sapientis esse, de quolibet habere demonstrationem.

Resp. admissio, quod possit intellectus illa plura unico actu cognoscere, negamus tamen actum illum discursum esse, sed vel primam vel secundam operationem intellectus ex dictis quæst. præc. ubi etiam ex solutione ad 2. princ. patet responso ad 2. Ad 3. dicimus sapientiam dupliciter posse sumi, vel pro qualibet facultate intellectiva, prout cum sophia convertitur, & sic non est determinatus habitus ab aliis distinctus, vel pro notitia primorum principiorum, ac universalium causarum; similiter scientia potest sumi dupliciter, vel pro qualibet demonstrativa cognitione, & ut sic a sapientia non distinguitur, vel pro illa scientia, quæ specialia subiecta, & principia speculatur, quo sensu a sapientia distinguitur, quæ universalissimas causas, & prima principia contemplantur, qualis est metaphysica, cuius munus est principia aliarum scientiarum probare, qua ratione potest dici scientia, & intellectus eminenter; hinc ad arg. negamus sapientiam esse unum habitum principiorum, & conclusionis sed esse habitum conclusionem ex primis principiis deducturam, & per hoc a scientia, & intellectu distinguitur, ut patet ex dictis. Arist. vero vel loquitur de sapientia universaliter sumpta, vel de propria sapientia, quatenus habet probare principia aliarum scientiarum, respectu quorum in illis scientiis erat habitus intellectus, vide disp. 1. Met. q. 4.

15 Secundo arg. quod assensus concl. attingat etiam principia, & quod includat aliquo pacto assensum principiorum. Tum quia eodem actu potentia tendit in objectum formale, & materiale in objectum *Quod*, & rationem *Quæ*, ut patet in exemplo coloris, & luminis, sed præmissæ sunt rationes assentiendi, conclusio est, quæ concipitur ab intellectu, ergo &c. Tum 2. eodem actu voluntas fertur in finem, & in media, quia hæc sunt voluta propter finem, ergo eodem actu tendit intellectus in conclusionem, & in præmissas, quia illam cognoscit propter istas. Tum 3. non sufficit, ut medium cognoscatur in præmissis, ergo debet cognosci in conclusione, & sic idem assensus circa conclusionem, & præmissas, antec. prob. quia causæ debent esse simul cum effectu, effectus medi est inhærentia prædicati cum subiecto, de qua non fit mentio in præmissis, quæ dicitur præcognita, sed in concl. ergo in concl. debet includi medium.

Resp. ex Averfa duplicem esse rationem cognoscendi, aliam in qua seu per quam, & hæc eodem actu cognoscitur cum objecto *Quod*, ut patet de lumine, & colore, aliam ex qua aliud cognoscitur, ut sunt præmissæ respectu concl. & hæc sufficit, ut cognoscatur simul, non tamen eodem actu. Ad 2. concesso pro nunc assumpto, de quo in lib. de anim. disp. 7. qu. 7. art. 2. responder Doctor 3. qu. 28. ad 3. neg. paritatem quia in fine, & mediis est unica bonitas, & ideo posset admitti unicus actus circa finem, & media, at in principiis, & in conclusione est duplex veritas alterius rationis, illa enim est immediata, ista mediata, ideo debet esse duplex assensus alterius rationis, & per consequens idem assensus non poterit ad utrumque terminari. Ad 3. sufficit, ut sint simul cognita non eodem, sed diversis actibus, ut dicemus q. 4.

Tertio ad idem ex Arriaga. actus iste, quo quis ex cognitione quod omnis homo sit animal, & Petrus sit homo, deinde dicit; *ergo Petrus est animal*, differt ab illo, quo absolute dicit *Petrus est animal* absque respectu ad præmissas prius cognitatas; ergo præter inhærentiam animalis in Petro aliquid aliud explicatur, & attingitur per primum actum formaliter respondens ad ly *ergo*, quod non exprimitur per secundum actum; tale autem nequit esse, nisi objectum præmissarum, ergo assensus conclusi formaliter attingit, & exprimit præmissas, min. subillata sprob. (nam primum argumentum patet, cum primus actus dicitur conclusio, & tertia operatio, secundus dicitur simplex propositio, & secunda operatio) si non exprimeretur objectum præmissarum, aliud non posset assignari, nisi dependentia conclusi a principiis, sed nequit hoc dici; tum quia hæc veritas, quod Petrus sit animal, est ex se independentem a præmissis cognoscibilis, ergo poterit quis asserere hæc veritatem per primum actum independentem a præmissis cognosci, nec contra ipsum posset aliqua ratio adduci, nisi quia ad illa formaliter attingit præmissas; tum quia dependentia illa physica non cognoscitur per actum illum conclusionis.

16 Resp. faciliter concedendo actum conclusionis non exprimeret formaliter nudam, & præcisam veritatem propositionis, sed aliquid aliud per ly *ergo* denotatum, tale autem non est objectum præmissarum, sed dependentia veritatis

conclusionis a veritate præmissarum tamquam a causa, & ad primam impugnationem negamus per actum conclusionis posse exprimi veritatem illam independentem a præmissis, quia in suo conceptu formali dicitur actus ille dependentem, esseque veritas mediata cognita per præmissas, ergo ab isto respectu nequit præscindere, & hoc innuit Scot. cum 1. Post. q. 9. in fin. ait, *ex hoc cognoscimus diversitatem conclus. & principiorum, quia conclusionem non cognoscimus, nisi quia præcognitis præmissis*. Ad 2. impugnationem dicimus per assensum conclus. non exprimi dependentiam ipsius assensus ad assensum præmissarum, hoc enim non requiritur, sed exprimitur dependentia objecti conclus. ad objecta præmissarum, quia per talem assensum intellectus percipit veritatem conclus. esse mediatam. & a veritate præmissarum causatam. Dices, ergo jam attingit præmissas, quia relatio nequit concipi sine extremis. Concedimus attingi præmissas, non tamen eodem actu conclusionis, sed diverso, qui dicitur assensus principiorum, nec requiritur ad relationem, ut eadem cognitione percipiatur relatio, & simul extrema, sed sufficit, ut diversis actibus, sed in eodem instanti temporis; sicut neque cum cognoscimus effectum, eodem actu cognoscimus causam, sed diverso licet simul tempore.

Quarto ex eodem; fundamentum totius discursus est illud principium, *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*, ex dictis 1. p. Inst. tr. 3. ca. 6. ergo ne dicamus intellectum in discursu inniti fundamento, quod ignorat, & de quo non cogitat actu, debet in assensu conclus. illud aliquo pacto cognoscere, & hoc erit attingere objecta præmissarum, quatenus cognoscit Petrum esse animal, quia hæc extrema sunt eadem cum tertio, scilicet, cum homine, nam si identitas cum tertio est ratio assentiendi, ut moveatur intellectus ad assensum, debet apprehendere rationem assentiendi. Tum 2. actus, quo quis credit fuisse Alexandrum, quia Deus in Sacra Scriptura id revelavit, & ipse Deus est verax, qui nequit mentiri, est intrinsece supernaturalis, cui non potest subesse falsum, ergo intrinsece attingit objecta præmissarum, scilicet, revelationem, & veracitatem divinam, Prob. conseq. quia si ea non attingeret intrinsece, non esset illis intrinsece innixus magis, quam actus, qui testimonio nititur humano. Quod enim ab assensu præmissarum supernaturali proveniat, non efficit, ut sit supernaturalis, quia multa a supernaturalibus pendet, quæ tamen sunt naturalia, nam superbia Angeli habuit dependentiam a donis supernaturalibus acceptis, doctor in eisdem de amissa gratia ab ipsa gratia existentia dependet, ergo &c.

17 Resp. ad 1. ex ipso Arriaga non cognosci illud principium in se, & in actu signato, & universaliter, sed in particulari, & in actu exercito, quatenus assensus conclusionis est quasi virtualiter supra seipsum reflexus, & virtualiter iudicat intellectus per illum actum consequentiam illam esse rectam iuxta regulas, & præcepta logicalia, aliter si requiretur actus ille reflexus explicite, nullus rusticus discurreret, nesciunt enim sic supra proprios actus reflectere, nec conclusionem in sua principia resolvere, aut saltem rarissime discurrerent, quod est falsum; nec urget, quod addit de ratione assentiendi, quia non dicimus hanc esse prout ignorat intellectui, quia per assensum principiorum recte, & distincte percipitur, sed non cognosci per assensum conclusionis, immo hoc est necessarium, quia assensus conclus. causatur ab assensu præmissarum, ergo nequit formaliter esse assensus præmissarum, aliter idem esset simul causa, & causatum; causa, quatenus attingit principia, quæ relatio causæ explicaretur per ly quia in repetitione principiorum in sententia ipsius, & causatum, ut respicit conclusionem. Ad 2. admissio, quod actus ille sit supernaturalis, non quia attingit objectum super naturale, sed solum quia causatur a motivo supernaturali; adhuc impugnationi non urget, aliud enim est aliquid pendere ab aliquo supernaturali occasionaliter, & ut a quadam conditione, ut in illis exemplis adductis evenit, aliud pendere tanquam a causa per influxum physicum, primo modo concedimus aliquid naturale a supernaturali posse pendere, non secundo modo, quo sensu conclusio penderet ab illis præmissis.

Denique Ovvied. etiam nuper contr. 9. Log. punct. 3. oppositam sententiam profitetur, ut omnium communem, quam duplici ratione probat; prima est, quia præmissæ sunt causæ conclusionis, & natura priores conclusionem, ergo antequam intellectus eliciat conclusionem, supponuntur præmissæ, & ex vi illarum applicatum objectum præmissarum, deinde objectum præmissarum est motivum sufficienti, ut ex vi illius intellectus eliciat conclusionem, ergo intellectus, cum potentia sit necessaria, ex illo motivo conclusionem eliciet, non enim potest cohiberi proposito sufficienti motivo ad assensum, ne in illud feratur, sicut proposita albedine non potest potentia visiva nisi elicere visionis actum. Secundo arguit, quia aliqua debet assignari ratio, propter quam ex tribus assensibus, qui in discursu reperiuntur, duo habeant rationem præmissarum, & alius rationem conclusionis; sed non potest esse alia, nisi quia assensus conclusionis fertur in objectum præmissarum, tanquam in formale motivum, ergo, &c. Resp. hæc argu-

menta probare tantum veritatem conclusionis, ut sic, esse veritatem mediatam, ac proinde essentialiter dependentem a præmissis, & in ratione conclusionis non posse notitiam ejus haberi, nisi cum subordinatione, & dependentia ad præmissas, unde deducitur; ad hoc autem minime opus est, ut prætendat opposita sententia, quod assensus principiorum includatur formaliter in assensu conclusionis, & hic attingat intrinsece, & per seipsum objectum præmissarum, sed sufficit, ut attingat extrinsece, quatenus nempe objectum præmissarum est terminus dependentiæ veritatis conclusionis. Quod autem id solum probent hæc argumenta, immo nec aliud per ea Ovvied. probare voluerit, colligitur primo ex impugnatione cuiusdam responsionis, quam assert ad primum argumentum, quæ erat, positæ præmissis posse intellectum distrahari ad alia objecta, & ex defectu attentionis non elicere conclusionem propter motivum propositum præmissarum, sed propter veritatem, quam in se habet conclusio capacem terminandi per seipsum assertum conclusionis; quam responsionem impugnat Ovvied. quia hæc solutio admittit per se loquendo assensum conclusionis attingere præmissarum objectum; & nonnisi per accidens ex animi distractione oppositum contingere; Clarius adhuc hoc ipsum colligitur ex solutione ad 1. argumentum, quod assert in oppositum sub nu. 11. quod est tale objectum conclusionis habet ex se independentem ab objecto præmissarum sufficientem virtutem ad terminandum actum intellectus, ergo necessarium non est, quod objectum præmissarum attingatur per assensum conclusionis, cui argumento respondet Ovvied. objectum conclusionis habere ex se sufficientem virtutem ad terminandum actum intellectus pure iudicativum, sicut est actus quilibet præmissarum, non vero ad terminandum actum discursivum, seu conclusionis, qui in re sit conclusio, & a præmissis dependat; sane tota hæc doctrina est illa, quam tradidimus supra num. 16. non posse veritatem conclusionis, ut sic, haberi independentem a præmissis, quia ex sua ratione est veritas mediata cognita per præmissas; verum ut dicebamus, ad hoc salvandum minime opus est assensum principiorum formaliter in conclusione includi, aut assensum conclusionis formaliter, & intrinsece attingere objectum præmissarum, sed sufficit si attingat extrinsece, quatenus attingit veritatem mediatam, quæ dicit subordinationem ad præmissas.

QUESTIO III.

An præmissæ sint causæ conclusionis, & in quo genere causæ.

18 **Q**uestio posset intelligi de præmissis, & conclusione, vel objective, vel formaliter acceptis, & quomodocumque sumantur, certum est, præmissas non esse causas conclus. in genere finalis causæ, quia potius præmissæ assumuntur propter conclusionem, quam e converso; nec in genere materialis, aut formalis causæ intrinsece per veram compositionem, ita ut ex præmissis, & conclusione fiat unum per se physicam compositionem ex per se actu & per se potentia, ut omnes fatentur. Certum est insuper, conclusionem respicere præmissas ut causas, quod colligitur ex communi asserto conclus. fieri ex principis, nam ly ex vel dicitur habitudinem termini a quo, vel habitudinem causæ, hic non potest accipi in primo sensu proprie loquendo, quia terminus a quo recedit in adventu termini ad quem, præmissæ non recedunt, immo sunt simul cum conclusione, ergo dicitur habitudinem aliquam causalitatis. Hoc autem non erit universaliter verum de præmissis objective rentis, seu de rebus in seipsis, quia non semper discursus est a causa ad effectum, sed vel ab effectu, vel ab aliquo alio extrinseco medio; nisi velimus loqui de illis rebus in ordine ad intellectum quoad cognosci; nam potest esse, quod effectus sit notior sua causa, ideoque poterit excitare intellectum ad cognitionem causæ, sed hæc virtus non est in re secundum se considerata, sed ut actus intellectus substat, quapropter tota difficultas reducitur ad præmissas, & conclusionem formaliter sumptas, an scilicet assensus præmissarum sit aliquo pacto causa assensus conclus.

Prima opinio negat veram causalitatem inter hos actus, sed si aliqua reperitur, debere dici in genere causæ materialis extrinsece, eo quia termini, ex quibus constat conclusio, sumuntur a præmissis, a quibus potest dici ministrari materiam conclusioni, ita Rubion. quaest. 8. prol. art. 4. & citantur pro hac sententia Dur. 2. d. 2. qu. 2. & Apoll. 1. Post. quaest. 2. Alii reducunt hanc causalitatem ad genus causæ formalis extrinsece, quatenus assensus principiorum informando, & illuminando intellectum determinat illum per representationem objecti, & medii ad hanc, & non illam conclusionem eliciendam; ita Hurr. disp. 7. de Anim. sect. 8. Morif. 1. Prio. dub. 6. & Arriag. disp. 15. Log. sect. 5. Communiori opinio est, quod hæc causalitas reducatur ad genus causæ efficientis; sed discrepant adhuc isti inter se, nam aliqui volunt non esse veram efficientiam, sed potius assensum præmissarum se habere ut conditionem agentis, & veluti instrumentum,

mentum, ita Averfa quaest. 25. Log. sect. 3. & Amicus tract. 25. disp. 3. quaest. 6. dub. 3. Cæteri vero admittunt veram, & partialem causalitatem effectivam, ut Nomin. & major pars Thomist. Scot. 1. Post. cap. 1. quaest. 1. ad 2. Tol. in exposit. primi text. not. 3. Rov. quaest. 5. Complut. disp. 17. quaest. 3. Jo. de S. Thom. 4. p. Log. qu. 24. art. 2. Didac. a Jesu disp. 16. quaest. 3. Blanc. disp. 1. de arg. sect. 3. & alii.

19 Dicimus, probabilis esse assensum præmissarum effective partialiter concurrere ad assensum conclusionis; ita expresse docet Doct. q. 1. Prol. ad 2. pro Philof. ubi contra D. Th. arguendo ait, *Præterea supponit, quod principia sunt distinctiva habitus conclusionis in alio genere causæ, quam ut principia effectiva, quod falsum est, quia si aliquam rationem causæ distinctivam habent ad habitus istos, non habent nisi rationem causæ effectivæ; & clarius hoc asserit 1. Post. q. 8. & 9. Tat. etiam 2. Prior. q. 1. ad 1. princ. & probatur, quia in præmissis adsunt omnia signa, quibus a posteriori arguitur aliquid esse ulterius causam effectivam, nam primo continet virtualiter concl. ut ait Ar. 1. Post. c. 1. & 2. deinde conclusio aliquo pacto assimilatur præmissis, nam ex certitudine, evidentia, & veritate præmissarum metimur certitudinem, evidentiam, & veritatem conclus. vel præmissæ sunt universales, vel particulares, necessaria, vel probabilis, aut falsa universalis, vel particularis, necessaria, vel probabilis, aut falsa erit conclusio; & tandem adest essentialis dependentia, ita ut si præmissæ non essent in intellectu, impossibile erit intellectum elicere conclusionem, quia conclusio, ut conclusio, dicitur ordinem ad præmissas, a quibus accipit suam veritatem, & si intellectus absque præmissis eliceret propositionem illam, non esset conclusio, sed essentialiter differret a conclusione, nam hæc est scientia, & tertia operatio, ubi illa esset simplex propositio, & secunda operatio; quæ omnia arguunt activitatem in præmissis respectu conclusionis; his enim rationibus Doctor 1. d. 3. q. 7. A. & S. Ad quaest. probat contra Henr. objectum esse partialem causam intellectus.*

20 Respon. solum ex his sequi, vel quod præmissæ sint conditiones sine quibus non, ut ait Averf. & Amic. vel, quod se habeant ut effectus prævii, ut ait Rubion. quia ratione nequit intellectus elicere conclusionem, nisi prius producat præmissas, propter ordinem istorum effectuum; vel tandem, quod sint causæ in genere causæ formalis illuminando, & terminando intellectum ad hanc, & non aliam conclusionem eliciendam, ut asserunt Hurr. & Arriag.

Verum adductæ rationes plus probant, si recte perpendantur, & primo, quod non se habeant ut conditiones; nam conditio sine qua non tunc requiritur, quando adest agens indispositum, vel impeditum, & illa conditio est quadam impeditum ablatio, ideo non dicitur causa effectus, ut patet in approximatione ignis ad lignum; et si agens, & patiens sunt debite approximata, non impedita, si non sequitur actio, signum est, quod agens non habet adequatum, & completam virtutem, sed petit suppleri ab alio, aliter præcluderetur omnis via ad ostendendam activitatem causarum, quilibet enim pro libito dicere posset, causam secundam v. g. esse conditionem, & effectum solum a prima dependere, ut in simili de objecto intellectus discurret Doct. cit. 1. disp. 3. quaest. 7. arguendo contra 1. opin. & sub litt. V. cum igitur intellectus ex se non sit impeditus ad agendum, nec ad recipiendum actum conclusionis, si haberet completam virtutem producendi conclusionem, ipsam produceret etiam sine præmissis, quod est falsum. Tum quia essentialis distinctio, inquit Doctor, non est ab eo, quod non est causa, præmissæ faciunt, originaliter saltem, differre conclusionem essentialiter, quia distinctio conclusionis probabilis, & necessaria est essentialis, & nonnisi a præmissis originaliter provenit. Et tandem, quia esse assimilativum, & virtualiter contentivum effectus non sunt attributa conditionis sine qua non, sed vere causæ.

21 Quæ rationes etiam demonstrant non esse effectus prævios, nec causas formales extrinsecas; istæ enim non influunt in effectum, sed si quam exercent causalitatem, hæc est erga intellectum ipsum determinando, & illuminando, ergo conclusio non deberet necessario assimilari præmissis, & per illas essentialiter distingui. Tum quia intellectus non solum est indeterminate ad producendum actum concl. sed etiam est incompletus, quoad activitatem, unde petit ab extrinseco determinari saltem a speciebus intelligibilibus, & compleri, ergo præmissæ non solum determinant intellectum erga conclusionem, sed etiam complerentur activitatem; assumptum patet; aliter nulla esset species erum indigentia, si se solo, & totaliter concurreret active ad actum, conseq. prob. quia si conclusio est prout ignota, nulla adest species ipsius impressa, ergo præmissæ tunc concurrunt speciei supplebunt, a nullo enim alio in hoc casu posset intellectus determinari, & compleri. Quod si dicas cum Arriaga, in eo casu concurrere species præmissarum, est voluntarie dictum; & saltem habebunt præmissæ concurrere mediatam ad conclusionem, sicut objectum mediante specie dicitur causa intellectus. Tum quia ut notat Compl. in assensu conclus. non solum reperitur ratio intellectus in communi correspondens intellectu,

qui, nec sola ratio intellectus talis objecti, correspondens speciei impressæ, sed etiam ratio intellectus discursivæ, quæ per se respicit præmissas, non intellectum, vel speciem, ergo sicut intellectus, & species ponuntur causæ activæ, ita quoque præmissæ. Tum quia, ut constat in lib. de Anim. bene potest unus actus vitalis physice in alium influere, sic enim in opinione multorum volitio finis effective causat volitionem medii; sic igitur in proposito poterit assensus principiorum immediate cum intellectu influere effective in assensum conclusionis, & non tantum mediantibus speciebus. Tum quia inquirunt, assentium conclusioni propter præmissas, ly propter est dictio causalis, vel causæ finalis, vel efficientis, non autem formalis, vel materialis, sed præmissæ non sunt causæ causalis, ergo efficiens.

Non negamus tamen præmissas, saltem objectives, posse dici aliquo pacto causam materialem, & formalem conclusionis; materialem, quatenus termini conclusionis sunt termini præmissarum, & formalem, quatenus præmissæ specificant conclusionem, specificatio autem videtur ad genus formalis causæ extrinsecæ pertinere.

In opp. arg. Tum quia in hoc enthymemate, omne animal rationale est homo, ergo Christus est homo, consequens non causatur ab antec. quia consequens est de fide, antec. est naturale, supernaturale autem non causatur a naturali, quod est imperfectius. Tum 2. assensus iste si esset causa, esset æquivoca, quia differunt speciei, quod est falsum, quia causa æquivoca est universalis, & remota, ut patet in collis, assensus vero est particularis. Tum 3. quandoque recordamur actus conclusionis, non præmissarum, ergo potest esse conclusio sine præmissis; Neque dicas, tunc non esse conclusionem. Quia ille actus causatur a specie derelicta, ab actu conclus. in memoria, ergo cum speciei non concurrat, nisi ad similes actus, ex quibus fuit producta, jam illa conclusio erit eadem speciei, five cum præmissis, five sine præmissis eliciatur. Tum 4. nequit intellectus elicere secundam operationem nisi prius habuerit apprehensiones terminorum, & tamen ex ista indigentia non arguimus causalitatem in prima operatione, erga secundam, ergo quamvis concl. pendeat a præmissis, & tertia operatio a secunda, non ob id debet dici causæ; eadem quoque dependetia est inter actum intellectus, & voluntatis, ut nequeat esse volitio objecti in voluntate, quin præciserit ejusdem intellectus in intellectu, & tamen actus intellectus non est causa actus voluntatis, juxta probabiliorum sententiam, quam sequitur Doct. 2. d. 25. Tum 5. est præmissæ possunt producere speciem intelligibilem, non ob id arguimus posse producere alium assensum ejusdem speciei, ad quem speciei illa potest concurrere, ergo multo minus poterunt concurrere ad assensum conclusionis, quæ est speciei distinctus; non enim videtur, quod unus actus intellectus sit alterius productivus. Tandem de ratione causæ effectivæ est, quod sit existens, ex dictis in Phys. d. 7. q. 4. art. 1. sed quando est assensus conclusionis, non est assensus præmissarum, quia sic præcedit, nec simul esse potest, ergo, &c.

22 Resp. ad 1. in illo enthymemate subintelligitur hæc minor, Christus est animal rationale, quæ in intellectu ad est, quamvis ore non proferatur, & est de fide, ideoque poterit illud consequens causare, quod non est de fide, sed potius conclusio Theologica, ut in simili dicemus infra d. 13. q. 3. ar. 2. Ad 2. non est de ratione causæ æquivocæ, quod sit universalis, nam objectum causat speciem, speciei operationem, operatio habitum, habitus actum, forma aquæ frigiditatem, & similia, quæ sunt æquivocæ causæ. Ad 3. negamus actum illum esse ejusdem speciei cum conclusionem, ut sæpius est dictum, ad prob. resp. vel quod alia species sit conclusionis, & alia simplicis propositionis, quamvis de eodem objecto materiali, quæ sit producta, quia quandoque intellectus formavit illam propositionem; vel si velimus asserere esse eamdem speciem, dicimus concurrere solum in quantum actus illi habent quandam inter se similitudinem, & convenientiam, tamen quia species illa per se sola non sufficit absque præmissis ad producendam conclusionem, & ipsa nequit excitare intellectum ad assensum præmissarum, idcirco mover ad simplicem propositionem eliciendam. Ad 4. resp. ex Scot. 3. d. 23. §. *Aliter*, concedendo terminos, quando evidenter cognoscuntur, causare notitiam principiorum, secus quando sunt invidentes, verum est tamen magis dependere tertiam operationem a secunda, quam secunda a prima, quia præmissæ per vim illativam, & impulsivam inferunt conclusionem, non sic apprehensio terminorum: tum quia tertia specificatur essentialiter, & distinguitur per secundam, quia conclusio demonstrata per principia physica distinguitur essentialiter ab alia de iisdem terminis, sed per principia mathematica ostensa. Negamus tamen actum intellectus esse causam volitionis, quamvis necessario prærequiritur, quia volitio non sequitur necessario ad intellectionem objecti, nec ab ipsa specificatur essentialiter; tum quia ex Lieb. 1. d. 3. q. 7. §. *In ista tamen ratione, est voluntas sit causa totalis suæ volitionis*, attamen est potentia naturaliter posterior intellectu, qua ratione nequit in actum exire absque operatione intellectus, non sic intellectus præsupponit actum alterius potentie, quare si habet ex se virtutem completam producendi aliquem actum, poterit illum elicere, remoto impedimento,

quod in proposito non adest, & tamen absque præmissis nunquam eliciet conclusionem, signum evidens non habere totalem vim, sed a præmissis necessario completi. Ad 5. hoc est de ratione causæ æquivocæ, quod possit effectum speciei distinctum producere, quamvis nequeat effectum ejusdem speciei efficere, quare non recte Arriaga ex hoc, quod unus actus non potest producere alterum numero distinctum, inferri non habere vim producendi alium speciei distinctum, dummodo virtualiter includatur in illo, sicut est conclusio respectu præmissarum; sic etiam secundum aliquos volitio finis effective causat volitionem medii, quam virtualiter includit, non tamen aliam volitionem finis. Ad ultimum dicemus in seq. qu.

Q U Æ S T I O I V.

An præmissa debeant prius cognosci, quam conclusio.

24. **C**Apr. 2. d. 3. qu. 2. ad 1. contra 6. concl. & alii sufficienter assensum præmissarum tempore necessario debere præcedere conclusionis assensum; Quamplures alii hoc asserunt de majori propositione, minorem vero simul esse cum conclusionis assensu. Communis opinio est in eodem instanti simul esse necessario debere assensum conclusionis, & principiorum, sed adhuc discrepant, quidam enim ajunt sufficere, ut præmissæ simul sint cum conclusione per habitus ex assensibus præmissarum derelictos, Conimb. tamen 1. Post. c. 1. qu. 4. art. 2. docent satis esse assensum præmissarum simul existere cum conclusione per actum recordationis, quo memoratur intellectus se assensum habuisse circa tales præmissas. Verum tam Veteres, quam Recentiores fere omnes simultaneam existentiam volunt esse necessariam assensuum formalium, ita Doct. quæst. 3. Prol. in qu. 4. collat. & 1. Post. q. 8. & 9.

Pro decisione not. Scot. 1. Post. cit. quod præmissæ possunt dupliciter considerari, vel ut sunt quædam simplices propositiones ad invicem non applicatæ, nec ordinatæ in syllogismo, vel ut in syllogismo dispositæ, & hoc modo adhuc dupliciter possunt sumi, vel ut subsunt relationi causæ in ordine ad conclusionem ut effectum, vel ut sunt fundamentaliter causæ conclusionis, quo sensu spectantur secundum proprias naturas, & ut a relatione causæ præcedunt, quæstio non procedit de præmissis in primo sensu, quia ut sic potest esse major sine minori, & conclusione, & e converso; imo major, & minor absque conclusione, quando enim non sunt applicatæ, & ordinatæ in syllogismo, non habent rationem præmissarum; sed discutitur de præmissis applicatis; non quod necessario præmissæ simul debeant elici ab intellectu; sæpe enim evenit, & maxime in nobis propter imperfectionem nostri intellectus, quod major prius eliciatur, quam minor, ut advertit Ar. 1. Post. c. 1. sed est dubium, an assensus illi præmissarum, quamvis prius tempore elicit, debeant nihilominus permanere, & in eodem instanti simul esse cum conclusione.

25. Dicimus, si præmissæ ut formaliter causæ conclusionis considerantur, sunt simul cum conclusione, non tantum simultate temporis, sed etiam naturæ, si vero ut fundamentaliter causæ sumuntur, sic debent ambæ in eodem instanti temporis simul esse, non minor tantum, nec habitualiter, aut per actum recordationis, sed per proprias entitates, cum qua simul tamen stat prioritas naturæ. Est Scoti cit. & communis cum Arisl. 1. Post. c. 1. & prob. primo, quod ut formaliter causæ sint simul natura cum conclusione, patet, quia ut sic sunt relativa, quæ sunt simul tempore, natura, & cognitione ex disp. 8. qu. 11.

Secundo ut fundamentaliter accipiuntur, debent etiam simul existere, quia præmissæ sunt causæ conclusionis, causa autem quando actu causat, debet actu existere, & non sufficit, quod immediate præserit, sicut probavimus fufe in Phys. d. 7. qu. 4. artic. 1. & quoniam ambæ præmissæ sunt causa conclusionis, & una sine altera est insufficientis, unde quælibet argumentatio vim habet inferendi ex forma syllogistica, ut diximus 1. part. Infit. tr. 3. nam medium ut jungat extrema, debet cum ambobus illis conjungi virtute illius principii: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*, idcirco ambæ præmissæ debent simul cum conclusione existere, non sola minor.

26. Tertio, debent esse presentes secundum proprias, & formales entitates, & non per habitus, nam habitus solum est causa actuum ejusdem speciei cum illis, a quibus est genitus, assensus principiorum, & assensus conclusionis speciei differunt, ut patet, ergo habitus principiorum nequit concurrere ad actus scientificos conclusionum, sed præcise ad assensum præmissarum. Tum quia habitus non datur potentis ad simpliciter operandum, sed ad prompte, & faciliter operandum, ut notat Doct. 1. d. 17. qu. 2. E. nam absque habitu potest potentia in actum exire, absolute loquendo, at præmissæ requiruntur in intellectu ad simpliciter operandum, quia sine ipsis nequit intellectus producere conclusionem, ergo concursus ipsarum nequit ab habitu suppleri. Neque sufficit, ut presentes sint per recordationis actum, quia tertia operatio essentialiter a secunda dependet, & causatur, ut sine illa nequeat esse, & intellectus ex se non est sufficiens ad eliciendam conclusio-

nem, sed a præmissis determinatur, & completur ex dictis quæst. præced. ergo præmissæ ex se ipsas concurrere debent, vel per aliquod supplet illarum concursum, actus recordationis non est potens supplet istum concursum, quia est imperfectior, nec eminenter continet assensum præmissarum; nec sufficit præmissæ in esse objectivo, quia ut sic habent esse secundum quid, causa vero realis expofcit esse simpliciter.

Tandem, quod priores dicantur prioritate naturæ, patet, quia ut sic causant conclusionem, quæ ab ipsis essentialiter dependet, essentialis autem dependentia inferri hæc prioritatem ex dictis disp. 9. qu. 2. art. 1.

In oppos. obji. primo, quod assensus præmissarum tempore antecedit. Tum quia discursus est quidam motus, ut diximus, de ratione autem motus est successio. Tum 2. nequit intellectus noster, cum sit finitus, plura simul intelligere, unde dicebat Arist. 2. Top. c. 4. contingere utique plura scire, non autem cogitare, ergo assensus illi non sunt simul. Tum 3. certum est, intellectum esse determinatum, ad cognoscenda simul plura, non enim potest in quemcumque numerum intelligibilium tendere simul, sit v. g. talis determinatio ad sex, & habeat de quatuor objectis cognitionem, certe si aliquem syllogismum eliceret, posset pro illo instanti habere cognitionem majoris, & minoris, quia habet ad duo capacitatem, non tamen conclusionis cognitionem, quia excederet. Tum 4. habeat quis errorem aliquem nimis radicatum in intellectu, certe si formaret syllogismum de conclusione opposita vera, non posset post præmissas producere conclusionem, quia per unum assensum non posset statim expellere errorem tam tenaciter affixum. Tum 5. causa materialis tempore præcedit effectum, unde substantia dicitur accidens præcedere tempore, natura, & definitione, præmissæ sunt causæ materiales conclusionis, ergo, &c.

27. Resp. ad 1. ex Scot. qu. 8. cit. dari quandam successione in discursu; quatenus regulariter prius cognoscitur major, sed cum hoc stat, quod quando cognoscitur conclusio, permanet adhuc cognitio præmissarum; accedit, quod discursus est metaphoricæ motus, nam potest intellectus unico instanti omnia cognoscere. Ad 2. ait, posse intellectum plura cognoscere, ut habitudinem aliquam habent inter se, & ut sunt connexa, non ut plura sunt; & hoc voluit Arist. vel dicimus textum illum esse pro nobis, ait enim in scientia plura simul cognosci, quia cognosciones præmissarum, & conclusionis sunt simul. Ad 3. aliqui dicunt, ut Ruv. assensus præmissarum, & conclusionis propter mutuam connexionem se habere ut unum, ideoque non excedere capacitatem intellectus: Alii ut Conimb. & Amic. non sequi assensum propter impedimentum, at conclusio intelligitur de intellectu non impedito, ut dicemus qu. seq. & ad veritatem hujus sufficit, quod quando intellectus eliciet conclus. simul existant in ipso præmissæ. Alii, ut Tol. quod in casu cessare aliqua cognitio pro se non pertinens ad illam cognitionem. Ad 4. si de errore actuali esset sermo, statim per demonstrationem expelleretur, quæ est fortior causa propter evidentiam, & certitudinem; si de habituali errore, concedimus non statim destrui, sed paulatim, quia habitus non opponitur actu opposito formaliter, sed virtualiter, ut in lib. de Anim. dicemus. Ad 5. ait Doct. præmissas esse quoque causam effectivam, idcirco quando sunt applicatæ, & naturales, statim producant conclusionem, quæ est effectus.

28. Secundo ad idem, potest dari casus quod sint assensus majoris, & minoris, & in elicatione conclusionis advertatur falsitas earum, tunc erit assensus præmissarum sine assensu conclusionis, antecedens patet, si falsitas esset difficilis cognitu, & non statim ex apprehensione terminorum cognosceretur. Tum 2. ad assensum conclusionis prærequiritur, ut termini ejus concipiuntur ut conjuncti, & post assensum præmissarum, quæ omnia nequeunt esse in instanti. Tum 3. causa efficiens solum virtualiter continet effectum, ergo ex cognitione ipsius causæ nonnisi virtualis cognitio conclusionis potest inferri, ergo cognitio præmissis non necessario formaliter debet cognosci conclusio. Tum 4. Arist. 2. Prior. cap. 26. ait contingere posse cognoscere omnem mulam esse sterilem, & hanc esse mulam, & dubitare, an aliquid habeat in ventre, ergo cum assensu præmissarum non stat assensus conclusionis. Tum 5. daretur ejusdem rei simul in intellectu cognitio confusa, & distincta, nam cum definitio dicitur de definito, definitum ex parte subjecti confuse se tenet, ex parte predicati distincte.

Resp. ad 1. neg. antec. quia cum assensus conclusionis sequatur in eodem instanti cum assensu minoris, necessario si ante conclusionem advertitur falsitas, etiam ante minoris assensum. Ad 2. si præmissæ sunt evidentes, in eodem instanti eliciuntur illi actus; si invidentes, nec in intellectu præbet assensum præmissis; quapropter si semel assentitur illis, assentitur etiam conclusioni, ut infra, tum quia termini conclusionis apprehenduntur, quando sunt posita conclusio, ut quæstio. Ad 3. resp. Doct. præmissæ applicatæ virtute continent conclusionem, sicut agens dispositum, non impeditum dicitur [virtute effectum continere, & statim illum ponit in actu, ita præmissæ respectu conclusionis. Ad 4. ait idem, Arist. intelligi debere de illis præmissis

Quæst. IV. An præmissæ cognoscantur prius concl. 341

præmissis ut solutis, non autem ut ad invicem applicatis. Ad 5. concluderet etiam, si valeret, nullam dari posse propositionem definitivam, dicimus ergo esse unicum assensum illius propositionis distinctum, non confusum, dari tamen duplicem apprehensionem, alteram confusam definitivam, alteram distinctam definitivam; quod non implicat.

Tertio, quod sufficiat præsentia habitualis præmissarum; Tum quia idem habitus inclinatur in intentionem ad finem, & in electionem ad media, quæ specie differunt, ergo idem de habitu principiorum respectu conclusionis, quamvis hæc sit specie distincta, nam ut se habet finis in practico, ita principia in speculabilibus. Tum 2. habitus est quædam virtus, & semen principiorum, ergo continet in se activitatem illorum, ergo poterit sicut principia ad conclusionem concurrere. Tum 3. experientia constat, sæpe nos alicui conclusioni assentiri ex assensu præmissarum præhabito multo tempore ante; maxime cum propter nimiam distinctionem non potest intellectus advertere præmissis, ergo saltem in hoc casu sufficit præsentia per actum rememorativum, nam vere tunc essent causa, & effectus in actu.

29. Resp. ad 1. neg. paritatem, ut cum Scot. diximus supra q. 2. ad 2. Ad 2. dicimus habitum non continere totaliter actum, quia se solo non potest illum producere, ideo nequit efficere, quicquid potens est actus causare; & habemus instantiam in causis æquivocis, etiam perfectis, primæ enim qualitates sunt causæ gravitatis, & levitatis, quæ principium motum, qui nihilominus nequit a primis qualitatibus provenire, & in multis aliis. Ad 3. imo quia tunc adest maxima intellectus distractio, non sufficit actus ille rememorativus, sed requiritur cum illo actu nova assensus productio, ad hoc ut causa sit in actuali existentia, actus enim ille rememorativus non est sufficiens causa.

Quarto instatur, quod præmissæ non sint natura priores, sed simul etiam fundamentaliter sumptæ. Tum quia si præmissæ ut priores cognoscuntur, ergo tunc ignoratur conclusio, quæ est causatum, sed ignorato causato ignoratur etiam causa, ergo &c. Tum 2. nequeunt præmissæ cognosci ut præmissæ, quin cognoscantur ut applicatæ, sed ut sic concipiuntur sub se ratione applicationis, ergo ut sic sunt relativa, ergo simul natura. Tum 3. post intellectus habito assensu principiorum cessare ab assensu conclusionis, quia prius ut prius potest esse sine posteriori.

Resp. ex Doct. q. 9. cit. argumentum valere de præmissis, formaliter in ratione causæ acceptis; tum quia aliud est, præmissas esse priores natura, idest independentes conclusioni, aliud esse cognititas non cognita conclusioni, primum asserimus, non secundum. Ad 2. per idem respondet, quod præmissæ ut applicatæ sunt relativa, & ideo simul natura. Ad 3. patebit in q. seq.

Q U Æ S T I O V.

An assensus præmissarum necessiter intellectum ad assensum conclusionis.

30. **Q**uæstio procedit, quando intellectus evidenter apprehendit præmissas ut veras; & ex illis sequi conclusionem, an possit non assentiri, vel necessario debeat elicere actum assensus circa conclusionem. Pro cuius intelligentia not. quod determinatio potentæ est duplex ex Scot. quol. 16. art. 1. alia dicitur contrarietatis, seu specificacionis, alia contradictionis, seu exercitii, sicut indifferentia, seu indeterminati opposita est duplex, contrarietatis, & contradictionis; determinatio contrarietatis est, qua potentia determinata est in elicatione ad unum actum, non ad oppositum, ut voluntas circa bonum in se dicitur se determinata, quia non potest elicere quemcumque actum, sive volitionis, sive nolitionis, sed necessario, si elicit aliquid actum, hic erit volitio; indeterminatio contrarietatis est, quando circa objectum potest oppositos actus elicere, scilicet, amorem, vel odium, qualiter se habet voluntas circa objectum ostensum (sub ratione boni, & mali). Determinatio contradictionis est, cum potentia ita est determinata ad unum speciem actum circa aliquod objectum, ut non possit illum non elicere, qualis est quælibet naturalis potentia ex se circa objectum debite præsens; indeterminatio contradictionis est, qua potentia potest in opposita contradictione, ut sunt velle, & non velle, nolle, & non nolle, & hoc pacto se habet voluntas creata etiam circa bonum præcise ex Scot. cit. cum sit essentialiter libera.

Conceditur ab omnibus, in præmissis necessariis, vel taliter apprehensis assensum ipsarum necessitate intellectum ad assensum conclusionis necessitate contrarietatis, etiam ut subsit voluntatis imperio, itaut circa illam conclusionem non possit assensum elicere ex se, neque imperari a voluntate ad assensum producendum; & ratio est, quia sicut se habet bonum ad velle, & malum ad nolle, ita verum ad assensum, & falsum ad dissensum, sed nequit bonum esse nolitionis objectum, ut bonum est, neque malum, ut malum objectum volitionis ex dictis in Phys. disp. 7. qu. 8. art. 2. ergo neque verum potest esse obiectum dissensum, & falsum objectum assensus, aliter potentia tenderet extra proprium objectum; quare neque ut potest a voluntate

imperari intellectus, erit indifferens ad assensum, & dissensum. Conceditur etiam ab omnibus, intellectum circa has necessarias veritates ex propria natura consideratum esse determinatum determinatione exercitii ad assensum, itaut ex se statim præbeat assensum, nec possit non assentire, quia ex se est causa naturalis, quæ, si non est impedita, necessario agit, nec habet potentiam suspendendi actionem; dubium est de intellectu, ut voluntati subjicitur, quomodo habet quandam participatam libertatem, an possit, scilicet, voluntas stante assensu vero, & evidenti præmissarum necessariorum suspendere assensum intellectus circa conclusionem, vel ipsum distrahere ad alia objecta.

31. Affirmant Ruvius 1. Post. cap. 1. q. 8. Marcia quæst. ult. Onna q. 1. art. 3. Morif. 1. Prior. dub. 6. Aversa q. 25. sect. 3. & alii. Negant Conimb. 1. Post. cap. 1. q. 4. art. 4. citantes Cajet. Sonc. & Fonf. Sanch. lib. 5. q. 3. Did. a Jesu disp. 16. q. 4. Blanc. disp. 1. de argum. sect. 4. Hurt. disp. 7. de An. sect. 4. Amic. tr. 25. disp. 3. q. 6. dub. 1. Arriag. disp. 15. Log. sect. 6. Jo. de S. Thom. 4. part. Log. q. 24. art. 3. Compl. disp. 17. qu. 4. & ex nostris Tatar. 1. Post. quæst. 1. dub. 3.

Circa præmissas probabiles communis fere sententia sufficienter intellectum esse quoque determinatione determinatione contrarietatis, quando præmissæ judicantur probabiles, itaut nulla ratio falsitatis appareat, ratio est eadem, quia præmissæ judicantur ut veræ, & possunt recta illatione inferri concl. probabilem veram, non falsam, quia ex antecedenti vero non sequitur falsum, ergo nequit intellectus dissentire, tum quia si dissentiret, assentiret contradictorio illius conclusionis, & per consequens virtualiter assentiret contradictorio præmissarum, de quibus jam supponitur assensus, ergo duo assensus oppositi in intellectu, quod est falsum. Dubitatur tamen de determinatione exercitii, nam quidam sustinent, intellectum, etiam ut a voluntate præcedentem, indeterminatum esse indeterminatione exercitii, ut possit elicere, vel suspendere assensum circa conclusionem probabilem, ita Conimb. cit. art. 3. Blanc. & Morif. cit.

32. Dicimus primo, posito assensu præmissarum in intellectu ipsum necessitari necessitate exercitii ad assensum concl. quando est in materia necessaria, ut non possit a voluntate impedi; ita Doct. 1. d. 1. qu. 4. §. *Ad argumenta*, & 1. Post. quæst. 8. & 9. prob. intellectus, & præmissæ sunt causæ naturales conclusionis debite applicatæ, non impeditæ, ergo necessario producant assensum conclusionis. Dices impedi a voluntate non consentiente, nec concurrente, imo suspendente concursu intellectus, qui majorem participat libertatem, cum sit magis connexus cum voluntate propter rationalitatem, quam cetera potentia. Contra; voluntas non debet concurrere tamquam physica causa ad actus intellectus, quia ut intellectus concipitur voluntati prævius, exit in proprios actus, ergo ut subditur voluntati non indiget concursu voluntatis Physico. Negatio consensus, imo disensus voluntatis non est impedimentum sufficiens, stante assensu præmissarum, quia est nolit voluntas, si visibile est proportionate præsens, & illuminatum, oculus non impeditur, non clausus, adhuc videbit, ergo disensus voluntatis non impedit assensum conclusionis, qui assensus se habet ut visio, conclusio ut objectum, assensus præmissarum ut lumen, & cognitio bonæ illationis, ut applicatio luminis. Tandem illa major convenientia non sufficit, quia magis subjicitur voluntati potentia loco motiva, quam intellectiva, quia illa absque imperio voluntatis non exit in actum, sicut intellectus, & tamen est magis extrinseca voluntati, quam intellectus, ergo ex illa majori unione non debemus inferre tantam dependentiam intellectus a voluntate in operatione, ut si habeat objectum præsens, non exeat in actum, nisi prius beneplacito, & licentia voluntatis obtenta; tum quia in actibus intuitivis, etiam si formaliter dissentiat, nequit impedire apprehensiones, ut cum vehementer urget tentatio, ergo neque in discursu talem potestatem, & dominium habebit.

In contr. arg. Tum quia nullum bonum potest quoad exercitii determinationem necessitare voluntatem, ergo nullum verum a pari poterit determinare intellectum. Tum 2. potest voluntas causare cessationem, & impedire continuationem cujuslibet assensus conclusionis, ergo poterit causare suspensionem. Tum 3. intellectus, ut subditur voluntatis imperio, participat libertatem, & indifferentiam circa quodcumque objectum, ergo etiam circa assensum necessariæ conclusionis, sed non potest esse indeterminatus contrarie, ergo saltem contradictorie. Tum 4. habitus gignitur in potentia erga aliquod objectum, quando potentia erga illud habet aliqualem libertatem, & indifferentiam, unde in naturaliter determinatis, ut sunt gravia respectu motus deorum, non generatur habitus ex Scot. 2. d. 2. quæst. 10. K. sed in intellectu erga conclusionem fit habitus, ergo circa illam habet indifferentiam, saltem exercitii.

33. Resp. ad 1. neg. paritatem, quia voluntas est potentia formaliter libera, intellectus potentia formaliter naturalis, & determinata. Ad 2. potest causare cessationem solum avertendo intellectum ab assensu principiorum, & sic potest etiam impedire assensum conclusionis; stante vero assensu principiorum, non potest impedire

continuacionem assensus conclusionis. Ad 3. subditur voluntati, solum habet potestatem eliciendi, & non eliciendi assensum præmissarum; tamen hoc elicitio, necessario necessitate ex suppositione, deinde infertur conclusionis assensum, ut patet in aliis potentibus. Ad 4. ex dicendis in lib. de Anim. habitum non generari in potentia propter solam indifferentiam, sed etiam quia potest aliquam pati difficultatem, vel quia potest intrinsece, vel minus intrinsece operari, qua ratione quando est habitata, facilius, citius, delectabilius, & intensius operatur, etiam si naturaliter agat, quare negatur assumptum.

Secundo ad idem, quando ex iisdem præmissis potest inferri duplex conclusio, ut in *Barbara*, *Baralipson*, *Colarent*, & *Celantes*, quarum una est directa, alia indirecta, tunc præmissæ non determinant intellectum ad aliquam illarum, ergo indifferens est ad eliciendum, & non eliciendum assensum cuiuslibet. Tum 2. apprehensio terminorum principiorum, non necessitat intellectum ad assensum illorum; ergo neque assensus præmissarum determinabit intellectum ad assensum conclusionis; patet conseq. quia major evidentiæ est in primis principiis, quam in conclusione, quæ evidens est dependenter.

Resp. ad 1. in eo casu præmissæ determinate necessitate intellectum ad conclusionem directam immediate, quia per se primo est ex præmissis deducibilis, mediate vero, & secundario ad conclusionem indirectam, quatenus est convertens conclusionis directæ. Ad 2. si termini illi habent evidentiam manifestam connexionis, possumus concedere apprehensionem necessitate intellectum ad iudicium ferendum, secus si sint invidentes; ita Doctor 3. disp. 23. quæst. un. §. *Aliter*.

34. Dicimus secundo, quando præmissæ sunt probabiles, itaque nulla ratio falsi in contrarium appareat, non requiritur necessario consensus voluntatis ad assensum conclusionis, sed sufficit, ut indifferenter se habeat, quo casu intellectus necessitatur etiam quoad exercitium ad inferendam conclusionem. Colligitur ex Scot. 3. d. 25. q. 2. ubi docet ad assensum fidei non necessario requiri voluntatis actum determinantem, & imperativum; prob. iisdem rationibus præced. concl. nam hoc solum discrimen est, quod præmissæ necessariæ sunt evidentes, probabiles vero invidentes, sed hoc non urget, quia obiectum ut probabile ostensum est sufficienter propositum intellectui, ut possit intellectus elicere assensum circa illas præmissas, & iste assensus præmissarum est sufficiens causa, ut eliciatur probabilis conclusio, ergo etiam voluntate non contradicente necessitatur intellectus ad illum assensum, quia causa naturalis non impedita statim agit. Tum quia si per imperium voluntatis potest intellectus elicere assensum conclusionis, sequitur, præmissas illas, & intellectum esse sufficientes causas conclusionis, quia voluntas non causat maiorem probabilitatem in objectis, aut evidentiam; sed hæc vera, vel falsa sunt independentes a voluntate, neque voluntas habet potestatem trahendi intellectum extra proprium conaturalæ obiectum; ergo præscindendo a voluntatis imperio, adhuc intellectus elicitur concl. assensum, quia est causa naturalis. Tum quia Demones habent notitiam invidentem de rebus fidei, & tamen non ex affectu voluntatis, quæ de se est mala, ergo hæc non requiritur ad rerum invidentium assensum.

Contra urgetur; in his objectis non determinatur intellectus ad assensum, quia opinio est semper cum formidine de opposito, ergo nulla causatur necessitas in intellectu ex præmissis probabilibus. Tum quia si assensus in probabilibus præcederet consensus voluntatis, nullum iudicium temerarium esset peccatum, nam peccatum ideo peccatum, quia voluntarium. Tandem idem esset dicendum, quando propositio probabilior apparet opposita, & quando esset utraque contradictoria æque probabilis, cum enim sint causæ naturales, si possent agere independentes a voluntate, jam intellectus necessario assentiret propositioni probabiliori ex illis contradictoriis, quod est falsum.

35. Resp. has rationes non urgere contra conclusionem, sed potius contra iudicium præmissarum, conclusio enim nostra supponit assensum præmissarum in intellectu, quo femel admisso, sequitur necessario assensum conclusionis; dicimus tamen ad primum probare solum intellectum non necessitari ad assensum certum, & evidentem, quod concedimus, tamen cum hoc stat, quod necessitatur ad assensum verum, sicut veræ sunt præmissæ, nec obstat formido de opposito, hæc enim tollit solum firmitatem assensus, non determinationem, ut disp. seq. qu. ult. dicemus. Ad 2. concedimus iudicia præcedentia consensus voluntatis non esse peccata, nam tunc voluntati imputantur, & temeraria dicuntur, quatenus voluntas tenetur impedire illud iudicium, & non impedit; tenetur enim quia prudentia dicitur in omni re non evidenti posse committi errorem in iudicando, & per consequens non temere est assentiendum, & certitudinaliter, sed cum formidine de opposito, potest deinde voluntas impedire, non quidem suspendendo assensum conclusionis, sed potius assensum præmissarum divertendo intellectum ad alia objecta: Vel secundum aliquos sufficit, ut simul habeat iudicium possibilitatis fallendi, & non certo illis adhaereat, quod satis est ad evitandam temeritatem,

& peccatum. Ad 3. concedimus assumptum in primo casu, quia fortius agens superat resistenciam contrarii, & exit in actionem, si non addit aliud impedimentum; cum ergo una propositio probabilior apparet sua opposita, jam fortior erit ad movendum intellectum, & per consequens intellectus assentiet, nisi voluntas imperaret cogitationem, probabilitatis alterius partis, vel periculi errandi. Quod læpæ solet evenire in huiusmodi iudiciis. Quando vero oppositæ propositiones sunt æque probabiles, vel nulla apparet ratio veri, vel falsi; ait Doctor 3. d. 23. §. *Aliter*, & d. 25. qu. 2. nullum elici assensum, sed mere neutras esse propositiones illas intellectui; neque potest voluntas imperare assensum ad alteram partem, nisi obiectum prius moveat ad illam; quare necesse erit, ut intellectus cesset a consideratione rationum unius partis ex imperio voluntatis, & hoc modo poterit voluntas ad unam partem intellectum determinare.

36. Quæritur solet hic, an ad assensum conclusionis ultra assensum præmissarum prærequiratur cognitio de bonitate illationis. Aliqui affirmant hanc cognitionem prærequiri etiam per modum iudicii; ita præsertim Poncius disp. 20. Log. n. 30. ubi inquit, ad determinandum intellectum ad assensum conclusionis præter assensum præmissarum ulterius requiri iudicium de necessaria connexionem veritatis conclusionis cum veritate præmissarum; alii prærequirunt hanc cognitionem de bonitate consequentia; per modum simplicis apprehensionis, non iudicii. Communis, & probabilior opinio negat, talem cognitionem prærequiri præsertim per modum iudicii, ita Hurr. disp. 7. de An. sect. 5. Arriaga disp. 13. Log. sect. 3. Ovved. contr. p. Log. punct. 2. & alii passim, quod probatur satis evidenti ratione, nam bonitas illationis, & connexio veritatis conclusionis cum veritate præmissarum fundatur in illo principio per se noto, quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, per quod omnes regulantur discursus ex dictis i. p. Inst. nam in virtute illius principii per se noti ex connexionem extremorum in tertio in præmissis infertur connexio eorumdem inter se in conclusione; statim ergo ac intellectus percipit extrema esse unita in tertio, eo ipso manet determinatus ad iudicandum esse eadem inter se inferendo conclusionem; at sic est, quod præcise ratione præmissarum cognoscit intellectus extrema identificari cum tertio, ut satis de se constat, ergo hoc solo determinatur ad iudicandum ea inter se identificari in conclusione, nec alia cognitio prærequiritur de bonitate consequentia. Confr. quia rusticus interdum bene discit, neque in eo discursu antecedenter ad conclusionem meditatatur bonitatem consequentia, sed solum advertit notitiam præmissarum, ergo præter præmissarum assensum non requiritur alia expressa cognitio de bonitate consequentia. Denique si prærequireretur talis expressa cognitio de bonitate consequentia per modum iudicii, frustra probaretur bonitas illationis aliorum syllogismorum, in quibus consequentia non est tam evidens per reductionem ad quatuor primos modos primæ figuræ, nam per tale iudicium præcedens semper certificaremur de bonitate consequentia, non ergo tale iudicium semper præcedit.

Sed objecies definitionem scientiæ actualis ab Arist. traditam i. Post. cap. 2. quod scire est rem per causam cognoscere, propter quam res est, & quod illius causa est, ergo ad assensum conclusionis, præter assensum præmissarum requiritur etiam, quod cognoscatur, ut illarum conclusionis. Respond. per illam particulam Arist. solum significare velle, quod cognitio scientifica conclusionis non est cognitio eius in ratione simplicis propositionis, sed est cognitio discursiva, & dependens a præmissis, ut a causis, & taliter debet cognosci conclusio, ut dicatur effectus demonstrationis; non autem significare voluit expressam cognitionem de bonitate illationis præcedere debere assensum conclusionis; ita diximus 2. part. Inst. tract. 1. cap. 2. dum illam definitionem scientiæ particulam explicaremus, quod ponitur, quia nedum oportet, quod illa causa sit proxima, sed requiritur, quod intellectus sciat effectum a tali causa pendere.

37. Quæritur denique an conclusio assensus ita necessario pendeat a præmissarum assensu, ut nec naturaliter, nec supernaturaliter sine ipso haberi queat, id est an ille actus, qui sequitur hic, & nunc ex præmissis, possit quoad substantiam, & rationem suam specificam haberi absque eo, quod sit a præmissis. Ovved. contr. cit. punct. 5. censet saltem supernaturaliter posse produci, & conservari conclusionis assensum sine præmissis, quia assensus conclusionis tantum dependet a præmissis formalibus, tanquam a conditione applicante motivum, seu formale obiectum ea ratione, qua dependet volitio a cognitione, sed hoc conditionis genus potest a Deo suppleri, & potest supernaturaliter dari volitio sine cognitione, ergo potest dari supernaturaliter assensum conclusionis sine assensu præmissarum; idem tenet Poncius disp. 20. Log. quæst. 2. num. 10. cum enim assensus conclusionis, & præmissarum sint actus realiter distincti, non apparet ratio tam necessaria connexionis inter illos, quin possit esse assensus conclusionis supernaturaliter absque assensu præmissarum. Quod confirmari adhuc potest, quia in nostra sententia assensus conclusionis dependet ab assensu præmissarum in genere causæ efficien-

cientis, certum est autem apud Theologos posse Deum suppletare tale genus causæ, nam in genere efficientis causæ quicquid agit cum causis secundis agere potest sine ipsis, inquit Theologus. Ceterum consequenter ad dicta superius num. 16. & 19. oppositum est tenendum, dictum enim est ibi assensum conclusionis in suo formali, & intrinseco conceptu includere dependentiam a præmissis, & talem dependentiam esse sibi essentialiam, vel saltem realiter identificatam, non autem accidentalem, & extrinsecam; propterea dictum est ibi, quod si intellectus absque præmissis eliceret propositionem itam *Petrus est animal*, talis propositio non esset conclusio, quinimo essentialiter differret ab ea conclusione (licet essent de eodem obiecto materiali) quæ inferretur ex illis præmissis, omnis homo est animal, Petrus est homo, ergo Petrus est animal, nam hæc est scientia; & tertia operatio; illa vero simplex propositio, & tertia operatio; implicat ergo etiam de potentia Dei absolutam posse elici, vel conservari assensum conclusionis, ut sic absque ordine ad præmissas ob essentialiam dependentiam, quam dicit ad illas, eo modo quo dicunt Scotista relationem dependere in genere causæ efficientis a fundamento, & Thomista actum vitalem a potentia vitali, adhuc tamen talem dependentiam a Deo suppleri non posse, quia essentialis est rebus sic dependentibus. Fundamentum Ovved. oppositum sustinentis falsum assumit in majori, nam ex dictis quæst. 3. assensus præmissarum effective concurrat ad assensum conclusionis, & non tantum per modum

conditionis applicantis motivum; in minori etiam dubium assumit, nam in lib. de An. disp. 7. nu. 111. ostendimus nec supernaturaliter posse dari volitionem sine cognitione; Ratio etiam Poncii invalida est, quamvis enim in absolutis realiter distinctis prius per Dei potentiam possit a posteriori separari, ut docet Doctor 2. d. 12. qu. 2. non tamen e contra, quando præsertim posterius dependet essentialiter a priori, ut constat de toto, & partibus. Confirmatio, quam nos addimus, difficilior est solutionis, quia genus causæ efficientis semper a Deo supplebile videtur, imo hac ratione nos Scotista tenemus contra Thomistas posse Deum producere, & conservare actum vitalem independentem a potentia vitali; verum cum dicitur a Theologis omnem talem dependentiam in genere efficientis causæ esse a Deo supplebilem, explicat Doctor 4. d. 12. q. 1. supra E, & sub S. id intelligi debere in absolutis, non in respectivis; in proposito autem conclusio, ut sic, habet rationem respectivi, quia, ut sic, intrinsece, & essentialiter dicit ordinem ad præmissas; unde deducitur, licet ejus assensus in ratione qualitatis sit entitas absoluta, cui talis dependentia essentialiter, vel saltem realiter identificatur; quæ solutio an suffragetur Thomistis negantibus actum vitalem posse a Deo produci, & conservari independentem a potentia vitali in lib. de Ani. discutiamus. Alia quædam solent hic disputari ad formam syllogismi præstantia, quæ consulo hic missa facimus, quia sufficienter de illis tractatum est i. p. Inst. tract. 3.

DISPUTATIO DUODECIMA.

De Scientia.

Post Tractatum de Discursu, & Syllogismo in Communi, ad ejus species oporteret nunc descendere, quæ sunt Syllogismus Demonstrativus, Topicus, & Elencus, & primo de demonstrativo ceteris præstantiori, at tamen quia naturam, & conditiones Demonstrationis aptius venari non possumus, nisi ex notitia quidditatis, & conditionum Scientiæ, quæ effectus est Demonstrationis, & ad ipsam, ut ad finem ordinatur demonstratio, idcirco Disputationem de Scientia præmittimus, vestigiis Arist. in hærentes, qui i. Post. c. 1. ostendit dari scientiam, deinde c. 2. ipsam definitur, & ex ipsius definitione postea naturam demonstrationis, ejusque conditiones declaravit, duas assignando definitiones: quidem quod attinet ad existentiam scientiæ, satis dictum est in 2. p. Inst. tr. 1. c. 2. ubi inuimus contra antiquos de novo dari scientiam, & si non de omnibus; saltem de aliquibus rebus: ad existentiam igitur scientiæ declarandam accedamus.

QUESTIO PRIMA.

Quid sit Scientia.

Scientia solet primo dividi in actualem, & habitalem, utraque debet hic declarari, & quidem quoad scientiam habitalem non est difficultas, hæc enim est habitus quidam de prima specie qualitatis, permanentis, intellectualis, disponens in intellectu, non ad simpliciter operandum, sed ad prompte, facilius, & expedite operandum, ex frequentatis actibus scientificis acquisitus; quæ definitio colligitur ex definitione habitus in communi insinuat a Scoto in q. 4. d. 6. q. 10. O. sicut enim quilibet habitus est quædam qualitas disponens subiectum non quidem ad simpliciter agendum, nam absque habitu etiam potentia elicit aliquos actus, sed ad agendum facilius, & prompte, acquisita ex usu, & frequentatione illorum actuum, ad quorum productionem habitus inclinatur, ex dicendis fufius in lib. de Anim. ita scientia habitualis disponit intellectum ad facilius, & expeditis eliciendos actus scientificos, quæ scientia actualis dicitur, ex quibus fuit genita; sic habitus illa demonstrandi passionem mobilitatis de corpore naturali ex frequentis cognitione per demonstrationem acquisita dicitur scientia philosophica habitualis, actus vero cognitionis dicitur philosophia actualis. Cujus igitur habitus ex actibus generetur, & specificetur, ex declaratione scientiæ actualis adæquate patebit, quid sit habitualis scientia, ex quibus scilicet actibus generetur, & in quos actus eliciendos inclinatur intellectus; tota ergo difficultas erit in explanatione actualis scientiæ.

2. Scientia actualis ab Arist. definitur in concreto i. Post. c. 2. Scire est rem per causam cognoscere, propter quam res est, quod illius est causa, & non contringat aliter se habere, quam definitionem explicuimus p. 2. Inst. Log. tract. 1. c. 2. ubi notavimus, Arist. definiisse scientiam perfectissimam a priori, & per causam non solum in cognoscendo, sed etiam in essendo, vide, quæ ibi diximus c. 4. explicando particulam illam definitionis demonstrationis, *causæ que conclusionis*. Ex ista definitione scientiæ ab Arist. tradita Doctores deinde varias colligunt conditiones scientiæ.

3. Prima conditio est, quod sit vera, error enim, & falsitas non sunt scientia. Secunda conditio est, quod sit certa, pro qua notant Doctores, ut advertunt P. Cavellus de An. disp. 3. sect. 6. & Averf. q. 26. sect. 3. quod certitudo est firma intellectus ad

hæc alteri determinatæ parti absque formidine de opposito, si enim aliqua adesse formido, non esset intellectus certitudo, sed dubietas, nec scientia, sed opinio, quæ certitudo, & determinatio intellectus, vel provenit ex ipso obiecto, quatenus ita se habet ut simpliciter, & de potentia Dei nequeat aliter se habere, quales sunt veritates propositionum necessariarum, & ab aliis dicitur certitudo intrinseca, ab aliis subjectiva, ab aliis metaphysica; vel provenit ex alio capite, & dicitur extrinseca certitudo, quod potest multipliciter accidere, vel scilicet quia voluntas imperat intellectui, ut taliter judicet, & non aliter, eo quia moveretur ex aliquo effectu, vel apparenti, sed vana ratione, ut infideles, & hæretici, qui pertinaciter erroribus adherent; vel quia quod judicatur asseritur ab aliquibus maximæ autoritatis viris, vel ab omnibus, aut pluribus, quomodo ab omnibus certitudinaliter creditur Romanam, Venetiam, Neapolim esse, & tunc quo majoris autoritatis sunt viri illud creditum asserentes, eo firmius adheret intellectus, & quia Deus est supremæ autoritatis, & irrefragabilis veritatis, hinc res fidei sunt maximæ certitudinis, cum sint testimonio divino enixæ: ab aliquibus hæc certitudo moralis vocatur (excepta fidei supernaturalis certitudine, quæ valde major est) vel tandem movetur intellectus ad iudicandum certitudinaliter ita esse, quia naturaliter nequit aliter evenire, quamvis simpliciter possit aliter fieri, ut si videret accidens, statim iudicaret ibi substare subiectum, & si videret ignem applicatum passo, inferret ibi calefactionem adesse, eo quia natura rerum sic postulat, cum tamen Deus posset, & calefactionem impedire, & accidens a subiecto separare; hæc dicitur certitudo physica, ad scientiam perfectissimam prima certitudo requiritur, nam sub certitudine morali potest subesse falsum, & similiter sub certitudine physica. Ad scientiam tamen minus perfectam sufficit physica certitudo, ut infra, & d. seq. magis patebit.

4. Tertia conditio, quod sit evidens, evidentiæ est claritas cognitionis, qua intellectus clare videt obiecti veritatem, & connexionem prædicati cum subiecto, dicitur evidentiæ, quasi clara obiecti evidentiæ, & comparatur luci materiali, qua illustratum obiectum clare, & distincte percipitur ab oculo, hæc evidentiæ ortum habet ab obiecti necessitate, quia intellecta statim percipit intellectus connexionem prædicati cum subiecto, rationem talis connexionis, & oppositum judicat, ut falsum; potestque a certitudine separari, nam articuli fidei sunt certi, non tamen evidentes; quia pro statu isto nequit intellectus noster percipere rationem connexionis hujus prædicati cum subiecto, quod

scilicet Deus sit triplex, & unus, sed solum asseritur ex testimonio revelantis Dei, unde fides non est cognitio evidens, sed obliqua.

Hec evidentia duplex est, alia ex parte potentia, & est claritas, alia ex parte objecti, & est aptitudo illa in objecto manifestandi se clare, & distincte intellectui, ut statim ac intellectui obijciatur, movet illum ad sui cognitionem; & est duplex, una immediata, cum intellectus ex simplici apprehensione terminorum statim asseritur illius propositioni, nec aliquo alio distincto indiget, & haec evidentia est principiorum, quae immediata dicitur, alia mediata, eo quia non ex simplici apprehensione terminorum movetur intellectus, sed propter aliud principium distinctum, quod est causa cognitionis illius, & haec pertinet ad conclusionem, quae evidenter scitur propter praemissas, a quibus accipit propria evidentiam, itur in tantum evidens dicitur, quia principia, e quibus deducitur, sunt evidenter, clarum est, evidentiam immediatam non convenire scientiae, nam scientia est conclusio, non principiorum, competere tamen evidentiam mediatam; nam quilibet conclusio est ex suis principiis evidentibus deducibilis, ergo erit in se evidens mediate: dubium est de evidentia potentia, an scilicet requiratur, quod intellectus clare, & distincte percipiat conclusionem ex principiis illam deducendo; apprehendatque dependentiam illam evidentiam conclusionis ab evidentia principiorum, an vere sufficiat, quod conclusio sit evidens in se, & a suis principiis dependens, absque eo, quod intellectus evidenter illam percipiat, vel sua principia, sed ex testimonio fide digno apprehendens principia, vel unum ipsorum, ut verum, deducat deinde conclusionem.

Thomista negant hanc evidentiam ex parte intellectus necessariam esse, sed sufficere ajunt, quod sit cognitio conclusionis aptitudinaliter ex se evidenter cognoscibilis, quae ratione ponunt nostram Theologiam esse proprie scientiam, quia vere deducit conclusiones ex articulis fidei, qui saltem intellectus beatorum sunt evidentes; similiter concedunt scientiam subalternatam esse veram scientiam in intellectu carente scientia subalternante, si principia subalternantis a fide digno reciperet tamquam vera, & certa: ita Cajet. 1. p. q. 1. art. 2. Nazari. ibi. contr. 4. Jo. de S. Tho. in Log. 26. art. 3. Complut. d. 19. Log. q. 3. qui alios citant.

Aversa. q. 26. Log. sect. 2. Ruv. tr. de Scient. qu. 2. Morif. disp. 12. q. 1. distinguunt de scientia, nam vel loquimur de naturali, & ab Arist. descriptam lib. Post. & ita necessariam esse evidentiam; vel de scientia in genere, & sub universaliori acceptione, & tunc ajunt abstrahere ab evidentia, & solum dicere cognitionem veram, & certam de aliquo objecto, quo sensu concedunt Theologiam dici scientiam.

Scoto q. 3. Prol. in 4. q. collat. & 3. d. 24. q. un. S. Ad questionem, sustinet de ratione propriae scientiae esse evidentiam, & nonnulli improprie nomen scientiae accommodari notitiae obscurae, & invidenti, quamvis certissima, quae non solum est communis apud Scotistas, sed etiam apud antiquos, & ex Recentioribus sequuntur Amicus. tr. 27. de scien. q. 1. dub. 9. & 10. Blanch. in Log. disp. ult. sect. 1. Didacus a Jesu disp. 18. q. 1. & alii.

Quamvis haec sit nominalis questio, attamen dicimus scientiam proprie dictam requirere evidentiam in intellectu scientis, & nonnulli improprie transferri ad actus invidentes, quamvis certos; ita Doctor cit. & 1. d. 3. q. 4. art. 2. C. & quidem quod haec sit mens Arist. indubitatum est; non enim agnovit aliquam infallibilem certitudinem, nisi quae annexam habet evidentiam, & certitudinem ex divina revelatione provenientem ipse nescivit, hinc asseruit principia immediata, & per se nota esse, ac scientificum resolvere conclusiones in sua principia debere. Tum quia ex communi consensu fides, & scientia specie differunt, imo opponuntur, nam illa est obscura, ista clara, & evidens, evidens est de necessariis conditionibus scientiae. Neque dicas valere de scientia ab Arist. definita, non de scientia secundum genericam acceptionem. Non valet, quia sicut ex hoc, quod scientia per certitudinem differt ab opinione, si quis diceret opinionem esse scientiam secundum rationem genericam, ut dicit cognitionem veram communem certam, & opinabilis, non recte loqueretur, sed potius abuteretur vocabulis, ita in proposito de scientia respectu fidei dicendum, quapropter cum scientia ad cognitionem invidentem extenditur, est locutio impropria, & ly invidens est determinatio diminutiva, vel distractiva, non fecus ac si diceretur scientia incerta; & hoc forte voluerunt auctores secundae sententiae, & quicumque ex Sanctis Patribus Theologiam nostram scientiam appellaverunt; de qua re iterum agemus q. 4. art. 3. ubi responsiones Complut. consutabimus, & rationes in contrarium solvemus.

Quarta conditio, quod sit necessaria; pro qua not. ex Scot. 1. d. 3. q. 4. I. & K, quod necessitas est duplex, alia simpliciter, qua res ita existit, ut non possit non existere, alia est necessitas secundum quid, seu complexa, & est, qua res aliqua talem habent habitudinem inter se, ut necessarium una alteram includat, qua ratione intellectus concipiens terminos illarum necessario componit unum de ali-

tero asserendo, & propter hanc necessariam habitudinem terminorum semper propositio de illis enunciata erit necessario conformis, & consequenter necessario vera, ita ut nequeat falsificari pro quacumque temporis differentia, eo quia propositiones necessariae abstrahunt a tempore, ut diximus 1. p. Inst. tract. 1. cap. 11. ad scientiam perfectissimam non requiritur prima necessitas, nam praeter Deum omnia contingenter existunt, etiam ipsa scientia corruptibilis est, sed secunda, quatenus talem habet veritatem, ut nunquam possit contingere mutari in falsam speciatam quacumque potentia, & temporis differentia, & in hoc sensu de corruptibilibus est scientia, quatenus habent quadam predicata taliter illis convenientia, ut non possint non convenire, haec conditio includitur in secunda; cum dicitur, quod debet esse certa certitudinis metaphysica, itur non contingat aliter se habere; vide q. seq. art. 5.

Quinta conditio est, quod sit de objecto universalis, eo quia de singularibus non est scientia, quod potest probari, quia scientia ostendit passionem de proprio, & adaequato objecto, sed hoc non est singulare, aliter aliis individuis non competeret, ergo erit universale, risibilitas enim nequit Petro adaequate convenire, sed homini; quae conditio non convenit scientiae, ut sic, ut notat Bassol. q. 5. Prol. art. 2. ex Scot. q. 3. Prol. R. sed scientia de objecto creato, eo quia natura creata dividitur in singularibus, at si esset aliqua natura de se haec, & singularis, cui primo conveniret passiones, vel quasi passiones, qualis est essentia divina, tunc de singulari potest esse scientia, ut q. seq. art. 3.

Sexta quod sit causata per discursum syllogisticum, quia scientia non est qualibet rei cognitio, sed est cognitio rei per causam, discursiva, & illativa; & quia in illatione potest errare intellectus; idcirco requiritur, ut sic per demonstrationem recte dispositam in modo, & figura, & hoc est, quod alii dicunt, ad scientiam requiri evidentiam consequentiae, verum est tamen, quod ut notat Doctor qu. 4. collat. qu. 3. Prol. & Bassol. citat. haec conditio non est de ratione scientiae ut sic, quia dicit imperfectiorem tam in seipsa, cum causatio dicat dependentiam, quam in intellectu, quia praesupponitur potentialis potens de novo recipere scientiam, & nunquam post aliud scire, hinc scientiae divinae non convenit; nam intellectus divinus unico actu simul omnia attingit clare, & distincte.

Septima conditio additur ab aliis, & quod sit propter se, non propter operationem, quapropter scientias practicas a vera ratione scientiae excludunt, sed de hac agemus infra q. 5.

Sed contra praedicta, & praecipue contra definitionem scientiae potest instari. Tum quia si scientia est per causam, daretur processus in infinitum, nam haec causa deberet per aliam causam sciri, & illa per aliam. Tum 2. quia non recte ponitur ly quoniam illius est causa, nam si ad cognitionem conclusionis requiritur cognitio propriae causae, quatenus est causa, tunc omnis conclusio sciretur sub ratione relativa, ut scilicet causata, & effectus causae. Tum 3. quia non recte dicitur, quod non contingat aliter se habere, nam de corruptibilibus ut sic datur scientia, ut patet in Physicis, & in Post. Arist. demonstrat eclipsum de Luna; qua non semper convenit Luna, & de effectibus per accidens, & fortuitis differit philosophia. Tum 4. quia quod est mutabile, & contingens, nequit causare aliquid immutabile, & necessarium, entia creata sunt contingentia, & mutabilia, ergo nequeunt causare scientiam necessariam, & perpetuam. Tum 5. quia intellectus est mutabilis, ergo nequit esse subiectum alicujus immutabilis, ergo non requiritur ad scientiam necessitas. Tandem evidentia non assignatur ab Arist. inter condiciones scientiae, qua ratione Theologia nostra, etsi evidens non sit, dicitur a Sanctis Patribus scientia, quia talis habitus nequit reduci, nisi ad habitum scientiae inter omnes habitus intellectuales.

Resp. ad 1. ex dictis in 2. part. Inst. tract. 1. cap. 4. causas sciri non per aliam scientiam, sed per apprehensionem terminorum, & per habitum, qui dicitur intellectus. Ad 2. conclusio cognoscitur sub propria ratione, sed dependenter a praemissis, quod est cognoscere absolutum cum relatione effectus, saltem virtualiter, & implicite, quod non implicat. Ad 3. jam diximus non requiri incorruptibilitatem simpliciter, quam alii vocant incomplexam, sed complexam, & sic de corruptibilibus, quatenus sunt corruptibilia, datur scientia, quia ut sic sunt incorruptibilia incorruptibilitate complexa propter necessariam habitudinem repertam inter hoc predicatum corruptibile, & res physicas. De Luna non demonstratur eclipsum simpliciter, nam non fieret propositio necessaria, & sempiterna veritatis, sed vel demonstratur eclipsum quoad aptitudinem, vel eclipsum actualis de Luna in tali situ, & ordine disposita quomodo consueverunt propositiones necessariae; non autem causantes scientiam perfectissimam, ut disp. seq. q. 2. art. 3. effectus etiam per accidens habent sua praedicta essentialia, & passiones de ipsis demonstrabiles, & ut sic possunt dici entia necessaria; & a scientia contemplantur. Ad 4. resp. Doctor in 1. d. 3. q. 4. I. objectum non quatenus mutabile causare notitiam immutabilem sui, sed potius quatenus naturae, & quia natura objecti mutabilis habet immutabilem habitudinem ad aliud, poterit gignere notitiam sui ipsius immutabilem.

bilem. Ad 5. Resp. Doctor. lirt. L. duplicem mutabilitatem esse in intellectu, una est ab affirmatione in negationem, & e contra, scilicet, a non intellectione ad intellectionem, & e converso, alia quasi a contrario in contrarium, puta a rectitudine in errorem, a veritate in falsitatem, prima semper inest intellectui, nec impedit scientiam, quia opponitur immutabilitati simpliciter, parum enim refert, quod scientia destruat quoad entitatem; secunda convenit illi circa complexa, quae non habent evidentiam ex terminis, at quae habent ex terminis evidentiam, possunt causare notitiam immutabilem in intellectu, itur non possit a scientia ad errorem mutari, & hoc sufficit. Ad ult. evidentia datur intelligi ab Arist. vel per certitudinem, ut diximus, vel per ly quoniam illius est causa, nam si intellectus percipit habitudinem causae ad effectum, & necessitatem illationis unius ex altero, habebit de illo evidentiam, & satis declarat ut ipsam, cum definiens demonstrationem dixit ex notionibus, & immediatis constare, Theologia nostra improprie, & latiori vocabulo dicitur scientia, neque proprie ad unum ex quinque habitus intellectus reducitur, sed ad alium alterius ordinis, nisi velimus dicere cum Scoto ad sapientiam aliquo modo spectare, quatenus est de perfectissimo, & summo ente.

QUESTIO II.

De Objecto Scientiae.

Cum scientia relatione transcendentali referatur ad scibile, ut ad objectum, non possumus exactam habere cognitionem naturae, & quidditatis scientiae, nisi naturam, & condiciones objecti declaramus, a quo essentialiter specificatur, & proprias sumit denominationes, & condiciones; ut autem distincte in hac re procedamus, supponendum ex dicendis infra, scientiam sive actualem, sive habitualem distingui in totalem, & partialem; scientia actualis partialis est cognitio unius conclusionis in una demonstratione demonstratae, ut cognitio hujus conclusionis, homo est risibilis, dicitur scientia actualis partialis de homine, cognitio hujus conclusionis, corpus naturale est mobile, est scientia actualis partialis de corpore naturali; scientia habitualis partialis est habitus cujuslibet conclusionis generatus ex frequentatis actibus circa illam conclusionem, qui sunt scientiae actuales partiales, ut si quis saepius conficeret hanc demonstrationem, omne habens naturam est mobile, omne corpus naturale est habens naturam, ergo omne corpus naturale est mobile; acquireret habitum quemdam in intellectu inclinantem ad elicitionem hujus conclusionis tantum, non alterius, quia ex istis actibus esset genitus, non ex aliis. Scientia actualis totalis est ex partialibus actualibus constata, itur cognitio omnium passionum demonstratarum de aliquo subiecto, puta de homine, vel corpore naturali, erit scientia actualis totalis de homine, vel de corpore naturali; scientia totalis habitualis est habitus ex scientia totali actuali saepius iterata generatus inclinans in conclusiones scientiae totalis actualis, quomodo vero haec scientia totalis, sive actualis, sive habitualis, dicitur una, declaramus quaest. seq. Hoc praenotato, prius diversas acceptiones subiecti, deinde condiciones subiecti adaequati, & attributiones scientiae, quod nomine subiecti scientiae datur intelligi, aperiemus.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit objectum scientiae.

Subiectum hic sumimus, non pro subiecto informationis, seu intensionis, quo sensu paries dicitur subiectum albedinis, & intellectus subiectum scientiae, in quo subiectatur, neque pro subiecto propositionis, de quo aliud dicitur, neque pro inferiori, in qua acceptione loquitur Arist. in illa regula antepredic. quando alterum de altero predicatur ut de subiecto &c. vel alia consimili acceptione, sed pro subiecto, circa quod qualibet scientia versatur, quando Arist. 1. Post. 148. ait, unam scientiam unius esse generis subiecti, & subiectum dicitur vel in ordine ad passiones, quae de ipso demonstrantur, vel quia quasi sustentat totam scientiam, & basis est, ac fundamentum ipsius; solet etiam dici objectum, sumpta similitudine ab objecto potentiae, sicut enim ex eo, quod obijciatur potentiae, dicitur objectum, ita quia subiectum quasi scientiae obijciatur, ut ipsa cognoscatur, dicitur objectum, appellatur quoque materia circa quam, ab arte desumpta metaphora, nam sicut ars circa propria materiam ita versatur, ut extra illam non tendat, ita se habet scientia circa proprium subiectum; quapropter haec nomina idem significant, quamvis ab aliquibus aequalis distinctio assignetur.

Hoc subiectum primo dividi solet in complexum, & in incomplexum, complexum est ipsa conclusio demonstrationis cognita, & vocatur a quibusdam objectum, nam quod scitur, est connexio predicati cum subiecto in de-

monstratione per causam demonstrata, ergo ipsa conclusio est objectum scientiae, quae est notitia conclusionis; incomplexum est illud, quod in conclusione est subiectum, & passio de ipso demonstratur; & de isto intelligitur communiter, cum de subiecto scientiae instituantur quaestiones, nam ex hoc postea manifestatur, quodammodo sit objectum complexum scientiae.

Subiectum incomplexum dupliciter accipi potest, ut colligitur ex Scot. q. 3. Prol. S. vel communiter, & sic omne id, quod a scientia consideratur, sive propter se, sive in gratiam alterius, sive sit principium, sive passio, potest dici subiectum, quo sensu Doctor ibi explicat dictum D. August. 1. de doctr. Christ. cap. 1. dicentis, omnis doctrina vel rerum est, vel signorum; alio modo proprie, & formaliter, & est illud, quod ut finis scientiae se habet, in gratiam cujus caetera considerantur; potest addi tertia acceptio, scilicet quod aliquando sumitur pro subiecto praedicationis, & dicitur id, quod de omni in scientia considerato praedicitur; ut ens naturale in philosophia, quod tam de corpore, quam de materia, forma, causis, & elementis praedicitur, ens rationis, vel secunda intentio in Logica Aristot. sed proprie acceptio est in secunda significatione.

Subiectum incomplexum proprie sumptum dividitur in totale, & adaequatum, & in partiale, primum est finis totius scientiae, in cujus explicationem tota scientia incumbit, & omnia, quae contemplatur, in gratiam ipsius considerat, unde subiectum attributionis dici solet, eo quia omnia in scientia considerata attributionem habent ad ipsum, saltem in esse scibili; quia vel sunt species ejus, vel principia, vel passiones, vel principia passionum inferiorum, aut alia simili ratione dicitur totale in ordine ad totalem scientiam, a qua respicitur, dicitur adaequatum, quia totalem scientiam taliter adaequat, ut non excedat, neque excedatur ab ipsa, idest ut quicquid ad perfectam cognitionem pertinet hujus subiecti, consideretur a scientia, & nihil consideret scientia, quod ad ipsum non reducat. Subiectum partiale proprie est species aliqua contenta sub objecto totali; quapropter neque principium, neque passio aliqua potest vere dici in scientia subiectum partiale, etsi de illius peculiare instituantur tractatus in scientia, nam 1. Post. 25. in qualibet scientia haec tria differunt, scilicet subiectum, passio, & principium, quare quod habet tantum rationem principii, vel passionis, nunquam debet pro subiecto partiali assignari; at si non solum ut principium, sed etiam ut species subiectiva subiecti totalis consideretur, tunc poterit poni subiectum partiale, exemplum, Deus in 8. Phys. solummodo consideratur ut principium motus aeterni, materia prima, forma, & causa ut principia corporis naturalis, ideoque non possunt dici subiecta partialia Philosophiae, nisi subiectum extendas ad omne id, quod quocumque modo consideratur a scientia; at elementa, quia non solum sunt principia mixtorum, sed etiam species corporis naturalis in communi, idcirco erunt subiecta partialia Philosophiae. Hoc subiectum deinde dividitur in principale, quod erit dignior species adaequati objecti, & in minus principale, quod erit species minus digna, quod si per objectum principale intelligatur id, de quo praecipue agitur in scientia, ut videtur Ovvied intelligere contr. 1. Log. punct. 1. jam coincidit cum objecto attributionis, quod advertendum est, ne fiat aequivocatio in nomine.

13 Smissinch. in proem. Theol. q. 2. num. 47. impugnat istam divisionem, negat enim subiectum adaequatum formale posse dividi in plura partialia subiecta, sed unicum esse ait, & indivisibile, eo quia per Scotum q. 3. prol. S. De secundo dico, subiectum debet virtualiter primo, & adaequate continere omnes veritates scientiae, at si divisibile esset in plura partialia subiecta, non adaequate contineret virtualiter veritates inferiorum. Sed pro impugnatione hujus sententiae sufficit communis consensus Doctorum cum Scoto qu. 3. univer. ad 2. princ. & in principio cujuslibet libri Logicae, ubi diversa assignat partialia subiecta juxta librorum veritatem, & 1. Met. quaest. 1. & lib. 6. qu. 1. hanc distinctionem semper ut verum supponit, & plura contra ipsum dicemus art. 4. & seq.

Hurt. disp. 1. Log. sect. 1. & disp. 1. Met. sect. 1. sub sec. 3. & 4. quem sequitur Arriag. disp. 1. Log. sec. 2. & Ovvied ab initio Logicae impugnat divisionem assignatam tanquam vocabulis abutentem, & confusionem gignentem, concedit enim objectum attributionis esse illud, ad quod omnia reducuntur, & attributionem habent (quamvis differeret etiam in explicatione hujus attributionis, ut infra art. 6.) sed negat hoc objectum totale dici, & adaequatum, nam illud per ipsum est aggregatio omnium, quae in scientia cognoscuntur, puta si in Philosophia solum haec propositiones considerarentur, Caelum est incorruptibile, homo est risibilis, materia est potentialis, Caelum, homo, & materia essent adaequatum subiectum, & totale Philosophiae, incorruptibile, risibile, & potentiale praedictum totale, unio adaequata essent tres connexiones istarum propositionum, & ista tria subiecta, tria praedicta, & tres uniones essent objectum adaequatum (secundum enim

enim ipsum subiectum differt ab objecto, quod subiectum est, quod in conclusionibus subicitur, objectum est tota conclusio & quodlibet eorum erit partiale subiectum, unde subiectum attributionis erit pars adequati objecti; quod alio nomine objectum proprium communissimum vocatur ab ipso. Quem etiam dicendi modum ex nostris iudicat probabilem Poncius disp. 2. Log. quæst. 2. quia inquit, scientiam adhuc retinere posse suam unitatem ex parte objecti, quamvis non unum esset eius objectum adequatum, sed potius aggregatum ex omnibus, quod est manifeste contra Scotum quæst. 3. universal. & quæst. 3. prolog. & alibi frequenter.

14 Hæc tamen opinio potius immerita manet in confusione illa, & vocabulorum abusu, quem tribuit aliis, quam aliquid claritatis contineat, etenim ab omnibus fere Doctoribus objectum adequatum, & totale cum objecto attributionis confunditur, & conditiones assignantur, & in quæstionibus de nomine communis opinio facit veritatem, ut notat Bart. in l. de minore §. Plurimum, ff. de quæst. circa finem; præterquam quod negat objectum adequatum & totale, a quo specificatur scientia unitatem aliquam necessario habere, quod esse falsum ostendemus quæst. seq.

Kursus solet objectum dividi in materiale, & formale, quæ divisio est valde notanda; nam ex ipsa pendet decisio quæstionis sequentis; sed mirum est, quam sint inter se varii, præsertim recentiores. Fuentes quæst. 3. Log. diff. 1. art. 1. explicat objectum formale illud esse, quod est scientiæ adequatum, quia per se a scientia attingitur, materiale vero esse inadæquatum, quia in gratiam adequati objecti contempletur a scientia, ut color est objectum formale visus, albedo vero objectum materiale, citatque Scotum in 2. d. 24. E., ad 2. princ. Hanc eandem explanationem dant Recentiores, præsertim Hurrad. Ovviéd. & Arriag. cit. dicunt enim objectum formale esse illud, quod per se intenditur a potentia, non propter aliud; materiale, quod in gratiam objecti formalis cognoscitur, vel appetitur a potentia, sic finis est objectum formale voluntatis, media objectum materiale, præmissæ sunt objectum formale scientiæ, conclusio objectum materiale, quia conclusio cognoscitur propter præmissas.

15 Sed contra. Fuentes est ipsemet Doct. ibi cit. qui ex professo explanationem illam impugnat, & valde miratur Fuentes pro se citasse Doctorem, cum aperte ibi dicat albedinem, quamvis objectum inadæquatum, esse formale objectum visus, non materiale, eo quia color in communi non videtur, & si nullus esset intellectus, qui colorem in communi abstraheret, adhuc oculus bovis videret album, & nigrum. Tum quia tam adequatum objectum, quam inadæquatum est divisibile in rationem materialem, & formalem, ut corpus naturale est objectum materiale adæquatum Philosophiæ, ut naturale est formale adæquatum. Cælum est materiale inadæquatum quatenus naturam habet simplicem, est inadæquatum formale. Per quod patet ad Hurr. quamvis enim explicatio illa recte objecto materiali, & formali voluntatis adaptari possit, non tamen respectu intellectus, nam sic solum attributionis obiectum esset objectum formale. Tum quia si præmissæ essent objectum formale scientiæ, cum habitus ex objecto formali specificentur, nulla esset differentia inter habitum principiorum, qui dicitur intellectus, & habitum scientiæ, & falso diceretur, scientiam esse conclusionis, intellectum vero principiorum, nec est par ratio de fine respectu mediatorum, & præmissis respectu conclusionis, quia ut ait Doctor 3. d. 28. in fine, ibi est unica bonitas motiva, hic duplex veritas, ut in loco dicemus. Tum quia quamvis præmissæ sint causa efficiens conclusionis, non tamen sunt finis, sed potius conclusio est finis, unde conceditur, conclusionem cognosci per præmissas, negatur vero conclusionem esse propter præmissas, quia ly propter, innuit causalitatem finalem, immo præmissæ assumuntur in demonstratione propter conclusionem.

16 Alii Thom. objectum materialem dicunt esse, quod per accidens a scientia consideratur, id est non per se attingitur, sed ratione objecti formalis, & istud erit, quod per se, & ratione sui consideratur, ut lapis ratione sui non videtur, sed ratione coloris, hinc lapis dicitur objectum materiale, color objectum formale visus; In hoc autem formali objecto duas rationes distinguunt, rationem, scilicet formalem quæ, & est res illa, quæ attingitur, & ut in esse rei consideratur, quæ objectum formale quod etiam vocatur, & rationem formalem sub qua, & est ratio illa, per quam res in esse rei constituitur in esse objecti, & scibilis, etenim res aliqua potest esse in se ipsa considerata objectum diversarum scientiarum, ut patet de homine, qui ut ens naturale pertinet ad Philosophiam, ut sanabilis ad medicinam, ut dirigibilis in moribus ad moralem, naturalitas, sanabilitas, & dirigibilitas dicuntur rationes sub quibus, nam per ipsas homo specificatur & determinatur ad hanc, vel illam scientiam, & solet quoque appellari objectum formale quo; Alii vero hanc rationem vocant per quam, seu propter quam, quia est motivum assignandi conclusionibus, quos sequitur Meurisse in Metaph.

quæst. 4. proem. & rationem sub qua ajunt esse conditionem quandam objecti, sine qua non possunt intelligi, ut est universalitas, vel abstractio a materia, vel lumen aliud ex parte potentia, quo potentia ad certum determinatur assensum, talis est lux respectu coloris, qui licet sit in se visibilis, ultimatè tamen actuatur per lucem, & alii aliter explicant, ut dicemus quæst. seq.

17 Expeditius tamen dicendum cum Doct. quæst. 3. prolog. §. ex his juxta expositionem Lic. ibi, & verioribus Scotistis, immo cum ipso D. Thom. 2. 2. quæst. 1. art. 1. ut fatentur Complut. disp. 1. proem. quæst. 2. quod objectum materiale sit res, quæ consideratur in scientia & dicitur materiale objectum propter indifferentiam, quam habet, ut a diversis scientiis consideretur, & a Thomistis dicitur ratio formalis quæ, objectum formale est ratio illa, sub qua consideratur a scientia, unde modus considerandi dicitur, & se habet ut differentia contrahens rem consideratam, & materiale objectum ad definitum, & proprium modum considerandi illius scientiæ, per quem modum a scientia ab altera distinguitur, quamvis eandem rem considerent, ut patet in exemplo adducto de homine, ita Aristot. 2. Phys. 17. Hic tamen est not. cum Zab. lib. 1. de nat. Log. cap. 8. quod cum modus considerandi constituit objectum in esse objecti talis scientiæ, & consequenter sit ratio, cur passio demonstretur de re considerata, ut naturalitas, quæ est modus considerandi corpus naturale a Philosophia, est medium etiam demonstrandi passiones de ipso corpore: hinc sequitur, quod non debet modus iste coarctare rem consideratam secundum esse, quod habet in se, quasi quod res considerata pluribus inferioribus conveniat, quam modus considerandi, sicut se habet animal respectu rationalis, sed solum debet coarctare in esse scibilis, quatenus scilicet eadem res, quæ indifferens est ut secundum diversam prædicatam consideretur, a modo considerandi coarctetur ad istam, & non illam considerationem; sed in re debent esse æqualiter communia, ita ut de quo dicitur res considerata, dicatur etiam modus considerandi, ita se habet naturalitas respectu corporis naturalis: ratio hujus est, nam si unum excederet alterum, jam committeretur error ab Aristot. assignatus 1. Post. cap. 5. scilicet quod passiones demonstrarentur de subiecto non primo, & inadæquato, puta si aliqua scientia consideraret animal quatenus rationale, & per rationalitatem de animali demonstraret sensibilitatem; vel si aliqua scientia per sensibilitatem de homine demonstraret passionem ipsi convenientem, quatenus sensibilis est, jam passiones demonstrarentur de subiecto non proprio, & inadæquato. Poncius hic disp. 2. Log. quæst. 2. valde invidet, ut assignet objecta formalia distinctiva scientiarum, unde ait, quod si comparentur duæ scientiæ distinctæ habitus de eadem propositione complexa ad se invicem, non distinguerentur ex parte objecti formalis, vel materialis ulla ratione, sed ex parte principiorum diversorum, quibus ostenderetur illa eadem conclusio in diversis scientiis. Sed quæst. seq. art. 1. num. 63. ostendemus hanc distinctionem ex parte principiorum non esse primam, & radicalem, nam ideo diversa sunt principia, quia diversa est ratio formalis objectorum, unde omnis distinctio, & unitas scientiæ a distinctione, vel unitate formalis objecti trahit originem.

18 Quapropter subiectum completum, & adequatum specificans scientiam, ipsamque distinguens ab aliis scientiis, non est materiale tantum, vel formale solum; sed ex utroque constitutum, nam ut notat Didac. a Jesu in Log. qu. 3. proem. neque sanabilitas ut sic constituit medicinam, neque dirigibilitas Philosophiam moralem, sed homo quatenus sanabilis, vel dirigibilis, & per utrumque conjunctum respondere debemus ad interrogationem, per quam subiectum quæritur alicujus scientiæ, sic corpus naturale quatenus naturale est subiectum Philosophiæ, ens in quantum ens est subiectum Metaph. ubi ly in quantum non se tenet reduplicative, ut aliqui Scotistæ asserunt, quia tunc facit sensum reduplicativum, quando particula, cui additur, est causa, vel conditio, cur hoc prædicatum convenit subiecto, ut dicimus 1. part. Inst. tr. 1. cap. 12. modo neque naturalitas, neque ratio entis est causa, cur hoc prædicatum scilicet esse subiectum adæquatum Philosophiæ, vel Met. conveniat corpori, vel enti, non enim valet arguere, corpus naturale est habens naturam, seu habet naturalitatem, ergo est subiectum Philosophiæ, sed causa est, quia habet omnes conditiones adequati subiecti, quæ propter ly in quantum tenentur specificative, quia specificat rationem, secundum quam esse subiectum competit corpori.

Verum ut clarius pateat, quodnam assignari debeat pro subiecto adæquato, & attributionis in scientia, debemus conditiones necessario requisitas inquirere, quæ varie a Doctoribus assignantur, itaut ab aliquibus quatuordecim ponantur, ita Bonetus 1. Metaph. cap. 3. Fland. quæst. 1. art. 7. sed communior sententia est, quod sint tres cum Scoto quæst. 3. Univ. ad quas cætera reducuntur infra num. 54. referenda, ad quarum intelligentiam faciunt seq. art.

ARTICULUS II.

An de subiecto debeat præcognosci quia est, seu existentia.

19 Duo quærit quæstionis titulus, an scilicet de subiecto in scientia præsupponi debeat, quod habeat existentiam, itaut nullo modo possit in scientia demonstrari, deinde si debet præsupponi, quamvis sit ista, actualis ne, vel aptitudinalis, an saltem objectiva.

Quoad primum, communis est opinio apud Recentiores existentiam subiecti non posse demonstrari in scientia a priori, sed bene a posteriori, ita Jo: de S. Thom. quæst. 24. art. 1. Didac. a Jesu disp. 16. quæst. 2. in fine. Moris. disp. 11. quæst. 2. art. 2. ex Scotistis Lich. quæst. 3. prolog. §. Ad argumentum alterius quæstionis, Barg. ibi. §. Secundo quia per omnem. Tromb. 12. Metaph. quæst. 2. Ant. And. 1. Metaph. quæst. 1. Faber theo. 2. & alii. Tatar. vero 2. Post. qu. 1. dub. 3. concedit posse etiam a priori demonstrari, quem sequitur Amicus tract. 25. disp. 2. quæst. 3. dub. 4. & probabile putat Bassol. quæst. 3. prolog. §. Ad rationes eorum. Alii admittunt de partiali, negant de totali, ita Sone. 12. Metaph. quæst. 2. Cajet. 2. Post. cap. 1. Post. qu. 1. dub. 3. concedit posse etiam a priori demonstrari, quem sequitur Amicus cit. Tandem Zab. lib. de trib. quæst. cap. 9. Quæst. 1. Metaph. quæst. 1. Baldu. in propria quæstio de hac re, absolute negant subiectum in scientia demonstrari posse, quod si est, sed necessario præsupponi.

Quoad secundum, qui affirmant de ente rationis dari scientiam, concedunt sufficere, ut de subiecto præcognoscatur existentia objectiva; qui negant dari de ente rationis scientiam, consequenter asserunt requiri existentiam realem: Sed isti sunt inter se divisi, nam Cajet. 1. Post. cap. 1. Tol. quæst. un. ad 5. Niger in clyp. quæst. 5. in Porph. asserunt præsupponi debere existentiam actualem realem, non quam semper habeat, sed saltem statutis a natura temporibus, ut quod: rosa in Vere existat, vel quod aliquando existerit, sive in se, sive in suo continentis virtualiter. Ruyvis autem 1. Post. cap. 1. quæst. 2. Blanc. in Post. disp. 3. sect. 4. Amicus tract. 27. disp. 4. qu. 2. dub. 1. sustinent hoc non esse de ratione scientiæ, ad quam sufficit, ut aptitudinalis existentia subiecti præsupponatur, sed ratione nostri intellectus sensibus alligati esse necessarium, ut semel saltem habuerit actualem existentiam.

20 Dicimus primo, si scientia sumatur pro toto processu cognoscendorum in aliqua facultate, poterit probare existentiam subiecti tam partialis, quam totalis a posteriori, non a priori, saltem pro statu isto. Conclusio est Scoti quæst. 3. prolog. V. 1. Metaph. quæst. 1. & quæst. 3. Elench. & primo quod possit a posteriori probare existentiam subiecti, sive partialis, sive totalis, patet, nam Deus est totale subiectum in theologia, quæ tamen ostendit Deum esse; Aristot. probat per media physica existentiam subiectorum partialium philosophiæ, ut ex ferri sursum ad extremum existentiam ignis, ex motu circulari existentiam cæli, per media metaphysica existentiam Dei. Tum quia poterit objectum aliquod esse ignotum, vel saltem a protervo negari, & a scientia habere sufficiens medium ad ostendendum existentiam, ut patet in exemplis adductis, ergo absque eo, quod recurrat ad superiorem scientiam, ex se poterit suum subiectum firmare. Tum quia metaphysica est omnium naturalium suprema scientia, ergo ad ipsam pertinet probare dari proprium subiectum, non ad superiorem, quam non habet, nec ad inferiorem, quia ut arguit Doctor in prol. citat. hæc scientia est prior metaphysica, ergo si metaphysica poterit hoc præstare, etiam alia scientiæ, si propria habebunt media, cum sit eadem ratio.

Secundo quod non possit a priori, prob. quia vel loquimur de existentia actuali, & de ista, cum sit creaturis prædicatum contingens a causis contingenter existentibus causatum, non poterit confici demonstratio rigorosa, quæ est ex necessariis; tum quia, ut dicemus seq. concl. scientia abstrahit ab existentia actuali subiecti; enti vero increato quamvis sit essentialè prædicatum, non potest tamen ostendi a priori, nisi per deitatem, quam naturaliter non cognoscimus, ita Doctor in 1. d. 2. quæst. 2. G. vel loquimur de existentia aptitudinali, quæ subiectum est ens quoddam possibile in rerum natura non prohibitum, nec repugnans, & hæc quamvis necessario conveniat subiecto, tamen non poterit ostendi, nisi concipiendo saltem rationem explicantem subiecti nomen nullam includere falsitatem, nec unam particulam alteri repugnari, ut facit Doctor in 4. d. 1. quæst. 2. art. 2. ostendendo Sacramentum non esse aliquod impossibile, eo quia, inquit, nulla particula descriptionis Sacramenti repugnat alteri, unde nullam includit falsitatem, quia ex 5. Met. cap. de falso, nulla ratio est in se falsa, nisi partes inter se contradicant, & per consequens Sacramentum non erit purum non ens, & impossibile, quia nihil est purum impossibile, nisi cuius ratio est in se falsa; sic a pari poterit ostendi possibilem existentiam subiecti ex hoc, quod ratio ipsius nullam in se includit falsitatem; sed hoc est procedere a posteriori, non a priori, quod probatur, quia veritas, vel falsitas sunt

effectus possibilitatis, vel impossibilitatis entis, ex eo enim quod res est, vel non est, oratio dicitur vera, vel falsa, non e contra, ergo &c.

21 Dicimus, si scientia sumatur pro toto processu, &c. nam si rigorose accipitur pro noticia conclusionis demonstrationis potissimè, in qua passio de subiecto demonstratur, sic neque a priori, neque a posteriori poterit probari existentia de subiecto, sed præsupponi debet, quo sensu intelligendus est Arist. cum 1. Post. cap. 2. dixit de subiecto in scientia præcognosci quod sit. Diximus etiam, quod saltem pro statu isto nequeat a priori probari possibilem existentiam, quia si quis distincte, & in se perciperet v. gr. animalitatem, & rationalitatem, posset forte concludere possibilitatem de homine, ut ait Doct. de existentia actuali Dei in 1. cit.

Sed contra arg. primo; quod nullo modo possit in scientia demonstrari subiecti existentia. Tum ex Arist. dicitur subiectum supponi in scientia, ut finem; item existentiam ad metaphysicum pertinere, sicut quidditas ab ipso consideratur, quare non poterunt alia scientia ostendere existentiam subiecti. Tum 2. quia scientia pendet ab objecto, & si datur scientia, datur etiam objectum; ergo si dubitatur de existentia subiecti, dubitaretur etiam de existentia scientiæ, quia subiectum est basis, & fundamentum scientiæ. Tum 3. subiectum est maxime notum omnium, quæ sunt in scientia, ergo nequit ejus existentia demonstrari, quia demonstratio ex notioribus procedit. Tum 4. si probaretur per effectum, hoc esset in virtute connexionis effectus cum causa, ut si diceretur, fumus est, ergo ignis est, valebiconseq. propter necessariam connexionem sumi cum igne, quæ debet præcognosci, ergo ante istam demonstrationem supponitur ignis existentia. Tum 5. quæstio si est ab Arist. 2. Post. cap. 1. appellatur quæstio totius, quia quærit totum subiectum, ut an homo sit, ubiq. qualis sit, dicitur quæstio partis, ut an homo sit albus, nam non quæritur totus homo, sed aliquid de homine, quare si quis subiectum scientiæ negaverit, omnia, quæ sunt in ipso, auferantur, nec aliquid remanebit ad demonstrandam existentiam aptum; dicitur etiam ab Arist. ibi, quæstio simplex, & incomplexa, sed demonstratio est complexorum, ergo &c.

22 Resp. ad 1. subiectum supponi in demonstrationibus a priori, & etiam in illis a posteriori, in quibus concluditur aliquod prædicatum supponens subiecti existentiam, & esse verum ipsum; non tamen est necessarium supponi in toto processu scientiæ, in quo debet prius investigari, an subiectum sit, si est ignotum, ut possimus deinde demonstrare passiones de ipso; nam subiectum, cum sit finis, est primum primitivè intentionis non executionis, quare poterit prius in scientia tractari de aliquibus tanquam mediis quasi intervientibus ad indagandam ipsius existentiam. Nec rerum existentia, & quidditas in particulari ad metaphysicum spectat, aliter deberet ad omnia genera descendere, & sic nulla daretur alia scientia præter Metaph. sed solum in communi. Ad 2. dicimus, scientiam posse probare protervis sui subiecti existentiam, quod sufficit, vel assumptum esse verum de scientia in rigore, non de toto processu scientiæ, in quo potest dari aliqua demonstratio, quæ sit positio, & quasi projectio fundamenti totius fabricæ scientialis, ut patet de domo, in ejus adificatione etiam sit fundamentum. Ad 3. verum est modo subiecta scientiarum esse maxime nota, & regulariter raro probatur ipsorum existentia, poterit tamen a posteriori probari per aliquem effectum nobis notiosem. Ad 4. poterit probari vel ex non implicantiæ rationis formalis subiecti, ut diximus in prob. concl. vel ab effectu, in quo reperitur aliqua conditio, ex qua inferatur connexio effectus cum causa, & consequenter existentia causa, ut docet Scotus in prol. cit. ubi ex dependentia, limitatione, & imperfectione creaturæ arguit existentiam causæ independentis, illimitatæ, & perfectissimæ, qualis est Deus, quod fuit, & subtiliter deinde prosequitur in 1. d. 2. quæst. 2. a lit. G. vel tandem (ut exemplo de fumo adducto satisfaciamus) si connexio effectus cum causa debet præcognosci ante demonstrationem, sufficit, vel quod habeatur cognitio aptitudinalis existentia, vel saltem cognitio conditionalis, puta si fumus est possibilis, ignis est possibilis, sed fumus est ens possibile, ergo etiam ignis. Ad 5. etiam dubitetur de toto subiecto, adhuc remanebit aliquod medium a posteriori ad ostendendam ipsius existentiam; neque dicitur quæstio simplex, & incomplexa, quasi sit apprehensio termini simplicis, sed quia fit per propositionem de 2. adjacente, in qua verbum est simpliciter, & solum prædicatum de subiecto, ubi in quæstione qualis sit, sit propositio de 3. adjacente, & prædicatum distinguitur a subiecto, & copula; immo ratio est ad oppositum, quia si an sit est quæstio, erit propositio dubitabilis, ergo poterit probari per syllogismum, ergo non erit quid incomplexum, vide P. Fabrum loc. cit.

23 Secundo e contra, quod possit a priori demonstrari. Tum quia potest scientia a priori sua principia demonstrare, ut cum ex definitione in uno genere causæ ostenditur definitio in altero genere, ut facit Arist. 1. Post. ubi de finitionem formalem demonstrationis probat per definitio nem materialem, ergo poterit etiam subiectum proprium de.

demonstrare a priori. Tum 2. quia existentia aptitudinalis per se convenit subjecto in 2. modo, sed omnis talis propositio est a priori demonstrabilis. Resp. ad 1. disparem esse rationem, nam causa possunt esse sibi invicem causa, & idcirco potest unum predicatum demonstrari per aliud notius, ad existentia aptitudinalis, cum sit modus intrinsecus rei, non nisi a priori per quidditatem posset ostendi, quae pro statu isto non ita perfecte concipitur, nisi in ordine ad compossibilitatem, vel repugnantiam conceptuum, ut diximus, & per consequens a posteriori, cui accidit, quod modus intrinsecus nequit concipi sine re, cujus est modus, neque potest apprehendi res aliqua ut verum ens, quin ut potens existere concipiatur, quod est concipere aptitudinalem existentiam, quapropter nequit deduci de tali existentia vera conclusio, cum conceptus hujus existentia includatur in conceptu praemissarum, & quidditatis. Per hoc patet ad secundum.

24. Dicimus 2. si scientiam sumamus, ut communem ad realem, & rationalem, non necessario praesupponit realem existentiam objecti, sed sufficit objectiva, ac si de scientia reali solum est sermo, ex se praesupponit existentiam realem aptitudinalem, actualem vero aliquando requirit ex parte nostri intellectus. Prima pars de existentia objectiva patet ex dictis q. prol. art. 4. & disp. 3. ubi vidimus ens rationis habere suo modo entitatem, existentiam, passionem & de ipso posse dari scientiam, & propositiones necessarias formari. Secundo, quod actualis existentia non requiritur, docetur a Scoto in 4. d. 1. q. 2. K. & 2. d. 3. q. 9. B. & prob. ab ipso, quia scientia abstrahit ab existentia objecti actuali, aliter posset quandoque esse, & quandoque non esse, unde de quibus non sunt, nec unquam fuerunt, vel erunt, demonstramus passiones, & sufficit, quod habeant verum esse reale potentiale. Tum quia posset Deus species rerum infundere, etiam si non existant. Tandem & propter intellectum nostrum requiritur, quod aliquando res aliqua extiterit, patet, quia ad cognitionem scientificam requiritur species objecti concurrens ad electionem illius, species autem, nisi a Deo infundatur, ab objecto, & intellectu agente producat, ut fufius in lib. de Anim. ergo requiritur, quod existat objectum; maxime pro statu isto, in quo omnis nostra cognitio ducit originem a sensibus.

Ob. probando requiri actualem existentiam; nam 1. Post. 5. quod non est, non potest sciri. Nec dicas intelligi de eo, quod nec est, nec potest esse. Nam praedicata non affirmantur de subjecto potentia, sed actu, dicitur enim homo est sensibilis, non autem potest esse sensibilis. Tum 2. scientia realiter refertur ad objectum, ac relatio realis est inter extrema realia. Tum 3. scientia realiter causatur ab objecto, vel a specie ab objecto producta, ita ut objectum exercere debeat actualem causalitatem, ad quam necessario requiritur existentia. Tum 4. ab eo, quod res est, vel non est, oratio est vera, vel falsa; ergo res debet actu esse. Tum 5. subjectum supponitur quoad *an sit*, sed *an sit* dicit existentiam actualem, ergo &c. min. prob. quia verbum *est* de secundo adiacente dicit existentiam actualem, unde non est verum dicere, Antichristus est.

25. Resp. ad 1. ut ibi, & ad impugnationem patet ex dictis 1. p. Infit. tract. 1. cap. 11. & tract. 2. cap. 1. videlicet, quod in propositionibus necessariis verbum *est* abstrahit a quacunque temporis differentia, nec dicit realem inhaerentiam praedicati in subjecto, sed solum realem connexionem; ita ut si res illa existeret, necessario tale praedicatum haberet. Ad 2. patet ex dictis d. 8. quaest. 5. art. 5. quod illa est relatio transcendentis, quae potest ad non ens terminari, non praedicamentalis. Ad 3. dicimus scientiam a specie causari, non ab objecto immediate, cum sit abstractiva, idcirco probat ultimam partem concl. praeterquam quod potest scientia auditu, vel lectione acquiri; potest etiam intellectus ex cognitione unius rei cognitionem alterius elicere, ut ex visibilibus invisibilia cognoscere. Ad 4. per ly esse, & non esse non intelligi actualem existentiam rei, & negationem ejusdem, sed vel potentialem, vel necessariam convenientiam, vel discovenientiam praedicati cum rei quidditate. Ad 5. ex Scot. in 4. cit. praecognitio *an sit* non est de esse actuali, sed de non repugnantia in effectu, seu de esse aptitudinali, nec semper est de secundo adiacente dicit actualem existentiam, sed aliquando veram essentiam, quo sensu concederetur haec propositio, Antichristus est, sed communiter negatur propter aequivocationem, quia potest dicere existentiam actualem, ideoque indiget explicatione.

Secundo objic. quod nulla requiratur existentia objecti, neque aptitudinalis, in reali scientia, nam Philosophia est scientia realis, & tamen multa de infinito, de vacuo, de privatione demonstrat, ergo &c. Resp. illas non esse veras demonstrationes, nec de illis dari veram scientiam positivam, sed negativam, quia non habent veras essentias; vel dicendum, quod habent existentiam conditionalem, nam Philosophus data hypothesi, quod detur infinitum, vel vacuum, inquirat deinde passiones, quae convenirent, si darentur a parte rei, quod sufficit.

ARTICULUS III.

An subjectum debeat habere quid rei.

26. Praecognitio quid sit ex dictis 2. part. Infit. tract. 1. cap. 1. dividitur in quid nominis, & quid rei: quod subjectum debeat habere quid nominis, ab omnibus conceditur, quia haec est prima omnium cognitio, quam de re aliqua habere possumus: solum dubitatur de quid rei; seu definitione. Et quidem ex dictis disp. 1. quaest. 4. art. 3. definitio proprie dicta; & rigorose competit solum enti positivo, per se uno, reali, composito realiter, vel saltem quantum ad conceptus, & universali, qua propter si per quid rei hanc definitionem volumus intelligere, nec entia rationis, nec ens reale in communi poterunt esse subjecta scientiarum quod est falsum: idcirco per quid rei hic intelligimus vel definitionem istam, vel saltem conceptum aliquem quidditativum, etiam simpliciter simplicem, qualis est conceptus entis, eo quia talis conceptus sufficit ad demonstrandas passiones de suo subjecto.

Ex quibus deducitur, quod entia rationis possunt habere rationem subjecti scientiae, ut ibi diximus disp. 3. & rationes, ac auctoritates, quae in contrarium afferuntur, valent de scientia rigorosa. Similiter ens in communi, quod proprium quidditativum conceptum habet, per quem passiones demonstrantur de ipso, insuper Deus, qui est realiter simplex sit, est tamen in conceptu compositus, qui conceptus ut medium inservire potest ad demonstranda attributa de ipso Deo, quae se habent quasi passiones, & conceptus, ille quasi causa, quod sufficit ad scientiam, ut diximus 2. p. Infit. tract. 1. cap. 4. Substantia rationem subjecti habebit ex ista conditione, unde plures species substantiae ponuntur in variis scientiis ut subjecta: nec urget, quod ait Arist. 6. Met. 1. substantiae non esse demonstrationem; non urget, quia est sensus, quod substantia non concluditur ut praedicatum, & passio in conclusione, sed bene ut subjectum de quo passiones demonstrantur. Neque accidens ex isto capite possumus a subjecto scientifico excludere, nam habet propriam definitionem essentialem, est non pure quidditativum ex 7. Met. 12. usque ad 20. per quam propria poterunt passiones demonstrari de ipso, unde in mathematicis scientiis quaedam accidentia statuuntur subjecta, & ipsum accidens in communi tanquam pars subjectiva adaequati objecti, quod est ens, consideratur a Metaphysico.

27. Dices cum Alex. 2. Met. com. 56. & Bald. q. de objecto Log. ex 6. Met. 6. habetur, accidentis non esse scientiam: & 4. Met. 14. negatur accidens esse alterius accidentis subjectum, ergo non habebit demonstrabiles passiones; & text. 4. tot sunt partes philosophiae, quot species substantiae, sed omnis scientia est pars philosophiae, ergo &c. Tum quia accidens est ad substantiam ut ad efficiens, & finem reducibile, unde per ordinem ad ipsam definitur, ergo per se non consideratur a scientia. Resp. in 1. loco Arist. non loquitur de accidente a substantia contradistincto, sed de effectibus per accidens, quae raro, & contingenter eveniunt, non a determinata causa, unde subjungit scientiam esse de eo, quod semper, aut plurimum evenit, quia ex his possumus arguere virtutem in causis producendi effectus illos, & per consequens propositiones necessarias de illis causis, & effectibus conficere: in secundo loco non loquitur de passione, sed de accidente realiter a subjecto distincto, nec de subjecto immediato, sed de ultimato, quod tantum est substantia, vel ex 4. d. 49. qu. 2. N. loquitur de accidentibus disparatis non de ordinatis: in tertio loco per philosophiam intelligit metaphysicam, cujus una pars est de substantia materiali, alia de immateriali, ut exponit ibi Doct. non quod etiam de accidente non agat, sed quia mentionem facit solum de principalioribus partibus. Ad rationem dicimus accidens habere propria praedicata quidditativa, etiam ut abstrahit a substantia, & proprias passiones, quapropter poterit habere rationem per se considerati a scientia, etiam ordinem dicat ad substantiam.

Ut igitur videamus, an de ratione subjecti scientiae sit, quod habeat proprium quid rei, inquirendum est, an quae non habent quid rei, seu conceptum quidditativum, possit de ipsis esse scientia, talia sunt duo ex dictis disp. 1. cit. ens per accidens & singularia.

28. Circa primum notat Doct. 6. Met. q. 2. quod duplex est ens per accidens, unum accidentalitate rei, quod dicit rem non per se unam, sed ex pluribus aggregatam, vel sine ordine, ut cumulus lapidum, vel cum aliquo ordine, ut exercitus, vel cum aliqua accidentaliter informatione, ut homo albus, & primum est magis ens per accidens quam secundum, & secundum, quam tertium, quia primum minorem dicit unitatem, quam secundum. Aliud est ens per accidens accidentalitate causa, & illud dicitur, quod est unam per se entitatem dicat, non est tamen a determinata causa, sed praeter intentionem agentis principalis evenit, & raro, ut sunt effectus fortuiti, & casuales, scilicet inventio thesauri ex fossione terrae, frigus tempore caniculae, &c. Utrumque autem potest dupliciter sumi, vel in actu signato, & ut alii dicunt, for-

Qu. II. An subjectum debeat habere quid rei. Art. III. 349

formaliter, & sic dicit conceptum istum accidentalitatis, vel rei, vel causa; secundo in actu exercito, & pro subiecto, seu pro materiali; quomodo dicit res illas, quae entia per accidens denominantur. De ente per accidens in actu signato dari scientiam concedunt omnes cum Alense 6. Met. tex. 4. quia ut sic dicit conceptum unum per se, habereque plures passiones demonstrabiles, ut quod non sit scibile, non habeat determinatam causam, non habeat unam passionem, &c. sicut de syllogismo sophistico datur scientia, si in actu signato sumatur, non tamen materialiter, si de infinito, de vacuo, & similibus, quae scientia ab aliis dicitur scientia negativa; & secundum quid. Ex quo patet, Poncium non satisfacere quaestio disp. 22. Log. quaest. 2. num. 14. dum ait de ente per accidens posse dari scientiam, quia potest quis certo cognoscere de pariete albo, quod non habeat aliquam per se unam proprietatem, & quod sit distincte rationis ab ente per se, & quod non sit unum per se. Hoc enim solum probat posse dari scientiam de ente per accidens sumpto in actu signato, in quo sensu non convertitur quaestum, sic enim concedunt omnes de ente per accidens scientiam dari.

De ente per accidens materialiter, & accidentalitate causa ab omnibus admittitur non dari scientiam cum Ar. 6. Met. 4. si reductivative sumatur, idest, ut ens per accidens est (nam si absolute consideretur, quatenus est tale ens, quia ut sic habet propriam entitatem unam, & veram, poterit ad aliquam scientiam spectare) quod probatur, quia ut sic non habet unam causam per se determinatam, sed indeterminatam, & contingenter causatur ab illo, ergo non erit de ipso scientia, quae de propositionibus per se, & necessariis esse debet. Dubium est de ente per accidens materialiter capto, & accidentalitate rei.

29. Admittunt aliqui dari scientiam de tali ente, sed diffiduum est in explicatione, quo sensu detur de ipso scientia; nam Scotus 6. Met. q. 2. Ant. And. q. 4. Zerb. q. 5. Faber disp. 19. Orbel. 6. Metaph. cap. 2. docent de ente per accidens non dari scientiam unam specificam, eo quia non est unum ens specie, sed duo, & scientia ab objecto specificatur, quare de ipso erunt duae scientiae specie, v. g. de numero sonoro non potest dari una scientia unitate specificata, quia numerus sonorus non habet talem unitatem, sed duae scientiae, altera de numero, altera de sono; potest tamen dari una scientia unitate generica, nam ut dicemus qu. seq. quod objectum plura specie distincta sub se continet, scientia de illo dicitur una unitate generica; modo ens per accidens est aliquid unum objectum unico actu intelligibile, nam numerus sonorus propter quandam proportionem, quam habent extrema inter se, potest intelligi unico actu, non sic homo asinus, & de ipso possunt ostendi passiones, ac non est unum unitate specifica, ut dictum est, ergo unitate quadam generica. Alii dicunt ens per accidens posse dupliciter considerari, vel ratione extremorum, & sic non datur scientia, vel ratione passionis demonstrabilis de illo aggregato, & hoc modo est scientia, quia est saltem unum per se perfectitate passionis, ita Meurisse quaest. 4. proem. Met. conclus. 2. Alii concedunt scientiam de ente per accidens, quando est ordinatum ad aliquem finem, vel effectum praedicandum, quia ut sic dicitur unum per se in ratione principii, & causa; ita Amicus tract. 27. disp. 4. q. 2. dub. 4. Blanc. disp. 6. in Post. sect. 6. Alii ut Ruvius in Log. tract. 2. de scient. hab. n. 39. de illo ente per accidens concedunt scientiam, cujus partes ordinantur ad invicem ut determinans, & determinabile: & in hanc opin. incidunt Mas. 1. Post. cap. 10. sect. 2. q. 2. dicens ens per accidens esse unum per se in esse scibilis, Hur. disp. 1. Met. sect. 2. concl. 4. Averia q. 26. Log. sect. 4. Moris. disp. 12. q. 2. Ex adverso alii absolute negant de aliquo ente per accidens dari posse scientiam, ita Alens. 6. Met. tex. 4. Sonc. q. 13. Suarez disp. 1. Met. sect. 1. n. 4. Jo. de S. Thom. q. 26. art. 2. ad 2. Complut. disp. 19. q. 2. & ex Scotistis Barg. qu. 3. prol. 5. Secundo quia absolutum.

Circa 2. fatentur omnes de singularibus in actu exercito per se secundo dari scientiam, nam passiones, quae per se primo demonstrantur de specie, per se secundo demonstrantur de individuis, sic de Christo in theologia demonstrantur, ut homo est, passiones humanae naturae; ex quo rursum patet neq. huic parti quaestii bene satisfacere Poncium disp. cit. n. 13. dum affirmat dari scientiam de individuis quatenus passiones specificae possunt per se secundo de illis demonstrari; quia neque in hoc sensu controversatur quaestum, cum omnes ita concedant de singularibus scientiam dari. Quare dubium est de ipsis ut singularia sunt, an possit dari per se primo scientia, & communior sententia est negativa, Deum excipiendo, de quo datur perfectissima scientia, quamvis sit singularissimus, excipit quoque Vals. 1. part. disp. 4. c. 7. singularia incorruptibilia, de quibus, ait, posse intellectum saltem ex natura potentiae scientiam acquirere, quod dicitur Blanc. & Moris. cit. extendunt ad omnia singularia.

30. Dicimus primo de ente per accidens nullo modo dari scientiam unam; haec conclusio colligitur ex Scot. in 2. d. 3. q. 4. sup. E. & 3. d. 7. q. 1. D. & d. 22. M. & 4. d. 11. q. 3. FF. & quol. 13. AA. quibus in locis asserit,

quod quando aliquid est unum per accidens in se, nequit de aliquo dici per se, nec de ipso poterit aliquid praedicatum per se enunciari, ut diximus 2. part. Infit. tract. 1. cap. 3. sed scientia quilibet est de propositionibus per se, ergo nulla propositio scientifica de ente per accidens poterit formari de mente Doct. & probatur ratione; scientia una est cognitio inhaerentiae unius passionis per causam, tanquam per medium (quod est ratio, & quidditas subjecti) in conclusione demonstrata de uno subjecto, sed ens per accidens, sive in se spectetur, sive in esse scibilis, sive in ordine ad passionem demonstrabilem, sive ut ordinatum ad aliquem finem, sive ut constans ex partibus determinabilibus, & determinante, non habet unam essentiam, per quam passio demonstratur, non est unum per se, nec unum potest habere passionem, ergo &c. Ma. patet, min. prob. quod intrinsece, & formaliter convenit alicui, semper illi convenit, cuicumque comparatur, nam comparatio non auferit, quod per se, & formaliter competit comparato; sed esse unum per accidens, non habere unum per se conceptum intrinsece convenit enti per accidens, ergo quocumque modo consideretur, nunquam erit unum subjectum, sed duo, nunquam habebit unam per se rationem, sed duas, nec unam passionem, nam haec ab unica essentia nata est dimanare, & uni per se subjecto convenire, non duobus. Tum quia, ut aliquid sit unum per se ex pluribus constitutum, requiritur, ut partes se habeant per modum per se actus, & per se potentiae, sed nunquam talis habitudo erit inter partes componentis ens per accidens, aliter esset ens per se; ergo semper erit duo, & duas habebit quidditates, nec ab ipso una poterit fluere passio ipsi inhaerens, aliter idem accidens in duobus subjectis.

31. Dices, solum sequi de ente per accidens, non dari unam specie scientiam, non ostendi, neque dari posse unam scientiam genere, ita Scotista cit. cum Scoto 7. Met. quaest. 2. Contra, tunc datur una generis scientia ex dicendis quaest. seq. quando ex objectis partialibus specificis abstrahitur genus commune potentialiter continens sub se species, & habitus inclinans in cognitionem talis generis dicitur unus generice, in quo uniantur habitus de subjectis specificis, haec doctrina est a Scotistis accepta, ut videbimus quaest. seq. sed a partibus componentibus ens per accidens non abstrahitur tale genus, quia numero sonoro v. g. quod est musicae objectum, non datur aliquod commune genus, quod adaequatum objectum sit musicae, cum numerus, & sonus sint diversorum praedicamentorum. Tum quia habitus specifici, qui de partibus entis per accidens habentur, non pertinent ad eandem scientiam totalem, ut habitus de numero, & habitus de sono, quae sunt partes numeri sonori, non pertinent ad musicam, sed primus ad Arithmeticae, secundus ad Philosophiam; ergo non datur unus habitus genericus continens sub se habitum Arithmeticae, & Philosophiae, aliter non musica Arithmeticae, sed Arithmetica musicae subalternaretur.

Sed contra ob. 1. ex Scoto in 6. Met. cit. oppositum asserente, & quaest. 3. prol. 1. ubi concedit scientiam subalternatam esse de ente per accidens. Tum 2. quia res naturales integre possunt constituere unam causam totalem per se alicujus effectus, quae quidem, licet in genere entis sit quid per accidens aggregatum, ac in genere causa est quid per se unum; ergo de isto aggregato, ut causa poterit demonstrari effectus ab ipso proveniens, & sic illud aggregatum erit subjectum scientiae; nam ut sic habebit quaedam praedicata, & passiones, quae nulli parti seorsim acceptae convenire possunt, & unum actum intellectus terminabit producentem unicum habitum. Tum 3. quia scientiae subalternae sunt de ente per accidens, nam ipsarum objecta addunt accidentales differentias supra objecta subalternantium: medicina considerat hominem ut sanabilem, ethica hominem ut dirigibilem in suis actionibus, arithmetica numerum, politica republicam, artes mechanicae res artificiales, non solum ut habent ralem, vel talem figuram, sed etiam ut ex tali, vel tali materia constant, ut ars navis non versatur circa solam figuram navis, sed etiam circa materiam, sic etiam de arte fabricatoria domus, & de aliis dicendum; insuper pharmacia ex diversis herbis, & radicibus composita dicuntur apta ad sanandos peculiare morbos, quam aptitudinem quilibet illarum herbarum seorsim non habet; & ista omnia sunt entia per accidens.

32. Resp. auctoritatem ex 6. Met. non urgere, cum oppositum habeat Doct. in lib. sent. ut vidimus in prob. concl. ad auct. ex prol. respondet Barg. ibi Doctorem loqui conditionate, ait enim, ideo si scientia subalternata sit de aliquo uno per accidens, praesupponit duas tractantes de partibus illius totius separatim, immo eodem modo exponit locum 6. Met. & potest deduci ex S. Quod si dicitur lineam visivalem, ubi dubitative loquitur de hac re. Ad 2. resp. ex Scot. 1. d. 3. q. 7. M. & N. quod cum plures causae partiales ad unum effectum producentium concurrant, ex ipsis nec una per se causa constituitur in entitate, nec in ratione caufandi, quia quilibet seorsim habet propriam rationem caufandi, & solum dicitur una causa per se unitate ordinis, hinc negatur de illo aggregato demonstrari effectum, ut de una causa simpliciter, sed ut de pluribus unitis; sic cum

cum Sol, & homo generant hominem, tam Sol, quam homo retinent proprias rationes causandi, & una causa fit solum unitate ordinis, & sicut una dicitur causa hac unitate, sic ratio causandi, prædicata, & passiones, quæ de illo aggregato demonstrantur, non sunt unum, sed plura, scilicet plures rationes causandi, plura prædicata, & plures passiones, ac in singulari demonstrantur de illo aggregato, quin etiam illa habent ordinis unitatem, unde non est una demonstratio, sed plures simul ordinatae, & unitæ; eo vel maxime quod falsum est, illud aggregatum unico actu intelligi propter diversitatem objectorum specificam, & si unus esset actus in re, virtualiter tamen esset multiplex, nec unum, sed plures habitus causaret, ut fufus dicitur in lib. de Anim.

33 Ad 3. de scientiis subalternis dicemus infra quæst. 4. Medicina, & Moralis non habent pro objecto ens per accidens, nam ut notat Zerb. & Barg. cit. aliquando utitur aliquo ente per accidens, puta aggregato ex subjecto, & passione, ut circumscribamus speciem innominatam, & per passionem inuimus principium ipsius, eo modo, quo Thomista dicunt, ens mobile esse subiectum Philosophiæ, ubi per mobilitatem circumscribitur naturam, quæ est illius passionis principium, sic sanabilitas, & dirigibilitas dant intelligere principia, a quibus emanant, quæ sunt de hominis essentia, & unum per se faciunt cum homine. Arithmetica considerat numerum, non quidem materialiter pro substracto, & in actu exercito, sed formaliter, & in actu signato, quomodo est unus per se conceptus, ut de ente per accidens in communi diximus, & de ipso possunt proportionales quædam demonstrari tanquam passiones, ut docuimus disp. 7. qu. 2. art. 1. Politica non est unus per se habitus, sed plures aliquo ordine congregati, eo quia uno per se objecto caret, nam respublica dicit aggregatiorem plurium, & quicquid de ipsa demonstratur, non est unum per se prædicatum, sed aggregatione illis pluribus immediate conueniens; idem de arte bellica respectu exercitus dicendum, & de artibus mechanicis, sicut enim objecta scientiarum speculatiuarum maiorem unionem habent inter se, nam unum essentialiter sub altero continetur, quam objecta artium, & habituum moralium, ita maiorem unitatem habebunt scientiæ speculatiuæ, quam alii habitus, ut qu. seq. dicemus. Tandem pharmaca sunt aggregatum quoddam ex pluribus causis, non unum, sed plures effectus causantibus, nam morbus aliquando, est unus dicitur, re vera tamen est quid aggregatum ex pluribus defectibus, & indispositionibus, ad quorum curationem plura remedia requiruntur, ex quorum aggregatione pharmaca efficiuntur, unde cognitio alicuius medicinæ proprie non est una, sed plures demonstrantes plures passiones unitas de pluribus subjectis, ita notat Amicus cit.

34 Dicimus 2. de singularibus, dempto Deo, per se primo non dari scientiam; ita Doctor qu. 3. pro. R. & 2. d. 3. qu. 6. M. & cum eo Scotista omnes; Aueria, quoque Ruuius, & Amic. cit. & probatur ex 1. Post. 43. & 3. Met. 33. & alibi sæpe, ubi Arist. ex professo negat scientiam de singularibus; & unicum fundamentum hujus concl. est, quod tetigit Doctor in 2. cit. quia singularia ut sic non habent definitionem, quæ ut medium possit interuere ad demonstrandas passiones, neque passiones peculiare ipsi ut singularibus conuenientes, ergo nequit, etiam ex natura potentie considerando intellectum, haberi de ipsis scientia, antequam quoad primam partem probatum fuit disp. 1. q. 4. art. 3. quoad 2. partem ostensum fuit disp. 5. q. 4. art. 1. cum diximus proprietatem esse speciei non individui, & adhuc probatur, quia passiones propriæ sunt quædam aptitudines ad operandum ex operationibus a posteriori cognitæ, sed nulla operatio experitur in aliquo individuo, quæ non possit esse in alio ejusdem speciei, ergo nulla aptitudo; & proprietas fluit a differentia individuali, sed omnes ab essentia dimanant, & per consequens sunt omnibus individuis communes. Tum quia singularitas non est ratio agendi, sed potius conditio agentis, solum essentia est principium, & ratio agendi, ac essentia de se communis est, & indifferens omnibus individuis possibilibus illius speciei. Ex quo patet ratio, cur de Deo singularissimo possit dari scientia, quia ipse essentia est de se hæc, nec est pluribus communicabilis cum sui diuisione, unde passiones, vel quasi passiones de ipso per se primo, & immediate demonstrantur: quæ ratio militat etiam de intelligentiis in sententia Arist. ponentis illas necesse esse, & de se hæc.

35 Objic. de facto multæ demonstrationes consociantur de singularibus ut singularia sunt, nam demonstratur eclipis de Luna, & Sole, ut singularia sunt, quia ostenditur ut hic, & nunc, & in tali tempore, quæ sunt conditiones individuantes. Tum 2. quia de singulari in se demonstratur unitas, distinctio, &c. & hæc unitas, & hæc distinctio numeralis non nisi ab individuali differentia provenit, ergo intellectus concipiens hæccitatem Petri distincte postea demonstrare de Petro hanc unitatem, & hanc distinctionem numeralem. Tum 3. quia collectio accidentium conuenit individuo ut sic ex Porph. cap. de specie, ergo poterit de ipso demonstrari. Tum 4. ex 2. Met. 11. habetur non posse sciri antequam ad individua veniatur.

Resp. demonstrationes illas, quamvis in numero singulari consociantur, reuera esse de speciebus Lunæ, & Solis, nam est aliter Luna, & aliter Sol numero essent in illis sitibus, & cum illis aspectibus, iidem proveniret effectus, & eclipis. Ad 2. unitas numerica in universali demonstratur de singulari in esse signato, quomodo induit rationem speciei, nec est verum hanc unitatem, qua Petrus est idem sibi ipsi, & ab alio distinctus, ita necessario ab hæccitate Petri provenire, ut alia consimilis non potuerit emanare, sed solum a prima causa determinatur ad hanc numero unitatem, ut diximus in Phys. disp. 8. quæst. 2. art. 3. Ad 3. collectio illa vere non est passio, cum sit plura prædicata, non unum, dicitur tamen passio large, quatenus per ipsam circumscribimus hæccitatem, & absolute reperiri potest in alio individuo. Ad 4. exponit Doct. in Met. ly individua, quod non intelligantur singularia, sed vel species specialissima, quatenus non est amplius per essentielles differentias divisibilis; vel genus supremum, quod est indivisibile in alia priora, vel propositio immediata.

Ex his omnibus deducas habere quid rei in sensu explicato esse unam ex præcipuis conditionibus subjecti, quia quod habet potest inuere rationem subjecti, & quod non habet, excluditur ab ipsa.

ARTICULUS IV.

An subiectum debeat primo continere virtualiter omnes veritates scientiæ.

36 Scotus quæst. 3. pro. B. definiens subiectum adequatum scientiæ ait, illud esse, quod continet in se primo virtualiter omnes veritates illius habitus, cuius est subiectum; pro cuius notitia advertunt Scotista, quod ly primo idem significat, ac adequate, & id adequate continet, quod in continendo non dependet ab aliis, sed alia ab ipso, itaut per impossibile circumscripto omni alio, adhuc contineret, & nihil contineret, nisi per ipsius rationem.

Advertunt etiam, quod multiplex est continentia, alia essentialis, qua unum continet alterum in primo modo dicendi per se, alia est potentialis, qua superior continet inferiora, alia est virtualis, qua unum continet aliud in esse producibili ab ipso; & quia duplex est esse, scilicet reale, & cognitum, hinc duplex est virtualis continentia, una, qua aliquid potest aliud in esse reali producere, altera, qua potest producere in esse cognito; & tandem quia esse reale est duplex, Physicum, & Metaphysicum, primum est res a sua causa realiter distincta, secundum est quædam formalitas pullulans ab alia, sic duplex est continentia virtualis in esse reali, vel Physica, vel Metaphysica; modo subiectum nequit continere proprias passiones continentia virtuali in esse reali Physico, nam a subiecto ex disp. 5. quæst. 4. art. 1. realiter non distinguuntur, sed continentia Metaphysica, quia vere ab essentia subjecti pullulant ex dictis in Physico disp. 7. q. 2. queritur ergo an subiectum debeat continere virtualiter in esse cognito omnes passiones de ipso demonstrabiles in scientia, ubi non loquimur de objecto materiali, sed de composito ex materiali, & formali, quæ unum completum subiectum scientiæ integraret, ut supra diximus art. 1. (ut objectiones Cajet. diluamus tribuentis Scoto, ipsum loqui de materiali objecto) non quod tale objectum totaliter sine Dei, & intellectus concursu causet ex se notitiam passionis in intellectu, ut male interpretatur Amic. qu. 4. pro. Doctorem nostrum, sed partialiter, & in ratione objecti, nam intellectio ex objecto, & potentia gignitur, supposito divino concursu ex Scot. 1. d. 3. q. 7.

37 Ocham cum suis nominalibus in prol. sent. negat subiectum continere virtualiter passiones in esse cognito (immo negat etiam in esse reali, sed procedit ex eo, quod agens Physicum cum Metaphysico agente confundit, putatque ad quamlibet continentiam requiri distinctionem realem, quod est falsum) Communis sententia est affirmativa cum Scoto cit. sed est dissidium apud Scotistas, si hæc conditio debeat convenire solum subiecto specifico, quæ est species specialissima, an etiam subiecto generico, quod est genus quodlibet, vel aliquod transcendens, nam aliqui indistincte loquentes videntur universaliter loqui, tam de specifico, quam de generico, ita Can. 1. Phys. q. 1. Tat. quæst. 3. proem. Leg. Orbellus in princ. Phys. Smifinch. qu. 2. proem. Theolog. num. 47. ex eo, quod negat subiectum genericum, & dat solum specificum, sed præsertim Brasav. quæst. 3. Univ. & quæst. 1. quod de mente Scot. asserit definitionem in prol. allatam convenire utrique subiecto, licet postea solum in modo loquendi differat ab aliis Scotistis, qui volunt hanc definitionem, vel conditionem assignatam esse subiecti specifici, non generici, nisi respectu propriarum passionum, quas virtualiter continet, passiones vero suorum inferiorum, non nisi potentialiter; ita Barg. super qu. 3. pro. qui Paulum citat, & Lich. Faber Theor. 5. Zerb. 1. Met. quæst. 2. estque Aureol. in prol. q. de subiecto Theol. art. 1. & Amic. tract. 27. disp. 4. qu. 2. dub. 7.

Qu. II. An subiectum contineat virtualiter, &c. Art. IV. 351

38 Dicimus, subiectum proprie loquendo virtualiter continet in esse cognito tantum passiones de ipso immediate, & primo demonstrabiles in scientia, sive genericum sit, sive specificum, & per consequens omnes veritates illius scientiæ, ac passiones inferiorum non nisi potentialiter. Concl. quoad primam partem est Doct. cit. & aliis in locis adducendis, & probatur ab ipso, quia propositiones, quæ in demonstratione assumuntur, alia sunt immediata, ut principia, alia mediata, ut conclusio; in illis continetur causa inherentia passionis in subiecto, quæ est definitio subjecti, in ista continetur ipsa passio de subiecto demonstrata, ergo subiectum est causa, cur ille veritates cognoscantur, ab intellectu, patet, quia per suam speciem representat definitionem, quam essentialiter continet; hæc est causa, cur passio cognoscatur, ergo virtualiter in esse cognito continet omnes veritates scientiæ, nam definitio non est ratio quæ continendi, sed ratio quæ subiectum continet. Tum quia subiectum est causa adæquata habitus, quia est primum in scientia primaritate adæquationis, ergo debet virtualiter in esse cognito omnes veritates continere de ipso in scientia consideratas.

Secundo, quod subiectum genericum passiones inferiorum potentialiter tantum continet, est Scoti 6. Met. quæst. 1. & probatur evidenter, virtualiter primo continere veritates in scientia est per quodquid est posse subiectum causare notitiam veritatis conclusionis, & habitudinis passionis ad proprium subiectum; sed genericum subiectum per suam definitionem non potest esse causa, cur passiones inferiorum de ipsis demonstrantur, ergo, &c. major patet ex Scot. in prol. cit. ubi ait continere primo virtualiter est ita independens esse in continendo, ut circumscripto omni alio adhuc contineret, & nihil aliud contineret, nisi per rationem ejus, ut corpus naturale ita continet mobilitatem, ut circumscripta quacunque specie corporis naturalis, etiam omnibus simul, adhuc contineret, & per suam definitionem poterit de ipso demonstrari, & inferiora non nisi per rationem corporis naturalis continet mobilitatem in communi; minor patet, quia per rationem corporis naturalis, ut sic, nequit circularis mobilitas v. g. de Cælo demonstrari, aliter omnibus corporibus conveniret.

39 Dices cum aliquibus Scotistis, verum esse genus potentialiter continere passiones inferiorum, sed ut sic non tribuere unitatem habitus, sed solum ut continet proprias demonstrabiles per se primo de ipso, per se secundo de inferioribus.

Hæc responsio coincidit cum opinione Smifinch. negantis divisionem subjecti in totale, & partiale, si enim scientia considerans speciem aliquam generis non est pars scientiæ de genere, nec ista connexionem habet cum illa, sicut nec objecta, nullum erit partiale objectum, unde non recte corpus naturale dicitur subiectum in tota Philosophia, nec ens in tota Metaph. nec syllogismus in tota Logica, neque Philosoph. aut Metaphysica, vel Logica, Mathematica, & universaliter quælibet scientia diceretur una scientia; & male in initio Philosophiæ, Logica, Metaphysicæ, &c. infitueretur quæstio de subiecto ipsarum, sed solum quæri deberet subiectum illorum librorum, vel illius libri, qui primo explicandus occurrit contra omnes Doctores, ut etiam dicemus qu. seq. quæ propter eo ipso, quod admittimus genus aliquod pro subiecto in aliqua totali scientia, debemus etiam asserere de ratione subiecti scientiæ non esse continere virtualiter omnes veritates illius scientiæ, sed virtualiter proprias, potentialiter illas inferiorum.

Posuimus in concl. ly proprie loquendi, nam si velimus extendere continentiam virtualem, & illam dividere in immediatam, & mediatam, seu in proximam, & remotam, & hanc fumere per potentiali; ut facit Bras. & videtur etiam Doct. in 3. d. 25. qu. 2. C. & d. 36. quæst. un. L. ubi continentiam virtualem in hoc sensu tribuit subiecto generico, & citat se in 6. Met. quæst. 1. quo loco continentiam generici subiecti ait esse virtualem, & potentialem, sic nulla erit nisi de nomine dissensio.

40 Objic. 1. ostendendo subiectum non continere virtualiter notitiam passionum. Tum quia entia rationis circa suas passiones non habent activitatem aliquam, ut possint illas producere in esse cognito, vel reali; eodem modo se habet relatio realis, quæ non est de genere activorum, unde nequit concurrere ad productionem propriarum passionum, neque ad earum notitiam, cum non sit objectum motivum intellectus. Tum 2. esse eclipabile est passio Lunæ, & tamen a Luna non continetur virtualiter, quia ad cognitionem eclipis requiritur cognitio terræ, quæ ut causa ad eclipis concurrat, at terræ notitia non continetur virtualiter in Luna: esse quoque beatificabile est passio hominis, & tamen ex quidditate hominis non cognoscitur, aliter postet viribus naturæ cognosci ipse Deus, qui est terminus hujus passionis, nequit enim cognosci relatio alia, nisi cognoscatur terminus ipsius relationis. Tum 3. evidenter veritatis concl. non solum pender a subiecto, sed etiam a prædicato, & a præmissis, ergo nequit primo, & adequate contineri in subiecto. Tum 4. sequeretur in demonstratione a posteriori effectum esse subiectum, quia est id, quod virtualiter continet

veritates. Tum 5. si ex hoc, quod causa virtualiter continet effectum in else rei, continet etiam in esse cognito, ergo ex notitia Solis incomplexa poterit haberi notitia omnium effectuum a Sole producibilium, quod est falsum. Tum 6. subiectum comparatur ad scientiam, sicut objectum ad potentiam, sed hoc ponitur primum, & adæquatum penes primaritatem communitatis, non continentiam virtualis, ut patet de colore respectu visus, qui de omnibus objectis visibilibus prædicatur, & ens de omnibus objectis intellectus; ergo &c. quod etiam servatur non solum in objectis potentiarum, sed etiam in subiectis scientiarum, nam in Geometria est linea, in Arithmetica numerus, in Metaphysica ens, quæ de consideratis in illis scientiis prædicantur.

41 Resp. ad 1. patet ex disp. 3. quod entia rationis suo modo habet causalitatem erga proprias passiones, reuera tamen fundamentum entis rationis est, quod causat notitiam entis rationis, & hæc notitiam passionis ipsius, qua ratione dicitur, ens rationis, ut cognitum, causare notitiam passionis: relatio realis non est activa physice, sed metaphysice, ac non causat notitiam passionis propriæ, nisi ut cognita, ut de ente rationis diximus, eo quia non est objectum motivum intellectus, sed terminativum. Ad 2. eclipabilis, sicut continetur virtualiter in Luna quoad esse reale, ita quoad esse cognitum, attamen quia ordinem dicit ad terram, vel aliud corpus opacum in esse reali, ita quoque in esse cognito dependet ab illo, ex quo solum sequitur, Lunam non esse causam adæquatam cognitionis illius, sed requiri cognitionem terræ, non tamen deducitur in Luna virtualiter non contineri, ut in subiecto, quamvis in terra contineatur tanquam in causa, non tanquam in subiecto: beatificabilis nequit cognosci cognita hominis essentia; eo quia ordinem dicit ad Deum, ut ad terminum, qua ratione non continetur sub objecto naturalis attingentia intellectus creati, quod est ens finitum, cujus terminus non est Deus, ex Scot. quol. 14. Ad 3. neg. concl. non enim dicimus subiectum esse causam totalem cognitionis conclusionis, nam prædicatum, & præmissæ concurrunt, sed dicimus subiectum primo continere, quia non solum est causa veritatis conclusionis, sed etiam veritatis principiorum, quatenus ultimate omnia continet tam prædicatum concl. quam principia. Ad 4. neq. seq. quia effectus in illa demonstratione non est subiectum, sed medium, & principium Quo cognoscendi. Ad 5. tunc ex cognitione causæ devenimus in cognitionem effectus virtualiter in illa inclusi, quando effectus se habet ut passio causæ, nam tunc est convertibilis cum causa, a principiis ipsius emanat, nec in altero potest reperiri, nisi in sua causa, quare exemplum Solis non urget, quia non se habet ut subiectum respectu effectuum ab ipso producibilium, & alia causa requiruntur, effectus non in Sole, sed extra reperitur, nec necessario a principiis fluunt ipsius: quamvis si quis perciperet virtutem internam Solis productivam effectuum, posset quoque in cognitionem effectuum devenire.

Ad 6. Doctor in prol. cit. negat omnimodam paritatem, licet enim conveniant in hoc, quod ambo terminant actus potentie, & scientiæ, & in aliis conditionibus, ut est videre apud Bassol. artem differunt in hoc, quod proportio objecti ad potentiam est morivi ad mobile, seu agentis ad passum, at subiectum se habet ut causa ad scientiam ut ad effectum: hinc quodlibet objectum inclusum in objecto primo, & adæquato poterit agere in potentiam, quia quando agens potest agere in aliquod passum, quodlibet agens ejusdem rationis poterit in illud passum agere, & istud a quolibet agente ejusdem rationis potest pati: at non sequitur idem de subiecto, quod si subiectum est causa habitus, quodlibet inclusum in subiecto possit causare eundem habitum: ad exempla adducta, dicimus illa objecta esse communia objectis partialibus, & non solum ut sic dicuntur subiecta, sed etiam ut alia considerata in scientiis ad illa reducuntur, ut sunt passiones, & principia, quapropter assignantur subiecta non tantum, ut habent illam prædicationem communem ad inferiora, sed ut continentia virtualiter proprias passiones, & prædicata: vide P. Fabrum theor. 5.

42 Secundo objic. ostendendo de mente Scoti, quodlibet subiectum virtualiter continere debere omnes veritates scientiæ, & non aliquas potentialiter. Tum quia in 3. d. 14. q. 2. H. habentur hæc verba: *Isud etiam confirm. per Philosoph. 1. Post. 25. ubi vult, quod oportet maxime cognoscere de subiecto quid est; & ratio est, quia in ratione, & quidditate subjecti virtualiter includitur tota ratio scientiæ, tunc sic, quicquid est ratio, propter quam aliquid in se alteri, convenit omni illi, cui illud inest, ut quicquid est ratio divisibilitatis, inest formaliter illi, quod est tali divisione divisibile, ex 2. d. 3. q. 4. G. sed ratio propter quam debemus de subiecto præcognoscere quid est, est inclusio virtualis totius scientiæ in objecto, ergo de quocunque verificatur, quod de illo sit præcognoscendum quid est, de illo etiam affirmabitur, quod virtualiter includat totam scientiam, sed ista præcognitio de quocunque subiecto sive specifico, sive generico, sive transcendenti verificatur, ergo &c. Tum 2. in 1. d. 3. q. 8. in fine, ait Doctor, quod *unitas scientiæ assignatur penes objectum, quia illud est, & penes quod scientiæ distinguuntur, non penes intellectum, &**

Hoc modo distinguendo scientias, illa est una, que est unius subjecti primi, quatenus obiectum primum habet continere scientiam illam virtualiter: idem habet quæst. 7. ejusdem dist. in fine, & supra L. ergo si unitas scientiæ penes virtutalem continentiam subjecti attenditur, cum tribuere distinctionem, & unitatem scientiæ competat etiam subjecto generico, istud non potentialiter, sed virtualiter omnia continere: idem docet 3. d. 25. quæst. 2. C. Tum 3. quia quol. 7. N. docet primum principium continere virtualiter, & eminentes veritates omnium posteriorum, non tamen oportet, quod possit esse causa immediate cognoscendi quodcumque posterius; & 1. dist. 3. quæst. 2. in primo extra inquit, quod quicquid probatur de Deo in Metaph. continetur virtualiter primo in ratione entis; & quæst. 3. §. Quantum ad 2. var. ait, ens virtualiter continere passiones, & ultimas differentias, & lit. M. exemplificat de colore, qui virtualiter includitur in differentiis, & passionibus coloris.

43 Resp. ad 1. quod sicut ratio generici subjecti præcognosci debet respectu passionis ipsius subjecti generici tanquam medium adæquatum ad demonstrandam passionis inhærentiam, at respectu passionis alicujus speciei solum debet præcognosci ut medium inadæquatum, quatenus est pars definitionis illius speciei; sic alia, & alia debet esse inclusio generica, & specificæ passionis, illa virtualis, hæc potentialis: Doctor itaque vel sumit virtutalem continentiam large, vel & melius, ibi loquitur de scientia unius passionis inhærentis subjecto, ut se declarat, quare loquitur de subjecto specifico, vel de generico in ordine ad proprias passiones. Ad 2. eodem modo resp. nam præcipue quæst. 7. cit. in fine loquitur de specie specialissima, quæ non nisi virtualiter continet passiones, & habitus istius speciei sumit ab ipsa unitate secundum virtutalem continentiam; aliter si subjectum etiam genericum secundum virtutalem solum continentiam tribueret unitatem scientiæ, nec Philosophia, nec Metaphysica, imo nulla scientia ex adinventis diceretur una scientia totalis, sed omnino multiplex, præter Theologiam, quæ est de obiecto singularissimo, ut arguimus, eo quod genericum nequit virtualiter passiones inferiorum continere: Quod magis patet ex locis adductis in 3. ratione, nam in quol. 7. nequit intelligi, ut notat Zerb. cit. de continentia virtuali propria, quia sic possent per primum principium immediate cognosci posteriora, sicut per quidditatem speciei immediate cognoscitur passio specifica, nam proprie in illa virtualiter continetur; quapropter hæc virtualis continentia apud Doctorem aliquando sumitur proprie, aliquando ut communis ad virtutalem proprie, & ad potentialem, & dicitur virtualis, quia ratio generis saltem partialiter concurrat ad cognitionem specificæ passionis; sapius tamen de virtuali loquitur, quia Theologicum obiectum hoc modo solum continet proprias passiones. Hinc concludendum, definitionem datam a Scot. prol. q. 3. esse subjecti specifici, nam ut colligitur ex textu, loquitur de continentia virtuali propria; quod etiam patebit in q. seq.

Sed novissime Poncius disp. 2. Log. num. 12. & 18. ut ostendat definitionem subjecti ex Scoto adductam, quod virtualiter contineat omnes veritates scientiæ, etiam generico competere, ait sensum illius nequaquam esse, quod secundum se, & secundum suam rationem præcise contineat veritates totius scientiæ; neque enim secundum se solum debet illas continere virtualiter ita, ut se solo cum intellectu possit omnes illas causare, impossibile enim est, (inquit) quod ens, ut sic, quod ponitur obiectum adæquatum Metaph. contineat omnes veritates metaphysicas, præsertim illas, quæ habentur de Angelis; sensus ergo illius est, ut magis explicat num. 18. quod obiectum adæquatum debeat continere virtualiter omnes veritates scientiæ, cuius est obiectum, non secundum se, & sua prædicata intrinseca, sed secundum se, & omnia illa, quæ sunt ad ipsum reducibilia commode: Cæterum expositio ista contra Doctorem intentionem, & litteram palam militat, nam loc. cit. explicans quid intelligat per continere primo virtualiter, inquit idem significare, quod continere independentem ab aliis in scientia consideratis, & secundum suam rationem præcise, & adæquate, sic quod in continendo non dependat ab aliis, sed alia ab ipso, ita ut per impossibile circumscripto omni alio adhuc contineret, ut dicebamus ab initio articuli juxta communem omnium Scotistarum expositionem; non ergo recedendum est a sententia nostra, quam etiam tradiderunt posteriores Scotistæ, quod Doctor ibi subjectum specificum definiit, non genericum, licet extendendo continentiam virtutalem possit etiam quoquo pacto illa definitio applicari subjecto generico modo intinuat supra num. 39.

ARTICULUS V.

An subjectum debeat esse necessarium.

44 Diximus q. præced. explicando 2. & 4. conditionem scientiæ, debere scientiam esse necessarium non necessitate simpliciter, quasi quod ipsa semper reperiri debeat in rerum natura, & nunquam corrumpi, sed necessi-

tate secundum quid, scilicet quoad veritatem, ut non possit ullo pacto in falsam mutari, quam necessitatem complexam appellavimus, quia est necessitas propositionis, & habitudo necessaria inter subjectum, & prædicatum conclusionis demonstratæ. Attamen quia scientia omnem conditionem sumit a proprio subjecto, sequitur, subjectum quoque debere dici necessarium, invariabile, & incorruptibile, qua ratione communiter asseritur de corruptibilibus non dari scientiam ex 1. Post. c. 7. & 6. Ethic. c. 3. hanc necessitatem subjecti, & invariabilitatem explicare debemus, quænam sit; certum est enim esse distinctionem a necessitate scientiæ, hæc enim causatur ab illa, estque alicujus complexi, scilicet scientiæ, illa vero est incomplexi, qualis entitas subjecti.

Mirum est, quam varie loquantur Doctores in re tam evidenti, ut notat Averia quæst. 26. Log. sect. 4. Quidam enim dicunt, subjectum scientiæ debere esse necessarium, & incorruptibile in universali, non in particulari, vel per se, non per accidens, vel in potentia, non in actu, vel actu signato, non exercito, vel quoad essentiam, non quoad existentiam; quapropter si subjectum deinde sit corruptibile in particulari, per accidens scilicet ad corruptionem singularium, in actu exercito, & quoad existentiam, ut se habent naturæ communes rerum creaturarum, non destruit necessitatem scientiæ.

45 Istæ distinctiones in hoc deficiunt, quod prima facie videntur loqui de incorruptibilitate simpliciter, & corruptibilitate illi opposita, ita ut subjectum ex sua ratione formali non debeat per se incipere, & desinere, & si quandoque incipit, vel desinit esse, hoc fit per accidens ad corruptionem alterius, ut patet in exemplo de naturis rerum in universali, quæ ad incæptionem, & destructionem singularium dicuntur generari, & corrumpi, quod exemplum adduci solet pro explicatione harum distinctionum. Hoc autem est falsum, quia nullis creaturarum rerum naturis quocumque modo inspectis competit hæc incorruptibilitas, sed quælibet est corruptibilis, & destructibilis etiam in universali, per se, in actu, & quoad essentiam. Tum quia si corruptibilitas subjecti quoad esse sufficit, ut cognitio non dicatur necessaria, sed variabilis, & falsa, quamvis non per se, sed per accidens, vel alio modo illi conveniat, sufficit quoque ut eodem modo competat cognitioni, & sic scientia saltem per accidens, vel quando corruptibilitas subjecti competet, poterit mutari in falsam, quod est contra rationem scientiæ, ut quæst. præced. diximus, aliter igitur explicari debet hæc necessitas, vel saltem aliquod aliud debet addi.

Plerique quos sequitur Amicus tract. 27. disp. 4. qu. 2. dub. 6. alia via incedunt; distinguunt enim de necessitate, quod alia sit complexa, quæ reperitur in propositione necessaria, quia nequit per quamcumque potentiam mutari in falsam, alia est incomplexa, quæ rebus incomplexis convenit, & est duplex, vel quoad essentiam, & hæc convenit rebus ex se ipsis habentibus essentiam, non ex nostro libero arbitrio; illi opponitur contingentia incomplexa, cum scilicet res non ex propria natura, sed ex libero hominum arbitrio habet essentiam, ut vestis est hoc, vel illo modo formata dependenter ab hominum placito; alia est necessitas incomplexa quoad existentiam, quæ dupliciter explicari potest, vel positive, quando essentia rei vere necessario existit, ut non possit non existere, & hæc modo competit Deo; vel negative, seu præcise, quando scilicet essentia rei non consideratur in ordine ad habendam existentiam, sed ut ab ea præcindit; huic necessitati opponitur contingentia incomplexa quoad existentiam, vel quia essentia rei existit contingenter a parte rei, ut sunt omnes res creatæ, vel quia etiam in esse intelligibili non præcindit ab existentia contingenti, talia sunt omnia agibilia, & factibilia, quæ ab habitibus practicis considerantur in ordine ad existentiam, eo quia scientiæ practicæ sua obiecta contemplantur, ut sunt possibilia poni ad extra, & secundum circumstantias, quæ possunt illis a parte rei convenire, quod est considerare obiecta in ordine ad existentiam. Tum ad quæst. respondent, obiectum scientiæ debere esse necessarium necessitate complexa, & incomplexa, tam quoad essentiam, quam quoad existentiam, non quidem positive, sed præcise, & negative, qua ratione negant agibilia posse esse obiecta alicujus scientiæ, & consequenter negant morales scientias, & practicas esse vere scientias.

46 Dicendum est, obiectum debere esse necessarium necessitate veritatis obiectivæ in sua essentia, seu ut alii dicunt necessitate complexa obiectivæ, vel necessitate incomplexa quoad essentiam, non requirere tamen necessitatem incomplexam quoad existentiam, sive positive, sive præcise explicetur, est communis; & quidem, quod in se debeat habere necessitatem veritatis obiectivam, colligitur ex Scot. 1. disp. 3. qu. 4. I. & seq. & patet, quia scientia requirit hanc necessitatem, ut formaliter ita sit vera, quod nullo modo possit esse falsa; ergo obiectum ita se debet habere in se, ut dicat necessarium habitudinem ad illa prædicata, quod non possit illa non respicere, si enim posset aliter se habere, & alia prædicata opposita continere, jam scientia posset esse falsa formaliter: & hæc intrinseca

Quæst. II. An ad object. debeant omnia reduci. Art. VI. 353

trinseca necessitas, quæ reperitur in obiecto, & exigentia propriorum prædicatorum dicitur necessitas essentia, quatenus cadit inter prædicata essentialia: dicitur necessitas incomplexa essentia, quia obiectum in ipsa quidditate est quid unum incomplexum; dicitur etiam complexa vel obiectivæ, vel virtualiter, quatenus est ratio, cur de tali quidditate formentur propositiones formaliter necessariæ.

Deinde quod non requiratur necessitas incomplexa quoad existentiam, hinc ex hoc, quod hæc necessitas positive explicata solum Deo convenit, & tamen de aliis rebus habetur scientia, cum possint de illis formari propositiones æternæ veritatis, quod sufficit ad scientiam: neque requiritur, quod quælibet scientia abstrahat ab obiecti existentia, nam scientiæ practicæ non abstrahunt, & tamen sunt scientiæ, ut cum Scot. quæst. 4. prol. dicemus quæst. 5. Tum quia medicina, quicquid docet, dirigit ad opus, & res considerat in universalibus quidem, sed ut potentes existere, & in ordine ad existentiam possibilem, & tamen in medicina multæ consueverunt propositiones æternæ veritatis, quæ per veras causas demonstrantur, ergo ut sic possunt esse obiectum scientiæ: consequentia patet, quia illud debet dici scientiæ obiectum, quod potest causare notitiam suarum passionum veram, certam, evidentem, necessariam, & per causam, hæc omnia habet medica scientia.

47 In oppos. objic. præter autoritates illas, quibus conantur Adversarii offendere cum Arist. facultates practicas non esse scientificas, de quibus quæst. 5. Tum quia scientia est abstractiva cognitio, de cuius ratione est, quod abstrahat ab existentia obiecti, per quod differt ab intuitiva cognitione, ergo debet habere necessitatem incomplexam quoad existentiam abstractivæ. Tum 2. obiectum scientiæ debet esse invariabile, quod aliter se habere non posset, sed omne tale necessario debet abstrahere ab existentia, probatur, quia existentia est variabilis, ergo quod dicit ordinem ad ipsam, ut sic, erit quoque variabile. Respond. existentiam rei non solum intuitivæ, sed etiam abstractivæ cognosci posse, ut habet Scot. 2. dist. 3. quæst. 9. & 11. F. & quol. 13. L. quando scilicet, non est ratio cognoscendi motiva, sed solum se habet ut res cognita, & pars obiecti; sed quicquid sit de hoc, dicimus ad argum. scientiam necessario debere abstrahere ab existentia rerum in particulari, & ut actualiter existunt a parte rei, non ab universali, & ut possunt existere, nam ut sic vere de ipsis rebus possunt formari propositiones necessariæ complexæ, ut concedit etiam Amicus: ex quo evidentem sequitur, res ipsas habere necessitatem obiectivam veritatis, ut quoque concernunt aliquo pacto existentiam, nam termini in propositione non essent necessario connexi, nisi in seipsis haberent necessariam habitudinem, per quod patet ad 2.

Dices, ex 1. Post. 18r. & 6. Metaph. scientiæ sunt de iis, quæ semper eveniunt, aut ut plurimum, ergo obiectum non est necesse, ut sit invariabile, & perpetuum. Resp. non intelligere ibi Arist. res ut actu existentes, vel semper, vel ut plurimum, sed ut potentes existere, nam cum videmus ex positione alicujus causæ sequi aliquem effectum saltem ut plurimum, arguimus a posteriori virtutem in illa causa producendi talem effectum, quomodo sit universalis propositio, & ab existentia actuali abstrahitur: quæ demonstratio a posteriori non potest fieri in his, quæ raro, & per accidens eveniunt; de quo disp. quæst. 1. art. 2.

ARTICULUS VI.

Quo sensu subjectum respiciat omnia considerata in Scientia.

48 Quidam ex Thomistis docent, subjectum scientiæ debere omnia in illa contenta inspicere tanquam inferiora, de quibus essentialiter prædicetur, quam prædicationis communitatem ut præcipuum, immo ut adæquatam subjecti conditionem statuunt. Sed hunc dicendi modum refutavimus art. 1. nam 1. Post. 25. scientia de tribus agit; de subjecto, de quo passionem demonstrat; de passione, quam demonstrat; & de principiis, per quæ demonstrat, quæ tria sunt inter se distincta, nec possunt coincidere, ergo est contra rationem subjecti, quod prædicetur de omnibus in scientiis consideratis, & in illis includatur: quandocumque igitur est aliquid, quod directe prædicatur de alio, tanquam de sub se contento, quod tamen non potest habere in illa scientia rationem subjecti, saltem partialis, quia scilicet sit velut passio, vel solum ut principium, consideratum ab illa, illud commune statui non poterit subjectum, quia quod convenit superiori, saltem secundario debet inferiori convenire, & si inferiori repugnat, signum evidens, non reperiri in superiori, ergo si esse per se consideratum in scientia, quod est esse in illa subjectum, nec secundario convenit alicui inferiori, quod est esse subjectum partiale, ergo nec

primario, nec secundario convenit superiori; vide art. 4. in resp. ad 6. confirm. primæ objic.

Communis opinio est, subjectum debere respicere omnia in scientia contenta tanquam finem illorum, ita ut ad ipsum habeant attributionem, qua ratione subjectum attributionis appellari solet, sed non est eadem omnium sententia, ex quo capite debeat hæc attributio attendi; nam Hurt. disp. 1. Metaph. sect. 3. quam doctrinam per totam illam disp. sæpe repetit, & Arriag. disp. 1. Log. sect. 2. ac Ovyied. ibid. sustinent inferiora esse semper obiecta attributionis in scientiis; communiora vero esse obiecta attributa, quatenus inferiora sunt, in quorum gratiam considerantur superiora, non e contra, ac proinde attributionis obiectum semper, ajunt, esse speciem specialissimam.

49 Dicendum est cum communiori, omnia in scientia considerata dicere debent ordinem, & attributionem ad unum tanquam ad finem, & scopum totius scientiæ fabricæ; quod non necessario semper debet esse inferius, & species specialissima, immo sæpius est aliquod commune genericum, in cuius gratiam inferiora considerantur in scientia; ita Scot. quæst. 3. un. & quæst. 3. prol. & fufe 6. Metaph. quæst. 1. probatur, & explicatur, nam scientia totalis est unum quoddam artificiosum cum fundamento in rebus ipsis cognitis, ut dicemus quæst. seq. ergo omnes ejus partes debent esse inter se connexæ, & ad unum finem ordinate, qui finis erit exacta, & perfecta cognitio proprii obiecti, quod sibi præfinit scientia, ergo omnia respicient obiectum adæquatum scientiæ tanquam id, in cuius gratiam assumuntur a scientia, quod est dicere attributionem ad illud, & obiecta attributa denominari. Sufficit autem, quod considerentur vel ut principia ipsius subjecti, vel ut partes componentes, vel ut passiones, vel ut principia passionum, vel quia sunt opposita subjecto (qua ratione cognitio istorum maxime confert ad cognitionem subjecti, unde dicebat Arist. in postpræd. cap. de oppos. & 11. Metaph. 3. eandem scientiam esse contrariarum) vel aliquo alio modo; & præcipue, vel ut partes subjectivæ, & ut principia, & passiones harum partium subjectivarum, non enim est necesse, ut dicebat Hurt. quod semper superiora in gratiam inferiorum considerentur, quæ est secunda pars concl.

50 Probatur autem contra Hurtad. quia etsi in esse rei superiora habent reduci ad inferiora, attamen in esse scibilis, seu ut res cadunt sub consideratione scientiæ, poterit inferius considerari in gratiam superioris, quatenus confert ad cognitionem superioris, non quidem ut totum quoddam attuale est, sed potentiale, si scilicet artifex præscriberet sibi de aliquo communi pertractare adæquate, non solum secundum ea, quæ actu continent, sed etiam potentia. Tum quia videmus in coordinationibus rerum ita fieri, nam tota rerum multitudo ad quadam capita est redacta, quæ prædicamenta dicuntur, in quibus hæc, vel illa rerum series collocatur, & quamvis adint superiora, & inferiora, in quibus includuntur illa, & consequenter in esse rei ad inferiora dicant ordinem; attamen prædicamenta illa ab universalioribus denominationem sumunt, dicitur enim prædicamentum substantiæ, prædicamentum quantitatis, qualitatis, &c. & ex intentione artificis, & dividit illa superius est principaliter intentum; unde si decem scientiæ de prædicamentis instituerentur, quælibet pro subjecto adæquato, a quo specificaretur, respiceret proprium generalissimum, & in gratiam ipsius inferiora consideraret, ut explicaret potentialitatem ipsius ad inferiora, non vero respiceret species specialissimas, aliter non una scientia daretur de substantia, sed plures, & plures juxta speciem infimarum numerum, sicut igitur non obstant inclusione superioris in inferioribus, inferiora tamen dicuntur ad idem prædicamentum pertinere, eandemque rerum coordinationem constituere propter continentiam potentialem, quam habet generalissimum illorum, ad quod dicunt attributionem quoad unum prædicamenti constitutionem, ita subjecta partialia, quæ sunt species infimæ in scientia, quamvis includant genera, & superiora, & ut sic genus commune attributionem dicat ad illa, tamen ut unam habent constituere scientiam, & unam scibilium seriem in esse scibilis potius reducuntur ad superioris, quam e contra.

Conf. quia ipse Hurtad. §. 190. concedit physicam esse unam genere scientiam propter unitatem obiecti genericam, quod est corpus naturale, subdit tamen quod complectitur sub se plures scientias species omnino distitas, & disparatas, verb. grat. scientiam de homine, & de Cælo, nam cognitio de Cælo nullo modo dependet a scientia de homine, ex quibus prob. nostrum asserunt, si enim species quamvis sint omnino disparatæ inter se, dicuntur tamen uniri in genere (sicut dicebat Porphy. cap. de specular. de individuis, *Plures homines participatione speciei sunt unus homo*.) & si unitatem attenderemus, principalis se habebit genus, quam species, & e contra si divisionem, principem locum obtinerent species, quæ habent dividere genus, ubi genus habet unire, & congregare species, ita de ipso.

ipforum scientiis dicendum, quod scientia specificæ, quamvis inter se non ordinantur, ununtur tamen in scientia communi generica, & quia causa unionis est unitas generis, idcirco principaliter intentum in illa totali scientia erit genericum obiectum, quatenus causa principalis totius scientiæ adificii, & per consequens species habebunt in esse scibili attributionem ad genus, quia si genus non esset, quod sua unitate congregaret dispersa, non daretur una scientia totalis ex partialibus constata, vide quæstionem sequentem.

Notante vero dictum est in conclusione, non necessario in scientia semper debere esse inferius, vel speciem specialissimam obiectum attributionis, sed sæpius esse aliquod commune genericum, in cuius gratiam inferiora considerantur in scientia, notante (inquam) id dictum est, quia oppositum quoque interdum accidere potest, quod nimirum in scientia superius consideretur in gratiam inferioris, ad illudque reducatur, tum in esse rei, tum in esse scibilis, & hoc præsertim accidit, cum in scientia tradenda coincidunt ordo naturæ, & doctrinæ; & quidem id constat manifestis exemplis, nam in Logica verb. gr. ens rationis, secunda intentio, argumentatio, &c. habent reduci ad syllogismum, cuius exacta cognitio per se, & directe in ea ab Arist. intenditur; in Physica ens materiale, ens mobile, &c. ad corpus naturale reducuntur, & in eius gratiam considerantur, utpote cuius naturam per se, & directe intendebat Aristot. in illis libr. explicare, quemadmodum quæst. præm. ad Physicam ostendimus; & hoc bene probant argumenta Hurrad. mox solvenda, in quantum militat contra secundam partem conclusionis, & probare contendunt conceptus superiores in scientia semper in gratiam inferiorum considerari debere; hoc enim non est universaliter verum, licet interdum ita possit accidere, ut dictum est; Ex quo patet, falsam esse Poncii conclusionem primam disp. 2. Log. quæst. 2. num. 13. in qua universaliter statuit nunquam in scientia totali posse aliquid inferius esse obiectum attributionis, ita ut superius in gratiam illius consideretur, quandoquidem oppositum constat in exemplis adductis de Logica, & Physica, quæ quidem, & ipse in suæ conclusionis probationem adducit, cum inquit in illis scientiis aliquid communis, quam ulla species infima, assignari pro obiecto adæquato. Quod quidem verum est, adhuc tamen advertendum illi erat in illis scientiis considerari quoque conceptus quosdam magis superiores, quam sit illud commune, quod in eis pro obiecto assignatur, ut in Logica conceptus entis rationis, secunda intentionis, argumentationis, &c. in Physica conceptus entis materialis, entis mobilis, &c. qui quidem conceptus esto sint communiores omnibus consideratis in illis scientiis, non ob id tamen assignantur eis pro obiectis adæquatis, sed considerantur in gratiam illius minus communis, quod est earum adæquatum subiectum, qualis est in Logica syllogismus, in Physica corpus naturale.

51 Contra arguit Hurrad. quando plura sunt ordinata ut finis, & media ad finem, illud habet rationem finis, quod est principalis, perfectius, & non confert ad ascensionem alterius; illud vero est medium, quod est ignobilius, imperfectius, & confert ad ascensionem finis, sed in scientia superioris, & inferioris cognitiones sunt ita ordinata, & cognitio superioris est ignobilior, & imperfectior, quia confusa, & obscura, & confert ad cognitionem inferioris; nam hæc nequit haberi sine illa, cognitio inferioris est perfectior, clarior, & magis determinata, nec confert ad cognitionem superioris, cum possit superioris cognosci non cognito inferiori, ergo inferioris cognitio erit finis, superioris vero medium, & consequenter inferius erit obiectum attributionis, superius obiectum attributum. Tum secundo sicut pars essentialiter ordinatur ad totum, ut imperfectum, & incompletum ad perfectum, & completum, ita cognitio partis ad cognitionem totius, nam res petunt cognosci cum ea proportionem, quæ sunt, sed superius est essentialis pars inferioris, quod est totum, ergo, &c. Tum tertio materia, & forma, quia sunt essentialiter partes, non sunt in Philosophia subiectum, sed constitutum ex eis, ergo idem de superiori respectu inferioris dicendum.

Dices, superius esse quoddam totum potentiale, cuius partes sunt inferiora, & hæc ratione inferiora reduci ad superius, ut partes ad totum. Instat Hurrad. probando superius, etiam ut totum potentiale, & universale, referri ad inferiora, nam universale, ut sic, est pars petens contrahi ad compositionem speciei, sed pars, ut pars, refertur in cognitione ad totum, quod componit, ergo &c. tum quia genus ideo dicitur totum potentiale, quia respicit inferiores species, in quibus clauditur, & de quibus prædicatur, sed ut sic est essentialiter pars speciei, nam clauditur ut quid potentiale, & prædicatur per modum partis potentialis, ergo ut sic ordinabitur ad cognitionem specierum.

52 Resp. hæc argumenta procedere in esse rei, & quando in doctrina servatur idem ordo naturæ, non vero in esse scibilis, & quando ordo doctrinæ est ab ordine

naturæ diversus; diximus enim in quæst. præm. & disp. 1. quæst. 6. non semper scientificum servare in tradenda aliqua facultate eundem ordinem, quem res servant inter se, nam a parte rei cognitio causæ ordinabilis est ad cognitionem effectus, quia hæc nequit haberi sine illa, non tamen e contra, & tamen quis posset ordinare cognitionem effectus ad cognitionem causæ, ut est in demonstratione a posteriori; medium ex propria natura est ad finem ordinabile, non e contra, verum si quis præferret sibi cognitionem mediæ tamquam finem ultimum, & intrinsecum suæ scientiæ, tunc cognitio finis interserviret cognitioni mediæ in esse scibilis, ut patet in frænativa, in qua directio equi, quæ est finis, reducitur ad frænnum; neque hoc est repugnans naturis rerum, quia licet non sit mutua dependentia in esse rei, potest tamen dari in esse scibilis, quatenus una res est a priori per causas, & a posteriori per effectus cognoscibilis; imo & a concomitantibus; poterit igitur quis ex suo arbitrio cum fundamento tamen in re, ut dicemus quæst. seq. assumere aliquam rerum seriem declarandam, finis illius obiectivus erit res illæ, non quidem ut sunt diffinitæ, sed ut unitæ, & in unam compactæ, non unione aggregationis, sed compositionis, & vinculo reali, quatenus in unum commune conveniunt essentialiter, quod per differentias postea dividunt, & consequenter, quod habet rationem totius, & principalis in esse scibilis, erit illud commune connectens inferiora, quæ ut partes continent, & respicit, ac differentias ut aliquid ipsius: finis vero formalis erit cognitio illius communis, quod respicitur ab inferioribus tamquam includens ipsa in esse scibilis, & a differentis ut divisivis illius, & per consequens erit hoc commune principaliter intentum a scientifico, non solum ut est totum quoddam actuale, sed etiam potentiale, quia ut sic dat unitatem omnibus rebus, ut possint unam materiam scibilem integrare.

53 Ad 1. igitur dicimus major. esse veram in esse rei, non in esse scibilis ex fine, & arbitrio scientifici, quomodo non requiruntur illa conditiones, ut aliquid sit principaliter intentum ab artifice, sed sufficit ut potens sit dare unitatem materiæ, quam declarare intendit, sic se habet superius ex dictis, ad quod inferius dicit ordinem, & confert ad cognitionem ipsius, sicut connexa conferunt ad cognitionem connectentis, inferiora in esse scibilis sunt connexa in unum obiectum scibile adæquatum, superius est connectens tribuens illis unitatem obiectivam. Ad 2. superius in esse rei est pars, at in esse scibilis est totum, inferiora sunt partes, nam sicut partes ununtur in toto, ita inferiora in esse obiectivæ scibili ununtur in illo communi, sine quo non essent unum obiectum, sed plura obiecta, quæ proportio, & connexio habet fundamentum in rebus ipsis propter convenientiam in illo communi, ut diximus. Ad 3. si quis vellet infirruere scientiam de materia, cognitio compositi in esse scibili ordinaretur ad cognitionem materiæ, quamvis hæc sit pars; non est tamen paritas omnino inter materiam, & genus commune, nam materia non se habet ut superior respectu compositi, nec ut totum quoddam potentiale, ut se habet genus. Ad primam impugnat. illius respons. dicimus hoc, quod est esse partem potentialem specierum, quamvis in esse rei sit ratio ordinans genus ad species, in esse scibilis tamen est ratio, cur species ordinentur, & attributionem dicant ad genus, quia per hanc communitatem generis species interveniunt ad constitutionem unius obiecti adæquati scibilis ab artifice intenti; per idem ad 2.

54 Ex hucusque dictis liquet, quam recte assignaverit Doctor quæst. 3. univ. conditiones subiecti scientiæ, quarum prima est, quod de ipso præsupponatur quod est, & quid est, ut vidimus art. 2. & 3. Secunda, quod per eius quodquid est demonstrantur de ipso passionem, quod est continere passionem demonstrabiles de ipso, ut vidimus art. 4. & tertia, ut ad ipsum omnia alia in scientia considerata reducuntur, & attributionem dicant, ut in præsentem ostendimus; nec alia conditiones requiruntur, nam quæ ab aliis assignantur, vel sunt superflue, vel reducuntur ad istas; nam quod subiectum non debeat esse prohibitum, hoc est aliquod impossibile, non equivocum, non ens per accidens, non corruptibile, sed necessarium, non demonstrabile, sed præsuppositum, includuntur in prima conditione, nam si de subiecto præsupponitur quod est, jam non demonstratur in scientia, in sensu tamen exposito art. 2. si habet quid est, erit definitum, & per consequens possibile, non prohibitum, univocum, non æquivocum, per se, non per accidens, necessarium necessitate veritatis, non contingens, quia propositiones in primo modo, quales sunt illæ, in quibus definitio prædicatur de definito, sunt sempiternæ veritatis. Quod alii addunt debere habere principia, per quæ passiones demonstrantur, quod sit prius natura passione, jam includuntur in prima, & secunda conditione, per principia enim non necessario intelligi debent principia essendi, ut sunt causæ intrinsece componentes, sed intelligendi, quales sunt præmissæ demonstrationis, in quibus definitio subje-

subiecti assumitur ut medium. Quod dicunt alii subiectum debere adæquari scientiæ includitur in tertia, nam si omnia ad ipsum reducuntur, jam non excedit, neque exceditur a scientia.

Deinde, quod subiectum debeat esse ens reale, non est necessarium, quia de ente rationis potest esse scientia: quod sit universale, non requiritur, quia de Deo singularissimo est scientia, quod habeat partes subjectivas, solum de subiecto generico verificatur, non de specifico, & singulari, & tandem, quod sit communissimum, si de communitate attributionis explicatur, est vera conditio, & est tertia assignata, si de communitate prædicationis, est falsa, & contra rationem subiecti.

QUESTIO III.

De Unitate Scientiæ.

55 Non est hic sermo de actuali scientia, hæc enim cum sit cognitio conclusionis demonstratæ, multiplex erit, sicut plures sunt conclusiones in scientiis, & una potest absque alia sciri, ut patet, & de his actualibus scientiis videbimus, quomodo unam integrent totalem; sed loquimur de scientia habituali, quam ex dicendis in lib. de Anim. supponimus qualitatem quandam esse de prima specie ab actibus productam, inclinantem in similes actus, non autem esse species rerum intelligibiles inter se ordinatas, ut perperam quidam dixerunt; & de ista habituali scientia quærimus unitatem, quæ tamquam proprietas sequitur entitatem.

Ant. Mirand. lib. 13. de evens. singul. certam. sect. 6. & 7. Julius Syrenus opusc. de object. Metaph. sect. 3. cap. 5. 6. & 7. & alii sustinent non nisi unam scientiam totalem reperiri ex natura rei ex partialibus scientiis compositam, & solum Doctorem arbitrio, & voluntate in plures scientias totales esse divisam; hanc sententiam docere debent, qui Metaphysicam statuunt ita communem, ut ad particularium entium essentias considerandas descendere teneatur, nam sic omnes alia scientiæ saltem speculativæ superfluerent, quia omnia ad considerationem Metaphysicam pertinere. Ex adverso quamplures hanc sententiam de unitate scientiæ, ut vanam, improbabilem, & falsam respuunt, ita præsertim Conimb. qu. 1. præm. Phys.

56 Media via incendum, quod quamvis scientiarum saltem speculativarum unitas, de omnibus rebus non sit irrationalis, sapienter tamen a Doctoribus plures scientiæ totales sunt distinctæ, quæ de quibusdam rebus pertractent, & hoc non totaliter ex Doctorum placito, sed ex fundamento in rebus ipsis scibilibus reperito; ita Doctor 6. Metaph. quæst. 1. in fin. additio, ubi inquirens rationem divisionis scientiæ in communi in tres, scilicet, Metaph. Phys. & Mar. tandem concludit; Post ergo longam inquisitionem non video huius divisionis sufficientiam per aliquam rationem necessariam posse ostendi: sed placuit diversis autoribus circa diversa subiecta speculari, & ut sua considerationi subderet, quot videbantur aliquam convenientiam in principis, & in modo considerandi habere; quibus verbis duas nostræ partes innuit, & quod scientiæ totales ex auctorum placitis distinguantur, & consequenter, quod poterat dari una totalis scientia, ut dicemus disp. 1. Metaph. quæst. 1. & quod non mere arbitrarie fuerit facta hæc divisio, sed propter convenientiam rerum scibilium in principis, & modo considerandi; ipsum sequuntur Meur. in Metaph. quæst. 6. præm. & omnes fere Recentiores. Primum explicatur, nam unitas scientiæ desumitur ab unitate obiecti scibilis, sicut ergo omnia scibilia in ente conveniunt, & unum obiectum totale, & adæquatum integrare dicuntur, sub quo omnia tamquam partialia obiecta continentur, ita poterit dari una scientia totalis ens tamquam obiectum considerans, quæ plures partiales scientias habeat; quarum quælibet partem determinatam entis contempletur, quo sensu interpretantur aliqui Arist. 4. Metaph. 1. dum ait Metaphysicam considerare ens, ut ens, cæteras vero scientias abscindere sibi aliquam partem entis, non enim apparet major ratio, cur omnia scibilia possint in unum obiectum convenire, non autem scientiæ in unam communem; & si velis cum Thomistis scientias necessario distinguere ex diversa abstractione a materia, ita ut scientia non ex rebus, ut sic, sed ut abstractioni substantiæ, a materia distinguitur, de quo mox art. 1. saltem sicut abstractiones diversæ a materia conveniunt in abstractione in communi, quæ postea in tres dividitur, ita de scientia dici poterit, & quod detur una totalis res abstractas investigans; alia partialis continens juxta diversitatem abstractionis rerum; hinc 3. de Anim. 38. scientia secari dicitur, sicut & res. Tum quia scientia in communi est genus ad omnes scientias, ergo una totalis generica potest dari.

57 Attamen, quia unam tantum ponere scientiam rerum omnium magnam confusionem parere poterat, & multiplicare tot scientias totales, quot species entium, esset in infinitum progredi, sapienter consilio factum est, Mastrii, & Bellari Tom. I. Logice.

ut omnes scientiæ ad certum numerum reducerentur, quæ totales dicuntur, non simpliciter, sed secundum quid, sicut de prædic. dicebamus disp. 6. quæst. 1. quæ dicuntur genera summa secundum quid, stante illa famosa divisione in decem series rerum claritatis gratia adinventæ.

Non est autem hæc scientiarum divisio, ut notat Doctor voluntarie facta, ut de seipsa verificetur dictum illud *stat pro ratione voluntas*, sed habuit fundamentum in rebus ipsis, ita ut sicut prædicamentorum divisio, ac distributio ex convenientiis, & differentiis plurimarum rerum inter se ortum duxit, ita de scientiis dicendum, unde videmus nullam scientiam agere simul de equo, & Angelo, quia nulla proportio, & convenientia inter hæc entia reperitur; sed bene aliqua scientia est de omnibus corruptibilibus, aliqua de immobilibus, aliqua de immaterialibus, &c.

Dices, Scotum 1. Metaph. quæst. 9. impugnare opin. illam asserentem Metaphysicam omnium rerum quidditates in particulari considerare, maxime quia cæteras scientiæ superfluerent, ergo in sentent. ipsius absurdum est concedere tantum unam scientiam. Respond. quamquam ibi Doctor non ita clare resolvat quæst. illam, tamen improbat illam sent. eo quia supponebat divisionem scientiæ in plures totales, & unam ponebat scilicet Metaph. considerare substantias, cæteras accidentia; vel reprobat, quia scientificus debet præcipue claritati, ordini, & facilitati incumbere in tradendis facultatibus, & confusionem, quantum poterit, evitare: vel tandem loquitur de Metaph. non prout tradi poterat, sed ut fuit ab Arist. instituta.

Cum igitur plures dentur scientiæ totales, quarum quælibet propriam rerum seriem ab altera distinctam præscribit sibi proponendam, quærimus, unde sumenda erit hæc unitas scientiæ, & a quo habeat specificari scientia, & tria examinabimus, ut perfecte unitatem scientiæ possimus cognoscere, a quo specificat, an sit simplex qualitas, & tandem qualis sit unitas, quam accipit a proprio specificativo.

ARTICULUS I.

Unde sumenda sit unitas, & specificatio scientiæ.

58 Duplex in scientia, sicut, & in quolibet alio habitu, assignari potest unitas intrinseca, quæ propriam consequitur entitatem tamquam passio, extrinseca altera, quam ex obiecto dicitur desumere, a quo specificatur, & essentialiter dependet, unde & obiectiva dici solet; primo, quia non ita facile cognoscitur, innotescit nobis per secundam, & de ista loquimur, a quo scilicet scientia totalis habet, quod sit una a cæteris distincta, eo vel maxime quod idem obiectum videmus a pluribus scientiis diversis considerari, imo eandem conclusionem, ut quod terra sit rotunda demonstratur a Physico, & Geometra.

Prima opinio (quæ adamussum est explicanda, quoniam celebris est apud Thomist.) asserit diversitatem scientiarum sumi ex diversitate abstractionis a materia; quam sententiam suse explicat Complut. disput. 19. quæst. 1. & Joan. de S. Thom. quæst. 27. art. 1. & primo notant scientiam specificari ab obiecto, non quidem materialiter, & in esse rei, sed formaliter, & in esse scibili considerata, quæ ratio scibilitatis dicitur ratio *sub qua*, nam sub ipsa conveniunt res a scientia consideratæ, & consistit in hac, vel illa abstractione a materia, pro qua.

59 Secundo notant, abstractionem esse duplicem, vel totalem, ut cum superius abstrahitur ab inferiori, & abstractum hac abstractione fit potentialius, & minus intelligibile, quia abstrahit ab actualitatibus specificis scilicet differentiis, actus autem est notior potentia, & de ista non est sermo; alia est formalis, qua forma abstrahitur a materia, seu quod est actu, ab eo, quod est potentiale; nam forma est actus, materia potentia, & consequenter sic abstractum est magis intelligibile, quia de puratur a materialibus, & potentialibus, quæ impediunt intelligibilitatem, & quia triplex est materia, prima est singularis, idest, quicquid pertinet ad singularitatem rerum scibilium, ut hæc caro, hic calor, hoc os, & secunda sensibilibus, ut sunt omnes sensibiles qualitates, ut calor, frigus, &c. & tertia intelligibilis, quæ est substantia corporea, seu materia prima; hinc triplex genus scientiæ datur, loquendo de speculativis: prima scientia abstrahit a materia singulari, & est, quæ considerat res sensibiles, ut sensibiles sunt, non in particulari, sed in universali, talis est Philosophia; secunda quæ abstrahit a materia singulari, & sensibili, ut Mathematica, quæ quantitatem considerat, non ut albam, vel nigram, calidam, vel frigidam; non tamen abstrahit a materia intelligibili, quia non considerat quantitatem sine substantia materiali, cui inest, & a qua dependet in esse, & in cognosci, tertia tandem abstra-

hit ab intelligibili materia, quæ talis dicitur, quia solo intellectu percipi potest; & hæc est Metaphysica, quæ res a materia abstractas contempletur, ut sunt, quæ vel non sunt in materia, ut substantiæ separata, vel esse possunt absque materia, ut ratio substantiæ, qualitatibus, actus, potentia, &c. Hæc igitur immaterialitas est radix, & origo intelligibilitatis, & consequenter diversa immaterialitas erit radix diversa intelligibilitatis, & quia triplex est immaterialitas, triplex quoque erit intelligibilitas, & triplex genus scientiæ speculativæ. Addunt tandem per hanc abstractionem non intelligi denominationem intrinsecam ab actu intellectus abstracti provenientem, sed immaterialitatem illam objectivam, & radicalem, quæ objectum sic, vel sic est natum intelligi.

60 Ruv. quest. 4. præc. Log. aliter explicat hanc rationem scibilitatis, & sub qua, scilicet, quod illa est una scientia ab illis distincta, quæ propria habet principia, quibus utitur ad probandas conclusiones, quæ principia se habent ut lumen illuminans conclusionem, & ex diversitate luminis, seu principiorum oritur scientiarum diversitas, quam expositionem amplectuntur Compl. & Jo: de S. Th. & Amic. tract. 27. disp. 4. quest. 3. addentes solum, quod hæc luminis, & principiorum diversitas, cum sit quedam intelligibilitas, non nisi ab immaterialitate objecti potest provenire, & consequenter tota ratio specificationis erit immaterialitas.

Alii hanc rationem scibilis, seu abstractionem dicunt esse diversum lumen, quo objectum est cognoscibile, nam objectum materia sensibili immersum, est cognoscibile per sensus externos, a quibus ortum ducit Physica scientia; objectum in materia intelligibili cognoscitur ab imaginativa; objectum a materia intelligibili abstractum est ab intellectu scibile: ita Ban. 1. p. q. 1. art. 3. Zum. q. 2. Alb. 1. Phys. tex. 1. apud Amic. cit.

Alii hanc abstractionem declarant, eo quia in primo gradu quedam intelligibilia sunt, nec re, nec ratione abstracta a materia, ut sunt res physica; in secundo quedam sunt abstracta ratione, non re, ut mathematica objecta: in 3. tandem quæ re, & ratione abstrahunt, de quibus est Metaphysica; & hæc est frequens expositio apud multos.

Scotus in Metaph. cit. & aliis locis adducendis in art. seq. hanc specificationem desumit a diversitate objectorum adæquatorum, & totalium, itant illæ sunt distinctæ scientiæ, quæ diversa objecta, nullo modo ut inter se connexa respiciunt: quæ vero habent objecta aliquo naturali vinculo, quoad considerationem colligata, integrare unam totalem scientiam: ipsum sequuntur Scotista, & Suar. disp. 44. Metaph. sect. 11. Fons. 5. Metaph. cap. 7. quest. 5. sect. 2. Hurr. disp. 1. Metaph. sect. 6. & 7. Averſa quest. 27. sect. 9. Arriag. disp. 1. Log. sect. 3. Merinero disp. 1. præc. Log. q. 5. Moris. disp. 12. Log. q. 3. Blanc. disp. ult. sect. 5. & 7. & alii.

61 Dicendum est, prima sententia de triplici abstractione sit explicatur, ut a Scoti sententia diversa, est omnino falsa, vera est, ut cum ista coincidit, non tamen clare difficultatem explicat, ut declarat modus dicendi Scoticus. Prima pars hujus concl. modus dicendi Thomist. sit falsus, prob. discurrendo circa explanationes adductas: nam primo falsum omnino est specificationem scientiæ sumi ex eo, quod quedam sunt entia sensibilia, quedam imaginabilia, & quedam mere intelligibilia. Tum quia objecta scientiæ non cadunt sub sensu, cum sint universalis, ergo omnia sunt mere intelligibilia. Tum quia imaginabilia sunt etiam sensibilia per sensus externos, a quibus derivantur in phantasmam. Tum quia distinctio scientiæ, & unitas debet sumi ab eo, quod per se pertinet ad scientiam, quod autem objectum sit per sensus cognoscibile, per accidens se habet, nam si intellectus a sensibus non penderet, adhuc in ipso scientiæ essent distinctæ, ut est in intellectu separato.

Secundo falsum est, abstractionem a materia, prout præcisionem dicit, specificare scientias, nam hæc præcisio vel dicit actum intellectus abstrahentem, & hic nequit dare unitatem scientiæ, cum a scientia non attingatur, & solum se habet, ut approximatio objecti ad scientiam: vel dicit denominationem provenientem in objectum ab actu abstrahente, & hæc cum sit mera denominatio extrinseca, & ens rationis materiale, non poterit realiter specificare scientias, vel dicit abstrahibilitatem objectivam, quatenus objectum est conceptibile non concepta hæc, vel illa ratione in ipso contenta: & neque hæc potens est specificare scientias, quia ut sic formaliter solum dicit conceptum quemdam negativum, scilicet, neationem associationis alterius rei, vel realitatis in intellectu, hoc enim est præciscere id est non intelligere præcisum cum eo, a quo fit præcisio, hæc autem negatio non est specificativa scientiæ. Tum quia illud poni debet ratio formalis specificativa scientiæ, quod est ratio, cur objectum sit scibile, & cognoscibile a scientia, sed talis non est ista præcisio, nam illud est ratio scibilitatis in objecto, quod est ratio, cur de objecto demonstraretur passio in demonstratione, talis non est præcisio a materia, non enim per hoc, quod homo est ab individuis abstra-

ctus, ideo est scibilis, sed quia est rationalis. Tum quia hæc abstractio potius se habet ut conditio intelligibilitatis objecti, quam ratio formalis, imo nec est necessaria ad scientiam, ut videbimus in solut. arg. Tandem in rebus sic abstractis ab omni materia: adhuc distinguenda est ratio materialis, & ratio formalis objecti, nam syllogismus v. g. in Logica abstrahit ab omni materia, cum sit ens rationis, & tamen in se consideratus est objectum materiale logicæ, non formale, ergo logica non habet specificari ab objecto ut abstractio: corpus naturale in communi abstrahit a materia singulari; quantitas in se a materia sensibili; substantiæ separata, & transcendentia ab omni materia, non ob id tamen sunt complete objecta scientiarum, imo a pluribus scientiis possunt considerari, ergo abstractio non erit ratio formalis specificans scientias.

62 Dices, abstractionem esse rationem genericam constituentem objectum in ratione objecti scientiæ genericæ complete, continere tamen diversos gradus, ad quos per alias rationes formales contrahitur, constituitque cum illis diversas scientias. Contra, ratio specifica distinguens diversas scientias contentas sub illa ratione generica scientiæ per abstractionem constitutæ deberet in se continere abstractionem illam communem tamquam genus, v. gr. corpus humanum ut abstractum a materia est quid considerabile a Physica, & Medicina, ut naturale contrahitur ad Physicam, & sanabile ad Medicinam, naturale, & sanabile non includunt abstractionem illam tamquam genus ab ipsis contrahibile, ut se habeat naturalitas in communi ad hanc, & illam naturalitatem, unde valet dicere naturalitas cæli est naturalitas, non valet, quod sit abstractio, nec sanabilitas est abstractio; ergo ratio communis constituens scientiam communem physicæ, & medicinæ non erit abstractio a materia singulari.

Vel tandem per hanc abstractionem datur intelligi ratio formalis positiva objecti, quatenus ex sui natura includit principia, in quibus exprimitur ratio inhærentia passionis in subiecto, ut explicat Ruv. & adhærent Compl. & Jo: de S. Th. & hæc est sententia Scoti, quæ adhuc male explicatur per abstractionem a materia. Tum quia abstractio formaliter dicit, quod non habet res, non quod habet. Tum quia non sufficienter, nec recte per has abstractiones dividuntur scientiæ speculativæ totales, nam logica abstrahit ab omni materia, ut Metaphysica; item Arithmetica agit de numero, ut communi ad res materiales, & spirituales: quæ est abstractio metaphysica, & tamen sub Mathematica collocatur; Astrologia quoque, musica, & perspectiva, quia mathematicæ sunt, pertinent ad 2. abstractionem, & tamen astrologia est de corporibus celestibus, eorumque moribus, aspectibus, & influxibus, musica de numero ut sonoro, perspectiva de linea ut visibili, quod est materiam sensibilem concernere, scientia tandem moralis abstrahit a materia singulari, quia res in universali considerat, non tamen a materia sensibili, nam contempletur humanas actiones ut dirigibiles, & per consequens in ordine ad circumstantias corporales, & materiales, & tamen est omnino a Philosophia condistincta: qua ratione impugnatur ultima expositio hujus triplicis abstractionis: Complur. & Jo: de S. Thom. cit. multum laborant, ut sufficientiam hujus divisionis salvent; Sed in re potius voluntaria, quam rationibus firmata non est immemorandum: eo vel maxime quod Metaphysica ipsa multa considerat, quæ in Physica quoque tractantur; agit enim de principis, de causis, actione, passione, & similibus, Physica etiam si in se spectetur, cum habeat pro objecto adæquato substantiam finitam, communem etiam Angelis, ut statuimus q. præc. Phys. jam ager de rebus abstrahentibus ab omni materia; quam rationem fuisse prosequitur Averſa q. 1. philof. sect. 6. ostendens Physicam a Metaphysica non distingui.

63 Præstat igitur dicere cum Scoto distinctionem scientiæ, & unitatem sumi ex unitate, vel distinctione objecti formalis juxta explanationem traditam quest. præc. art. 1. qui modus est ipsius Arist. 3. de Anim. 37. & 38. & 2. Metaph. 2. & 4. & 1. Post. 43. ubi Arist. docet unitatem scientiæ ex unitate objecti investigandam. Tum quia a quo res accipit entitatem, ab eo sumit unitatem, & specificatorem, scientia vero in sua entitate dependet ab objecto; quapropter illa erit una scientia, quæ unicuique habeat objectum formale, id est, quæ rem aliquam considerat sub proprio modo contemplandi, quo non attingitur ab aliis scientiis, quamvis res illa consideretur ab aliis scientiis, sed sub diverso modo considerandi. Qui modus, cum sit medium concludendi passiones de subiecto, erit principale ingrediens in principis demonstrationis, & consequenter diversæ omnino, & disparate scientiæ habebunt diversas principia, & modos procedendi ad demonstrandas passiones; & hinc est, quod aliqui ut Aureol. assignant diversitatem scientiæ ex diversitate principiorum, vel modi procedendi ad probandas conclusiones; hæc autem distinctio non est prima, & radicalis; nam ideo principia sunt diversa, quia diversa est ratio formalis objectorum; ideoque omnis distinctio, vel unitas scientiæ trahit originem ab unitate, vel distinctione objecti. Et hanc eandem sententiam de unitate, & distinctione scientiarum nuper secutus est O-

vied. controv. 1. Logic. punct. 3. §. 4. & Poncius disp. 22. Log. qu. ultimum.

Cæterum assignare distinctionem omnium scientiarum non est præstis negotii, sicut nec objecta omnium scientiarum vestigare, quorum cognitio requiritur, ut unitatem, vel distinctionem scientiarum cognoscamus. Solum addimus, ut optime notat Averſa quest. 27. Log. sect. 9. quod non qualibet formalis ratio objecti debet totales scientias multiplicare, nimis enim confunderetur intellectus, quia tot essent scientiæ, quot naturæ rerum, de quibus possent passiones demonstrari, ut igitur certo numero, & ordine procedatur in scientiis, rationes istæ formales aliqua naturali proportionem, & vinculo colligatæ, & in una communi ratione convenientes, in unum collectæ ad eandem spectantur scientiam totalem, quæ vero sunt inter se distinctæ, nec aliquam habent affinitatem, & proportionem, distinctas, & diversas constituent scientias; sic quia entia materialia, ut sunt motui subiectibilia, illiusque principium in se ipsis includunt, habent magnam connexionem, & naturalem vinculum inter se, hæc occasione Doctores de his omnibus unam totalem scientiam construxerunt; ideo de rebus practicis dicendum, de rebus mathematicis, & metaphysicis, nimis enim longum esset objecta omnium scientiarum recensere, vide Averſam cit. & sect. 7. & 8.

64 In oppos. arguunt Compl. & Jo: de S. Th. primo, quod nostra sententia non satis explicet punctum difficultatis; nam cum dicitur, quod licet eadem res materialiter inspecta possit ad plures attingere scientias, non autem formaliter propter diversum modum definiendi in una scientia, ac in alia; restat adhuc explicandum, in quo consistat hæc diversitas in definiendo: & ex alio cap. nequit provenire, nisi ex diversitate immaterialitatis, & abstractionis, quia scilicet ex diverso modo apprehendendi, sequitur diversus modus definiendi. Conf. non potest in nostra sententia reddi ratio, cur tot definitiones assignatæ in una scientia ad illam pertineant, nisi ad diversum abstrahendi modum deveniantur: nam si dicatur hoc esse, quia omnes illæ definitiones ab uno subiecto habent coordinationem, & dependentiam, explicandum remanet, unde sumatur ista coordinatio, quæ unitatem istam constituit; si pro radice assignetur diversus modus definiendi, jam ille ex diversa abstractione orum ducit; si dicatur, hoc esse, quia omnes definitiones particulares ununtur, & continentur sub uno communi genere: contra est, quia hæc unio, & subordinatio non nisi ab abstractione, & immaterialitate potest provenire: ergo simpliciter respondere, ideo scientiam esse unam, quia in ea considerata ununtur in una ratione formali objecti, est petitio principii, & negatio, hujus enim ratio inquiritur. Accedit tandem, quod si unio in uno communi sufficeret ad unitatem scientiæ, jam omnium una daretur scientia, nec esset ratio, cur omnes mathematicæ scientiæ non sint una scientia genere.

Resp. ex dictis satis sufficienter ex ratione formali objecti explicari unitatem scientiæ, neque abstractionem aliquid conferre, nisi pro ipsamet ratione formali, & considerandi modo explicatur: declarare autem, in quo hic peculiaris definiendi, & considerandi modus cujuscumque scientiæ consistat, non pertinet ad Logicam, sed ad unamquamque scientiam in particulari, sic Physica docet finem ejus esse considerare entia naturalia, ut in hac communi ratione naturalitatis, & habendi principium motus, & quietis conveniunt, sub qua deinde ratione descendit ad inferiora contemplando illa, ut propriam naturalitatem sub naturalitate in communi contentam habent; Musica docet finem ipsius esse considerare numerum, ut sonorum, & in gratiam hujus varias proportionem, & affectiones ponderat. Mathematica in communi habet considerare quantitatem sub ratione mensurabilis. Metaphysica contempletur omnia entia secundum rationes quasdam generales. Practica scientia operationes ut dirigibiles in materia morali, & falsum est, has diversas rationes formales originari a diversa abstractione; nam præterquam quod hæc abstractio, ut communiter explicatur, non satis explicat distinctionem scientiarum, cum multa unius abstractionis considerentur ab aliis scientiis, adhuc tamen hæc causalis non est vera, ideo corpus naturale est considerabile ut naturale, quia abstrahit a materia singulari, nec ista, ideo quantitas est mensurabilis, quia abstrahit a materia singulari, & sensibili, ergo hæc abstractio non erit radix scibilitatis objecti: sed radix erit propria natura cujuscumque objecti: petere autem, cur aliqua objecta habeant naturas conformes, & affines, aliqua non, alia ratio adduci nequit, nisi quia hoc est hoc, & illud est illud. Ex his liquet ad 1. conf. Ad 2. concedimus seq. attamen claritatis, & commoditatis gratia hanc scientiam simpliciter totalem in plures secundum quid totales divisam fuisse, ut supra diximus.

65 Secundo quod immaterialitas sit ratio distinctiva, prob. Tum quia intantum res est intelligibilis, in quantum est a materia separabilis, eo quod intelligibile idem est, ac spirituale, & spiritualitatis principium est a materia denudatio, ergo intantum res est scibilis hoc, vel illo modo, in quantum est diversimode a materia abstrahibilis: quare radix scibilitatis rei hoc, vel illo modo erit

diversa immaterialitas: & sic quando diversæ definitiones sub eadem abstractione procedunt, licet diversas quidditates definiant in esse rei, dicuntur tamen eisdem speciei, ut definitiones physica, quia omnes eodem modo procedunt includendo materiam sensibilem motui subiectam, omnes erunt ejusdem speciei in esse scibilis propter conformem definiendi modum. Tum 2. Arist. 6. Met. cap. 1. scientiam specularivam per triplicem abstractionem in tres scientias divisit.

Resp. ad 1. neg. assumptum, nam & ipsa individua materialia sunt intelligibilia; immo per ipsa intelligimus spiritualia, unde juvamus pro statu isto in cognitione a rebus materialibus; & quamvis in scientiis debeat fieri abstractio ab individuis, hoc non est, quia individua sint prorsus intelligibilia, nam actus ipse abstractionis non præsupponit objectum abstractum, sed quia scientia est tantum universalium, unde hæc abstractio etiam in spiritualibus fieri debet, & proprie est abstractio spiritualis ab inferiori: falsum etiam est intelligibile idem esse, ac spirituale, nam entia materialia, cum sint essentialiter talia, non possunt ut spiritualia concipi: falsum est quoque definitiones diversarum quidditatum in esse scibilis ejusdem esse speciei, ut art. seq. Sed ut penitus hæc ratio solvatur, not. quod cum asseritur res materiales non cadere sub scientia, hæc immaterialitas requisita, vel dicit conditionem, & prædicatum objecti, & est falsum, quia materialis non potest ut immaterialis apprehendi; neque materialitas objecti est ratio contingentis ipsius quoad scibilitatem, quia etiam in spiritualibus dantur propositiones contingentes, ut Angelus movetur, intelligit, &c. vel se tenet ex parte potentia, quatenus dicit modum, & medium cognoscendi, eo quia intellectus non percipit materiali modo, id est per species immateriales, & in hoc sensu veræ sunt illæ propositiones, res materiales non cadunt sub scientia, materialitas impedit intelligibilitatem, & similes. Ad Arist. dicimus assignare sufficientiam scientiarum penes objecta, & diversos definiendi modos, quos circumscribit per abstractionem a materia, revera tamen intendit assignare rationes formales objectorum.

ARTICULUS II.

An scientia sit una simplex qualitas.

66 Loquimur de scientia totali, & præcipue habituali; fatemur autem hanc difficultatem esse potius animaticam, cum sit communis omnibus habitibus, præsupponatque cognitionem, quomodo fiat intensio qualitatum; verum quia in quest. præc. cujuscumque scientiæ quæri solet, an illa scientia sit una, & quam unitatem habeat, nequeat explicari, nisi simpliciter habitualis scientiæ investigetur; idcirco hanc movemus dubitationem, quantum nostro instituto sat erit, reliqua ad lib. de Anim. remittimus.

Prima extrema opinio docet scientiam esse unum simplicem habitum per primam demonstrationem illius scientiæ acquisitum facilitantem intellectum, non solum circa illam demonstrationem, sed ita etiam circa omnes, quibus perficitur per quandam extensionem, ita D. Thom. p. 2. q. 54. art. 4. ubi Cajet. Med. Vsq. disp. 80. Val. q. 6. de habit. punct. 3. Salas tract. 10. disp. 5. sect. 1. Ruv. quest. 4. præc. Log. Cælest. disp. 1. Log. sect. 4. Compl. disp. 19. quest. 4. Jo: de S. Thom. quest. 27. art. 2. Differunt autem, quo pacto habitus ille dicatur extendi ad alias conclus. postquam secundum essentiam per primam demonstrationem fuit acquisitus; nam Cajet. ait, quod in intellectu est potentia ad scire, primam, secundam, tertiam, & cæteras conc. cum habitus acquiritur, perficit intellectum quoad primam potentiam, per 2. demonstrationem extenditur ad perficiendum intellectum quoad 2. potentiam, & sic deinceps, sive sint plures istæ potentia in intellectu, sive una formaliter, & virtualiter multiplex; hoc modo igitur dicitur extendi, quatenus intellectus non remanet interminatus erga 2. demonstrationem, sed terminatur per habitum, cui subicitur. Jo: de S. Thom. ait extendi non per acquisitionem novæ entitatis; sed per acquisitionem novarum specierum. Vsq. & Salas admittunt novam entitatem in habitu per 2. demonstrationem, quæ tamen non sit ejusdem rationis cum entitate habitus, sed modus quidam. Ruv. & Cælest. quod sit omnino ejusdem rationis, sicut calor intensioe acquisitus est ejusdem rationis cum præexistente.

67 Secunda sent. extrema est Scoti multiplicantis habitus ad multiplicationem conclusionum, & demonstrationum in scientia, itaut quot sunt conclusiones demonstrata, tot sint habitus generati specie distincti; ita 6. Met. quest. 1. & quest. 3. prol. D. & T. & 1. d. 3. qu. 7. ad 2. princ. & 3. d. 25. quest. 2. in fin. & d. 31. D. & d. 36. L. ipsum sequuntur omnes Scotista, ut Licher. & Tatar. in prol. cit. Bassol. quest. 6. Ant. And. 6. Met. qu. 1. Zerb. quest. 3. Faber disp. 3. Meur. quest. 6. præc. Met. Paris. quest. 1. præc. Log. & 1. Post. quest. ult. Camer. quest. 16. Log. Fuent. qu. 4. Log. diff. 3. art. 2. Canon. 1. Phys. q. 1. item Nominales omnes, & ex recentioribus

Consp. 1. Post. cap. 23. quæst. un. art. 4. Suar. disp. 44. Met. sect. 11. Hurr. disp. 16. de Anim. sect. 4. Arriag. disp. 1. Log. sect. 3. Averf. quæst. 49. Phil. sect. 7. Morif. disp. 12. Log. quæst. 4. Blanc. disp. ult. sect. 8. Amic. tract. 27. d. 4. quæst. 1. dub. 2. & 3. Tol. qu. 7. proæm. Log. & alii.

Tertia media sent. est quorundam apud Rubion. quæst. 7. prol. afferentium conclusiones in scientia demonstratas esse duplicis generis, vel enim demonstrant diversas passionnes de diversis partialibus subjectis, & harum dantur habitus specie distincti, vel demonstrant diversas passionnes de eodem subjecto, & hoc dupliciter, vel successive, & distinctis demonstrationibus, & de istis dantur habitus specie distincti parciales; vel simul, & eodem actu demonstrativo, si scilicet, de omnibus passionibus feret una propositio de prædicato copulato, ut omnis homo est iustus, admirativus, disciplinabilis &c. & tunc concedit de istis omnibus dari unum habitum specie infima.

68. Diximus tamen ad multiplicationem conclusionum in scientia seu proprietatum, sive pluribus, sive unica demonstratione demonstrantur, multiplicati habitus specie distinctos, & consequenter scientiam totalem non esse unum specie, & simplicem habitum, sed plures; ita Doct. cit. & prob. ab ipso duabus præcipue rationibus 6. Met. quæst. 1. quibus tam nominales, quam Recentiores utuntur, ut est videre maxime apud Greg. quæst. 3. prol. art. 1. Prima ratio, actus circa illas concl. specie distinguuntur, ergo habitus in illas inclinantes, & ab illis actibus producti erunt specie distincti; antec. prob. actus illi, qui sunt scientiæ actuales parciales, habent diversa specie objecta, ergo specie distinguuntur; nam ut cum Arist. art. præc. diximus ex distinctione objectorum valet inferre specificam distinctionem actuum; ant. prob. actus scientifici vel sunt de passionibus diversorum subjectorum, vel de passionibus ejusdem subjecti, primi jam differunt quoad passionnes, subjecta, media, & principia, ut cum de cælo demonstratur incorruptibilitas propter carentiam materiæ, & contrarietatem, de sublunariis corruptibilitas per compositionem ex materia, & contrariis, non enim apparet, quomodo in istis actibus cadere possit unitas specifica, si objecta genere differunt, similiter principia, quibus demonstrantur passionnes illæ; secundi si demonstrant passionnes illas eodem medio, scilicet, definitione subjecti, adhuc objecta proxima differunt specie, nam principia integrantur ex medio, & passione, & consequenter si passio est diversa, principia complexa erunt diversa, quia speciales habent veritates, evidencias, & complexiones, idem de conclusionibus dicendum, ut docet Doct. 3. d. 28. in fin. multo magis quando medium est diversum, idem erit dicendum. Conseq. Arg. princip. prob. Tum quia idem est objectum actus, & habitus ab illo producti; unde actus ab objectis specificantur, habitus ab actibus. Tum quia, si actus specie distincti eundem specie habitum possent causare, non esset ratio, cur in intellectu unus tantum habitus non admitteretur. Tum quia habitus est quoddam semen actus, in quem inclinatur potentia, semina autem specie differunt, si illorum fructus sunt specie diversi. Tum quia actus illi producant habitus, ut sunt omnino distincti, & non ut in aliqua formalitate saltem virtualiter assimilantur, quomodo duæ causæ equivocæ ejusdem effectus dicuntur assimilari, ergo habitus producti erunt specie diversi.

Resp. Thomist. actus illos specie distingui in esse rei, & quo ad rationem subjecti formalem quæ, non in esse scibilis, & rationem sub qua, quæ est vel abstractio a materia, vel ratio formalis objecti, vel ut ait Riv. connectio, & dependentia principiorum ejusdem scientiæ ad invicem; nam licet in scientia totali sint diversa, se invicem tamen supponunt, & unum ab alio dependet, ut in Philosophia principia lib. de cælo supponunt essentialiter principia communia corporis naturalis, principia lib. de gen. dependent a principis lib. de cælo, & sic de aliis, idem in Logica apparet, nam principia lib. prior. præxiunt principia lib. prædicab. prædicam. & perierm. principia lib. top. elenc. & post. dependent a principis lib. prior. & propter hanc dependentiam, quamvis in esse rei sint diversi, non tamen in esse scibilis.

69. Sed jam art. præced. has respons. rejecimus; nam arg. procedit de objectis in esse scibili, hoc enim non est aliud, quam cognoscibilitas objecti, non quæcumque, sed modo illativo, seu ut per demonstrationem est scibile, ergo si objecta, ut in demonstratione sumuntur, sunt diversa, erunt in esse scibili diversa. Tum quia etiam hoc esse scibile esset abstractio a materia, adhuc non solvitur argumentum, nam abstractio, licet si consideretur in ordine ad terminum, a quo fit, ut sunt singularia in prima abstractione, materia sensibilibus in secunda, & quæcumque materia in tertia, possit dici ejusdem rationis: attamen si spectetur terminus ad quem, scilicet, res abstracta, est omnino diversæ rationis, sicut res illa specie distinguuntur, diversæque passionnes, & media includunt, ac veritates complexas, specificatio autem scientiæ non debet sumi ab abstractione, ut respicit terminum a quo, nam sic est conceptus negativus, sed ut respicit terminum ad quem; si vero per rationem, sub qua intelligatur

tur ratio formalis objecti, & modus considerandi ipsius, adhuc urget arg. quia hæc ratio formalis est tantum unæ genere in scientia totali, ut patet in naturalitate, quæ genus est ad naturam cæli, elementi, mixti, &c. Tum quia est eadem sit, tamen in demonstratione, ut sumitur cum diversis passione subjecti, constituit diversa principia, & complexas veritates, saltem partialiter, ut dicebamus, ergo conclusiones deductæ erunt diversæ speciei. Tandem connectio illa principiorum non infert identitatem specificam, aliter scientia subalternans, & subalternata esset una specie scientia, quia sunt connexæ, quoad principia; tum quia major dependentia reperitur in causis essentialiter subordinatis, ut sunt causa prima, & secunda, quam inter principia communia, & particularia, at illa dependentia potius arguit distinctionem specificam, quam identitatem; idem evenit inter assensum conclusionis, & assensum principiorum, & inter habitum concl. qui dicitur scientia, & habitum principiorum, qui vocatur intellectus, inter primam, & secundam operationem intellectus.

70. Secunda ratio princ. desumitur a Scoto ex separatione, nam videmus, quod poterit quis habere primam concl. scientiæ, & consequenter habitum facilitantem potentiam erga illam concl. non tamen erga alias, sicut habet, qui perfecte acquisivit totalem scientiam; imo progressu temporis poterit haberi habitus circa decimam, vel centesimam concl. & amitti habitus circa primam, ergo non est idem habitus facilitans potentiam circa omnes concl.

Resp. concedendo in princ. habitum illum non inclinare potentiam ad omnes conclusiones scientiæ, vel propter defectum specierum representantium conclusiones illas, & defectum applicationis, seu exercitii ipsius potentia; vel quia novis illis actibus perficitur habitus, quia ratione idem essentialiter prius erat impotens ad concurrendum, postea fit potens; quæ perfectio poterit venire, vel quia determinat intellectum secundum aliam, & aliam potentiam, ut Cajet. vel quia acquirit de novo modum quandam diversæ rationis a seipso, ut Vasq. vel tandem quia perficitur per additionem entitatis ejusdem rationis, ut Cœlest.

Istæ respons. non juvant. Tum quia falsum est, habitum intrinsece habere vim facilitandi potentiam erga omnes concl. nam habitus ex primo actu scientifico productus, quicquid habet virtutis ab illo actu recipit, sed nequit actus ille includere perfectionem omnium actuum scientiæ, ergo nequit producere habitum includentem vim facilitandi potentiam in omnes actus. Tum quia potest quis post 4. vel 6. concl. elicere erroneum actum circa objectum scientiæ, ergo si unicus esset habitus omnium concl. idem habitus esset simul scientia, & error, quod repugnat. Nec valet respons. Cajet. quam etiam approbat Arriag. non se qui repugnantiam, quia non est respectu ejusdem concl. sed diversæ. Non valet, quia error, & scientia sunt diversæ species essentialiter dividentes habitum in communi, ergo non possunt eidem habitui convenire; sive in ordine ad idem objectum, sive respectu diversorum, aliter idem habitus in duabus speciebus; tum quia ut notat Greg. cit. adhuc esset error, & scientia respectu ejusdem; nam si ille talis eliciisset loco erronei actus actum oppositum scientifico, vel si post elicitionem erroris mutaret sententiam, idem habitus inclinaret in illam oppositam concl. veram, & sic in se esset scientificus habitus illius concl. & tamen idem omnino inclinabat in actum erroris oppositum, ergo esset habitus erroneus, & scientificus respectu ejusdem; tum quia si admitteretur solum respectu diversorum, adhuc sequitur intentum, nam error 2. concl. est compossibilis cum scientia primæ, incompossibilis cum scientia secundæ, ergo habitus scientificus primæ non est idem cum habitu scientifico secundæ; prob. conseq. quia habitus scientificus primæ est compossibilis cum habitu erroneo secundæ, cum quo est incompossibilis habitus scientificus secundæ.

71. Deinde impugnantur singillatim; nam prima non valet, quia etiam si acquireretur species de novo, non statim redditur facilis intellectus, sed difficulter assentit illi novæ conclusioni, quæ difficultas tollitur per exercitium, signum evidens dari novum habitum in intellectu, nam habitus est quedam facilitas potentia erga aliquod objectum ex frequentatis actibus acquisita, ut in lib. de Anim. dicemus. Nec resp. Cajet. satisfacit, imperceptibile enim est, quo pacto habitus determinet intellectum secundum unam potentiam, & non secundum aliam, si enim habitus potens est perficere, & intellectus est potens perfici, & sunt simul unita, quomodo ipsum intellectum non perficiet, secundum ultimum suæ potentia; & quomodo deinde omnino immutatus perficit de novo, & redditur potens, & perfectus; aliqua ergo mutatio erit in habitu. Quod si admittatur nova entitas modalis, & non evitatur difficultas, nam actus producens modum poterat primo acquiri, & tunc produxisset habitum, non modum, & tamen est diversus ab alio actu, ergo non poterit habere vim producendi eundem habitum, sed alium diversum; tum quia poterit quis oblivisci primæ concl. & con-

& consequenter amittere habitum circa illam, retinere tamen cognitionem, & facilitatem erga alias, ergo hæc facilitas erit verus habitus, non entitas modalis, de cuius ratione est, quod non possit esse sine re, cuius est modus. Nec poterit dici, quod illud additum sit entitas ejusdem rationis, quia si prius non inclinabat potentiam ad omnes, nec postea, cum sit ejusdem rationis, & virtutis, & solum difformem sit ex parte intensivæ: tum quia si quis eliceret actum ut 4. circa primam concl. alius vero eliceret 4. actus circa 4. conclusiones, quorum quilibet sit unum, isti habebunt æqualem habitum in intensivæ, stante ista opinione, & tamen habitus primi solum inclinaret in primam concl. habitus secundi in 4. ergo intensio habitus per partes ejusdem rationis non sufficit, ut plura, & diversa respiciat objecta, sed nova entitas, & alterius rationis exigitur in intellectu.

Ex quibus manet etiam reprobata media sententia ponens habitum illum ex unica demonstratione de prædicato copulato generatum: nam præter quam quod omnes rationes formatæ contra primam, urgent contra istam; magis adhuc refellitur, nam si passionnes illæ, ut diversis actibus cognoscuntur, sunt diversæ rationis, & possunt habitus specie distinctos producere, ex hoc, quod unitæ cognoscerentur, non mutarent naturam, sed omnino eandem essent, ergo non unum, sed diversos producent habitus, tum quia falsum est posse unico actu cognosci, ut dicemus.

Solvuntur Objectiones.

72. IN oppos. arguunt 1. a simili, nam habitus principiorum non est ab habitu scientiæ distinctus, unde Arist. 6. Eth. cap. 7. sapientiam ait esse scientiam, & intellectum. Prudentia, quamvis sit circa plurima diversa, & specie distincta, est una ex Arist. cit. cap. ult. fides infusa est unus simplex habitus, quamvis articuli crediti sint diversi. Temperantia est una, & tamen potest quis habere temperantiam circa cibum, non circa potum, aut res veneras, idem de iustitia, & cæteris virtutibus moralibus, sive infusis, sive acquisitis dicendum. Charitas inclinatur in amorem Dei, & proximi, in dilectionem amici, & inimici, & esto fit major difficultas circa amorem inimici, non ob id novus, & distinctus habitus charitatis ponitur. Potentia est una, & tamen fertur in diversa specie objecta, unica visione oculus fertur in imaginem, et si species colorum sint diversæ. Unico actu videntur sensibile proprium, & commune, ut quantitas, & albedo, illa est sensibile commune respectu visus, quia est a tactu perceptibilis, ista est proprium, & tamen genere differunt. In Angelis admittunt Theologi species universales rerum specie distinctarum; insuper afferunt eadem visione beatifica videre Deum, & creaturas in Verbo, per novum respectum terminationis. Et tandem eadem ratio extenditur ad plures terminos, ergo idem dicendum de habitu scientiæ, scilicet quod diversitas objectorum, & concl. non infert distinctionem specificam habituum, nam sufficit, ut aliquo modo conveniant in una ratione scibilis.

73. Resp. has rationes petere longiore disputationem in lib. de Anim. vel in Theol. discutendam, & præcipue an habitus, & actus specificentur ab objectis, tum formalibus, tum materialibus, ut docent Hurrad. & Arriag. an solum ex formalibus, ut asserit communis cum Scot. cit. pro nunc igitur breviter dicimus, falsum esse, habitum principiorum esse idem cum habitu concl. nam sicut actus princip. est causa actus concl. ita habitus princip. medianze actu est causa habitus concl. Arist. autem, vel loquitur de sapientia pro qualibet facultate intellectiva, vel pro Met. cuius munus est principia aliarum scientiarum probare, quo sensu dici potest scientia, & intellectus eminenter, non formaliter, & quocumque modo sumatur, nunquam dicit unum habitum formaliter, sed plures, unum vero unitate generica, ut artic. seq. Prudentia dicitur una ab Arist. non specificæ, sed generice, ut explicat Scot. 3. d. 36. L. Fides infusa, inquit Doct. 3. d. 23. D. est una specie, quia unica specie est ratio formalis assentiendi rebus fidei, scilicet autoritas revelantis Dei, non enim assentitur credibilibus ex propriis rationibus illorum, sed ut sunt a Deo revelata, at scientia tendit in concl. non tantum propter principia secundum propriam veritatem, quantum principia habent ex terminis; sed etiam secundum propriam veritatem, quam ipsa conclusio habet ex terminis aliam a veritate princip. illa enim est veritas mediata, hæc immediata; ideo ad multiplicationem concl. multiplicatur specie scientia: Meurif. tamen docet fidem infusam etiam specie distinguat ad multiplicationem credibilium, contra Doct. cit.

Temperantia, si habet unam rationem formalem specificam honestatis, est una specie, & simplex qualitas, quamvis objecta materialia sint diversa; nec nova difficultas, quæ circa aliquod objectum scilicet circa potum experitur, debet arguere distinctum habitum in voluntate, sed solum in potentiis sensitivis; nam objecta ista possunt dupliciter considerari, vel in ordine ad potentias rationales, & sic mere materialia sunt, quia hæc potentia solam rationem formalem virtutis in ipsis considerant, & appetunt, parum curando de diversitate specifica inter se, vel in ordine ad potentias sensitivas, & hoc modo sunt objecta formalia, propter diversam specie delectabilitatem, quam habent, & sic diversos actus, & habitus specie causabunt, quare habitus circa temperantiam cibi potest adhuc habere difficultatem circa potum, quia novo indiget habitu, non in voluntate sed in potentia apprehensiva, & appetitiva sensibili. Vel dicendo temperantiam, & cæteras virtutes morales habere unitatem genericam, non specificam, ut præsertim de iustitia docet Scot. 3. d. 31. & idem de infusis dicendum, quæ tamen a Scotistis negari solent. Charitas est una specie, quia est unius objecti formalis, scilicet amoris Dei propter se, & amor proximi sive amici, sive inimici non differt nisi materialiter ab amore Dei, ut ostendit Scot. 3. d. 28. & licet aliqua difficultas sentiat, hoc est propter potentiam sensitivam irascibilem, ut de cibis diximus.

74. Potentia est una, quia non specificatur a quolibet objecto inadæquato, sed ab objecto adæquato, cum sit universalior, & universalis respicit objectum, non sic habitus; aliter unus daretur respectu omnium actuum, sicut una potentia, unde mediam tenet viam inter potentiam, & actum; nam potentia eadem numero potest in plures actus specie tendere; actus idem numero in unum numero objectum, at habitus idem numero, & simplex in plures consimiles actus. Oculus non una visione attingit colores imaginis, sed pluribus, signum evidens, quo plures sint colores, eo majori attentione oculum indigere, ut imaginem prospiciat. Quantitas ab oculo non videtur propria specie, sed specie coloris, unde se habet quasi objectum materiale. Species illæ universales in Angelis negantur a Scot. 2. d. 3. quæst. 10. & si admitterentur, non valeret paritas, quia species illæ essent a Deo infusæ, at habitus, quia generantur ex actibus, non nisi in similes actus, a quibus producantur, potest inclinare, & quia actus specie distincti habent diversas specie activitates, ut jam probatum est, idcirco non possunt dari habitus isti universales. Beati, si tendunt in Deum, & in creaturas diversis actibus, ut probabiliter docet Scotus 3. d. 12. quæst. 2. argumentum non urget, si verò unico actu, ut ibid. asserit Doct. & quæst. 3. prol. Y. & 1. d. 1. quæst. 2. art. 2. dicimus creaturas esse objecta secundaria, & materialia, non primaria, motiva, & formalia, cognoscuntur enim non secundum proprias evidencias, & in seipsis, sed secundum claritatem divinæ essentia; ideo non est paritas, nam loquimur de objectis formalibus specie diversis: & si valeret, probaret etiam unicum habitum esse omnium rerum, sicut unica visione beata videri possunt omnes creaturæ possibiles. Tandem assumptum de relatione est falsum, ut diximus disp. 8. quæst. 6. art. 2.

Secundo arguunt ratione; tum quia scientia est una species qualitatis, sed nulla species est ex pluribus speciebus constituta, ergo nec scientia, ma. patet, quia recte inferunt, habitus est una scientia, ergo una qualitas. Tum 2. sequeretur, habitum de ente creato posse perfectiorem esse habitum de Deo, nam iste fit ut decem, ille continet viginti habitus particulares, quorum quilibet sit perfectus ut unum, includet viginti gradus perfectionis, ergo perfectior. Tum 3. qui acquisivit habitum circa primam concl. facilius deinde cognoscit secundam, sicut sciens unam cantionem, facilius canit cæteras, ergo idem habitus inclinatur ad actus diversos, nam habitus est facilitas. Tum 4. per rationem formalem subjecti demonstrantur omnes passionnes de ipso, ergo unicus habitus harum passionum, quia unicum objectum motivum, & formale. Tum 5. habitus isti secundum nos sunt diversæ qualitatis species, ergo semper erit verum dicere scientiam esse unam simplicem qualitatem. Tum 6. si scientia totalis esset quid ex pluribus aggregatum, ergo formaliter esset relatio, & ordo; quod est falsum. Tandem eadem scientia est contrariorum, quamvis specie distinguantur, ergo &c.

Respond. ad 1. maj. valere de scientia partiali, & unius concl. & de unitate intrinseca, & de ista recte inferunt, quod fit una qualitas specificæ, non de totali, & unitate objectiva, quæ solum dicitur una generice, ut art. seq. Ad 2. habitus de ente creato semper erit perfectior objective, licet intensivæ, vel extensivæ sit perfectior, quod non implicat; tum quia illi viginti habitus non concipiunt unum essentialiter habitum, ut viginti, sed sunt plures habitus, ut infra. Ad 3. qui acquisivit habitum primæ concl. facilius cognoscit cæteras non per facilitatem inclinantem determinate ad cognitionem illarum, sed per facilitatem inclinantem indeterminate ad actus aliquo modo consimiles propriis actibus, nam idem habitus per concomitantiam juvat potentiam ad eliciendos actus alterius rationis, quatenus isti conveniunt in ratione generica cum actibus propriis illius habitus; & quo magis actus isti conveniunt, eo magis habitus juvat; sicut exercens actum unius virtutis, facilius exercet actum alterius, quia per primum assuevit obedire rectæ rationi, & bonum honestum

anare, Z 4

amare, in qua ratione actus illi conveniunt, & committens unum peccatum, promptius aliud committit, juxta illud *abyssus abyssum invocavit*, quia per primum peccatum fit promptior ad aspernandum rectum dictamen. Ad 4. jam diximus supra, in casu quamvis sit unum objectum formale remotum, scilicet, definitio subjecti, proximum tamen, scilicet, principia demonstrationis, sunt diversa, tum quia ipsam definitio aliter sumitur in una, ac in alia demonstratione; scilicet in una, ut est causa virtualiter continens unam passionem, in alia ut virtualiter continens aliam, quare est aliquo modo diversa ratio formalis cauſandi. Ad 5. non negamus habitus formales, & parciales esse simplices qualitates, sed habitus totales, & genericos. Ad 6. si per scientiam totalem intelligatur aggregatio, & ordo partialium habituum, concedimus sequelam, attamen communiter vel sumitur pro habitibus ipsis partialibus, vel pro habitu generico continente parciales, ut explicabimus artic. seq. idcirco neg. seq. Ad ultimum, opposita pertinent ad eandem scientiam, non quia eadem specie cognitio sit ipsorum, sed quia scientia totalis habet explicare omnia, quare adinvicem aliquo pacto sunt connexa, precipue in cognitione, qualiter se habent opposita, nam unius cognitio juvat ad cognitionem alterius.

76. Tertio, pro media sent. arg. possunt unico actu omnes passiones subjecti per ejus definitionem demonstrari, ergo si sapius iteretur actus iste, generabitur unicus habitus inclinans in omnes passiones subjecti; conseq. patet, quia si unica est causa, unicus quoque erit effectus; anteced. prob. sicut potest de omnibus predicatis quidditativis confici unica propositio de predicato copulato, dicendo, homo est substantia corporea animata, sensitiva, rationalis, quae unico actu cognoscitur, ita poterit de omnibus predicatis in quale accidentale inseparabiliter, ut sunt passiones, confici unica propositio constans ex predicato copulato, & demonstrari per definitionem de subjecto, verb. gr. omne animal rationale est risibile, disciplinabile, admirativum, &c. homo est animal rationale, ergo est risibile, disciplinabile, admirativum, &c. patet paritas, quia non minus predicata quidditativa in nostra sententia distinguuntur a subjecto, quam passiones, scilicet formaliter.

Rep. neg. antec. & ad probat. neg. paritas, quia etsi predicata quidditativa formaliter distinguantur a subjecto, atrameu sunt talis naturae, ut integrent unam rationem formalem completam; hinc quamvis sejunctim considerata explicentur actu specie distincto, non tamen ut in uno subjecto unita intelliguntur; non sic passiones, quae magis formaliter distinguuntur a subjecto, quam predicata quidditativa; etenim passiones simul sumptae non faciunt unam realitatem completam, & consequenter non possunt unico actu concipi, sed potius pluribus actibus simul, unde non est una demonstratio, sed plures, nec unicus generabitur habitus, sed diversi.

ARTICULUS III.

Qualis sit unitas Scientiae totalis.

77. Declaravimus hucusque dari diversas totales scientias, quae non sint unus simplex habitus, sed plures, quot sunt concl. in una totali scientia demonstrata; videndum restat, quo pacto isti parciales habitus constituant unam scientiam totalem.

Aliqui, inter quos citantur Nominales, docent parciales habitus verb. gr. Logicales unam Logicam constituere solum unitate aggregationis, sicut plures lapides unum cumulum faciunt. Ab his parum distat Hurtad. disp. 1. Met. §. 190. & seq. asserens in scientia totali dari totum habitus omnino disparatos, quot sunt species specialissimae in ipsa considerata; & omnes istos habitus integrare scientiam totalem per aggregationem. Quidam vero sustinent, hos habitus unam scientiam totalem specie infima componere unione per se, vel in esse physico, vel in esse artificialium, quomodo lapides, & ligna, quamvis in esse physico sint diversarum specierum, attamen unam domum component, quae in genere artificialium erit unum per se artificiale in specie infima.

Dicendum est, scientiam quamlibet totalem esse unam, non aggregatione, aut unione per se physica, sed artificiali, quae tamen non erit dicenda unitas specifica, sed potius generica, ita Scot. citat. & precipue 6. Met. qu. 1. cum Scotistis, prob. primo, quod una dicatur non per aggregationem; tum quia objecta partialia non conveniunt in objecto totali, & adequato, ut lapides in cumulo, sed aliquo nexu per se, ergo scientiae ipsorum non constituent scientiam totalem, quae est de objecto adequato, ut aggregatione quadam unita. Tum quia non daretur ratio, cur ver. gr. primo Metaphysica, vel Theologia ante ceteras scientias non addicaretur, & cur Philosophia ex conclusionibus naturalibus, & logicalibus, vel supernaturalibus non integreret; sicut parum refert, quod cumulus ex his, vel illis lapidibus construatur, eo quod sunt accidentaliter ordinati. Accedunt specialiter contra Hurt. rationes, quibus quaest. praeced. art. ult. ostendimus inferiora in esse scibilis potius ad superiora reduci, quam e contra.

78. Secundo, quod non uniantur unione per se physica, prob. quia haec unio vel esset ex actu, & potentia, & haec non cadit inter qualitates species perfectas, & completas; nec poterit assignari, quinam habitus se habeat ut potentia, quinam ut actus, cum quilibet, vel saltem major pars habituum possint prius, vel posterius alio acquiriti; & quando una conclusio ab alia pendet, non est dependentia in genere causae materialis, & subjectivae, sed potius in genere causae efficientis, ergo idem de illarum habitibus dicendum. Vel haec unio esset intentiva, & hoc non, quia licet possit qualitas intendi, non tamen per gradus alterius speciei, ut calor non intenditur per albedinem, sed per alium calorem ejusdem speciei; isti habitus specie distinguuntur. Vel tandem esset unio extensiva, quae nequit admitti in rebus spiritualibus; quae partibus extensivis caret; tum quia partes extensivae sunt ejusdem speciei; & tandem prob. quia actus, ex quibus generantur isti habitus, non sunt unione per se physica uniti.

Tertio, quod habeant unionem per se in genere artificialium, patet ex supradictis, nam praedicamenta rerum dicuntur quaedam opera artificiosa, eo quia se habent ut mansiones quaedam, in quibus speciales rerum series suo ordine collocantur, non totaliter hominum arbitrio, sed fundamento, & occasione ex rebus ipsis desumpta, ita de scientiis dicendum, quod Logica v. g. dicitur una totalis scientia, quia ex illis partialibus habitibus constatur debito ordine dispositis naturis objectorum Logicalium spectatis, sicut domus est unum artificiosum opus, non totaliter hominum arbitrio constructum, sed habito respectu ad conditiones partium, ex quibus constatur, ut graviora deorsum, leviora sursum disponantur, qua ratione nexu quodam naturali dicuntur inter se unita. Ceterum non debet haec unitas in genere artificialium scibilium dici specie infima, nam objectum totale, & adequatum totius scientiae dicitur unum, & opus quoddam artificiosum in genere scibilium, & tamen non est unum, ut sic unitate specifica, sed potius generica, nec objecta partialia in genere scibilium se habent, ut numero differentia, ergo idem de habitibus dicendum, cum quilibet suam unitatem ab objecto desumat; quamvis hoc possit reduci ad quaest. de nomine.

79. Sed restat adhuc explicandum, quodnam sit fundamentum, & nexus, quo habitus isti uniti dicantur in una totali scientia, & quo pacto scientia dicatur una genere, vel specie. Pro cuius noticia not. Scot. in Met. cit. quod quae considerantur in scientia, ita se habent, quod aliqua virtualiter continentur in uno, scilicet, quando per quidditatem ipsius possunt illa demonstrari, ita se habent passiones respectu proprii subjecti; aliqua vero potentialiter continentur in uno communi, & est cum per quidditatem ipsius non possunt adequate demonstrari passiones, sed bene sub ipso continentur potentialiter ratio adequata demonstrandi passiones illas de proprio subjecto; ita se habet genus, quod virtualiter continet proprias passiones, quia possunt de ipso per suam quidditatem demonstrari, tamen passiones inferiorum specierum non nisi potentialiter, verb. grat. risibilitatem hominis animal potentialiter continent, quia sic continet sub se quidditatem hominis, per quam risibilitas est demonstrabilis, quae continentia vere habet fundamentum in re.

80. Quoniam autem ex continentia aliquorum, ut diximus, sub aliquo communi sumitur unitas scientiae, sequitur, inquit Doctor, quod triplex habitus potest in aliqua scientia assignari, unus est habitus formalis, & vere scientificus, qui formaliter inclinatur in cognitionem alicujus conclus. demonstratae; alter dicitur habitus virtualis, qui solum virtualiter est scientificus, quia formaliter non inclinatur in cognitionem conclus. sed alicujus virtualiter continentis passiones de ipso demonstrabiles, qualis est habitus cognitionis quidditatis subjecti. Tertius tandem dicitur potentialis, quia potentialiter inclinatur etiam in cognitionem scientificam, nam formaliter inclinatur in cognitionem alicujus quidditatis, & ex hoc virtualiter inclinatur in cognitionem propriarum passionum, & cum hoc potentialiter quoque inclinatur in cognitionem passionum inferiorum de ipsis per proprias rationes demonstrabilium. Habitus formalis, seu conclusionis dicitur unus unitate specifica, tam intrinseca, quam extrinseca, & objectiva: sicut una specie est conclusio scibilis: at habitus virtualis dicitur unus unitate specifica intrinseca, objective tamen, quia objectum virtualiter continet plures cognitiones specie distinctas, quamvis in se esset species infima, dici poterit unus unitate generis proximi: & tandem habitus potentialis, quia communior est, erit minus unus, scilicet, unitate generis remoti: non dicitur autem unus unitate generis per praedicationem, ita ut sit genus de illis praedicabile in quid, quia habitus quidditatis subjecti est omnino specie distinctus ab habitibus conclus. sed solum per virtuale continentiam plurium specie distinctorum quoad cognosci, ita colligitur etiam ex 1. d. 3. qu. 7. in fine.

Dices, si objectum est unum specie, quomodo scientia ipsius potest esse una genere proximo? & si erit de aliquo uni-

universalissimo, puta de ente solum, non descendendo ad inferiora, quo pacto scientia ipsius erit una genere proximo, si objectum est remotissimum, & communissimum? Resp. ex Scot. 1. citat. quod species specialissima, quamvis sit una specie infima, tamen virtualiter includit plura suo modo distincta specie, & consequenter se habet in cauſando veluti quoddam genus: idcirco habitus quidditatis illius poterit dici unus unitate generis proximi in cauſando, & virtualiter continendo plura specie distincta. Ad 2. si valeret, concluderet cognitionem universalis non debere esse unam specie, & numero, sed genere, vel specie tantum; quare dicimus unitatem objectivam, quam habitus sumit ab objecto, non esse intrinsecam, sed extrinsecam, unde non necessario eadem debet esse unitas scientiae, & objecti, sed sufficit, ut aliquo modo specificetur ab objecto; & quia in continendo virtualiter proprias passiones eodem modo se habent omnia objecta, sive sint communissima, sive species infimae, vel mediae, eodem modo quoque specificabunt unam scientiam, quod sit unius generis proximi; tum quia unitas generica objecti est unitas generis in praedicando, at unitas scientiae est unitas per virtuale continentiam.

QUAESTIO IV.

De subalternatione scientiarum.

81. Dantur aliqua scientiae ad invicem subordinatae, aliae vero omnino disparatae, istae dignoscuntur ex declaratione illarum, quae enim non habent conditiones subordinatarum, disparatae dicuntur: haec igitur subordinatio nuncupari solet subalternatio, quae unam scientiam subalternantem denominat, illam scilicet, sub qua ponitur alia scientia; alteram denominat subalternatam, quae subalternanti supponitur. Ad hoc autem ut aliqua scientia alteri subalternata dici possit, tres requiruntur conditiones secundum communem sententiam, prima, ut subalternata habeat pro objecto aliquid contentum sub objecto subalternantis: secunda ut supra hoc objectum addat differentiam accidentalem; tertia ut sua principia demonstrentur in scientia subalternante.

Si vero aliae assignantur conditiones, vel ad istas reducuntur, ut quod scientia subalternans demonstret *propter quid*, subalternata demonstret *quia*, quod subjectum subalternatae sit partim idem, partim diversum cum subjecto subalternantis, & familia: vel non sunt necessariae conditiones, talis est conditio assignata a Dur. quaest. 7. pro. num. 11. quod scilicet, finis subalternatae pendeat a fine subalternantis, haec enim conditio proprie verificatur in scientiis practiis, quando subjectum unius se habet, ut instrumentum, vel ut medium respectu subjecti alterius, ut frantum est subjectum, & finis intrinsecus frangendivae, quae subordinatur equestri, cuius finis, & subjectum est equi directio, ad quam frantum inservit; at in speculativis non necessario requiritur, nam musica est arithmeticae subordinata, & tamen objectum illius non est propter objectum istius, postea tamen haec conditio ad bonum sensum reduci, si per ipsam dependentia principiorum subalternatae a principiiis subalternantis detur intelligi. Has ergo tres conditiones declarare debemus.

ARTICULUS I.

Explicantur primae duae conditiones.

82. Circa primam conditionem non est multum immorandum, nam omnes conveniunt objectum subalternatae debere contineri sub objecto subalternantis, quatenus si subalternata speciem aliquam assumit contemplandam, sub objecto subalternantis, tanquam species sub genere continebitur, vel si idem omnino objectum considerat, quia tamen supra illud addit differentiam aliquam accidentalem, ut dicemus, adhuc contineri dicitur sub objecto subalternantis; nam homo albus, v. gr. ut sic, erit quid sub homine contentum; & haec conditio assignatur ab Arist. 1. Post. 10. & 30. ubi docet Aristot. objectum subalternantis debere aliquo pacto esse idem cum objecto subalternatae; & ratio ipsa suadet; quia omnis conditio scientiae praecipue ortum ducit ab objecto, ergo si una scientia alteri subalternatur, & ab illa dependet, necesse erit objecta illarum ut subalternata adinvicem, & ordinata se habeant, qua ratione ut notat Amic. tract. 27. disp. 4. quaest. 5. dub. 1. contra Cajet. haec conditio non erit accidentalis scientiae subalternatae, sed de per se requisitis, sicut ab objecto principalis scientiae specificatur. Nec est possibile, quod asserit Cajet. dari posse scientias subalternatas ratione principiorum, eo quia principia unius a principiiis alterius pendeant, & quod deinde non addit subordinatio objectorum; etenim principia scientiae in objecto includuntur, ut diximus qu. praeced. ergo dependentia principiorum a dependentia objectorum trahit originem.

Solum dubitari posset, an sicut objectum subalternatae

incomplexum (de quo locuti sumus) debet esse aliquo modo idem cum objecto subalternantis, idem sit dicendum de objectis complexis, scilicet, de conclusionibus; ita ut tam subalternans, quam subalternata sint de iisdem omnino concl.

Afferunt aliqui Thomistae, asserentes subalternantem, & subalternatam in hoc differre, quod illa concl. demonstrat demonstratione *propter quid*, haec vero demonstratione *quia*.

83. Oppositum est verius cum Scot. qu. 3. pro. in fine, & 3. d. 24. q. 1. A, & H, quem ferè omnes imitantur, scilicet, quod necessario diversae debent esse concl. utriusque, quod probat, quia, ut dicemus, principia subalternatae sumuntur a subalternante, quoniam ab ipsa demonstrantur, sunt conclusiones ipsius, & ubi definit subalternans, ibi incipit subalternata, ergo nequeunt istae scientiae de iisdem esse concl. Tum quia eadem scientia poterit suas concl. utraque demonstratione demonstrare, ut docet Arist. 1. Post. 30. ergo haec differentia non constituit scientiam subalternantem, & subalternatam.

Dices, Arist. 1. Post. 30. hoc discrimen ponit inter has scientias, quod exemplis confirmat, nam scientia navalis astrologiae subalternatur, quia illa per experientiam noscit conjunctiones Stellarum in signum tempestatis, vel serenitatis, haec vero per propriam causam, & a priori: Machinativa etiam Stereometriae subordinatur, quae scilicet, agit de corporibus solidis, & tamen illa experimento percipit constructionem aedificiorum, haec per causas. Resp. etiam Arist. ibi docere hanc differentiam in eadem totali scientia reperiri posse, ideoque neg. conseq. & art. seq. magis explicabimus, quo pacto intelligatur ibi Arist. & quae sit hujus conditionis intelligentia.

Secundam conditionem aliqui negant, asserentes differentiam, quam addit subalternata supra subalternantis objectum, debere esse essentialiam, aut saltem passionem inseparabilem, citatur praecipue Scot. 4. Met. quaest. 9. ex his vero, qui hanc conditionem admittunt, est Zab. lib. de trib. praecog. c. 12. & Smigl. disp. 17. quaest. 8. docentes hanc accidentalem differentiam superadditam non habere rationem partis formalis subjecti, sed materialis: v. g. esse sonorum, quae est differentia a musica supra numerum addita, inquit non esse rationem formalem objecti musicae, sed materialem.

84. Dicendum est cum communi differentiam superadditam non esse essentialiam, nec passionem, sed mere accidentalem, & se habere ut rationem formalem, non materialem; ita colligitur ex Scoto citat. Prima pars, quod sit accidentaliter differentia, prob. ex Arist. saepe cit. ubi habet, quod objectum subalternatae debet esse alterum, quod est accidentaliter differre ab objecto subalternantis, nam differentia essentialis facit aliud, accidentaliter facit alterum, ut dicitur capit. de differ. idem colligitur ex adductis exemplis ab Arist. Tum quia nequit esse essentialis, nam sic omnes scientiae deberent dici subalternatae Metaphysicae; tum etiam quia subalternata non penderent a subalternante, nam haberet propria principia immediata, & per se nota, absque eo quod a subalternante recipiat, quia passiones de illo objecto demonstrabiles adequatae penderent ab illo cum tali differentia, verb. grat. scientia de homine habet propria principia immediata, non probata in alia scientia, nam risibilitas adequate, & primo ab hominis quidditate fluit; consequens autem est falsum, quia subalternata ita pendet a subalternante, ut hac praecisa non haberet, unde suas concl. probarer, nec esset scientia: & tandem non esset scientia distincta a subalternante, sed potius cum illa unam totalem constitueret scientiam, sicut scientia de specie verb. grat. de demonstratione unam logicam totalem integrat cum scientia de syllogismo, & scientia de caelo cum scientia de corpore naturali. Neque potest esse passio, nam ut notat Compl. & Ruv. hic ad eandem scientiam spectat subjectum considerare, & passiones subjecti, ergo subalternans considerabit objectum, ut stat sub illa passione superaddita a subalternata, & sic non distinguenter; tum quia ideo Sonc. asserit hoc, ut salvaret unitatem per se objecti subalternatae, sed quamvis passio sit magis intrinseca subjecto, quam accidentaliter differentia, adhuc non facit unum per se cum subjecto, quia est extra ejus quidditatem, ergo frustra recedit Sonc. a communi sententia.

85. Secunda pars, quod se habeat ut pars formalis, non materialis, prob. a P. Fabro Theor. 12. quia, quod se habet ut contrahens, & alteri adveniens jam constituto; nequit esse pars materialis, sed formalis, ut ostendimus disp. 6. quaest. 3. differentia a subalternata superaddita v. gr. esse sonorum respectu numeri contrahit numerum ad speciale considerationem, ubi ab Arith. universalium contemplabatur, & in hoc toto, scilicet, in numero sonoro; non numerus intelligitur advenire sonoro, sed sonorum numero, ergo, &c. Tum quia *modus considerandi* se habet, ut pars formalis, non materialis, haec differentia se habet, ut *modus considerandi*, sub quo subalternata speculari objectum subalternantis, ergo, &c.

Contra 1. partem concl. arguitur, eo quia differentia illa cum objecto facit unum per accidens, & accidentaliter dicitur.

dicitur de objecto; at quæst. 2. artic. 3. fufe ostendimus non posse dari scientiam de ente per accidens, nam præmissæ demonstrationes debent esse per se, & propositiones de ente per accidens formatæ non sunt per se ex dictis ibid. & 2. part. Inst. tract. 1. cap. 2. Tum quia scientia subalternans, & subalternata non nisi accidentaliter differrent, sicut objectum illius accidentaliter differret ab objecto istius.

86 Resp. communiter a DD. negantibus scientiam de ente per accidens, quam responsi optime declarant Complut. disp. 19. quæst. 2. quod objectum, & differentia accidentaliter superaddita possunt multipliciter sumi, vel ut utrumque in recto, & æque constituunt aliquid tertium, & hoc modo non pertinent ad scientiam, quia non faciunt unum per se; vel quia unum fit per se consideratum, aliud vero per accidens, & neque taliter spectant ad scientiam subalternatam: nam utrumque per se consideratur esse illa aliter, quia quod est per se, potest esse sine eo, quod est per accidens, poterit dari scientia subalternata sine aliquo illorum, quod per accidens consideratur, ut verb. grat. musica sine numero vel sine sonoro, quod est falsum, cum utrumque per se ad musicam pertineat: tertio possunt considerari, quatenus unum est de ratione alterius, non in recto, sed in obliquo, & hoc modo possunt a scientia contemplari, quod exemplo manifestatur: nam sonus secundum se, ut præcendit ab harmonia, spectat ad Physicam, sic numerus secundum se ad Arithmetica. At si consideretur sonus in ordine ad harmoniam, & concentum, sic dependet a numero, qui se habet ut principium, & radix talis concentus, & in hoc sensu utrumque consideratur a musica; quo pacto objectum subalternatæ est unum per se, quia unum per se in recto consideratur, scilicet musica sonum harmonicum numerum in obliquo, ut principium, causam, & radicem sonus harmonici, possuntque de ipso formari propositiones per se, & passiones demonstrari; & cum differentia superaddita prædicatur de objecto subalternantis, ut sonorus harmonice de numero, fit propositio per se saltem in quarto modo, quatenus effectus per se prædicatur de sua causa per se, ut cum dicitur voluntas vult, quod sufficit ad rationem scientiæ saltem non rigorosæ. Ad 2. dicimus, non eadem distinctione distingui debere scientias inter se, ac objecta, nam scientia de substantia, & de accidente, imo de Deo, & creatura, sunt ejusdem generis, & tamen objecta differunt plusquam genere; ratio est, quia non intrinsece, sed extrinsece scientiæ penes objecta distinguuntur; quamvis ergo objecta illa in esse rei per accidens distinguantur, attamen in esse scilicet, seu ut per se considerantur a scientia, sufficiunt ad causandas scientias specie essentialiter inter se distinctas. Ex quibus sequitur, non quamcumque accidentalem differentiam superadditam cuiusque objecto sufficere ad constituendam subalternatam scientiam, aliter daretur scientia de numero colorato, de linea alba, &c. Sed solum illam, quæ per se respicit objectum subalternantis, ut principium, & radicem alicujus effectus. Idem quoque dicendum de linea visuali, quæ ponitur objectum perspectivæ, & de aliis objectis subalternatarum; nam visuale ut sic pertinet ad physicam, sed visuale, ut fit per angulos, spectat ad perspectivam, qua ratione dependet a linea, quia anguli ex lineis tanquam ex principiis constituuntur.

87 Secundo contra secundam partem argumenti. Tum quia si differentia illa esset pars formalis, subalternatio scientiarum ab ipsa sumi deberet, sicut a principali, & sic quia sonus continetur sub re naturali, sicut & visuale, numerus vero, & linea sub re Mathematica, scientiæ de ipsis potius Physicæ, quam Mathematicæ subalternarentur. Tum 2. quia subalternata differt a subalternante, quia illa applicat istius conclusiones alteri materiæ, ut verb. gr. Geometria demonstrat partes circuli difficilius copulari, quia maxime inter se distant, hanc eandem demonstrationem confici chirurgica, sed in alia materia, quia solum considerat circulare vulnus, non quemcumque circumlum, cum ergo ratione materiæ subalternata differat a subalternante, differentia, quam addit, erit pars materialis. Tum 3. quia subalternata non demonstrat passiones ex natura, & principiis illius differentie, sed potius ex natura, & principiis objecti subalternantis, nam principia a subalternante desumunt, ergo potius objectum erit ratio formalis, quam illud additum. Tum 4. idem docet Arist. 3. Met. sum. 1. cap. 3. dicens, eadem ratio de harmonica, & perspectiva est: neutra namque prout visus, vel prout vox speculatur, verum prout linea, & numeri, at hæc propria illorum passiones sunt.

Resp. non esse totaliter contra rationem scientias illas dici aliquo modo physice subalternatas, nam Aristot. 2. Phys. 20. ipsas vocavit naturales, & communiter ponunt mixti generis inter Mathematicas, & simpliciter naturales scientias; dicuntur tamen potius subalternatæ Mathematicæ, quia subiectum materiale est idem cum objecto istius, & subiectum formale non quidem ut sic, & simpliciter, sed ut a subiecto materiali tanquam a principio dependet, subditur quoque mathematicis scientiis, ut explicatum est, hinc principia sumit a Mathematicis non a Physicis. Ad 2. & 3. patebit ex seq. artic. Ad 4. Aristot. solum ibi doce-

re musicam, non considerate vocem ut sic, sed ut applicatam, seu ut dependentem a numero tanquam a principio; unde docet vocem, & visum esse passiones numeri, & lineæ, quod potius nostram sententiam confirmat, quamvis opposita suam habeat probabilitatem.

ARTICULUS II.

Tertia conditio declaratur.

88 Negant aliqui, hanc conditionem esse necessariam, eo quia putant subalternantem, & subalternatam esse de eisdem concl. & solum differre, quando subalternans illas demonstrat demonstratione *propter quid*, subalternata vero demonstratione *quia*. Communiter tamen conceditur hæc conditio, quod subalternata sumat principia a subalternante; sed differunt DD. nam aliqui volunt esse omnino eadem principia utriusque, ut Miran. com. Logic. sect. 4. alii vero docent esse diversa, ita ut principia subalternatæ sint conclusiones demonstratæ in subalternante, inter quos est adhuc dissidium, nam quidam putant non esse necessarium, ut principia subalternatæ sint cognita vi subalternantis, sed sufficere, si experientia cognoscantur, & quod subalternata sciat resolvere suas conclus. in principia cognita per sensum; citantur Dur. quæst. 1. prol. numer. 52. Gillius lib. 1. tract. 6. alii dicunt fati esse, ut habens subalternatam cognoscat illa principia per fidem, & ex auctoritate habentis subalternantem, qui evidenter cognoscit illa principia; quare in sentent. istorum, si quis non haberet scientiam subalternantem, & consequenter nesciret evidenter concl. quæ sunt principia subalternatæ, crederet tamen illa principia, ut vera propter auctoritatem docentis, vel revelantis evidenter scientiis illa per veram scientiam subalternantem, adhuc ille diceretur habere subalternatam scientiam, licet subalternante careret; ita veriores Thomistæ, ut est videre apud Complut. disputat. 19. quæst. 3. & Jo: de S. hom. quæst. 26. artic. 3. Tandem alii requirunt, ut hæc principia sint nota habenti subalternatam vi subalternantis in eodem intellectu existentis, & si non haberet subalternantem, nullo pacto cognitio concl. subalternatæ posset in illo dici subalternata scientia, sed potius opinio; ita expresse Doctor quæst. 3. prol. in fin. & 3. disputat. 24. §. ad 1. pro 1. opin. quem præter Scot. sequuntur Aur. Greg. Gab. Dur. Argent. in prol. sentent. Vafq. 1. part. disput. 4. cap. 5. & 6. Val. disput. 1. quæst. 1. pun. 3. Molin. ibid. quæst. 1. artic. 2. Sonc. 4. Mer. quæst. 9. Suarez disput. 1. Met. sec. 5. Conim. Morif. Blanc. Averfa, Amicus, Ruvius hic, & alii.

89 Dicendum est, necessario subalternatam debere accipere sua principia a subalternante, cuius sunt conclusiones demonstratæ, & in eodem intellectu convenire debere utramque scientiam, aliter subalternata non esset subalternata scientia, prob. primo, quod principia a subalternante suscipiat, tum quia dependentia scientiæ ratione objecti arguit dependentiam in principiis, quæ virtualiter in objectis continentur. Tum quia si subalternans, & subalternata essent de eisdem conclusio, sed ab illa a priori demonstratis, ab ista solum demonstratione *quia*, frustra daretur subalternata scientia, si de eadem re haberetur alia perfectior, scilicet, subalternans, quæ procedit demonstratione *propter quid*; imo omnis Geometra esset perfecte perspectivus, & omnis arithmeticus perfecte musicus, absque eo quod perspectivam, vel musicam addidat, scilicet, scientiam illam a posteriori. Tum quia subalternans, & subalternata differunt objectivis, ergo, & conclusionibus. Tum quia subalternata quoad cognitionem, quia & per sensum non pendet a subalternante, ergo nulla erit subordinatio.

Secundo, quod hæc principia subalternatæ sint conclusiones subalternantis, & non eadem omnino utriusque, prob. ex illo dicto Scoti ab omnibus fere recepto, quod ubi definit subalternans, incipit subalternata, scientia vero quæcumq. definit in conclus. ergo conclusiones subalternantis erunt principia subalternatæ. Tum quia si essent eadem principia, ergo eadem conclus. ergo nulla distinctio inter has scientias. Tum quia hoc patet exemplo, nam perspectiva verb. gr. demonstrat rem a longe visam minorem apparere, quam fit in se ipsa, hæc demonstratione, res visa sub angulo magis protracto videtur sub angulo minori, & minor apparet, res a longe visa videtur sub angulo magis protracto, ergo, &c. principia huius demonstrationis non sunt principia Geometriæ, imo potius conclusiones, nam Geometria demonstrat major, quia linea ab eadem basi protractæ, & quo prius conjunguntur, efficiunt majorem angulum, quo magis protrahuntur, eo minorem causant angulum, res a longe visa videtur per lineas magis protractas, ergo per minorem angulum videtur, ecce quomodo subalternans probat, & demonstrat principia subalternatæ. Hoc autem non est necessario intelligendum de omnibus principiis, sicut nec sufficit, ut unum, vel alterum principium demonstraretur a subalternante, sed requiritur, quod principia subalternatæ pro majori parte dependant a subalternante, hinc quamvis Chirurgia quoad

Quæst. IV. de subalternatione scientiarum. Art. II. 363

hanc conclusionem, quod vulnus circulare difficile curetur, dependeat a Geometria, cuius causam a priori assignat, eo quia partes circuli inter omnes figuras maxime inter se distant, quoniam circulus ex angulis non constat; non ob id tamen Chirurgia dicitur Geometriæ subalternata simpliciter, sed tantum secundum quid, nam in aliis principiis non pendet ab illa.

90 Tertio, quod subalternans, & subalternata debeant in eodem intellectu reperiri, & continuari, ita quod perfectivus non habens geometriam, sed solum cognoscat principia per fidem a Magistro, non habeat veram scientiam perspectivæ, prob. a Scot. cit. de ratione scientiæ est, quod sit notitia certa, & evidens, ex principiis certis, evidentibus, & immediatis causata, notitia conclus. subalternans in non habente subalternante non est huiusmodi, ergo, &c. Maj. patet ex quæst. 1. huius disput. & ex Aristot. 1. Post. cap. 1. ubi docet non habere demonstrationem, neque scientiam, qui nescit conclus. resolvere in principia utque ad prima, & immediata. Min. prob. omnia certitudinem, & evidentiam habet conclusio a certitudine, & evidentia principiorum, ex quo infert Arist. principia esse certiora, & notiora, sed principia in non habente subalternantem non habent certitudinem, & evidentiam, quia non sunt immediata, & ex terminorum apprehensione noscibilia, sed per principia subalternantis demonstrabilia, quæ tamen ignorantur ab illo, ergo nequeunt certitudinem, & evidentiam conclusioni tribuere: nemo enim dat, quod non habet.

Resp. 1. non esse de ratione scientiæ evidentiam, sed certitudinem, quia finis scientiæ est affectu veri, seu firma adhesio ad verum, quæ per certitudinem habetur: at evidentia, & claritas requiritur ut alteri deserviens, quatenus objectum evidens firmiorem causat assensum; modo fides humana aliquando talem certitudinem causat, ut omnem hesitationem excludat, ut sine hesitatione credimus Indos esse, aut Romanos: hæc certitudine credit non habens geometriam principia perspectivæ in attestante Magistro; maxime quia non credit Magistro, ut homo est, sed ut geometer, & consequenter, ut habens firmitatem, & evidentiam illorum principiorum.

91 Sed in primis falsum est evidentiam non esse conditionem per se ad scientiam requisitam, ut probavimus quæst. 1. cit. & disp. seq. quæst. 3. art. 2. dicimus, nam claritas in cognitione non solum exigitur propter certitudinem, sed propter seipsam, quia est intrinseca perfectio cognitionis, unde intrinsece perfectior est cognitio clara, quam obscura, quamvis utraque certa: quod non esset verum, si esset tantum accidentaliter cognitio: quod enim est de per accidens, non distinguitur essentialiter: at evidentia essentialiter facit distinguere scientiam a fide. Tum quia hæc certitudo non excedit limites fidei, quantumvis maxima, ergo non poterit causare certitudinem scientificam, ad quam aliquid plus requiritur. Tandem si cognitio conclus. subalternatæ erit scientia, dummodo ipsarum principia apprehendantur, ut vera, idem de qualibet scientia dici poterit, scilicet, quod si principia alicujus conclus. credantur sine formidine, conclus. erit scientifica, non ergo peculiariter de subalternata hoc esset asserendum.

Resp. 2. notitiam hanc radicaliter, & secundum substantiam esse certam, & evidentem, nam ex se aptitudinem habet, & inclinationem resolvendi sua principia in principia subalternantis, quamvis de facto non resolvat propter defectum subiecti, scilicet intellectus, in quo non adest subalternans, cui possit continuari, & hæc ratione habenti illam non tribuit denominationem scientifici certo, & evidenter cognoscens: ad scientiam autem secundum se sufficit evidentia radicalis, non autem ad scientiam secundum statum perfectum.

92 Contra arg. cognitio principiorum in casu etiam radicaliter considerata non habet certitudinem, & evidentiam scientificam, quia spectat ad fidem, ergo non poterit causare notitiam conclus. secundum substantiam certam, & evidentem, nam effectus non excedit suam causam, in perfectione conclus. est effectus principiorum. Tum quia quælibet vera opinio esset secundum substantiam scientificam, quod licet non probetur per propria, & evidentia principia, ex se tamen esset demonstrabilis, nam proprias causas habet a parte rei, quamvis ignorentur. Tum quia sicut non datur cognitio aliqua, quæ sit radicaliter certa, & non actualiter, quia statim, ac non est actualiter certa, est essentialiter dubia, & opinio, ita neque dubilis est cognitio radicaliter evidens, & non actualiter; paritas patet, quia non minus certitudo est essentialis differentia cognitionis, quam evidentia. Tandem sequitur quod cum principia subalternatæ ex se sint resolvable in principia subalternantis, quamvis non habens subalternantem actu non cognoscat illa scientifica cognitione formaliter, cognoscat tamen cognitione scientifica radicaliter, imo notitia cujuslibet conclusionis, quamvis non habeatur per præmissas, postea adhuc dici scientia radicaliter, quia est taliter illa conclusio cognoscibilis, & quicquid contra istud dictum asserent Thomistæ, potest contra ipsos retorqueri.

Resp. 3. principia subalternatæ in casu, quamvis non essent evidentia a priori, & per principia subalternantis,

essent tamen evidentia a posteriori, & per inductionem a singularibus, ut chirurgus, licet non habeat principium illud geometriæ, partes circuli maxime inter se distare, quia caret angulis, poterit tamen scire circulare vulnus difficile sanari a posteriori, & per experientiam.

Sed hæc responsio non facit ad rem, loquimur enim de scientia subalternata, ut talis est, quo pacto dependentiam dicit a subalternante in cognitione principiorum a principiis subalternantis, cognitio vero a posteriori, & per experientiam nequit dici scientia subalternata, cum non dependeat a subalternante; ita Doct. in 3. cit. 1.

93 Objic. 1. quod subalternans, & subalternata sint de eisdem concl. Tum quia Aristot. 1. Post. cap. 7. text. 20. ait musicum, & perspectivum posse demonstrare, quæ a geometriam, & arithmeticum spectant, &c. 10. text. 30. in hoc, ait, differre subalternantem a subalternata, quod illa demonstrat *propter quid*, hæc vero *quia*, scilicet, quod eadem conclus. ab una demonstrantur a priori, ab altera a posteriori, & via sensus, ut seipsum ibi declarat; unde videmus multos musica pollere sine arithmetica, nam illam acquirunt per experientiam. Tum 2. quia ut dicebamus artic. præced. in 2. argum. princip. in 2. & 3. Conf. in oppos. subalternata eandem demonstrat conclus. subalternantis, & solum differt, quod ubi subalternans demonstrat in universali, subalternata illas applicat determinatæ materiæ; unde principiis utitur eisdem, sed applicatis propriæ materiæ, ergo nulla est differentia inter concl. unius, & alterius, nisi extrinseca, & materialis, sicut albedo a subiecto abstracta non differt essentialiter a seipsa ut in subiecto. Tum 3. conclusio pertinet ad istum habitum, ad quem spectat medius terminus, sed medius terminus, quo subalternata utitur, pertinet ad subalternantem, ergo, &c. Tandem ab Arist. hæc scientiæ univocæ dicuntur, ergo non differunt inter se.

Respond. ad 1. Aristot. in text. 20. non docere musicum, & arithmeticum esse de eisdem conclus. sed solum, quod quælibet scientia debet procedere ex propriis, nec licere transcendere de genere in genus, præterquam quod in subalternatis scientiis, in quibus superior quasi descendit ad genus inferioris, & ipsius conclus. demonstrat saltem in universali, quia affinitatem habent penes objecta, unde cognatæ dici solent; in text. 30. quamvis multum varient inter se Doctores, breviter dicimus Aristot. ibi loqui de subalternata, non solum ut dicitur habitum conclus. demonstratarum per principia a subalternante accepta, sed quoque ut significat habitum conclus. via sensus, & experientia probatarum, & hæc ratione dixit subalternatam demonstrare *quia*, & per sensum, nam musica verb. grat. est duplex, altera experimentalis, & hæc potest haberi sine arithmetica, cui proprie non subalternatur; alia scientifica, quæ suas probat conclus. per principia in arithmetica probata, & hæc proprie est subalternata; cum igitur ait Aristot. subalternatam demonstrare *quia*, & per sensum, loquitur de experimentalis, quæ ut sic non est reduplicative subalternata, sed solum specificative; scientifica quoque dicitur demonstrare *quia* nam ut dicimus disput. seq. duplex est demonstratio, una *propter quid*, quæ habet omnes conditiones in definitione positas, altera *quia*, cui aliqua ex illis deficit conditionibus, modo subalternata non demonstrat ex immediatis, nam sua principia demonstrantur in subalternante, idcirco non demonstrat *propter quid*, seu potissima demonstratione, ut facit subalternans, sed demonstrat *quia*.

94 Ad 2. resp. ex dictis in præced. artic. falsum esse, has scientias materialiter solum differre, nam alia esse passio in subalternata demonstrata, & alia in subalternante, ut patet in exemplo adducto ibi; geometer enim solum demonstrat partes circuli maxime distare, quia caret angulis, at chirurgus ex hoc deinde concludit vulnus circulare serius curari, quia partes ejus maxime distant, quæ erat conclusio geometriæ; unde falsum est conclusiones utriusque differre inter se, sicut albedo, ut abstracta a subiecto, & ut inherens in subiecto; tum quia semper est alia passio a subalternata demonstrata, quæ aliquando continetur sub passione a subalternante demonstrata; qua ratione videtur eadem, & solum materialiter differens; neque ex hoc, quod principia sumit a subalternante, debemus arguere identitatem illarum, nam tantum sequitur unam ab altera dependere, eo quia passio demonstrata dependet ut a causa a subiecto subalternantis, nec eadem omnino principia desumit in sua communitate accepta, sed ad propriam materiam subalternatæ contracta, ut dicimus, lignum evidens differentiam additam subiecto subalternantis esse per se consideratam a subalternata, & passiones ab ipsius fluere quidditate, a qua etiam desumuntur adquirentia principia subalternatæ. Ad 3. medium a subalternata, ut contractum assumitur ad propriam materiam, qua ratione non spectat proprie ad subalternantem. Ad 4. dicuntur univocæ propter affinitatem, & cognitionem, quam habent objectorum, & principiorum, non propter identitatem inter se.

Secundo, quod non possit subalternans demonstrare principia subalternatæ, sed hæc a priori demonstrat proprias conclus. prob. Tum quia subalternantis conclus. abstractantur a ma-

materia sensibilis, quam concernit subalternata, Geometria enim est de linea a materia sensibilis abstracta, perfectiva de linea visuali, scilicet de linea ut sensibilis, ergo conclus. subalternantis nequeunt esse principia subalternata. Tum 2. subalternata demonstrat proprias conclus. per causam proximam, subalternans non nisi per remotam, ergo illa demonstrat *propter quid*, hæc vero *quia*, & consequenter illa non pendet ab ista. Tum 3. sequeretur, quemlibet arithmeticum esse musicum, quia ille musicus dicitur, qui scit conclusiones musicas demonstrare, ergo si arithmetica demonstrat *propter quid* conclus. musicæ, purus arithmeticus dicitur etiam musicus. Tum 4. subalternans subalternata, sicut habet proprias passiones, ita quoque habet propriam quidditatem, per quam poterunt passiones illæ *propter quid*, demonstrari, ergo non indiget subalternante in demonstrando. Tandem conclus. subalternans non demonstrantur *propter quid* a subalternante, ut patet, ergo a subalternata, ergo nulla subordinatio ad subalternantem, prob. prima consequ. nam sunt ab aliqua scientia demonstrabiles *propter quid*, sicut propriam habent causam.

95 Respon. ad 1. conclus. subalternantis sunt principia subalternata, non quidem ut in universali demonstrantur, sed ut ad materiam subalternatæ applicentur modo explicato in præced. solut. Ad 2. causa remota est duplex, una quæ non causat effectum, nisi per aliquas differentias essentialis contrahatur, ut animal respectu risibilis: altera, quæ non causat effectum, nisi determinatæ materia applicetur, ut circuleitas, nisi carni vulneratæ applicetur, non causat difficilem curationem; prima cum differentia addita facit unam per se causam, & immediatam, & ideo hæc cognita, non est necesse ulterius progredi demonstrando; secunda, quia non constituit unum per se cum illo addito, ideo non conficit cum illa materia, cui applicatur, propositionem indemonstrabilem, & immediatam, quapropter necesse est ulterius demonstrare medium assumptum per alia principia in superiori scientia; ut patet in exemplo sepe adducto de vulnere circulari; ad argum. dicimus subalternatam demonstrare per causam proximam, quæ cum non sit unum per se, & effectus dependeat remote, & mediate ab objecto subalternantis, non procedit ex principis immediatis, & per consequens non demonstrat *propter quid*: subalternans autem dicitur demonstrare *propter quid*, nam procedit ex immediatis ad probandas proprias conclus. Ad 3. neg. seq. nam simplex arithmeticus, quamvis habeat proprias conclus. hæc tamen non sunt conclus. musicæ, & licet sint principia, requiritur tamen, ut determinentur, & applicentur sono, qui est objectum musicæ; ut deinde inferantur conclus. quod sine musica fieri nequit. Ad 4. peculiare est objecti subalternatæ, quod sicut constat ex rebus unum per se non conscientibus modo explicato artic. præced. ita per propriam quidditatem præcise non sunt passiones illæ demonstrabiles, sicut nec causantur ab illa quidditate præcise sumpta, sed ut in tali materia, & ab objecto subalternantis dependet: quare hoc habent passiones istæ, ut non sint ab una scientia demonstrabiles *propter quid*, sed a pluribus, una subalternante quasi descendendo, & suppediando principia, quæ sunt ipsius conclusiones, alia subalternata, quasi ascendendo, & proponendo suas conclusiones, ut probentur a subalternante, in qua continuatione, & conjunctione principiorum consistit scientiarum subalternatio: unde dici potest subalternatam propriis viribus, & intra proprios limites non demonstrare *propter quid*, at viribus a subalternante mutatis, & ipsius auxilio demonstrare *propter quid*. Hinc patet ad 4.

96 Tertio, quod non requiratur necessario conjunctio subalternantis, & subalternatæ in eodem intellectu, prob. Tum quia de ratione conclus. est, quod sit evidens in principis, & ex principis non in se; de ratione quoque subalternatæ est, quod non habeat propria principia, sed sumat illa a subalternante, ergo non est de ratione subalternatæ, quod conclus. in ipsa subalternata sint evidentes, ergo si esset sine subalternante, adhuc esset scientia. Tum 2. Astrologia plurima demonstrat ex principis creditis sola fide, nam conjunctio, & aspectus siderum, numerus orbium, ex motuum maxime diversitate demonstrantur, quæ non nisi longa experientia a pluribus successive observata potest haberi, ex quibus principis fide creditis scientifice reliqua demonstrantur, ergo, &c. Tum 3. musicus ut musicus, est sciens, sed musicus, ut musicus, non est arithmeticus, ergo ut non arithmeticus est sciens, ergo non habens arithmetica adhuc habebit musicam scientiam, hæc enim etiam, ut distincta ab arithmetica, est scientia. Tum 4. scientia subalternata, ut sic supponit, non probat sua principia, & ut sic est scientia, ergo de ratione subalternantis scientiæ non est, quod sciat sua principia in priora resolvere, quare separata a subalternante erit quoque scientia. Tum 5. isti habitus realiter distinguuntur, ergo possit Deus in aliquo conservare subalternatam sine subalternante, qua possit procedere ab probandas conclusiones ut prius, ergo sicut antea actus elicit dicebantur scientifici, quia ab habitu scientiæ causati, etiam post separationem tales erunt, quia habitus solum in consimiles actus incli-

nant. Tum 6. subalternata quantum est ex se inclinatur conclus. evidentem viribus subalternantis, ergo si aliquando acquiritur, per fidem, hoc est per accidens, qua ratione non erit evidens, & obscura, sed ex se evidens, prob. seq. quia fides substituitur loco subalternantis non ratione obscuritatis, sed propter certitudinem, quam habet, ergo non communicat scientiæ obscuritatem, sed certitudinem. Tandem habitus subalternatæ ex se petit continuari cum subalternante, etiam quando est separatus, ergo si non continuatur actu; est de per se accidens, & quia conservat aptitudinem, erit semper idem habitus scientificus; hinc Arist. 6. Ethic. cap. 4. loquens de notitia principiorum ait: *Cum enim aliquantulum cognita, & credita sunt ipse principia, &c.*

97 Respondeo ad 1. ex Scot. in 3. citat. de ratione subalternatæ est, quod habeat principia nota in subalternante, & si non essent nota in subalternante, ipsa non esset scientia, sicut si conclusio in quacumque scientia non esset evidens per principia, non esset scientifica, ergo intellectui non habenti subalternantem subalternata non erit scientia, quamvis si in se spectetur, sit scientia, sicut nec conclusio demonstrabilis est scientifica nescienti illam demonstrare. Ad secundum multa astrologi propria experientia cognoscunt, nam licet non vivant tot annis, quot una circulatio completur, attamen ex observatione jam habita poterant calculando deducere durationem celestis circulationis, cum coeli uniformiter moveantur; in his vero, in quibus fide procedunt, non habent scientiam. Ad tertium neg. consequ. ultim. etiam nec scientia est habitus principiorum, ut scientia est, & tamen non potest ab illo separari, concedimus itaque distinctionem inter has scientias, non tamen separabilitatem musicæ, ut scientia est, ab Arithmet. in eodem intellectu. Ad quartum subalternata supponit sua principia probata in subalternante, non autem probat, & ideo dicitur subalternata, & si non essent probata in illa, tunc subalternata non esset scientia, sic si in aliquo hæc principia non sunt probata, & evidentiæ, in ipso subalternata non erit scientia, sicut de conc. scibili apud intellectum nescientem principia diximus non esse scientiam. Ad 5. admissio casu habitus ille non inclinaret in posteriores syllogismos, quia conclus. postea probatæ pertinerent ad fidem; vel si ad scientiam, non ad subalternatam ut sic, sed ad illam, quæ principia probat a posteriori, & per sensum, & dicitur experimentalis, ut diximus. Ad 6. & 7. subalternata scientia ita per se petit a subalternante causari, ut si ab illa non causatur, non esset scientia subalternata, neque si actu non continuatur, ut de conclus. diximus respectu principiorum; cum dicitur, quod fides substituitur, &c. resp. ex hoc ipso, quod evidentiæ non tribuit, jam communicat obscuritatem, nec fides humana est tantæ certitudinis, ut certitudinem scientiæ adæquet. Aristot. autem, ut notat Lichet. 2. disputat. 24. loquitur de scientia per accidens, & secundum quid, quod colligit ex ipso contextu, nam in fine illius litteræ addit Aristot. *Cum enim finem quodammodo adhibet quis, & principia sibi nota sunt, scit, nam si non magis discursu conclusionis, per accidens habebit scientiam.*

Unum est hic not. quod assignata tres condiciones conveniunt scientiæ subalternatæ simpliciter; si tamen daretur aliqua scientia, cui una, vel duæ conveniunt condiciones, diceretur subalternata, illi non simpliciter, sed secundum quid.

QUESTIO V.

De divisione Scientiæ in Speculativam, & Practicam.

98 **H**æc divisio, quamvis possit cognitioni in communi adaptari, aut saltem cognitioni, prout est communis secundæ, & tertie operationi intellectus, omne enim iudicium, & omnis discursus potest dici practicus, vel speculativus, attamen specialius loquimur, ut scientiæ competat tam actuali, quam habituali. Quapropter not. quod sicut in quolibet habitu tria interveniunt, scilicet, habitus ipse, actus, in quem habitus inclinatur, & objectum actus, circa quod versatur; sic in scientia tam practica, quam speculativa, nam in scientia speculativa adest habitus speculativus, adest actus, qui dicitur speculatio, seu cognitio speculativa, & tandem est objectum speculabile, a quo tam actus, quam habitus denominantur speculativi: in practicis quoque adest habitus practicus, cognitio practica, & objectum practicabile, & operabile, quod praxis appellari consuevit, praxis enim est nomen Græcum, & Latine sonat idem, ac operatio, estque nomen abstractum, a quo practicum derivat; unde non eodem modo se habent praxis, & practicum, speculatio, & speculabile, nam speculatio proprie dicitur de actu, non de objecto, praxis et contra dicitur de objecto, non de actu, qui practicus denominatur a praxi; hinc praxis distinguitur a cognitione practica contra Bacch. qu. 4. prol. artic. 2. oppositum sustinentem, & ratio est communis

munis usus loquentium tam Philosophorum, quam Theologorum cum Aristot. 6. Eth. cap. 4. ubi actionem, & effectionem ponit objecta, circa quæ habitus practici versantur; de quo videre est Lich. qu. 4. prol. & P. Fabr. 6. Met. disp. 1.

Cum igitur habitus habeant specificari ab actibus, & actus ab objectis, ut percipiamus, quid esse speculativum, & practicum dicant in habitu scientifico, debemus prius quarere de actu, per quid constituatur in tali, vel tali esse, quod nequibimus cognoscere, nisi objecta illorum sciamus, per quid differant inter se; facile autem erit cognoscere, quid sit objectum speculabile, si prius investigabimus, quid sit praxis, nam per negationem talis rationis constituitur praxim explicabimus rationem speculabilis de illo objecto.

ARTICULUS I.

Quid sit Praxis.

99 **D**ifficilem, simulque facilem difficultatem aggredimur explicandam; difficilem, propter opinionum varietatem, facilem, quia punctus controversiæ consistit in Doctorum placitis, cum sit vere Nominalis quæstio, nam quilibet pro arbitrata utitur hoc nomine Praxis, illud nimis ampliando, vel restringendo.

Ut autem certa ab incertis separemus, concedunt omnes nomine praxis solum actionem intellectuales naturæ cum Scot. 1. Met. quæst. 7. intelligi debere, nec quancumque, sed tantum, quæ aliquo pacto dirigibilis est, unde nec actiones brutales, nec inanimatas, neque illæ, quæ in hominibus naturales sunt, & ab imperio voluntatis excipiuntur, ut sunt operationes vegetales, &c. dicuntur praxis, quia non sunt dirigibiles; idcirco tria sunt actionum genera, quæ nomen praxis fortiri possent, scilicet, actiones intellectus, actiones voluntatis, & actiones sensuum; nec solum est dissentio, an istæ actiones sint praxis, verum etiam an absolute ipsi ratio praxis conveniat, an vero observatis quibusdam conditionibus, & an eodem modo, vel uni primario, alteri secundario.

Prima opinio solas actiones externas, & transientes ponit esse praxim, non internas, & immanentes, citatur D. Thom. 1. 2. quæst. 57. artic. 1. ad 1. & 2. 2. quæst. 179. artic. 2. Communis tamen concedit etiam de actibus immanentibus, & internis, licet non de omnibus, nam quod spectat ad actus voluntatis Henr. 1. p. artic. 8. quæst. 3. ad 3. & Varro lib. 1. quæst. 4. negant intentionem finis esse praxim, sed solum electionem mediorum. Major lis est de actibus intellectus, nam cum possint dupliciter considerari, vel ut ab imperio voluntatis præcendant, & antecedunt, vel ut a voluntate imperantur, quidam volunt etiam primo modo consideratos esse praxim, si sunt dirigibiles, ita Nominales omnes, ut Ocham, Gabr. in prol. sent. Gregor. quæst. 5. artic. 1. Rubion. quæst. 10. artic. 1. conclus. 3. & 4. Mol. 1. par. quæst. 1. artic. 4. Valquez disput. 8. Alen. 6. Metaph. initio, Fons. 2. Metaph. cap. 3. quæst. 2. section. 3. Suarez disp. 44. Metaph. sect. 13. num. 20. & seq. Perer. 1. Phys. capit. 2. Hur. disput. 11. de Anim. & disput. 2. Logic. sect. 2. Arriag. disput. 1. Logic. sect. 4. Morif. disput. 12. Log. quæst. 6. Blanc. disput. 2. sect. 4. Joan. de Sanct. Thom. par. 2. Log. qu. 1. artic. 4. Comimb. quæst. 4. præm. artic. 5. Ruv. quæst. 5. præm. Aversa quæst. 26. sect. 3. Amic. tractat. 27. disput. 4. quæst. 4. dub. 5. Jav. 6. Metaph. quæst. 4. & alii. Quidam vero absolute negant ut sic esse praxim, ita Scot. quæst. 4. prol. artic. 1. ubi Bassol. Lichet. Barg. Virgil. Tatar. & quæst. 2. præm. Log. §. secundo sciendum. Anton. And. 1. Metaph. quæst. 11. Zerb. quæst. ultim. Fab. in prol. disp. 9. & 6. Metaph. disput. 1. Rad. 1. par. contr. 3. art. 1. Vulp. 1. part. disput. 4. artic. 1. & disput. 28. artic. 8. Smifich. qu. præm. Theolog. num. 124. & seq. Cavel. de Anim. disput. 3. sect. 4. & super 1. Metaph. Scot. q. 7. & quæst. 4. prol. in Schol. Camer. quæst. 4. Logic. & ex Thomistis sequuntur Capreol. qu. 2. prol. conclus. 4. Sonc. 6. Metaph. qu. 2. Sotus in præm. quæst. 4. ubi Maffius quæst. 10. Didac. a Jesu quæst. 6. Complut. disput. 1. quæst. 6. Coelest. disput. 1. sect. 2. item Durand. quæst. 6. prol. Sueff. 1. Met. disput. 10. & alii. At si actus intellectus spectetur, ut est a voluntate imperatus, adhuc esse praxim negant ex Scotistis Ant. And. Rada, Smifich. Zerb. Tatar. Camerar. Vulp. & Bass. citat. admittunt alii aliquo modo cum cæteris Authoribus, ut videbimus.

Est quoque differentia quoad condiciones aliquas, nam Gregor. Rub. & Fons. cit. ajunt, non requiri, quod sciens, seu habens cognitionem practicam sit potens efficere actionem, quæ dicitur Praxis; communior vero exigit potentiam activam saltem remotam in ipso sciente, ita Valsq. Arriag. Mol. Ovviad. Aversf. & alii. Quidam addunt deinde, talem actionem debere liberam esse; quidam vero sufficere docent, ut sit ex se a voluntate dependens, quamvis non libere fiat, ita Ovviad. contr. 1. Log. punct. 2.

Tandem est discrepantia, eo quia Aversa sustinet sect. 5. actum imperatum primario esse praxim, imperantem vero secundario: oppositum docetur a Scotistis, inter quos mediat Amic. dub. 5. nam actus virtutis morales imperatos a voluntate inquit, esse secundario praxim, imperantes vero, scilicet, qui eliciuntur a voluntate imperante aliis potentis, esse primario, actus tamen artificiales, ut sunt opera artis, e contra scilicet, imperatos primario, imperantes secundario.

100 Dicimus primo, nullum actum precedentem voluntatis imperium esse proprie praxim: hæc conclus. est Scoti 1. Metaph. qu. 7. & quæst. 4. prol. artic. 1. & ex parte fuit probata quæst. præm. artic. 5. dum Logicam speculativam scientiam statuimus, quamvis sit operationum intellectus directiva; & prob. adhuc primo de operatione intellectus ab alia directiva, quia praxis proprie loquendo differt ab objecto speculabili, nam cognitio practica differt a cognitione speculativa ex hoc, quod illa est ad praxim, ista ad objectum ut speculabile, idest ut mere contemplabile, & cognoscibile, unde non solum denominant diversimode proprias cogniciones, sed etiam diversimode dividunt illas, nam circa objectum speculabile cognitio speculativa denominatur vera, si conformis est illi; & falsa, si difformis; at cognitio practica non dicitur vera, vel falsa, sed bona, vel mala, sicut praxis alia est bona, alia mala; at speculabile, vel verum, vel falsum dicitur loquendo de veritate, & falsitate objectiva, ergo omnis cognitio, quæ vera, vel falsa proprie denominatur, non tamen bona, vel mala, spectat potius ad genus speculabilis, quam ad genus praxis, talis est cognitio directiva ab alia cognitione, seu a regulis logicis, nam in hac cognitione duo possumus concipere, vel entitatem, vel directionem passivam juxta logicales regulas, quæ est illatio, & consequentia, entitas actus non dicitur bona, vel mala, sed vera, vel falsa, ut patet, consequentia quoque dicitur vera, vel falsa; & quamvis aliquando dicitur bona, vel mala, hoc est improprie, quatenus cum veritate, & falsitate confunduntur, quia bonitas proprie dicta pertinet ad voluntatis objectum, non ad objectum intellectus, unde quandoque quis percipiens objecti quidditatem dicitur bene discurrere idest vere. Tum quia cognitio directiva, ut cognitio est, spectat ad genus speculationis, quia solum intendit veritatis objectiva attingentiam, ergo etiam ut directiva ad praxim non spectabit. Prob. consequ. nam illa directio est instrumentum ad veritatis indagacionem ordinatum, tanquam ad finem, ergo proprie ad genus sui finis reduci debet, non ad genus finis oppositi, qualis est praxis respectu contemplationis veritatis. Accedit, quod Arist. scientiam practicam, seu activam semper definit in ordine ad voluntatem, sive appetitum rationis; ita 6. Eth. cap. 2. 3. de An. 46. & 49. 6. Met. cap. 1. & alibi.

Consequenter actio intellectus dirigens aliam actionem ejusdem non est proprie practica, ergo actio directiva non est praxis, consequ. patet, antec. prob. cognitio practica directiva ex sua ratione hoc habet, quod si maturo consilio, & prudenter sit elicit, quamvis cum objecto non conformetur, adhuc bona judicatur, estque sufficiens regula actionum. ab ipsa directarum, itaut si juxta ipsam eliciuntur, sunt bona, si contra ipsam, sunt malæ, & hoc quia est regula, & mensura illarum, cum qua debent actiones conformari, non cum objecto in se, sed ut a prudenti judicio dictatum, ut patet in habente conscientiam invincibilem: at speculativa omnem suam veritatem accipit ab objecto, itaut si illi non conformatur, nunquam erit vera, quantumque mature, & prudenter elicitur; quod potest deduci ex Arist. 6. Eth. c. 2. sed cognitio dirigens aliam cognitionem independentem a voluntate, ut sunt regulæ logicæ, si non habet conformitatem cum objecto, nunquam erit vera, aut recta, ergo practica non erit, sed speculativa. Accedunt etiam rationes sequentis concl.

Secundo prob. de aliis actionibus sensuum; nam praxis ex communi usu dicitur illa actio, quæ regulabilis est, & dirigibilis a cognitione practica, quam pro mensura respicit, illamque practicam denominat, & consequenter præsupponit illam non per accidens, sed per se, sicut universaliter omnis mensura prior est mensurato, at qualibet actio sensitiva, ut a voluntate præcindit, non est posteriori intellectione, imo per se est prior, ut notat Scot. cit. ergo non erit praxis.

101 Dicimus 2. omnes actus elicitos voluntatis, & imperatos, cuiuscumque sint potentia, etiam intellectiva, esse praxim in rigore; quoad 1. partem de actibus elicitis est Scoti cit. & prob. ab ipso, quia omnis actus elicitus voluntatis est essentialiter posteriori cognitione directiva, estque in potestate cognoscens, quæ sunt condiciones praxis, ut infra. Tum quia ut ipse arguit contra primam, & secundam viam, omnis actus voluntatis etiam circa ultimum finem est dirigibilis a recta ratione, ergo est praxis, consequ. patet, quia praxis hic sumitur, ut dicit actum regulabilem ex hoc, quod possit bene, vel male fieri; antec. prob. quia etiam circa ultimum finem contingit errare, & si non in ordine ad objectum, saltem quoad circumstantias; unde Theologi quamplures docent dile-

dilectionem Dei posse fieri malam in genere moris, si scilicet, debito tempore non eliceretur, v. g. si quis ex officio teneretur succurrere laboranti in extremo periculo, attamen leviter putaret, & erronee posse in actu dilectionis Dei permanere, illudque auxilium omittit, peccaret, qua ratione dicitur actus dilectionis Dei circumstantionabilis secundum quale, non secundum quantum, ergo quilibet voluntatis actus elicitus erit praxis.

Quibus rationibus prob. etiam actus imperatos intellectus esse praxim contra Scotistas citat. nam Doctor 2. disp. 6. quaest. 2. & dist. 42. admittit peccatum in cogitatione, ergo aliqua intellectio, ut a voluntate imperata, erit dirigibilis in genere moris, ut bene, vel male fiat, ergo est praxis, & explicatur exemplo, nam prudentia dicitur de circumstantiis studii, quo loco, & tempore exerceri debeat: item iudicium credendi articulos fidei est practicum, & spectat ad virtutem infusam fidei, habetque pro obiecto non solum volitionem actus credendi, sed etiam actum ipsum, unde meritorius est, & supernaturalis.

Respond. quidam Scotista cum Scoto quaest. 4. prolog. artic. 1. non sequi, ergo actus intellectus imperatus est praxis, sed vel est praxis, vel practicus, nam licet omnis praxis sit actus elicitus, vel imperatus, non tamen e. contra: ratio est, quia ut intellectus dicitur practicus, debet extra se tendere ex 3. de Anim. p. scilicet, debet actus aliarum potentiarum regulare, ut autem regulat proprios actus, non extra se tendit. Tatar. in prolog. cum Toletano respondet intellectionem, ut imperatam non esse actum intellectus, sed alterius potentiae, scilicet voluntatis imperantis. Barg. ait esse praxim materialiter, non formaliter.

102 Sed nulla responsio satisfacit: nam actus credendi non est practicus, cum non sit regula, sed regulatus, nec sit prior essentialiter actu voluntatis, sed essentialiter posterior, cum sit imperatus, ergo si omnis actus, vel est praxis, vel est practicus, & actus ille non est practicus, erit praxis. Tum quia est formaliter bonus in genere moris, & oppositus formaliter malus, ergo formaliter praxis, quia istae sunt differentiae praxis. Tum quia satis extra se tendit intellectus, dum dirigit actum illum, non ut sic, sed ut a voluntate imperatum, nam primo dirigit voluntatis actum. Tum quia non salvatur contradictio, nam si non est praxis, non potest dici peccatum. Secunda responsio non iuvat: nam sic non solum actus intellectus, sed cuiuscumque alterius potentiae, ut imperati non essent actus aliarum potentiarum, & tamen Scotus admittit actus aliarum potentiarum esse praxim. Tum quia non tantum actus, sed etiam potentiae subdunt voluntatis imperio, imo actus subduntur mediis potentiis, ergo actus imperatus dici debet actus potentiae propriae, ut imperatae. Tertia responsio, si explicetur, quod sit materialiter praxis id est secundario, & dependenter, non formaliter id est primario, & independenter, quo pacto actus voluntatis dicitur praxis, ut in seq. conclus. quo sensu etiam intelligendus est Scotus in 2. disputat. 42. est vera, & nostram confirmat sententiam; at si ly materialiter excludit omnem rationem praxis intrinsicam in ipso actu credendi, est falsa, & contra Scotum quol. 18. ubi ex professo ostendit actum exterioriorem, id est imperatum addere distinctam bonitatem, vel malitiam actui interiori, si duplex bonitas, una in actu voluntatis interiori, & imperante, alia in actu exteriori, & imperato (per actum enim exterioriorem intelligit ibi Doctor omnem actum alterius potentiae a voluntate, ut se declarat ibidem) ergo duplex ratio praxis, quia duplex dirigibilitas in genere moris, cum aliter sit circumstantionabilis actus voluntatis imperans, aliter actus imperatus. Accedit auctoritas ex 6. Metaph. quaest. 7. Et tandem impugnantur omnes simul, quia rota definitio praxis tradita a Scot. convenit actu intellectus imperato, & dicere, quod requiratur esse actum alterius potentiae, omnino videtur petitio principii, hoc enim est, quod quaeritur: quomodo autem sit explicandus Scotus, dicemus infra.

Ex his tandem prob. altera pars de actibus aliarum potentiarum, nam hi actus, vel sunt immanentes, ut sensaciones, vel transeuntes, quae relinquunt opus post se, ut opera artificiosa, & quilibet est dirigibilis, nam immanentes, quia sunt opera virtutum moralium, possunt bene, vel male fieri in genere moris, ut a voluntate imperantur, & ad laudem, vel vituperium imputari, qua ratione correspondet ipsis in intellectu habitus prudentiae tanquam regula directiva, qui actus dicitur ab Arist. 6. Metaph. cap. 1. & 11. Metaph. sum. 3. cap. 1. transeuntes vero non solum sunt dirigibiles quoad bonitatem, vel malitiam in genere moris, sed etiam quoad perfectionem, vel imperfectionem in genere artis, unde quavis sunt boni in genere moris, si scilicet fiant tempore, & loco debitis iuxta dictam prudentiam, possunt tamen esse imperfecti in genere artis, si non formarentur secundum regulas artis, quae est habitus directivus correspondens in intellectu ab Arist. cit. factivus nuncupatus; cum igitur hi actus sint dirigibiles a recta ratione, imo quandoque praecipua regulativa immediate cadant super hos actus, ut infra, vere dicentur praxis.

103 Ex dictis colligitur primo de ratione praxis esse, quod sit a principio intrinseco cognoscenti ex vi cognitionis regulantis in ipso existentis, non quidem in eo sensu, quo velle videtur Aureol. quaest. 2. prol. art. 2. Cajet. 1. par. quaest. 14. art. 16. Molin. 1. part. quaest. 1. artic. 4. disput. 1. & alii Recent. quasi operatio exerceri debeat ab illo eodem, qui habet notitiam regulantem, ut respectu ejus dicitur praxis, quo etiam sensu Scotista quamplures Doctores intelligunt quaest. 4. prolog. §. dico igitur, & §. Secundus articulus, ubi innuit, praxim debere esse a principio intrinseco cognoscenti. Sane hoc modo intelligi non debet, quia utique potest unus dirigeret actionem alterius, ut v. g. Praelatus actiones subditi, quae non tantum subdito, sed etiam ipsi Praelato praecipienti, & consulenti imputantur, atque ideo non tantum respectu illius, sed etiam respectu istius dicitur praxis, operatio enim in universum dicitur praxis respectu ejus, cui aliquo modo potest imputari. Et hoc non solum est verum, ut aliqui dicunt, quando opus illud potest etiam ab ipso consulente produci proxime, vel saltem remote. Quia Architectus manibus truncus potest dirigere consulendo actionem fabricum in domo aedificanda, quam tamen proxime exercendi facultatem non habet, & Angelus per internas inspiraciones consulit hominibus actus temperantiae, & castitatis, quos ipse nec proxime, nec remote elicere potest, cum careat sensibus, & tamen adhuc actiones ejusmodi Architecto, & Angelo imputantur, ut causis in genere moris. Debet ergo sic intelligi, quod intantum praxis dicitur semper aliquo modo procedere a principio intrinseco cognoscenti, quia etiam operatio dicta non ab ipso sciente exercetur, sed ab alio, tamen ejus voluntas intervenit, ut imperans, & applicans dictamen illi, quem vult movere ad opus; adeo quod ejus cognitio non solum respicit pro obiecto operabili actum suam voluntatis praecipientis, sed etiam opus illud extremum ab alio factum: unde quia originaliter provenit a voluntate praecipientis vi regulativae cognitionis ejusdem, ideo opus illud dicitur procedere a principio intrinseco illi cognoscenti, quantum sufficit, ut etiam respectu ejus dicitur praxis, & in hoc sensu debet intelligi Doctor cit. praefertim in 1. loc. loquitur enim de voluntate, quatenus est causa actus imperati, qualis esset, etiam si ab alio produceretur: verum est tamen, ibi loqui de praxi in sent. Aristot., & ut regulariter in nobis contingit, quo modo operatio exercetur, vel saltem exerceri potest ab ipsomet cognoscente, & in 2. art. re vera disputative procedit, & in utramque partem differt. Ex his solvuntur argumenta Aureol. citat. quibus probat rationem practici in praefato activitatis respectu consistere.

104 Colligitur 2. ad rationem praxis in rigore requiri libertatem esse, ut possit fieri, & non fieri, ita Scot. quaest. 4. prol. M. quamvis large loquendo non requiratur haec libertas proxima, sed sufficiat remota; pro cuius intelligentia est not. ex dicendis in lib. de Anim. quod voluntas est potentia essentialiter libera, & non nisi libere potest agere; haec autem libertas est duplex, vel proxima, ut cum voluntas potest agere expedite: vel remota, cum voluntas possit ex se non agere, sed ab extrinseco determinatur ad unam contradictionis partem, sic Beati sunt determinati ad amandum Deum, & Christus ad opera praecipua exequenda non habet voluntatem expeditam etiam ad suspensionem actuum, eo, quia Deus cum eo habeat concurrens denegatum ad oppositum actus, aliter fuisset peccabilis. In proposito ad praxim rigore requiritur libertas proxima, quia illa actio dicitur praxis, quae est imputabilis ad laudem, vel vituperium in genere moris, vel in genere artis, ad hoc autem requiritur libertas proxima, quae est fundamentum totius imputabilitatis, in his enim, quae necessario agimus, non laudamur, nec vituperamur. Verum si actio necessaria est aliquo modo dirigibilis, saltem remote, tunc minus rigore potest dici praxis, quia etiam potest esse meritoria, ut videbimus in Christo, cujus actiones necessariae, & tantum remote libertate fuerunt acceptatae a Deo ad meritum ex speciali dispensatione, ut monet Scot. 3. d. 18. & fuse explicat P. Faber 3. disp. 44.

105 Dicimus 3. actus voluntatis elicitus est primario praxis, imperatus vero secundario in actu exercito, & quoad executionem, ita Scot. quaest. 4. prol. artic. 1. & contra 3. viam, 1. disput. 42. B. 3. distinction. 33. & quol. 18. quibus in locis docet moralitatem primo competere actu interno, deinde externo, & per consequens etiam esse praxim, quae formaliter est dirigibilis: prob. ab ipso, quia fundamentum dirigibilitatis in actu externo sive immanenti, sive transeunte est libertas ex dictis, sed haec primo competit actu voluntatis, deinde actu imperato. Tum quia intellectus non dirigit alias potentias, nisi media voluntate, ergo haec est primo dirigibilis, aliae potentiae media voluntate. Tum quia si externus esset impossibilis propter aliquod impedimentum, adhuc internus esset praxis, ut probat Scotus citat. non e contra, ergo externus dicitur praxis dependenter ab interno.

Resp. Aversa, illam operationem esse praxim per se, quae sequitur, & conformatur cognitioni practicae, ut ob-

jectum

jectum cognitum, & regulatum, talis est actio exterior, ratione cuius voluntas dicitur bona, vel mala. Amicus, licet concedat actus morales externos esse secundario praxim, hoc tamen negat de actionibus artificialibus, assignat rationem disparitatis, quia perfectio moralis, quae est bonitas, primario competit actu voluntatis, at perfectio artificiosa primario convenit actu externo, & ipso mediante actu, quicquid sit de libertate.

Contra Aversam urgetur, quia falsum assumit, nam actio dicitur praxis, quia est dirigibilis a regula rationis, ut sic autem non solum habet rationem obiecti, sed potius actionis, nam obiectum non dicitur formaliter bonum, vel malum bonitate, vel malitia formali, sed actus est, qui taliter denominatur. Tum quia actio exterior, & imperata est dirigibilis non secundum esse naturae, sed ut habet esse voluntarium, & liberum, quia ut a libero, & voluntario praescindit, non est moraliter dirigibilis, at ut sic non habet rationem obiecti, sed actionis, & sub tali esse ab actu elicitio dependet. Amicus vero acquiescit, nam licet considerando actus istos in esse signato, & in potentia, prius ratio praxis, & dirigibilitatis conveniat externo, quam interno, attamen quando a parte rei exercetur, implicat, & quod praxi prius actueretur, & exercetur in actu externo, qui posterius ponitur, quam interno, qui prius existit.

106 Ex his omnibus deducitur, optimam esse definitionem praxis traditam a Scot. quaest. 4. prol. dum dixit, praxis est actus alterius potentiae ab intellectu, naturaliter posterior intellectione, natus elici conformis rationi rectae, ad hoc ut sit rectus; in qua definitione tres ponuntur conditiones; prima, quod sit actus alterius potentiae, quam intellectus, quia cum intellectus, ut sit practicus, debeat extendi, id est extra se tendere, ut colligi potest ex 3. de Anim. 49. quatenus scilicet non sinit in cognitione obiecti, sed ulterius procedit ad opus regulando illud, non quidem quodcumque opus, sed quod est dirigibile in materia morali, & practicabili, ut excludatur error practicus, sequitur, actum directum non esse actum intellectus, ut intellectus est, sed alterius quasi distinctae potentiae, nam intellectus ut sic distinguitur a seipso, ut a voluntate imperato non est actus intellectus, sed est actus intellectus imperati, & voluntati subiecti. Secunda conditio est, quod sit naturaliter posterior intellectione, quia regulatum, & mensuratum, ut est praxis, est posterior regula, & mensura, qualis est intellectus practica. Tertia conditio, quod sit conformis regulae, quia non quamcumque praxim definit Doctor, sed rectam, cuius rectitudo sumitur ex conformitate cum regula rationis, sicut irreverentia ex carentia talis conformitatis. In hac conditione includitur alia conditio, scilicet, quod sit finis intrinsecus, & per se cognitio practica, nam si actus ex propria natura est a ratione dirigibilis, iam ratio dirigens ex sua quoque natura respicit actum illum, in quem ordinatur, tanquam in proprium finem; haec omnia magis parebunt solvendo rationes in contrarium, in quibus aliqua auctoritates Arist. adducuntur pro his concl.

Solvuntur Objectiones.

107 **R**ationes contra 1. conclusionem ostendentes actum intellectus dirigibilem praescindendo ab actu voluntatis esse praxim, fuerunt adductae, & solutae in quaest. proem. artic. 5. dum quaerebamus, an Logica sit scientia practica, vel speculativa.

Contra 2. concl. arg. 1. quod actus voluntatis non sint praxis; ex Arist. 6. Eth. 2. habetur, quod electio est causa effectiva actionis, quam praxim appellat, sed causa est prior, & distincta a causato, ergo electio, quae est voluntatis actus, non est praxis formaliter, sed tantum causa; unde a Commen. 1. Eth. c. 1. praxis definitur, quod sit operatio secundum electionem. Conf. habitus practicus generatur ex praxibus, sed habitus practicus generatur ex actibus seq. electionem, non ex electione, nam si quis non se exerceret canendo, quamvis saepius habeat volitionem addiscendi musicam, numquam habitum musicae acquireret, ergo, &c.

Respond. Scotus quaest. 4. prol. §. Contra istud, concedendo omnem actionem ab electione imperatam esse praxim, non tamen omnem praxim esse imperatam actionem, nam ibidem subdit Aristot. Electionis autem appetitus, & ratio, quae gratia alicuius id est practica, sunt, scilicet principium, & sequitur, Neque sine habitu morali est electio, scilicet recta, bona actio enim sine more non est: ex quibus patet, habitum virtutis prius elicere electionem; quam electione media actum imperatum: unde haec auctoritas probat, actum imperatum esse praxim, quae est secunda pars concl. & nullum actum, qui non est imperatus, vel electio, esse praxim, quae est prima. concl. Ad illam definitionem ex Comm. ait vel non esse descriptionem convertibilem, vel si est convertibilis cum praxi, ly secundum non dicere solum habitudinem effectivam, sed etiam formalem. Vel electionem, ait, sumi pro potentia libera, & dominativa, vel pro elicitione actus, non pro actu. Ad conf. ait, quod in moralibus habitus practicus virtutis immediate fit ex electionibus, non ex actibus im-

peratis, ut patet de non habente pecunias, qui si nihilominus saepius eliceret volitionem dandi elemosynam, acquireret habitum liberalitatis absque aliquo imperato actu: aramen, inquit Doctor, quia cum actus imperati sunt impossibiles, non ita frequenter eliciuntur volitiones, nam ex Aug. 10. de Trin. capitulo 1. quod non creditur alicui possibile, aut ipsum non vult, aut tenuiter vult: hinc est, quod non generatur habitus, qui est virtus moralis in voluntate sine praxibus imperatis. At in artificiosis non dantur habitus in voluntate, sed vel solum in intellectu, quae erit ars, vel saltem in potentia executiva, voluntas autem tantum ex frequentatis actibus acquirit inclinationem ad imperandum actus externos; & hac ratione qui saepius non canit, non habet habitum musicae, id est dispositionem illam in potentia externa, nec inclinationem, quia minus frequenter elicit volitiones canendi.

108 Secundo arg. quod actus intellectus ut imperatus non sit praxis, auct. Scoti q. 4. prol. art. 1. ubi postquam docuit praxim esse actum elicitum, vel imperatum, objicit contra se, quia tunc sequeretur actum intellectus esse praxim, quia aliquis potest esse imperatus a voluntate contra primam particulam definitionis praxis, quod sit actus alterius potentiae ab intellectu; respondet nullam intellectionem esse praxim, sumendo praxim pro illa operatione, ad quam debet extendi intellectus, sed solum ex hoc sequi, quod omnis intellectio imperata, vel est praxis, vel practica, & hoc secundum concedit.

Resp. Faber cit. Doctorem loqui de intellectione, ut intellectio est, non ut est imperata. Barg. ait intellectionem, ut imperatam esse praxim materialiter, non formaliter, ut Doctor clare docet in 2. d. 42. & ideo negatur a Scoto hic esse praxim formaliter. Cavellus inquit, intellectionem idcirco negari esse praxim, quia in plurimum non imperatur a voluntate, sed praecedit, vel quia non immediate dirigitur, ut voluntatis actus. Nulla tamen responsio satisfacit; non prima, quia clare patet, Scotum ibi loqui de intellectione, ut imperata, de qua ut sic, ait, solum sequi esse practicum, vel praxim, ut recte advertit Smifinch. Non secunda, quia cum Doctor in 2. cit. ait intellectionem esse materialiter peccatum, non formaliter, per ly materialiter intelligit secundario, per ly formaliter intelligit primario; quae doctrina est communis omnibus actibus imperatis, ut ipsemet docet in prol. cit. §. Contra istud: ait enim communiter non generatur habitus practicus, qui est virtus sine praxibus imperatis sequentibus electionem, non tamen generatur ex illis sequentibus sed ex electionibus, in quibus est formaliter bonitas moralis, in praxibus autem imperatis est tantum materialiter; cum igitur quilibet actus imperatus materialiter, hoc est secundario, sit praxis, si ex hoc capite ibi negat Doctor intellectionem esse praxim, debebat etiam id negare de omnibus imperatis, & tamen de aliis concedit praeter intellectionem. Nec tandem solvit tertiam, nam Scotus ibi expresse ait, nullam intellectionem imperatam esse praxim, non ut in plurimum; & si ratio hujus esset, quia immediate non dirigitur, etiam hoc urget de aliis imperatis actibus, ergo universaliter negare debebat imperatos esse praxim.

109 Quapropter quamvis sit difficillimus locus, attamen quoniam in aliis locis cit. aperte concedit intellectionem esse peccatum, vel bonam, & consequenter praxim, debemus hunc locum explicare, quod nequit melius fieri, quam expositione a Lich. tascha, videlicet, quod non loquatur Scotus de omni intellectione imperata, sed de illa, quae simul est regulativa operationum, potest enim voluntas imperare intellectui, ut cogitet, & quaerat de mediis requisitis ad finem, & quod persistat in tali inquisitione, & cogitatione, quae cognitio, etiam ut imperata, potius est practica, quam praxis, quia est regulativa, & de his cognitionibus dixit nullam intellectionem esse praxim; quae expositio colligitur ex ipso textu, ait enim Doctor, Cum igitur dicitur, intellectio est imperata a voluntate, ergo est praxis non sequitur; sed sequitur, ergo vel est praxis, vel practica, & reddens rationem subdit, ipsa enim natura est denominari quasi accidentaliter a praxi, ad quam extensibilis est, non autem est terminus talis extensionis, ecce, quod loquitur de cognitione, quae est extensibilis, id est directiva, & regulativa, quae ut sic nequit esse directiva immediate. Quomodo autem intelligenda sit auctoritas illa intellectus extensione fit practicus, diximus supra exponendo definitionem praxis. Sed Poncius disput. 2. Log. num. 80. quamvis nobiscum teneat actum imperatum intellectus posse esse praxim, hanc tamen nostram non recipit expositionem, & aliter explicat hunc Scoti locum. Cui occurrit disputat. 1. Metaph. quaest. 4. num. 74. ubi ostendimus hanc esse genuinam illius loci intelligentiam, ejus vero expositionem litterae Doctoris non quoad rare.

110 Tertio argum. quod actus aliarum potentiarum a voluntate, ut sunt transeuntes, non sint praxis, quia Aristoteles 6. Metaph. c. 1. & 11. Metaph. sum. 3. cap. 1. intellectum practicum ait versari circa agibile, scilicet, circa electiones, ut se declarat ibi, factivum vero circa actiones transeuntes, ergo quia praxis est, quae denominat intellectum practicum, sequitur, actus transeuntes non esse

esse praxim, sed effectiōnem, sicut distinxit 6. Eth. cap. 4. ubi praxim, seu actionem docuit esse aliam ab effectiōne.

Resp. praxim multipliciter accipi ab Arist. ut notat Vafq. citat. quandoque enim sumitur, ut significat actionem electivam tantum, quae acceptio est maxime rigorosa, & in hoc sensu loquitur locis citat. quandoque vero non ita in rigore, sed ut distinguitur a speculatione, quo pacto communis est actioni, & effectiōni, & in hoc sensu nos hic loquimur, quia quaerimus de objecto cognitionis practicae, ut a speculativa distinguitur; & in hoc sensu locutus est 2. Met. 3. dum dixit finem speculativae esse veritatem, practicae vero opus; nam si per ly opus intellexerit actionem stricte sumptam, non probasset intentionem, quod erat ostendere Metaphysicam practicae non esse, sed speculativam, unde ex negatione, quod esset practica, non posset inferri esse speculativam, nam posset dici esse factivam; & 6. Ethic. cap. 3. dixit rationem speculativam non movere, sed practicae, per quam intellectus facultatem communem activae, & factivae.

Quarto contra corollaria deducta arguit Arriag. Tum quia si non requireretur, quod principium praxis sit in cognoscendo, sequeretur omnes scientias esse practicas, excepta Theologia, quia omnes sunt de rebus absolute factibilibus; immo cognitionem, quam habemus de divinis productionibus, esse practicae, quia esset de re operabili, quod est falsum, quia nulla cognitio alicujus ordinata ad impossibile sibi. Tum 2. si necessario requireretur libertas, ut voluntas possit errare, sequeretur scientiam Dei, cognitionem, quam Angelus habet de proprio motu, dictamen prudentiae, quam Christus habebat in hac vita, visionem Dei in Beatis non esse practicas, sed speculativas, quia nec Deus potest errare, nec Angelus, neque Christus, aut Beati, qui non solum non possunt errare, immo necessario agunt. Accedit, quod licet possit error contingere ante cognitionem directivam, tamen post directionem voluntas posset determinari ad necessario agendum ex cognitione directiva prius habita, quae ex se est practica, quia dirigit, ergo illud opus necessarium esset praxis. Tandem amantes non sunt liberi, & tamen quandoque efficiunt recte artificialia.

111 Resp. ad 1. neg. seq. nam ut notat Scot. quaest. 4. prol. M. ad cognitionem practicae, requiritur non solum quod sit operativa operis, sed etiam directiva, ita ut opus fiat ex vi illius directionis, quod non accedit in illis cognitionibus, quae sunt mere ostensivae, & ideo speculativae, & falsum est, nullam cognitionem ordinari ad impossibile sibi, nam ut monet Scot. in prol. cit. *Contra istud*, & 2. disp. 6. quaest. 2. impossibile potest esse objectum voluntatis; tum quia licet sit sibi impossibile, non est tamen absolute impossibile, quin possit cadere sub praecipio, vel consilio, ut diximus de Angelo nobis consulente quosdam actus virtutis ei impossibiles. Ad secundum de ratione praxis esse, ut opus illud fiat ex vi cognitionis non simpliciter ostendens, sed dirigentis simul, quare requiritur, quod voluntas sit dirigibilis, qua ratione negatur a Scot. cum verioribus Scotis scientiam Dei practicae esse quaest. 4. prol. & 1. d. 38. quia divina voluntas est inobediabilis, & prima regula in suis operationibus, de cognitionibus Angeli, Christi, & Beatorum concedimus practicas esse, licet voluntates non possint errare, nec actus ipsarum sint praxis in rigore, quia ut dicemus artic. seq. de ratione scientiae practicae non est actualis directio, sed aptitudinalis, cum igitur cognitiones illae ex se ipsis sint directivae, erunt practicae, quamvis voluntates sint ab extrinseco determinatae ad actionem rectam, hoc enim est per accidens, & ab extrinseco. Per hoc patet ad 1. conf. tum quia in sententia nostra voluntas nunquam ab intellectu determinatur, ut necessitetur ad agendum, sed semper manet intrinsece libera; ut in lib. de An. dicimus. Ad 2. conf. ex ib. dicendis voluntas in amentibus est essentialiter libera libertate naturali, qua possunt agere, & non agere, non libertate morali, quae supra illam addit advertentiam rationis circa materiam moralem virtutis, & vitii; cum igitur per amentiam sit perturbatus rationis usus, ut nequeat advertere, & cognoscere, quanam sint opera moraliter bona, vel mala, caret regula dirigente, & consequenter libertate morali. Cum hoc tamen fiat, quod quandoque non perturbatur rationis usus circa res artificiales, & ideo possunt iuxta artis praecipia operari, quia habent libertatem artificiosam, quae dicit libertatem naturalem cum advertentia ad regulas artis.

112 Quares, secundum Scot. 4. d. 6. quaest. 10. O, & 2. d. 41. in calce corporis quaestio dantur actus indifferentes, qui nec boni sunt, nec mali, ut levare fastucam, fricatio barbae, &c. an isti actus sint praxis. Resp. affirmative, quia cum sint deliberati, & in genere moris, erunt iuxta regulam rationis non quidem recipientem, aut consulentem, sed permittentem, quae ratione actus isti dicuntur imputabiles ad laudem, quatenus operans per ipsos, licet non agat iuxta regulam rationis recipientem, tamen non violat illam, quae est minima laus in genere moris; sed de his latius in tract. de actibus humanis.

Contra ult. concl. arguit Averfa. Tum quia praxis est, quae regulatur, & ad quam notitia practica principaliter ordinatur, sed talis est actus imperatus, nam regula, & praecipia artis v. g. scribendi, canendi, &c. traduntur de actuali descriptione, & cantu, non de voluntate descriptionis, & cantus, & ad hos actus imperatos scribendi, & canendi ars musicæ, & scriptoria ordinatur, non ad volendum scribere, ergo, &c. Tum 2. illa operatio est vere praxis, quae est objectum notitiae practicae, quia notitia dicitur practica per ordinem ad objectum operabile, sed actus imperatus, non imperans, est objectum notitiae practicae, objectum enim musicæ artis est cantus, non volitio canendi, ergo &c.

Tum 3. ad hoc ut notitia dicatur practica, non sufficit, ut ad ipsam sequatur actus alicuius voluntatis per modum naturalis sequelae, sed exigitur, ut sequatur actus per notitiam cognitum, & representatum objective, talis est actus imperatus, non imperans. Tum 4. ex Amic. perfectio, & imperfectio voluntatis est bonitas, vel malitia moralis, non artificialis, haec enim primo competit rei artificiali in se independentem a voluntate, voluntari vero dependenter a re artificiali, ergo primario actus externus erit praxis.

113 Resp. actum externum dupliciter posse considerari, primo quasi in actu signato, hoc est, secundum speciem suam, & ex objecto, antequam ab aliquo homine fiat, in cuius tamen potestate est, ut sit, vel non sit. 2. quasi in actu exercito, quatenus, scilicet, imperatur a voluntate, & applicatur ab ipsa potentia executiva ad operandum; primo modo fundat bonitatem, vel malitiam objectivam in genere artis, seu fundamentalem quoad specificationem, & potentialem, secundo modo fundat bonitatem, vel malitiam formalem, & actualiam, & quoad exercitum, tunc ad 1. dicimus concludere de praxi, & dirigibilitate in potentia, & quoad specificationem non de praxi, & dirigibilitate actuali, & quoad exercitum, cum enim prius sit voluntatis actus, quam actus exterior, & uterque sit dirigibilis a ratione, quia praerequiritur applicatio potentiae tali, vel tali modo, implicat, quod ratio praxis prius exercetur in actu externo, quam in interno. Exemplum est in moralibus, nam actus externus homicidii primario prohibetur, & super ipsum immediate cadit prohibitio, & supra volitionem autem secundario, quia ideo volitio homicidii est mala, & prohibita, quia homicidium est malum, & prohibitum, quae causalis est vera; & hoc si considerantur in esse potentiali, & objectivo, quamquam ut sic libertas prius conveniat interno, quam externo, nam primitas malitiae non attenditur penes primitatem libertatis, quae est fundamentum, sed penes primitatem prohibitionis, attamen in esse exercito volitio homicidii est primo mala, quam homicidium, quia primo exercetur, & in externo deinde exercetur dependenter ab interno, quare assumptum valet de praxi in esse objectivo, & potentiali, non in esse exercito, & actuali. Ad 2. per idem, nam in objecto musicae includitur aliquo pacto applicatio potentiae executivae. Ad 3. dicimus actum voluntatis non sequi per modum naturalis sequelae, imo esse per se intentionem, tamquam necessarium, & per se primo in exercito regulatum. Ad 4. illa perfectio artificialis in esse potentiali primo competit rei artificiali, non in esse exercito, sed dependenter a voluntate, quae est causa illius actus.

114 Dices, eundem ordinem servant actus internus, & externus, dum sunt in actu, quem servant, dum sunt in potentia, ut patet de esse libero, quia enim esse liberum prius competit interno, quam externo in eo signo, in quo ambo sunt in potentia, ideo in actu prius competit interno, quam externo, ergo quia ratio praxis prius competit externo, quam interno in esse potentiali, idem dicendum, dum sunt in actu. Tum quia si ideo actus exterior, ut dicatur formaliter praxis exercite, solum praerogit interiori, ut ab eo libertatem particeps, non erit simpliciter verum, quod ratio praxis actualis ab actu interiori derivatur in exteriori, sed hoc tantum de libertate verificabitur. Resp. non semper servari eundem ordinem in intentione, & executione, quando scilicet talis ordo est executioni impossibilis; ut patet de fine, & medio in intentione, & executione, ibi enim finis est prior, hic posterior, ita est in proposito, ut diximus, praecipue in genere moris, quia ad hoc ut aliquid prohibeatur primario, sufficit, quod sit liberum, sive primario, sive secundario, prohibitio enim pendet a voluntate legislatoris, at in actu exercito necessario prius ponitur internus, quam externus. Ad aliud dicimus in esse exercito externum non solum accipere libertatem, sed etiam dirigibilitatem, quia non est actu dirigibilis, nisi medio actu voluntatis hoc, vel illo modo applicantis, & maxime loquendo de praxi in genere moris, nam ut ait Doctor 2. d. 42. B. quia voluntas est primus motor in regno animae, & omnia illi obediunt, tenetur dare rectitudinem, non solum suis actibus, sed etiam actibus aliarum potentialium; unde causalis est vera, ideo potentia exterior deficit operando, quia voluntas deficit imperando.

ARTICULUS II.

Quid sit, & unde sumenda ratio practici, & speculativi.

115 Differentia practici, & speculativi non solum applicatur habitibus, sed etiam actibus, cum hoc discrimine, quod si loquamur de actibus, tantum de intellectivis debet intelligi, ratio est, quia nullus actus aliarum potentialium ab intellectu potest dici practicus, quamvis sit praxis, non enim est dirigens, & regulans, sed directus, at si de habitibus est sermo, sic ratio saltem practici non solum tribuitur habitibus intellectualibus, sed etiam voluntatis, virtutes namque morales appellantur habitus practici, & ratio hujus est, quia tam isti, quam illi ordinantur ad praxim licet diversimode, nam habitus intellectuales, ut prudentia, & ars, respiciunt praxim directivam, non enim habent alium concursum ad actus aliarum potentialium, ut ex dicendis in lib. de Ani. supponimus; at habitus voluntatis respiciunt praxim elicitive, quia physice concurrunt ad proprios actus; cum ergo sit diversus ordo in his, & illis habitibus, diversa quoque erit ratio practici. Verum quia communiter practicum sumitur, ut differentia constituta a speculativo, & hac non nisi habitibus intellectus potest convenire: hinc est, quod de practico, quod cum speculativo dividit habitum intellectualem, in communi loquimur; & duo quaerimus, quid formaliter dicant, & unde sumantur, an scilicet a fine, an ab objecto.

Pro resolutione, prima partis quaestio not. quod res a nobis cognoscibiles sunt dupliis generis, quaedam enim sunt producibiles, quaedam improducibiles, saltem a nobis; haec non possunt cognosci nisi secundum propria praedicata in primo, & secundo modo, ac quidditates ipsorum; illa dupliciter possunt cognosci; primo quo ad eorum essentias, & praedicata, praedicando ab existentia, secundo quo ad existentiam, scilicet quatenus sunt producibiles in rerum natura, considerando modum, & circumstantias productionis illorum, ut recte, & congrue fiant: prima cognitio dicitur speculativa, quia consistit in contemplatione veritatis, nec ultra progreditur, ejusque finis est scire: Secunda cognitio est practica, quia se extendit ad opus, iudicat enim hoc esse prosequendum, illud fugiendum, ejusque finis opus; quapropter ratio practici secundum modum in cognitione dicit ordinabilitatem ad opus, quod est praxis.

116 Scotus autem quaest. 4. prol. art. 2. diligentius explicans, quid sit ista ordinabilitas, vel extensio ad opus, in qua consistit ratio practici, ait dicere duplicem relationem aptitudinalem prioritatis naturalis, & conformitatis; quod practica cognitio debeat esse prior naturaliter praxi, probat ex 6. Eth. cap. 3. ubi docet Arist. electionem rectam, quae est praxis, necessario requirere rectam rationem, cui conformatur; & patet ex dictis, nam omnis praxis, vel est actus elicitus, vel imperatus voluntatis, uterque autem praesupponit actum intellectus; tum quia regula est prior naturaliter regulato. Quod deinde debeat esse conformis, probat ex eodem Arist. ibid. docente, quod veritas considerationis practicae est confusa idest conformiter se habens appetitui recto: duplex autem est conformitas, una passiva, & haec convenit appetitui, & praxi, alia activa, & haec est propria cognitionis practicae, quia est regula iudicans, & dirigens quomodo gerere se debeat aliae potentiae in propriis actionibus. Quare illa erit practica cognitio, cui ex propria natura conveniunt haec duae relationes aptitudinales. Notanter dicit Doctor, has relationes esse aptitudinales, non actuales, quia per accidens est, quod ad rectam rationem sequatur praxis recta: cum enim voluntas sit essentialiter potentia libera, potest non agere proposito sibi objecto a recta ratione practica, vel non conformiter agere: non ob id tamen cognitio directiva, & regulativa non erit, cum enim sit ex se talis, non pendet in hoc a posteriori, & effectu.

Ex quibus colligitur, male a recentioribus referri, Scotum sensisse illam esse practicum cognitionem, ad quam sequitur quocumque modo operatio aliqua, ut amor, vel delectatio: Numquam enim hoc asserit, ut patet intuitu textum, imo oppositum docuit, dum dixit cognitionem illam esse practicae, quae ex sui natura est regulativa praxis, inter quas sit relatio directiva ad directum, & regulativa ad regulatum, talis autem non est qualibet actio quocumque modo sequens cognitionem, sed illa, quae elicitor vi cognitionis directivae, ad quam cognitio refertur.

Colligitur 2. ad cognitionem practicae non sufficere, quod versetur circa rem operabilem, hoc enim convenit etiam speculativae, tam enim Philosophia, quam moralis scientia versantur circa actiones nostrae voluntatis, quae sunt res operabiles; sed adhuc requiritur, quod versetur operabili modo, idest quod dicat modum, & circumstantias actionis faciendae.

Colligitur 3. cognitionem practicae illam esse, quae ex sui natura est ad praxim extensibilis, & ad opus ordinabilis, hic enim respectus conformitatis activae, cum sit aptitudinalis, est realiter identificatus: quapropter non est conditio necessaria, ut sit ordinabilis ex intentione scientis, ut falso aliquid dicunt, aliter inquit Doctor, eadem scientia modo erit practica, cum scientis actu ordinat in finem, nunc speculativa, si actu illam non ordinaret, tum quia cum iste finis sit extrinsecus scientiae, quia pendet ex scientis arbitrio, erit quoque accidentalis, & non conditio essentialiter requisita.

Maffii, & Bellari Tom. I. Logica.

117 Amplius pro majori noticia practicae cognitionis not. quod cum ratio practici, etiam ut a speculativo distinguitur, conveniat habitui, & actui intellectuali, aliter tamen, & aliter competit; habitus enim in tantum dicitur dirigere, in quantum est productivus actus practici, qui immediate dirigit, non enim habitus ex se attingit objectum, sed medio actu, qui est immediate directivus; hoc vero multipliciter contingit, ut colligitur ex Scot. quaestio. 4. prologo arguendo contra primam viam, & in finem ad rationes opinionum, nam actus alicuius potest dici practicus, seu directivus virtualiter, & est cognitio principii practici, ex quo deducitur conclusio practica, & hoc esse practicum non est differentia scientiae practicae, nam scientia est conclusio, non principii; vel dicitur practicus, aut directivus formaliter, qui scilicet expresse dirigit in praxim, ut est cognitio conclusionis practicae, & hoc dupliciter, vel proxime, ut cum dicitur in particulari hic, & nunc esse tali, vel tali modo agendum, quae directio in agibilibus erit actus prudentiae, in factibilibus erit actus experientiae, hi enim habitus inclinant in actus particulares; vel remote, ut cum dicitur in universali hoc esse prosequendum, illud fugiendum, & haec directio in agibilibus erit conclusio scientiae moralis, in factibilibus conclusio artis, quae sunt habitus inclinantes ad opus in universali. Notat insuper Doctor, quod isti habitus universales dici solent speculativi, unde medicina dividitur in theoreticam idest speculativam, & in practicae, non quod formaliter sint speculativi, sed quoniam quando sunt aliqua duo extrema opposita, quanto aliquid recedit ab uno oppositorum, tanto accedit ad aliud; modo consideratio in particulari, quia est immediate directiva praxis in particulari, proxime habet rationem practici, & quanto aliquid recedit ab illa, tanto magis accedit ad speculativam, & hac ratione habitus universalis potest dici speculativus, in quantum recedit ab actu in particulari, unde non absolute est talis, sed comparative.

Ex his deducit Scotus, quid dicat speculativum, nam cum opponatur practico, dicitur carentiam illius ordinationis ad opus, ita ut cognitio speculativa sit illa, quae in contemplatione proprii objecti sistit, & ultra non procedit; hinc Aristot. 1. Metaph. cap. 2. scientia speculativa dicitur libera, practica vero gratia alterius: & 2. Met. 3. finis speculativae est veritas, practicae vero opus, nam illa est propter se, haec propter aliud, cum sit ministra aliarum potentialium.

118 Sed contra praedicta instatur, quia practicum, & speculativum sunt differentiae divivae scientiae in communi, at nullus respectus, vel privatio potest esse differentia alicuius realis absoluti, qualis est scientia, ergo practicum non dicitur illos respectus, nec speculativum carentiam illorum. Resp. practicum, & speculativum dupliciter posse considerari, vel secundum id, quod a parte reidicunt, vel secundum id, per quod a nobis explicantur; primo modo sunt differentiae essentialis scientiae, secundo modo dicuntur respectus, & carentiam in sensu explicato, suntque potius passionis consequentes, quam essentialis differentiae, illas tamen circumscribunt, ut notat Scotus citat.

Circa 2. partem difficultatis, advertendum est ex Scot. cit. in fin. quod notitia, & habitus practici, & speculativi dicuntur tales intrinsece, & formaliter per proprias differentias essentialis, & de hoc non est quaestio, sed quaerimus, unde causaliter, & originative proveniant istae differentiae in actibus, vel habitibus, ex quo sequitur non satisfacere quaestio, qui responderet, habitus dici practicos, vel speculativos, quia ab actibus practici, & speculativi causantur, quamvis enim actus sint causae habituum, attamen, ut notat Doctor lit. F. etiam actus isti sunt practici, & speculativi, ergo habent causas tales continent differentias, & consequenter istae causae erunt originative causantes differentias illas in habitibus; quare ab eodem habitus, & actus habebunt rationem practici, vel speculativi, & de isto quaerimus, quodnam sit; in qua difficultate certum est intellectum non posse esse talem causam, quia intellectus est causa communis utrique tam practico, quam speculativo, ergo non potest esse causa distinctiva, aliquid aliud igitur assignari debet, quod sit proprium unius, & non alterius.

Prima opinio est Henr. quol. 4. quaestio. 1. quem sequitur Gregor. in prologo quaest. 5. art. 2. Fland. 6. Met. quaest. 2. art. 2. ex parte, Amic. tract. 27. disp. 4. quaest. 4. dub. 6. scientiam, scilicet, dici practicae, vel speculativam a fine, nam finis practicae est opus, speculativae vero ipsa veritas, & scire objecti, quam sent. ex nostris sequitur Bassol. quaest. 7. prol. art. 3. Secunda sententia est Scoti qu. 4. prol. art. 3. & omnium Scotistarum, has differentias non sumi a fine, sed ab objecto; vel si objectum, & finis coincidunt, non sumi ab illo ut fine, sed ut objecto, quem modum dicendi fere sequitur Rubin. quaest. 9. prologo. art. 1.

119 Dicendum est, actum, & habitum dici practicum, non a fine, sed ab objecto, idem de speculativo dicitur; ita Doctor cit. & quidem de habitu patebit, si id demonstrabimus de actu; Prob. igitur a Scot. prima pars, quod a fine non habeat, quod sit practicus. Tum quia ratio practici formaliter sumitur ab aliquo intrinseco actu, cum sit essentialis illi ex dicendis art. seq. ergo originative erit ab aliqua causa extrinseca priori, & praesupposita illi actu, sed talis causa nequit esse finis, ergo &c. min. prob. finis, ut finis non est causa, nisi ut amatus, quia ex dictis disp. 7. Phyl. quaest. 8. art. 3. intantum finis causat, in quantum movet agens ad agendum.

A a sed

sed ratio practici convenit actui; siue finis moveat agens, siue non, & consequenter, siue sit actus causa, siue non, quia sufficit directio aptitudinalis, ergo non causatur a fine; non enim amabilitas, & potentia ad causandum sufficit, quia effectus, quod recipit, a causa habet, quia causa actu causat, non quia potest causare. Tum quia, vel finis est causa, ut est extra productus, vel ut consideratur, vel ut intentus, & amatus; non primum, quia ut sic est posterior actu practico, & alio modo effectus, faciens autem distinguere debet esse prius; si secundum, ergo, ut sic non causat, ut finis, sed ut obiectum, quia ut sic non habet rationem finis, ad quam requiritur, ut sit amatus, sed potius rationem obiecti, nec tertium, ut iam ostensum est.

Resp. Basso, notitiam praecedentem amorem finis non esse practicam, sed speculativam, quia non est a praxi, ut a suo principio, qualis est intentio finis, unde solum admittit practica notitiam post finis amorem, non erga finem, sed erga media. Per hoc ad 2. ait finem, ut intentum, seu intentionem finis causare notitiam practicam, & in hoc sensu explicat, & limitat doctrinam traditam de praxi.

Contra, intentio finis est praxis regulabilis ex dictis art. praecedent. ergo recipit regulam priorem, ergo non praecedit notitiam practicam, sed subsequitur. Tum quia contingit quandoque agere contra actuale dictamen rationis, ut cum quis peccando habet conscientiam remurmurantem, quod dictamen est practicum, ut patet, nam actu dirigit ad opus, & attinet ad scientiam saltem moralem, & tamen non est ab intentione finis, quia haec potius est illi opposita. Tum quia praescindendo a quocumque actu voluntatis, hoc iudicium, *Deus est summe diligendus*, non est speculativus, quia non sistit in sola contemplatione veritatis, ergo practicus, ergo non est de ratione notitiae practicae actualis conformitas cum praxi. Tandem quilibet actus bonus moraliter dicitur talis ex conformitate cum regula rationis, ut communiter docent Theologi in tract. de act. hum. sed intentio finis est bona formaliter, si est circa convenientem obiectum, ergo habet regulam praeviam, cui conformatur, quae practica erit, quia directiva operationis rectae.

Amic. resp. rationem practici habere esse a fine, non causative, sed terminative, non ut actu existente, sed ut potente existere, quia effectus potest terminare habitudinem suae causae, tam ut producibilis, quam ut productus. Haec responsio non est ad propositum, nam distinctio per effectus est distinctio a posteriori, nos autem quarimus distinctionem per priora, & per causas, a quibus originatur.

120 Secunda pars, quod sumatur ab obiecto, prob. a Scot. 120. actus scientiae practicae causatur ab intellectu, & a praemissis, intellectus non est ratio distinguendi, ut diximus, ergo erant praemissae, quia ut dicemus disput. seq. concl. scientia debet esse ex propriis, non ex communibus, cum igitur aliae sint praemissae concl. practicae, aliae concl. speculativae, distinctio a priori ex praemissis sumi debet, praemissae autem non sunt causae originariae huius distinctionis, quia, & ipsae virtualiter includuntur in aliquo priori, tale autem est subiectum ex dictis qu. 2. ergo causa distinguens practicum, & speculativum erit obiectum proprium uniuscujusque exemplum: haec conclusio practica, Deus est summe diligibilis, deducitur ex his praemissis, summum bonum est summe diligibile, Deus est summum bonum, in quibus virtualiter continentur, praemissae immediate continent conclusionem ratione medii, quod est causa connectens extrema, medium autem ultimatum continetur virtualiter in subiecto, in quo etiam virtualiter continetur praedicatum scilicet summe diligibile. Quandoque autem medium est a subiecto distinctum, ut est sanitas respectu hominis, quae ponitur finis medicinae, adhuc tamen in hoc casu obiectum est, quod virtualiter primo, & ultimatum continet, non ille finis, nam, intantum haec, vel illa sanitas concluditur de homine, quia homo est tali, vel tali temperamento constitutus; & in scientia morali felicitas ponitur finis, sed demonstratur de homine per propriam rationem, quia ideo felicitas talis competit homini, quia est talis animam habens, unde subiectum est saltem finis remotionis scientiae, & ideo ab ipso sumi debent principia, licet non in quantum finis, sed ut obiectum. Confirmatur ex Aristotel. sexto Metaphis. 2. & 6. Ethicor. capit. secundo, & tertio de An. 51. ubi practicum a speculativo semper distinguitur penes obiecta; clarus 1. Mag. Mor. capit. 33.

Notat tamen Doctor, quod cum ratio practici dicat duplicem respectum prioritatis, & conformitatis activae, seu directivae, primum respectum proprie non habet ab obiecto, sed ab ordine potentiarum, eo quia voluntas est regulabilis, & posterior intellectui; at secundum respectum accipit ab obiecto, quia ideo intellectus recte dicitur Deum esse summe diligibilem, quia Deus in se vere continet veritatem illius propositionis, & rectitudinem illam. Ubi advertit duplicem esse rectitudinem praxis elicentem, unam necessariam, quando scilicet dependenter a quocumque voluntate obiectum datum est terminare aliquam actionem, ut patet in exemplo allato, & universaliter in illis omnibus, quae sunt intrinsece bona, vel mala, & ideo praecpta, vel prohibita, quia sunt bona, vel mala; altera rectitudo est contingens, cum scilicet obiectum est bonum dependenter ab actu alicujus voluntatis, ut sunt illa, quae sunt bona, vel mala quia praecpta vel prohibita, ut sacrificium misse in nova lege est bonum, in veteri lege

non erat bonum ex ordinatione voluntatis divinae, & in his ultimis notitia dicitur practica respectu illius voluntatis, quae non est determinativa rectitudinis, non autem respectu illius, quae determinat rectitudinem, & bonitatem obiecti, haec enim non dependet ab intellectu tanquam a regula distante, quia est causa rectitudinis obiecti, & prima radix omnis obiectivae bonitatis.

In oppos. argumr. quod istae differentiae sumantur a fine. Tum ex Aristot. qui 3. de Anim. 49. ait intellectum extensione fieri practicum, id est qui est speculativus, per ordinationem ad finem fieri practicum, & 1. Met. cap. 1. practicum scientiam docet ignobiliorum esse speculativa, quia est gratia usus, ergo usus est per se finis practicae, ergo distinctio sumitur a fine; clarius hoc habet 2. Met. cap. 3. ubi inquit finem speculativae esse veritatem, practicae autem opus. Tum 2. quia actus dicitur practicus, quia est moraliter bonus, vel malus, sed bonitas, & malitia conveniunt actui ex circumstantiis, inter quas principalior est finis. Tum tertium obiectum, si est causa actus, est effectiva, ergo non est prima radix distinctionis, probatur consequentia, nam omne agens agit, quia movetur a fine, ergo finis est prima causa, & radix omnis distinctionis. Tum quartum principia practica semper sumuntur a fine, ergo finis est, qui proprie virtualiter includit notitiam conclusionis practicae.

121 Resp. ex Scot. sepe cit. ad Arg. pro opin. quod datur triplex gradus intellectus secundum Aristot. primus, cum percipit speculabilia, Secundus, cum cogitat agibilia in universali non dictando de mediis in particulari, Tertius, cum de mediis in particulari consulit propter finis ascensionem, hinc secundum primum gradum intellectus est speculativus, qui deinde extenditur ad cognitionem practicum in universali, & aptitudinalem, quae non respicit finem, ut amatum, sed ut cognitum; secundum tertium gradum respicit finem amatum, & volitum a voluntate; quare negatur intellectum extendi ad practicum cognitionem aptitudinalem propter finem; Ad id de 1. Met. resp. Scot. ad arg. princ. 2. qu. collat. quod usus, seu operatio si est obiectum scientia practicae, tunc est per se distinctivum ejus, ut obiectum cognitum, non ut causa finalis; si vero non est obiectum, sed in gratiam alterius consideretur, tunc quamvis habeat habitudinem ad usum, non tamen ut ad per se finem, hic enim est obiectum, & quia habitudinem dicit ad usum, licet ut in gratiam alterius consideratum, & scilicet obiecti, adhuc concluditur ignobilitas scientiae practicae. Ad id de 2. Met. ait habitum speculativum pro fine immediato habere speculationem, quae dicitur veritas, quia ulterius non tendit, habitum practicum pro fine immediato habere opus id est notitiam practicam, quae dicitur opus, quia respicit illud regulando; quare Arist. assignavit differentiam habituum penes actus, quos immediate respiciunt, haec tamen distinctio non est prima, & originalis, ut diximus. Ad secundum ait §. *Concedo*, quod bonitas, vel malitia intrinseca sumitur ab obiecto, & a fine, ut cum obiecto coincidit, si vero distinguitur, numeratur prima circumstantia inter caeteras; a quibus sumitur bonitas, vel malitia accidentalitatis, praeterquam quod aliud est loqui de praxi, aliud de notitia practica, argumentum urget de praxi, non de practica, quae est independens ab intentione finis. Ad tertium neg. consequ. ad prob. dicimus agens naturale in se spectatum agere inchoative propter finem, quatenus naturali pondere agit determinata actione, non complete, ita ut moveatur metaphorice a fine, cum ergo finis in se nihil causet reale in agente, non potest esse causa prima distinctiva, non enim est vera causa realis, ex dictis in phys. disp. 7. qu. 8. tum quia finis obiecti agentis est ipse cognitio, unde si valeret ratio, concluderetur, quod actus essent prima distinctiva habituum. Ad quartum assumptum est verum de fine per se ultimato scientiae, qui est obiectum, a quo desumuntur principia, non ut finis, sed ut obiectum, non de fine non ultimato, qualis est praxis, a qua licet aliqua sumantur principia, radicaliter tamen continentur in obiecto, ut explicuimus in probatione conclusionis.

122 Secundo ad idem ex Basso. Tum quia inter omnes causas finis est prima, & praecipua, ergo a fine sumi debet radix omnis distinctionis. Tum 2. ex 6. Eth. cap. 3. bonum intellectus practici est confessio, id est conformiter se habere appetitui recto, ergo appetitus rectus, seu intentio finis est mensura notitiae practicae, & radix distinctionis. Tum 3. sicut se habet principium in speculabilibus, ita finis in practicis, ergo sicut speculativa scientia specificatur a principiis, ita practica a fine. Tum 4. illud dicitur regula, & mensura notitiae practicae, & actuum humanorum, a quo habet voluntas, quod moveat, & imperet aliis potentis, sed hoc habet a fine, quia sibi correspondet finis in universali. Tandem notitia dicitur recte dirigere ex fine, qui est prima regula, & principium, ad quod aspiciat agens.

Resp. ad 1. finem nec esse veram causam realem, nec in agentibus naturalibus habere rationem completam finis, quae consistit in movere metaphorice agens, id est causat, quia amatus, & intentus, ut in Phys. diximus, & nuper ad tertium retigimus. Ad secundum intelligitur Arist. de conformitate activa, non passiva, a se ipso finis esset regula notitiae practicae, omnis notitia dicitur de mediis juxta exigentiam finis, etiam si finis esset malus, adhuc esset recta, quia conformis intentioni, quod est falsum. Ad 3. valet de fine cognitio, quomodo coincidit cum obiecto; non de fine ut ama-

te, quo pacto habet rationem finis; vel melius valeat de fine in ordine ad electionem mediorum, non in ordine ad notitiam practicam. Ad 4. assumptum concedi potest de fine in ordine ad actus imperatos, qui omnes intentioni finis subordinantur, & fini ut amato, non de notitia practica, quae praecedit voluntatis imperium, ideoque non respicit finem, ut amatum, sed solum ut cognitum, quo sensu habet rationem obiecti, non finis. Ad ult. per idem.

123 Tertio, quod obiectum non distinguat, prob. causa effectus non distinguunt effectus specie, nam a diversis specie causis potest idem effectus provenire, ut calor a Sole, & igne, sed obiectum est causa efficiens actus, ergo &c. Tum 2. ab eo actus non specificatur, a quo minus dependet, & ab eo specificatur, a quo magis dependet, ab obiecto minus pendet, quia potest saltem a Deo absolvi a tali dependentia, si scilicet Deus immediate causaret actum supponendo causalitatem illius, a fine magis pendet, quia nec etiam a Deo potest absolvi ab illius dependentia; semper enim notitia practica respiceret opus tanquam finem, ergo &c. Tum 3. de eodem obiecto dantur notitiae practicae, & speculativae, ergo distinctio non sumitur ab obiecto. Tum 4. obiectum dicitur virtualiter continere secundum propriam quidditatem, ergo si ut sic dat specificationem scientiae practicae, nulla de illo daretur speculativa scientia.

Resp. ad 1. ex Scot. cit. quod quando causa specie distincta sunt univoce cum suis effectibus, seu similes, si non univocatione, & similitudine completa, quae attenditur penes formas reales, ut cum calor producit calorem, saltem univocatione, & similitudine diminuta, seu intentionali, quae adest, cum effectus est similis suae causae in forma, sed non in modo essendi formae, ut cum domus extra fit a domo in intellectu existente, adest similitudo in forma, quia ad instar illius fit, sed non in modo essendi; nam domus extra habet esse reale, domus intra habet esse diminutum, intentionale, & cognitum: quando igitur effectus sunt similes aliqua similitudine istarum, tunc causae efficientes specie diversae valent inferre diversitatem specificam effectuum, sic se habent obiecta respectu actuum. Ad 2. in casu etiam specificantur ab obiectis, nam causarentur a Deo ut gerit vices illorum: tum quia obiecta non dicuntur specificare praecise; quia causant actus, sed quia habent rationem mensurae circa illos, ut diximus disp. 8. quaest. 10. art. 2. in fin. & tandem a fine non pendet essentialiter, cum finis non sit causa realis. Ad 3. de eodem obiecto materiali possunt esse scientia practica, & speculativa, non sub eadem ratione formali, a qua sumitur specificatio, sic ab homine ut habente naturam specificatur pars Physicae, ut sanabili, medicina, ut beatificabili, moris scientia. Ad 4. per idem, eadem enim quidditas potest multipliciter considerari, & secundum unam rationem continet concl. speculativas, & dicitur virtualiter speculativa, secundum aliam continet concl. practicas, quatenus scilicet consideratur modo operabili, id est ut potest esse terminus alicujus actionis, vel terminus alicujus operationis vitalis, quomodo Deus ut summum bonum dicitur terminus dilectionis, & diligibilis; & hoc modo dicitur virtualiter practica.

ARTICULUS III.

An practicum, & speculativum conveniant scientiae, & quomodo.

124 Non defuerunt, qui negarunt allatas differentias practici, & speculativi scientiae in communi convenient, eo quia omnem scientiam speculativam esse dixerunt, ita Sanch. tom. 1. Log. quaest. 12. Vallius 2. Post. disp. 4. par. 3. quaest. 4. adhaeret Amic. tract. 27. disp. 4. quaest. 2. dub. 6. concl. 3. qu. 1. Alenf. cit. 6. Met. in tex. 7. Them. Aver. Zab. & Bal.

Opposita sententia est communis, & traditur a Scot. qu. 4. prol. ad arg. princ. quam probat ex Arist. 6. Met. cap. 1. ubi scientiam dividit in practicum, & speculativam, quod etiam docuit 11. Met. sum. 3. cap. 1. lib. 1. cap. 2. & lib. 2. tex. & 6. Ethicor. initio. Tum quia in lib. Post. ubi nam exacte naturam explicat scientiae, nunquam excludit notitiam practicam a ratione scientiae, immo omnes condiciones, quas adducit, notitiae practicae adaptari possunt; quod etiam probavimus supra quaest. 2. art. 5. & magis patebit ex solutione obiectorum.

Instant, nam Arist. 1. Met. cap. 2. ad rationem scientiae videtur exigere, quod sit gratia sui, non gratia alterius, ut est practica notitia: sed specialiter 6. Ethic. hoc asserit, nam cap. 1. dividit facultates intellectus in facultatem sciendi, quae res considerat, quarum naturae aliter se habere non possunt, & in facultatem ratiocinandi considerantem, quae aliter haberi possunt: primam in cap. 2. vocat contemplativam, & cap. 3. dividit in scientiam, sapientiam, & intellectum, secundam in prudentiam, & artem, scientiam distinguit a prudentia, & arte, quia illa est circa obiectum necessarium, quod aliter haberi non potest, ista versantur circa obiectum contingens, quod aliter potest esse, nam operabile dicit ordinem ad existentiam, & per consequens est variabile, non aeternum; cum igitur de ratione omnis scientiae sit habere obiectum necessarium, & haec ad contemplativam spectet facultatem, notitia vero practica sit circa contingens pertinent ad ratiocinativam, *Mastrii, & Belluti Tom. I. Logica.*

seu activam, non poterit cognitio practica sub scientia tanquam sub genere contineri.

125 Resp. in 1. loco solum docere scientiam speculativam, quia est gratia sui, perfectiorem esse practica, quae est gratia alterius, non tamen negare scientiam esse, immo supponere hanc divisionem; & hoc modo est intelligendus Arist. dum 2. Met. 3. ait practicam non considerare causas per se, id est gratia sui, sed in ordine ad aliud. Ad 2. dicimus cum Scot. quaest. 4. cit. quod sub nomine scientiae comprehendit etiam moralem, quia saepe distinctionem assignat ex hoc, quod scientia est de re demonstrabili, non autem prudentia, at habitus universalium est de re demonstrabili, possunt enim de operabilibus in universali consideratis fieri propositiones necessariae; & solum de particularibus nequit fieri demonstratio, de quibus est prudentia; nec obstat obiecti contingentia, nam actus, qui contingenter elicitur, concluditur necessario debere esse taliter circumstantionatus, ut sit rectus; unde inquit Doctor de ipso contingenti est scientia quantum ad concl. demonstratam necessario, per aliquod scilicet necessario convenientem contingenti. Vocavit autem Arist. hanc facultatem contemplativam, non quia fit proprie speculativa, sed quia est universalium, ubi prudentia est singularium ad eum modum, quae medicina dividi solet in speculativam, quae est universalium, & practicam, quae ex usu singularium actuum acquiritur, quatenus non proxime dirigit, & in particulari. Quam doctrinam Averfa quaest. 26. sect. 3. confirmat ex 1. magn. mor. cap. 32. & 33. ubi facultatem intellectivam dividit ex duplici obiecto intelligibili, & sensibili, primum aut esse obiectum contemplativae, secundum obiectum consularis; per primum intelligit universale, per secundum particulare, & 6. Eth. cap. 7. & 8. clare asserit prudentiam esse particularium.

Dices 6. Ethicor. cit. prudentia definitur, quod sit habitus cum recta ratione activus, sed hoc convenit cuicunque notitiae practicae, ergo quilibet sub prudentia, non sub scientia continetur. Tum quia cap. 7. ait prudentiam esse universalium; quod de arte docuit 1. Metaph. cap. 1. ergo sicut sub arte continentur habitus universalium, & particularium factibilium, ita sub prudentia utrumque habitum agibilibus dar intelligere. Ob id multi concedunt rationes istas, & respondent Aristot. per scientiam intelligere solas speculativas, quia istae procedunt demonstrationibus rigorosis, non sic scientiae practicae, quae sunt de minus perfecte cognoscibilibus in se, minusque certis, quam speculativae, ut notat Doctor cit. hoc responsio est expeditior. At tamen dicimus adhuc sustinendo prius allatam, ad 1. ex Scot. cit. quod definitio prudentiae debet intelligi de habitu activo proximo, qualis est habitus acquisitus ex actibus, non de remoto, qualis est scientia. Ad 2. in 1. loco idcirco ait prudentiam esse universalium, quia in esse perfecto praesupponit scientiam moralem universalium in eodem intellectu. Non curavit autem distinguere artem ab experientia, sicut fecit de prudentia, & scientia, quia artes ut plurimum acquiruntur experimentis, & quia intentum ipsius principale erat explicare habitus directivos erga agibilia, non erga factibilia.

126 Cum igitur practicum, & speculativum sint differentiae dividentes scientiam, videndum remanet, quomodo illi convenient, circa quod sunt duo dubia; primum est, an sint differentiae immediate dividentes scientiam in communi, ita ut quilibet scientia sit vel practica, vel speculativa, & nulla derur media, secundum, an sint differentiae essentiales, an vero accidentales.

Et quidem circa primum dubium nihil occurreret dicendum, est enim questio de nomine, nam pendet ex diversa acceptione practici, & speculativi, de quibus jam determinavimus, quod practicum dicat extensionem ad opus, speculativum carentiam talis extensionis, inter quae nullum cadit medium, ergo omnis scientia, vel est practica, vel speculativa, ut cum Scot. quaest. 4. prol. art. 1. & §. *Quaest. via*, docuimus quaest. proem. art. 5. ostendendo falsum esse, Logicam nec esse practicam, nec speculativam.

Verum esto haec questio sit de solo nomine, ut diximus, Ferchius tamen nuperrime vestig. 9. valde insudat, ut probet non esse divisionem immediatam, sed dari medium per abnegationem extremorum, scilicet, scientiam factivam, quae nec practica, nec speculativa est; totum ejus fundamentum partim ex Aristot. auctoritat. desumptum est, qui scientiam dividens semper utitur tripartita divisione, nempe in speculativam, activam, & factivam; ut ex variis locis Aristot. ostendit cap. 1. partim ex ratione, quia scientia practica, & scientia activa sunt prorsus idem, & solum differunt idiomate, nam practicum est vox graeca, activum latina, ergo non bene dividitur scientia in practicam, & speculativam, & rursus practica in activam, & factivam, quia nihil potest tanquam communi dividit in semetipsum, & in oppositum suum, nec enim potest homo dividi tanquam aliquod commune ad hominem, & brutum, tunc enim idem esset communis seipso, & unum; oppositum esset commune alteri opposito, & de illo praedicaretur. Nec respondere valet, inquit ipse, *practicum sumi communiter*, vel proprie; practica proprie est scientia activa, & distinguitur contra factivam, communiter vero significat omnem scientiam, quae non est speculativa, & non est gratia veritatis, & cognitionis solum, sed gratia operis. Nam contra instat, probans id esse abuti vocabulo practica, & in Schola peripatetica aquivocatione ludere, quia Aristot. semper accepit

practicum, ut contradistinguitur a speculativo, & factivo, ergo non licet alii in ejus Schola accipere practicum, ut quid commune ad activum, & factivum.

127 Sed tota hujus viri concertatio manifeste demonstrat spiritum contemere item de solo nomine, & de solo vocabulorum usu esse sollicitum, idcirco, cum de re constet, communis modus dividendi scientiam in practicum, & speculativum, non est deferendus, & practicum rursus in activam, & factivam, quia esse ad finem extra intellectum est commune ad scientiam activam, & factivam, ergo sicut scientia, quae non habet talem finem, sed solum veritatem, dicitur speculativa, sic e contra, quae habet talem finem, dici poterit practica; vel si hoc vocabulum est suspectum, alio communi nomine poterat appellari, v. gr. operativa, & sicut operatio dividitur in actionem, & passionem, idest immanentem, & transeuntem, sic scientia operativa in activam, & factivam subdividitur. Rursus male intruditur medium per abnegationem extremorum inter scientiam, quae extenditur ad opus, qualis est, quae ponitur communis ad activam, & factivam, & illam, quae non extenditur ad opus, qualis est speculativa, quia semper urget ratio Doctoris, quod inter extendi, & non extendi dari nequit medium, etiam per abnegationem extremorum, cum sint contradictoria. At resp. Ferch. cap. 5. ad 14. posse dari medium inter contradictoria, si diversis subjectis applicentur, alioquin mirabilia paralogizare possemus, ut v. gr. quod inter binarium, & millenarium non est numerus medius, sic arguendo, inter primum, & non primum non est medium, numerorum autem binarius est primus, millenarius non est primus, ergo, &c. Verum haec solutio probat solum quod inter extrema contradictionis potest dari medium, si materialiter sumantur, non autem ut stant sub membris contradictionis formaliter, ut ipse ibi fatetur, & ex ejus exemplo deducitur, quia inter binarium, & millenarium numerum datur utriusque medius numerus, denarius, quinquarius, &c. qui tamen numeri considerati, ut sunt non primi, non mediant inter millenarium, & binarium, alioquin probare possemus inter numerum binarium, & quinarium non dari medium sic paralogizando, inter parem, & impar non datur medium, numerorum binarius est par, quinquarius impar, ergo, &c. sic in proposito factiva mediare potest materialiter inter activam, & speculativam, sed formaliter, ut fiat sub illo extremo contradictionis, quod est extensio ad opus, non mediatur, sed est membrum inadaequatum illius extremi.

Nec fundamentum in oppos. satis firmum est, quia licet Aristot. frequenter scientias dividat tripartita divisione, non tamen id semel fecit bipartita, ut ex multis locis colligitur, quos ipse adducit cap. 4. esto ibi contendat non facere veram divisionem, sed potius comparationem, quod an omnino sit verum, judicet Aristot. Interpretes, quia de hac re anxii nolumus esse; hoc certum est, posse scientiam dividi, & bipartita, & tripartita divisione aequae bene, quia ut diximus disp. 5. quaest. 5. art. 1. quando genus paucas sub se habet species, ut in proposito est de scientia, commodum est, ac utile illud immediate dividere in singulas, & hoc fuit in causa, quod Aristot. frequentius tripartita divisione fuerit usus. Nec etiam ratio, quae afferebatur, satis urget, immo per distinctionem ibi allatam sufficienter diluitur: quam etiam esse de mente Aristot. diximus supra art. 1. ad 3. neque novum est genus in species dividi appropriatio cuidam illarum ipso nomine generis, sic motus dividi solet in motum proprium, & mutationem, pomum significat omne genus fructuum, & tamen specialiter malis applicatur, si ergo in proposito practica significat promiscue omnem notitiam, quae ad opus extenditur extra intellectum juxta modum loquendi Aristot. 2. Metaph. 3. *speculativa finis veritas, practica autem opus*; peculiariter autem potest, & solet applicari ad significandam illam speciem scientiae, quae dicitur activa; & qui vocabulum practicae rimet applicare notitiae in communi ad activam, & factivam, vocet illam notitiam operativam, quia de nominibus rixam nolumus.

128 At instat Ferch. num. 14. nullo nomine posse significari hanc notitiam communem, quia non datur, quod probat ex Aristot. 1. Mag. mor. cap. ultim. ubi inquit, quod non est communis quedam facultas tam ad faciendum, quam ad agendum opera, ex quo concluditur necessariam esse tripartitam divisionem scientiae. Respond. Aristot. per hoc solum innuere velle, quod non sit instituta facultas de facto, quae agat de operabili, ut est commune ad activam, & factivam, quemadmodum de facto datur Metaphysica, quae agit de ente, & est superior ad alias scientiarum species, non autem negare vult, quod abstrahi nequeat communis conceptus facultatis ab activa, & factiva, quae dicatur notitia practica, vel saltem operativa, hoc enim certum est, ut ipse concedit num. 16. esse ad finem extra intellectum dicere quid commune ad activam, & factivam, ergo scientia respiciens hunc finem, ut sic in abstracto, erit communis utrique. An autem praeter tres scientiarum species enumeratas concedenda sit scientia quaedam effectiva, quam cum aliis admittit auctor cit. cap. 7. ad praesens resolvit non spectat, quia etiam si admittatur, non constituit speciem ab aliis distinctam, quia, vel reducitur ad speculativam, ut ipse ibi asserit, vel potius ad practicam, ut verosimilius est, & ipsum nomen ostendit, affectio enim idem sonat, quod amor, eo autem ipso, quod notitia amorem ref-

picit, quem voluntati imprimat, potius practicam sapit, quam speculativam.

Altera difficultas est majoris momenti, & potest exagitari tam de actuali scientia, quam de habituali, sive partiali, sive totali; non loquimur autem de practico, & speculativo, prout a nobis explicantur, nam ut sic nequeunt esse differentiae essentialis alicujus absoluti, ut supra diximus, sed pro eo, quod dicunt a parte rei; & idem est querere, an scientia possit simul esse practica, & speculativa.

Nominales sufficientes totalem scientiam esse unam aggregatione, concedunt posse esse simul practicam, & speculativam, quia potest in se continere diversos habitus parciales, quorum unus sit practicus, speculativus alter; negat tamen habitum partialem, vel actum posse simul habere has differentias. Alii affirmant etiam habitum simplicem quandoque esse simul practicum, & speculativum vel eminenter, ut Cajetan. vel formaliter, ut Recentiores, ita qui sufficient Theologiam, & Logicam dici practicam, & speculativam, ut notavimus quaest. proem. cit. quod alii extendunt etiam ad actum, ita Amic. 27. disp. 4. qu. 4. dub. 10. Averfa qu. 27. sect. 2. addunt Hurtad. disp. 11. de Anim. sect. 4. & Arriag. disp. 1. Log. sect. 4. eandem actum saltem divinitus posse successive de speculativo fieri practicum.

129 Dicendum est nullum actum, neque habitum scientificum, sive partialem, sive totalem posse esse practicum, & speculativum, tam simul, quam successive, & per consequens has differentias esse quidditativas, & essentialis; ita Doctor qu. 4. prol. art. 2. & arguendo contra Cotfr. & D. Thom. quem loquendo de scientiis naturaliter acquisitis, quos citant, & sequuntur Did. a Jesu disp. 1. qu. 6. & Complut. ibid. prob. ex Aristot. qui 3. de Anim. 53. 2. Metaph. 3. & 6. Metaph. cap. 1. & 6. Ethicor. cap. 1. & seq. & 1. Mag. mor. cap. 32. & 33. ex diversitate objectorum arguit, & distinguit scientias in speculativam, & practicam, & ex hoc, quod una non est practica, infert esse speculativam, & sic est practica, quod non sit speculativa, quod verum non esset, si eadem scientia simul esse posset practica, & speculativa. Nec fatiscit Valsq. 1. part. disp. 9. dicens in his locis Aristot. non attendisse specificam distinctionem potentialium, sed varietatem operationum. Non valet, hoc enim intendimus, quod ex varietate objecti speculabilis, vel operabilis arguatur distinctio specifica practicae, & speculativae cognitionis.

Deinde prob. ratione, & primo de actu, nam ratio practica, & speculativa sunt oppositae differentiae, quae contradictoriam oppositionem inferunt, ut notat Scot. cit. cognitio enim practica fertur in objectum ut operabile, ex se est directiva operationis, respicit objectum in ordine ad existentiam: speculativa vero ex propria natura respicit objectum in se, non in ordine ad opus, non est directiva operis, & ab existentia praecindit, ergo eidem actui nequeunt convenire, conseq. prob. quia idem actus tenderet, & non tenderet in opus, dirigeret, & non dirigeret; antec. quod attributa illa convenient ex propriis naturis, prob. quia, quae conveniunt actui ratione objecti formalis, competunt illi essentialiter, nam actus ab objectis specificantur, ista vero attributa conveniunt actibus ex objectis propriis formalibus, esse enim practicabile est ratio formalis constituens scientiam practicam, sicut speculabile constituit speculativam, unde diversae passionem omnino demonstrantur de quolibet per diversa media, & principia, & si ab illis auferatur ratio speculabilis, vel operabilis, non amplius remanent objecta practicae, aut speculativae scientiae.

130 Multipliciter respondent; primo his rationibus solum probari non posse dari actum formaliter practicum, & speculativum, non tamen eminenter. Sed haec responsio ab omnibus fere rejicitur, quia qualibet cognitio vel fertur in objectum in ordine ad opus, & sic est formaliter practica, vel in ordine ad se, & sic est formaliter speculativa, & sicut nequit dari objectum, quod sit considerabile ab intellectu, sed nullo ex his modis, ita nequit dari cognitio, quae non sit formaliter practica, vel speculativa.

Alii resp. quod practicum, & speculativum possunt dupliciter considerari, primo adaequate, idest secundum omnes condiciones, & penes quas opponuntur, quomodo practicum dicit cognitionem cum relatione ad opus, speculativum cognitionem veritatis cum negatione relationis ad opus; secundo inadaequate, quatenus dicunt perfectiones singularum sine mutua repugnantia, v. gr. speculativum dicit cognitionem objecti secundum propriam naturam, & passionem, non excludendo simpliciter relationem ad opus, sed secundum quid, scilicet, ut objectum speculativo modo consideratum; practicum dicit cognitionem directivam non excludendo simpliciter rationem speculativi, seu cognitionem naturae, & passionum, sed secundum quid: in primo sensu istae differentiae sunt incompossibiles, & conveniunt ut sic actibus, quorum quilibet respicit objectum totaliter practicabile, vel totaliter speculabile, qua ratione dicuntur objecta adaequata: at secundo modo sunt compossibilia in eodem actu, quia ille actus tunc respicit plura objecta unum practicabile, aliud speculabile inadaequate propter universalitatem, vel perfectionem objecti; adest exemplum de anima rationali, in qua ununtur perfectiori modo formaliter gradus vegetandi, & sentiendi in plantis, & in brutis dispersi; & objecta sensuum externorum adae-

adaequata proprias potentias respiciunt, ut objectum unius non sit alterius, at quia sensus communis inadaequate respicit omnia sensibilia, ista possunt ad unam potentiam spectare.

131 Contra urgetur, quia rationes practicae, & speculabilis non possunt inadaequate respici ab eodem actu, nam actus unus non nisi unicum potest respicere objectum, a quo specificantur, & nequit in plura objecta formalia tendere, ut in lib. de Anim. dicitur, & si plura respicit, haec erunt materialia objecta, non formalia, aliter non esset major ratio, cur unus actus plura, & plura non respiciat: quare semper in objecto unica formalis ratio terminandi correspondere debet, ergo idem actus nequit respicere inadaequate objectum practicabile, & speculabile. Neque dicas respicere illud objectum sub aliqua communi ratione. Tum quia haec communis ratio esset objectum illius actus, non rationes inferiores practicae, & speculabilis: sicut actus attingens animal praecindens a rationali, & irrationali, non ob id attingit hominem, & equum sub propriis formalibus rationibus. Tum quia haec ratio adaequata necessario deberet esse vel practicae, vel speculabilis, ut contra praeced. respon. arguebamus: Nec exempla adducta faciunt ad rem, nam gradus vegetandi, sentiendi, & ratiocinandi ex propriis rationibus formalibus in communi non sunt oppositi, nec se habent, ut differentiae, dividentes commune genus, sicut sunt practicum, & speculativum in ordine ad scientiam. Similiter objecta sensuum externorum possunt inadaequate respici a sensu communi, qui est potentia respiciens pro objecto adaequato sensibile sub ratione aliqua superiori, & communi sensibilibus externis: at lata differentia est inter potentiam, & actum, eadem enim potentia potest plura respicere inadaequate, ut intellectus omnia intelligibilia, & sensus communis omnia sensibilia, non autem eadem intellectus omnia intelligibilia, aut plura, nec eadem sensatio plura sensibilia, sed ad multiplicationem objectorum particularium multiplicatim actus; ut fufus in lib. de Anim.

132 Ex his manet probata secunda pars de habitibus partialibus: nam cum actus specie diversi generent habitus specie diversos, nec possit idem habitus concurrere ad actus specificos distinctos ex dictis quaest. 3. sequitur, quod si actus practicus, & speculativus specie differunt, ita habitus correspondentes. Tandem probatur de scientiis totalibus, scientia enim totalis dicitur una ex unitate habitus alicujus quidditatis ut includentis vel virtualiter, vel potentialiter veritates demonstrabiles de eo, cujus est quidditas, & de inferioribus sub eo contentis, ita ut omnia considerata in totali scientia convenient in una ratione formali considerandi, vel generica, vel specifica, ut qu. 3. fuisse explicavimus; sed nequit dari una cognitio alicujus quidditatis, quae respiciat illam sub ratione practicae, & speculabilis simul, vel sub ratione aliqua praecindente, ut probatum est, ergo neque habitus similis poterit dari, ex cujus unitate sumatur unitas totalis scientiae. Tum quia unitas scientiae totalis pendet ex unitate principiorum, sed nequeunt dari principia communia scientiae practicae, & speculativae, sed omnino sunt diversa, unde cognitio principiorum speculativae dicuntur ad habitum intellectus pertinere, principiorum vero practicae ad synderesim, ut advertunt Compl. cit.

Cum igitur quilibet actus, vel habitus ex propria natura habeat, quod sit practicus, vel speculativus, & essentialiter; sequitur, has differentias esse quidditativas, & essentialis scientiam in communi dividentes: & consequenter nec etiam divinitus eundem actum, vel habitum posse de speculativo fieri practicum, quia nequit Deus essentialis rerum immutari; tum quia ad hoc ut fiat talis mutatio in actu, deberet etiam mutari objectum, aliter non esset major ratio, cur autem erat speculativus modo practicus, ad mutationem autem objecti mutatur etiam actus, quoad entitatem.

133 In oppos. arg. quia idem intellectus est practicus, & speculativus, ergo etiam habitus. Tum 2. fides est simul practica, & speculativa, nam inclinatur ad practicos, ut quod Deus sit colendus, & ad speculativos, ut quod Deus sit unus, independens, &c. quae sunt conclus. metaphysicae, & speculativae. Tum 3. operabilitas, & non operabilitas in objecto non sunt essentialis, & oppositae differentiae, ergo neque in actu, vel habitu. Tum 4. habitus speculativus occurrit ad directionem, quae fit a practico, nam metaphysicus ostendit Deum esse summum bonum, primum ens, infinitum, &c. quae omnia juvant ad dirigendam voluntatem in Dei amorem; Physica considerat naturam animae, & passionum ejus, naturam herbarum, & corporis humani, quae cognitiones interveniunt morali, & medicinae, immo sunt principia, quibus medicus suas demonstrat conclusiones practicas, ergo practicum, & speculativum non sunt oppositae differentiae, unum enim oppositum non concurrunt ad constitutionem alterius oppositi. Tum 5. virtutes in inferioribus dispersae reperiuntur unitae in superioribus, ut patet de gradibus sentiendi, & vegetandi in anima rationali, ergo licet practicum, & speculativum in scientiis inferioris ordinis specie distinguantur, tamen in scientia superiori, vel propter perfectionem obje-

cti, ut Theologia, vel propter universalitatem ejusdem, ut Logica, possunt uniri. Tum 6. diximus supra quaest. 3. dari posse unam scientiam totalem omnium rerum, ergo haec non erit practica, nec speculativa, sed utrumque formaliter. Tandem si quis haberet cognitionem productionis rosae v. gr. haec cognitio esset speculativa, ut patet; si tamen hoc actu permanente communicaret illi Deus potentiam productivam rosae, tunc evaderet illa cognitio practica; quia esset de aliquo operabili, ergo idem actus potest de speculativo fieri practicus successive.

134 Resp. ad 1. neg. partitatem, idem enim intellectus est scientificus, optinativus, & erroneus; & tamen idem actus, vel habitus nequit esse scientia, opinio, & error, nec simul, nec successive; ratio est, quia differentiae istae accidentaliter conveniunt intellectui, & inadaequate propter sui illimitationem, at actibus, & habitibus essentialiter compe-runt, quia sumuntur ex propriis objectis formalibus. Ad 2. neg. antec. nam actus non specificatur ex objectis materialibus, sed solum ex formalibus, quae ratione diximus qu. 3. omnes actus fidei ejusdem speciei, & consequenter vel practicos, vel speculativos, quia unicum habent motivum assentiendi, scilicet auctoritatem revelantis Dei. Ad 3. diximus etiam quaest. cit. differentias accidentales objecti in esse rei quandoque esse essentialis in esse scibilis, & in ordine ad actus, unde cognitiones risibilitatis, rationalitatis, & animalitatis speciei, & essentialiter differunt, non tamen objecta in esse rei. Ad 4. solum sequi habitum speculativum esse virtualiter practicum, non formaliter: nec repugnat unum, & idem esse formaliter speculativum, & virtualiter practicum, sicut aqua calida est formaliter calida, virtualiter frigida, vinum virtualiter calidum, formaliter frigidum; tum quia non est causa adaequata actus practici, ad conclusionem enim practicam requiruntur duae praemissae, quarum una est ostensiva bonitatis objecti, alia directiva in generali, ut summum bonum est diligendum, Deus est summum bonum, ergo diligendus, major est directiva in generali, & remote, & formaliter practica, minor in se est formaliter speculativa, at in tali syllogismo est virtualiter practica. Ad 5. assumptum non est universaliter verum, praecipue quando dispersa sunt opposita inter se, & imbibunt contradictoriam oppositionem: unde nec scientia divina, quae eminenter continet omnes perfectiones possibiles actuum intellectus, dicitur formaliter, vel eminenter practica, & speculativa, sed est formaliter speculativa, vel practica juxta varias opiniones. Ad 6. assumptum esse verum de scientiis speculativis, non de scientia in communi; quamvis enim per praecisionem detur scientia tanquam genus praecindens a differentis practici, & speculativi, non tamen a parte rei datur haec scientia, sed semper est in suis speciebus inclusa. Ad 7. antequam communicaret Deus virtutem productivam rosae alicui, habet de productione rosae scientiam speculativam, quia solum cognosceret modum, quo a causis naturalibus est producibilis, non praeciam, quia licet sit de re operabili, non tamen operabili modo, idest non ut a se operabili, & directivo judicio; post communicationem virtutis, adhuc ille actus esset speculativus, quia nulla esset in ipso facta mutatio, nec esset regulativus, vel applicativus propriae voluntatis, & virtutis; & per consequens deberet alter actus produci omnino a primo diversus, sic physicus considerat, quo pacto actus sint ab anima elicibiles, contemplatur ipsorum dependentiam, non tamen est cognitio practica; quia non considerat operabili modo, & in ordine ad circumstantias morales productionis.

Poncius disp. 2. Log. quaest. 8. a num. 91. licet cum aliis Scotistis defendat eandem scientiam partialem non posse esse simul practicam, & speculativam, oppositum tamen tenet de scientia totali complectente multas particulares scientias habentes distincta numero, & specie objecta, quia in hujusmodi scientia posset una pars dirigere praxim, & consequenter esse practica, & alia pars per se non dirigere, & consequenter esse speculativa: argumentum vero ex Doctore adductum quaest. 4. prolog. art. 2. D. ait concludere de scientia aliqua partiali, non autem de scientia una totali, nimirumque illud solvere, prout procedit quoque contra scientiam totalem. Verum hoc Poncii placitum rejicitur a nobis disp. 1. Met. qu. 4. num. 72. ut expresse Scoto contrarium, & rationi, nam si Scoticum argumentum bene ponderetur, nedum de scientia partiali probat esse non posse simul practicam, & speculativam, sed etiam de totali, ut satis constat ex dictis n. 132. tum quia Doctor loc. cit. dum negat eandem scientiam esse posse simul practicam, & speculativam, nedum loquitur de scientia partiali, sed etiam de totali; ejus etiam solutiones, & instantias ad Scoti argumentum, ut militat contra scientiam totalem, loco citato referamus; & quidem si instantias, quas ibi asserit contra illud, validae forent, nedum concluderent de scientia totali, quod possit esse simul practica, & speculativa, sed etiam de partiali, ut discurrenti patebit; vide disp. 1. cit. Metaph. num. 72.

DISPUTATIO DECIMATERTIA.

De Demonstratione.

Inter partes subiecti Logicae Aristot. principalem locum obtinet Demonstratio; ut quæst. præcæ. tetigimus, quæ propter hæc Disputatio inter ceteras logicales principalior erit correspondens libri Post. in quibus de Demonstratione agit Aristoteles. ipsam resolvendo in principia, & conclusionem; unde hi libri resolutorii inscribuntur, resolutio enim est totius in partes, seu principia; solutio, quæ duplex est, alia realis, quæ fit reali actione, alia per intellectum, quæ dividitur in practicam, ut cum proposito sine inquirimus media, & in speculativam, ut cum proposito conclusione principia, & causas investigamus; quæ resolutio ad logicalem contracta est syllogismi in partes, & principia solutio; & quia principia syllogismi alia sunt formalia, ut esse in modo, & in figura, quæ magis communia sunt, alia materialia, quales sunt præmissæ secundum debitas conditiones, scilicet, quod sit per se, immediate, & priores, &c. hinc libri, in quibus forma, & figura declaratur, utpote de magis communibus dicuntur libri Resolutorii Priorum, illi vera, in quibus agitur de materia necessaria, quæ minus communis est, inscribuntur Resolutorii Posteriorum. Intentum igitur Arist. in his lib. est, naturam, & proprietates Demonstrationis investigare, & consequenter subiectum erit Demonstratio, non instrumentum sciendi commune demonstrationi, & definitioni, hæc enim in 2. lib. consideratur ut medium, & pars Demonstrationis, non ut pars subiectiva ex dictis quæst. citat. & disp. 1. quæst. 4. ita colligitur ex Scot. quæst. 3. Univers. & fusc ostendit P. Faber theor. 19. solum est not. quod ibi videtur cum Zab. docere demonstrationem propter quid, esse subiectum, non demonstrationem in communi ad propter quid, & quia; hoc autem est falsum, quia de utraque agit Aristot. in his l. ut patet ex progressu operis, utraque facit scire, & est species syllogismi; solum dici posset demonstrationem propter quid, esse in his lib. principalis Aristot. intentum.

QUÆSTIO I.

De essentia, & speciebus Demonstrationis.

Cum Demonstratio sit syllogismus faciens scire, ipse existentia, & possibilitas pendet ex possibilitate, & existentia scientiæ, quapropter quod sit possibilis Demonstratio, poterit probari, ut ostendimus scientiæ existentiam 2. part. Infit. tract. 1. cap. 2. non negamus tamen difficultate effortuari posse, sicut valde rarum est, scientiam propriam reperiri, eo quia proximas, & immediatas causas passionum, quæ ut plurimum sunt ultimæ differentia, ignoramus; at difficultas, & raritas non inferunt impossibilitatem: ut autem naturam, & quidditatem demonstrationis, ejusque species investigemus, prius declarare debemus vulgatam illam demonstrationis divisionem in propter quid, & quia, deinde au hac diviso sit adæquata, an vero alia dentur demonstrationis species.

ARTICULUS I.

Quid sit Demonstratio propter quid, & quia.

Recolenda sunt, quæ diximus de Demonstratione propter quid, 2. part. Infit. tract. 1. cap. 4. scilicet, quod Demonstratio propter quid, sit illa, quæ per causam proximam, & adæquatam procedit ad probandam conclus. quod ex Scot. colligitur quol. 7. I. & quol. 14. M. ubi docet tunc conclusionem demonstrari propter quid, cum per propriam, & immediatam causam probatur, seu propositionem, quæ nota fit ex terminis; cujus demonstrationis duas assignavit Arist. definitiones 1. Post. cap. 2.

Prima definitio est, quod sit syllogismus scientialis, seu faciens scire, ubi per scientiam, ut ibi notavimus, intelligit Arist. propriissimam, & per causam, quam prius definiat, aliter hæc definitio conveniret demonstrationi quia. Dubitari tamen potest circa hæc definitionem, quomodo demonstratio dicatur causare scientiam, cum demonstratio aliud non sit, quam discursus scientificus, seu ipsa scientia. Pro cuius resolutione præmittenda est doctrina tradita disp. 11. quæst. 1. de syllogismo, qui multipliciter sumi potest, vel idealiter, vel exercite, & tunc vel formaliter, vel objective; insuper vel ut dicit præmissas, & conclusionem, vel præmissas solum, vel conclus. solum, quod etiam de demonstratione dici potest. Rursus, quod scientia, vel est actualis, vel habitualis, ut disp. præced. quæst. 1. notavimus: his præceptis.

4. Dicimus, quod si cum quibusdam sustinere velimus demonstrationem hic definiti idealiter captam, tunc dicitur causa scientiæ instrumentalis, quia ut sic dicit unum ex instrumentis sciendi directivum tertie operationis, & consequenter, quia demonstratio dirigit cognitionem intellectivam, non quancunque, sed scientificam; erit causa illius instrumentalis. Si vero cum aliis dicamus, demonstrationem exercite sumptam definiti, sed formaliter, tunc si per scientiam intelligimus actualem, quæ est cognitio conclus. cum dicitur demonstratio causa scientiæ, debet sumi pro præmissis solum, quæ sunt causa effectiva conclus. ex dictis disp. 11. quæst. 3. Si vero intelligamus habituales scientiam, sic demonstratio definiti poterit, vel pro conclus. sola, vel ut etiam præmissas significat, nam habitus scientiæ causatur ab actu, scilicet conclusione formali, & saltem remote etiam a præmissis. Attamen si demonstratio dicatur hic de-

finita objective sumpta, sic quia non semper objectum physice concurrat ad cognitionem sui, potest explicari, quod sit syllogismus faciens scire, idest includens scientiam objectivam. Hæc tamen ultima expositio non satis recte accommodatur, quare dicendum erit, demonstrationem formalem hic definiti, quod videtur magis consonum Aristot. nam 2. Post. 3. ait: Scire, est habere demonstrationem, & text. 26. Dicitur de demonstratione, & scientia demonstrativa, idem enim sunt; vel dicatur, & melius demonstrationem idealem ab Aristot. definiti, nam finis Logicae Aristot. est adæquata cognitio syllogismi, ut est instrumentum sciendi, & specierum ejus; Arist. loc. citat. licet de formali demonstratione loquatur, non ideo deduci debet eodem modo esse de demonstratione locurum, dum illam definiti, nam intentio ipsius non ex exemplis, quæ adducit, sed ex fine totius operis est venanda.

5. Secunda definitio est, quod sit syllogismus constans ex veris, primis, & immediatis, prioribus, naturibus, & causis conclusionis, quam fusc quoad omnes particulas ibi explicavimus, & infra iterum tangemus. Solum hic addendum, quod non irrationabiliter omnino docent aliqui, hæc non esse definitionem demonstrationis, sed solum quandam numerationem conditionum, quæ ad gignendam scientiam requiruntur; unde postquam tradidit Arist. definitiones scientiæ, & demonstrationis, incipit conditiones necessarias explicare, cujus signum evidens, quod non omnes conditiones hic assignavit, sed aliquas cap. 4. declaravit, ut quod præmissæ sint necessariae de omni, per se, & secundum quod ipsam, quas tamen, cum sint conditiones necessariae, debebat cum aliis enumerare, si illa esset vera definitio. Nisi velimus dicere, quod in hac secunda definitione tantum adduxit conditiones, quæ per se, & explicitè ex definitione scientiæ deducuntur; vel quod alia in cap. 4. assignatæ virtualiter in relatis cap. 2. continentur.

Dices, forma demonstrationis est esse in modo, & figura, materia sunt propositiones in materia necessaria, cum igitur utraque definitio sumatur in ordine ad materiam, de secunda patet, de prima ostenditur, quia facere scire non convenit demonstrationi ratione modi, vel figure; aliter quilibet syllogismus in modo, & in figura esset scientialis, sed ratione materiæ, cur prima definitio dicitur formalis, secunda materialis, & non potius utraque materialis? Resp. dici formalem, quia datur per scientiam, quæ est finis demonstrationis, finis autem reducit ad causam formalem; vel quia datur per differentiam circumscriptam per ordinem, & habitudinem ad scientiam, quæ est effectus; aliam dici materiale, quia in illa explicitè numerantur conditiones præmissarum, quæ sunt materia demonstrationis.

Hæc igitur demonstratio propter quid ex causis primis, & immediatis, seu proximis, & adæquatis procedit ad ostendendas concl. & dicitur propter quid, nam demonstrat, non solum prædicatum convenire subiecto in conclusione, sed etiam causam reddit, propter quam infit, & subiecto conveniat, aa autem hæc demonstratio possit per omnia causarum genera demonstrari, dicemus infra.

6. Circa alteram quæstam partem de demonstratione quia notat. quod hæc demonstratio non demonstrat per propriam causam, unde ly quia non sumitur causaliter, sed ut est mera conjunctio, ostendit enim, quod hoc sit hoc, cujus rei non reddit propriam, & adæquatam causam, hinc solet etiam appellari demonstratio quod est, & multis modis contingit fieri, ut notavimus 2. part. Infit. tract. 1. cap. 5.

Quæst. I. De essentia, & speciebus demonstrationis. Art. II. 375

Primus modus est, cum per effectum demonstratur causa, quod sit, & si effectus est convertibilis cum causa, potest argui tam affirmative, quam negative, immo addit Arist. 1. Post. cap. 10. text. 30. quod si causa assumeretur deinde ut medium, quæ prius erat demonstratio quia, evadit demonstratio propter quid, si effectus excedit causam, tenet negative tantum; si excedit, & si effectus sit remotus, valet affirmative, ut ibi explicavimus. Solum hic est not. hac demonstratione non tantum ostendi existentiam compositam, scilicet, quæ explicatur propositione de 3. adjacente, ut cum probatur, causam alicui subiecto convenire, verum etiam existentiam simplicem explicatam per propositionem de 2. adjacente contra Aver. primam partem tantum asserentem, sequitur enim necessario, dies est, ergo Sol est.

Secundus modus contingit, ut ibi diximus, cum per causam ibi remotam demonstratur effectus, & si causa excedit, tenet negative in 2. figura (nam quia causa, quæ est medium, est universalior in majori debet prædicari, quæ est dispositio secundæ figuræ) si excedit, tenet affirmative; dummodo tamen inter causam, & effectum sit essentialis dependentia, nam si per accidens proveniret a causa, nulla esset demonstratio. Ratio hujus dicti est, ut notat Aver. quia causa remota, & inconvertibilis, sive excedat, sive excedatur ab effectu, non perfecte quietat intellectum, imo ulterius potest fieri interrogatio, ut si afferatur pro causa, cur paries non sit risibilis, quia non est animal, vel cur sit calidus, quia est prope ignem, non totaliter quietatur intellectus, potest enim ulterius querere, cur aliqua animalia non sint risibilia, & cur aliquando paries est calidus, quamvis non sit prope ignem; quod non evenit, cum medium est causa convertibilis; unde Arist. text. 20. docet demonstrationem debere esse ex propriis, & adæquatis; & hoc sensu potest explicari ly non contingit aliter se habere in definitione scientiæ positum, scilicet, quod nec effectus possit esse fine illa causa, nec causa sine effectu.

7. Verum circa hunc modum dubitari potest primo, quia Blanc. disp. 5. de remota, sect. 3. concl. 1. sustinet, quando effectus est ita cum remota causa conjunctus necessario, ut. ex negatione causæ necessario inferatur negatio effectus, demonstrari demonstratione propter quid, non quia; nam sufficit ad demonstrationem propter quid, quod demonstrat per causam virtuale, quo pacto negatio causæ potest dici virtualis causa negationis effectus. Secundo Ruvius hic negat demonstrationem a causa, quæ ab effectu exceditur, esse quia, sed ait esse propter quid, nam vere est per causam inferentem effectum, & potest in prima figura demonstrari, ubi demonstratio per causam remotam ab Arist. ponitur in e. figur. qua ratione postquam illam explicavit Arist. concludit, Assimilantur autem tales cause bis, quæ secundum excessum dicuntur, idest prædicatis superioribus excedentibus inferiora, ergo per causam remotam intellexit solam causam excedentem. Tandem Zab. lib. de spec. demonstr. cap. 3. ex opposito omnem demonstrationem per causam remotam, sive convertibilem, sive non convertibilem ait esse demonstrationem quia, & solum, quæ procedit a causa proxima convertibili, vocat propter quid.

Sed dictum Blanc. est contra Arist. cit. ubi clarissime demonstrationem illam appellat Quia, non propter quid, & affert exemplum de negatione animalis, qua probatur de aliquo negatio respirationis, neque ad demonstrationem propter quid sufficit quæcumque illatio ex causa, sed requiritur, quod fiat ex causa propria, & convertibili. Dicitum Ruvii probabile est, maxime quia Aristot. expresse non est locutus de causa ab effectu excessa; Attamen potest hoc ex aliis locis deduci, neque caret nostra sententia ratione, ut vidimus, tum quia non est de ratione demonstrationis quia a causa remota, quod fiat in 2. figur. nam demonstrationes scientiæ subalternatæ possunt esse primæ figuræ, & tamen dicuntur demonstrationes quia ab Aristot. Tandem dictum Zab. non ita recte asseritur, sufficit enim, quod passio per veram, & adæquatam causam demonstratur, quamvis inter ipsam, & causam mediet alia passio, quia non est per aliam causam demonstrabilis, passio enim medians non est causa, sed potius effectus prævius; ut in Infit. cit. diximus.

8. Tertius modus assignatur ab Arist. demonstratio quia spectat ad scientiam subalternatam, demonstratio propter quid ad subalternantem, & est, cum demonstratur passio de subiecto per causam proximam quidem, sed non primam, & ab alia priori causa indemonstrabilem, sed aliam præsupponentem, per quam demonstratur a subalternante demonstratio propter quid, ut explicavimus disp. præced. quæst. 4.

Alius modus solet assignari, cum a signo arguitur necessario, & evidente connexo cum altero, unde concomitans dici solet, ut cum una passio per aliam inferatur, cui est indissolubiler unita, qua ratione non facit propositionem omnino per accidens, ut falso docet Zab. cit. cap. 5. vel cum ex uno relativo alterum inferatur. Et quamvis expresse non assignatur ab Arist. tamen satis deduci poterit ex ipso contextu in princ. assignans enim differentias, quibus demonstratio quia differt a propter quid, ait, Uno quidem modo, si non per immediatam efficiatur syllogismus, non enim accipitur prima causa, scientia vero ipsius propter quid secundum primam causam, qui modus ut distinctus ponitur ab Aristot. a

tribus enumeratis, ut patet legenti textum, quando ergo non accipitur prima, & immediata causa, fit demonstratio quia, in demonstratione autem a signo non sumitur talis causa.

9. Ex his omnibus patet non recte ab aliquibus demonstrationem propter quid distinctam poni a demonstratione quia per hoc, quod illa sit semper a priori, hæc a posteriori, quomodo videtur loqui Did. a Jesu disp. 17. quæst. 1. & Faber Theor. 10. cap. 1. Nam hæc quandoque a causa procedit, quod est a priori demonstrare.

Dices, Scot. quol. 7. A ponens differentiam inter hæc demonstrationes, ait, demonstrationem propter quid esse per causam, demonstrationem quia esse per effectum, quod deinde probat, quia omne demonstrabile per aliud dicit ordinem ad illud, vel ut ad causam, vel ut ad effectum, ergo demonstratio propter quid, est semper a priori; demonstratio quia semper a posteriori. Resp. intentum Scoti ibi esse, solum ostendere duobus modis aliquid demonstrari posse per aliud, scilicet, per causam, & per effectum, hunc modum vocavit demonstrationem quia, nam vere est talis demonstratio, illum dixit esse demonstrationem propter quid, non quod censeret omnem demonstrationem per causam esse propter quid, nam in eodem quol. 1. & quol. 14. M. clare docet ad demonstrationem propter quid requiri, ut fit per causam virtualiter continentem effectum proxime, & adæquate, sed loquitur antonomastice, & secundum vulgarem loquendi modum, quatenus omnis demonstratio propter quid est per causam, & a priori, & omnis demonstratio per effectum & a posteriori est demonstratio quia, & demonstratio a signo potest dici per effectum, nam unus effectus demonstratur per alium.

Tandem ex his deduci poterit definitio demonstrationis in communi propter quid, & quia; quam assignavit Arist. 1. Top. cap. 1. ut notavimus in Infit. cit. cap. 4. quod scilicet, sit syllogismus ex veris, & primis, aut ex talibus, quæ per aliquam primam, & veram ejus, quæ circa ipsa est, cognitionis principium sumpturum, brevis dici potest, quod sit syllogismus verus, certus, & evidens, verus ad differentiam philosophici, certus ad differentiam topici, evidens ad differentiam theologicam, ut de scientia disp. præced. quæst. 1. docuimus.

ARTICULUS II.

Quot sint demonstrationis species.

Ex triplici capite assignari possunt species demonstrationis, sicut tripliciter dividi potest, vel ex parte formæ, vel ex parte materiæ ex qua, vel ex parte materiæ circa quam, ut de syllogismo in communi notavimus 1. part. Infit. tract. 3. cap. 11. in præsentia non est sermo de prima, & secunda divisione, & de speciebus, ex his capitibus provenientibus, idem enim dicendum, quod de syllogismo docuimus; sed de tertia divisione, qua demonstratio est una species essentialiter a topico, & elencho syllogismo distincta propter materiam necessariam, circa quam versatur, hæc enim differentia non facit solum accidentaliter differre, ut asserunt Complut. hic, sed essentialiter, ut cum Tatar. ostendimus loc. cit. & sensus quæsti est, an demonstratio ratione materiæ, circa quam versatur, sit in species divisibilis, & quæ sint.

Prima extrema opinio solam demonstrationem propter quid admittit, negatque demonstrationem quia esse veram demonstrationis speciem, ita Avic. Alex. Them. Simpl. & ex recent. sequuntur Compl. disp. 18. qu. 4. Mas. 1. Post. cap. 10. sect. 1. q. 1. Conimb. q. 1. art. 3. Ab his parum recedit Soto 1. Post. quæst. 5. qui licet concedat demonstrationes specie distingui, negat tamen generare assensus concl. speciei diversos, quando pertinent ad eandem scientiam totalem, alii vero admittunt generare assensus scientificos diversos, non tamen distinctos habitus, sed eundem specie. Secunda sentent. extrema est Aver. 1. Post. com. 95. & 96. Zim. theor. 53. Baldu. qu. de regressu demonstr. Petrel. lib. 6. disp. Log. cap. 7. tres species demonstrationis admittens, scilicet, demonstrationem quia, demonstrationem propter quid, & demonstrationem simpliciter, seu potissimam. Prima ostendit, quod res sit. Secunda ostendit causam, propter quid res sit, supponens rem esse, ut quando scimus diem esse, vel Lunam eclipari, attamen demonstratur per proprias causas, cur sit dies, vel eclipsetur Luna; in his enim casibus scitur an sit, & tantum queritur propter quid sit. Tertia utrumque demonstrat, & quod res sit, propter quid sit, ut si quis ignoraret & Lunæ eclipsum, & causam eclipsum; & per interpositionem terræ inter Solem, & Lunam demonstraret Lunam eclipari, hæc demonstratione sciret an sit, & propter quid sit, ideoque dicitur potissima, & simpliciter demonstratio. Inter hæc duas ultimas demonstrationes ab aliquibus alia assignantur differentia, ut refert P. Faber theor. 10. ex Zab. lib. de spec. demonstr. nam demonstratio propter quid, inquirunt, habet pro medio quamlibet causam præter formalem, non constat ex terminis convertibilibus, præmissæ sunt notæ solum natura, non nobis, & sunt notæ per demonstrationem quia, at demonstratio potissima habet pro medio solum causam formalem, constat ex terminis reciprois, &

& ipsius præmissæ sunt notæ natura, & nobis immediate per sensum, & sine demonstratione quia. Media sent. duas ponit immediatas species demonstrationum quia, & propter quid, licet differant auctores, an sint species specialissimæ, an vero subalternæ, & priorem partem videtur asserere Faber cit.

11 Dicendum est, duas esse veras demonstrationis species subalternas, scilicet propter quid, & quia, ita Scot. quol. 7. A. & 2. Post. q. 56. etque communis, nam præter Scotistas ipsam sequuntur Averr. q. 28. sect. 2. Jo. de S. Thom. qu. 25. art. 4. Blanc. disp. 5. de demon. sect. 2. & seq. Ruv. 1. Post. cap. 10. q. 2. Did. a Jesu disp. 17. q. 1. & 2. ubi tamen demonstrationem propter quid speciem infimam ponit Amic. tr. 26. disp. 2. q. 1. dub. 2. & 3. prob. primo, quod demonstratio quia sit vera species demonstrationis ab aliis distincta, nam Arist. 1. Post. 30. de ipsa loquitur tamquam distincta a propter quid, & text. 17. & 18. utramque ait ex necessariis debere procedere. Tum quia duplex scientia assignatur ab Arist. 1. Post. 42. & 2. Post. 25. quia, & propter quid, ergo demonstratio quia erit vera demonstratio. Tum quia fuit origo omnis scientia propter quid, nam ut ait Arist. 1. Met. cap. 1. ex effectuum cognitione philosophari cœperunt homines, qui modus est nobis connaturalis ex 1. Phys. 2. Tum quia cognitio genita per hanc demonstrationem est certa, evidens, & necessaria, ab opinione essentialiter distincta, ergo est scientifica, quamvis non sit per causam, non enim apparet, in qua nam specie intellectualis habitus poni possit, nisi in specie scientiæ, cum qua majorem habet affirmativam.

12 Ex quibus exploditur responsio Conim. asserentium ad scientiam necessario requiri cognitionem esse per causam; Quod est falsum, nam Arist. cit. clare hanc cognitionem ab effectu scientificam admittit; neque ad rationem scientiæ in communi videtur hæc conditio necessaria, nisi fiat quasi de nomine; exploditur etiam responsio Complur. admittentium quidem per hanc demonstrationem generari scientiam, sed valde imperfectam, non in ratione habitus, sed dispositionis, nec specie distinctam a scientia per demonstrationem propter quid producta, quæ est perfecta scientia, & habitus habet rationem. Refellitur quidem, nam Arist. de his locutus est tamquam de specie diversis, nam illam ait procedere ex non immediatis, nec proximis, istam ex immediatis, & adequatis causis; cum ergo ex diversis procedant principis, & quandoque sint etiam conclusiones diversæ, etiam in eadem totali scientia, specie differunt ex dictis disp. præc. q. 14. & consequenter si assensus erunt specificè diversi, etiam habitus ex illis geniti, nam ex dicendis in lib. de Anim. actus specie diversi, diversos habitus specie producant. Tum quia habitus, & dispositio ex dictis disp. 3. q. 3. art. 2. differunt penes gradum intentionem, vel remissionem, itur eadem qualitas intentionis dicitur habitus, quæ prius remissa dicebatur dispositio, ergo si demonstratio quia sæpius reiteraretur, jam generaret qualitatem intentionem, & consequenter habitum absque demonstratione propter quid. Tum quia magis differunt demonstratio quia, & propter quid, quam duas demonstrationes propter quid, sed istæ etiam in eadem scientia specie differunt ex disp. præc. cit. ergo & illæ.

13 Secundo, quod non detur alia species præter has duas, probatur ex Arist. cit. ubi duas tantum assignavit demonstrationis species. Tum quia omnis divisio ad bimbrem reduci debet, ergo etiam demonstratio propter quid, & potissima specie differunt, quia tamen in hac communi ratione conveniunt, quod demonstrent per causam proximam, & immediatam, debent in demonstrationis species abstrahi, in quam demonstratio in communi immediate descendat, sicut quamvis demonstratio quia sit multiplex specie, una tamen ponitur tamquam immediata species subalternæ sub demonstratione in communi, & ita divisit Arist. text. 30. per hoc, quod est demonstrare per immediatam, & demonstrare non per immediatam, hanc demonstrationem quia, vel quod appellavit, illam vero propter quid. Tum quia differentia assignata vel sunt falsæ, vel non satis probant intentum. Nam prima differentia, quod demonstratio propter quid sit, potissima vero an sit, & propter quid sit, est vana, nam omnis demonstratio a priori ostendit an sit, licet hoc fuerit cognitum per experientiam, ut docet Scot. 1. dist. 3. q. 4. E. nam per demonstrationem a priori an sit effectus certus, & perfectius cognoscitur, quam per experientiam solum, tum quia si causa remota facit scire quod est, multo magis causa proxima; tum quia per accidens est ad demonstrationem, quod effectus prius cognoscatur, vel non, si eodem modo demonstratur. Secunda differentia, est vera sit, ut dicemus, attamen non minus differt causa formalis a cæteris causis, quam alia causa inter se, ergo si causa formalis sufficienter distinguit demonstrationem potissimam, & multiplicat species demonstrationis, etiam alia tria causarum genera debentur species multiplicare, & sic quinque species demonstrationis, non tres. Tertia differentia convenit etiam demonstrationi propter quid, nam hæc, ut a demonstratione quia condistinguitur, procedit ex causis convertibilibus, ut diximus art. præc. & consequenter ex terminis convertibilibus, & reciprocis, unde Arist. text. 30. ait a demonstratione quia per effectum immediatum, & convertibilem dari regressum ad demonstrationem propter quid per causam immediatam, & convertibilem. Quarta etiam per accidens se habet ad demonstrationem, nam idem medium uni possit esse notum, per demonstrationem quia, alteri vero per simplicem termi-

norum apprehensionem, & sic demonstratio de iisdem terminis in uno esset propter quid, in alio potissima; tum quia Arist. cap. 2. explicando conditionem illam, quod præmissæ debeant esse notiores, ait esse notiores natura solum, non nobis, non enim inquit eadem sunt nota nobis & natura, ergo non requiritur hæc conditio: vide Faber cit.

14 Tertio, quod hæc sint species subalternæ, probatur, quia diversitas principiorum specificæ infert specificam distinctionem demonstrationum, at principia procedentia ab effectu, vel a causa remota, vel a concomitantibus in demonstratione quia, & quæ procedunt ex diversis causarum generibus, in demonstratione propter quid, specie differunt, ut patet ex dictis dist. præc. quæst. 4. ergo etiam demonstrationes ab illis constitutæ, ergo demonstratio quia, & propter quid, erunt species subalternæ sub demonstratione in communi contentæ tamquam sub genere univoco in quid de illis prædicabili, licet cum aliqua analogia, hæc enim non tollit univocationem ex dictis disp. 2. q. 5. art. 3.

In oppos. argum. 1. quod demonstratio quia non sit vera demonstratio; Tum auct. D. Naz. orat. 34. dicentis discursum ab effectu non esse scientiam, sed conjecturam: Tum 2. ex Aristot. qui 1. Post. cap. 2. post definitionem scientiæ, & demonstrationis addit, si daretur syllogismus sine illis conditionibus, non esse demonstrationem; constat autem demonstrationem quia non habere conditiones illas assignatas, nec cognitionem per hanc demonstrationem acquiritam, esse scientiam, prout ibi definitur, cum non sit per causam propriam, & cap. 3. probat impossibilitate circuli, quia una demonstratio esset ex posterioribus, quod implicat, at demonstratio quia, ut plurimum est a posteriori: & text. 6. comparat demonstrationem quia, inductioni, quæ nullo pacto dici potest demonstratio, & text. 19. syllogismus, quo scitur aliquid non per causam, vocat non demonstrationem, sed syllogismum a signo, quia scitur, quod est per se, non quatenus est per se: & 1. Top. cap. 1. assignat definitionem demonstrationis, ut a syllogismo topico condistincta, quam adduximus art. præc. & tamen nequit demonstrationi quia convenire: tandem 2. Prio. cap. 21. docet petitionem principii committi, cum priora ex posterioribus demonstrantur.

15 Resp. de demonstratione quia dupliciter nos posse loqui vel absolute, vel comparando illam ad demonstrationem propter quid, primo modo est simpliciter demonstratio, quia parit cognitionem veram, certam, & evidentem: 2. modo potest negari demonstrationem esse, propter imperfectum, quam habet annexam, & perfectionem majorem, quæ reperitur in demonstratione propter quid, sicut accidens in se est simpliciter ens, at relictum ad substantiam dicitur ens, quia entis. Cum ergo D. Naz. vocat argumentationem ab effectu conjecturam, considerat hanc demonstrationem in ordine ad propter quid; sic Aristot. est locutus cap. 2. & in text. 19. ubi solum de scientia perfectissima, & demonstratione propter quid est sermo. In 3. cap. loquitur de demonstratione a priori, in quo sensu admittetur circulus ab antiquis; cum vero comparatur inductioni, similitudo currit, quoad modum procedendi ex notioribus nobis, in reliquis differunt; nam demonstratio quia est ex universalibus, inductio ex particularibus, nec ista necessario petiri esse ex necessariis, sicut illa, in 1. top. jam diximus, definitionem illam accommodari posse demonstrationi in communi; nisi velimus dicere esse definitionem demonstrationis propter quid, & non curasse explicite definitionem assignare demonstrationis quia, nam ex allata, & ex definitione syllogismi topici satis colligi poterat distinctio inter ipsam, & probabilem syllogismum; Demum in 2. prior. per 1. y posterioribus, ut notat Tatar. intellexit Arist. nobis ignotiora, quia omnis syllogismus probativus debet ex notioribus procedere ad ignota, non ex ignotioribus, vel aque ignotis.

Secundo ad idem. Tum quia de ratione scientiæ est, quod quietet intellectum, demonstratio quia non quietat intellectum, ut diximus art. præc. Tum 2. quia in hac demonstratione causa prædicari debet de effectu, quæ est prædicatio innaturalis, & consequenter non scientifica. Tum 3. quia constat ex propositionibus non necessariis, ergo nullo pacto pariet scientiam: antec. prob. in tali demonstratione debet passio conjungi cum sua causa, & cum subiecto, v. gr. si probari debet, quod homo sit rationalis per risibile, debemus scire risibile conjungi cum rationali, & cum homine necessario, quod fieri nequit, nam accidens necessario convenit alicui propter causam, a qua necessario provenit, ergo dum ignoramus causam, nescimus etiam necessitatem unionis passionis cum subiecto, & cum ipsa causa, & per consequens non erunt præmissæ necessariae; tum quia si sciretur causa ut causa, jam esset cognitio propter quid, non quia; accedit, quod conjunctio risibilis cum rationali, si scitur, cognosceretur fieri in homine, & sic antequam concluderetur, quod homo sit rationalis, sciretur esse rationalem, unde fieret petitio principii, ex alia parte non potest cognosci risibile uniri necessario cum rationali, nisi quia se habent ut causa, & effectus, non enim alia necessitas cogitari potest inter illa.

16 Resp. ad 1. de ratione scientiæ esse, ut notat Jo. de S. Thom. quod perfecte quietet intellectum quoad proprium obiectum, quod attingit, & explicat non in ordine ad obiectum, quod

quod non attingit, modo obiectum demonstrationis quia est an sit, circa quod perfecte quietat intellectum, & solum relinquit ipsum dubium circa propter quid, quod non explicat, nec est de ratione hujus demonstrationis illud attingere, quare veram scientiam pariet, quia proprium obiectum scientificè attingit, scilicet vere, certe, & evidenter. Ad 2. resp. Amic. naturalitatem, & innaturalitatem prædicationis non attendi inter causam, & effectum, sed inter terminos se habentes, vel ut superius, & inferius, vel ut subiectum, & formam inherentem.

Ad 3. quod magis urget, dicimus ex Scot. 1. d. 3. q. 4. E. ubi docet Doctor, quo pacto per experientiam possumus habere de aliqua propositione infallibilem cognitionem, inquit, quod licet experientia non habeatur de omnibus singularibus, sed de pluribus, nec quod semper, sed pluries, tamen expertus infallibiliter novit, quod ita sit universaliter, puta quod effectus alicui conveniat omnibus individuis, & semper, & hoc per hanc propositionem, quicquid evenit ut in pluribus ab aliqua causa, non libera, est effectus naturalis illius cause, quia causa non libera non potest producere ut in pluribus effectum, ad cuius oppositum ordinatur, vel ad quem ex forma sua non ordinatur; & subdit, quod quandoque per experientiam scitur effectum convenire subiecto, quo supposito deinde intellectus pergit ad indagandam causam via divisionis, qua reperia potest illa conclusio a priori cognosci; tandem addit, quod ut habeatur cognitio scientifica, non debet sciri actualis unio extremorum, sed aptitudinalis, quia passiones sunt aptitudines rerum. Tota hæc doctrina potest huic rationi applicari, quomodo scilicet possit intellectus cognoscere præmissas demonstrationis ab effectu esse necessarias, si non cognoscit habitudinem cause ad effectum, & si hanc cognoscit, cur non erit cognitio a priori, cum sit per causam.

17 Dupliciter autem potest per effectum demonstrari causam esse, vel propositione de 2. adjacente, cum demonstratur ex effectu existentia causam existere, vel propositione de 3. adjacente, cum demonstratur causam alicui convenire, quia illi convenit effectus; primo modo facilius probatur, nam potest v. gr. intellectus ex multiplici experientia infallibiliter cognoscere fumum generari ex igne, & ex hoc inferre existentiam ignis, quem non videt, ex existentia fumi, quem videt; at secundo modo sunt notæ præmissæ, eo quia in una ipsarum scilicet in majori causa prædicatur de effectu, scilicet rationale de risibili, in min. effectus, seu passio prædicatur de subiecto, ut risibile de homine, & deinde inconcl. causa scilicet rationale concluditur esse in subiecto, & in homine, minor ergo potest sciri experientia modo explicato, & ut fiat propositio scientialis, intellectus ab actu procedit ad aptitudinem, quam concipit necessario convenire subiecto propter experientiam pluries habitam, non enim actus ut plurimum convenit alicui, maxime si non ab extrinseco provenit, nisi in illa re esset aptitudo ad talem actum; Potest etiam cognosci prædicatum alicui convenire subiecto necessario, quando prædicatum nequit concipi sine illo subiecto, ut par, & impar respectu numeri; major autem cognoscit potest, vel via divisionis, vel etiam experientia, si ut plurimum experiantur termini illi conjuncti, quamvis non se habeant ut causa, & effectus, sed potius ut duæ passiones; vel quia effectus est talis nature, quod non nisi ab intrinseco provenire potest.

Ex his dicimus ad 3. neg. antec. cum 1. prob. nam potest accidens sciri convenire necessario alicui, & si ignoretur causa, scilicet per experientiam; tum quia in demonstratione quia ignoratur, non quidem causa simpliciter, sed causam inesse subiecto; quod scitur in concl. at in præmissis scitur causam conjungi cum passione, & passionem cum subiecto. Ad 2. probat. neg. seq. nam ad demonstrationem propter quid non sufficit scire, quod passio sit a tali causa, sed requiritur, quod per causam demonstretur subiecto convenire, quod non accidit in demonstratione quia, in qua solum scitur causam passionis convenire subiecto per passionem, & in hoc sensu intelligi debet dictum commune, quod demonstratio quia non exprimit causam passionis, idest non demonstrat passionem virtute cause, ut per medium. Ad 3. probat. neg. assumptum, quia nunquam in præmissis explicatur causam passionis inesse subiecto, ut sit in concl. sed solum esse cum passione conjunctam, & passionem cum subiecto, scilicet risibilitatem provenire a rationalitate, & homini convenire; de quo iterum dicemus quæst. ult. concl. 3.

Tertio arg. quod hæc demonstrationes non sint essentialiter distinctæ, quia eandem scientiam tum actualem, tum habituales generant, quando sunt de eodem obiecto, actualem, quia præmissæ utriusque sunt sub eadem abstractione a materia, & consequenter ejusdem speciei in esse scibilis, vel si ponantur diversæ speciei, cum sint causæ equivocæ, poterunt eundem specie assensum scientificum causare, sicut Sol, & ignis eundem specie calorem producere; habituales, quia Arist. hic docet quandoque has demonstrationes ad eandem scientiam spectare, quod intelligitur communiter de habituali: Tum 2. una species non fit alia species, at demonstratio quia potest fieri propter quid ex 1. Post. cap. 10.

Resp. neg. assumptum: ad prob. primæ partis negamus præmissas in esse scibilis esse ejusdem speciei, cum non specificentur ab abstractione a materia ex dictis disp. præc. q. 3. negamus etiam posse eundem assensum producere, & probatio va-

let de causis æquivocis inadæquatis, & illimitatis, ut sunt Sol, & ignis respectu caloris, non de adequatis, & determinatis, ut sunt præmissæ; ad Prob. 2. partis dicimus, scientiam habituales totalem non esse unam specie, sed genere, ut disp. cit. ostendimus, idcirco non urget arg. Ad 2. non afferere ibi Arist. eandem demonstrationem constantem ex iisdem præmissis ex quia fieri propter quid, sed mutaro medio, & conclusione in alteram præmissarum: unde non est eadem demonstratio.

19 Quarto argum. quod dentur alia species. Tum ex Arist. 1. Post. 42. ubi docet, præstantiorem esse scientiam, qua scimus quod est, & propter quid, quam sit ea, qua scimus, quod est, vel propter quid, & 2. Post. 8. docet, quod aliquando cum cognoverimus rem esse, quarimus propter quid, tantum, aliquando vero utrumque sit nobis manifestum; & 1. Post. a text. 5. usque ad 30. agit de demonstratione, quæ facit scire simpliciter, in text. vero 30. distinguit demonstrationem in propter quid, & quia, ubi etiam subiungit hanc pertinere ad subalternam, illam ad subalternantem, & quod contingit subalternantem scire propter quid, & ignorare quod est; & 2. Post. 25. declarat quomodo demonstratio propter quid, fiat per causas efficientem, finalem, & materialem, & non meminit formalis, quæ ad potissimam spectat; ex quibus omnibus de mente Arist. videtur demonstratio propter quid a potissima ut species distincta ponenda. Tum 2. quia differunt tum ex mediis tum ex præmissis, ut vidimus recitando opin. Aver. Tum 3. quatuor sunt quæstia, an sit, quale sit, & propter quid sit, duo ultima spectant ad demonstrationes quia, & propter quid, ergo alia duæ dari debent primis duobus correspondentes. Tum 4. datur demonstratio ducens ad impossibile; item cum ex prædicato superiori concluditur aliquid superius convenire inferiori, ut cum per vivens ostenditur substantia de homine; rursum cum ex aliqua universalis necessaria infertur singularis propositio: tandem cum quidditas demonstratur de re, & non per effectum, sed per aliud medium, non est demonstratio quia, neque est demonstratio propter quid, nam quidditas non habet causam: ergo alia dari debent demonstrationis species ab istis dub.

Ad 1. neg. in text. 42. Arist. tres illos modos assignare, verba enim sunt. Scientia autem est certior, & prior, qua ipsius quod, & propter quid est eadem, sed non ea, qua scilicet ipsius quod ab ea, qua propter quid, quibus verbis solum docet, certior esse scientiam, qua scimus quod est, & propter quid quæram eam, qua scimus quod est, scilicet a propter quid, nam ut diximus, quod est, potest sciri sine propter quid, non e contra. In text. 8. docet, quod aliquando scimus quod, & quarimus propter quid, aliquando vero quarimus quod, & in actuali inquisitione venimus in cognitionem ipsius quod, & propter quid, ut enim notat Zab. cit. aliud est loqui de quæstis, prout ante demonstrationem queruntur, & aliud de iisdem, ut per demonstrationem sciuntur, nam una tantum quæstio potest demonstrationem præcedere, quia nunquam duo simul querimus, sed unam quæstionem post aliam; at per demonstrationem duo simul notificari possunt, quare non datur demonstratio solum notificans propter quid, & non quod est, sed semper utrumque notificat, licet aliquando præferat notitia quod est, aliquando non. In text. 30. distinguit a demonstratione quia, demonstrationem propter quid, de qua fuerat locutus a text. 5. Cum vero subdit subalternantem, aliquando nescire quod est, quamvis sciat propter quid loquitur ibi de quod est, experientiali, & sensitivo, idest per cognitionem sensitivam habito, quæ tendit in aliquod singulare, non de eo, quod habetur intellectiva cognitione, & per demonstrationem, quæ est universalium, inquit enim Arist. quod potest quod sit scire universale, quamvis multa singularia nesciat, quia non advertit. Ex text. 25. solum deducitur demonstrationem propter quid, non esse speciem infimam. Ad 2. patet, quomodo differentia assignata non faciant ad rem ex dictis in prob. concl. Ad 3. omnes illas quæstiones pertinere ad has demonstrationes, nam si demonstrantur per propriam causam, spectant ad demonstrationem propter quid, si non per propriam causam, ad demonstrationem quia. Ad 4. demonstratio ducens ad impossibile, cum non sit vera demonstratio, quia unam falsam propositionem includit, reducitur ad has, ut diximus 2. p. tr. 1. c. 5. Prædicatum superius, si per proximam, & adequatam causam demonstratur de inferiori, ut esse animal per sensibile de homine, est demonstratio propter quid, si non per propriam causam, ut in exemplo de substantia per vivens, est demonstratio quia. Cum de singulari demonstratur aliqua passio, quamvis non sit vera, & scientifica demonstratio, est tamen suo modo ad has demonstrationes reducibilis. Et tandem quæst. seq. dicemus, quo pacto quidditas demonstrari possit.

QUESTIO II.

De terminis Demonstrationis.

21 Sicut Aristot. agendo de syllogismo prius fermonem instituit de terminis, quam de propositionibus, quia & istæ ex illis integrantur; sic ut recte demonstrationis partes explicemus ante præmissas, terminos, ex quibus componuntur præmissæ, & a quibus ipsarum proprietates derivantur, investigare debemus. Tres igitur sunt termini demonstrationem constituentes, ut in quolibet alio syllogismo, scilicet major extremitas, quæ est prædicatum

conclusionis, minor extremitas, quæ est subiectum, & medium; & quidem de minori extremitate factis est dictum disp. præc. q. 2. dum naturam subiecti scientiæ, ejuſque conditiones expendimus; de aliis duobus remanet agendum.

Quod attinet ad demonstrationem quia nulla difficultas, nam medium in ipsa potest esse vel causa remota, vel effectus, vel aliquod concomitans, dummodo hæc omnia necessaria habeant connexionem cum re demonstrata, hæc enim conditio est necessaria utrique demonstrationi, cum utraque pariat scientiam, similiter major extremitas in hac demonstratione erit quodlibet predicatum, quod potest certo, & evidenter de subiecto demonstrari, juxta dicta quæst. præced. art. 1. ut optime notat Averſa quæst. 28. sect. 6. tota difficultas est de demonstratione propter quid.

ARTICULUS I.

De medio demonstrationis propter quid.

22 **D**emonstrationem propter quid, differre diximus quæst. præc. a demonstratione quia, quod illa procedit per causam proximam, & immediatam, non ista; quapropter medium demonstrationis propter quid, erit causa adæquata, & proxima inherentiæ prædicati cum subiecto, seu majoris extremitatis cum minori; dubium tamen est, an quodlibet genus causa possit pro medio intervenire in hac demonstratione, & si quodlibet, an possint plures causas adæquatas diversi generis (nam ejuſdem generis implicat esse plures adæquatas causas unius effectus ex dictis Phyl. disp. 8. quæst. 3. art. 2.) concurrere ad demonstrandam eandem concl. supponimus modo distinctionem causæ in quatuor genera traditam 2. part. Inst. tract. 1. cap. 6. in materialem scilicet, formalem, efficientem, & finalem.

Circa primam quæstam partem Alb. 2. Post. tract. 2. cap. 11. negat per finalem causam fieri posse demonstrationem; alii excludunt formalem, alii efficientem, & materialem, solumque formalem amplectuntur, citatur Philop. 2. Post. com. 25. Communis sent. cum Scot. 2. Post. quæst. 57. omnia causarum genera admittit. Circa 2. part. Averſa. 2. Post. com. 46. 95. & 97. & Zab. lib. de spec. demon. cap. 2. & lib. 2. de med. demonst. cap. 8. docent unius conclusionis unicam tantum esse causam proximam, & adæquatam, qua possit ostendi conclusio demonstratione propter quid. Opposita est etiam communis cum Scoto citat.

23 Dicendum, omnia causarum genera apta esse ad demonstrationem propter quid consiciendam; imo plura posse eandem conclusionem demonstrare, ita Doct. cit. Prima pars; quodlibet scilicet genus causæ posse esse medium non intelligitur universaliter de quacumque concl. quod fit per omnia genera demonstrabilis, sed disjunctum, ut aliquando causa efficiens sit apta, aliquando causa formalis, &c. nec intelligitur de qualibet causa etiam per accidens, sed de causa per se, & cum effectu convertibili; & sic explicata prob. primo auct. Arist. 2. phyl. 27. docet, quod tunc scimus unumquodque cum cognoscimus propter quid, hoc autem accidit, quando accipimus primam causam proximam, & immediatam, & deinde declarat, quot sint causarum genera, unde text. 68. concludit, quod quatuor sunt genera causarum, & quod tot numero ipsum propter quid comprehendit; & 7. Met. 59. & 60. ait quæstionem propter quid moveri, & resolvi per omnia genera, & 8. Metaph. 12. & 1. Phyl. 70. phyl. cum ait per omnia quatuor genera demonstrare: clarius 2. Post. 11. ex professo hoc moveri quæstum, & affirmative respondet, postquam enim quatuor genera numeravit, addidit Omnes ista per medium monstrantur, idest in demonstratione tanquam medium ingredi possunt, & exemplis rem manifestat inductive.

24 Deinde prob. ratione, nam in quolibet genere potest dari causa per se, & adæquata alicuius effectus, ergo per ipsam potest demonstrari propter quid, antec. patet ex non implicancia, & etiam inductione, nam in genere causa formalis potest v. gr. esse sensitivum demonstrari per animam sensitivam, quæ est causa formalis physica, potest etiam passio per definitionem subiecti ostendi, quæ est forma metaphysica, ut dicemus art. seq. esse corruptibile de composito physico potest demonstrari per materiam primam, quæ est causa materialis ex qua, ut notat Scot. 3. d. 22. B. item esse spirituale de intellectione potest demonstrari per spiritualitatem, & immaterialitatem intellectus, qui est causa materialitatis, in qua intellectione recipitur, nam nullum materiale potest recipi in spirituali; sic etiam poterit demonstrari vitalis de actibus liberis, quod fit essentialiter ipsi, ex hoc quod a principis vitalibus producuntur, & libertas essentialis de actu voluntatis, quia a principio provenit libero, nam principium vitale non potest operari non vitaliter, nec principium liberum agere naturaliter: tandem de causa finali patet, nam domus v. gr. ideo est lapidibus, & lignis constructa, ut possit nos a pluvia, & tempestatibus defendere, deambulatio fit propter sanitatem; huc spectant demonstrationes Arist. de eclipsi Lunæ propter terræ interpositionem inter Solem, & Lunam, quæ interpositio se habet veluti causa efficiens; & de illuminatione Lunæ paulatim facta propter sphericam figuram, quæ reduci poterit ad genus materialis causæ, quatenus est conditio quedam subiecti illuminati. Accedit, quod sicut ex his

effectibus a posteriori demonstrari possunt ipsorum causæ, ergo a priori per causas poterunt tales effectus demonstrari.

Secunda pars manet ex his probata, nam sicut non implicat ejuſdem effectus dari plures causas diversi generis, a quibus per se dependeat, nec implicabit per illas omnes demonstrari: hinc Arist. 1. Phyl. 1. ajebat. Tunc, putamus cognoscere unumquodque, cum causas primas cognoverimus; & principia prima usque ad elementa: ex quo loco aliqui deducunt ad perfectam scientiam requiri, quod per omnes causas demonstrat, quod dictum intelligi debet de scientia perfecta simpliciter, at sufficit ad scientiam in aliquo genere perfectam, quod demonstrat per aliquam causam, ut communiter docent Expositores circa illum textum, eo vel maxime, quod una demonstratio unico medio consistere debet, ut art. seq. dicemus, & una causa, & quælibet causat propriam scientiam perfectam in suo genere; quod expressius docet 1. Post. 43. Exemplo quoque potest res illustrari, ut notat Averſa cit. sect. 3. nam de creatura rationali potest demonstrari esse elicativam actuum moralium, & quia est ad beatitudinem ordinata, & quia est agens libere; ac etiam aliis exemplis adductis.

Contra primam partem concl. arg. Tum quia non potest ex fine demonstrari, hæc enim causa non præcedit effectum, nisi intentionaliter, quo pacto non dicitur vera causa, nec realiter proprie effectus ab ipsa dependet, ut diximus disp. 7. Phyl. quæst. 8. art. 5. Tum 2. quia nec ex efficiente, quia non adest inter efficientem causam, & effectum necessaria connexio, nam potest efficiens esse sine effectu, ut edificator sine domo: accedit, quod medium debet esse intrinsecum, quia demonstratio est ex propriis, quæ sunt intrinsecæ, ac efficiens est extrinsecum, sicut finis. Tum 3. neque ex materiali, quia medium est necessarium, materia est causa contingentis, & corruptibilitatis, & est in potentia contradictionis ad esse, & non esse; item passio non egreditur a materia, sed a toto composito, aut saltem ratione formæ ex Scoto quæst. 32. univ. & si a materia pullulat (quod non videtur verum, quia materia, & efficiens non coincidunt) non se habebit ut causa materialis, sed potius ut efficiens metaphysice. De causa formali dicemus art. seq.

25 Resp. ad 1. fidem eo modo posse, ut medium assumi, & demonstrationem ex eo formari, quo pacto inter causas numeratur, cum igitur finis, quamvis metaphysice causet, adhuc inter causas physicas continetur, quatenus est radix omnis actionis agentis, quod allicit, & movet, ut explicavimus quæst. cit. art. 3. ad 2. in hoc sensu poterit admitti ex ipso consici posse demonstrationes. Ad 2. concl. intelligi debere de causa efficiente in actu, quomodo necessario conjungitur cum effectu, vel si de efficiente in potentia erit sermo; etiam de effectu in potentia loqui debemus, in quo sensu habet etiam necessariam connexionem, ut diximus 2. p. Inst. tract. 2. cap. 3. Neque requiritur medium esse intrinsecum rei, quamvis dicatur esse proprium, non enim intrinsecum, & proprium convertuntur. Ad 3. materia est causa corruptionis, & contingentis realis, & incomplexæ, cum hoc tamen stat, quod sit causa necessitatis complexæ, & propositionis sempiternæ veritatis, etiam ut est sic causa, nam vero demonstratur corruptibilitatis de composito, ut diximus disp. præced. quæst. 2. art. 5. ad aliud dicimus passionem omnes tertii compositi ab ipsius natura immediate fluere, aliquas tamen ratione formæ, aliquas ratione materiæ, respectu quarum materia erit causa metaphysice radicaliter (hanc enim causalitatem non repugnare materiæ ostendimus disp. 2. Phyl. quæst. 8. art. 5.) dicitur tamen demonstratio procedere ex causa materiali, quatenus causalitas, quam erga subiectum demonstrationis exercet materia, est in genere materialis causæ, & medium ponitur in demonstratione, non solum ut respicit passionem, sed etiam subiectum, ut art. seq. ostendemus; cum dicitur autem a Scot. passionem convenire speciei ratione formæ, per formam ibi non intelligit eam partem, quæ a materia distinguitur, sed indifferentem pro principio intrinsecum, & quacumque parte definitionis, nam ut ait Arist. 2. Phyl. 27. & 5. Metaph. cap. de causis, omnes partes definitionis sunt formæ, cujus rationem assignat Scot. 2. d. 3. quæst. 6. H. quia omnis realitas specificæ, quales sunt definitionis partes, constituit in esse formali, seu in esse quidditativo, & realitas individui constituit præcise in esse materiali, seu contracto, ideoque illa eadem dicitur formalis, hæc materialis, & quia materia est pars essentia, poterit in hoc sensu dici forma.

26 Secundo argum. contra 2. partem; nam Arist. 1. Post. 5. scientiam definit per causam, per quam res est, non per causas, ut significaret unius rei unicam esse causam proximam, quod asserere videtur 2. Post. 25. Tum quia medium tunc esset quod per accidens aggregatum. Resp. ibi Aristot. assignare, quod est simpliciter necessarium ad acquirendam scientiam perfectam, saltem in aliquo genere, scilicet quod datur saltem una per se causa, non negare tamen, quin plures possint dari ejuſdem conclus. in 2. Post. docere idem prædicatum de una specie demonstratum per certam causam, posse de aliis per eandem demonstrari, si talis causa illis conveniat, ut patet de sensitivo per animal demonstrabile non solum de homine, sed etiam de equo. Ad 2. dicimus concl. illam non demonstrari unica demonstratione per illas causas, sed pluribus, loquimur autem de conclus. non formaliter

ut includit ordinem ad principia, nam ut sic diversificatur ad diversitatem principiorum, sed de concl. materialiter, ut est una propositio demonstrabilis.

ARTICULUS II.

De medio demonstrationis potissima.

27 **D**emonstratio potissima multipliciter accipi solet a DD. primo pro specie condistincta a demonstratione quia, & propter quid, quo sensu loquebatur Aver. & hanc accipionem objecimus qu. præc. secundo prout a demonstratione quia secernitur, & ut sic convertitur cum demonstratione propter quid, & nos locuti sumus in 2. p. Inst. tertio prout est species sub demonstratione propter quid, contenta, estque demonstratio propter quid, simpliciter, & perfectissime, & in hoc sensu ipsam accipimus in præsentem; nam cum demonstratione propter quid, dicat cognitionem certam, & evidentem habitam per causam in quocumque genere, causa vero non æquale inferant certitudinem, evidentiam, & necessitatem, quia una est intrinsecæ, & essentialis, alia extrinsecæ, una infert certitudinem physicam, altera certitudinem metaphysicam juxta dicta disp. præc. q. 1. ideo pro demonstrationem potissimam intelligimus, quæ perfectissimam parit scientiam, scilicet in maxima certitudine, & necessitate, & cui speciali modo condiciones ab Aristot. assignatæ conveniunt: & quærimus, an quodlibet genus causæ sit idoneum medium ad producendum talem scientiam; verum est tamen quod P. Faber theor. 10. videtur loqui de demonstratione hac, prout cum propter quid convertitur, nam potissimam appellat, quæ procedit a causa, demonstrationem quia, quæ per effectum concludit, at in theor. 14. & 15. aliqualem videtur statuere diversitatem.

Pro resolutione not. causam efficientem aliam esse extrinsecam, quæ agit actione transeunte, idest in subiectum distinctum, aliam intrinsecam, quæ talis dicitur, quia agit in seipsam, & hanc esse duplicem, vel enim agit actione physica, cum in se producit effectum realiter distinctum, ut cum aqua in se causet frigus, vel actione metaphysica, quando scilicet per resultantiam metaphysicam ab ipsa emanat aliquid solum formaliter diversum, ut sunt passiones rerum; & hæc causa non erit nisi essentia, & quidditas subiecti, quæ in ordine ad passionem dicitur causa efficiens metaphysice, in ordine ad subiectum dicitur causa formalis, quatenus est quodquid est ipsius; potest etiam in ordine ad passionem dici causa formalis, ut notat Averſa q. 28. sect. 7. quia est ratio prima formalis, quæ talis passio convenit subiecto, insuper dici potest materialis causa, quia a subiecto, in quo passio recipitur, non est realiter distincta; tandem dicitur finalis, nam passiones ad complementum, & perfectionem essentia subiecti ordinantur.

28 Insuper not. de passione triplicem dari posse definitionem, primam formalem, in qua ponitur genus, & differentia circumscripta sive per subiectum, sive per terminum, ut eclipſis est privatio luminis in Luna a Sole recepti: secundam causalem, in qua ponitur tantum causa propria, & adæquata illius passionis, ut eclipſis est interpositio terræ inter Solem, & Lunam: tertiam ex utraque integratam, & ab Arist. dicitur differre a demonstratione sola terminorum, positione, & situ, includit enim totum id, quod habet demonstratio, ut eclipſis est privatio luminis in Luna a Sole recepti causata per interpositionem terræ. Tandem ex dicendis art. seq. in hac demonstratione proprie concludi passionem de subiecto; his præceptis.

Mirum est quam varii sint inter se Doct. in hac materia. Nos principia referemus sententias, Zab. lib. 2. de medio demonstr. sustinet quodlibet genus causæ, dummodo sit proximum, sufficere pro medio demonstrationis potissimæ. Faber theor. 15. solum causam formalem admittit pro medio, quam theor. 14. dixit esse definitionem subiecti, non quidem secundum omnes partes, sed secundum ultimam differentiam; alii ponunt pro medio definitionem formalem passionis, quod probabile putatur ab Averſa cit. alii integratam ex utraque, ita præsertim Cajet. & approbant Conimb. hic; alii denique definitionem causalem passionis, quæ non sit definitio subiecti, vel si est talis, non ponatur medium, quatenus est subiecti definitio, sed solum ut est causa passionis, ita Bal. & Am. tr. 26. dif. 2. q. 3. du. 2.

29 Dicimus primo, non definitionem formalem passionis, aut ex causali, & formali integratam, sed causalem tantum esse medium demonstrationis potissimæ; ita Scot. 2. Post. q. 56. Tat. q. penul. Tromb. 6. Met. q. 1. Sonc. q. 8. Am. cit. & alii; Prob. primo, quod formalis definitio passionis non fit medium ex Sco. cit. quia illud non est medium in demonstratione potissima, quo cognito contingit querere propter quid inſit subiecto; sed cognita passione de subiecto per ejus formalem definitionem, restat adhuc inquirendum, cur inſit subiecto, quia talis definitio non est causa inherentiæ passionis in subiecto, ergo &c. major patet, quia præmissa demonstrationis potissimæ debent ex causis procedere, & ex immediatis. Tum quia definitio passionis de subiecto non prædicatur immediate, sicut nec ipsa passio, sed mediate, ergo nequit esse medium. Tum quia peteretur principium, æque enim negabit quis hominem esse risibilem, ac hominem esse aptum ad ridendum, quæ est definitio formalis illius passionis. Tum quia major esset innaturalis, nam in ipsa definitum diceretur de definitione.

Secundo quod neque definitio ex formali, & causali inte-

grata sit medium, Prob. quia Arist. 2. Post. 9. & 1. Post. 22. definitionem dividit in illam, quæ est principium, seu medium, in illam, quæ est conclusio, & in eam, quæ sola positione differat a demonstratione; sed definitio passionis ex formali, & causali integra continetur sub tertio membro, ergo non potest esse medium, aliter tertia definitio coincideret cum prima. Tum quia non est una per se definitio, sed duæ, medium autem debet esse per se unum. Tum quia licet unam per se definitionem conficerent; tamen quia non esset medium ratione utriusque partis, scilicet ratione definitionis formalis, ut diximus, non per se esset medium, sed per accidens.

Tertio quod medium sit definitio causalis passionis Prob. quia illud est medium in demonstratione potissima, per quod satisfit quæſito propter quid, ex 2. Post. 8. sed per causam passionis satisfit huic quæſito ex 2. Post. cap. 1. & 2. Phyl. 27. scientia enim querit causam, cur passio inſit subiecto, qua cognita quiescit intellectus, nec ultra querit, ergo causa, seu definitio causalis passionis erit medium. Tum quia 2. Post. 25. Arist. majus extremum scilicet passionem vocat id, cujus medium est causa, minus extremum scilicet subiectum id, cui medium est causa, quatenus est ratio, cur passio in subiecto. Tum quia patet ex sufficienti divisione, & ex dictis art. præced. ubi ostendimus medium demonstrationis propter quid, debere esse causam.

30 Dicimus 2. hæc causalis definitio non debet ex quocumque genere causæ constitui, sed solum ex causa formali subiecti, itaut sit definitio quidditativa subiecti secundum omnem partem, & causa ipsius passionis effectiva metaphysice, quæ adhuc sub utraque ratione scilicet ut causa passionis, & ut definitio subiecti concurrat ad rationem medi; est Scoti cit. & 2. d. 3. q. 6. M. & 3. d. 14. q. 2. H. & aliis locis; prob. primo, quod alia causa a formali subiecti non possit esse medium, quia aliæ causæ extrinsecæ non conficiunt propositiones universales, per se in primo, vel secundo modo necessarias, & secundum quod ipsum, quia est effectus per se sequatur ad causam, causa tamen non semper, vel saltem non necessario convenit subiecto, ut patet de interpositione terræ, quæ est causa eclipſis in Luna, de figura sphericæ, quæ est causa illuminationis paulatim ejuſdem, & fuisse ostendimus P. Faber cit. contra Zerb. ergo hæc causæ non possunt intervenire pro medio demonstrationis potissimæ, patet consequ. quia per hæc intelligimus demonstrationem illam, quæ perfectissima est omnium aliarum, aliter evaderet quæſtio de nomine. Tum quia scientia perfectissima causata a perfectissima demonstratione est, quæ perfectissimam habet necessitatem, & certitudinem, qualis est necessitas metaphysice ex dictis disp. præc. q. 1. sed quælibet causa a formali subiecti diversa non potest hanc certitudinem inferre; sed solum physicam, quia non ita necessario ab ipsa sequitur effectus, ut a causa metaphysica, ergo &c.

31 Secundo, quod debeat esse definitio subiecti quidditativa secundum omnem partem; Prob. a Scoto, quia definitio subiecti est causa prima, & immediata, cur inſint passiones subiecto, quia ab ipsa tanquam ab adæquato principio fluunt, qua posita ponuntur passiones, & qua ablata auferuntur, hæc omnia autem sunt munera medi hujus demonstrationis. Tum quia ait Tromb. illud, quod est principium, & causa aliorum, quod sint talia, est maxime tale ex 23 Met. 4. ut ignis est causa, cur alia sint calida, ipse est maxime calidus, loquendo de causis univocis; sed definitio subiecti est causa, cur alia sint media demonstrandi, nam quando magis aliqua accedunt ad definitionem subiecti, tanto magis habent rationem demonstrandi, ut patet in passionibus essentialiter ordinatis, quarum prima magis est demonstrativa, quam secunda, & hoc quia illa magis accedit ad definitionem subiecti: cum igitur demonstratio potissima maxime demonstrat, nam hac ratione potissima dicitur, ejus medium debet esse maxime demonstrativum, & per consequens tale erit subiecti definitio. Accedit auct. Arist. qui 4. Phyl. 31. & 1. de Anim. 11. & 2. de An. 12. clare docet quid est subiecti esse causam demonstrativam omnis passionis; & hac ratione in 2. Post. egit de definitione, quia scilicet est medium.

Ex his colligitur nullam passionem posse esse medium hujus demonstrationis, etiam si prior sit altera essentialiter, ut optime notat P. Faber contra Zab. & alios recentiores, sustinentes passionibus essentialiter ordinatis primam posse pro medio assumi in demonstratione potissima respectu secundæ; Ratio hujus est, quia talis demonstratio nec esset per veram causam, nec ex immediatis, nam passio prior regulariter non est causa posterioris, solum enim inter ipsas est ordo effectuum ab eadem causa, non ordo causæ, & effectus, nec prima passio cum subiecto facit definitionem immediatam, ut patet, imo tantum abest, quod hæc demonstratio sit potissima, quod potius sit demonstratio quia, ut diximus qu. præc. Nec valet, quod dicunt, per accidens esse demonstrationem potissimam, quod minor sit immediata, sed sufficere, quod perfecte res per illam cognoscatur, quantum fieri potest; quem finem consequitur illa demonstratio. Non valet, quia Arist. definiens demonstrationem non dixit ex immediata præmissa constare, sed ex immediatis, de utraque id affirmans; tum quia non est per causam.

Et quoniam passiones a tota rei quidditate fluunt, quæ non

folium ex forma, sed etiam materia constituitur ex dictis disp. 5. Ph. q. 12. art. 1. idcirco definitio subiecti ponitur medium secundum omnem partem, quamvis radicaliter ut plurimum approprietur formae, ut diximus art. prec.

32 Tandem quod non solum sit medium, ut est causa passionis, verum etiam in definitio subiecti, Prob. medium ut medium non solum dicere debet connexionem necessariam cum predicato, seu cum passione, sed quoque cum subiecto, quia ideo subiectum necessario unitum cum passione in conclusione concluditur, quia ambo in praemissis ostenduntur eum medio unita, ergo sicut medium dicitur medium formaliter, ut est causa passionis, quia sub hac ratione est necessario connexum cum ipsa, pariformiter ut definitio debet dici formaliter medium; non materialiter, ut asserit Amic. quia non nisi sub hac ratione dicitur connexionem necessariam cum subiecto.

Contra 1. concl. arg. primo, quod definitio formalis passionis sit medium in demonstratione potissima. Tum quia Arist. 2. Post. com. 4. ait medium esse definitionem primi extremi idest passionis. Tum 2. definitio formalis passionis est proxima causa connexionis passionis cum subiecto, quia haec connexio immediatius provenit ex natura passionis, quam subiecti, ergo debet esse medium. Tum 3. passio immediate inest propriae definitioni, & ipsa mediante inest definitioni subiecti, ergo illa erit medium, non ista, quia demonstratio est ex immediatis. Tum 4. medium, & extrema debent esse eisdem generis, sed passio est de genere qualitatibus, ergo medium erit ipsius definitio formalis, quae est in eodem genere, non definitio subiecti, quae spectat ad aliud genus. Tum 5. medium in demonstratione debet esse re, & positione medium, ita ut sit posterius subiecto, & prius passione, quae autem est sola definitio passionis, haec est prior passione, & posterior subiecto, definitio autem subiecti est prior ipso subiecto. Tum 6. definitio passionis est notior passione, facit propositiones necessarias, de omni per se, secundum quod ipsum, & per causam, ergo habet omnes conditiones medii. Tum 7. ex 1. de An. 11. habetur ipsum quodquid est esse utile ad cognoscendum causas accidentium substantiarum, (quibus verbis videtur significari definitionem subiecti esse causam primam, non tamen proximam, ergo causa proxima erit definitio accidentis, & passionis, sed de demonstratione potissima est ex medio proximo, ergo &c. Tandem non potest demonstrari animal rationale esse hominis definitionem, quae est praedicatum, nisi per definitionem ipsius definitionis, dicendo omne explicans quidditatem rei est definitio rei; animal rationale est huiusmodi, ergo &c. imo si quaeratur, cur animal rationale sit hominis definitio: optime respondetur, quia explicat hominis quidditatem.

33 Resp. ad 1. loqui ibi Arist. de definitione causali, non formalis: vel inquit Doctor, non loqui de potissima demonstratione. Ad 2. neg. assumptum, aliud enim est aliquid esse extremum connexionis, & esse causam connexionis, passio, & ipsius definitio sunt extrema connexa cum subiecto, sed causa huius connexionis est definitio subiecti, quae etiam est causa entitatis passionis, & consequenter omnis habitudinis passionis ad subiectum. Ad 2. negat Scot. aut. nam definitum non inest definitioni, unde tam passio, quam definitio passionis immediate inest subiecto, licet definitio notius inest; utraque tamen per definitionem subiecti. Ad 4. neg. min. nam passio non est in praedicamento distinctio a praedic. subiecti ex dictis disp. 5. q. 4. art. 1. Ad 5. ex Tat. neg. ma. quia ad medium demonstrationis sufficit, ut sit medium in ratione cognoscibilitatis, idest quod sit causa, cum cognoscatur inherencia praedicari in subiecto, non autem requiritur, ut sit medium quoad ordinem prioritatis, & posterioritatis, aliter nec effectus, qui est posterior, posset esse medium in demonstratione quia. Ad 6. deficit, quia haec definitio non dicitur propter quid, & causam inherenciae in subiecto, unde feret petitio principii, nam eadem est quae sit, an Luna eclipsetur, & an Luna privetur lumine, (an homo sit risibilis, & an sit aptus ad ridendum. Ad 7. solum sequitur definitionem subiecti non esse causam proximam quoad ordinem, non tamen quoad causalitatem, quia ab ipsa omnia emanant; vel per accidentia intelligit accidentia communia, per causas accidentium accidentia propria, quae a definitione subiecti causantur. Ad ultim. illam non esse demonstrationem potissimam, nam esse definitionem formaliter dicit secundam intentionem, quae non convenit essentialiter animali rationali, sed accidentaliter, vel si contingeret Averfa esse quodam praedicatum quidditativum, adhuc non esset demonstratio in rigore, quia non demonstraretur passio, sed potius praedicatum superius de inferiori, ut cum ostenditur hominem esse animal per esse vivens sensitivum, in qua praemissa non sunt convertibiles: & secundum quod ipsum, ut patet, vide art. seq. ad 1. contra 2. concl.

34 Secundo, quod definitio passionis ex formali, & causali integrata sit medium, prob. quia Arist. 2. Post. cap. 2. docet idem esse quid est, & propter quid, ergo medium debet dicere quid est passionis, & propter quid, ergo ex utraque definitione debet consistere: & ex eodem ibid. medium debet esse causa, ut passio sit simpliciter, & inest subiecto, primum praestabit definitio formalis, secundum definitio causalis. Tum 2. medium est adequa-

ta causa connexionis passionis cum subiecto, ergo utramque definitionem continet; prob. conseq. connexio pendet a subiecto, & passione ut ab extremis, ergo definitio subiecti, & definitio passionis erunt causa huius connexionis. Tum 3. medium huius demonstrationis debet causare perfectam passionis notitiam, ergo omnem causam, tum formalem, tum efficientem includere debet, quia cognitio perfecta est ex omnibus causis. Tandem praemissa huius demonstrationis debent esse maxime propriae, & immediatae, ergo utraque definitio alicui debet pro medio, nam si solum esset definitio subiecti, essent maxime propriae subiecto, non passioni, si definitio passionis tantum, essent maxime propriae passioni, non subiecto.

Resp. in primo loco Aristot. vel loqui de quid subiecti, & propter quid passionis, & utrumque convenit definitioni subiecti, vel si loquitur de quid passionis, non est sermo de quid formali, sed causali, & tandem si loquitur de quid formali, non intelligitur de medio praecise sumpto, sed ut in demonstratione capto, & de tota demonstratione; qua non solum innotescit quaestio propter quid de passione, verum etiam quaestio quid, imo omnes quaestiones, quae per quaestionem propter quid solvi possunt, in 2. loco explicari potest de definitione subiecti, quae est causa utriusque. Ad 2. connexio pendet a subiecto, & passione ut ab extremis, sed a definitione subiecti pendet ut a causa, non a definitione passionis, medium autem se debet habere ut causa inexistentiae executiva. Ad 3. causat perfectam notitiam in genere, non simpliciter, ut diximus, vel perfectiorem quam alia causa, quia quietat intellectum, & quia definitio subiecti aliquo modo est in omni genere causae. Ad ult. debent esse maxime propriae quoad causalitatem, ad quod sufficit, ut in praemissis accipiatur proxima causa inherenciae, non vero quoad formalitatem, ita ut medium sit formalitas passionis: imo diversum esse debet, cum se habeant ut causa, & effectus.

35 Contra 2. concl. argum. 1. quod quaelibet causa proxima etiam externa possit esse medium in demonstratione potissima. Tum quia illa debet dici potissima demonstratio, quae perfectissimam parit scientiam, ita de re ut nil amplius quari possit, sed quaelibet causa proxima nana est talem parere scientiam, ergo quaelibet potest esse medium; min. prob. ex Aristot. 2. Post. cap. 1. ubi docet per causam satisfaciendam quaestioni propter quid satisfieri omnibus aliis quaestionibus, & patet exemplo, nam per interpositionem terrae inter Solem, & Lunam potest satisfieri omnibus quaestionibus de eclipsi an sit, quid sit, qualis sit, & propter quid sit, idem de aliis demonstrationibus, quas adducit Arist. 2. Post. Tum 2. quia eclipsis de Luna, & similia accidentia sunt per causam propriam demonstrabilia, propter quam res est, sed causa eclipsis, propter quam est, est interpositio terrae, ergo per hanc erit demonstrabilis demonstratio potissima. Tum 3. demonstrationes mathematicae sunt certissimae, & potissimae, & tamen ut plurimum procedunt ex antecedente iam probato, non ex definitione subiecti, non enim ex definitione quantitatis probantur mathematicae conclusiones.

Resp. ad 1. ma. esse insufficientem, nam ultra hoc requiritur, ut quietet intellectum per causam proximam, & necessariam necessitate metaphysica, quam sola causa formalis in sensu explicato continet, ideoque negari debet demonstrationes, quas conficit Arist. in 2. Post. esse potissimas, ut suse ostendit P. Faber cit. Per idem ad 2. nam eclipsis, & accidentia externa sunt demonstrabilia per proprias causas, non tamen demonstratione potissima propter assignatam rationem. Similiter demonstrationes mathematicae a multis negantur esse potissimae, quamvis sint certissimae, quia non habent omnes conditiones requisitas.

36 Secundo, quod definitio subiecti non sit medium, ostenditur. Tum quia committeretur petitio principii, nam definitio non est quid distinctum a definito, ergo si passio demonstratur convenire subiecto definito, quia convenit definitioni, probaretur idem per idem, hinc Arist. 2. Prio. cap. 5. unum modum ponit petitionis principii, quando probatur definitum per definitionem, vel e contra. Tum 2. sequeretur, demonstrationem non esse ex propriis, quia omnes passiones ab eadem essentia fluentes per eandem definitionem probarentur, & sic non demonstrarentur per causam, quae unicuique tamquam propria competat, sed ex communi. Tum 3. sequeretur maj. & conclus. esse in eodem modo dicendi per se, scilicet in secundo modo, quod est falsum. Tum 4. sequeretur, definitionem esse ex mediatis, nam passio convenit definitioni subiecti non immediate, sed media propria definitione; & secunda passio mediante prima.

Resp. ad 2. non peti principium, quia definitio, & definitum distinguuntur, ut diximus disp. 1. q. 4. art. 2. & passio notius convenit definitioni, quam definito, Aristot. autem loquitur, quando definitio, & definitum sunt aequenota respondenti, ut explicuimus 2. p. Inst. tr. 3. c. 3. Ad 2. demonstrationem esse ex propriis non intelligi de principii alteri non convenientibus, sed principii convertibilibus, & quia idem medium potest cum pluribus passionibus converti, ideo potest dici proprium respectu illarum. Ad 3. neg. falsitas sequela, sufficit enim quod passio notius conveniat definitioni.

Ad

Ad 4. dicimus passionem, & propriam definitionem immediate convenire subiecto immediate subiecti, licet definitio notius conveniat; secunda passio dicitur etiam subiecto immediate convenire immediate causae, nam causa eius non est prima passio, sed quidditas subiecti, vide Tromb. cit.

37 Tertio, quod non fit medium ut definitio, sed solum ut causa, prob. ex Scot. q. 3. prol. S. docente non oportere principia scibilibus esse principia in se ipsius subiecti, sed esse principia solum, per quae demonstrantur passiones de ipso. Tum 2. demonstratio dirigitur solum, ad tradendam scientiam majoris extremi, non minoris, ergo per accidens est, quod medium fit definitio subiecti. Tum 3. medium quandoque est ratio, quandoque sola dictio, sed dictio nequit dici definitio, quae semper est oratio, ergo esse definitionem est accidentale medio. Tum 4. medium ut medium est causa, quia scire est rem per causam cognoscere, ergo per accidens est definitio ut medium. Tum 5. definitio subiecti, ut sic, dicit causam inherenciae, nec propter quid, at de ratione medii, est, quod sit causa inherenciae, & dicat propter quid.

Resp. ad 1. sufficere, ut medium sit ratio quidditativa subiecti, & causa virtualis; ut diximus in 2. p. Inst. tr. 1. c. 4. Scotus autem loquitur de causa formaliter. Ad 2. demonstrationem dirigi ad cognoscendam, non quidem passionem ut sic, sed passionem in subiecto, idcirco requiri, ut medium cognoscatur ut idem cum passione, & subiecto. Ad 3. proprie semper medium debet esse tota definitio, quandoque vero utitur una parte, sive materiali, sive formali, quatenus forma, vel materia sunt radicaliter, & originariae causa passionis. Ad 4. medium ut medium non esse causam ut sic, sed causam connexionis praedicati cum subiecto, nec cuiuscumque connexionis, sed illius, quae est necessaria metaphysice, ad quod exigitur, ut sit essentialis subiecto, ideoque medium demonstrationis potissimae ut medium debet esse definitio subiecti, & causa passionis. Ad 5. definitio subiecti ut sic praecise non dicit causam inherenciae, nec propter quid, sed ut definitio subiecti, & ut est causa pass.

ARTICULUS III.

De majori extremo demonstrationis.

38 Trias sunt, quae possunt habere rationem majoris extremi in demonstratione propter quid, (nam de demonstratione quia nulla est difficultas, ut supra diximus) scilicet accidens commune, accidens proprium, & subiecti definitio, quae multiplex est, vel adaequata, & ex omni parte perfecta, & sic continet omnes causas, sive intrinsecas, sive extrinsecas, a quibus res per se dependet in esse, vel incompleta, & inadaequata, ut cum datur per unum, vel duo genera causarum, ut si daretur per causam materialem, vel formalem, aut finalem, vel efficientem, vel per ambas causas intrinsecas, materialem, & formalem, sive sit physica, sive metaphysica. Haec autem difficultas intelligi potest tam de demonstratione potissima, quam de demonstratione propter quid, sicut supra distinximus, cum medium demonstrationis inquirebamus.

Zab. saepe citat. sustinet tam accidens proprium, quam accidens commune posse pro majori extremo inservire etiam in demonstratione potissima. De definitione vero communis sententia negat posse a priori, & demonstratione propter quid demonstrari de definito, quatenus definitio est, & formaliter capta, idest ut est essentialis definito, licet materialiter sumpta, scilicet ut est quodam praedicatum absolute demonstrari, si sit inadaequata, puta definitio per causam materialem poterit concludi per definitionem finalis, vel formalis causae, ita videtur sentire Scot. 2. Post. qu. 55.

39 Dicimus primo, accidens commune solum ingredi posse pro majori extremo in demonstratione propter quid, non potissima, passionem vero in demonstratione potissima, haec conclus. sequitur ex dictis art. praeced. & prob. primo, quod accidens commune fit demonstratione propter quid demonstrabile de subiecto, nam art. 1. ostendimus quamlibet causam in quocumque genere assumi posse pro medio in hac demonstratione, sed ista aliquando causant aliquid accidens commune, ut patet in exemplis ibi allatis, quando scilicet accidens aliquid per se consequitur, & semper ad positionem causae.

Deinde, quod nequeat esse majus extremum in demonstratione potissima, patet ex dictis art. praeced. ubi solum causam formalem posuimus pro medio. Tum conclusio demonstrationis potissimae debet esse simpliciter necessaria, per se, de omni, & quatenus ipsum, ut quae sit. seq. dicemus, sed accidens commune non conficit cum subiecto propositionem cum his conditionibus, quia ex sua ratione formalis potest adesse, & abesse, ergo non necessario convenit; non inest omni tempore subiecto, ergo non est de omni posterioritico, non praedicatur per se in primo, vel secundo modo, ergo non est per se, quomodo ad demonstrationem exigitur; nec tandem necessario convertitur cum subiecto, ita ut conveniat omni, soli, & semper, nam hoc est peculiare accidentis proprii, ut docet Porph. cap. de prop. ergo non est quatenus ipsum. Nec valet responso Zab. haec accidentia dici posse necessaria necessitate causae, quatenus ad positionem talis causae sequuntur talia accidentia, licet non sint Mastrii, & Bellini Tom. 1. Logica.

necessaria necessitate subiecti. Non valet, quia jam concedit ut sic non conficere demonstrationem potissimam, & simpliciter, ad quam requiritur potissima necessitas, & certitudo propositionum, ut diximus art. praeced. qualis non esset haec necessitas; tum quia nec necessario sequuntur ad positionem talis causae, nam ab alia causa naturali contraria, & majoris virtutis, aut saltem a Deo possent impediri, ergo haec necessitas causae non erit simpliciter necessitas, vide P. Fab. theor. 14. & 15.

30 Ex his manet probata alia pars conclus. quod possumus uti in demonstratione potissima pro majori extremo passione subiecti; nam haec conficit propositionem simpliciter necessariam, per se, de omni, & quatenus ipsum, cum conveniat omni, soli, & semper, nec per potentiam Dei possit a subiecto seungi, & consequenter non continget subiectum aliter se habere.

Contra objic. quod accidens commune sit majus extremum in demonstratione potissima. Tum quia per se in secundo modo dicitur de subiecto, nam illud praedicatur in secundo modo, quando subiectum ingreditur definitionem illius, accidens autem per subiectum habet definitum. Tum 2. vel accidens commune per se convenit subiecto, & habetur intentum, vel per accidens scilicet ratione alterius, idem quaeritur de isto alio an per se, vel per accidens conveniat, & sic vel dabitur subiectum, cui inest per se, vel procederet in infinitum. Tum 3. si per se non inest, non magis ubi subiecto conveniret, quam alteri cuiuscumque, quod est falsum, quia non quodlibet est in quolibet. Tandem Arist. 1. Post. 22. docet de eclipsi dari scientiam, ait enim: Eorum, quae saepe fiunt, demonstrationes, & scientiae, ut Lunae defectus, manifestum, quod secundum quod quidem tales sunt, semper sunt; eclipsis autem est accidens commune: & 2. Post. his demonstrationibus de accidentibus communibus accommodat, & declarat condiciones in 1. l. assignatas, quae sunt demonstrationis potissimae.

Resp. ad 1. neg. assumptum, quia ut diximus in 2. p. Inst. tr. 1. c. 3. ad propositionem per se secundi modi praeter hoc, quod subiectum ingreditur definitionem praedicati, requiritur necessaria habitudo causae efficientis metaphysicae ad effectum, quae solum est inter subiectum, & accidens proprium. Ad 2. dicitur per se convenire, idest immediate, non vero per se, idest necessario, quod requiritur ad demonstrationem. Ad 3. adhuc ut cuilibet non inest, sufficit, ut per se competat subiecto in quarto, quatenus datur in aliquo subiecto causa intrinseca accidentis communis, hoc autem non sufficit, sed requiritur illa necessaria habitudo ad potissimam demonstrationem, ut non contingat subiectum aliter se habere. Ad 4. solum probat dari de his accidentibus demonstrationem propter quid, non potissimam; nec Arist. q. Post. omnes condiciones adaptat illis demonstrationibus, sed solum illis exemplis declarat, quo pacto medium sit causa minoris extremi.

41 Dicimus 2. definitionem non habentem aliam causam priorem non posse de definito demonstrari a priori, seu esse majus extremum in demonstratione propter quid, at definitionem habentem aliam causam priorem, posse esse majus extremum, & a priori demonstrari de definito per illam causam, etiam ut essentialis est definito; talis autem demonstratio probabiliter videtur esse propter quid, non potissima; ita Tat. 2. Post. q. 2. dub. 3. quem sequuntur Averfa q. 28. sect. 6. & Amic. 2. Post. tr. ult. q. 5. dub. 1. nec aliud intendit Doct. cit. si recte perpendatur; Prima pars probatur, quia si caret causa, a qua dependeat in esse, non habebit medium sufficiens, quo possit demonstrari a priori de definito. Tales autem definitiones sunt praecipue adaequata, & undequaque perfecta, quae scilicet datur per omnes causas, a quibus res pendet in esse, cum enim omnes includat causas, nulla remanet accipienda, qua uti possumus pro medio, & si aliqua ex illis acciperetur, cum hac sit quoque demonstrata in conclus. idem demonstraretur per idem. Similiter eadem ratione definitio continens omnes causas essentielles, puta proprium genus, & propriam differentiam, non poterit per aliam causam essentialem demonstrari, ut probat ibi Scotus, nam quidditas subiecti esset quaestio, & praesuppositum simul, & semel, esset quaestio, quia demonstraretur in conclus. de definito, esset praesuppositum, quia assumeretur ut medium, saltem secundum partem.

42 Secunda pars, quod definitio aliam priorem supponit tamquam causa possit a priori demonstrari, etiam ut est quidditativa definitio, est Arist. ut infra videbimus; & prob. quia illa est demonstrabilis propositio a priori, quae habet causam proximam connexionis praedicati cum subiecto, talis esset ista definitio, etiam ut est essentialis definito, ergo &c. Ut autem cognoscamus, quamnam sint istae definitiones, oportet inspicere ordinem causarum inter se; nam in primis, quia nulla causa adaequata in suo genere aliam supponit priorem in eodem genere, aliter non esset totalis, sed partialis, ideo nulla definitio materialis, verb. gr. poterit demonstrari per aliam definitionem materialem. Et quia finis dicitur prima causa, idcirco per definitionem finalem poterit demonstrari de re definitio tam materialis, quam formalis, ut ex hoc, quod domus est ordinata ad defendendum nos a pluvia, & tempestatibus, optime concludere possumus debere ex tali determinata materia, & speciali forma construi, quod est, probare definitionem materialem, & formalem domus, & consequenter sequen-

Bb

sequenter etiam ut sumuntur essentialiter, & quidditative, nam eo ipso probatur aliquid esse materiam, quod formam aliquam, ostenditur adhuc esse de essentia illius, quia materia, & forma sunt partes essentialiter, sic de lanterna prob. quod debeat ex materia perspicua constare ex fine, quod est illuminare; & ex hoc, quod homo est ad beatitudinem ordinatus, deducitur esse substantiam intellectuales, sub solo est beatitudinis capax; quod prædicatum concluditur ut essentialiter homini, sicut homo secundum suam essentiam respicit beatitudinem ut finem. Causa efficiens etiam, quando est necessaria, determinata, & convertibilis causa alicujus prædicari essentialis effectus, quod se habeat ut causa formalis ipsius effectus, in tali casu poterit concludere definitionem formalem effectus, ut quod provenit a principio essentialiter libero, est indifferens intrinsece, & essentialiter, ut possit esse, & non esse, volitio provenit a voluntate, quæ est principium essentialiter liberum, ergo volitio est indifferens essentialiter &c. in hoc syllogismo major extremitas est definitio libertatis actus in genere causæ formalis, medium est definitio ejusdem libertatis data per causam effectivam, Tandem quia materia, & forma aliquo pacto sunt sibi invicem causæ ex dictis disp. 8. Phys. q. 1. art. 1. poterit definitio formalis per materiam demonstrari, & e contra; ut omne constans ex corpore organico, constat etiam ex anima, quæ est actus talis corporis, equus constat ex corpore organico, ergo &c. & e converso; item definitio materialis demonstrationis prob. per alteram formalem, quæ ab aliis dicitur quoque filialis.

43 Tandem, quod hæc demonstrationes probabiliter reduci debeant ad *propter quid*, non ad potissimam, probari potest, non enim satis evidenter salvantur conditiones potissimæ in illis, quia præmissæ non videntur esse de omni, per se, & secundum quod ipsum, aut saltem non omnes istæ demonstrationes, & si oppositum velis sustinere nil contra nos.

In contrarium objic. quod quælibet definitio possit a priori probari, etiam adæquata, Tum quia poterit probari per regulas logicas, scilicet, per definitionem definitionis, sicut cum volumus ostendere aliquem syllogismum esse in modo, & in figura, utitur regulis logicalibus de syllogismo traditis, sic Arist. 2. Post. 17. ostendit definitionem ternarii, quod sit *numerus impar primus*, esse veram, & quidditativam definitionem per regulas logicas, & definitionem definitionis, Tum quia hæc definitio, ecliphs est privatio luminis solaris propter objectionem terræ, est adæquata, & tamen demonstratur, ut quod privatur lumine solari propter objectionem terræ, ecliphsatur, Luna privatur, &c. ergo ecliphsatur.

Resp. a. 1. ex Aristot. 2. Post. 8. ubi negat probationem illam esse veram demonstrationem, ratio est, quia regulæ logicæ non sunt causæ in essendo, sed solum rationes cognoscendi, & notificandi, quare non procedit ex causis concluditur quia procedit ex communibus, nam illa regulæ cuilibet definitioni adaptari possunt, & tandem non ostenditur per illas definitionem de definito proprie loquendo, sed tantum definitionem adæquatam habere conditiones optimæ definitionis. Ad 2. nec illa definitio est adæquata, quia deficit causa materialis, quæ est Luna, nec demonstratur de definito, scilicet, de eclipsi, sed de Luna, quæ est subiectum, in quo recipitur ecliphs.

44 Contra 2. partem opponitur 1. Autoritas Arist. qui 2. Post. a cap. 2. ostendit *quodquid*, seu definitionem non posse demonstrari a priori de definito, & si aliquando demonstratur, illam non esse demonstrationem, sed logicum syllogismum; idem docet 6. Met. text. 1. Scot. etiam 2. Post. q. 55. ex professo ostendit *quodquid* formaliter non posse demonstrari neque a priori, neque a posteriori, at absolute sumptum, & materialiter posse a posteriori demonstrari, a priori tamen non omne, sed aliquod, non enim vult definitionem formalem posse per materialem demonstrari, sed e contra materialem per formalem, & finalem, idem docet super text. Met. cit. & 6. Met. q. 1. ad 5. princ.

Ut adæquate satisfaciamus huic objectioni, diligenter indaganda est mens Arist. in illis text. & quo pacto procedit; primo igitur in text. 2. querit, an definitio, & demonstratio sint de eadem re; & negative resolvit, quia demonstratio est accidentis complexi, & affirmativa, vel negative concludit, definitio est essentialis, incomplexi, nec affirmativa, aut negata, imo pro principio inservit demonstrationis. Deinde a text. 3. usque ad 8. disputative querit, an definitio sit demonstrabilis; & pro parte negativa arguit; tum quia non est demonstrabilis syllogismo reduplicante (scilicet in quo medium assumatur in præmissis cum hac reduplicacione *in quid*, quod requiritur, ut possit deinde concludi in quid majus extremum de minori), nam in min. peteretur principium, quatenus medium diceretur *in quid* de subiecto, cuius tamen quidditas queritur, nec medium esset in demonstrabile de subiecto; tum quia nequit demonstrari divisione, nam iste modus discurrendi non est a priori, nec necessario illativus, & minor esset probanda, quare ille syllogismus non esset demonstratio; tum quia non est demonstrabilis per definitionem definitionis, ut oratio indicans hominem per essentialia est definitio illius, animal rationale exprimit hominem per essentialia, ergo &c. nam in min. petitur principium; idem enim est esse definitionem, & exprimere rem per essentialia; tum quia nequit ostendi per definitionem contrarii, nam procederet ex æque ignotis, & posset dari circulus, & alias rationes adducit pro hac re.

45 Deinde a text. 8. incipit propriam aperire sententiam, & in illo text. primo distinguit de causa, quod quædam est eadem, quædam est alia, idest quædam est intrinseca, quædam extrinseca, & hæc vel est demonstrabilis, idest potest demonstrationi inservire, & sic poterit esse medium; quod demonstratur *quid est*, seu definitio, & subdit, quod hæc non est demonstratio, sed syllogismus topicus, subjungit postea medium, quo contingit scire *quid est*, nempe cum ab effectu per se demonstrando *si est*, simul devenimus in cognitionem *quid est*, ut omne alium patiens interpositionem terræ ecliphsatur, Luna patitur interpositionem terræ, ergo ecliphsatur; quo syllogismo scitur *si est* ecliphs, & *quid est*, & *propter quid*; in fine deinde hujus textus, & initio sequentis veluti epilogat, quæ docuerat, & quod non possit ostendi *quid est*, quando non habet causam aliam idest extrinsecam, quando tamen ipsam habet, possit demonstrari, sed logico syllogismo: addit ulterius divisiones quasdam definitionis, & præcipue in text. 10. ait, quod quædam definitio est principium demonstrationis, quædam conclusio, quædam a demonstratione sola positione terminorum differens: & tandem in fine hujus text. excludit, *Manifestum igitur ex dictis, & quomodo est ipsius quid est demonstratio, & quomodo non est, & quorum est, & quorum non est.*

46 Ex his colligitur primo, Arist. *quid est* accepisse, prout quid completum ex omnibus causis intrinsecis: 2. si habet causam extrinsecam, posse demonstrari, 3. hunc syllogismum appellasse logicum, & demonstrationem, quod debet exponi comparative scilicet in ordine ad potissimam demonstrationem, dicitur syllogismus logicus, sed quia est syllogismus certus, evidens, & per causam, erit demonstratio *propter quid*, ex quo magis confirm. ultima pars nostræ concl. in hoc sensu explicari potest in 6. Met. Nec alius voluit Scot. asserere, sumptum enim *quodquid est*, reduplicative, idest ut perfecte explicat quidditatem rei secundum omnia prædicata essentialia, & hoc pacto negat posse probari a priori per alias causas intrinsecas, & demonstratione potissima, in qua, inquit, semper est suppositum, & medium. Verum est ibi Scot. potius recitare sent. Expositoris, quam suppresso nomine authoris ibi innuit, quam propriam mentem declarare, unde negat materiam esse causam formæ, & consequenter *quodquid* formale posse demonstrari per *quodquid* materiale, & tamen potius oppositum est verum, ut cum eodem Scot. ostendimus disp. 5. Phys. q. 3. art. 2. & 3. eodem modo exponi potest in Met. cit.

Secundo ad idem argum. ratione. Tum quia peteretur principium, nam in minori medium deberet de subiecto prædicari in quid, quod enim *quodquid est* potest per aliquod accidentale demonstrari, & sic supponeretur in min. *quid est* subiecti, quod queritur in concl. peteretur etiam principium in majori, quia majus extremum prædicaretur de medio *in quid*, & tunc ut sit vera prædicatio, medium debet supponere pro subiecto concl. & sic major non differret a concl. quæ ratio est Arist. Tum 2. prædicatum in concl. demonstrativa debet esse accidens ex 2. Post. cap. 2. ergo nequit esse definitio. Tum 3. definitio non potest prædicari, nisi de definito, ac si demonstraretur, deberet de medio prædicari. Tum 4. omnis definitio immediate competit definito, maxime si datur per causas intrinsecas, ergo quælibet est indemonstrabilis. Tandem sequitur, hanc demonstrationem, per quam scitur substantia, nobiliorem esse potissima, per quam scitur accidens.

47 Resp. neg. seq. non enim in min. petitur principium, quia non est eadem definitio, quæ est medium, & quæ concluditur, neque in majori nam in majori medium supponit pro subiecto distincte cognito, seu pro definitione ipsius, in conclusione vero subiectum supponit pro se confate cognito, sicut universaliter definitio, & definitum differunt, non enim sunt termini synonymi, & hæc differentia sufficit, ut sint distincti termini, & ne principium petatur, ut diximus disp. 1. qu. 4. art. 2. nec authoritas Arist. urget, nam ibi disputative loquitur, ut ipsemet se declarat. Ad 2. ibi est sermo de demonstratione potissima, in qua semper passio est majus extremum. Ad 3. negat, assumptum, nam una definitio potest de altera dici, ut syllogismus constans ex veris, primis, & immediatis, &c. est faciens scire. Ad 4. assumptum est verum in eodem genere, ut definitio materialis est immediata in genere materialis causæ; vel ut ait Doctor hic, & quælibet est immediata immediatione subiecti, quia inter ipsam, & definitum nihil mediat, cui prius conveniat definitio, non tamen quælibet est immediata immediatione causæ.

Ad 5. quamvis ex illo capite possit perfectior dici demonstratio concludens definitionem, quam concludens passionem, tamen obiectum scientiæ est conclusio, a principiis dependens, hinc quia principia potissima nata sunt gignere certiora, & magis necessariam notitiam, quam principia demonstrationis *propter quid*, idcirco absolute illa erit demonstratio potissima, quæ facit scire passionem.

Q U E S T I O III.

De præmissis Demonstrationis.

48 UT præmissas Demonstrationis declarem, ipsarum conditiones erunt expendendæ. Arist. 1. Post. c. 2. quasdam conditiones assignat præmissarum, quasdam vero cap. 4.

cap. 4. & præcipue locutus est de demonstratione *propter quid*; conditiones sunt istæ, ut sint veræ, primæ, & immediatæ priores, notiores, causæ conclusionis, propriæ, necessariæ, de omni per se, de prædicato universalis, secundum quod ipsum, & primo; de quibus multa diximus 2. p. Inst. tract. 1. idcirco, quæ satis ibi exposita fuerunt hic prætermitteremus; si se habet prima conditio, quod sint veræ; secunda tamen conditio exactius erit investiganda; quapropter in duos art. hanc questionem dividemus, in primo agemus de primitate, & immediatione præmissarum, in 2. de cæteris conditionibus. Sed prius interim corrigendus est patentissimus error Ovviæ contr. 10. Log. punct. 4. n. 6. ubi ait opus non esse demonstrationem constare semper propositionibus, quæ sunt per se, ut patet, inquit, in hac demonstratione: Omne progressivum est vivens, omnis homo est progressivus, ergo omnis homo est vivens, in qua minor non prædicatur per se de subiecto, quia progressivum non est propria passio hominis, sed animalis. Profecto in hoc puncto omnino hallucinat Ovv. nam Arist. 1. Post. c. 4. disertè docet perfectitatem esse quandam necessitatis gradum, qui reperiri debet in propositionibus demonstrationem intrantibus, adeoquod si propositio non sit in aliquo dicendi modo ex quatuor, quos ibi assignat, sit profus inepia ad demonstrationem constituendam, ut satis probatum est 2. p. Inst. tr. 1. & in demonstrationem, quam Ovv. adducit, falsum est illam minorem non esse propositionem per se, & prædicatum ejus non per se de subiecto prædicari, scilicet, progressivum de homine, nam per primam regulam antepredicamentalem quicquid per se prædicatur de superiori, & inferiori quoque necesse est prædicari, unde si progressivum de animali prædicatur per se, ut ejus adæquata passio, etiam de homine per se prædicari debet, licet non primo, & adæquate, seu secundum quod ipsum, itaque hoc exemplum minime probat illam minorem non esse propositionem per se, sed probat tantum non esse secundum quod ipsum, qui erat ultimus gradus necessitatis in propositionibus loc. cit. ab Arist. assignatus, neque cum gradu perfectitatis confundi debet, licet enim non omnis propositio secundum quod ipsum sit quoque per se, non tamen e contra, nam dari potest propositio, quæ sit per se, licet non secundum quod ipsum, & talis est omnis propositio, in qua passio superioris prædicatur de inferiori.

ARTICULUS I.

Explicatur primitas, & immediatio præmissarum, ubi de propositione per se nota.

SUPPONIMUS ex 2. p. Inst. tr. 1. c. 4. primitatem, & immediationem non esse duas conditiones præmissarum, sed unam, & nil aliud significare, quam præmissas debere esse indemonstrabiles per aliud medium a priori, & in eodem genere, & consequenter quod seipsis cognoscantur, unde per se notæ dici solent; hinc orta est celebris illa difficultas inter veteres cum Scotistas, tum Thomistas, tum Nominales, quid sit propositio per se nota, quæ difficultas re vera est fere de nomine, ut Recentiores advertunt, & P. Fab. theor. 7. quapropter breviter erit explicandum prius, quod sit propositio per se nota in sententia Scoti, deinde quo pacto hæc conditio competat præmissis demonstrationis.

49 Circa primam partem difficult. not. ex Lich. idest d. 2. qu. 2. quod in propositione per se nota *ly per se* non sumitur, ut distinguitur contra per accidens, quasi quod esse nota dicatur de aliqua propositione in aliquo modo dicendi per se, sed ut distinguitur contra per aliud, itaut illa sit propositio per se nota, quæ non habet evidentiam ab alio; hinc definitur a Scot. 1. d. 2. qu. 2. A. eam esse, *quæ ex terminis propriis, qui sunt aliquid ejus, ut sunt ejus, habent evidentem veritatem*; ex quo deducitur non excludi cognitionem terminorum, quia inquit Doct. impossibile est, aliquam propositionem cognosci terminis illius ignoratis, nam secunda operatio intellectus præsupponit primam, unde dicebat Arist. 1. Post. 6. principia cognoscimus, inquantum terminos cognoscimus; & multo minus excludi debet potentia intellectiva per *ly per se*, quia notitia necessaria est ab intellectu; quare quod excluditur, est omne aliud, per quod tamquam per medium moveatur intellectus ad elicendum assensum in propositionem illam, sed statim ac apprehendit terminos illius propositionis, ut talis apprehensio cognoscatur evidenter connexionem inter illos & idcirco ait habere evidentiam ex terminis propriis, addit, *ut sunt ejus*, idest quando concipiuntur in eo sensu, in quo ponuntur integrare propositionem illam; nam termini possunt diversimode eandem rem significare, scilicet, confuse, vel distincte; ut sunt definitio, & definitum, definitio enim distincte significat, quod definitum confuse repræsentat ex dictis d. 1. q. 4. ar. 2. vult ergo Doct. quod illa sit propositio per se nota, cui assentit intellectus vi apprehensionis terminorum ipsius cognitorum modo, quo propositionem componunt, ita ut si terminus confuse repræsentat, ex cognitione confusa ipsius moveatur intellectus ad assensum, ut in hac propositione *Omne rotum est majus sua parte*, si distincte, ex cognitione distincta eliciat iudicium, non autem erit propositio per se nota, si ex termino confuse significante constaret, tamen ut assentiret intellectus, esset necesse, quod distincte conciperetur significatum illius termini; ut si aliquod prædicatum evidenter concipiatur convenire sub-

jecto ex cognitione distincta definitionis, non sufficeret autem cognitio confusa definiti, propositio, in qua prædicatum diceretur de definito, non esset per se nota, quia indigeret, ut evidenter perciperetur, alio termino, scilicet, definitione, qui non esset terminus ipsius, cum sit diversus a definito; ex dictis disp. cit. contra Thomistas, essetque per illud nota.

50 Hinc non recte Posnan. asserit in sent. Doct. requiri ad propositionem per se notam, ut semper ex cognitione distincta terminorum debeat moveri intellectus ad assensum propositionis, itaut nulla sit propositio per se nota, quæ ex terminis confuse significantibus constar. Hoc enim est contra ipsum Scot. cit. & contra Scotistas fere omnes, ut Licher. Tat. Bar. Fab. Sminsch. Vulpes, & alios, clare enim Doct. ibi ait, propositionem illam esse per se notam, si ex cognitione confusa terminorum statim evidenter appareat illorum connexio, absque eo quod distincte cognoscantur; imo subdit, quod propositio, quæ est per se nota terminis confuse conceptis, est etiam per se nota terminis distincte cognitis, non tamen e contra necessum est propositionem per se notam, terminis distincte perceptis, esse talem, si confuse accipiantur. Hæc tamen doctrina clarior apparebit, si dubia, & objectiones adferturorum dissolverimus.

Primo igitur dubitari potest ex Cajet. dicente, quod cum prima passio prædicatur de definito, quamvis illa propositio possit per definitionem probari, adhuc erit per se nota, saltem secundum se, licet non quoad nos, quia definitio, & definitum, quamvis quoad nos differant, non tamen secundum rem; Attamen hæc opinio explosa manet ex dictis disp. cit. ubi ostendimus definitionem, & definitum non differre solum ratione ratiocinante, sed ex fundamento in re, & per consequens nec secundum rem erit per se nota, sed demonstrabilis demonstratione potissima, quæ est a priori, & per causam, non quidem in cognoscendo tantum, sed etiam in essendo, ergo non solum quoad nos erit demonstrabilis, sed etiam in se spectata, nam ordo causæ in essendo non attenditur solum penes nostrum concipiendi modum, ut est ordo causæ in cognoscendo, qui in demonstratione a posteriori reperitur, verum etiam in rebus ipsas; unde principia immediata dicuntur indemonstrabilia secundum rem, & a priori, quamvis a posteriori, & quoad nos demonstrantur, ergo quælibet propositio a priori demonstrabilis erit secundum rem demonstrabilis.

51 Secundo dubitari potest ex Mayr. eo, quia dantur multæ propositiones indemonstrabiles, & consequenter per se notæ; & tamen non ex apprehensione terminorum, ut sunt propositiones cognitæ per sensum, ut nix est alba, ignis est calidus. Sed resp. faciliter has propositiones proprie nec esse indemonstrabiles, quia vere in nive datur causa per se albedinis, & in igne causa caloris, per quam demonstratione *propter quid* suo modo poterit calor de igne, & albedo da nive demonstrari, nec istas propositiones esse per se notas, quia non ex apprehensione terminorum cognoscuntur, sed cognitione sensitiva, & experimentalis, & consequenter per aliud, non per se; unde communiter negatur, propositionem aliquam contingentem esse per se notam, quia ex cognitione terminorum non percipitur ipsorum connexio, sed per aliud extrinsecum: nisi velimus dicere esse per se notas, quatenus primo a sensibus percipiuntur, ut infra.

Tertio dubitatur circa divisionem propositionis per se notæ, nam Thomistæ ipsam dividunt in propositionem per se notam, & per se noscibilem, vel in propositionem per se notam in se, & notam nobis: nota in se est, quæ nullum habet medium, quo possit probari connexio terminorum, tamen a nobis non cognoscitur, nisi per aliquod medium extrinsecum, nota nobis, & in se est, cum nos apprehendimus connexionem illam vi terminorum, quæ adhuc est duplex, vel enim est nota omnibus tam insipientibus, quam sapientibus, vel sapientibus solum, quo pacto Boet. in hebd. divisit communem animi conceptum, & Arist. 1. Top. cap. 3. divisit problema.

52 Hæc divisiones non approbantur a Scot. cit. nam prima non est bona divisio, quæ ex membris omnino distinctis constare debet, eadem autem propositio dici poterit per se nota, cum est actu cognita, & per se noscibilis, cum actu non cognoscitur, quæ cognitio accidit propositioni. Secunda vero, ut ibi explicatur, nec valet, quia propositio non solum formalis, sed etiam objectiva, ut propositio est, dicit ordinem ad intellectum: ergo si termini, ex quibus constar, non sunt apti ad causandum assensum, non erit per se nota in se, quapropter omnis propositio in se nota per se, erit etiam nota nobis seu possibilis a nobis cognosci, si termini conciperentur; at si nos cognitis terminis non cognoscimus evidentem connexionem, signum evidens non sufficere cognitionem illam, quam habemus de illis terminis, sed requiri cognitionem perfectiorem, quæ erit distincta, illa autem erit confusa, & sequenter propositionem illam ex se non esse per se notam, quia ad sui cognitionem requiri notitiam alterius propositionis ex terminis distincte significantibus constanem, sicut enim terminus confuse significans est diversus a distincte significante eandem rem, ita propositiones ex illis compositæ. Nec est eadem ratio de communi conceptu, & problemate, nam ista non non dicunt, nisi propositiones probabiles, quæ non ex terminis immediate percipiuntur, sed ex motivis, & rationibus probabiliibus, unde recte quædam sunt nota omnibus, quædam sapientibus tantum; prout magis vel minus convincunt rationes; at propositio

per se nota dicitur talis ex apprehensione terminorum, & quia tam sapientes, quam insipientes, ut cognoscant illam, necessario apprehendere debent terminos, qui statim causant assensum, sequitur, omnem propositionem per se notam esse talem sapientibus, & insipientibus.

Ideoque recentiores Neotherici, ut Aversa, & Ruyus hanc divisionem aliter explicant, scilicet quod propositio per se nota in se, est, quae constat terminis notioribus natura, per se nota nobis; quae ex terminis nobis notioribus componitur; & dicitur coincidere cum divisione illa Arist. de notioribus natura, & nobis tradita 1. Post. c. 2. & 1. Phys. c. 1. Sed quamvis recte dividat Arist. notiora nobis, & natura, quia quaedam ordine naturae prius nata sunt concipi, quaedam vero ordine doctrinae dicuntur notiora nobis, quia facilius percipiuntur, ut sunt sensibilia ex dictis d. 1. q. 6. tamen in rigore loquendo propositio per se nota non potest constare ex notioribus nobis, quia, ut contra Mayr. diximus, non sunt apti ad causandum assensum ex propriis rationibus; sed potius ex cognitione sensitiva, & experimentaliter intellectus assentit, ut in hac, nix est alba, quam etiam ipsi Adversarii respunt a ratione propositionis per se notae, licet deinde illam admittant, hac satis de propositione per se nota, vide Fab. theor. 7. & 1. sen. d. 14. c. 1. & alios Scotistas cit.

33 Circa alteram quaestio partem, an praemissae demonstrationes debeant esse immediatae, loquendo de demonstratione propter quid, est una opinio, quod ambae praemissae debeant esse immediatae, & indemonstrabiles non solum virtualiter, sed etiam formaliter; demonstratio vero solum virtualiter immediata sit demonstratio quia. Alia est opinio, quod sufficiat ad demonstrationem propter quid, ex virtualiter immediatis constare, dummodo demonstrans sciat resolvere principia virtualiter immediata in formaliter indemonstrabilia, ita docet Doct. 1. Post. qu. 11. in fin. quamvis non se declarat expresse, an prima demonstratio sit propter quid, vel quia.

Res est facilis negotii, primo enim certum est ad demonstrationem potissimum requiri, quod constet ex formaliter immediatis, & per se notis, cum enim in hac demonstratione concludatur passio de subiecto per definitionem subiecti ex dictis qu. praec. jam tam major, quam minor erunt immediatae, in majori namque passio dicitur de definitione, & in min. definitio de definito, quae praedicata immediate conveniunt propriis subiectis. Tum quia habere haec principia dicit perfectionem scilicet independentiam, ergo huic demonstrationi competet. At loquendo de demonstratione propter quid, in communi utraque opinio est probabilis; prima videtur habere fundamentum in Arist. nam 1. Post. c. 2. probans hanc conditionem principiorum ait, ex primis autem indemonstrabilibus, quoniam non sciet non habens demonstrationem ipsorum, scire enim quorum demonstratio est, non secundum accidens habere demonstrationem est: quibus verbis videtur innuere principia non per accidens sciri debere, hoc est non per aliud, sed seipsis, & text. 30. docet subalternatam scientiam demonstrare quia ex hoc, quod per principia solum virtualiter immediata procedit, ut explicavimus d. praec. q. 4. ar. 2. ad 1. princ. quod sensu declaravimus definitionem demonstrationis traditam ab Arist. 1. Top. supra qu. 1. art. 1. in fin. & 2. p. Inst. tract. 1. c. 4. Secunda vero opinio est satis probabilis, habetque suum fundamentum in Arist. nam in fine c. 2. docet aut omnia, aut quaedam principia melius cognosci conclusionem, quia scilicet quaedam dantur, quae demonstratione cognoscuntur, sicut conclusio, & talis erunt principia, virtualiter immediata, nec obscure colligitur ex verbis cit. pro altera opin. dum ait non sciet non habens demonstrationem ipsorum, id est si principia erunt mediata, oportet de ipsis habere demonstrationem, aliter nulla esset scientia: quam opinionem ut magis Scoticam, & communem secuti sumus. 2. p. Inst. tr. 1. c. 4. juxta quam dici deberet definitioem traditam 1. Top. non esse demonstrationis in communi, sed propter quid solum, ut innuimus supra qu. 1. ar. 2. ad 1. princ. similiter scientiam subalternam ut sic non demonstrare quia sed propter quid, quod etiam terigimus disp. praec. q. 4. ar. 2. respondendo ad 2. princ. in fine: in illis enim sententiis, in quibus non adfunt rationes convincentes, non debemus determinate alteram tantum partem sequi.

54 Dubium tamen esse potest; an principiorum resolutio debeat fieri usque ad prima principia universalissima, ut sunt principia metaphysicallia, quae dignitates appellari solent, itaut demonstrans non solum debeat resolvere suas conclusiones usque ad principia propria in determinato genere, & immediata, sed etiam usque ad prima, & notissima, an vero sufficiat resolvere principia in propria, & determinata. Et quidem quod necessario habens demonstrationem ex principis virtualiter immediatis, debeat habere notitiam principiorum formaliter immediatorum, a quibus illa essentialiter dependent, jam fufe ostendimus d. praec. q. 4. ar. 2. Tum quia in causis essentialiter subordinatis inferior non operatur, nisi actu concurrat superior, ergo principia virtualiter immediata nequeunt causare scientiam conclusionem, si principia formaliter immediata, a quibus in hac causatione essentialiter dependent, actu non concurrerent. Dubium igitur est de primis, & universalissimis principis, nam Aegid. Ven. in text. 19. & alii affirmant.

Oppositum tamen est verius, nam etsi formaliter ignoraret aliquis illa principia, posset adhuc habere demonstratio-

nem peculiaris concl. si propria, & immediata principia illius ignoraret. Tum quia unica, vel saltem paucissima essent demonstrationes potissimae, tot scilicet quot essent ista universalissima principia, quia omnia alia ab istis dependent, ergo non possent constituere demonstrationem potissimam, de cujus ratione est habere principia independentia quoad causationem concl. Tum quia nec concl. nec principia peculiaris demonstrationis quoad cognosci pender ex illis.

55 Dices dignitatem esse unum ex praecognitis ante demonstrationem ex 1. Post. 2. Tum quia explians text. 5. quae sint principia immediata demonstrationis, illa dividit in dignitates, & positiones, ergo utraque cognosci debent ante demonstrationem. Tandem quia veritas omnium principiorum pender a veritate dignitatum; ergo ad quamlibet demonstrationem concurrere debent etiam universalissima principia. Resp. quidam per dignitatem ibi exponunt principia propria, & immediata, ut diximus 2. p. Inst. tr. 1. c. 1. si vero intelligantur universalissima principia, vel est sermo de praecognitis ante omnem scientiam, vel si de peculiari demonstratione loquatur, praecogniti debent non formaliter, sed habitualiter, ut scilicet non adfit cognitio opposita in intellectu: vel si adhuc formalis cognitio ipsorum praexigatur ad demonstrationem, hoc erit, non quia requirantur ad causandam conclusionem, sed tantum, quia si a protervo negentur propria principia, non nisi per illa universalissima probarentur demonstratione ducente ad impossibile; tum quia etiam in propriis principis includuntur contracta, nam si verum est quodlibet, aut esse, aut non esse, verum quoque erit hominem vel esse, vel non esse animal rationale, & consequenter, si quis scit hominem esse rationale esse verum, scit quoque oppositum esse falsum, & hoc est, quod aliqui dicunt principia universalissima includi virtualiter in qualibet demonstratione. Ad 2. ibi loquitur de dignitate large, ut dicit principia cujuslibet scientiae, in qua dantur propriae dignitates, ut est locutus rex. 25. vel loquitur de demonstrationibus mathematicis, quorum multa ex talibus principis integrantur: vel tandem quia dignitates ingrediuntur quamlibet demonstrationem contractae per terminos speciales. Ad 3. patet ex dictis.

56 Hanc immediationem hucusque explicatam convenire diximus demonstrationi a priori, & per causam; ceterum si de demonstratione quia, & ab effectu loqui velimus, ipsa quoque debet habere sua immediata principia, quibus cognitio, quietatur intellectus, nec ultra progreditur inquirendo in tali ordine cognitionis, aliter vel daretur processus in infinitum, vel conclusio non esset scientifica; hac autem immediatio non est ejusdem rationis cum precedenti, nam quae convenit demonstrationi a priori, debet reperiri in principis se ipsis evidentibus, & non per alia propria, ad immediatio requisita ad demonstrationem a posteriori debet inesse in principis evidentibus non per alia principia in ordine cognitionis a posteriori, aliter non essent immediata, & talis est immediatio illarum propositionum, quae a cognitione sensitiva dependent, a sensibus enim omnis nostra cognitio originem ducit, quae propositiones, quamvis sint mediatae, & demonstrabiles a priori, sunt tamen a posteriori indemonstrabiles; ut cum Sc. in 1. d. 3. q. 4. E. diximus sup. qu. 1. ar. 2. ad 2. & si in hoc sensu Thomistae intelligunt propositionem per se notam quoad nos, potest admitti ipsorum opinio, ut supra ostendimus.

ARTICULUS II.

Ceterae conditiones dilucidantur.

57 Tertia conditio est, quod sint priores, quae praemissae referuntur ad conclusionem, nam aliquid dicitur prius per negationem prioris, dicitur prius per habitudinem ad posterius, unde aliqua propositio est prima, quia non habet aliam priorem, non ob id tamen erit prior respectu alicujus conclusionis, ut notat Scot. 1. Post. q. 11. sic Omne totum est majus sua parte, dicitur prima, non est tamen prior respectu hujus concl. omnis homo est risibilis, quia non dicitur habitudinem ad illam tanquam ad suam posterius. Dicuntur etiam praemissae priores, quia cum causent conclusionem, praecedunt ipsam ex dictis d. 11. q. 4. quae conditio sic explicata convenit etiam praemissis demonstrationis quia, nam istae quoque dicuntur causae concl. in cognoscendo. Aristot. autem intelligit de prioritate causae etiam in essendo, quo pacto solum praemissis demonstrationis propter quid convenit.

Quarta conditio est, quod sint notiores, occasione hujus oritur dubium, an praemissae debeant esse notiores natura, vel nobis, solet enim distingui, quod aliquid est notius natura, quia in se est perfectius, & independens, & consequenter prius aliquid est notius nobis, quod scilicet facilius cognoscitur a nobis, quia propinquius est sensibus, vel aliqua alia causa; circa quam divisionem, de qua vide d. 5. Met. q. 9. ar. 2. est not. quod quamvis Ar. 1. Post. 5. dicat non esse eadem nota nobis, & natura, tamen hoc asseruit, quia plerumque id accidit, verum potest evenire, ut quod est notius natura, sit etiam notius nobis, cum scilicet facilius cognoscitur causa, quam effectus, ut est de Sole respectu influentiarum. Cum igitur praemissae dicuntur notiores, quia loquitur Arist. de demonstratione propter quid, quae ex causis procedit, intelligi debet de notioribus natura, quae quandoque sunt notiora nobis; demonstratio autem quia, cum solum procedit ab effectu, est ex notioribus nobis ad notiora natura.

58 Rursum advertendum; quod praemissae per hanc conditionem dicuntur notiores conclusionem, id est magis, & perfectius nota; quae major perfectio tripliciter potest contingere, vel in certitudine, vel in evidentia, vel in gradu intensio- ne: certitudo est firma adhesio intellectus opposita formidini: evidentia est claritas in cognoscendo opposita obscuritati: graduum intensio est duplex, propria, seu gradualis, quae attenditur penes plures gradus ejusdem rationis specificae, ut album ut tria est intensius albo ut verum, vel est impropria, seu substantialis, quae sumitur in ordine ad plures gradus specificos, quo pacto Angelus dicitur immaterialior anima rationali, ut notant Conim. ex Tat. hic.

Dubium igitur est, an praemissae quo ad haec tria sint notiores conclusionem: supponimus autem cum communi tam certitudinem, quam evidentiam suscipere magis, & minus, patet de certitudine, quae cum dicat firmam adhesionem intellectus cum exclusionem totali formidinis, poterit intellectus magis, vel minus firmiter adherere, sicut magis, vel minor potest esse immutabilitas objecti propter plures vel pauciores causas immutabilitatis, & magis, vel minus necessariae possunt esse rationes assentiendi, cum quo magis, vel minus fiat totalis exclusio formidinis de opposito: ut Angelus est altero immaterialior; quamvis uterque excludat omnem materiam, & amor est magis, vel minus intensus, licet totaliter careat odio. Idem multo magis patet de evidentia, nam idem objectum potest magis, vel minus clare videri; item recollenda sunt quae diximus de veritate d. 10. q. 2. ar. 4. in fine.

Hurt. d. 11. Log. sec. 3. & Ovvied. controv. 10. negant praemissas esse magis certas, & evidentes conclusionem. Arriaga. d. 16. Log. sec. 3. quem hic seq. Ponc. quamvis admittat quamlibet praemissam posse esse certiorum, & evidentiorum conclusionem, & utraque esse evidentiorum, negat tamen ambas esse certiores. Alii apud Ruyum concedunt immediatas praemissas esse certiores, & evidentiores, non mediatas. Communis opinio cum Scot. q. 11. & 13. Post. admittit, praemissas simul, vel seorsim acceptas notiores esse in his tribus ipsa concl. ita recentiores omnes, quos longum esset recensere.

59 Dicendum igitur, praemissas simul, vel singillatim captas esse certiores, evidentiores, & perfectiores in gradu specifico ipsa conclusionem: loquimur autem de conclusionem, quatenus conclusio est, non quatenus propositio, id est ut est deducta ex principiis, & ad tertiam speciat operationem. Quod sint certiores, probat Arist. cap. 2. certitudo concl. causatur, & est propter certitudinem praemissarum, ergo major est certitudo praemissarum, antec. prob. quia certitudo propositiois provenit ex veritate objecti, & necessitate, at veritas & necessitas concl. est, & causatur a veritate, & necessitate praemissarum, conf. patet ex illo axioma propter quod unum quodque tale est illud magis, quod esse verum aliquibus conditionibus observatis ostendimus 2. part. Inst. tract. 1. c. 4. quae conditiones adfunt in praesenti, ut intuenti patebit: tum quia quod ex se est tale, perfectius habet formam, quam quod per aliud est tale, quia illud immediatius, hoc mediatus, quae ratio de quibuscumque praemissis concludit, quomodolibet consideratis.

Resp. Hurt. quem sequitur Ovvied. cit. axioma illud solum valere in causa finali respectu mediorum, non in aliis causis, nam non ideo ignis est calidior aqua, quia ex se est calidus, aqua vero ab igne, sed quia nulla qualitas aequae operatur intense, ac ipsa est, ad aliam probat. ait valere de agentibus in intentionis, non de agentibus, ut dant esse substantialiter, sic potest esse, quod praemissae sint certiores certitudine graduali, non vero substantiali, & adducit instantias, quae solent asserri contra illud axioma.

Sed verum esse axioma illud non solum in fine, & mediis, verum etiam in aliis causis, ibi ostendimus, & praecipue ex concessis arguitur, nam ideo plus amatur finis, quam media, quia bonitas finis movet voluntatem ad amorem mediorum; sed assensus praemissarum movet intellectum ad assensum conclusionis, ergo magis assentitur intellectus praemissis, & firmitus, quam conclusioni, patet conseq. quia si finis, quia est causa motiva, magis amatur, etiam praemissae, cum sint causae motivae, magis erunt certae. Quod addit de aliis causis; primo est dubium, an qualitas possit producere effectum sibi aequalem, de quo in lib. de Gen. Deinde hoc admissio, deducitur veritas illius axiomatis, nam posset alia reddi ratio, cur qualitas non producat effectum aequalem, nisi quia qualitas est talis seipsa, effectus vero habet entitatem ab illa, & consequenter deficere aliquo modo debet. Tandem si axioma illud valet de agentibus secundum gradus intentionem, valere debet de agentibus, ut dant esse substantialiter, quando sunt causae aequivocae, nam si praemissae sunt certiores certitudine graduali, multo magis certitudine substantiali, haec enim secundum Hurt. sequitur substantiam actus, sed substantia actus praemissarum est perfectior actu concl. quia hujus est causa aequivoca, quae semper est suo effectui perfectior, ergo &c. quod sint praemissae causae aequivocae, patet, quia vel praemissae sunt immediatae, & sic cognoscuntur habitu intellectus, qui specie distinguitur ab habitu concl. estque essentialiter perfectior; si sunt mediatae, cognoscuntur habitu scientiae, specie tamen distincto ab habitu concl. sed quoniam habitus concl. ab illo dependet, debemus in illo arguere majorem perfectionem, quam in isto, qui a pluribus dependet.

60 Hanc rationem de causis motiva Arriaga. cit. ait concludere ad hominem contra Hurt. non absolute, quia inquit, non ideo media minus amantur, quia propter finem appetuntur, nam Deus amat justum propter gratiam, non tamen magis diligit gratiam, quam istum, sed quia media non habent bonitatem dignam amore sic intento; at objectum concl. habet capacitatem terminandi tam certum assensum, sicut praemissarum objectum, & sic universaliter videtur illud axioma negare.

Sed ex iisdem principiis refellitur haec responsio, nam objectum conclusionis, cum habeat mediatam veritatem, & necessitatem, non erit capax tanta certitudinis, sicut objectum praemissarum, quod immediatam continet veritatem, & necessitatem independentem, haec enim dependentia in conclusione arguit minorem capacitatem certitudinis, sicut in mediis dependentia ad finem arguit minorem capacitatem amoris, & minorem bonitatem. Tum quia si quis diligeret Petrum, quia est filius Pauli, quamvis Petrus sit ejusdem bonitatis cum Paulo, attamen quia motivum amoris est relatio ad Paulum, quia scilicet est aliquid Pauli, remissior erit amor Petri, quam Pauli: sic quia intellectus idem assentit conclusioni, quia est aliquid praemissarum, minus assentire debet conclusioni, quam praemissis. Exemplum de gratia non est ad propositum, quia gratia non est causa amoris Dei erga justum, sed potius se habet, ut effectus, in quantum Deus ordinavit hominem justum habitu supernaturali gratiae condecorare, non enim gratia justificat hominem ex sui natura, sed ex ordinatione divina, ut docent Scotistae. Accedit principaliter, quod evidentia est causa certitudinis naturalis, non quod sit adaequata, nam datur certitudo sine evidentia, sed inadaequata, itaut quando adest, concurrat ad causandam certitudinem, nam firmitus adhaeremus iis, quae videmus, quam quae non videmus, sicut facilius ista negaremus, quam illa, sed praemissae sunt evidentiores conclusionem, ut concedit Arriaga, & mox probabimus, ergo sunt etiam certiores.

61 Secundo quod sint evidentiores, Prob. iisdem rationibus, quia omnem claritatem, & evidentiam conclusio recipit a praemissis. Tum quia praemissae habent perfectiorem notabilitatem, scilicet per se, & immediatam, conclusio imperfectiorem, quia per aliud, & mediatam, ergo evidenter praemissae cognoscuntur. Tum quia illa propositio est evidenter, quae vel est intuitiva, vel magis ad istam accedit, evidentia enim est clara objecti evidentia, & intuitio, unde clarius cognoscimus res sensibiles, quae notiores nobis dicuntur, quam insensibiles, & falso negatur ab Hart. quia res sensibiles nemo negavit. Deum autem aliqui negaverunt, quamvis ex sensibilibus ipsis existentia concludatur, qua ratione haec propositio Deus est, non dicitur per se nota nobis viatoribus, quamvis evidenter sciamus res sensibiles esse: ergo quia principia sunt per se nota, vel saltem accedunt immediatius principiis per se notis, quam conclusio, erunt evidentiora conclusionem.

Tandem de perfectione essentiali manet ex dictis probatum, quia praemissae sunt causae aequivocae conclusionis, de quarum ratione est, quod sint perfectiores essentialiter effectibus, quos virtualiter continent; nec obstat, quod sint partiales ex concursu intellectus; quia consideramus ipsas in ordine ad objecta, nam objectum praemissarum, quod est unio medii cum extremis, est causa objecti conclusionis, scilicet unionis extremorum, ergo objectum conclusionis erit imperfectius objecto praemissarum. Tum quia intellectus quicquid causat in concl. causat, ut secundatus praemissis. De perfectione graduali etiam ostenditur, quia regulariter causa aequivoca non causat effectum in inferiori gradu, quam sit ipsa, ut lux ut tria non causat calorem, ut quatuor, sed potius ut duo, ergo si assensus praemissarum est, ut duo, conclusionis assensus erit minor. Verum est autem, quod aliunde poterit assensus conclusionis intendi, scilicet ex majori conatu intellectus, ex imperio voluntatis, hoc autem est de per accidens.

In oppos. arg. 1. quod non sint certiores, aut evidentiores; Tum quia eodem modo uniantur extrema cum medio in praemissis, ac inter se in conclusione, imo eadem unione, quia uniantur inter se virtute illius principii. Quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, at ubi est eadem unio, & idem objectum, est eadem certitudo, ergo &c. Tum 2. unicum est motivum, & objectum formale in syllogismo, & conclusio, inquit Arriaga, respicit pro objecto non solum extrema conexa inter se, sed etiam cum medio, ergo nullum discrimen certitudinis. Tum 3. nequit assignari causa hujus majoritatis, si enim ponitur immediata connexio terminorum, sit peritio principii, hoc enim quaeritur, an ex ea oriatur major certitudo, vel evidentia, si ponitur minor distantia a lumine intellectus, est falsum, quia lumen intellectuale non se habet ut corporeum, quod minus illuminat objectum remotum. Tum 4. tam est certum Christum esse risibilem, quam hominem esse risibilem, quia illa est conclusio Theologica, quae est certior principio naturali. Tum 5. conclusio ex principiis fidei deducta non est incertior ipsis principiis, aliter non esset de fide, de cujus ratione est, quod habeat summam certitudinem, ergo idem dicendum de conclusione naturali.

62 Resp. ad 1. neg. eodem modo, & eadem unione uniri extrema cum medio, ac inter se, ut advertit Amic. tr. 26. d. 1. q. 5. ar. 7. nam unio cum medio est immediata, & independens, inter se est mediata, & dependens; nec illud principium

cipium oppositum docet, imo quia unio cum medio assignatur pro causa unionis extremorum inter se, deducitur esse diversam unionem. Ad 2. diximus d. præc. q. 3. a. 2. cum Scot. in 3. d. 28. in fin. & d. 23. d. aliud esse obiectum formale conclusionis, & præmissarum, quamvis obiectum concl. dependeat a præmissis; neque conclusionem includere assensum præmissarum, ut contra Arriag. ostendimus d. 11. q. 2. Ad 3. causam esse immediatam, & independentem connexionem terminorum, nec ob id petitur principium, quia iam assignantur plures rationes, cur hæc immediatio causet maiorem certitudinem, & evidentiam, ut fuso diximus in prob. concl. tum quia licet lumen intellectus non sit corporeum, tamen negari nequit, quin difficilius attingat, quæ magis distant a primis principiis, quam quæ magis accedunt, ut patet experientia, & ideo se habet quasi lumen corporeum. Ad 4. si loquimur de ista propositione, Christus est risibilis, quatenus est conclusio deducta ex illo principio naturali, homo est risibilis, est minus certa, at si consideretur, ut est propositio simplex de fide, poterit esse certior, sed nil ad rem, loquimur enim de propositione, at conclusio est, non ut propositio. Ad 5. neg. paritas ex Scot. 3. d. 23. D. quia mysteria fidei revelata non cognoscuntur diversis actibus specificis, sed eisdem specie, quia idem habent obiectum formale, scilicet revelationem divinam, at conclusiones habent diversum obiectum formale a principiis, nam principiis intellectus assentit ex terminorum apprehensione, conclusioni vero ex unione extremorum cum medio tanquam ex motivo, & ex ipsa unione formali extremorum tanquam ratione formali. *Quæ*: tum quia non implicat habere maiorem certitudinem de conclusionibus deductis ex principiis revelatis, ac de ipsis principiis, nam de istis habetur cognitio per fidem immediatam, de illis habetur cognitio discursiva, & consequenter a fide immediate non causata, sed mediata, & vi luminis naturalis intellectus, unde pertinent non ad fidem, sed ad scientiam theologiam.

62. Secundo ad idem ex Arriag. ista maior certitudo in præmissis, & non in conclusione sic potest explicari, ut si unum e duobus esset negandum, potius negaretur conclusio, quam aliqua præmissarum, quia de illa minore habemus certitudinem; sed hoc nequit reperiri inter assensum præmissarum, & concl. ergo æqualis est certitudo in omnibus min. prob. duobus exemplis, primum est, in hoc syllogismo *Deus est summa veritas, sed Deus revelavit se esse summam veritatem, ergo est summa veritas*, nequit dici, quod si neganda esset aliqua veritas ex illis, potius negaretur conclusio, quia hæc est eadem cum maj. secundum est in syllogismo particulari, nam si in præmissis scitur, omnes homines esse rationales, ex quo deducitur Petrum esse rationalem, videtur impossibile minorem habere certitudinem de concl. ac de præmissis, itaut potius negaretur conclusio, quam præmissæ, eo enim ipso, quod quis est certus, omnes homines esse rationales, & Petrum sub ly *omni* includi, certus est etiam eodem modo Petrum esse rationalem.

Resp. non recte majoritatem illam explicari per posse, vel non posse negari, repugnat enim conclusionem negari, si ex præmissis veris recte inferitur, melius declarabitur ex majori necessitate, & immediata terminorum connexionem; at si velimus loqui ex hypothesi impossibili, & tanquam per signum a posteriori, possumus admittere modum illum loquendi, quatenus minor certitudo est in conclusione, quam in præmissis; non quidem ut propositiones illæ sunt in modo, & figura dispositæ, sed ut considerantur in seipsis, unde minor certitudo est in hac propositione, Petrus est rationalis, quam in ista, homo est rationalis, quia minor necessitas scilicet mediata, sed ut sunt in syllogismo dispositæ, nequit negari conclusio, quia simul negarentur præmissæ ex hoc, quod se habent ut causa, & effectus, nec inferas, ergo eadem necessitate sunt necessaria, quia adhuc stat, quod veritas concl. sit mediata, & minus necessaria; sicut posito decreto Dei, quod nunc sit Petrus, necessario existit, nec poterit negari Petrum esse, quin etiam negetur divinum decretum, & tamen non est eadem necessitas immutabilitatis hic, & ibi: similiter ex omnipotentia Dei inferitur possibilitas creaturæ, etsi hæc negaretur, auferretur etiam Dei omnipotentia, ex quo falso deduces eandem necessitatem, & obiectivam certitudinem esse in antecedenti, & consequenti.

64. Tertio Ar. 1. Post. c. 2. in fin. ait esse magis credendum, aut omnibus principiis, aut quibusdam, ergo non omnia sunt certiora. Tum 2. conclusio aliquando est sensu nota, vel pluribus demonstrationibus, ergo in his casibus excedit. Tum 3. præmissæ demonstrationis *propter quid* sciuntur demonstratione *quia*, ergo imperfectius, nam perfectior est scientia *propter quid*, quam scientia *quia*. Tum 4. si minus evidenter conclusio sciretur, ita ut ad diminutionem certitudinis præmissarum minuat certitudo concl. tandem esset deveniendum ad concl. nullius certitudinis, quia finitum per ablationem finiti consumitur. Tum 5. potest conclusio probabilis esse intensior scientifica, si ex intensioribus præmissis deduceretur, & sic perfectior. Tandem axioma illud non valet in causis æquivocis, præmissæ sunt causæ æquivocæ conclusionis, ergo &c.

Resp. Arist. ibi loqui de perfectiori assensu, qui dicitur intellectus, quo solum assentimur principiis immediatis, non negavit tamen principia mediata etiam perfectius cognosci, quia independentius, quam conclusio, licet cognitione scientifica alterius speciei. Ad 2. patet ex dictis nos loqui de con-

clusionem, ut pendet a præmissis; tum quia non esset eadem formaliter conclusio, sed materialiter, quia ad variationem mediorum variatur. Ad 3. cum principia a posteriori sciuntur, habent rationem concl. quomodo autem possint deinde assumi pro principiis in demonstratione *propter quid*, dicemus q. seq. Ad 4. non magis concludit, quam si formaliter contra oppositam sent. five enim sit minor certitudo concl. five æqualis, potest minui, ergo veniemus ad non certitudinem; quare dicimus talem diminutionem fieri per partes proportionales, sicut enim diminutione certitudinis præmissarum non pervenitur ad non certitudinem, neque in diminutione certitudinis conclusionis, nam in diminutione datur processus in infinitum ex dictis in Phyl. d. 9. & 10. tam in gradibus eisdem rationis, quam diversæ rationis. Ad 5. effect per accidens perfectior, sed essentialiter imperfectior, sicut cognitio substantiæ, ut duo, est accidentaliter imperfectior, & essentialiter perfectior cognitione accidentis, ut tria. Ad 6. respondet Scot. q. 13. Post. quod quamvis secundum proprias, específicas rationes non sint proprie comparabilia principia, & conclusiones, quia conclusio est scita scientifice, principia vero per habitum superiorem, attamen, ut conveniunt in communi cognitione certa, & evidenti, possunt comparari, & de ipsis, ut sic, verificatur illud axioma.

Hæc doctrina etiam suo modo applicari potest præmissis demonstrationis ab effectu, nam quamvis juxta ordinem obiectorum perfectior sit conclusio, attamen in ordine ad nostram cognitionem e contra res se habet, quia tunc perfectius cognoscuntur effectus, & notiores dicuntur respectu nostri.

65. Quinta conditio, quod sit *ex causis* satis est explicata 2. p. Inst. tr. 1. c. 4. ubi contra Amic. ostendimus sufficere causas virtuales, quod potest colligi ex Scot. quol. 7. A. & I. ubi demonstrationes de Deo vocat *propter quid*, idem habet q. 3. prol. & alibi; fuso etiam supra ostendimus, quomodo causæ possint esse medium demonstrationis *propter quid*; quibus in locis declaravimus sextam conditionem, quod sit *ex propriis*. Reliquæ quaque conditiones satis dilucidatæ manent in 2. p. cit. c. 3. & 4. ubi secundum communione opin. intentum Arist. patefecimus, nec occurrunt nisi difficultates quadam levioris momenti, quæ passim apud Doct. videri possunt, solum est not. quod sicut dantur propositiones de omni posteriorifico, cum scilicet prædicatum convenit omnibus contentis sub subiecto, & semper, ita dantur propositiones de nullo posteriorifico, quando prædicatum nulli contento sub subiecto, & nunquam competit, quæ demonstrationi negativæ inferunt, Rursus ad demonstrationem potissimam primam, & secundam modis solummodo inferunt, tamen demonstrationi *propter quid*, vel *quia* etiam alii modi adaptari possunt, & hoc modo intelligendum est Arist. cum 1. Post. 10. negat alios modos præter primum, & secundum esse demonstrativos; & Scotus q. 16. Post. cum idem docet in sent. Lincon.

Q U Æ S T I O IV.

De circulo, & regressu demonstrativo.

66. SI circulus in rigore sumatur, est species syllogismi a regressu distincta, ac si fusa acceptione, sic erit genus ad circulum rigorosum, & regressum, unde syllogismus circularis dici solet, quo Arist. 2. Prio. c. 5. & Scot. ibi q. 4. diciturque circularis non absolute, sed in habitudine ad aliquem priorem syllogismum, eo quod revertitur ad aliquam præmissam, a qua prior syllogismus processit, sicut motus circularis, qui sit revertendo ad illud, unde venit mobile; quare quod huic circulari syllogismo convenit tanquam generi, erit in circulo rigoroso, & regressu tanquam speciebus. Breviter igitur de hoc genere aliqua expendemus, deinde species aperiemus.

Syllogismus itaque circularis, inquit Scot. cit. est *ex conclusionem, & conversam unius præmissarum alterius præmissæ illatio*; ex quo elicitur duplicem processum, seu syllogismum intervenire, cum circulariter syllogizatur, & secundus syllogismus est, qui circularis dicitur in ordine ad primum, in hoc primo arguitur a præmissis dispositis in modo, & figura, in secundo a conclusione primi cum propositione convertente alterius præmissæ ad inferendam aliam præmissam in eodem modo, & figura. Hinc notat Ar. ib. ut ex veris procedere possit ille syllogismus, & concludere, debere fieri ex terminis convertibilibus; ratio est, quia una præmissarum debet converti conversione simplici (non alia conversione, aliter mutaretur quantitas, vel qualitas propositionis, & sic non esset in eodem modo) unde si termini non essent convertibiles, propositio convertens non esset vera: exemplum, omne rationale est risibile, omnis homo est rationalis, ergo omnis homo est risibilis, sit syllogismus circularis in Barbara hoc modo, omne risibile est rationale, omnis homo est risibilis, ergo, &c. in quo concluditur min. per concl. & convertentem majoris primi syllog. vel omnis homo est risibilis, omne rationale est homo: ergo omne rationale est risibile, concluditur major per conclusionem, & convertentem minoris primi syllog.

Deinde docet Arist. an possit in qualibet figura circulariter syllogizari, & in quolibet modo, & dat hæc regulas, prima est, quod in modis particularibus præmissa universalis non potest circulariter syllogizari, quia non concluditur univer-

liter, nisi ex ambabus præmissis universalibus, & ex prius particularibus nihil potest inferri. Secunda est, in modis negativis præmissa affirmativa non potest circulariter concludi; quia præmissa affirmativa inferitur ex ambabus affirmativis, illæ autem in casu ambæ essent negativæ, ex quibus nil recte sequitur, vide Tat. in expositione textus, & hæc satis de genere.

67. Circulus, & regressus demonstrativus sunt species istius syllogismi; differunt inter se, quia circulus procedit semper in eodem demonstrandi genere, scilicet a priori, & *propter quid*, seu per causam, quod potest primo contingere, vel in diverso genere causæ, ut cum ex causa finali ostendimus causam efficientem, & deinde ex causa efficienti probamus finem, sive cum ex forma inferimus materiam, & ex materia formam; vel secundo evenire potest in eodem genere causæ, ut cum ex causa materiali inferunt effectus, deinde assumimus effectum pro medio a priori in genere materialis causæ, & concludimus causam materialem, quæ prius erat medium, & hoc dupliciter, vel enim concluditur eadem omnino numero causa, vel eadem specie. Regressus autem non procedit in eodem genere demonstrandi, sed diverso, nam unus syllogismus est demonstratio *quia*; alter demonstratio *propter quid*.

Uterque autem tam circulus, quam regressus potest dupliciter fieri, ut advertunt Conimb. Ayerfa, Blanc. & Jo: de S. Th. vel quod conclusio assumpta pro præmissa non aliter sit nota, nisi ex vi prioris syllogismi, in quo ex præmissis fuit illata, & hic discursus dicitur circulus, vel regressus uniformis, formaliter, & proprie; vel quod non solum sit cognita per priorem syllogismum, sed etiam alia via, itaut cum loco præmissæ substituitur, sit illa modis magis nota, ac quando erat conclusio, & hic discursus dicitur circulus, aut regressus difformis, materialiter, & improprie, quia non revertitur ab eadem notitia, ad quam per priorem syllogismum perventum erat, sed ab alia perfectiori.

Circulum admiserunt Antiqui apud Ar. 1. Post. c. 3. ponentes omnium dari demonstrationem, & scientiam, itaut idem respectu ejusdem esset causa, & effectus, notius, & ignotius. Ex opposito Niphus 1. Post. com. 35. referent Amic. tr. 26. d. 2. q. 4. dub. 1. omnem respuit circulearem demonstrationem, sive in eodem, sive in diverso genere causæ. Communis sent. admittit in diverso genere causæ; at Alex. 3. qu. nat. c. 5. Apollin. q. 18. Post. art. 2. & Amic. c. in aliquibus casibus concedunt in eodem genere, non tamen in isdem numero rebus.

Regressum negant quamplures, aut saltem tanquam inutilem rejiciunt, ut Neritonensis, & Ugo Senensis in artem parvam Gal. Communis sensus tum veterum, tum recentiorum affirmat dari regressum, & utilem esse in scientiis, licet sit aliquod discrimen, nam quidam volunt, tunc utilem esse regressum, si demonstratio *quia* præcedit, demonstratio *propter quid* subsequitur, ita Cajet. Bald. & Amic. quidam, ut Ayerfa, docent semper utilem esse, qualicumque præcedat demonstratio.

68. Dicimus primo; nequit circulus in omnibus admitti, sed in aliquibus, tam in diverso genere, quam in eodem genere, non tamen in isdem numero rebus. Prob. 1. quod non debet circulus in omnibus ex Ar. 1. Post. c. 3. & 2. Prio. c. 5. ubi Scot. q. 4. nam si de omnibus posset dari circulus, jam quælibet præmissa esset circulariter demonstrabilis, quod esse falsum ostendimus supra, cum de syllogismo circulari loqueremur, & præsertim in Ferio nulla præmissa potest circulariter demonstrari, non major, quia universalis non inferitur ex particulari, qualis est minor, neque potest minor inferri, quia affirmativa non deducitur ex negativæ, qualis est major, solum ergo in Barbara, & cum termini sunt convertibiles, possunt ambæ præmissæ circulariter deduci. Tum quia non quodlibet est prius, & posterius natura, causa, & effectus, notius, & ignotius natura respectu ejusdem, etiam in diverso genere causæ, quod esset necessarium, si de omnibus daretur circulus, nam in isto semper proceditur demonstratio *propter quid*, & consequenter a prioribus, & notioribus natura, & a causis.

69. Secundo, quod possit admitti circulus in diverso genere causæ, patet ex dictis qu. 2. ar. 3. ubi cum Ar. ostendimus posse unam definitionem unius generis demonstrari per aliam alterius generis de definito, & e contra; & fundamentum habet in dicto Arist. 2. Phyl. 30. quod causæ sunt sibi invicem causæ, quod, quomodo sit intelligendum, fuso explicavimus d. 8. Phyl. q. 1. ar. 1. ubi hanc mutuam causalitatem, licet non secundum existentiam causarum; sed secundum diversas rationes posuimus non solum in diverso genere causæ, sed etiam in eodem, dummodo non sint eadem numero causæ, sic in genere causæ materialis ex pluvia generatur vapor, & ex vapore pluvia, ut ait Arist. 2. Post. 15. & 2. de gen. 63. item actus in genere efficientis causæ causant habitum, qui effective concurrunt ad productionem aliorum actuum; in eodem etiam genere piper calefacit stomachum, & a stomacho per alium numero calorem calefit; ex quibus manet probata ultima pars conclus. Quod autem aliqui respondent in his non esse perfectum circulum, quia non regreditur ad eandem numero causam, & in eodem genere: parum refert, quia sic conficiunt quæstionem de nomine, sufficit, ut uterque processus sit *propter quid*.

Dices demonstratio est universalis, casus adducti de causis ad invicem in eodem genere sunt particularium, ergo nequeunt de illis confici demonstrationes circulares. Resp. etiam de illis casibus conficiuntur universales propositiones, nam

cum vapor est medium ad inferendam pluviam, supponit pro omnibus vaporibus, ex quibus fit, vel est generata pluvia, vel generabitur, & pluvia supponit pro illis, quæ ex vaporibus sunt generatæ, vel generabuntur, idem e contra dicendum, cum utimur pluvia pro medio.

70. Dicimus secundo, regressus est possibilis, & utilis scientiis; ita Scot. quol. 7. A. q. 3. prol. ad 3. princ. ut notat P. Faber theor. p. clarius 2. Prio. q. 4. & prob. ex Ar. 1. Post. c. 10. ubi dat duplicem demonstrationem *quia*, & *propter quid*, & ait, quod quando termini sunt reciproci, potest fieri transitus de una ad aliam; affert exemplum de non scintillatione planetarum, quæ a priori probatur per esse prope nos, & a posteriori demonstrat planetarum propinquitatem, & de illuminatione paulatim Luna, & ipsius sphaerica figura; idem docet c. 3. & 1. Phyl. c. 1. ubi dat modum investigandi ex notioribus nobis notiora natura, quando hæc funt immanissimiora; & 8. Phyl. 52. ex motu æterno probat æternitatem motoris, & text. 53. ex æternitate motoris ostendit morum æternum 1. de An. 11. docet ex notitia essentia: nos devenire in cognitionem accidentium, & ex cognitione accidentium in notitiam essentia: 1. Phyl. 62. ex rerum corruptibilitate demonstrat existentiam materia: & 1. de Gen. c. 1. ex materia a priori demonstrat corruptibilitatem. Tum quia possibile est effectus esse nobis notiores, quam sint propria: causæ; ergo poterunt demonstratione *quia* inferre suas causas; deinde causas esse notiores natura cognitione distincta, ergo per ipsas poterunt *propter quid*, concludit effectus. Est etiam utilis, quia hæc via ab effectu ad causam est nobis innata a natura, ut ait Arist. 1. Phyl. c. 1. & 1. Met. c. 1. & nonnulli hæc via ex notioribus nobis fuerunt adinventæ scientiæ; quare si deinde non eliceret reverti a causa ad effectum, nullæ, vel paucissimæ darentur scientiæ *propter quid*. Tum quia per regressum a causa ad effectum, ubi prius erat effectus nobis confuse notus, & per sensum, sic cognitum distincte, scientifice, unde alias proprietates possumus deinde de effectu investigare, quæ prius ignorabantur, ut clarius ex concl. seq.

71. Dicimus 3. neque circulus, neque regressus uniformis, formaliter, & proprie est possibilis, sed difformis, materialiter, & improprie; ita colligitur ex Scot. 1. Prio. qu. 4. ubi ut verum supponit syllogismum circulearem debere procedere ex præmissis magis notis, quam per primum syllogismum fuerint cognitæ; & aliis locis infra cit. Prima pars, quod non sufficiat in circulo, vel regressu, quod procedat ex concl. solum cognita vi prioris syllogismi, est Arist. 1. Post. c. 3. hoc enim probant rationes, quas contra circulearem adducit; Tum, quia idem esset notius, & ignotius respectu ejusdem, & per seipsum probaretur, essetque seipso prius, & notius; prima consequ. prob. nam quilibet syllogismus debet procedere ex notioribus ex dictis quæst. præced. artic. 2. ergo concl. primi syllogismi jam erit notior, & præmissa illa ignotior, & hoc eadem omnino notitia, qua prius noscebatur non tam intense; Secunda consequ. etiam patet, quia si præmissa illata in regressu nosceretur per concl. primi syllogismi tanquam per causam saltem in cognoscendo, quæ concl. in primo syllogismo cognoscitur per eandem præmissam tanquam per causam, jam probaretur in secundo syllogismo per seipsum, essetque seipso prior, & notior, quod enim est causa causæ, est causa causati.

Nec valet illa responsio, quod possit idem esse causa, & effectus prius, & posterius in diverso genere causæ, vel notius, & ignotius in diverso ordine cognoscendi, notius v. g. nobis, ignotius natura; Non valet, hoc enim impugnat, quod non possit in hoc casu idem habere rationem effectus, & causæ: nam si conclusio, ut cognita per primum syllogismum non habet maiorem cognitionem, non potest esse causa cognoscendi aliquam præmissarum, nec in eodem, nec in diverso genere causæ, quia ut sic est minus nota, & ut potest demonstrare, deberet perfectius cognosci, quam præmissa demonstrabilis. Tum quia cognitio, quam habet conclusio per primam demonstrationem, est cognitio, quam habet conclusio per primam demonstrationem *quia*, ergo ut sic cognita non potest in regressu, vel circulo *propter quid* inferre, ut præmissa, quia præmissæ in hac demonstratione debent cognosci cognitione immediata, si vero prius scitur demonstratione *propter quid*, cognoscitur cognitione distincta, & minus, quam præmissæ, ergo ut sic cognita non potest assumi, ut præmissa in demonstratione *quia*, in qua præmissæ sunt notiores conclusione cognitione confusa, & quo ad not.

Ex his patet probatio secundæ partis conclus. scilicet, quod concl. assumpta in circulo, vel regressu, debet perfectius, & aliunde cognosci, quam sit per priorem demonstrationem cognita. Sed valde difficile est explicare, quo pacto conclusio illa magis sciatur; duo tamen modi poterunt assignari ambo ex Scoto deducti, qui fere in unum coincidunt.

72. Primus modus docetur a Scot. 1. d. 3. q. 4. E. ubi declarans, quo pacto sciuntur conclusiones, inquit, quod potest haberi experientia de concl. scilicet quod eclipsetur Luna, & tunc per viam divisionis, & resolutionis inquiritur causa, qua via devenitur, quandoque ad principia nota ex terminis, & tunc ex tali principio potest conclusio prius tantum experientia nota certius cognosci, scilicet scientifice: sic inquirendo causam eclipsis, potest deveniri ad hoc principium per se notum quod opacum interpositum inter luminosum, & perspicuum impedit luminis multiplicationem ad perspicuum, &

si per resolutionem inventum fuerit, quod terra est tale corpus interpositum inter Solem, & Lunam, eclipis scietur, non solum experientia, sed etiam *propter quid*. Ex qua doctrina elicitur hic processus in regressu, ut prius cognoscatur confusus effectus, scilicet experientia, quod existat. Secundo resolutorie inveniatur causa abstrahendo ab hoc, quod effectus sit, vel non sit in tali subiecto. Tertio demonstratione *quia*, per effectum demonstratur causam esse in tali subiecto; & totus hic processus est confusus, nam effectus tunc distincte cognoscitur, quando per causam sit notus, confusus vero, cum via sensus percipitur; causa etiam confuse cognoscitur, quia solum scitur, quod sit, non quid sit. Tandem postea a priori, & distincte effectus demonstratur per causam, qui regressus est necessarius, ut habeatur certissima cognitio, & scientifica de rebus.

72 Secundus modus innuitur a Scot. quol. 7. A. ut optime adverteit P. Faber cit. explicans enim quomodo possit aliqua veritas de effectu esse videns absque eo, quod cognoscatur *propter quid*, inquit quia *propter quid non habetur a sensu nisi mediante ulteriore cognitione*, quibus verbis insinuavit, quod suffe postea declaravit Zab. lib. de regressu cap. 4. & 6. videlicet, quod primo demonstratione *quia* probetur causa: secundo non statim fiat regressus, sed paulisper juxta majorem, vel minorem intellectus perspicacitatem sistatur in cognitione distincta causa investigando ulteriori cognitione, & aliis viis quid sit causa, & qualis sit connexio cum effectu, quae cognitio erit perfectior, quam illa habita per demonstrationem *quia*; & tandem post hanc mentis negotiationem fit demonstratio *propter quid*; quod etiam voluit significare Scot. cum in p. cit. dixit per divisionem quandoque deveniri ad principia nota ex terminis idest inventa causa, & circa ipsam negotiando sunt nobis nota principia immediata. Hunc modum observavit Arist. nam 1. Phys. ex generatione investigavit existentiam materiae,

deinde aliis mediis perfectius aperuit naturam materiae multas passiones declarando, ut quod sit susceptiva contrariorum, quorum natura est mutuo se expellere ab eodem subiecto, quare materia modo est sub forma, modo sub privatione, qua tandem distincta cognitione supposita, a priori demonstrat 3. de Gen. materiam esse causam transmutabilitatis. Et quoniam ut plurimum praecedat cognitio effectus confusa; idcirco regulariter regressus fit a demonstratione *quia* ad demonstrationem *propter quid*, & deinde, si vero prior esset demonstratio *propter quid*, & deinde effectus cognosceretur non solum illa demonstratione, sed experientia, & consuetudine, non erit improbabile posse tunc fieri regressum ad demonstrationem *quia*, quamvis prior sit frequentior, & nostrae cognitioni accommodatior.

74 Quod dictum est de causa, & effectu in regressu, dicendum erit de duabus invicem causis in circulo, scilicet quod causa assumpta pro medio in circulo prius aliis viis perfectius cognoscatur, ita ut habeatur de ipsa cognitio immediata, nam causa, ut causa immediata debet cognosci, licet ut effectus immediate cognoscatur.

Ex his patet, quomodo rationes Ar. contra circulum non officiant nostrae sent. non enim sequitur idem eodem modo cognitum esse notius, & ignotius, prius, & posterius, aut per se ipsum probari eadem ratione, ut deducebatur ex regressu uniformi, & formaliter, sed solum idem uno actu cognitum esse notius cognitum alio actu, & ut sic posse esse prius, vel posterius &c. qua ratione hic discursus dicitur circulus, vel regressus materialis, quia revertitur ad eandem materiam, ille vero dicitur formalis, quia esset regressus non solum ad eandem rem, sed etiam ad eandem cognitionem formalem, videte P. Fabrum citat. qui rationes in contrarium solvit ex professo.

DISPUTATIO DECIMAQUARTA.

De Syllogismo Topico, & Elencho.

1 Syllogismus in Communi sepius docuimus ratione materiae dividi in tres species, Demonstrativum scilicet, Topicum, & Elenchum: de primo satis egimus in duabus precedentibus disp. tam quoad effectum, quem parit, quae est scientia, quam quoad materiam, ex qua confici debet, restat pro complemento hujus operis de Topico, & Elencho pertractare, quod in hac unica disp. absolvemus correspondente libris Top. & Elench. Ut autem exacta habeatur cognitio de his syllogismis, duo essent investiganda, materia scilicet, ex qua componuntur, & effectus, quos producant; de materia suso dividimus 2. par. Institui. tractat. 2. & 3. remanet igitur, ut aliqua de effectibus subjungamus; effectus Syllogismi Topici est opinio, Syllogismi Elenchi, vel apparentis est error; quorum cognitio maxime confert ad cognitionem scientiae, cui opponuntur; error enim ex opposito contrariatur scientiae, opinio vero cum mediet inter errorem, & scientiam, erit opposita utriusque, sicut colores medii contrarii dicuntur extremis.

QUESTIO PRIMA.

Quid sit opinio, & quomodo a scientia differat.

1 Ari habitum opinionis ambigit nemo, & probat Arist. ipse 1. Post. c. 24. quia praeter propositiones necessarias dantur etiam contingentes, sed haec non possunt cognosci per scientiam, vel habitum principiorum, cum objecta horum habituum sint propositiones necessariae, ut in superioribus visum est, ergo cognoscuntur per alium habitum, qui dicitur opinio; clare autem apparebit discrimen inter scientiam, & opinionem, cum explicatum fuerit, quid sit opinio & in quo ejus formalitas consistat. Ar. cit. text. 44. eam definiens inquit, quod est *estimatio, idest assensus immediate propositionis, & non necessariae*, pro cuius definitionis intelligentia sciendum ex Ar. ibi, quod sicut in propositionibus necessariis duplex assignatur habitus, unus, qui dicitur intellectus, & versatur circa propositiones immediatas, alter, qui versatur circa mediatas, & dicitur scientia, ita etiam in propositionibus contingentibus duplex assignari debet habitus opinionis, unus, qui circa mediatas, alter, qui circa immediatas propositiones versatur. Ratio est, ut notat Jo. de Mag. 1. Post. q. ult. quia sicut datur status in praedicatis essentialibus, ita & in accidentalibus, & ideo cum in eorum probatione non deveniatur ad propositiones necessarias, quia ex necessario non sequitur contingens, pervenimus utique ad aliquas contingentes primas, ac immediatas, quibus assentiamur ex probabilis connexionione terminorum, qualis erit haec: *Omnis mater diligens filium*, illa enim in serie contingentium ab omnibus acceptatur ut vera, aliud exemplum affert Jo. de Mag. sed nos commune adduximus. Itaque allata definitio est opinionis sine discursu, non autem illius, quae cum discursu habetur, quae rursus est duplex; ut ait ib. Jo. de Mag. *propter quid, & quia* sicut enim notitia alicujus necessarii accepta per propositiones necessarias immediatas dicitur *propter quid*, accepta vero per mediatas dicitur *quia*, sic etiam notitia alicujus veri contingentis accepta per propositiones immediatas, & contingentes dicitur opinio *propter quid*, accepta per mediatas dicitur *quia*.

3 Ut igitur praefata definitio possit applicari opinioni per

discursum habitae, quae scientiae correspondet, loco propositionis immediatae ponenda est mediata, ut in summa dicatur, quod opinio discursiva est *acceptio propositionis mediate non necessariae*, imo si non specificetur, quod propositio sit mediata, vel immediata, definitio conveniet opinioni in communi ad utramque, & solet sic passim ab Auctoribus explicari, quod *Opinio sit cognitio, seu assensus determinatus alterius partis contradictionis cum formidine alterius*, per hoc, quod dicitur cogitatio, vel assensus, convenit cum scientia, & aliis notitiis necessariis; per hoc, quod dicitur determinatus, secernitur a dubio, & suspitione, quia dubitans in neutram partem declinat, sed manet anceps, ut notat S. Th. 2. 2. q. 4. art. 1. suspiciens vero, esto magis in unam partem propendat, quam in aliam, quia tamen levibus moveretur inditiis, & conjecturis, ideo non assentitur illi determinate, at vero opinans, utpote innixus magis urgentibus alteri parti determinate adheret. Quia tamen adhuc ista determinata adhaesio non est ita fixa, & stabilis, ut sit sine ulla formidine alterius partis, per hoc secernitur a scientia, quae est sine ulla prolixius formidine, cujus ratio est, quia & ex natura objecti, circa quod versatur, quod est necessarium, ac impossibile aliter se habere, & etiam ex modo quo circa illud versatur, nimirum cum certitudine, & evidentia assensus, scientificus ita se habet, ut involvatur in eo virtualiter inclusum iudicium de impossibilitate sui oppositi, & ideo est adhaesio determinata ad alteram partem sine formidine; & contra vero quia opinio, aut versatur circa objectum variabile, ut sic, ac potens aliter se habere, aut si versatur circa objectum necessarium, non tamen modo necessario, quia utitur ad illud medio probabilis, & dialectico, quod potest in probatione deficere, ideo formidini semper obnoxia est, aut ex uno, aut ex alio capite, ita ut in assensu opinativo saltem virtualiter, involvatur iudicium, quod vel ejus objectum potest aliter se habere, vel medium quod utitur a probatione deficere.

4 Sed hic dubitari solet, an, & quomodo de ratione opinionis sit formido de parte opposita. Ratio dubitandi est, quia propositionibus contingentibus immediatis assentimur absque ulla formidine, ac etiam quibusdam historiis, imo quidam suis opinionibus ita firmiter adherent, ut oppositas prolixius falsas existiment, ut evenit inter Thomistas, & Scotistas, atque ita notavit Ar. ipse 7. Ethic. c. 3. Accedit, quod formido auferre videtur determinationem ad alteram partem, si ergo talis deter-

Qu. I. Quid sit opinio, & quomodo a scientia differat.

determinatio est de essentia opinionis, nequit esse formido. Hac de causa licet Jo. de Mag. loc. cit. & Tar. ib. teneant formidinem esse de essentia opinionis, & Camerar. nuper quaeft. 14. Log. alii tamen Scotistas, ut Mair, 3. d. 24. qu. un. art. 6. & Bassol. quaeft. 1. Prolog. quos sequuntur Recentiores quamplures, oppositum docent, afferentes formidinem per accidens interdum aliquam opinionem comitari, nimirum vel ex dispositione recipientium medium sic non adherendo firmiter, vel ex aequalitate rationum ad partes opinatas, vel ex aliquo alio accidente, ait Bassol. addit Mair. formidinem esse de ratione opinionis falsae, non autem verae.

5 Ceterum, si isti Scotistas (ut re vera velle videntur) intendat negare de ratione opinionis esse, ut vel habeat actualiter annexam, vel saltem aptitudinaliter formidinem de parte opposita, sane audiendi non sunt; quia ita destruent discrimen inter certitudinem scientiae, & probabilitatem opinionis, quod certe alio modo assignari nequit, nisi dicendo, quod scientia est cognitio, quae ex suo genere, & ex natura objecti, circa quod versatur, & modo, quo circa illud versatur, est incapax falsitatis, ac proinde etiam formidinis de parte opposita; & opinio & contra est cognitio ex suo genere, cui potest subesse falsum, quod constat etiam de ipsa opinione vera, si enim talis opinio versatur circa objectum contingens, esto quatenus vera includat conformitatem cum eo hic, & nunc, tamen quia objectum est in se variabile poterit illa cognitio ex genere suo, & ex objecto esse falsa, si etiam versetur circa objectum necessarium procedendo ad illud per medium probabile, etiam si dicat conformitatem cum eo, adhuc tamen ex modo procedendi potest esse falsa, quia medium, cui innititur, licet sit probabile, non tamen necessario verum; ergo opinio est talis cognitio ex genere suo, ut si non actu semper habeat annexam formidinem, illam tamen habere potest, quia tum ex objecto suo, tum ex modo procedendi potest illi subesse falsitas. Nec valet, quod ait Bassol. syllogismus topicum ex genere suo non generare opinionem cum formidine, sed cum adhaerentia conclusioni opinatae, quantum fieri potest per ipsum. Non valet, nam percontamur, quanta sit haec firmitas adhaerentiae, vel enim attingit necessitatem, vel non, si primum, ergo a scientia non differt, si secundum, ergo absolute loquendo, & ex genere suo potest illi subesse falsitas, atque ideo syllogismus topicus generat opinionem cum actuali formidine, vel saltem cum aptitudinali.

6 Ex his ergo concludimus formidinem aptitudinalem esse passionem opinionis, quae oritur ex natura assensus opinativi, qui ex suo genere talis est, ut nunquam attingat certitudinem, & firmitatem actus scientifici, per quam dumtaxat tollitur omnis formido. Verum tamen est, hanc aptitudinem impediri posse, ne exeat in actum, quod licet ex multis capitibus contingere possit, ex duplici tamen potest praesertim accidere. Primo, quia licet fundamentum assensus sit ex sua conditione incertum, & fallibile, tamen quia multis experientis comprobatur apprehenditur, ac ut verum in plurimum, ideo acceptatur sine formidine, haec ratione absque ulla suspitione de opposito assentimus propositionibus contingentibus immediatis, ut quod mater diligit filium, & etiam antiquis historiis, quia ut notat Doctor quol. 14. §. De primo, licet humanum testimonium ex sua conditione sit fallax medium ad assentiendum, esse tamen potest tot hominum auctoritate firmatum, ut in nobis pariat certitudinem quandam moralem, qua de causa inquit Aug. 15. de Trin. cap. 12. & 22. a Doctore ibi relatus *absit, ut scire nos negemus, quae testimonio didicimus aliorum, aliquando ne sciremus esse Oceanum, ne sciremus esse terras, atque urbes, quae celeberrima fama commendat*; eadem ratione prudens Scotista, vel Thomista potest tam validis fundamentis suam stabilire sententiam, ut moraliter sibi securus videatur de sua opinione, nec timeat de opposita. Potest etiam hoc interdum accidere, ut notat Tatar. cit. ex temeritate, & praesumptione, unde saepius videmus quosdam indoctos sine sufficienti, ac solido fundamento ita pertinaciter suis adherere opinionibus, ut non opinari, sed vere scire praesumant, & oppositum iudicent prolixius impossibile, quod certe procedit, aut ex ignorantia, aut ex voluntatis pertinacia, cujus indolis sunt Heretici, qui sua falsa dogmata tam vera existimant, ac ipsas fidei veritates, unde potius ex tam pertinaci adhaesione dicuntur Heretici, quam ex eo, quod haesitent in fide: talis quoque indolis erant Philosophi, de quibus Arist. loquebatur 7. Ethic. cap. 3. & hic opinandi modus non tam dici debet opinio, quam temeritas, & praesumptio, ut inquit Tatar. Quamvis autem formido modo praedicta sit de ratione opinionis, hic tamen non sequitur tolli in opinione determinationem ad alteram partem, etiam quando intervenit actualis ipsa formido; quia hoc est proprium dumtaxat dubitationis, vel suspitionis, ut diximus: hoc igitur solum efficit formido, quod quia assensus determinatur alterius partis non est cum evidentia, & certitudine, sic assentitur determinate intellectus parti illi, ut iudicet formaliter, vel virtualiter objectum illud probabile posse aliter se habere, unde proprie formido tollit firmitatem assensus, non vero determinationem.

7 In oppos. objic. quod formido nihil per se attingat ad opinionem. Tum quia potest esse opinio de aliqua conclusione necessaria, cum nimirum proceditur ad eam per medium topicum, sed in tali opinione nequit esse formido, quia talis

conclusio nequit esse falsa, ergo, &c. Tum 2. etiam in probanda conclusione contingenti est aliquis actus, quo intellectus considerat praesice propositionem esse veram, non considerando contingentiam, & talis est sine formidine, quia non respicit oppositum esse possibile, & talis actus est opinativus, cum ex ipso generetur opinio. Tum 3. potest augeri opinio non augmentata formidine, multiplicatis enim rationibus probabilibus augetur opinio, & minuitur formido, ac incertitudo, ergo haec ad illam non attingit. Tum 4. actus opinativi non corrumpunt scientiam, nam Arist. saepe eandem probat conclusionem rationibus probabilibus, & necessariis, ergo sunt sine formidine, quia formido non stat cum scientia. Tum tandem, quia negatio certitudinis, & evidentiae, quae est origo formidinis, non est de essentia actus opinativi, quia nulla negatio est de essentia alicujus positivae, qualis est actus ille.

8 Respondet ad haec omnia Tatar. cit. dub. 2. ex Greg. q. 2. Prolog. art. 4. sed valde perplexe, convincens enim argumentis admittit quemdam habitum medium innominatum inter opinionem, & scientiam, quem nec ipse intelligit, nec declarat. Ad 1. itaque dicitur posse esse opinionem utique de conclusione necessaria, non tamen cognita ut talis, quia per medium probabile non potest attingi ut necessaria, sed attingit ut vera, abstrahendo a connexionione necessaria, vel contingenti, & quia medium non est necessario verum, ideo licet per illud assentiamur objecto in se necessario, non tamen cum tanta firmitate, quanta requirit objectum, & hinc relinquuntur loci formidini: tum etiam quia licet conclusioni in se nequeat subesse falsitas, potest tamen subesse ex eo capite, quod deducitur ex medio probabili, ut in summa sit dicere opinionem de conclusione necessaria posse falsitatem subire non ex natura objecti, sed ex modo procedendi ad ejus probationem, ut dictum est. Ad 2. probat tantum posse opinionem reperiri sine actuali formidine, quod concedimus, non tamen sine radicali, & aptitudinali. Ad 3. pariter concludit de formidine actuali, quae eo magis minuitur, quo plures afferuntur rationes probabiles, radicalis tamen semper invariata manet, nec tolli potest per multiplicationem rationum probabilium, sed solum magis, ac magis impediri, ne exeat in actum. Ad 4. pendet ejus solutio ex sequ. art. pro nunc dicatur probare tantum de actuali formidine. Ad ult. illa negatio circumscribit nobis differentiam quandam positivam, ut passim in aliis multis evenit.

9 Quia fides cum opinionem magnam habet affinitatem, non erit abs re aliqua de fide in fine hujus art. subtexere. Fides igitur est assensus determinatus alterius partis propter auctoritatem, & testimonium dicentis, quia vero duplex potest esse testimonium, cui creditur, divinum, vel humanum, seu creatur, ut etiam Angelus complectatur, duplex quoque fides distingui solet, humana scilicet, & divina, seu alio nomine naturalis, & supernaturalis, aut etiam infusa, & acquisita, ut loquitur Scotus quol. 14. §. De primo, inter quas esto plura ponat discrimina, hoc tamen potissimum est, quod quia Deus est testis infallibilis, ideo divinae fidei nequit subesse falsum, unde quoad certitudinem accedit ad scientiam, imo ipsam superat, adhuc tamen deficit quoad evidentiam, & claritatem, unde eam definit Paul. ab Heb. 11. Fides est sperandarum substantiarum argumentum non apparentium, ob certitudinem ergo infallibilem fides divina secernitur ab opinione, ob obscuritatem annexam a scientia. Quia vero e contra humanum testimonium falli potest, & fallere, ideo humanae fidei potest subesse falsum, unde longe majorem habet cum opinione affinitatem, quam divina, qua de causa Arist. fidem hanc (divinam enim non agnovit) frequenter vocat opinionem, & unum cum alio confundit 2. de An. 157. 1. Reth. cap. 1. 4. Top. loc. 67. & inter loca topica, quae ad opinionem deserunt, recenset locum ab auctoritate. Hoc tamen adhuc discrimen notatur inter fidem humanam, & opinionem, quod licet utraque innitatur motivo probabili, id tamen interest, quod opinio innititur motivo intrinseco, scilicet connexo cum objecto, fides vero extrinseco, scilicet testimonio alieno, & hoc modo constituunt duo genera, vel species habitus formidolosi.

10 Sed objicit nonnullus, fidem humanam non posse proprie opinionem dici, quia humana fides potest attingere physicam certitudinem, aut metaphysicam, cui nequit subesse falsum, numquam tamen opinio. Probatur assumptum, nam assensus, quem praebemus huic propositioni *Roma est*, videtur certus etiam physice, & non tantum moraliter, eo quia non potuerunt, etiam physice loquendo, tot homines, totque saecula affirmare, quod *Roma est*, si re vera non esset. At istud dictum bene refert Arriag. in fine Log. constat enim omnem assensum humanae fidei nitentem, etiam si omnium hominum auctoritate fulciretur, naturaliter, & physice esse fallibilem, esto moraliter sit certus, quot enim historiae habentur in una regione certissimae, quae tamen negantur ab aliis; imo quot historiae ab omnibus scriptoribus traduntur, ut certissimae, quas tamen nullam profus habere speciem veritatis demonstrat ingeniose Secundus Lancellotus Abbas Oliveranus in suo opusculo Italice conscripto *Farfaloni degli antichi Historici*; quae magis trita, ac decantata, quam illa de Horatio Coclite, quod solus supra pontem totius Etrurci exercitus impetum sustineret, unde Petrar-

tracia cecinit *Horatio sol contra Toscana iusta*, & tamen meam fabulam esse ostendit saeculo l. c. idem Auctor.

Q U E S T I O II.

An scientia, & opinio possint esse simul de eodem objecto.

11 **U**T omnes hic fere notant pro intelligentia quaeriti difficultas movetur non de solo objecto incompleto, & remoto, quale est subiectum conclusionis, sic enim constat de eodem subiecto posse simul haberi scientiam, & opinionem secundum diversa praedicata, quae de illo ostenduntur, sed de complexo, & propinquo, id est de eadem conclusione, & difficultas est, tum de actibus, tum de habitibus ipsis scientiae ac opinionis. Quamvis autem in hac celebri controversia multae solent recitari sententiae, celebriores tamen, ad quas caeterae reducuntur, sunt duae; prior negat tam de actu, quam de habitu, quae communis est inter Thomistas, & Scotistas cum eorum Magistris, id enim aperte docuisse videntur D. Th. q. 14. de verit. art. 9. ad 6. & 1. Post. lect. 44. & Scotus in 3. distinct. 24. & videtur expressa Arist. sententia 1. Post. cap. 26. quam proinde sequuntur Thomistae 1. Post. cap. 45. Philop. com. 135. Aver. comm. 201. Albert. Lincon. Venet. Regid. Fundamentum huius sententiae sumitur ex ipsa repugnantia inter evidentiam, & non evidentiam, certitudinem, & incertitudinem circa eandem veritatem, quia assensus scientificus est iudicium, quod res non potest aliter se habere, opinativus vero iudicat eandem posse aliter se habere; per illum plene, & perfecte determinatur intellectus, & manet omnino convictus circa veritatem propositionis, per istum vero non convincitur; ratio enim illius est omnino certus, & firmiter adhaeret conclusioni, ratione istius est incertus, & formidat de illa, & tandem alter est evidens, alter inevidens: & quia illi habitus invicem repugnant, quorum actus sunt repugnantes, ideo ex tali actu repugnantia deducit haec sententia etiam repugnantiam habituum, non solum naturaliter, sed etiam supernaturaliter & de potentia absoluta: ita videre est apud Complut. qui pro hac sententia citat omnes Thomistas d. 20. Log. q. 4. & apud Camerac. q. 14. & 15. Log. pro eadem omnes Scotistas supponit.

12 Altera sententia affirmat per diversa media unum scilicet demonstrativum, aliud vero probabile posse de eadem conclusione haberi simul scientiam, ac opinionem, ita Alenfi 3. q. 75. memb. 3. D. Bon. 3. d. 24. art. 1. q. 3. Ric. 3. d. 25. q. 1. Arg. q. 3. prolog. art. 2. Marsil. art. 3. & alii Veteres, & Recentiores quamplures recipiunt, Hur. disp. 10. de Anim. sect. 5. Ariag. disp. 6. sect. 6. Ovid. contr. 5. de Anim. punc. 3. Amic. tract. 27. Log. disp. 2. q. 7. dub. 5. & ex nostris Bassol. & Mair. supracit. imo, & Tar. ipse, quamvis priorem profiteatur sententiam, ait tamen ex ista non sequi contradictorium illud, quod aliquis simul assentitur cum formidine, & sine formidine, nam per scientiam assentitur sine formidine, & per opinionem cum formidine, haec autem duo non repugnant, quia id fit per diversos actus, non per eundem. Fundamentum huius sententiae est ipsa experientia, & consueta praxis probandi conclusiones, ex qua sic arguit Mair. cit. mos fuit Philosophorum discipulos instruere per auctoritates, & dicta aliorum, rursus per rationes probabiles, ad quae postmodum addiderunt rationes demonstrativas, & certum est, quod per auctoritates, & rationes probabiles non praetendebant facere evidens, quod docebant, sed tantum creditum, & probabile, & postea pedetentim arctius imprimere per rationem demonstrativam: sed nunquid (ait Mair.) per demonstrationes destruebant fidem, & opinionem, quam antea discipuli conceperant de eodem asserto; nequaquam, quia tunc frustra, & in vanum illas adduxissent, ergo scientia, & opinio non solum de possibili, sed etiam de facto, & regulariter se compatiuntur in eodem intellectu.

13 Dicimus tamen, actum opinionis non posse simul haberi cum actu scientiae de eodem objecto. Hanc conclusionem tenemus cum priori sententia licet non cum tanto rigore, sicut ipsa, ut ex probatione constabit, quae ut facilius deducatur, notandum opinionem posse sumi dupliciter, ut constat ex dictis quae praec. vel ut habet contingentiam ex parte objecti, circa quod versatur, & tunc est, cum versatur circa objectum, quod in se est variabile: vel praecise ex parte modi, quo circa objectum versatur, & tunc est, cum versatur circa objectum necessarium procedendo ad illud medio probabili, non necessario: & in hoc sensu rursus attendi potest, vel ut conexa cum actu scientiae, vel ut est sine illa, jam enim de non posse interdum ab actuali formidine separari, quocumque autem modo sumatur ex his, inveniemus non bene se compati cum scientia circa idem objectum: ut patebit discurrendo per singula.

14 Si enim primo modo sumatur, ut nimirum contingentiam habet ex parte objecti, omnes fatentur, & fateri tenentur prorsus implicare, quod simul cum scientia sit de eodem objecto. Ratio est, quia scientia petit objectum necessarium, & invariabile, ergo cum opinio hoc modo supponatur habere opinionem contingentem, & variabilem, plane repugnant in eodem intellectu respectu eiusdem objecti, quia tunc idem objectum esset, & non esset necessarium, & intellectus simul, & semel affirmaret contradictoria de eodem, nam per assensum scientificum iudicaret praedicatum cum subiecto necessarium habere connexionem, per opinativum non habere necessarium,

sed contingentem, & haec est ratio, qua probavit Arist. 1. Post. c. ult. opinionem in hoc sensu non esse cum scientia compatibilem, quia tunc (inquit ipse) idem intellectus simul existimaret, quod res aliter se habere potest, & quod non aliter se habere. Nec juvat dicere, posse intellectum utrumque affirmare per diversa media, & per hoc tolli contradictionem. Non juvat, quia quod a parte rei praedicatum sit necessario conexum cum subiecto, vel non necessario conexum, non pendet ex medio cognoscendi, sed ex medio essendi, talis namque, vel talis conexio praedicati cum subiecto non pendet ex medio, quo cognosco, sed ex ipsa intrinseca causa inhaerentiae unius cum alio, cum igitur haec sit semper una, & eadem, nequit per unum medium modo contingentem ostendi, modo necessarium per aliud. Accedit, quod opinio accepta hoc primo modo tendit in objectum ex natura sua contingens, & variabile, ergo nequit intellectus ad tale objectum procedere per medium necessarium, quia conclusio contingens tali medio nequit ostendi, nam hoc modo capiendum opinionem, objectum opinabile non est scibile.

15 Si vero opinio sumatur alio modo pro assensu objecti necessarii per medium probabile cum annexa formidine, quia nimirum non penetratur necessitas objecti per illud medium, sic etiam implicat opinionem cum scientia consistere de eodem objecto, si enim intellectus rem evidenter novit ita esse, & est omnino certus per assensum scientificum, quomodo formidare simul potest, ne ita sit? Rursus de ratione scientiae est, ut tollat ab intellectu omnem formidinem, & trepidationem, ergo nequit simul cum ea consistere opinio cum actuali formidine: Nec bene dicebat Tatar. nullam esse hoc sequi contradictionem, quia per scientiam assentitur sine formidine, per opinionem cum formidine, atque ita non per eundem actum. Nam formido; & securitas, seu certitudo inter se formaliter repugnant, quantumcumque ad diversos actibus causetur, ergo opinio habens annexam actualem formidinem nequit esse cum scientia, quae secum necessario deserit securitatem: Accedit, quod si hoc Tat. inventum (quod plures acceptant Recentiores 2. sent.) ad salvandam contradictionem de effectibus repugnantibus in eodem subiecto per solam formarum pluralitatem esset idoneum, possemus dicere non repugnare etiam naturaliter contraria in summo in eodem subiecto, ut v. g. calorem, & frigus in aqua, assensum, & dissensum in intellectu, & velle, ac nolle in voluntate respectu eiusdem objecti; si enim hinc inferatur contradictio ex repugnantia effectuum in eodem subiecto ab illis formis procedentium, statim diceretur non esse contradictionem, quia illi effectus sunt a diversis formis, & quod voluntas amplectitur hoc objectum per volitionem, & respicit illud idem per nolitatem, & c. quae certe doctrina totam evertit philosophiam, nam ex effectibus repugnantibus in eodem subiecto consueverunt Philosophi deducere impossibilitatem formarum, unde procedunt; si Tatar. ergo admittere volebat scientiam, & opinionem esse de eodem objecto compossibilem, potius debebat dicere scientiam in tali casu impedire actualem formidinem ab opinione, ob quam repugnare videntur; & de opinione in hoc, vel primo sensu procedunt rationes 1. sent.

16 Si alio tandem modo sumatur opinio, nempe absolute, pro assensu probabili, praecisa actuali formidine, in quodumtaxat sensu docent Auctores 2. sent. posse consistere simul cum scientia, probatur adhuc, saltem naturaliter, & regulariter non posse stare simul, nam ut inquit Doct. cit. 3. d. 34. in sol. ad 3. princ. cum inducuntur medium probabile, & demonstrativum ad eandem conclusionem, si bene percipiatur vis mediae demonstrativae, nullum assensum generat aliud medium, & ut ait Doct. dialecticum nihil facit impedimentum a Demonstrativo, velut a causa fortiori, & longe efficacius suadente, & convincente, quod etiam notavit Tatar. cit. in fine quaest. quam rationem bene profecit Averis disp. 29. Log. sec. 4. dum enim intellectus evidenti ratione convincitur in cognoscenda aliqua veritate, negligit postea rationes probabiles, & non convincentes, nec ab eis moveri dignatur; sicut si quis ad aliquod objectum videndum posset uti lumine Solis, utrique exiguae candelae lumen contemneret; & quidem constat, quod si ad aliqua per se nota rationes inducantur probabiles, nullum in nobis causant assensum, ergo idem dicendum erit servata proportione, si inducantur ad suadendam veritatem iam demonstratam, & hoc etiam notavit Greg. q. 2. prol. ar. 4. ad 3. Quae etiam ratione probatur contra multos non posse in tali casu ex medio opinativo, & scientifico elici unum, & eundem actum, stante enim evidenti rei vel ex ipsis terminis, vel ex medio demonstrativo, probabile non movet intellectum, nec ad eundem actum assensum, nec ad distinctum. Imo si moveret, praestaret dicere movere ad distinctos simul compossibiles, quam ad unum, & eundem specie, & numero, quia assensus scientificus, & opinativus distinguuntur specie ex diversa ratione assentiendi, ergo si intellectus respicit in tali casu duas rationes assentiendi distinctas, & ab utrisque movetur, eliciet duos actus specie distinctos, & non unum, & sicut oculus videns simul album, & nigrum, elicit duas visiones specie distinctas, & non unam, quare male sibi consulunt illi Thomistae, qui in tali casu, cum adhibetur medium necessarium, & probabile, ne concederent actum opinionis, & scientiae esse simul, conceperunt medium probabile, licet se solo nequeat assensum scientificum produ-

producere, posse tamen cum consortio necessari, sicut qui se solo nequit attollere pondus ejus vires excedens, potest tamen alterius consortio; & licet calor ut quatuor nequeat producere ignem, potest tamen junctus cum calore, ut octo. Mala doctrina peiori exemplo confirmata, nam virtus caloris, ut quatuor, & ut octo, non differunt specie, sed tantum secundum magis, & minus, ac etiam virtus elevativa tanti ponderis, vel tanti, unde si intendatur talis virtus per gradus ejusdem rationis, tandem effectum attingit; at motum probabile, quantumcumque crescat in efficacia, nunquam tamen pertingit energiam demonstrativam, sicut & opinio, quantumcumque intendatur per rationes probabiles, nunquam attingit scientiae certitudinem. Sed unum, & eundem actum, qui simul sit scientia, & opinio, ex mediis scientifico, & opinativo simul concurrentibus elici non posse, adhuc magis constat ex dicendis disp. 6. de An. q. 9. contra Hur. Ariag. Ovid. & alios Recentiores.

17 Maneat ergo nihil efficere rationes probabiles post demonstrationem, nec quicquam movere intellectum ad distinctum, vel eundem actum, nec magis corroborare eandem scientiam, ut quidam ajunt; tum quia in nullo gradu possunt attingere certitudinem scientiae: tum quia cum ex suo genere sit notitia certa, & firma, non potest ex motivo probabili suapte natura labili, & fluxu majorem sumere soliditatem: potest quidem intellectus demonstratione imbutus cognoscere qualis, & quanta sit probabilitas mediae topicae ad eandem conclusionem induci, tamen ab ea non movebitur, unde in tali casu habebit rationem probabilem pro objecto praecise, non pro motivo. Verum tamen est, ut notat idem Averis cit. quod cum non bene percipitur vis mediae demonstrativae, est enim satis abscondita, & abstrusa, ut Arist. indicavit 2. Met. tex. 15. & sec. 28. Probl. 3. tunc multum juvant ad ejus vim percipiendam rationes probabiles, & sapientium auctoritates: & quia ita contingit, ut plurimum, hinc est, quod in consueto modo probandi conclusiones, etiam si demonstratio suppetat, ulterius inducuntur rationes probabiles, & auctoritates, quae veluti viam disponunt ad percipiendam demonstrationem, & hoc est, quod probatur fundamentum 2. sent. percepta autem semel, ac penetrata vi mediae demonstrativae, concedimus ultro destrui fidem, & opinionem, quam antea discipulus conceperat de eodem asserto ex rationibus probabilibus, & aliorum testimonis, ut expresse docuit Scot. cit. 3. d. 24. ad 3. princ. illis verbis, *si aliquis habeat primam opinionem de aliquo, & superveniat demonstratio, corrumpitur opinio*, neque hoc est inconveniens, ut inferebant Auctores 2. sent. imo potius necessarium, quia ut inquit Adagium, *ubi major cessat minor*, ita est in proposito, quod adveniente energia convincentis demonstrationis cessat persuasio facta antea per medium probabile, non quia actu positivo eam respuat intellectus, & quasi ab ea dissentiat, sed quia de illa amplius non curat, & in hoc sensu dicitur corrumpi opinio a superveniente demonstratione, neque ob id dicendus erit Magister antea frustra laborasse inducendo rationes probabiles, ut Mair. urgebat, per illas enim disposuit intellectum discipuli, & veluti magis promptum reddidit ad percipiendam demonstrationem, cujus vim ab initio non illico penetrasset ob ejus difficultatem, ac ingenii imbecillitatem: sicut nec agens naturale frustra dicitur laborasse inducendo dispositiones in materia ad formam substantialem, etiam si in ejusdem adventu illae corrumpantur in communi sent. Thom. & Scot.

18 *Quaerit*, an saltem absolute loquendo, & de potentia Dei opinio hoc modo sumpta pro simplici assensu probabili sine actuali formidine annexa possit cum scientia consistere, cum eadem conclusio probetur medio topico, & demonstrativo? Respondeo esse fati probabile, quod etiam Ponc. hic defendit, id tamen non est ex eo capite probandum, quo passim utuntur Auctores 2. sent. quia nimirum non sequitur contradictio, quod intellectus de eodem re sit simul certus, & incertus, ut inferebant Auctores 2. sent. eo quia id non fit nec per eundem actum, neque per idem medium, nam per actum opinionis fluctuat, ac trepidat, per actum scientiae firmiter adhaeret: per medium demonstrativum est certus, per topicum incertus, quae non est contradictio, cum non fit de eodem per idem. Haec ratio non valet, & plus probat, quam velint Auctores illi: non valet, quia ut supra contra Tatar. arguebamus, non semper formarum pluralitas tollit contradictionem denominationum eidem subiecto repugnantium, imo cum opposita denominationes non ab una forma sumantur, sed semper a diversis, possent semper contradictoria enunciari de quocumque subiecto abique repugnantia, quia id fieret ratione subiecto existentium, non ergo formarum pluralitas sufficit ad tollendam contradictionem, quando tales producant effectus formales, qui invicem repugnant, & unus in eodem subiecto postulat necessario negationem alterius, neque eadem ratione sufficit diversitas causarum oppositorum effectus inducentium, nam regulariter loquendo effectus oppositi, non nisi a diversis causis oriri solent, unde haec ratione nunquam ostendi potest repugnantia effectuum in eodem subiecto, quia semper assignarentur diversae causae illorum, non ergo efficientia diversarum causarum sufficit ad tollendam formalem effectuum repugnantiam, quia ipsi in subiecto repugnant ex suis rationibus formalibus a quibuscumque inducantur causis; quare si medium probabile, &

necessarium inferunt in eodem intellectu effectus repugnantes, ut certitudinem, & incertitudinem, evidentiam, & inevidentiam, sane non videtur diversitas mediorum sufficientis ad contradictionem tollendam, alioquin ex diversis motivis possemus semper de eodem a parte rei contradictoria verificare praedicata, etiam quod sit, & non sit. Plus etiam probat, quam velint praefata ratio, quia si diversitas actuum, & mediorum sufficit ad contradictionem tollendam, poterit defendi opinioem stare cum scientia, non tantum in hoc tertio sensu, ut est sine actuali formidine, sed etiam in primo, & secundo, quod tamen ipsi quoque reuunt, nam semper salvabitur contradictio ex mediorum diversitate, & actuum pluralitate, imo defendi poterit eadem ratione posse esse simul in eodem intellectu assensum scientificum, & erroneum ejusdem conclusionis, quia utrique tales assensus ex diversis mediis procederent.

19 Ratio igitur, qua id probari debet, ea est, quia ratio, cur opinio formaliter opponatur scientiae, est ipsa actualis formido de opposito, & positiva incertitudo de proposito, haec enim incertitudo, & formido directe opponitur certitudini, & securitati, quae per scientiam habetur, sed opinio ultimo modo sumpta est sine actuali formidine, & sine positiva incertitudine, quia hoc modo est solum negative incerta, quatenus non assert certitudinem intellectui, sed solum probabilitatem, ergo nil obstat, quin cum scientia compatiat. Paret major; Probatur, & explicatur minor; cum ad probandum hominem esse risibilem assumitur medium necessarium, & probabile, potest intellectus uti probabili dupliciter, vel ut expresse iudicet ex vi talis mediae non esse necessariam connexionem inter subiectum, & praedicatum, vel ut absolute iudicet ex vi talis mediae hominem esse risibilem, abstracto a necessaria connexionem, vel non necessaria; primo modo assensus opinativus est positive incertus, quia adest iudicium expressum de variabilitate objecti, & sic est impossibilis cum scientifico, qui oppositum formaliter iudicat, nempe praedicatum esse cum subiecto necessario conexum; secundo modo est tantum negative incertus, quia iudicat tantum praedicatum esse cum subiecto conexum praecise, & contingentia connexionis, & sic est cum scientifico compossibilis. Et hoc assertum concedunt etiam multi Auctores 1. sent. unde Greg. ex illis quaest. 2. prol. art. 4. ad 3. inquit, quod habentes scientiam, vel fidem de aliqua conclusione, licet utantur rationibus probabilibus, non tamen utuntur actibus formidolosis, seu actibus assentiendi cum formidine, qui soli proprie dicuntur actus opinativi, seu opinionis; ita ille. Ex quibus patet, ipsum concedere assensum probabilem sine formidine cum scientia compossibilem, licet postea nolit proprie vocari opinionem; idem voluit Tatar. significare, cum admittit posse generari habitum quemdam ex actibus probabilibus sine formidine, quem nec ipse vult opinionem appellare, quae lis est de solo nomine, satis est, quod nobiscum conveniat de re. Nec etiam Scotus ipse voluit hoc negare loc. cit. nam ratio, quam adducit ex contradictoriis de certitudine, & incertitudine, procedit de opinione primo, & secundo modo accepta, & praesertim primo modo, ut, scilicet, attenditur ex parte objecti variabilis, & contingentis, inferius vero in sol. ad 3. ubi de opinione loquitur ex parte mediae probabiles, est etiam negat esse in hoc sensu cum scientia compossibilem, eo quia dialecticum nihil faceret impeditum a medio demonstrativo, ut supra deductum est, satis tamen constat eam rationem non probare, nisi naturaliter, & regulariter loquendo, impossibile esse talem similitudinem, non autem de potentia absoluta. Quod diximus de opinione in ordine ad scientiam, pariter dicendum est de fide humana; quid vero sit de divina dicendum, non est praesentis negotii determinate, posset tamen servata proportione idem quoque de ipsa dici, & juxta allatam doctrinam Scotus loc. cit. explicari; quod si obscuritas positiva ponatur de ratione fidei juxta definitionem ejus ab Apost. traditam ad Hebr. 11. tunc foret neganda paritas, sed huius exacta discussio ad Theologum spectat.

20 Sed contra nunc dicta objices. Tum quia etiam loquendo de opinione pro solo assensu probabili, adhuc est ex genere suo capax formidinis, scientia vero incapax, ergo adhuc in hoc sensu repugnat. Tum 2. quia adhuc, ut sic, est incerta, per hoc enim a scientia distinguitur; quod si dicas, esse tantum negative incertam, id est non certam, adhuc probatur inventum, quia scientia est certa, opinio non certa, quae duo contradicunt. Tum 3. quia adhuc ex scientia, & opinione sic sumpta, si simul essent, sequuntur duo iudicia repugnantia, unum formale, quod res nequit aliter se habere, alterum saltem virtuale ex parte opinionis, quod possit aliter se habere. Tum 4. quia adhuc non evitantur omnia contradictoria, quae ex hoc inferebat 1. sent. nam per assensum scientificum manet convictus intellectus, per opinativum non est convictus, & c. Tum tandem quia videtur prorsus superflue actus opinionis, ubi est actus scientiae, sicut praesistente lumine Solis frustra adhibetur lumen candelae.

21 Resp. neg. conf. nam calor v. g. compossibilis est cum siccitate, humiditas vero incompossibilis, & tamen stant simul calor, & humiditas; iudicium est fallacitatis capax, & apprehensio incapax, & tamen stant simul in eodem intellectu, & de eodem objecto; solum ergo inde deducitur, quod scientia cum opinione conjuncta impedit formidinem, ne in actum

actum erumpat. Ad 2. opinio tertio modo sumpta dicitur incerta negative, quatenus abstrahit a certitudine, & incertitudine positiva, & per hoc adhuc sufficienter a scientia distinguitur, quæ est positive certa, sicut inquit Doctor 2. d. 3. q. 11. F. & 3. d. 14. q. 3. B. & 4. d. 45. q. 2. D. & alibi sapientiam abstractivam, etiam si interdum pertingat rei existentiam, adhuc tamen sufficienter ab intuitiva distingui, quia non necessario alligatur existentie rei, sicut illa, sed indifferenter representat rem, sive existat, sive non, & ideo dicitur abstrahere ab existentia rei; Neque per hoc, quod opinio dicitur non certa, & scientia certa, talis inferitur contradictio, quæ arguat eorum impossibilitatem, quia quælibet forma disparata dicit negationem alterius in hoc sensu, ut albedo negationem dulcedinis, & dulcedo negationem albedinis, & tamen sunt in eodem lacte. Ad 3. sicut non repugnat in Physicis vinum esse formaliter frigidum, & virtualiter calidum, & in moralibus, qui cum aliqua indebita circumstantia elicit actum dilectionis Dei, & formaliter ad Deum conversum, & virtualiter ab eo aversum; ita non repugnant duo iudicia, quorum unum dicat formaliter rem ita se habere, & aliud dicat oppositum non formaliter, sed virtualiter tantum; Accedit, quod in proposito iudicium factum ex medio probabiliter idem affirmat, quod factum ex necessario, scilicet, hominem esse risibilem abstrahendo a necessariis, vel non necessariis connexionibus. Ad 4. quia convinci intellectum, & non convinci pendet præcise ex conditione medii, nullum videtur inconveniens dicere, quod convincatur per unum medium, & non per aliud, sicut inconveniens erat, quod esset certus, & incertus de eadem conclusione, nam illa duo contradictoria enunciantur de intellectu respectu diversorum, ista vero respectu ejusdem; absolute in eo casu intellectus dici debet convictus; tum quia denominatio sumi debet a medio nobiliori, & efficaciori, tum quia si diceretur non convictus sine addito, cum negatio sit malignantis naturæ, & totum destruat, judicaretur intellectum non esse convictum per medium necessarium. Ad ult. quævis cognitio demonstrativa clarius, & certius rem ostendat, quam probabilis, adhuc tamen ista non superfluit, quia est diversæ rationis ab illa, & saltem diverso modo rem ostendit; sic in Beatissimæ simul admittuntur cognitio vespertina, & matutina de eadem re, & a Scoto præsertim notitia abstractiva, ac intuitiva in Angelo respectu sui ipsius 2. d. 3. q. 8. quævis per matutinam, ac intuitivam longe clarius res ostendantur, quam per vespertinam, & abstractivam, & etiam quando esset frustra, adhuc non probat intentum de potentia absoluta.

22 Ex dictis facile est resolvere quæritum de similitudine scientiæ, & opinionis, ut habitus important, nam si sumatur opinio, ut specificatur ab objecto, quod est contingens, & variabile, sic habitus scientiæ, & opinionis directe opponuntur, atque ideo non poterunt esse simul, nisi ad instar aliorum habituum contrariorum, quatenus, scilicet, ab initio non illico unus alterum destruit, sed paulatim: si autem opinio sumatur pro assensu probabiliter absolute præcise formidine, sic poterit consistere perfectus habitus opinionis cum actu, & habitu scientiæ, ac etiam actus opinionis cum habitu scientiæ, & hoc etiam naturaliter, & regulariter loquendo, quia ratio, quæ hoc prohibebat de actibus, non æque militat de habitibus, ut discurrant constabit.

Q U E S T I O III.

Quid sit error, & quomodo a scientia, & opinione differat.

23 Error proprie significat falsum quid, & sicut falsum proprie reperitur in actibus intellectus, eo quia veritati opponitur, cognitioni tribui solet, ita error proprie spectat ad intellectum in suis operationibus: tot modis autem contingit errare, & dicere falsum, quot modis contingit dicere verum; quare sicut veritas speciali modo tribuitur secundæ, & tertiæ operationi, sic etiam error, & falsum, error igitur proprie est cognitio falsa rem explicans aliter, ac est in se; si simplex est iudicium, erit secunda operatio, & falsa, & correspondebit habitui principiorum in syllogismo demonstrativo, vel topico: si vero erit assensus falsus alicujus propositionis ex vi alterius (causatus, erit discursus falsus, & verus effectus syllogismi falsi, scientiæ, & opinioni oppositi.

Sed pro majori dilucidatione not. quod non sufficit ad errorem, si quis profertur solum propositionem falsam, nisi quoque ita iudicet, & assentiat per intellectum ita esse, sicut tali propositione enunciat. Hic assensus potest quandoque esse cum formidine, quandoque cum certitudine, experientia enim constat, aliquos ita falsis dogmatibus adharere, ut mortem subire non dubitent; ratio autem hujus est, quia radix erroris in intellectu oritur ex hoc, quod id, quod in se non est verum, apparet intellectui verum, quæ veritas apparens, & existimata est duplex, vel probabilis apparens, vel neces-

saria, si enim quod non est probabile, potest apparere probabile, etiam quod est probabile, potest apparere necessarium, minus enim hæc distat, quam illa; si veritas est apparens probabilis, causat assensum falsum cum formidine, si est apparens necessaria, causat assensum falsum cum firmitate; unde tam potest errare intellectus, si quod non est probabile, iudicat ut probabile, quam si iudicat necessarium, quod in se est probabile, vel falsum; requiritur autem hæc veritas apparens, quia intellectus ad assensum solummodo movetur a vero, non a falso, & si veritas non esset apparens, & existimata, sed existens, assensus non esset falsus, sed verus; qua ratione Arist. 1. Elench. cap. 1. definit syllogismum captiosum dicens, quod sit *syllogismus apparens, atque non existens*.

24 Rursus est not. quod quandoque opinio est de re apparenter vera, & in se falsa, non ob id tamen illa opinio dicitur erronea, sed probabilis, & vera, non enim quælibet veritas apparens causat errorem, sed solum illa veritas, quæ apparet probabilis, in se tamen est improbabilis; quæ tamen in se est probabilis, licet non ita se habeat a parte rei, causat opinionem probabiliter veram; rritio hujus est, ut notat Averf. qu. 29. sect. 6. quia ex Arist. cit. probabile illud dicitur, quod creditur ab omnibus sapientibus, aut plurimis, aut quibusdam in scientiis excellentibus, improbable est, quod a sapientibus falsum censetur, licet rudibus appareat verum, ut quod Sol, & astra sint exiguæ quantitatis; quando igitur aliquid censetur verum, aut ab omnibus, aut ab aliquibus sapientibus, quamvis non ita se habeat a parte rei, assensus circa illud non dicitur erroneus, sed opinativus, & probabilis, neque hæc apparentia excludit probabilitatem; quando vero apud omnes sapientes est falsum, & solum rudibus videtur verum, tunc assensus erit error, quia quod est improbable, apparet probabile.

25 Quod diximus de errore circa propositionem, dicendum quoque erit de errore in discursu, nam tunc proprie discursus dicitur erroneus, quando non recte consequens deducitur ex antecedenti, quamvis in se sit verum, veritas enim conclusionis, ut propositio quædam simplex est, de per accidens quasi se habet ad rectitudinem discursus; dupliciter autem potest conclusio male deduci, vel propter defectum in forma syllogistica, & de hoc diximus 1. p. Inst. tract. 3. dum regulas bonæ argumentationis assignavimus; vel propter defectum in materia, quando scilicet conclusio ut probabilis, vel necessaria deducitur ex motivo improbabili, vel non necessario.

Ex his manifeste apparet distinctio inter errorem ex una parte, & scientiam, & opinionem ex altera; scientia enim est cognitio vera veritate necessaria, cui nequit subesse falsum, certa, & evidens; isti accedit opinio, quæ est cognitio vera veritate probabiliter apparente, habetque aliqualem evidentiam saltem probabilem, error tamen tamquam aliud extremum est cognitio omnino falsa, quia nec necessario, nec probabiliter apparet vera. Unde vero proveniat deceptio intellectus nostri pro statu isto, tetigimus disp. 10. qu. 2. art. 4.

26 Sed dubitabis: de ratione discursus est, ut consequens inferatur vi antecedentis, sed hoc solum intervenit in recto discursu, ergo nullus discursus erit falsus. Min. prob. quia quando consequens inferatur vi antecedentis, recte inferatur, unde dicebat Arist. cit. syllogismum deficientem in forma non esse verum syllogismum; quia in ipso conclusio non necessario inferatur ex præmissis. Item unum non nisi uni contrariatur, ergo error nequit esse scientiæ, & opinioni contrarius. Resp. neg. min. Ad prob. dicimus veram esse, si antecedens in se spectatum habet vim illativam consequentis, at quando consequens deducitur, non quia sit ex se deducibile, sed quia intellectus concipit in antec. vim illativam consequentis, quia iudicat antecedens esse causam istius, tunc inferatur consequens, sed non recte, Arist. autem loquitur de syllogismo peccante in forma, quomodo non est syllogismus illativus, quia non recte deducitur conclusio ex præmissis, etiam veris, sicut recte inferatur, quando est in forma, quamvis præmissæ sint falsæ, positæ enim his præmissis, omnis homo est lapis, Petrus est homo, rite inferatur, ergo est lapis, nam illæ præmissæ sic dispositæ habent vim illativam, quamvis non habeant vim probativam, cum sint falsæ, non loquitur autem de syllogismo, prout cum quocumque discursu convertitur, ut sic enim dicitur de syllogismo etiam peccante in forma, quamvis æquivoce, quia potest intellectus aliquis assensum conclus. elicere ex assensu præmissarum, quæ non recte dispositæ sint in forma, ut dispositæ tamen sint apprehensæ, quia actus esset tertia operatio intellectus; & discursus, non tamen rectus, sed falsus. Ad 2. satis diximus disp. 9. quæst. 1. art. 1. cum hanc contrariorum proprietatem explicavimus. Et hæc satis de facultate Logica: Quæ omnia cedant in laudem D. Antonii, in cuius Sacra Domo moramur, & sub ejusdem auspicio hæc elaboravimus lucubraciones.

RR. PP. BARTHOLOMÆI

MASTRII DE MELDULA, ET BONAVENTURÆ BELLUTI

De Catana Ord. Minor. Convent. Magistr.


Tomus Secundus:

CONTINENS DISPUTATIONES AD MENTEM

Scoti in Aristotelis Stagiritæ Libros

PHYSICORUM.

Editio novissima a mendis, quæ prius irreperant, expurgata.



VENETIIS, MDCCLVII.

Apud Nicolaum Pezzana.

SUPERIORUM PERMISSU, ET PRIVILEGIO.

F I N I S .